COMMENTARIA IN CAP. OMNIS VTRIUSQUE SEXUS, &C. VBI VARIA...

Leonardo Duardo

COMMENTARIORVM IN CAP. OMNIS VTRIVSQ; SEXVS, §. III.

SIVE DE OMNIBVS STATIBVS, TVM ECCLESIASTICIS, TVM SECVLARIBVS.

PARS ALTERA.

Opus quàm maximè omnibus vtile, ac necessarium.

AVCTORE
D. LEONARDO DVARDO CLER. REG. THEOLOGO, AC V.I.D.

CVM ADDITIONIBVS
D. LEONARDI DVARDI CL. REG. S.T.P. NEPOTIS.

Cum duplici Indice; Quæstionum scilicet, ac ferè omnium Materiarum locupletissimo.



Vera effigies Vener. P.D. Leonardi Duardi C.R. eximiæ Virtutis, ac doctrinæ Viri, qui pijssimè obijt Neap: die 29 Martij An. 1643 Ætatis suæ 77. in Ædibus SS. Apostolorum.
Ad pium Rogatum Oratij a Luca Baronis Castripagani.

NEAP. Apud Castaldum M.DC.LXXIII.)(*Superiorum Permissu.*

REVERENDISSIMO PATRI

D. DOMINICO DELLA QVADRA,

In Regali Monasterio Benedictino S. Seuerini Neapolis Dignissimo, ac Meritissimo Abbati.

D. LEONARDVS DVARDVS C. R. S.

ECce alterum posthumi Operis volumen in *Cap. Omnis vtriusq; sexus* D. Leonardi Duardi, Patrui mei, cum tuo celeberrimo Nomine, in lucem prodo. Etsi enim omnia, quæ ille Opera elucubrauit, in varijs mundi Regionibus edita, non sine literatorum omnium laudibus excepta fuere; hoc, quod multò cęteris pręstat, & conditiones, ac status Ecclesiasticorum, Religiosorum, ac Sęculariũ hominum complexũ est, & excussit, exactissimèq; Auctor elaborauit, cui nam sisti par erat, offerri digniùs, & cõuenientiùs exhiberi, quàm tribus germanis fratribus, qui non sine virtutũ omniũ laude, nataliũ luce, ac sapientia, insigniter efflorescũt?

Illustriss. Motulæ Antistes D. Aloysius agmen ducit, ab Catholico Hispaniarũ Rege Philippo IV. eam ad dignitatem euectus, quã & integritate morum, animique candore, & erga suũ gregem sedula vigilantia, & cura, & rara quidem dexteritate, ac prudentia, plurimùm exornauit; adeòvt sacro ipso murice dignus existimatione, plausuq; omnium habeatur, à suis non degenerando gentilibus. D. Aluarus enim Abbatiam S. Antonij Neapolis, pinguibus redditibus auctã, & S.R.E. Cardinalibus pluries attributam, Venosæq; primùm, ac exindè Aquilæ Episcopatum fuit assecutus: & D. Didacus Lauelli Antistes euasit; quorum doctrina, ac merita fuere supra Infulas.

Sed inter Religiosos viros, & in Sacro Magni Benedicti PatriarchęOrdine, haud parum emicat (Pater Reuerendiss.) virtus tua: quippè qui in flore ipso iuuentæ meritis iam onustus, præclara adeò munia adeptus es, quę nõ nisi à veteranis quidem, ac senibus, vt plurimùm occupantur: præsertim qua vel hodie fulges S. Seuerini Abbatiam, conferri solitã ijs, qui æuo, ac virtutibus eminerent. Quam ipse dignitatem ea cum omnium laude geris, ac sustines, vt in te omnes magnarũ virtutum cumulum admirentur. Visus namq; es vnà cum lacte candorem animi, ac omnem prudentiam exsuxisse: hæreditario iure quodã adeptus penè à maioribus sapiẽtiam: & zelum Monasticæ disciplinæ, quam semel in tyrocinio hauseras, ita perpetuò retinere, semperq; adauctum ita pręferre, vt quam moribus exprimis, facillimè ab omnibus legum obseruãtiam exigas: diù, noctuq; insigni modestia, & corporis compositione, in Odeo semper assistens; & paterni amoris beneuolentiã sic cum maiestate cõiungens, vt cõtra cõmune adagium. Vna in sede in te planè morari conspiciantur. Itaq; decor ipse Diuini Cultus, qui Benedictino in Ordine primas tenet, sic à te colitur, & exaugetur, vt eximium in dies abs te splendorẽ ac-

cipiat:& tuũ istud Cœnobium,quod vigilantissimè moderaris,nouis ędificijs munificentissimè exornas,atq;adeò ad sanctitudinem exstimulas, & incẽdis,vt si quis veri Abbatis,ac Generalis Religiosorum ideam,animo cõcipere cupiat,te satis sit contemplari; qui ad hoc natus videris (vt in hoc ipso Opere Auctor docet , & in cunctis Moderatoribus optat)vt planè pręsis,ac prosis.

Tertio demùm loco,miris sanè splẽdoribus,alter frater tuus D.Aluarus eximiè effulget:qui legum peritia,vt aiũt,Baldum,ac Bartolũ, & eloquẽtia propè Demosthenẽ exequauit:ideòq;semper ad eum,veluti feliciorem Patronum,perdifficiles totius Regni caussę deferebãtur;quarũ ipse inextricabiles nodos,aureo planè ore, veluti gladio olim Alexander,facili negotio dissoluebat.Meruitq;vt summa eius virtus perpetuã togã Præsidis Reg.Cam. ab Catholico Hispaniarũ Rege referret: tãtisq;eius laudibus,& elogijs,Regium ipsum Diploma refertũ est,vt omnes facilè intelligãt,Augustissimus Rex quàm longè illi maiora munia, vel præmia destinauerit. Clarumq; illud,quod vulgo efferri solet,in eo cõspicitur; pullos aquilarũ minimè in colũbas degenerare: cùm ipse,& Reuerendiss.Dominatio Tua,& Motulæ Antistes, ab Auis,Proauisque,æternæ memoriæ dignis,exoriamini. Quorum primus,ac Princeps, ad Neapolitanũ hoc Regnũ, sub auspicijs Aquilę Austriacę, hoc est Caroli V.Cæsaris feliciter peruenit:quemq; vel ipse Cæsar,legum, ac iuris Arbitrũ, & Phœnicẽ ingeniorũ expertus fuit. D. Iacobũ, inquam, della Quadra, cuius familia in Hispania plurimùm pręstat,præsertim Hispali:nomenq;è Cantabrię loco hausit,quò se se Nobiliores Hispanię,in Maurorũ alluuione,receperant. Præterea D.Iacobus tanta doctrina,& morũ grauitate pollebat,vt si vel hodie Iurecõsultus aliquis supra alios se iactet,& efferat,prouerbio dici soleat:Ecquis iste, num Doctor ille della Quadra fortassis erit?Quamobrẽ eo Regni Proceres in rebus grauissimis vtebantur.Eundemq; Carolus V.Cæsar anno 1519.suũ S.Claræ Consiliariũ,& in rebelles,tẽpore obsidionis Lautrechi,Delegatũ adsciuit.Vndè ab eodẽ Cęsare,inter alia munera reportauit concessionẽ Oppidorũ S.Seuerini,Centulæ,Foriæ,& Poderiæ. Idemq;munus Regij Consiliarij Consilij Capuanę D.Ludouicus ꝑdicti D.Iacobi natus à Philippo II. Rege,& D.Ferdinandus della Quadra à Rege Philippo III.adepti sũt.Hodieq;haud immeritò D.Aluarus,vt dixi,munus obit Pręsidis Reg.Cameræ,Dñs Postilionis in Principatu.Cõnubia verò cuncta pręclara,ac conspicua,huius Familiæ proceres inierunt:& inter alia cũ Ceppalunij Dominis ex Stirpe Aualos:cũ Cicinellis,vndè Proceres Familię dellaQuadra Carpinonij Dynastę fuere:& cũ Carafęis ex linea Principis Hostiliani.Sed demùm ad Volumen hoc redeo:cui quidem ex animo mirificè gratulor:quippè quòd sapientissimi Auctoris Operi trium Mecœnatum tutela cõtigit,qui in tribus, quos dixi,statibus, Doctrina insignes,clari genere,longa Heroum serie ornati , ac maximis virtutibus inclyti, non sine omniũ laude,& admiratione censemini. Vestra enim decora,quę fusè Historici narrant,& tabulæ,ac Regia Diplomata contestãtur,silentio præteriui, cùm vix satis essem enumerare; abundèq; Operi iam sufficiat,& satis superq;illud muniat,decoret,& illustret,vestrum Patrocinium, & amplissimum,ac nobilissimum Nomen.

AD LECTOREM:

LEONARDVS DVARDVS IVNIOR

Clericus Regularis Auctoris Nepos.

EN promissa impleo (Amice Lector) postremis scilicet Patrui mei vigilijs efformatam geminam, ac posthumam prolem; nempè primum iam, & hoc secundum Volumen in Caput Omnis Vtriusq; Sexus, publicæ luci exponens. In his habes vniuersa penè Moralis Theologiæ doctrinam exactè explicatam, & per singulos hominum status distributam; quæ ne dùm Confessarijs, sed & ipsis pœnitentibus consultum videas; illis namq; vt inter lepram, & lepram pro suo munere discernere valeant; isti quo in promptu quid probandum, quidue inprobandum sit rectè noscant; ne cuiquam dicere liceat: Delicta quis intelligit (Psal. 18.) Ea methodo, ac in docendo facilitate, qua in cæteris suis Operibus mirè vsus est Auctor; vt quisque Sacramenti Pœnitentiæ Minister, & si rudioris Mineruæ sit, horum sola lectione satis superque instrui possit ad ritè illud administrandum; itaut nec à Deo, nec à locorũ Ordinarijs audire timeat: Quia tu scientiam repulisti, repellã te ne Sacerdotio fungaris (Oseę c. 4.)

Non parum mihi in ijs laborandum fuit; nam etsi formata proles erat, non tamen polita satis, cum extremam Auctor non admouerit manum. Et vix credibile erit Me singulis diei momentis in instruẽdis Nouitijs occupatum; quo in negotio vix totus sufficit homo; potuisse ab innumeris mendis siuè manuscripta exemplaria, siuè malè impressa folia expurgare.

Vt ergo librum inoffenso decurras pede; noueris quamplura fuisse additionibus moderanda, vel explicanda. Additionesque signo † indicatas habes; præsertim ob illas sententias meritò à Summo Pontifice Alexandro VII. reprobatas; quarum vnam, vel alteram Auctor non sustinendo, sed referendo, fortè aliqua probabilitate donauerat; à cuius tamen mente aliena non erat censura, quam postea illis inussit iusto zelo ductus Supremus Pontifex. Vt videre est de sententia illa, quæ est 27. inter reiectas (Si liber sit alicuius Iunioris, & Moderni debet opinio censeri probabilis dum non constat reiectam esse à Sede Apostolica) in qua examinanda stylum acuit Auctor disp. 13. sec. 2. num 9. fol. 245. Vtque nulla sit errandi occasio addidi in calce voluminis Elenchum omnium propositionum, quas idem Sum. Pont. Alex. VII. duabus Constitutionibus reprobauit. Nec non quæ Summus Pontifex Clemens X. circa Regularium Priuilegia in exercitio audiendi confessiones, & concionandi explicauit; ne quid desit ad operis complementum.

Item si non rarò proferendo suum iudicium Auctor asserit aliquem peccare, non vlterius explicans, an grauiter, aut leuiter; id facilè ex grauitate, aut leuitate materiæ colligi poterit.

Præterea cum omnes ferè casus ad regimen conscientiæ spectantes his duobus voluminibus comprehensos videas, nolim, & te quoque de operis titulo mussitare; quod nulla tituli pompa, qua poterat maximo iure decorari, per orbem occurrat liber. Etenim quamplures Doctissimi Viri in Auctoris memoriam propensi, tàm ex exteris Iurisperitis Laurentius Grassus, Carolus de Rosa, & Io: Baptista de Luca Aduocatus in Vrbe Ill., quàm è Nostratibus inter quos R. P. D. Carolus Pignatellus nostræ Prouinciæ Visitator, ac omnigena scientiarum laude præclarus; D. Hieronymus Vitalis à multiplici literatura, & ab editis Operibus laudatissimus; & R. P. Præp. S. Pauli D. Gregorius Reyna Sacr. Theolog. Profess. & insignis animarum instructor. Alijque optassent, vel Summarum omnium Summam, vel Encyclopædiam totius Sacræ Doctrinæ Moralis esse inscribendum. Verum malui Auctori morem gerere, qui ab omni plausu fastuq; semper abhorruit; lucubrationes suas Dei tantum gloriæ proximorumq; saluti dicatas volens. Quapropter humili hac, sed digniori inscriptione contentus fuit, in Cap. Omnis Vtriusq; Sexus, &c.

Hæc de Opere. Liceat nunc de Operis Auctore pauca memorari; ac primum fateatur necesse est Christianus Orbis non parum se debere optimo seni, qui dies suos iugi studio in proximorum procuranda vtilitate consumpsit; & lingua, & calamo; & promptis consilijs, & scriptis codicibus; & priuata, & publica Moralis Theologiæ explicatione, tum Nostratibus, tum exteris; omnibus deniq; viuens omnium profectui laborans. Sed non minus oratione, ac diuinorum contemplatione intelligendis sententijs lucẽ, & opem cœlitùs obtinere curabat; cum optimè sciret à Deo postulandam esse omnem sapientiam; virtutum quoq; exercitationem, regularis disciplinæ obseruantiam, ac corporis acrem afflictationem frequentissimè adhibendo; tum plura charitatis munera exercere solitus, præsertim confessiones audire, cõscientiæ dubia resoluere, ac deuios peccatores ad salutis tramitem reducere; vno animarum zelo semper accensus; ita vt etiam vita functus cuidam pictori, qui eius effigiem delineauerat ceu benefactori insomnis apparens, quod peccatorum cumulo pressus veniam desperaret; illum redarguens ad expetendam à Deo misericordiam excitauit; eumq; monuit vt confessionem pluribus annis dilatam emitteret; & conscientiam suam graui peccatorum sarcina exoneraret in Ecclesia S. Catherinæ, quam Neapoli à Formella vocant; cumq; voci paruisset Pictor, & Confessario Sacri Ordinis Prædicatorum, qui illi inseruiunt Ecclesiæ suam conscientiam aperuisset, animæ suæ maculas diuinæ gratiæ luce melius, quam penicillo detersit. Ad eam inquam Sanctam Virginem, ac Martyrem Catharinam misit, quam ipse viuens in eadem Ecclesia impensè coluerat, vtq; peculiarem sui Patronam venerabatur; cuius precibus innumera à Deo obtenta beneficia enarrabat, præsertim ingressum in Religionem nostram intra annum trigesimum ætatis suæ, cum iam, & vtriusq; iurisperitia, & munia Ecclesiastica summa cum laude obita ad infularum spem, animum extollere poterant. Vndè eam Diuam gentis suæ Tutelarem reliquit, ac pro Familia in illius honorem sacellum construendum curauit. Cuius Sãctæ Virginis, ac Martyris Patroci-

treci-

trocinium ipse quoq; non semel expertus sum, praecipuè in procuranda horum Voluminum impressione; quae sub eiusdem auspicijs, nempè die illi sacro, Auctor foeliciter absoluerat.

Hinc, vt virum doctrina, ac Religione insignem quamplures Principes, & Saeculares, & Ecclesiastici in maximo habuerunt honore. Federicus Cardinalis Borromeus Ecclesiae Mediolanensis Sanctissimus Antistes, Maioris Ecclesiae Poenitentiarium delegauit. Alexander Cardinalis Estensis suum Theologum, & à confessionibus habuit. Aloysius Cardinalis Caietanus Capuae Archiepiscopus in Cathedrali vnà cum suo Clero Leonardum publicè explanantem Bullam Coenae Domini audiebat; in quam Commentaria deinde Orbi celeberrima iussu Sum. Pont. Pauli V. publici iuris fecit. Camillus Cardinalis Melzius item Capuae Archiep. ipsi omnium Ecclesiasticorum examen commisit. Ascanius Cardinalis Philamarinus Archiep. Neapolitanus Leonardum ad extremum vitae spiritum perductum Capuae in nostra Domo S. Eligij, benignè inuisit; & Neapolim (cum mirè conualuisset) accitum multis honoribus cumulauit. Card. Horatius Spinula Genuēsis Praesul ab eo publicè Bullas Pij V. de censibus, & cambijs explicari voluit.

De eo honorificè scripsere P. Silos Historiarum nostrarum Auctor eruditissimus, & Hieronymus Caracciolus, & Franciscus Boluitus apud Carolum de Lellis in additione ad Neapolim Sacram. Innumeri autem fuere Scriptores, qui eius opera, & Auctoris doctrinam plausibus extulere, praesertim in Theatina arbore, quam delineari curauit areo schemate Illustrissimus Paulus Carafa tunc è Nostris, nunc verò Episcopus Auersanus ne dum germano Fratri Carolo Cardinali sanguine coniunctus, sed purpura aequè dignus, vbi de Duardi laude dicendum fuit haec scripsit (Leonardus Duardus studiorum fama clarus.

Plura Auctoris opera lucē nō aspexere, praesertim de censuris, & vsuris, & consiliorum tomi tres, quae dum lucem publicā expetebant, sub cuiusdam aedificij ruina in tenebris periere. Sed Auctoris nominè claritatem exposita lucubrationes satis addidere; vt nunquam esse in obscuro timeat.

Tandem libuit quasdam libri paginas occupare Constitutionibus aliquot Summorum Pontificum, qui speciali fauore electionem nostrorum Vocalium pro Capitulo Generali, praeter consuetam formam faciendam esse indulserunt. Vt eas in promptu habeant Vocales cum opus fuerit.

Fruere igitur (Amice Lector) hisce Patrui mei laboribus, meaq; industria, qua illos in tuum bonū perficere non leui diligentia curaui, tuisq; precibus, & Patruum, & Nepotem apud Deum iuua. Et Typographi menda emenda. Vale.

Trium Virorum Iurisconsf. à LVCA, nempè Francisci Patrui Magni, & Ianuarij, & Vincentij, Germanorum ex proceribus Castripagani, ac S. Angeli Radiginosi.

Ad quatuor laureatos, Leonardum C. R. Alexandrum, Caesarem, & Vincentium ex Alphonso Duardo V. I. D & Iustina à LVCA ortos, & ipsius primi Germani doctrinae acerrimos Defensores.

TESSERACHÆDECASTICHON.

Bis gemino scatuit Paradisi Terra fluento:
  Vltima & hoc Tellus fonte bibebat aquas.
Te, Leonarde, parem Phisoni carmina pangant;
  Par & Alexandro fonte ferere, Gehon.
Euphratis, Cæsar, merito similaberis alueo,
  Nec male, Vincenti, te Tigris vnda decet.
Est vobis orbis riguus, LVCÆque propago:
  Vt mare & his fluuijs cresce, DVARDE decor.
Vestra ope dat generis nostri breuis Orbita luces;
  Illius à nobis gloria lucus erit.
Nam quì vos illustremus? mage lucus adumbrat:
  Quatuor ò Daphnes solus Apollo canat.
At Lauri à LVCIS: propriâ ergò stirpe DVARDIS
  E triplici LVCO Laurea texta venit.

AD

AD AVTHOREM
ELOGIVM.

R. P. D. Antonij Senni C. R. Sac. Th. P. ac Lectoris.

Cœlestis hic heros
Vitam geminus inchoauit, vnà cum prodigio natus;
Hic enim vix genitus, hoc genuit prodigium in Orbe,
Vt semianimi Matri exanimis puer vitam daret, dum acciperet;
Incertum faciens,
An plus Alumnus Matri, an Mater alumno deberet;
Hic ferè occiderat, antequam oriretur;
Sed mors tetigit tantum, non sustulit,
Timuit namq; donatum à Cœlo, terris eripere.
Sic erat in fatis,
Vt semel cum morte luctaret, qui indè tam sæpè viuos benè mori docuit;
Vt denuò reuiuisceret, qui tot animabus vitam donauit.
Adolescentiam ne quæras, hanc solùm ætate retulit, virtute senium.
Virtutis nunquam auidior, quàm cum diutiùs studuisset:
Laborem tamen donauit, non vendidit;
Aequa lance Astræam librans, dum sæpè pro veritatis patrocinio,
Est progressus in Forum.
Tamen vt optimè sciret, Deum ignorare noluit,
Vt animum ampliaret, se arctauit in Claustro;
Vt propriùs ad Deum accederet, recessit è Patria;
Nec visceribus Matris ligari potuit liber;
Qui postea animum ligari noluit, nec Infulis quidem,
Bis quæsitus ad Infulas;
Hoc se Leonardus Leonem probans, quod latebras quæreret.
In angulo clausus, ad spectacula theatrum aperuit;
Theatralem enim arenam cellulam fecit,
Vbi nullum se digniùs spectaculum præbuit,
Ipse sibi æquè oppugnator, & Fera;
Se ipsum ærumnis eneruans, Leonem domuit.
Alcidem fortasse voces, qui primum Alcidis laborem æquauit;
Sed ille Leonem, hic Leonardum vicit,
Dulci tamen victoria;
Tunc enim ex forti egressa est dulcedo,
Quæ adeò fluxit, vt etiam paginas deliniret;
Aequè fęcundus ingenio, ac facundus eloquio;
Adeò præclara commentaria donauit,
Vt si Cæsar reddatur, haud clariora conscriberet.
Plura dicam.
Nulla in se admittens peccata, docuit malos benè pęnitere;
Vsus calamo, vt, si fas esset, facinorum calamitates auerteret;
Vel vt etiam in cinere exanimis, animos libris incenderet
Aequè integer cum paginas, ac cum animos diuisos connecteret.
Hoc tantum se hominem probans, quod morti subiacuit,
Quæris quomodo obierit?
A prodigio ætatem exorsus, prodigio confecit;
Cum enim alienis in oculis viueret,
Sibi propè iam loculum præsciuit.
Lethum non horruit, quia lætus cum immortalitate dimicabat.
Vis Cycnum morientem pingere;
Leonardum in lectulo pinge, mortem hymnidicè excipientem.
Sic
Fato cessit, tot factis clarus;
Ac denuò repetens, cui se subduxerat, axem,
Zodiaci signis Leonem addidit.

Ap-

Opus posthumum, cui titulus Commentaria in Cap. Omnis Vtriusq; Sexus, &c. siue de Statibus *Vitæ* Humanæ *à R. D. Leonardo Duardo Clerico Regulari Theologo, & V. I. D. compositum, cum additionibus P. D. Leonardi Duardi C. R. Nepotis, iussu A. R. P. Generalis percurrimus. Et ne dum nihil in eo, quod bonis moribus, sanæq; doctrinæ aduersetur inuenimus; verum etiam ob solidissimam doctrinã, maximamq; morum conducibilitatem, vtpotè à doctissimo, probatissimoq; viro, quiq; alijs, iamdudum vulgatis operibus, satis amplum de se ediderit specimen, compilatum; dignissimum quod lumen aspiciat, immò lumen effundat, iudicamus. Neap. Domi nostræ S. Pauli die 4. Ianuarij, anno 1666.*

D. Vincentius Capycius C.R. D. Benedictus Capycius C. R.

D. IOSEPH MARIA MARAVIGLIA CONGREG. CLER. REGVLARIVM PRÆPOSITVS GENERALIS NVNC EPISCOPVS NOVARIÆ.

HOC Opus posthumum, cui inscriptio Commentaria in Cap. Omnis Vtriusq; Sexus, &c. *à P. D. Leonardo Duardo Congreg. nostræ Theol. ac I. V. D. compositum, & à Patribus, quibus id commisimus recognitum, & approbatum, vt typis mandetur quoad Nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 17. Aprilis 1666.*

D. Ioseph Maria Marauiglia Præpositus Generalis C. R.

Loco † Sig. *D. Nicolaus de Lino Secr.*

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 7. Martij 1673. fuit dictum quod R. P. Ioseph Mendoza reuideat, & in scriptis referat eid. Congreg.

Franciscus Guarinus Soc. Iesu Eminentiss. Theol. & Congr. Secr.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

OPus hoc, quod inscribitur, Commentariorum Leonardi Duardi, &c. *non sine iucunditate perlegi: nihilque in eo inueni, quod fidei, bonis moribus, aut Pontificum sanctionibus aduersetur: quin potius omnia veritati, ac pietati valdè consona, & suo Auctore digna. Opus est præclarum præclarissimi Auctoris, de cuius doctrina ingenijq; præstantia, vi, acie, in rebus difficilibus explicandis, atque enucleandis, ita statuo, neminem illi, in hoc Theologandi genere anteferri posse, paucos admodum conferri. Quare, vt quamprimum lucem aspiciat, vt multis lucem afferat, iterum, atque iterum dignum puto. Neapoli die 21. Martij 1673.*

Eminentiæ tuæ

Addictissimus Seruus.
D. Ioseph Mendoza Congregationis
Piorum Operariorum Theologus, & librorum Censor.

ECCELLENTISS. SIG.

D. Leonardo Duardo de Cherici Regolari espone à V. E. come desidera stampare vn Libro, con titolo: Summa Summarum de Statibus *Vitæ* Humanæ, siue Commentaria in Cap. Omnis Vtriusque Sexus de Pœnitentia, & Remissione in duo Volumina, & tres §§. distincta, Auctore D. Leonardo Duardo Ord. Cler. Reg. Præsbytero Theologo, ac V. I. D. cum additionibus D. Leonardi Duardi Cler. Reg. Nepotis. *Per tanto supplica à V. E. ordinare à chi si debbia commettere per riuederlo, e l'hauerà à gratia, vt Deus.*

Reu. P. M. F. Paulus Silos videat, & in scriptis referat.

De Soto Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 30. Octob 1654. *Barrilis.*

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINE.

IVssu E. V. legi Operam A. R. P. D. Leonardi Duardi Cler. Reg. quorum titulus est, Summa Summarũ de Statibus Vitæ Humanæ, siue Commentaria in Cap. Omnis Vtriusq; Sexus de Pœnitentia, & Remissione in duo Volumina, & tres §§. distincta, cum additionibus, &c. *eaq; vtpotè valdè elaborata, absq; vllo huius Regni incommodo, & suorum iurium præiudicio prælo mandari possunt. Datum Baruli die 7. mensis Ianuarij 1655.*

Fr. Paulus Silos à Bitunto Ord. Min. Conu. Magister, ac in Prouincia Diui Nicolai Perpetuus Diffinitor, &c.

Visa supradicta relatione. Imprimatur, & in publicatione obseruetur Regia Pragmatica.

De Soto Reg. Burgos Reg. Martinez Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 15. Ianuarij 1655. *Barrilis.*

R. P. D. Carolus de Palma videat, & in scriptis referat.

Galeota Reg. Carrillo Reg. Ortiz Cortez Reg. Calà Reg.

Prouisum per S. E. Neap. die 16. mensis Februarij 1673.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

IVssu Excellentiæ Vestræ perlegi impressum Volumen Secundum in Cap. Omnis Vtriusq; Sexus, &c. compositum à R. P. D. Leonardo Duardo Cler. Reg. ac in eo nihil occurrit, quod Regiæ Iurisdictioni, ac Regalibus iuribus opponatur; Immò quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ Dei sunt Deo reddenda optimè docet. Quapropter vt publicetur omnium bono, facultas concedi poterit, cum omninò suo originali iam probato respondeat. Dat. Neap. in nostris ædibus S. Pauli Maioris die 22. Martij 1673.

D. Carolus de Palma C. R. Sac. Theol. Professor.

IN-

INDEX

IN §. III. DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM HVIVS SECVNDI TOMI IN CAP. OMNIS VTRIVSQVE SEXVS, &c. Seu de omnibus Statibus Vitæ Humanæ.

ris,licite,ac validè possit illud applicare pro alio.

S E C. XXI.

An Sacerdos obligatus ad celebrandum certũ Missarum numerum,accepto iusto stipēdio, possit eas per alium celebrare, dato ei stipēdio minori iusto.

S E C. XXII.

An peccet sacerdos accipiens pro celebranda Missa à pluribus plura stipendia,quæ singula sint iusta, si vnam tantùm Missam celebret pro omnibus.

S E C. XXIII.

An sacerdos obligatus Missam celebrare pro aliquo, peccet mortaliter si celebrationem illius diù differat.

S E C. XXIV.

An sacerdos anticipatè celebrans pro eo, qui primò eleemosynam dederit pro celebrandis Missis, ità satisfaciat, vt citra culpam possit posteà ab illo eleemosynam accipere.

S E C. XXV.

An sacerdos obligatus celebrare Missam Defunctorum, peccet si dicat Missam de Feria, de Sancto, vel Votiuam.

S E C. XXVI.

An sacerdos obligatus ad celebrandum Missas teneatur illas celebrare per se, vel possit etiam celebrare per alios.

S E C. XXVII.

An sacerdos peccet mortaliter, si dum vestibus sacris induitur ad celebrandam Missam, preces dici solitas, & quæ in Massali continentur, prætermittat.

S E C. XXVIII.

An aliquando citra culpam sacerdos possit consecrare absque vestibus sacris.

S E C. XXIX.

An sacerdos peccet celebrans discalciatis pedibus,aut cooperto capite.

S E C. XXX.

An peccet sacerdos si Missam Defunctorum, celebrat pro aliquo fideli, adhuc viuente.

S E C. XXXI.

An peccet sacerdos si Missam celebret in Mari, vel in Flumine.

S E C. XXXII.

An sacerdos peccet mortaliter Missam celebrans in Ecclesia polluta, aut interdicta.

S E C. XXIII.

An sacerdos peccet mortaliter, si conscietiam habens peccati mortalis celebret,non præmissa confessione, licet moraliter de eo se cognoscat contritum, aut attritum.

D I S P. XIII.

De Cõfessarijs,& culpis, in quas incidere possunt, vt tales sunt a discreto, ac cauto Confessario cùm sibi videbitur, explorandis.

S E C I.

De quibusdam præcipuis Cõfessariorum culpis,breuiter attigendis, supra disp.1.2.& 3. fusiùs explicatis.

S E C. II.

De alijs præcipuis culpis,in quas incidere possunt Confessarij,vt Confessarij sunt.

D I S P. XIV.

De Diaconis,ac Subdiaconis,& culpis,in quas incidere possunt, vt tales sunt,a discreto, & cauto Confessario, explorandis.

S E C. I.

De culpis, in quas incidere possunt Diaconi.

S E C. II.

De culpis, in quas incidere possunt Subdiaconi.

D I S P. XV.

S E C. V N I C A.

DE Clericis ad Sacros Ordines non promotis,& eorum culpis,à discreto,& cauto Confessario explorandis.

D I S P. X VI.

DE Religiosis,& peccatis, quæ, vt tales sũt contrahere possunt a discreto, & cauto Confessario explicandis.

S E C I.

An Religiosus semper peccet, Superiori non obtemperando.

S E C. II.

Qualiter Religiosus peccet violando castitatis votum.

S E C. III.

Qualiter Religiosus peccet contra votum paupertatis.

S E C. IV.

Quæ nam quantitas pecuniæ, aut alterius rei, accepta, aut donata à subdito Religioso citra consensum Prælati, satis sit ad lethalem culpam contrahendam contra votum paupertatis.

S E C. V.

An Religiosus Professus peccet contra votum paupertatis, si volenti sibi donare centũ aureos, illos non acceptet, sed dicat illi, Titio eosdem tribuat, aut alicui ex suis consanguineis.

S E C. VI.

An Religiosus talis Religionis, in qua non recipiuntur eleemosynæ pro celebrandis Missis, peccet contra votum paupertatis, si conueniat cum aliquo, vt tot iulios donet tali pauperi pro totidem Missis ab ipso pro eo celebrandis.

S E C. VIII.

An rerum notabilium permutatio, facta à Religioso citra Superioris licentiam,absque tamen Monasterij detrimento sit lethalis culpa contra votum paupertatis.

S E C. VIII.

An Religiosus faciat contra votum paupertatis, si rem ad vsum per superiorem concessam culpa sua lata perdat,aut destruatur.

De

DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM.

De

An



COM-

COMMENTARIORVM LEONARDI DVARDI CLER. REGVLAR.

IN §. III. CAP. OMNIS VTRIVSQVE SEXVS De Pœnit. & Remiss. Tom. II.

Siue de omnibus Statibus vitæ humanæ, tùm ordinis Ecclesiastici, & Religiosorum, & tùm Sæcularium; & de eorum vitijs, & peccatis.

In quo agitur de bonitate, & scientia Confessarij, atq; ideò de omnibus, quæ necessaria sunt ad constituendum optimum, discretum, cautum, atque eruditum pœnitentiæ Sacramenti, & sanctissimæ Eucharistiæ Ministrum.

Proponuntur verba Textus.

§. III.

Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti Medici superinfundat vinũ, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & eiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad saluandum ægrotum. Caueat autem omninò, nè verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitẽtiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiã ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudẽdũ.

TEx: diuiditur in duas partes. In prima parte Confessarijs in audiẽdis confessionibus, prudentiã, ac scientiam Concilium præcipit. In secunda eisdem grauissimas pœnas statuit sacramẽtalis confessionis sigillum qualitercumq; violantibus. Secunda, ibi, caueat ibi, *Sacerdos autem sit discretus, & cautus.*

De prudentia, ac bonitate Confessarij. DISP. I.

SVMMARIVM.

1. *Prudentia inter morales virtutes præcipuum obtinet locum.*
2. *Quamuis prudentia plures sint partes integrantes, duæ tamen sunt præcipuæ, nempè discretio, & cautio.*
3. *Prudentia cum sit ratio agibilium, & agibilia contingentia sint, potest in eis verum admisceri falso, & malum bono.*
4. *Prudentia, duplex datur industria, sufficiens scilicet, & particularis, altera verò plenior, quæ tendit ad alios.*
5. *Confessarius, vt discretus dici possit, ac cautus, debet esse prudens tum quoad se, tum quoad alios.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd inter morales virtutes prudentia præcipuum locum sibi vẽdicat, tum quia in intellectu residet, qui appetitu est nobilior, tum etiam quoniam cæteras virtutes regit, atque gubernat; ità vt citrà prudentiam reliquæ quantò maiores sunt, tantò magis noceant, vt habetur ex *D. Thoma in 3. d. 33. q. 2. ar. 5.* imò aliæ virtutes, nisi quæ agunt, prudentèr agant, virtutes esse nequaquam posse, docet *Greg. lib. 2. in Ezechiel. Homil. 22.* Et quamuis 2 prudentiæ quamplurimæ sint inte-

grantes partes, de quibus *D. Th.* 2.2. *q.49.per tot.* duæ tamẽ sunt Principes, quę ad eandem pertinent; nempè discretio, à qua discretus quis dicitur: & cautio, à qua cautus. Est autem discretio virtutum omnium mater, moderatrix, & custos, vt in *c. 1. de offic. custod. c. præsẽtiũ,1.q.5.& D. Th.d.ar.5. in corp.* Hæc virtus necessaria est cunctis in viuendo, vt in *c.hinc etiam,49.d.* vbi discretio naso comparatur; nam sicut naso odores, fœtoresq; discernimus; ita per eam virtutes eligimus, & delicta reprobamus. Ob id enim discretio idem denotat, quod separatio, seù distinctio, vt in *l.ex hoc iure, ff.de Iust.& iur.& l.discretis,C.qui test.facere poss.* & propterea in Confessario maximè expostulatur, vt inter lepram, & lepram valeat discernere, vt in *c. quomodo,* 11. *q.3.* & ligare, ac soluere, *c.1.in prin.de pœnit.d. 6.* Et cùm prudentia sit ratio agibilium, & agibilia, seù operabilia contingẽtia sint, atque ideo in eis verum potest admisceri falso; & malum bono, propter multiformitatẽ huiusmodi operabilium, in qibus bona plerumque impediuntur à malis, mala habent speciem boni; idcircò necessaria quoque est cautio ad prudentiam, vt sic accipiantur bona, quod vitentur mala, vt habetur ex eodem *D.Thom.d.q.49. art.8. in corp.* atque ideò, vt Confessarius sit prudens non solùm debet esse discretus, verum etiã cautus. Et quoniam duplex datur prudentiæ industria, altera scilicet sufficiens, & particularis, qua homo regulatur in se ipso quoad singularem eius perfectionem: siquidem nemo verè prudens dici potest, qui nõ est in gratia; quoniam gratia est causa omnium virtutum. Etenim, qui gratiam habet, habet charitatem; atque ideò habet omnes alias virtutes, vt benè declarat idem *D. Thom. 2. 2. q. 47. art.13.* altera verò prudentiæ industria est plenior, qua homo ordinatur quoad alios. Hinc fit, quod ad hoc vt Cõfessarius discretus dici possit, & cautus, necesse est, vt bonitatem in se habeat, ac scientiam, vt prudenter se habeat non solùm quoad se & singularem ipsius perfectionem; sed etiam quoad eiusdem confitentes, sciens discernere inter lepram, & lepram, ligare, & soluere, admonere, & corrigere, vinum, & oleũ infundens vulneribus sauciati: de quibus omnibus, & singulis per proprias quæstiones agemus. Et primò de bonitate Confessarij quoad se: secundò de eiusdem bonitate quoad alios: & denique de scientia, quam habere debet Confessarius, vt confessiones decẽter, ac fructuosè audire valeat.

De bonitate Confessarij quoad se, & particularem eius perfectionem: & primò, an sine lethali culpa oporteat eum esse in confessionibus audiendis.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1. *Sacerdos in confessionibus audiendis debet esse sine lethali culpa.*
2. *Quamuis ad Sacramenti pœnitentiæ valorem nulla Sacerdotis bonitas sit necessaria; conferens tamen hoc Sacramentum in lethali culpa, culpam committit lethalem.*
3. *Confessarius in mortali peccato confessiones audiens, mortaliter peccat, quãuis absolutionem non impendat.*
4. *Excusatur à peccato mortali Confessarius si minimam tantum partem in peccato audiat confessionis cum proposito conterendi quam citius, & suum posse faciat ad ritè disponendum.*
5. *Qui confitetur omnia peccata sua indignè ex defectu sufficientis doloris animo tamen debitè dolendi antequam absolutionem recipiat, non peccat: & an idem sit in Confessario. Et quæ sit ratio diuersitatis.*
9. *Confessarius, qui in mortali permanẽs, & censura aliqua alligatus, pœnitentię Sacramentum ministrat non solum nouam culpam contrahit, & grauiorem, sed etiam irregularis efficitur, & sinè censura sit publica, siuè occulta.*
7. *In casu extremę necessitatis potest Confessa-*

fessarius hoc Sacramentum ministrare, etiam si nominatim esset excommunicatus, & denunciatus, hæreticus, ac degradatus, idque citrà omnem irregularitatem, modo concurrant reliqua necessaria ad Sacramentum.

8 *Constitutus in extrema necessitate petere potest à publicè excommunicato pœnitentiæ Sacramentum.*

9 *Confessarius, qui occultè est censura alligatus, & citrà scandalum, vel propriam infamiam non posset petentibus denegare hoc Sacramentum, poterit citrà irregularitatem illud ministrare.*

10 *Monialis, quæ occultè incidit in excommunicationem papalem, communicare poterit ante moram petendi absolutionem ad euitandam propriam, vel sui monasterij infamiam, aut scandalum.*

11 *Sacerdos occultè excommunicatus si ex officio Sacramentum hoc ministrare teneatur, illud petenti ministrare poterit citrà omnem irregularitatem.*

12 *Quid dicendum de excommunicato occulto, qui ex officio illud ministrare nō teneatur.*

13 *Sacerdos, vt supra excommunicatus, & toleratus, si reperiatur alibi, in die festo, vbi non sit, qui celebret, vt Populus possit missā audire, & satisfacere præcepto, ad eiusdem populi petitionem, & citrà scandalum poterit licitè celebrare citrà irregularitatem.*

14 *Probabiliter ignorans se esse excommunicatum, Sacramentum pœnitentiæ administrat, irregularis haud efficitur.*

15 *Quæ dicuntur de probabili ignorantia, extendantur quoque ad naturalem inaduertentiam, & obliuionem.*

16 *Omnia supradicta vera sunt quamuis Sacerdos in supradictis casibus Sacramenta ministret sciens se esse in lethali culpa.*

17 *Excommunicatus quamuis toleratus, si pœnitentiæ Sacramentum ministret, putans non effici irregularem, ab irregularitate non excusatur.*

18 *Metus, cadens in constantem virum excusat Sacerdotem ab irregularitate, si excommunicatus pœnitentiæ Sacramētum ministret, ad euitandum mortis periculum, aut aliud graue damnum.*

Quid si sit excommunicatus denunciatus, vel aliter publicus.

19 *Sacerdos in mortali peccato existens nō potest citrà nouam culpam pœnitentiæ Sacramentum ministrare, etiam in casu necessitatis, non præmissa saltem cōtritione.*

Idque quando verum sit.

20 *Contritionis actum quamuis possit quis in instanti promerere, id tamen fieri nequit absque speciali Dei auxilio.*

21 *Per solam attritionem dicitur Confessarius sufficienter dispositus ad ritè ministrandum pœnitentiæ Sacramentum vrgente necessitate, sicut, & pœnitens ad id suscipiendum.*

22 *Sacerdos ministrans pœnitentiæ Sacramentum in peccato toties peccat mortaliter, quoties confessiones audit.*

23 *Reijcitur opinio* Rodriq. *aliter dicentis.*

24 *Sacerdos in mortali permanens, si postè decem v.g. fidelium confessiones vnius seorsim ab alio, vnica absolutione eos absoluerit, decem peccata committit. Et quo casu impendi possit taliter absolutio.*

25 *Non solum Sacerdos ministrans in peccato mortali pœnitentiæ Sacramentum mortalitèr peccat, sed etiam pœnitens, qui scienter induxit hunc Sacerdotem ad sibi ministrandum hoc Sacramentū.*

Quid si talis Sacerdos erat paratus.

26 *An, & quando licitum sit ab indigno ministro Sacramenta sumere.*

27 *Ad dignè ministrandum Sacramentum pœnitentiæ ab habente conscientiam peccati mortalis, satis est contritio, nec præmitti oportet sacramentalem confessionem, nisi in suscipiendo communionis Sacramento.*

28 *Contritio regulariter sufficit volenti ministrare Sacramenta quæcunque. Idēq; dicendum est de suscipientibus quæcunque Sacramenta, excepto Sanctissimæ Eucharistiæ.*

29 *Quamuis Sacerdos ministrās pœnitentiæ Sacramentum in mortali, nouam culpā contrahat, validum tamen erit Sacramentum, & quare.*

Vbi explicatur tex. in c. remissionē, 1. q. p.

30 *Si Sacerdos nominatim excōmunicatus,*

aut manifestus Clericorum percussor ad locum remotissimum se transferat, ibique beneficium sit adeptus, vel publicè ad confessiones audiendas expositus, & ibidē communiter à populo idoneus habeatur non modo pœnitens non peccat, sed Sacramentum etiam validè suscipit.

Quid dicendum si id proueniat ex errore particulari.

31 *Sacerdos taliter excommunicatus, qui extra casum necessitatis Sacramentum pœnitentię ministrare non potest, nec potest alicui suam iurisdictionem delegare.*

An Sacerdos, qui denunciatus non est, nec publicè Clerici percursor validè, sed non licitè hoc Sacramentum ministret: nisi defectus sit ex parte suscipientis.

32 *Ponderatur ratio quare non denunciatus validè hoc Sacramētum ministret.*

33 *Pœnitens, qui Sacerdotem excommunicatum nolentem conteri compertum haberet, & alium Sacerdotem commodè posset adire, à quo hoc Sacramentū posset recipere, ex debito charitatis teneretur talem excōmunicatum vitare.*

34 *Pœnitens si sciret Sacerdotem excommunicatum contritum esse, & per illū non stare quominus ab excommunicatione absoluatur, vel saltem oppositum ignoraret, & peteret ab eo Sacramentū fortè non peccaret.*

1 AD hanc difficultatem respondetur breuiter affirmatiuè. Probatur ex *tex. in c. 1. §. Sacerdos, de pœnit. d.6.* vbi sic legitur, *Sacerdos itaque, cui omnis offertur peccator, antequā statuitur omnis lāguor, in nullo eorū sit iudicandus, qui in alio iudicare est promotus: iudicans enim alium, qui est iudicandus, condemnat seipsum cognoscat igitur se, & purget in se quod alios videt sibi offerre, caueat vt à se proyciat quicquid damnosum in alio reperiet: animaduertat quod dicitur. Qui sine peccato est vestrū, primus in illam lapidem mittat: ideò enim liberauit peccatricem: quia non erat, qui iustè proyceret lapidem. Quomodo lapidaret, qui se lapidandum cognosceret? nullus enim erat sine peccato; in quo intelligitur, omnes crimine fuisse reos. Nam venialia peccata semper remittebantur per ceremonias. Si quid ergo in eis peccatum erat, criminale erat. Deteriores itaque in hoc Sacerdotes sunt, se prius non ædificantes, illis, qui Dominum obseruabant, insidys. In hoc itaq; potentissimum est crimen Sacerdotum, & vltrà modum detestabile, qui nō prius se iudicant, & alios alligant. Deberent enim in se timere crimen, quod in alijs timuerunt, & detestabile esse cauerunt, & censuerunt.* Vndè licet ad valorem Sacramenti pœnitentiæ nulla Sacerdotis boni-

2 tas sit necessaria; nam cum omnia Sacramenta conferātur ex opere operato, si reliqua concurrant, quæ ad Sacramentorum essentiam spectāt, non attenditur ministri sanctitas, aut malitia, iuxtà ea, quæ habētur ex *Conc. Trid. sess. 14. c. 6.* & infrà latiùs, Deo duce dicemus, *lim. 2.* nihilominus ex dicti Canonis verbis clarè colligitur, Confessarius conferens eiusmodi Sacramentū in lethali crimine permanens, lethalem culpam committit: quod quidē habetur etiam *à D. Th.* & alijs relatis à *Syl. in sum. ver. Cōfessor 3. n. 4. & Suar. de pœnit. disp. 28. sect. 1. § prim.* Ratio autem hæc est, quia ministrare Sacramentum aliquod in lethali culpa, lethale crimē committitur, cùm iure naturali præcipiatur, vt sancta sanctè tractentur, vt habetur ex *D. Th* communitèr recepto, *in 4. d. 5. q. 2. ar. 2. quæst. 2. & 3. p. q. 64. ar. 6.*

3 Amplitatur primò hæc conclusio, vt Confessarius in peccato mortali confessiones audiens, mortalitèr peccet; etiam si absolutionem non impendat; vel quia nolit, vel ex eo, quod pœnitens non fuerit illius capax: siquidem huiusmodi Sacramentum cùm inchoetur in ipsa confessione pœnitentis, debet Sacerdos ad totum illud ministerium accedere benè dispositus; quoniam totum illud est Sacramenti opus, & potiorem partem exercet in lethali permanens, vt habetur ex *Suar. loc. cit.* vbi id ampliat verum esse, etiam si Confessarius confessionem audiat in mortali animo conterendi antequam absolutionem impendat; nam exponit se periculo nō habendi cōtritionem. Vndè quamuis contritus pœnitētem absoluat; non tamen ob id excusatur à lethali culpa, cum periculo proximo se exposuerit non habendi contritionem, & absolutionem dandi; ad quam impendendam cum ius habeat pœnitens statim post confessionem, si ob aliam legitimam causam impedimentum nō adsit ex parte ipsius pœnitentis, aut Confessarij, non potest absolutionem illam denegare citrà iniustitiā, animæ periculum, & scādalum eius, qui confessionem fecit: imò nec differre sine causa citrà lethalem culpam, vt rectè probat idem *Suar. de pœnit. disp. 32 sec. 5.* Est tamēn verum, quod si Cō-

4 fessarius minimam tantùm partem confessionis audiat cum proposito conterendi quam citiùs possit, & suum posse faciat ad se disponendum, puto eum excusari à peccato mortali, si ex rationabili causa id agat, & Confessarij copiam cōmodè non habeat, vt confessionem præmittat: quoniam illa minima pars Sacramenti, quam in peccato tractauit ratione paruitatis materiæ excusat à lethali crimine: sicut paruitas rei furtiuæ excusat à furti peccato mortali, *l. quod si Ephes. ff. de eo quod cert. loco,* & in hoc euentu tutam puto sententiam, *Suar. de pœnit. disp. 28. sec. 7. §. vbi aduerte,* dum ait, necessarium non esse, vt Confessarius contritionem habeat antequam incipiat audire confessionem. Ex quibus patet non rectè forte impugnari, *Suar. ibid. à Megal. p. 1. instit. Peregrin. lib. 1. cap. 4. n. 3.* Nec obstat ar-

5 argumentum, quod affert de eo, qui confitetur omnia peccata sua indignè ex defectu sufficientis doloris; animo tamen debitè dolendi, antequam absolutionem suscipiat; quoniam respódetur, quod licèt is non peccet, cum peccatorum dolor ad dignè suscipiẽdum pœnitentiæ Sacramentum, satis est si absolutionem præcedat; nec exigitur, vt antecedat, comitetur, vel subsequatur confessionem, vt habetur ex ipso *Suar. de pœnit. disp. 20. sec. 4. n. 31.* non tamen ob id sequitur, Confessarium non peccare si confessionẽ audiat in mortali, animo tamen dolẽdi antequã absolutionem impendat: etenim quamuis concedamus in vtroq; casu in sola absolutione conferri, & recipi gratiam, & Sacramentum totale; nihilominus ante absolutionem militat diuersa ratio: quoniam confessio habita citrà culparum dolorem debitum non potest dici Sacramẽtalis completa, quia nõ est à cõtritione imperata, sed tantum sacramẽtalis inchoata, iuxtà ea, quæ habentur ex *Molfes. p. 1. sua sum. Theol. tr. 7. c. 23. n. 26.* & propterea, qui absq; sufficienti peccatorum dolore confitetur modo supradicto, nullam culpam contrahit; nam nullum Sacramentum totale, nec illius notabilem partem recipit, nec ministrat. At Confessarius, qui audit confessionem eius, qui debitum dolorem habet suorum peccatorum, audit sacramentalem cõfessionem perfectam, vt supponimus, atq; ideò dicitur ministrare notabilem; imò maiorem partem Sacramenti pœnitẽtiæ in peccato mortali; non est mirum igitur, si talis Confessarius cum sanctè sancta non tractet, nouam culpam contrahit.

6 Secundò ampliatur, vt Confessarius in mortali permanens, si censura aliqua sit alligatus, & pœnitentiæ Sacramentum ministret, non solùm nouam culpam contrahat; imò grauiorem; sed etiam irregularis efficitur, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 18. q. 4. vers. Quintus effectus, Sayr. lib. 7. Thes. tom. 1. c. 9. n. 8. contra Rich.* contrarium sententem. Etenim absolutio pœnitentis in foro conscientiæ, sicut, & Missæ celebratio, siuè publicè, siue priuatim fiant, actus sunt sacerdotalis ordinis, cum à nullo, qui Sacerdos non sit, exerceri possint: qua ratione inquit etiam *Suar. 3. p. tom. 3. disp. 72. sec. 4.* irregularem effici Sacerdotem censura alligatum, qui Eucharistiam iam cõsecratam ministrat, quod quidem verum esse dicimus, siue Confessarius publicè sit excommunicatus, aut alia censura alligatus, & nominatim denunciatus, siuè occultè; quoniam *extrauag. Mart. V.* ad euitandum scandalum in nullo intendit fauere excommunicatis, suspẽsis, & interdictis quoad pœnas, & censuras à iure eis statutas; sed tantùm fauet eis, qui censura ligati non sunt, vt cum excommunicatis nominatim non denunciatis, & qui notorij Clericorum percussores non sunt, citrà omnem pœnam communicare possint. Est tamen verũ, quod in multis casibus Confessarius excommunicatus, interdictus, vel suspẽsus citrà irregularitatem potest ministrare pœnitentiæ Sacramentum.

7 Primus casus est extrema necessitas: nam hoc casu Confessarius eiusmodi, etiam si esset nominatim excommunicatus, ac denunciatus citrà omnem irregularitatẽ posset ministrare hoc Sacramentũ in extrema necessitate constituto; imò etiam si esset hæreticus, ac degradatus, si concurrerent reliqua ad Sacramentum necessaria, & debita intentio ad minus faciendi quod facit, & intendit facere Ecclesia: siquidem in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possunt, vt in *Conc. Trid. sess. 14. c. 7. de cas. reser.* latè *Reginal. lib. 1. sua prax. n. 110. & seq.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes. p. 1. sua sum. theol. tr. 7. c. 24. n. 9.*

8 Confirmatur; quoniam licitum est constituto in extrema necessitate petere ab eiusmodi excõmunicato supradictum Sacramentum; ergò licitum est Confessario administrare: nam pœnitẽs, & Cõfessarius sunt correlatiua, & cum communicatio cum eis esse possit, non potest esse vnius cum alio, quin etiam sit huius cũ illo; atq; ideò, si alteri eorum concessa est communicatio cum altero, necesse est, vt alteri non sit simpliciter prohibita: etenim pugnat alicui licitũ esse, quod sine alterius peccato facere non potest: & hoc modo intelligitur Iuristarum regula, *Prohibito vno correlatiuo, prohiberi etiam aliud*, idest cõcurrente eadem ratione, vt habetur ex *Panor. in c. Clerici n. 7. de iure patr.* Id tamen puto verum quando eiusmodi Sacerdos non posset hic, & nunc prius absolutionem censuræ petere: nam si posset facilè, ad id arbitror eum teneri; quoniam per se illi prohibitum Sacramentum cum censura ministrare, & tunc nulla immineret necessitás, cum possit prius ab excõmunicationis vinculo absolui. Dixi, hic, & nunc, quia nõ est opus, vt anteà potuerit, & fuerit in mora, sed attendẽda est præsens opportunitas. Idem dicẽdum est si talis Sacerdos possit per alium Sacerdotem non excommunicatum satisfacere pœnitenti: nam tunc teneretur abstinere, cùm cesset extrema necessitas: dummodò pœnitentis non intersit, quòd ipsemet Sacerdos potiùs quam alius Sacramenta ministret, iuxtà ea, quę habentur ex *Suar. 3. p. to. 5. disp. 11. sec. 4. n. 12.*

9 Secundus casus est, vbi Confessarius esset occultè censura alligatus, & citrà scandalum, aut propriam infamiam non posset petentibus denegare Sacramenti administrationem: siquidem hoc casu, etiam extra casum extremæ necessitatis posset citra irregularitatem Sacramentũ ipsum ministrare: quoniam licitum est agere cõtra obligationem censuræ ad euitandum scandalum, aut propriam infamiam, vt ex communi ferè DD. sententia tenet *Nauar. in Man. c. 27. n. 239. Suar. 3. p. to. 3. disp. 66. sec. 4. & to. 5. disp. 6. sec. 1. & Sayr. lib. 2. Thes. to. 1. c. 3. n. 27. & 28.* cum alijs, quos allegant. Etenim quotiescumq; concurrunt duo præcepta incompatibilia, tunc seruandum est dignius, & quod arctius est, vt in *c. Iulianus, & c. si Dominus, 11. q. 3.* At in casu, de quo agitur, concurrũt duo præcepta, positiuũ scilicet, & humanum, quo prohibetur agere cõtra obligationem censuræ: & præceptum seruãdi propriam famam, & non scandalizandi; quod est naturale, ac Diuinum, atque ideò maius: ergò hoc potius seruandum est, quam illud. Hac eadem ratione ad euitandum scandalum, aut infamiam potest Sacerdos occultè excommunicatus celebrare citrà irregularitatem, aut censuram aliã, vt rectè docet *D. Th. 3. p. q. 83. art. 9.*

10 Et Monialis paritèr, quæ occultè incidit in excommunicationem Papalem, posset communicare

care ante moram petendi absolutionem ad euitandum propriam, vel sui Monasterij infamiã, aut graue scandalum, vt habetur ex *Nauar. loc. cit. & c. 7. n. 1. & 2. Suar.vbi sup. n. 17.* & ex alijs. Quod intelligendum est, vbi alia via infamia, & scandalum vitari nequeant; alias secus; quia tunc cessat causa, & necessitas communicandi, vt declarat *Sayr. loc. cit.* & *Nos* quoque ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 2. q. 3.*

11 Tertius casus est vbi Sacerdos esset occultè excommunicatus, & ex officio teneretur ministrare Sacramentum pœnitentiæ: quoniam tunc petenti potest citrà irregularitatem illud ministrare; etiam si non ministrando, nullam contraheret infamiam, aut nullam immineret scandalum, siquidem, qui petit, habet ius petendi, & licitè potest cum tali excommunicato tolerato communicare per supradictam *extrauag. Ad euitandum scandalum*; ergo & Sacerdos licitè quoq; potest illud petenti ministrare, iuxtà ea, quæ supra diximus; imò etiã non petenti, si subditum videat huiusmodi Sacramento indigere, quoniam de iure Diuino tenetur gregem sibi commissum pascere, iuxtà illud *Ioa. c. 21. Pasce oues meas*, & obligatio seruandi censuram, est tantùm de iure humano: & propterea quando concurrunt duo iura, maius est seruandum, *c. duo mala & c. Nerui 13. d.* Imò *Suar. 3. p. to. 5. disp. 11. sec. 4. n. 12.* id etiam extendit ad excom-

12 municatum, vt suprà occultum, qui ex officio non tenetur ministrare Sacraměta, contra *Vgol.* & alios. Nam gratia suscipientis potest ministrare Sacramenta, etiam extrà casum necessitatis extremæ; sed satis est communis aliqua necessitas; quæ alio vocabulo appellatur communis aliqua vtilitas; nam talis quoq; Sacerdos nõ est priuatus iurisdictione, & petenti non est interdicta cum eiusmodi excõmunicato communicatio. Confirmatur, quia si Sacerdos, vt suprà excõmunicatus, & toleratus si reperiatur in ali-

13 quo loco in die festo, vbi ex defectu Parochi, vel alterius Sacerdotis non est, qui celebret, à quo Populus possit Missam eo die audire ad implendum præceptũ Ecclesiæ, ad petitionem Populi citrà scandalum posset licitè, ac citrà irregularitatem Missam celebrare; quoniam *d. extrauag.* non prohibet cum eiusmodi excommunicatis communicare, vt rectè docet *Nauar. in Man. c. 9. n. 10.* & *Suar. loc. cit. à n. 13. vsque ad 19.* cum alijs, quos allegant; ergò eadem ratione vrgente aliqua cõmuni vtilitate posset eiusmodi Sacerdos citrà omnem irregularitatem pœnitẽtiæ Sacramentum ministrare. Quod quidem verum est cum Sacerdos requisitus celebrat; quia non licet se ingerere; cum communicatio prædicta sit tantum inducta gratia eorum, qui excommunicati non sunt, volentes audire diuina, aut Sacramenta suscipere.

14 Quartus casus est ignorantia probabilis, atq; ideò si quis probabiliter ignorãs se esse excommunicatum. Sacramentum pœnitentiæ administret, irregularis non efficitur; quia ad irregularitatem incurrendam ex violatione censuræ Ecclesiasticæ, requiritur, vt quis scienter officium diuinum publicè celebret, aut ordinis ministerium exerceat: at ignorantia probabilis omnem scientiam excludit. Dixi *Ignorantia probabilis*, quoniam ignorantia crassa, & supina, & sic improbabilis, non excusat ab irregularitate, vt in *c. Apostolica*, & ibi *Glos. & DD. de cler. excom. celebr. Henr. Boich. c. fin. eod. tit. Panor. in c. fin. n. 5. de excess. Prælat. & Sayr. lib. 7. Thes. c. 10. n. 22. tom. 1.* cum innumeris ferè, quos allegat; vbi etiam *n. 25. & seq.* excusat etiam ab irregularitate illos, qui celebrant, aut ordinem sacrum exercent, ex eo quod putant censuram non esse receptam, vel amplius non esse in vsu: vel quoniam quamuis ex cõmunicatione se nouerint alligatos; nihilominus putant, eo casu non obligari ad eiusmodi censuram seruandam: siquidẽ hæc irregularitas ob censuræ contemptum dũtaxat, contrahitur, vt per *Sayr. loc. cit. & Nauar. in Man. c. 27. n. 138.* Quæ diximus de probabili

15 ignorantia extendimus quoq; ad naturalẽ inaduertentiam, & obliuionem. Vndè si quis non aduertens se esse excommunicatum Sacramentum pœnitentiæ, aut quodlibet aliud ministret, aut diuinum officium publicè celebret, irregularitatem non incurrit ob eandem rationem, vt per *Adr. in tract. de clauib. ar. 3. vers. Septima exceptio, lib. 4. Hugol. in suo tract. de cens. tab. 1. c. 14. §. 1. n. 12. Sayr. loc. cit. n. 12.* & faciunt etiã, quæ adnotauimus *in nostris Cõmentar. in Bull. Cœnæ lib. 1. cap. 2 q. 5. concl. 2 n. 25.* Et hæc om-

16 nia vera esse arbitror, etiam si Sacerdos in supradictis casibus excommunicatus Sacramenta ministret, sciens, se esse in lethali culpa: siquidẽ ad incurrendam prædictam irregularitatẽ, exigitur censuræ contemptus, vt sup. diximus. Confirmatur, quoniam iste talis offendit Deum tantùm, cuius legem præuaricatur; non autem conditorem canonis: ergò pœnam dumtaxat iure diuino impositam debet subire, & non pœnam irregularitatis à canonis cõditore statutam, iuxtà ea, quæ diximus *d. q. 5. in nostris Comment. in*

17 *Bulla Cœnæ concl. 2. n. 20. & 21.* Est tamen verum, quod excommunicatus quantumuis toleratus si Sacramentum pœnitentiæ ministret, putans excommunicatum celebrãtem, aut proprij ordinis aliud ministerium exercentem non effici irregularem, cùm hæc ignorantia sit iuris, & crassa, ab irregularitate non excusatur: quoniã is dicitur ignorare, quod scire tenebatur, vt habetur ex *Soto in 4. d. 3. q. vnica, ar. 9. in fine, & d. 22 q. 1. ar. 2. in fine, vers. Secundum argumentum, & Sayr. loc. cit. n. 28.* vbi etiam *n. 29.* addit, quòd qui dubitat, an censura sit alligatus, si deponat practicè dubium, celebrãdo excusatur ab irregularitate; sicut excusatur quoq; si dubitans propendeat, se non esse censura irretitum, vt habetur etiam ex *Henriq. lib. 24. suæ sum. c. 7. §. 1. Zerula in sua prax. Episc. p. 1. ver. irregularitas. dub. 2. & p. 2. eod. ver. dub. 9.*

18 Quintus casus est metus cadens in constantẽ virum, nempè mortis, grauis damni in propria, vel suorum personis, ac bonis, &c. iuxtà *tex. in l. nec timorem*, & ibi *Glos. & DD. ff. de eo, quod met. causa:* tunc enim Sacerdos excommunicatus si propter vitandum mortis periculum, aut graue damnum Sacramentum pœnitentiæ ministret, excusatur ab irregularitate: nam vt sup. diximus, ad contrahẽdam irregularitatem ex violatione censuræ prouenientem, requiritur contemptus, qui eo casu non præsumitur. Etenim lex humana nunquam præsumitur obligare ad sui

sui obseruantiam cum tanto dispendio, vt habetur ex *Sayr. ibid.* & *Nos* multa ad hãc rem pertinentia cumulauimus *lib. 1. Commẽtar. nostrorum in Bulla Cœna, c. 2. q. 2. concl. 3.* Quod quidem verum esse dicimus, quando excommunicatus est vt supra toleratus; atq; ideò occultus: secus autem si nominatim denunciatus esset, aut notorius clericorum percussor; nam Sacerdos publicè, ac nominatim excommunicatus, suspẽsus, vel interdictus, iusto metu perterritus pœnitentiæ Sacramẽtum ministrans, sicut non excusatur à peccato, ità quoq; non excusatur ab irregularitate: siquidem Sacerdos huiusmodi tunc facit actum intrinsecè malum: nam cùm nominatim, & notoriè, vt suprà sit censura alligatus, caret iurisdictione, atq; ideò Sacramentum ipsum nulliter confert; sicut nulliter etiam in aliũ censuram fulminaret, vt rectè docet *Suar. 3. p. tom. 5. disp. 6. sec. 3. n. 3.* & *Nos* etiam adnotauimus in dictis nostris *Comment. in Bull. Cœna, c. 2. q. 2. concl. 2. in fin.*

9 Tertiò ampliatur supradicta cõclusio, vt Sacerdos in mortali peccato permanens non possit citrà nouam culpam pœnitentiæ Sacramentum ministrare, etiam in casu necessitatis: quoniam ius naturale, ac Diuinum expostulant, vt sancta sanctè tractentur: & Sacerdos præmissa saltèm contritione potest Sacramentũ ipsum ministrare: quam quidem contritionem breuissimo temporis interuallo haberi posse, docet *Suar. de pœnit. disp. 28. sec. 1. in prin.* Quam quidem opinionem tunc puto veram, quando Sacerdos nullam diligentiam præmisit ad procurandã contritionem, mediante Dei auxilio: secùs autem, si diligentia adhibita, cognoscit non posse perfectum actum contritionis promere, vel de ea dubitat, an perfectam habeat, licèt cognoscat habere attritionem, & non habeat copiam Cõfessarij, cui confessionem præmittat, antequam in extrema necessitate constitutum audiat: nam tunc arbitror, Sacerdotem eiusmodi quamuis extra gratiã Sacramentum pœnitentiæ in tali necessitate cõstituto ministret, nouam culpam nõ contrahere: etenim non est in nostra potestate perfectè conteri, nec cognoscere possumus, an veram contritionem habeamus; aliàs homo certò scire posset esse, vel non esse in gratia: quod est contra illud Apostoli dicentis, *Nemo scit, an odio, vel amore*

20 *sit dignus.* Et quamuis contritionis actum in instanti quis promere possit, vt suprà diximus; id tamen fieri nequit, nisi mediante speciali Dei auxilio, qui licèt facienti, quod in se est, non deneget gratiam; nihilominus raro in tẽpore adeò breuissimo quis potest, quod in se agere, vt disponi possit ad gratiam. Vndè Sacerdos supradicto casu administrans pœnitentiæ Sacramentũ, videtur excusari à noua culpa: eò maximè quoniam iste talis per contritionem imperfectam, atq; ideò saltem per attritionem dicitur sufficienter auersus à voluntate peccandi in futurũ; & proindè dici poteſt, quòd sanctè aliquo mo-

21 do sancta tractet. Confirmatur; quia si per solã attritionem pœnitens est sufficienter dispositus ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentũ, etiam extrà casum necessitatis, cur ergò Confessarius, vrgente maximè extrema necessitate, nõ erit dispositus per solam attritionem ad ministrandum Sacramentum ipsum: postquam maior irreuerentia committitur in suscipiendo indignè Sacramentum, quàm indignè ministrando; sicut de Sacramẽto Eucharistiæ inquit Apost. 1. Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit.* Quamuis enim in mortali ministrans tantùm Sacramentum, mortalitèr peccet; de indignè tamen sumentibus loquitur Apostolus; quoniam maiorem culpam cõtrahit, qui Sacramentum indignè suscipit, quàm qui indignè ministrat. Denique, stante maxima difficultate cõterendi sicut oportet, talis Sacerdos procul dubio videtur excusari à noua culpa ministrando Sacramẽtum pœnitentiæ extremè indigenti, etiã si probabilitèr sciat non habere perfectam contritionem ob temporis angustiam: siquidem in moralibus excusatur non solũ impossibilitas; sed etiam magna difficultas, vt sæpè diximus. Quòd si hæc vera esse fatendum est, multò magis eiusmodi Sacerdos excusabitur à noua culpa, vbi adeò vrgens, & repentina esset necessitas pœnitẽtis, vt ad propriam contritionem non aduerteret, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus *ampl. 2. casu 4.*

22 Quartò ampliatur, vt Sacerdos in peccato vt supra ministrans Sacramentum pœnitentiæ, toties mortalitèr peccet, quoties confessiones audit: quoniã peccata multiplicantur numero per multiplicationem actus, vt latè sup. ostendimus *tom. 1. §. 1. disp. 3. sec. 5. de numerica peccatorum distinctione agentes*; ergò toties Confessarius peccabit, quoties actu Sacramentum pœnitẽtiæ in mortali ministrabit: siue ex interuallo temporis id agat circa plures personas numero distinctas; siue circa vnam, & eandem personam, statim post absolutam: quoniam siue ex interuallo, siue incontinenti in vna, aut in pluribus numero distinctis Sacramentum repetatur, semper concurrunt distincti numero actus: & hanc sententiam tenet *Syl. in sum. ver. Confessor 3. sup. q. 1. vers. Quãtum verò ad sanctitatem*, quem refert, & sequitur *Megal. p. 1. Instit. Peregr. lib. 1. c. 4. n. 4. & Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. cap. 24. n. 16.* vbi meritò reijcit opinionem *Rodriq. p. 1. sua sum. c. 247. in fine*, dum ait, quòd si Confessarius plu-

23 res immediatè, vnum post alium absolueret, nõ discedendo à sede, vbi expositus est ad confessiones audiendas, vel etiam discedendo, redeundi animo, si in mortali existat, vnam tantùm culpã contrahit: quoniam omnes dictæ absolutiones moraliter censentur vnus actus: & quæ incontinenti fiunt, censentur inesse, arg. *tex. in l. petens, C. de pact.* Patet enim ex dictis, id esse falsum, prout etiam qui fœnicatur pluries continuatis vicibus, aut plura homicidia committit, plura quoq; peccata committit, vt aliàs diximus. Etenim quæ incontinenti fiunt, censentur inesse ex iuris fictione; non autem secundùm rei veritatem; quoniam re vera quamuis vna absolutio incontinenti sequatur post aliam; in re tamẽ sunt plures actus numero distincti; atq; ideò plura peccata numero, vt de hac materia latè sup. tractauimus *§. 1. disp. 3. sec. 5. tom. 1.* Imò Sacerdos

24 eiusmodi in mortali, vt suprà permanens, si post decem fidelium, v. g. auditas confessiones, vnius seorsim ab alio, vnica absolutione eos absoluerit, dicens, *Ego vos absoluo, &c.* quod ex legitima causa fieri posse, nempè in periculo naufra-

gij.

gij, in vrgenti belli conflictu, in seuiente peste, &c. docent *Vasq.3.p.tom 4.q.91.art.3.dub.3.& Molfes.p.1.sua sum. theol.tr.7.c.5. n.51.* cum alijs,quos allegant;adhuc decem peccata mortalia nouiter contrahit: quoniam licèt decem vnico actu per modum vnius sacramẽtalitèr absoluerit, & propterea hac ratione peccatum non deberet multiplicari, iuxtà multiplicationem obiectorũ,per ea, quæ sup. cumulauimus *d.sec.9.concl.1.circa fin.*nihilominus,quia singulorũ confessiones seorsum audiuit,vnius post alium, singulas culpas contraxit: quia singulis maiorem partem singulorum Sacramentorum in malo statu ministrauit,iuxtà ea,quæ sup.adnotauimus, *ampl.1.*

25 Quintò ampliatur, vt non solùm Sacerdos in mortali Sacramentum pœnitentiæ ministrans mortalitèr peccet; verùm etiam pœnitens, qui scienter, idest sciens nolle conteri, induxit eiusmodi Sacerdotem ad ministrandum sibi Sacramentum: siquidem ex præcepto charitatis tenemur proximum ad peccandum non inducere, iuxtà illud Ecclesiast. 17. *Vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo.* Et eò magis,quia inducere aliquem ad peccandum, est scãdalum actiuum, sicut citra culpam, quis non accipit sub vsuris ab eo,qui ad fœnerandum non est paratus, vt latè habetur ex *D.Th.2.2.q.78. Innoc. Panor. & alijs in c.super eo,de vsur.*& *Molin.de contract. disp.335.*Quod quidem verum puto,quando talis Sacerdos non erat paratus ad ministrandum Sacramentum pœnitentiæ, nec extrema necessitas vrgebat ex parte petentis: nam in extrema necessitate, & in mortis articulo, licitum est citrà culpam ab iniquo ministro Sacramentum petere,& accipere; etiam si paratus non sit ministrare; nam hoc casu, quod petitur, bonum est, & potest citrà culpam ministrari, vt de petente Sacramentum Eucharistiæ ab iniquo ministro per constitutum in extrema necessitate latè sup. explicauimus *tom.1.§.2.disp.5.sec.5.*& habetur etiam ex *Suar 3 p.tom.3 disp.18.sec.1.vers.Dixi autem*, qui agens de Sacramentis in genere, inquit, licitum esse ab indigno ministro Sacramenta sumere, etiam si paratus non esset ad illa

26 ministranda, dummodò aliqua iusta causa vtilitatis, aut necessitatis adsit, quamuis non extremæ, quoniam quod petitur bonum est,& minister posset citrà culpam Sacramenta ministrare: quod verum esse ad minus arbitror quando non esset alius bonus minister,à quo percipi cõmodè possit Sacramentum:quia minister ille malus licèt paratus ad ministrandum Sacramentum indignè, atq; ideò habitualitèr dicatur esse in peccato mortali; nihilominus toties denuò peccat, quoties Sacramentum actu ministrat:& propterea pœnitens si cum æquali saltem facilitate potest à bono ministro Sacramentum pœnitentiæ suscipere,tenetur mali ministri peccatum vitare, tùm ex debito charitatis, iuxtà illud *Eccles.17.* tùm etiam propter reuerẽtiam Sacramenti: nam ob id vitatur sacrilegium, & iniuria, quæ infertur Sacramento, dum à malo ministro ministratur,vt rem hanc latè declarauimus sup.*d.sec.5.*

27 Sic ampliata limitatur hæc ipsa conclusio, vt ad dignè ministrandum Sacramẽtum pœnitentiæ ab habente conscientiam peccati mortalis, satis sit contritio, nec oportet præmitti sacramẽtalem confessionem, nisi in Sacramento Communionis suscipiendo,vt habetur ex *Syl.in sum. ver. Confessio 1.q.3. Petr. Sot. lec.5. de confess. Ledes.de Sacram.in genere,p.2.q.1.ar.5. Suar. tom.3.in 3.p.disp.16.sec.3.& to.4.disp.35.sec.3.* ac Theologi communiter *in 4.dist.1.& 17.*contrà *Palud.d.dist.17.q.1.ar.5.& Adr. in 4. q.3. de confess.* existimantes confessionem necessariò esse premittendam in omnibus Sacramentis ministrandis.Quòd contritio satis sit, nec oporteat confessionem præmitti; nisi in susceptione sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, id patet tum ex natura rei, cùm sufficiens dispositio sit contritio,tùm etiam, quia nullum adest præceptum positiuum, ex quo colligi possit eiusmodi obligatio. Verum tamen est, quòd cùm difficilis sit contritionis actus, & nemo cognoscere possit, an sit contritus, tunc si minister antequam Sacramentum pœnitentiæ ministret conscientiam habeat peccati mortalis, & commodè potest cõfiteri, tunc arbitror teneri ad præmittendam cõfessionem: quoniam in dubijs tutior pars est eligenda, vt in *c.iuuenis de sponsal.& c.ad audientiam de homic.* Et multò magis tenetur confessionem præmittere si cognoscat non habere cõtritionem, sed tantùm attritionem. Cæterum re-

28 gularitèr satis est volenti ministrare Sacramẽta quæcumq; si contritionem habeat de peccatis: imò si quis cum attritione sola Sacramentũ pœnitentiæ,aut alia Sacramenta ministret, existimans se esse contritum, excusatur noua culpa, vt habetur ex *Nauarr.*post alios *in c.Sacerdos, n.21. de pœnit. d.6. Reginal. lib.1. sua prax. n.161. circa fin. & Molfes. p.1. sua sum. tract.7. c.24.n.11.* Idem dicendum est de suscipientibus quæcumque Sacramenta, excepto Sacramento Eucharistiæ, quod habens conscientiam peccati mortalis non potest nisi præmissa confessione sumere,vt habetur ex *Conc.Trid sess.13. c.7.* vt dixi *tom.1.§.2.disp.2.sec.7.concl.3.& 4.* Vndè conscientiam habens peccati mortalis volens suscipere Sacramentum ordinis, satis est si conteratur,nec tenetur confessionem præmittere, nisi velit communicare ante ordinis susceptionem; nam tunc non ratione ordinis,sed ratione communionis obligaretur ad confitendum, vt contrà *D.Th.*docet *Syl.in sum. ver. Confessio, 1.q.2. Nauar.in Man c.1.n.9.*& *Valen.tom.4.disp. de pœnit.q.9 pun.4.*

29 Secundò limitatur dicta conclusio,vt quamuis Sacerdos ministrans Sacramentum pęnitentiæ in mortali nouam culpam contrahat; nihilominus Sacramentum est validum, ac si à bono ministro fuisset ministratum: siquidem ad valorem Sacramenti Sacerdotis vitæ integritas non exigitur, vt sup. diximus:nam licet *in c.remissionem, 1.q.1.* habeatur, quòd remissionem peccatorum mali ministri non præstant:nihilominus *Glosa*,quam refert, & sequitur *D. Antonin.3.p.tit.17.tex.*illum intelligit,vel de præcisis, vel si intelligendus sit de toleratis; tales non impendunt remissionem peccatorum ex merito eorum vitæ. Etenim præcisi,qui ab Ecclesia non tolerantur,quales sunt nominatim excommunicati, suspensi, & interdicti, publicè denunciati, notorij Clericorum percussores, non solùm nouam culpam contrahunt; verùm etiam cùm careant iurisdictione,quam necessariam esse in foro

to pęnitentiæ ostendimus sup. *to.* 1. §. 1. *disp.* 8. *sec.* 7. nullitèr Sacramentum ipsum conferunt, vt in *c. audiuimus,* 24. *q.* 1. *c. ad probandum, de re iud.* & extat extrauag. *ad euitandum scandalum,* latè *Sot.* & alij, quos refert *Molfes. loc. cit. n.* 9. & 10. Est tamen verum, quòd si Sacerdos 30 nominatim denũciatus vt supra, aut manifestus Clericorum percussor in vno loco ad alium locum remotissimum se conferat, & ibi Beneficiũ aliquod fuerit adeptus, aut ad audiendas confessiones publicè fuerit expositus, hoc casu bona fide suscipiens pęnitentiæ Sacramentum à supradicto Sacerdote denunciato; sed in illo loco vbi beneficium fuerit consecutus, & confessionibus expositus communiter à Populo idoneus habitus, ac si nulla censura fuerit irretitus, non modò non peccat; sed etiam Sacramentum validè suscipit: etenim publica existimatio, & communis error tribuit taliter denunciato iurisdictionem, *arg. tex. in l. Barbarius, ff de offic. Prętor.* Dixi, si ignorantia proueniat ex communi, ac publica existimatione: quia si proueniat ex particulari, ac priuato tantùm errore secus erit dicendum: quia in moralibus leges non attendunt particulare incommodum, vt rectè inquit *Suar. 3. p. to. 5. disp.* 11. *sec.* 2. *n.* 14. ex *Vgol.* & alijs, vbi *n.* 15. concludit etiam, quod Sacerdos 31 excommunicatus, qui ex defectu iurisdictionis extrà casum necessitatis non potest ministrare Sacramentum pęnitentiæ, non potest suam potestatem alteri delegare: siquidem delegatio est quoq; iurisdictionis actus, qua excommunicatus caret. Sacerdos autem, qui denunciatus non est, nec publicus Clericorum percussor, quamuis censura sit alligatus, si Sacramentum pęnitentiæ conferat, licèt peccet mortalitèr; Sacramẽtum tamen est validum; nisi defectus esset ex parte suscipientis, vt habetur ex *Caiet. ver. Absolutionis impedimentum, in sua sum. Nauar. in Man. c.* 9. & *n.* 9 & *c.* 1. §. *laboret, n.* 10. *de pœnit. d.* 6. *Couar. in c. Alma Mater,* 1. *p.* § 6. *n.* 7. *vers. Quinta concl. de sent. excom. in* 6. *Henr. Vgol.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib.* 2. *Thes. to.* 1. *c.* 2. qui ait hanc conclusionem communem esse omnium Doctorum.

32 Rationem autem hanc esse volunt; nam si collatio huiusmodi Sacramenti nulla esset, aut nulla diceretur respectu Sacerdotis excommunicati, qui Sacramentum contulit; vel respectu pęnitentis suscipientis illud: neutrum dici potest; ergo, &c. Non primum, quia iurisdictio necessaria ad absolutionem impendendam, & ad Sacramenti collationem apud Sacerdotem adhuc permanet, cùm supponamus ab Ecclesia tolerari quamdiù illum vitandum non pronunciat. Nec dici potest secundum; quoniam pęnitens eo casu absolutionem suscipiens hac ratione nõ peccat, atq; ideò non ponit obicem; ergò dicti Sacramenti collatio valida est. Quòd pęnitens ipse Sacramentum suscipiens ab eiusmodi excõmunicato, vt supra tolerato, non peccet, patet: nam vel ignoranter illud suscipit; vel scienter. Si primum clarum est non peccare: siquidem omne peccatum est voluntarium: ignorantia autem maximè probabilis excludit omne voluntariũ; quia antecedit omnem actum voluntatis, & est causa volendi. Quòd si secundum idem videtur dicendum: nam suscipiens ab excommunicato Sacramentum, quem non tenetur vitare, iuxtà ea, quæ habentur ex extrauag. Mart. V. ad euitandum scandalum, sæpè allegata, nullam culpam contrahit: quoniam culpa caret, quod fit, lege permittente, vulgata iuris regula in *c. culpa caret, de regul. iur. in* 6. Imò hoc casu non solum licitum est à tali censura alligato Sacramentum suscipere; sed etiam petere; quià nulla communicatio cum eiusmodi excommunicatis in administratione Sacramentorum prohibita est; sed petere Sacramentum, est communicatio quædam, ergo, &c. Verum tamen est, quòd licet ex vi censuræ id verum esse citrà omnem controuersiam censeatur per dispositionem d. extrauag. ad euitandum scandalum; nihilominus nõ ex hoc deducitur, Fideles vtentes hoc priuilegio, non debere vti discretione, si aliunde naturalis ratio dictauerit ex alijs principijs ipsius priuilegij vsu esse abstinẽdum. Etenim pęnitens 33 si Sacerdotem excommunicatum nolle conteri compertum haberet, & aliũ Sacerdotem commodè posset adire, à quo Sacramentum pęnitentiæ posset percipere; ex debito charitatis, & ob reuerentiam Sacramenti debet talẽ Sacerdotẽ excommunicatũ nolentem conteri, vitare: & id estò quòd Sacerdos ille excommunicatus paratus sit Sacramentum ministrare: nam licèt regularitèr licitum sit petere Sacramentum à ministris malis; dummodò ipsi sint parati ministrare, id tamen intelligitur, aliqua saltem vtilitate concurrente: quoniam minister malus, estò quòd sit paratus Sacramenta ministrare; atque ideò habitualitèr tanquam expositus, in statu sit peccati mortalis; nihilominus actualitèr Sacramenta ministrando nouam culpam contrahit, & tot peccata committit, quoties Sacramenta ministrat, vt supra diximus, *ampl.* 5. Quod quidem locum sibi vindicare docet *Suar. 3. p. to. 5. disp.* 11. *sec.* 4. *n.* 7. Siue Sacramentum pęnitentiæ petatur à proprio Parocho excommunicato, siue ab alio Sacerdote iurisdictionem habẽte in pęnitentem, excommunicato, & tolerato, vt supra: nam si pęnitens sciat illos contritionem non habituros, & alios posset adire æquè idoneos citrà maximum sui incommodum, tenetur ex pręcepto charitatis ab alijs Sacramentum pœnitentię suscipere, & non à proprio Parocho: siquidem eadem ratio militat hoc casu de Sacerdote simplici, & proprio Parocho, vt supra censura alligatis: aliàs talis pęnitens contrà præceptũ charitatis ageret; atq; ideò lethalem culpam contraheret in ipsa confessione, & sic Sacramentum nullum esset respectu suscipientis, ob obicem gra-34 tiæ ponentis. Quòd si pœnitens sciret, Sacerdotem illum, vt sup. excommunicatum contritum esse, & per illum non stare quo minus ab excõmunicationis vinculo absolueretur; vel saltem oppositum ignoraret, & peteret ab eo pęnitentię Sacramentum, quamuis ministrare non parato, tunc fortè pœnitens ipse non peccaret: quoniam licèt Sacerdos ille sit excommunicatus, cùm nõ sit denunciatus, retinet iurisdictionem, & conferendo non peccaret ministrando Sacramentũ gratia petentis, & non se ingerẽdo iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus, *ampl.* 5. Nec distinguendum est hoc casu de Parocho, & Sacerdote simplici excommunicatis; quia eadem vtriusque ratio: nam vterq; citrà culpam posset Sacramentum

conferre, & vterq; iurisdictionem retinet vigore d. extrauag. *Ad euitandum scandalum*; atq; ideò distinctio illa de Parocho, & Sacerdote simplici allata à *Sayro lib. 2. Thes. c. 2. n. 8. & seq. to. 1.* & ab alijs ab eo allegatis meritò reijcitur à *Suar. loc. cit.* & superuacanea videtur. Satis est enim, quòd extrà casum extremæ necessitatis, Sacramentum ministretur gratia petentis, & quòd non stet per ipsum Sacerdotem quòminus à censura soluatur: nec possit per alium non excommunicatum æquè idoneum satisfacere pœnitenti: & quòd aliqua cõcurrat necessitas, aut communis vtilitas ex parte petentis, vt sup. declarauimus *d. ampl. 5.*

An ad bonitatem, & prudentiam Confessarij in audiendis confessionibus, exigatur puritas intentionis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *In Confessario sicut exigitur vitæ bonitas, sic pura animi intentio.*

2 *Puram animi intentionem si habeat Confessarius dicitur habere caput aureum.*

3 *Caput aureum tunc dicitur habere Confessarius, cum munus suum exercet, propter honorẽ solius Dei, eiusq; amorem.*

4 *Palma viriditatem semper seruat, & quò magis veterascit, eo fructus promit dulciores.*

5 *Confessarius si ex suo munere temporalia, ac terrena bona assequi intendat, proculdubio habere dicitur caput terreum: Et ob huiusmodi prauam intentionem quandoq; in mentalem simoniam incidit.*

6 *Confessarius si aliquid temporale exigat, aliter confessionem non auditurus, simoniam committit realem, puniendam per Ecclesiam.*

7 *Esset etiam simoniacus Confessarius si pro labore, intrinsecè adiuncto Sacramento pœnitentiæ, temporalia intenderet: secus si pro labore extrinseco prædicto muneri aliquid intenderet.*

8 *Pro concione sacra licitum est aliquid temporale intendere, vel pro lectione sacræ Scripturæ, & pro alijs huiusmodi.*

An seruari possint absq; simonia statuta, & consuetudines, quæ in aliquibus Capitulis, & Monasterijs vigent, vt admissus ad Canonicatum, vel Monacatum faciat conuiuium toti Capitulo, vel Monasterio, vel quid exiguũ det singulis Canonicis, vel Monacis.

9 *Cõfessarius nõ modò caput terreũ habere dicitur, si intentionẽ habeat in confessionibus audiendis recipiendi munus à manu, sed etiam recipiendi munus à lingua.*

10 *Simonia tunc committitur, cum quis Episcopatum, aut Canonicatum recipere intendat in pretiũ sui muneris. Et explicatur distinctio* Molfesij *de intentione principali, & minus principali,* & n. seq.

11 *In simonia iure diuino prohibita, cũ sit intrinsecè mala, intentio minus principalis excusat à tanto, sed non à toto.*

12 *Excusatur mutuans ab vsura, qui ex mutuo intendit aliquid accipere non in pretium rei mutuatæ, sed sponte dandum à mutuatario, ex amore, &c.*

13 *Cõfessarius si ex diligẽti huius Sacram. administratione laudem, & sanctitatis famam intendit in hypocrisim incidit, ex suo genere lethalem.*

1 AD hanc controuersiam respondetur affirmatiuè. Probatur ex ijs, quæ sup. diximus in præcedenti *sec.* Etenim si vitæ bonitas exigitur in Confessario, consequenter requiritur, vt puram habeat animi intentionem; quæ, vt ait *D. Th. 1. 2. q. 12. ar. 1.* est actus voluntatis circa finem consequendum per aliqua media: & idem est, quod propositum; quod ex *Arist. 6. Ethic. c. 9. 12. & 13.* nihil aliud est, quàm per aliquod medium tendere in aliud, animo perueniendi ad illud: & soli rationali creaturæ perfectè eam conuenire, & nullo modo brutis, docet idem *D. Th. loc. cit. art. 5.* Siquidem intentio respicit finem perfectè, & sub ratione finis cum habitudine ad media; at bruta agunt propter finem imperfectè cognitum, nempè materialitèr tantùm, vt latè habetur per *Vasq. tom. 4. in 3. p. disp. 40. & seq. Sal. tract. 6. de actib. hum. disp. 1. & Molfes. p. 1. suæ sum. tract. 8. c. 3. n. 53* cum alijs, quos allegat. Debet igitur Confessarius puram habere animi intentionem in audiendis fideliũ confessionibus; nempè, vt eo munere fungatur ad gloriam, & honorem Dei, & fidelium animarum salutem; atq; ideò duplicem finem, vnum alteri subordinatũ (nam, vt ait *D. Th. in d. q. 12. ar. 3.* homo potest plura simul intendere, siue sint inuicem subordinata, siue non) Dei scilicet gloriam, & honorem, & animarũ salutem, quæ Dei
2 gloriæ, ac honori subordinatur. Hanc animi puram intentionem si habeat Confessarius, potest meritò dici habere caput aureum, iuxtà illud *Cant. c. 5. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum, &c.* Caput enim intentionem denotat: Sicut enim caput est principium corporis, ità quoque intentio principium operis; quoniam finis, ad quem respicit intentio, mouet agentem. Aurũ verò optimum charitatem denotat, iuxtà illud Apoc. 3. *Suadeo tibi emere aurum*, nempè charitatem: siquidem aurum quemadmodum excellit omnia metalla, ità charitas omnes virtutes. Et quantò quis ex maiori intentione charitatis aliquid facit, tantò magis est Deo gratus, & meretur. Vndè ille Confessarius dicitur habere caput aureum, atq; ideò puram animi intentionem, vt
3 diximus, qui munus suũ exercet propter honorem solius Dei, & amorem eius, vt rectè colligitur ex ijs, quæ habentur ex *D. Anton. 4. p. tit. 2. c. 4.* qui etiam addit ex hac pura animi intẽtione prouenire puras cogitationes, ità vt prudens Cõfessarius non tantùm dici possit habere caput aureum, verùm etiam comas sicut plantas palmarum, iuxtà illud eiusdem *cap. 5. Cantic. Comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi Coruus.* Etenim per comas, seu capillos, denotantur cogitationes: quoniã quemadmodum capilli proueniunt à capite, ità cogitationes à mente; atque ideò quale caput, tales capilli: & qualis intentio, tales cogitationes. Debent esse elatæ, sicut rami palmarum, qui licèt partiti conspiciantur ab inuicem, sunt tamen in vna summitate. Sic prudẽs Confessarius puram intentionem habẽs, quamuis plura meditetur, quamplurima loquatur, & di-

diuersa operetur; omnia tamen dirigit in honorē Dei, & salutem proximi. Palma verò viriditatem semper seruat, & quo magis veterascit, fructus promit dulciores, est annosa, interiùs subtilis, & superiùs lata contra modum aliarum arborum. Et Confessarius cogitationes in Dei honorē, & proximi salutem debet habere latas, firmas, ac stabiles omni tempore, tam in prosperis, quàm in aduersis, & semper deuotiùs se habere, iuxtà illud *D. Augustini in c. iuuenis, de pœnit. d. 3. Vitam bonam quam accepisti tenere nō desinas, propositum bonæ vitæ conserua iugiter.* Debet denique comas habere nigras, sicut Coruus, nēpè humiles habere cogitationes: siquidem Coruus sicut super cadauera libentèr quiescit; ità verus humilis considerat mortem, ex qua sumit sibi occasionem humilitatis.

5 Confessarius igitur, qui in audiendis confessionibus puram animi intentionem non habet, non potest dici habere caput aureum; sed si ex eius munere temporalia, ac terrena bona assequi intendat, proculdubio conuincitur habere caput terreum, & ob huiusmodi prauam intentionem quandoq; in mentalem simoniam incidit, vt in *c. nemo*, & ibi *DD. de simon. Syl. in sum. ver. Simonia q. 8. sub ver. Quartum: Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 35. n. 35. Reginal. lib. 23. suæ prax. n. 153* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes. p. 1. suæ sum. tract. 6. c. 15. n. 47.* Et quāuis Archid. relatus à *Syl.* ibi, & multi velint, tunc Confessarium committere simoniam mentalem, quādo principalitèr temporalia intēdit ex administratione Sacramenti pœnitentiæ; nihilominus ego arbitror, quòd simoniacus est censendus, etiam si intentione minus principali id agat; dummodò temporalia intendat in pretium Sacramenti: quoniam hæc simonia cùm sit intrinsecè, & ex obiecto mala, intentio minus principalis excusat à tanto, non à toto. Et si aliquid temporale exigat, aliter confessionem non auditurus, simoniam committit realem, per Ecclesiam puniendam, vt in *c. quam pio, 1. q. 2.* Et si pacto conuenit, conuentionalem, iuxtà ea, quæ habentur ex *Syl. loc. cit. & Molfes. d. c. 15. n. 48. cum plurib. seqq.* Imò *Syl. ibid.* post alios, ait, quòd in eandem simoniæ labem incidit Parochus, qui Parochiano suo non vult dare licentiam alteri cōfitendi, nisi pro pecunia; nisi non intendat licentiam vendere, sed prouidere sibi de portione oblationum ei contingente; & si præsumi possit licentiam vendere voluisse, si exigat maiorem summam, quàm dicta portio valeat, vt habetur ex eodem *Syl. ibid. paulò sup. ver. Secundum, circa med.* Est tamen verum, quòd *D. Th.* relatus à *Syl. loc. cit.* inquit, quòd tunc Confessarius simoniam cōmittit pro rebus temporalibus confessiones audiens, quando temporalia percipit in pretium absolutionis: secùs autem si in pœnam peccati, vel culpæ præcedentis, imposita pecuniaria pœna: in qua re cauendum est, nè talis exactio, cupiditati magis, quam correctioni tribuatur. Idem dicendum esse inquit *Syl.* ibi, quando Confessarius non ex officio confessiones audiret: nam tūc citrà simoniam temporale aliquod posset intendere; dummodò illud non intendat in pretium Sacramenti; sed quasi eleemosynale subsidium: seu nō vt temporale huiusmodi causa sit confessiones audiendi simpliciter; sed quādo causa fuerit audiendi potius hunc, à quo aliquid speratur, quam alium; cùm tamen si nihil speraretur, aliquis audiretur.

7 Esset præterea Confessarius simoniacus, si pro labore intrinsecè adiuncto Sacramento pœnitētiæ temporalia intēderet: siquidem labor intrinsecè adiunctus sacro ministerio, seu muneri spirituali, non potest pretio æstimari, neque vendi; quoniam Dominus cùm voluit, spiritualia gratis dari, consequenter voluisse censetur laborem ad eorum administrationem necessariū gratis quoque esse impendendum, vt rectè *Reginal.* post alios, *lib. 23. suæ prax. n. 175.* Secùs autem si pro labore extrinseco dicto muneri aliquid intenderet, aut perciperet; tunc enim simoniam nō committeret. Vndè si quis ad Ciuitatem aliquam, aut Oppidum vocetur ad ministrandum Sacramentum pœnitentię, Sanctissimam Eucharistiā, ad celebrandum sacrum, &c. citrà simoniæ labem poterit pro itineris labore aliquid intendere, pacisci: quoniam ille itineris labor est extrinsecus administrationi Sacramenti, & tantùm per accidens est necessarius, vt ex communi omnium sententia docet *Molfes. p. 1. suæ sum. tract. 6. c. 15. n. 67.* vbi etiam *n. 68. & seq.* rationabilē esse consuetudinem ait, qua Sacerdotes locare solent operas suas ad Sacramenta, & alia spiritualia ministranda in aliqua Ecclesia. Etenim pretium eiusmodi non percipitur pro labore intrinsecè necessario ad administranda Sacramenta; sed pro illa obligatione qua tenentur quocūq; tempore, & loco ministrare Sacramenta, prout necessitas expostulabit. Vel in subsidium talium ministrorum, quibus casibus etiam per Iudicem potest compelli Populus ad continuandam solutionem eorū mercedum, cùm dignus sit operarius mercede sua. *Panor. in c. Abolenda, n. 7. de sepult. D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 3.* vbi *Caiet. Nauar. in Man. c. 23. n. 100 & Reginal. lib. 23. suæ praxis, n. 136. & seq.*

8 Hac eadem ratione licitum est intendere temporale aliquod pro concione sacra, pro lectione sacræ Scripturæ, & pro alijs eiusmodi; quoniam non pro re sacra, sed pro labore, & iusto stipendio, ac mercede intenditur, ac percipitur, vt habetur ex *Suar. de Relig. to. 1. tract. 3. lib. 4. de simon. c. 18. Reginal. d. lib. 23. n. 216. & Molfes. d. c. 15. n. 70. & Zecch. to. 2. suæ sum. de simon. c. 94.* Statuta pariter, ac consuetudines, quæ in aliquibus Capitulis, & Monasterijs, maximè Monialium, vt admissus ad Canonicatum, vel Monacatum faciat conuiuium toti Capitulo, aut Monasterio: vel exiguum quid det singulis Canonicis, aut Monacis, licitè, ac citrà simoniam seruari possunt; quoniam eiusmodi constitutiones, ac consuetudines factæ, ac introductæ fuerunt, non vt conuiuium, aut exiguum illud detur in pretium Canonicatus, aut Monacatus; sed propter communem lætitiā. Est tamen verum, quod eiusmodi statuta, ac consuetudines citrà peccati periculum quandoque non practicantur; maximè si præuia taxatione cogerent ad prædicta præstanda: tunc enim simoniā proculdubio saperent, iuxtà ea, quæ habentur in *c. ex multis 1. q. 2.* Et dato, quòd non præfigatur aliqua taxatio; nihilominus potest deesse rectitudo intētionis ex vtraque parte, & in exteriori foro habeat quandam speciem mali, vt habetur ex eodem

Zecch. lo. cit. sub n. 21. qui licèt dicat, id expreßè prohiberi per *tex. in c. venient, de sim. Cõc. Trid. seß.* 24. *c.* 14. *de refor.* & per *Bull. Pij V.* nihilominus id verum est, quando mediante pacto, & in pretium Canonicatus, aut Monachatus, supradicta, vel alia similia recipiunt: secùs autem si spõtè, & ob communem lætitiam: siquidem iura illa simoniacas exactiones damnant: at simonia nunquam committitur, nisi detur temporale aliquod, aut etiã spirituale in pretium rei spiritualis, iuxtà tradita per *Molfes. d. c.* 15. *n.* 35. *in fine, & Zecch. loc cit. n.* 22.

9 Dicitur pariter Confessarius non habere caput aureum, sed terreum, qui puram intentionẽ non habet in confessionibus audiendis, non solùm pura temporalia intendens, ac percipiens in supradictis casibus, vt sup. damnatis; atque ideò munus à manu, sub cuius appellatione venit quæcunq; res temporalis mobilis, aut immobilis, vt rectè declarat *Syl. d. ver. Simonia, sub q.* 16. verum etiam si ex tali exercitio laudem intenderet humanam, aut humanum fauorem, & sic munus à lingua, aut munus ab obsequio, & sic beneficium aliquod, aut dignitatem aliquam Ecclesiasticam. Vndè si quis Pœnitentiarij munere fungatur in aliqua Ecclesia sub hac tantùm intentione, vt Canonicatum aliquem obtineat, aut Episcopatum habeat, is profectò nõ dicitur habere caput aureum, sed terreum; atque ideò mentalem simoniam contrahit: imò conuentionalem, ac realem si illud paciscetur, & cum effectu obtineat. Etenim simonia non solùm committitur emendo rem spiritualem pro temporali; sed etiam emendo rem spiritualem pro spirituali, iuxtà ea, quę habẽtur ex *Molfes. & Zecch. locis cit. & Syl. in sum. ver. Simonia, q.* 16. *per tot.* Quod quidem verum est si Episcopatum il-

10 lum, aut Canonicatum intendat in pretium sui muneris: secus autem est si ob id talia intendat; quia vacet illius Ecclesiæ vtilitatibus, & aliàs sit idoneus: Siquidem Ecclesiasticis vtilitatibus inseruiẽtes, Ecclesiastica digni sunt remuneratione, vt rectè declarat *Syl. loc. cit.* Vndè distinctio illa intentionis principalis, aut minus principalis emẽdi spiritualia pro temporalibus, aut spiritualibus ad simoniam committendam, vel ab ea excusandum allata à *Molfes. d. c.* 15. *n.* 58. *& seq.* non est simpliciter vera in simonia prohibita à iure Diuino; qualis est, quæ committitur in Sacramentis; quoniam hæc cùm sit in-

11 trinsecè mala, intentio minus principalis excusat à tãto, non autem à toto; sed solùm potest habere locum in simonia prohibita de iure humano, qualis est illa, quæ committitur in emptione beneficiorum pro re temporali, aut pro alio beneficio, vel pro alia re spirituali eiusdem generis, de quibus loquitur *Molfes.* ibi, & alij, quos ipse allegat. Intendens deniq; humanum fauorẽ in audiendis confessionibus, tunc simoniam cõmittit, quando ex illo fauore intendit spirituale aliquid, aut spirituali annexum, vel temporale in pretium collationis Sacramenti, vt si Confessarius Regis, aut alterius Principis confessiones audiat, vt faueant sibi apud Rom. Pontificem ad obtinendum Episcopatum, Cardinalatum, aut alias dignitates, vel officia: secus autem si eiusmodi fauorem non intendat in pretium Sacramenti impensi, aut impendendi; sed spontè à dictis Principibus, & eorum gratitudine, amore, & beneuolentia: & ipse Confessarius esset aliàs dictis dignitatibus, & officijs dignus, iuxtà ea, quæ post alios notat *Molfes. d. c.* 15 *n.* 62. *&* 63. Etenim eadem ratione excusatur mutuãs ab vsura, qui ex mutuo intendit aliquid non in pretiũ

12 vsus rei mutuatæ; sed spontè dandum à mutuatario, ex amore, beneuolẽtia, ac gratitudine, nullo præcedente pacto, aut ciuili obligatione.

13 Quòd si laudem, & sanctitatis famam ex Sacramenti pœnitentiæ administratione diligẽtèr habita, Confessarius intẽdat, tunc in hypocrisim incidit, quæ lethalis culpa est ex suo genere, vt inquit *D. Th.* 2. 2 *q.* 11. *ar.* 4. quando hypocrita non studet sanctitati, nec vacare intẽdit, sed odit illam; aut sub hoc velamine intendat aliquem decipere, vel dignitatem acquirere: secus autem si studeat sanctitati, & Confessarij munere diligenter fungatur principalitèr propter salutem animarum, sed æquè, vel minus principaliter propter humanam laudem, nec intẽdat aliquem decipere, nec dignitatem aliquam cõsequi; quoniam tunc venialiter tantùm peccabit, & præmium talis operis amittit, iuxtà illud Domini Matth. c. 6. *Receperunt mercedem suam,* vt rectè declarat *Molfes. p.* 1. *sua sum. tr.* 3. *c.* 8. *n.* 115. *&* 116.

De Bonitate, & Prudentia Confessarij quoad alios.

D I S P. II.

S V M M A R I V M.

1 *Confessarius discretus esse debet, ac cautus, atq; ideò prudens.*

1 TRactauimus hucusque de Bonitate, & Prudentia Confessarij quoad se, ac particularẽ eius perfectionem, modo consequenti ordine, restat videndum de bonitate, & prudentia ipsius quoad alios, & aliorum bonum, ac vtilitatem. Etenim ex nostro Canone Cõfessarius discretus debet esse, ac cautus, atque ideò prudens, cùm tam discretionem, quàm cautionem ad prudentiam spectare suprà ostendimus. Et quoniam Confessarius discretus, & cautus in ordine ad pœnitentes quadrupliciter cõsiderari potest; Primò antequam confessionem audiat; Secundò dum confessionem audit; Tertiò dum absolutionem impendit, & denique post impensam absolutionem, & completum, seu collatum pœnitentiæ Sacramentum, idcircò sigillatim de his omnibus, Deo duce, agemus. Et primò in hac Disputatione de primo modo discutiemus.

Qualiter Confessarius discretus, & cautus esse debeat erga pœnitentes, ante sacramentalem confessionem excitatos ad confitendum.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Confessarius discretus debet esse, & cautus perpendens personam, quam excitare, ac trahere in-*

intendit ad sibi confitendum.

2 *Confessarius si iniustè, & dolosè ab altero pœnitentem auferat falsis suasionibus,& ab eius Ecclesia deuiet, eiq; iacturam inferat eleemosynarum,quas pœnitens ipse largiri solitus erat, occasione Sacramenti pœnitentiæ ministrandi,non modo peccabit contra charitatẽ, sed etiam contra iustitiam, & ad restitutionẽ tenebitur.*

3 *Confessarius si personam,quam ad sibi confitẽdum excitat, nouerit in lethali culpa permanere, & de pœnitentia peragenda non cogitare, citrà omnem notam illam poterit excitare, & oportunis suasionibus ad sibi confitendum trahere.*

4 *Idq; agere potest etiam si eius Prælatus non sit, nec Pastor.*

AD huius rei explicationem est adnot. quòd quandoq; contingit,pœnitẽtem excitari per Confessarium ad sibi confitendum:& aliquando spontè ad Confessarium se conferre. In hac igitur *Sec.* agemus de Confessario qualiter discretus,& cautus esse debeat erga pœnitentem à se excitatum ad confitendum: & in *seq. Sec.* agemus de Confessarij discretione,ac cautione erga pœnitentem spontè ad se venientem.

1 In hac re Confessarius debet esse discretus, & cautus perpendens personam, quam sibi confitendam excitare, ac trahere intendit; an scilicet in lethali culpa probabiliter saltem sciat permanere,vel non: si pœnitentiæ Sacramentum soleat frequentare, an potiùs raró ad illud accedere? Si Confessarium habeat ordinarium, vel non habeat;& si ordinarium habeat,an sufficiẽs sit, vel insufficiens. Etenim si de persona agatur honesta, atq; deuota, quam in mortali peccato probabilitèr putat non existere: quòd Sacramẽta frequentet,& Confessarium habeat ordinariũ, cui confiteri consueuerat, frustrà excitatur à Confessario extraordinario ad sibi confitendũ, & si ordinario sit doctior, ac magis idoneus: nõ enim beneualẽtibus opus est medico præsertim extra ordinario. Imò eiusmodi excitatio,vt plurimum scandalum parit: siquidem talis persona maximè fœmina si diues esset, ac nobilis posset rationabiliter suspicari de intentione Confessarij sic excitantis, vt non tam animæ illius zelo, quàm quæstus cupiditate, ambitionis, aut alterius interesse gratia moueatur. Ordinario quoque Confessario iniuria quodammodo infertur; & multò magis si falsis suasionibus, ac promissionibus inducta,eo dimisso ipsius excitantis tãdem efficiatur pœnitens. Quamobrem sæpè vidi maximas exortas dissentiones inter Cõfessarios, & charitatem notabiliter violatam non sine magno fidelium scandalo, ac admiratione, & animarum eiusmodi Confessariorum detrimento.

2 Nam si alter Confessarius iniustè, ac dolosè, & falsis suasionibus,vt supra ab altero pœnitentem auferat,& ab eiusdem Ecclesiæ deuiet,ob id etiã eleemosynarum, quas pœnitens ipse priori Confessario, aut ipsius Ecclesiæ occasione ministrãdi Sacramentum pœnitentiæ elargiri consueuerat, iacturam infert; atq; ideò non tantùm cõtra charitatem;verum contra iustitiam peccabit, & ad damni refectionem proculdubio obligabitur, arg. *tex.in l.quid ergo §.1.ff.de his,qui non infam. & c.fin. de iniur.* Et cùm dolosus huiusmodi Confessarius sub prætextu boni Religiosi per hypocrisim eleemosynam consequitur, ad eiusdem restitutionẽ pariter efficitur obnoxius, iuxtà ea, quæ habentur ex *Innoc. in c. quia plerique,de immun Eccl.* quia dans eleemosynam illi, non censetur eam simpliciter erogare, sed interpretatiuè dat viro religioso: qui quidem Confessarius cùm talis non sit, nõ censetur elargitæ rei in eum dominium transferre, vt post *Alex. de Ales* docet *Syluestr.in sum.ver.Confessor 3. q. 10.* Et insuper si confessiones audiat lucri gratia, aut ob alium temporale commodũ principaliter, potiusquàm ob spirituale pœnitẽtis emolumentum, etiam si nihil petat, mẽtalem simoniam contrahit; sicut à simoniæ labe non sunt immunes,qui quęstus gratia diuites pauperibus in audiẽdis confessionibus præferunt:imò & realem committerent, pecuniam pacto exigẽtes confessiones aliàs non excepturi, vt in *c.quã pio, 1.q 2.* aut Parochi nolient subditis facultatẽ concedere adeundi alium Confessariũ,nisi prius tantum eis elargirentur, quantum elargiti fuissent si ipsis fuerint confessi, vt habetur ex *Guilermo Pipino in suo opusc. super Confiteor, tr.2. p.3 .cap.5. litt.T.*

3 Quòd si Confessarius personam, quàm ad sibi confitendum excitat, nouerit in lethali culpa permanere,& de pœnitentia peragenda non cogitare, tunc citrà omnem notam potest eam excitare,& oportunis suasionibus ad sibi confitendum trahere; si ordinarium Confessarium maximè non habeat: vel si habeat sollicitus non videatur de salute, ac resipiscentia ipsius: aut sit insufficiens, vel si idoneus adire eum nolit propter erubescentiam, aut ob aliam causam. Imò aliquo casu non solùm potest; sed etiam debet cum propriæ vitæ corporalis periculo. Vt si videat peccatorẽ eiusmodi in articulo mortis cõstitutum,& non adsit alius, qui pœnitentiam ei suadeat;quin potius Infidelis adsit, qui eundem ab excipiendo pœnitentiæ Sacramento dissuadeat: tunc enim etiam cum propriæ vitæ periculo tenetur illum ad pœnitentiam excitare,& omni meliori modo procurare eiusmodi peccatoris conuersionem: quod verum est,etiam si nõ esset eiusdem Prælatus,& Pastor: siquidem tam

4 Prælatus, quàm quilibet alius, qui videt proximum subiacere periculo animę tenetur cùm potest,subuenire,etiam exponẽdo se periculo mortis corporalis. Hinc *D.Th. in 3. sent. d.29.ar. fin.quodlib.2.in resp.ad secundum,*sic ait, *Cùm scimus fratrem nostrum posse liberari per mortẽ corporis nostri à morte animæ sine periculo animæ nostræ, tunc tradere animam, idest vitam corporalem pro fratribus non est perfectionis,sed necessitatis.*Hoc idem habetur ex eodem *D.Th. in opusc.de perfectione vitæ spiritualis,c.14.*dum ait, Nos debere animam proximi diligere plusquam corpus nostrum. Etenim ob id si quis videret puerum morientem sine baptismo tempore pestis, tenetur cum propriæ vitæ periculo eũ baptizare. Sic etiam Sacerdos videns aliquem fidelem peste laborantem, qui desperat, nisi ad eum accedat, pœnitentiæ Sacramentum ministraturus, tenetur quidem etiam cum periculo infectionis proprij corporis illi succurrere,iuxtà ea,quæ habentur ex *Tabiena* post alios, *in sum.*

sam.in ver. Episcopus, q. 5. quibus adde, quæ adnotauimus *in nostris Comment ar. in Bull. Cœna, lib. 2. c. 7. q. 36. n. 40. & lib. 3. §. 8. q. 1. sub nu. 21. & 22.*

Qualiter Cōfessarius discretus, & cautus esse debeat, quando pœnitens non excitatus; sed spontè se confert ad eum ad suscipiendum pœnitentiæ Sacramentum.

S E C. I I.

S V M M A R I V M.

1 *Plures si sint parati, audituri ab vno, & eodem Confessario, Cōfessarius ipse discretus esse debet, & cæteris paribus, Magnates præferre.*

2 *Circa tamen hanc rem Confessarius magna prudentia vti debet, nè expellat Columbas à Columbaria.*

3 *Memorat Author discretionem, ac prudentiā, qua erga ipsum vsus fuit P. Petrus Antonius Spinellus Soc. Iesu, dum esset Confessarius Fratrum Congregationis Sanctissimæ Conceptionis.*

Et ad gradum V. I. Doctoratus promotus, quo nam ætatis anno Sanctissimam Clericorum Regularium Religionem fuerit ingressus.

4 *Vberti ordo licet regulariter in audiēdis confessionibus expediat, prudens tamen Confessarius, ac discretus, citrà scandalum illum prosequi debet.*

5 *Mulier si ad pedes Confessarij se conferat, sacramentaliter audienda, curet Confessarius, vt ex transuerso permaneat, & cur.*

Earumq; Confessiones solum in publico sunt audiendæ.

6 *Pœnitens si morbo aliquo impeditus genibus flecti nequeat, potest etiam sedens, ac iacens audiri, quamuis non solum intrinsecè, sed etiā extrinsecè humiliter se habere debeat.*

7 *Pœnitens, quamuis miles aut magnus Princeps sit, haud conuenit, vt armatus accedat ad pœnitentiæ Sacramentum. Et nunquam in confessione gestus debet habere elatos, & incompositos.*

8 *Prostrato ad Confessarij pedes pœnitente, debet inprimis Cōfessarius se signo Crucis signare, opem à Deo expostulans ad suum munus rectè subeundum.*

Et de quibus pœnitentem instruere debeat.

9 *Homo lethalite peccans non solum Deum offendit, verum etiam eius dulcissimam Matrē, Sanctos Angelos, & omnium Sanctorum Cuneos in se concitat.*

10 *Pœnitentē rudem si nouerit Confessarius, adeò, vt probabiliter dubitet non solum ignorare: Confiteor, &c. sed etiam Credo, &c. aliaque ad salutem necessaria, debet eum interrogare, an sciat articulos fidei, eundemq; articulos ipsos explicitè docere.*

11 *Tenentur fideles explicitè credere in primis tria saltem Sacramenta, Baptismi scilicet, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.*

12 *Reliqua tamen Sacramenta tunc tenentur explicitè scire, cum illa sunt suscepturi; sic quoque explicitè credere tenentur, Dei filium solam humanam assumpsisse naturam, & incarnatum in vtero B. Mariæ Virginis.*

13 *Explicitè quisque tenetur credere mortem, & resurrectionem Domini nostri Iesu Christi. Item & eiusdem Iesu Christi aduentum.*

14 *Confessarius si dubitet, an pœnitens debitam adhibuerit diligentiam in sufficienter examinando suam conscientiam, hac de re interrogare eum debet.*

15 *Pœnitens si adeò rudis sit, ac minimè capacitatis, vt sit ei insufficiens suam conscietiā discutere, non est à Confessario defatigandus, sed ipsemet Confessarius debet eum iuuare debitis interrogationibus.*

16 *In sex casibus tenetur Confessarius pœnitentē audire, eique Sacramentum pœnitentiæ administrare, quamuis dicat, nullam adhibuisse diligentiam in peccatis memorandis; Et sic tempore belli, naufragij, &c. Ad euitandum scandalum, vel si paucis diebus anteà ad cōfessionem accesserit, &c.*

17 *Si magnus quis esset peccator, præsertim si per multos annos non sit cōfessus, & accedat nullo præmisso examine, quid erit per Confessariū agendum.*

18 *An illi sit omninò satisfactio imponenda, antequam absoluatur.*

19 *Si medica aliqua diligētia pœnitens vsus fuerit in examinanda propria conscientia, non per hoc eius confessio redditur nulla.*

Et si talis defectus inculpabilis fuerit, excusatur etiam à materiali integritate confessionis.

20 *Quomodo fiat diligenter conscientiæ discussio, & examen à pœnitente.*

21 *Antequam pœnitensis confessionem audiat Cōfessarius, illum interrogare debet, si satisfactionem, sibi in præcedenti confessione iniunctam adimpleuerit.*

22 *Confessarius si videat pœnitentem adeò fragilem, vt probabiliter dubitet, non esse pœnitentiam expleturum, licet id promittat, debet eū inducere ad plenariam indulgentiam lucrādam.*

An debeat effectum indulgentiæ docere pœnitentem.

23 *Si pœnitens satisfactiones medicinales, pluries iniunctas, neget impleuisse audiri amplius nō debet, nisi facto experimento per Confessarium ad aliquod tempus, quod eas impleuerit, vel illum non absoluere, nisi pœnitentia impleta.*

24 *Quoad satisfactionem proximo exhibendam in fama, honore, anima, in corpore, & tandem in bonis, si pœnitens non satisfecerit, quid à Cōfessario erit agendum?*

25 *Pœnitens si promiserit eidem Confessario, vel alijs restituere, & non restituerit, si adhuc restituere potest, nō est absoluēdus, nisi restituat. Quid si semel tantum fuerit confessus, cum proposito restituendi. & n. 28.*

26 *Vbi quis in mortis articulo constitutus potens restituere, non restituit, non præsumitur habere verum propositum restituendi, atq; idèo nō erit absoluendus.*

27 *Manifesti vsurarij priuantur pœnitentiæ, & Sanctiss. Eucharistiæ Sacramētis, donec vsuras extortas restituant.*

28 *Pœnitenti non est regulariter deneganda absolutio*

lutio ex eo, quod semel tantùm cōfessus fuit, ac absolutus cum proposito restituendi, & non restituit.

29 *In multis casibus potest pœnitens absolui, etiam si pluries fuerit absolutus cum proposito restituendi, & non restituit.*

Et primò vbi loci, temporis, & personæ circūstantiæ concurrūt, vt prudenter iudicari possit, quod impensa absolutione statim restituet.

Vel si pœnitēs antea potuerit restituere ad præsens factus est impotens ad soluendum.

30 *Si quis restituendo in extrema necessitate constitueretur, restituere haud cogitur, & quare.*

31 *In pari necessitate melior est conditio possidētis.*

32 *Creditor si sit persona publica, & valdè vtilis, ac necessaria Reipublicæ, & reperiatur in pari necessitate cum debitore debitor non ex iustitia, sed ex charitate tenetur ei debitum restituere.*

33 *Debitor si non possit restituere, nisi cum detrimento, & iactura proprij status, & bonorum, potest differre restitutionem, quousque possit absq; huiusmodi iactura.*

Et quinam verè dicatur, commodè non posse restituere.

Et an id locum habeat tam in debito ex contractu, quam ex delicto.

34 *Tunc quis cum detrimento status restituere nō cogitur, cum statum iustè antea acquisierat, secus si iniustè, puta per rapinas, &c.*

35 *Res obnoxia restitutioni si extet, & debitor non sit constitutus in extrema necessitate, restituere compellitur, etiam cum iactura status.*

36 *Debitor tunc demum restituere non tenetur cū iactura sui status, & proindè potest restitutionem differre, quando creditor similem status iacturam ex tali dilatione non sit passurus.*

37 *Debitor et si non teneatur restituere cum iactura sui status, tenetur tamen statum minuere, vt creditori satisfacere valeat.*

38 *Debitor vbi est in bona fide, cuius bona omnia sunt restitutioni obnoxia non tenetur statim restituere cum iactura sui status, aut notabili detrimento suorum bonorum.*

39 *Voluntaria creditoris dilatio debitorem à restituendo excusat.*

Sic non possit omnibus creditoribus satisfacere statim restituendo, & adsit spes probabilis, quod post aliquod breue tempus futurus sit potens ad satisfaciendum omnibus.

40 *Debitor vbi statim restituere non potest citrà propriæ famæ detrimentum, restitutionem differre potest, quousq; cesset detrimenti periculū.*

41 *Idque verum est quando infamia magna esset; secus vbi res esset magna, & infamia mediocris, vel minima.*

Affertur exemplum mulieris, qui partum sibi supposuit, aut filium ex adulterio peperit, an, & quando teneatur suum crimen reuelare.

42 *Iniustè hominem occidens, vel eiusdem membrum lædens, licet non possit vitam homini restituere, vel membrum, tenetur tamen ad omnes expensas, damna, & interesse, quæ occasione huiusmodi criminis proximo obuenerūt.*

43 *Idque locum sibi vendicat etiam si occisus, aut membro debilitatus, erat omninò inutilis domui suæ.*

44 *Restitutio facienda ob damnum illatum in bonis spiritualibus statim quoque fieri debet, sicut & rerum externarū, & corporalium, imò, & multo magis, cum hæc illis sint nobiliora.*

45 *Idque intelligitur de eo, qui dolo, vel fraude alium ad peccandum induxit secus, si impellat aliquem, qui scit illud esse peccatum, & posset se liberè ab eo abstinere.*

46 *Prælatus si subditum induxerit ad peccandū, contra iustitiam agit, cum ex iustitia obligetur, bonum spirituale subditorum curare.*

47 *Si tractetur de inducendo ad pœnitentiam eū, quem ad peccandum impulit, non tenetur statim id agere cum periculo propriæ vitæ, aut magna bonorum iactura, sed potest differre donec cesset periculum.*

48 *Qui alium induxit ad peccandum, tunc huiusmodi restitutionem tenetur facere cum probabiliter scit, suis suasionibus fore, vt pœnitentiam agat, secus si sciat, nihil profuturum.*

49 *Quoad restitutionem famæ statim faciendam in multis conuenit cum restitutione bonorum temporalium, ac spiritualium, & in multis differt.*

Et in quo rerū ordine ponatur fama, & honor.

50 *Aliquando famæ restitutio est facienda etiam cum periculo propriæ vitæ.*

51 *Damnum inferens, tantum damnum subire tenetur quantum alteri intulit, & à quo per simile, & æquale damnum potest alterum læsum liberare.*

52 *Famæ restitutio remitti potest in multis casibus, & in quibus.*

53 *Quæ dicta sunt de restitutione famæ, proportionaliter extenduntur ad restitutionem honoris. Et quomodo lædatur fama, vel honor.*

54 *Prælatus, vel Superior si lædat honorem subditi, vel Superioris, & nō possit restituere, nisi petendo veniam, illam petere non tenetur, & cur. Idemque inter Illustres seruandum est.*

55 *Iniuria si in absentia fuerit illata corā alijs, eo animo, vt in notitiam contumeliā affecti venirer, tenetur iniurians adire eos coram quibus contumelia affecit, eosque rogare, vt sileāt.*

56 *Non tantum honoris læsi est faciēda restitutio, sed etiam omnium damnorum temporalium, quæ ob ignominiam iniustè illatam proximo consequuta fuerit.*

Et an, & quando prudens Confessarius possit honoris restitutionem differre.

1 AD huius rei explicationem est aduer. quòd si plures adsint, qui parati sint audiri ab vno, & eodem Confessario, tunc Confessarius ipse discretus debet esse, ac cautus: nam licèt personarum acceptionem habere non debeat; præsertim ne propter diuites, & Magnates, pauperes dimittat; non citrà eorum scandalum, & grauem Dei, & pœnitentię Sacramenti iniuriam; nihilominus cæteris paribus, Magnates sunt præferendi: siquidem ex eorum frequentia confessionum Deus magis glorificatur: & ipsorum exemplo alij inferiores excitantur ad Sacramentorū frequentiam, vt rectè notat *Molfes. p. 1. suæ sum. tr. 7. c. 22. n. 29.* Imò eiusmodi ordinem seruandum esse ex Magistro Vbetto docet *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 19. propè fin.* Inquit enim *Vbert. lib. 5. de offic. Ordin. Fratr. Prædic. Illorum confessiones prius, ac libentius audiri debent, qui magis indigere*

digere putantur: vel qui rarò venire solent: vel qui sunt extranei: vel qui sunt in maiori statu: vel de quorum confessione maior vtilitas sequutura speretur. Est tamen verum, quòd circa rem

2 hanc Confessarius magna prudentia vti debet, nè in eiusmodi ordine seruando scandalum inferat postpositis, ac expellat Columbas à Columbaria: quapropter prædicta intelligenda sunt, pensatis circumstantijs loci, ac temporis, & personarum; præcipuè quando probabilitèr existimetur, postpositos non esse scandalizandos.

3 Hanc ipsam discretionem, ac prudentiam erga me adhibuit s.m. P. Petrus Antonius Spinellus Illustris Religionis Societatis Iesu Prouincialis; sanctitate, prudentia, ac scientia celebris, & generis nobilitate clarissimus, qui dum Neapoli Rector existeret, & Confessarius fratrum Venerabilis Congregationis Sanctissimæ Genitricis Dei Mariæ Conceptionis, & ipsorum fratrum confessiones exciperet in Ecclesia Collegij eiusdem Societatis; ad eam me contuli, paucis mensibus, post mei aduentum è Patria Neapolim iuri operam daturus, dum essem annorum circiter sexdecim: quapropter videns ipse dictũ Patrem à notabili multitudine dictorum fratrũ circumdatum ad reconciliandum eos, & desiderans prædicto Patri confiteri, seorsim ab ipsis fratribus per plures passus stabam, expectãs donec eorum compleretur reconciliatio. At Sãctus ille Pater, discretus, ac prudens, eleuans in me oculos, mox cognouit me non esse de illo ouili; sed extraneum, prout re vera eram, & qui Neapolim aliàs nondùm adueneram: & habens ad pedes eius vnum ex præfatis fratribus se reconciliantem, reconciliatione nondùm completa, vocauit me: & benignè ab eo interrogatus, quid vellem, respondi, meum desiderium esse, vt meã confessionem exciperet: & dum, vt paulisper expectarem, replicasset, donec compleretur dicti fratris reconciliatio; ea absoluta, statim me ad se auocauit, omnibus alijs fratribus, quorum magna erat multitudo postpositis: & post auditam meam confessionem, & susceptum pœnitentiæ Sacramentum aperuit mihi, in domo dicti Collegij esse Congregationem Sãctissimæ Dei Matris Mariæ Conceptionis, ad quam benignè ab eo inuitatus consentiens, mox vni ex dictis fratribus fui ab eodem traditus erudiendus, à quo cum maxima charitate exceptus, & delatus ad dictam Congregationem, Diuina mihi succurrente gratia in ea perseueraui donec Neapoli commorans ad vtriusque iuris Doctoratus gradum fui promotus. Tandem ad Aduocati, ac Iudicis exercitium extra Neapolim appulsus, ob salubrem consuetudinem frequentandi Sanctissima Eucharistiæ, ac pœnitentiæ Sacramenta, eorum frequentiam ibidem quoque, Deo fauente fui prosecutus; & à Diuina gratia illuminatus, ac sęculi pericula expertus vigesimum septimum annum agens, Nobilissimam, ac Sanctissimam Clericorum Regularium Religionem fui ingressus; vbi ad septuagesimum quartum annũ iam peruentus, non citrà maximam mei confusionem, adhuc tepidè, ac indignè viuens, inutilem Dei seruum me fateor, & agnosco. Deprecor igitur Diuinam suam pietatem, ac misericordiã, vt totius reliquæ vitæ meæ cursum, qui mihi superest peragendus, ità dirigat, protegat, atque defendat, vt nulli alij, quàm suæ bonitati deseruiam, nec aliud in hac vita cupiam, ac requiram in laboribus, actibus, & cogitationibus meis, quàm Diuinæ Suæ Maiestati placere, ac fidelitèr inseruire.

4 Ad rem igitur deueniendo dicimus, quòd licèt supradictus Vberti ordo in audiendis confessionibus regularitèr expediat; nihilominus Confessarius discretus, cautus, & prudens ità demùm debet illum prosequi, si citrà scandalum fieri potest: & in dubio illa regula videtur tutior qua personarum non habetur acceptio; ità vt Confessarius illum primò audiat, qui primus ad suos pedes se prostrauerit sacramentalitèr audiendus: eidemq; dulcem, affabilem, atque suauem, mitem, pium, discretum, cautum, prudentem, atq; benignum se ostendat: siquidem has conditiones in Confessario exigi docet *D. Tho. in 4. sent. d. 17.* & colligitur ex *c. qui vult, §. Sacerdos de pœnit. d. 6.* illis verbis: *Adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare, habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, &c.*

5 Illud autem circa rem hanc est omninò seruandum, vt si mulier sit, quæ ad pedes Confessarij se conferat sacramentaliter audienda, curet, vt ex transuerso permaneat, nec in faciem eius aspiciat: quoniam mulierum facies, vt ventus vrens est, inquit Propheta. Ob id enim Cõfessarij plerumque solent manicam suam, aut aliquid simile inter se, & faciem mulieris confitentis: & in nonnullis locis vidi laudabilem cõsuetudinem, qua mulieres maximè iuuenes, ac formosæ velatæ vultum, & oculos habentes demissos in terram, ad pœnitentiæ Sacramentum se conferunt. Imò *D. Anton. ex Vberto loc. cit.* similitèr monet Confessarium, vt caueat, ne nisi in publico earum confessiones audiat: & nisi ab aliquo, aut aliquibus videatur: nec multum moretur, nisi quantum necessitas confessionis exigit: & eis, quæ nimis frequenter confiteri volunt, assignet certum tempus, extra quod ipsas non audiat, nec alijs colloquijs se eis exponat, ac semper verbis duris, & rigidis potius vtatur erga illas, quam mollibus. Hæc *D. Anton.* ibi, qui etiam addit, Confessarium in audiendis confessionibus non solùm in mulierum faciem nõ debere intendere; sed nec quidem in vultum viri frequenter aspicere, ne faciat eum erubescere. Quæ dixi de mulieribus proportionalitèr videtur quoque dicendum de pueris, cùm militet ferè eadem ratio: quapropter in nonnullis locis adsunt synodales constitutiones, quibus Confessarijs præcipitur, vt mulieres, & pueros non nisi in publico audiant.

6 Ad pedes igitur Confessarij prostratus pœnitens, nisi genibus flecti nequeat morbo aliquo impeditus; quoniam tunc potest etiam sedens, ac iacens audiri: siquidem corporis positio non est de essentia sacramentalis confessionis. Est tamen verum, quòd confessio cum debeat esse humilis, ac lacrimabilis, iuxtà illud *Ecclesi. c. 4. Presbytero humilia animam tuam, & Magnato humilia caput tuum.* Pœnitens nõ solùm intrinsecè humilitèr se habere debet, agnoscẽs se pauperem, ac miserum peccatorem indignum gratia, ac misericordia Dei; sed etiam extrinsecè, quod in corporis positione consistit,

genu-

reuerentiam Confessario exhibendo; qui tanquam Dei minister illius personam repræsentat. Vndè si adoratio Duliæ conuenit cuilibet Prælato, vt Nos latè probauimus in *Commentar. in Bulla Cœna, lib. 1. c. 4. q. 3.* multò magis debetur Confessario in actu cōfessionis; in quo actu est immediatus Dei Minister. Et si extra confessionis actum de Apostolorum Principe legitur eidem fuisse delatam adorationem, vt *Act. c. 10.* vbi habetur, quòd Cornelius Centurio corruit ad pedes Petri venerationis causa. Et *D. August. serm. 25.* testatur, quòd cum in fines terræ Apostoli Petri fama peruenerit, tunc omnes gentes eum adorare cæperunt. Mulier pariter, quam idem Apostolus sanitati restituerat, ad eius pedes cecidit: ergò multò magis deferenda est adoratio Confessario in actu confessionis; quippè qui non salutem corpori, sed animæ impendit. Et quamuis soli Papæ pedes esse deosculādos, probet *Marta de iurisd. p. 1. c. 46.* nihilominus non puto aliqua nota dignum esse pœnitentem, qui considerans personam Christi in Confessario, ipsius pedes deoscularetur. Etenim licèt Papa sit Dei Vicarius Generalis, & nemini subijciatur nisi soli Deo, cùm omnibus sit superior, & nulli inferior, vt in *c. aliorum, & c. cuncta per mundum, 9. q. 3. & c. si Papa, 40. d.* tamen in foro sacramentali omnes Sacerdotes sunt æquales, & Confessarius dicitur Dei Vicarius specialis, *c. absit, 11. q. 3.* ità vt supposita S. Pontificis spontanea voluntate, ac submissione, qua alicui Sacerdoti se submittat, in illo actu non tenet locum Papæ, sed priuatæ personæ, atque ideò efficitur minor, & Confessarius ipso Pontifice maior, vt habetur ex *Host. in sum. eod. tit. nostro, n. 15.*

7 Ob id igitur pœnitens quamuis miles sit, aut magnus Princeps, non conuenit, vt armatus accedat pœnitentiæ Sacramentum excepturus; sed depositis armis, nisi ex rationabili causa ad tutelam suæ, Cōfessarij, aut alterius personæ oporteret eum armatum accedere, vt euenire solet in acie, ac conflictu belli. Cæterum nunquam pœnitens in cōfessione debet habere gestus elatos, & incompositos. Et si pœnitentem incompositum videat Confessarius, benignè eum moneat, vt humilitèr se componat, vt ità extrinsecùs dispositus, disponatur intrinsecùs ad consequendā culparum veniam: siquidem contrarijs contraria curantur: & in qualibet culpa est quædam generalis inobedientia: nam peccatū nihil aliud est, quàm præuaricatio Diuinæ legis, seu recessus ab ea: ergò humilitati omninò incumbere debet pœnitens, si vult à peccatis ablui, ac solui. Legitur de Leone, vt refert *Isidor. Ethymol. lib. 12. c. 2.* quòd prostratis parcit. De eodem narrat *Plin. in naturali historia lib. 8. c. 16.* qui inscribitur, *De Leonibus*, quòd quamuis sit omnium animalium ferocissimus; nihilominus prostratis efficitur clemens: & vbi sæuit in homines prius sæuit in viros, quàm in mulieres: & infantes non nisi in magna fame deuorat. Ità Deus, qui Leo sæpè in scriptura nominatur, *Vicit Leo de tribu Iuda, &c.* parcit peccatoribus prostratis; ad pœnitentiæ Sacramentum humilitèr accedentibus. Exemplum habemus in Euangelio Luc. 18. de Publicano, & Pharisæo: quoniam Publicanus à longè stans, & præ humilitate oculos ad Cœlū leuare non audens, è peccatore iustificatus discessit è Templo: non sic Pharisæus per superbiam elatus.

8 Ad pedes inquam Confessarij prostrato pœnitente, debet in primis Confessarius ipse signo Crucis se signare; opem à Deo expostulans ad munus suum subeundum secundùm ipsius Diuinam voluntatem, ad eiusdem gloriam, & pœnitentis spiritualem vtilitatem, considerans id, quod habetur ex *D. Dion. c. 3. de Eccles. Hier.* nempè quod diuinissimum opus est, esse Dei Ministrum, ad reducendas animas ad suū principium: & vt ait *D. Bern.* gloriosum est, esse Dei coadiutorem; atq; ideò hæc dicitur ars artium, *c. cùm sit, de ætate, & qualit.* Deindè de statu, & conditione eius pœnitentem interrogatum, vbi notus ipsi Confessario non est, si rudem esse cōspiciat, tunc instruere eum debet, docendo corporis humilem compositionem, præsertim genuflectere si valeat, iuxtà ea, quę supra diximus: sanctæ Crucis signo se signare, manus iungere, oculos dimittere, & confessionem generalem, quæ aliàs, confiteor, appellatur, si pœnitens recitare illam haud ignoret, & defectus temporis non patiatur, vsque ad verba illa, ideò precor. Quæ quidem confessio generalis cùm ex communi Ecclesiæ vsu præmitti soleat Sacramento pœnitentiæ ab ijs, qui memoriæ illam mandarunt, citrà aliquam saltem negligentiæ notam, absq; rationabili causa non omittitur; cùm satis quidem rationabilitèr introducta sit eiusmodi

9 consuetudo: siquidem homo lethalitèr peccans non solùm Deum offendit, cuius legem præuaricatur, ac Diuinam iram in se concitat; verum etiam Matrem misericordiæ dulcissimam, ac pijssimam Mariam, omnes Angelorum Choros, Prophetarum, Apostolorum, & omnium Sanctorum cuneos contra se concitat, prouocat, & irritat. Vndè meritò ad pœnitentiam accedens coram ipsis scelera confitetur, vt pro eo intercedat ad Dominum Deum nostrum. Et quamuis vsus in Ecclesia dicendi prædictam confessionē generalem, sit varius, iuxtà locorum varietatem, Ecclesiarum, ac Religionum disparitatem: nam quidam semel tantùm dicunt, *Mea culpa*, Alij verò ter, nempè, *mea culpa, mea culpa, mea grauissima culpa*, pectora sua percutientes; nihilominùs hic posterior est magis receptus, tū quia est secundùm Breuiarium Romanum, tum etiam quoniam est valdè rationabilis: etenim homo peccādo, propriam salutem negligit: proximum scandalizat: & Deum offendit, eiusdem mandata transgrediendo. Vndè ter pecutiēs pectus ipse pęnitens, & ter dicens mea culpa, ità dicit primò ad ostendendum dolorem, quem de suis sceleribus habet peccando cogitatione locutione, opere, & omissione, ac salutem propriā despiciendo. Dicit secundò, mea culpa, quia visu, verbo, & opere peccauit in proximum, illum scandalizando: Et tertiò, mea maxima culpa, quoniam Creatorem, & Redemptorem nostrum grauissimè offendit, eiusdem legem violando, & præceptis suis non obtemperando. Ita pœnitens tundens proprium pectus ter præfata verba profert, vt correspondeat verbis illis, cogitatione, verbo, & opere: nam peccata cordis tantùm sunt grauia: grauiora sunt peccata cordis, & oris: & grauissima sunt peccata cordis,

oris, & operis simul. Et denique ter percutiens pectus suum pœnitens, ter, mea culpa, dicit, vt dolorem exprimat, quem de tribus concepit, nempè de gratia, quam per lethalem culpam perdidit in præsenti vita: de gloria æterna in futurum: & de reatu, seu obligatione pœnæ æternæ in alio sæculo.

10 Quòd si pœnitentem adeò rudem Confessarius nouerit, vt probabilitèr dubitet, non solùm, confiteor, ignorare, sed etiam fortè symbolum Apostolicum, & alia ad salutem necessaria non didicisse, tunc debet illum interrogare, an sciat articulos fidei, & si nouerit eum nescire, tenetur eundem articulos ipsos explicitè docere, vel saltèm ad proprium Parochum mittere edocendum, & interim ipsius confessionem non audire. Quòd si Confessarius non obstante quòd pœnitentem ipsum articulos docuerit, adhuc rudis remaneat, de doctrina christiana nihil percipiens, tunc absolutionem differat, præsertim si ignorantia sit circa ea, quæ ex præcepto scire tenetur, de quibus infrà dicemus: siquidem qui eiusmodi ignorantia laborat, vel est in lethali culpa, vel in periculo peccandi mortalitèr propter ignorantiam, quam habet. Ità *Bann. in D. Th. 2. 2. q. 2. ar. 8. dub. 2. circa fin.* vbi similitèr inquit esse animaduertendum, quòd vt aliquis dicatur explicitè habere fidem, non est satis, vt memoriter dicat articulos fidei; sed exigitur, vt aliquam habeat intelligentiam; cuius signum erit, vbi interrogatus, prætermisso ordine, quem ipse didicit, rectè responderit. Vndè infert non sufficere ad salutem, quòd Christiani sciãt symbolum in latino sermone, nisi intelligentiam habeant illius idiomatis.

11 Ea verò, quæ probat ipse *Bann. loco cit* teneri fideles explicitè credere, sunt in primis tria saltem Sacramenta, nempè Baptismi, Eucharistiæ, & pœnitentiæ: etenim de omnibus eiusmodi Sacramentis percipiendis est præceptum; at percipi non possunt, nisi cognoscantur, & credantur; ergò præceptum est, vt explicitè credãtur suprad. cta Sacramenta. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento est quoq; specialis ratio: siquidem nemo potest dijudicare corpus Domini, idest distinguere cibum illum ab alijs, nisi explicitè sciat dignitatem tanti Sacramenti, nempè quòd credat, quòd ibi Christus sit, & nõ substantia panis, aut vini. Ob id igitur ego interrogans rudes de substantia dicti Sacramenti, innumeros noui illius explicitam non habuisse scientiam, sed tantùm respondisse esse rem magnam, aut aliud simile; imò quidam trigesimum circiter annum habẽs à me interrogatus respõdit, illam hostiam esse Virginem Mariam. De Sacramento pœnitentiæ est pariter ratio: quoniam omnes fideles tenentur iure Diuino confiteri peccata mortalia post Baptismum cõmissa; ergò tenentur de eiusmodi Sacramento explicitam habere fidem; ità vt sciant teneri omnia peccata confiteri, quæ memoriæ occurrant post debitam adhibitam diligentiam in examinanda conscientia: & de illis super omnia dolorem concipere cum proposito non peccandi de cætero: & credere, quòd in Ecclesia Ministris sit potestas remittendi culpas. Reliqua verò Sacramenta probat idem *Bann.* teneri fideles

12 explicitè scire, quando vult illa recipere: etenim qui vult vxorem ducere, scire debet matrimonium esse vnum ex Sacramentis Ecclesiæ, conferens gratiam, & quòd citrà culpam lethalem teneatur ad illud accedere. Secundò fideles omnes explicitè cognitionem habere debent præceptorum Decalogi: nam omnes fideles tenẽtur scire media necessaria ad salutem; atque ideò, quòd Deus sit à nobis colẽdus, cùm nemo possit citra orationem diù in Dei mandatorum obseruatione perseuerare, iuxtà illud *Lucæ c. 18. Oportet semper orare, & nunquàm deficere.* Tertiò explicitè debent fideles credere ex Diuino præcepto, Dei Filium solum, non Patrem, nec Spiritum sanctum humanam assumpsisse naturam, hominem factum, & incarnatum in vtero Beatæ Mariæ Virginis virtute Spiritus sancti, vt habetur ex *Soto lib. 2. de nat. & grat cap. 11. & in 4. d. 5. q. vnica dua. vlt. concl. 1. Can. relect de Sacram. p. 2. q. 1. & aliorum:* quam sententiam communem esse testatur *Bann. loco cit. concl. 1.*

13 Item explicitè vnusquisq; tenetur credere mortem, ac resurrectionẽ Domini nostri Iesu Christi, nẽpè quòd Christus verus homo verè mortuus sit, per veram, ac realem separationem animæ à corpore: & quòd eadẽ anima Christi fuerit deindè iterum vnita corpori; atq; ideò resurrexisse Christum verum hominẽ in carne gloriosa, ac immortali. Item vnusquisque fidelis tenetur explicitè credere. Christi descensum ad Inferos, ad locum in quo detinebantur Sancti Patres expectantes eius aduentum: nec non tenentur credere eiusdem Domini ascensum ad Cælos, & quòd sedeat ad dexteram Patris, idest, quòd sit maximè Beatus inter omnes creaturas. Item Fideles tenentur etiam explicitè credere Christi Domini aduentum in iudicium vniuersale ad iudicandum vniuersos homines, & ad tribuendum vnicuiq; secundùm opera eius. Ità *Bann. vbi sup. concl. 2.* vbi idem probat dicendum esse de omnibus articulis: & Parochos, Confessarios, Prædicatores, & Ecclesiæ Doctores teneri præceptis tum diuino, tum humano, ità explicitè scire supradicta, & vniuersa, quæ pertinent ad articulos fidei, vt alios possint docere, & corrigere si errauerint. Vndè concludit debere Confessarios monere singulos patresfamilias, vt examinent, an sui domestici doctrinã christianam didicerint; quoniam horum curam habere obligantur per se, vel per alios, vt instruantur.

14 Post hæc si Confessarius dubitet, an pœnitẽs debitam adhibuerit diligentiam in rememorãdis suis culpis, sufficienter examinando propriã conscientiam, tunc de hac re interrogare eum debet: etenim pœnitens antequam ad sacramentalem confessionem accedat, obligatur diligentem suæ conscientiæ discussionem præmittere, eiusdemq; sinus, & latebras omnes explorare, vt habetur in *Conc. Trid. sess. 14. de confess. c. 5.* in illis verbis: *Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, vt postquam quisque diligentius se excusserit, & consciẽtiæ sinus omnes, ac latebras explorauerit, &c.* Vndè si pœnitens nullam diligentiam adhibeat in memorandis culpis, aut adeò leuem, & cum tanta negligentia, vt moraliter pro nihilo reputetur, tũc nulliter confitetur; etiam si expressam voluntatem habeat nullum crimen scienter prætermittendi; sed confitendi omnia peccata, quæ in ipso confessionis actu occurrerint, vt habetur ex *Petro*

tro Soto lec.10.de pœnit.ver. Praestat, de integritate, fol.219. Dominici Soto in 4.d.18.q.3.ar.3. concl.3. Tolet.lib.3.sua sum.c.8. in princ. Suar. de pœnit.disp.23.sec.3 n.4. cum alijs, quos allegat, & Molfes.p.1.sua sum. tr 7. c.13. n. 12. & Nos latè supra de hac re egimus to.1. §. 1. disp. 3.sec.1.concl.5.limit.1.vers.Ex hoc infertur: & vers.Et quamuis: quapropter si pœnitens à Cōfessario interrogatus, vel etiam vltrò dicat, se nullam diligētiam, aut leuem adhibuisse, vt suprà in memorandis peccatis, tunc monendus est, vt diligentiam eiusmodi adhibeat, antequā confessionem incipiat si per mensem, & multò magis si per plures menses steterit quòminus ad confessionem accesserit.

15 Est tamen verum, quòd si pœnitens adeò rudis sit, ac minimæ capacitatis, vt se solo sit insufficiens suam conscientiam discutere, tunc non est cogendus à Confessario, vt inutiliter in ea re laboret, ac defatigetur, vt diximus d.concl.5.limit.1.vers.Et quamuis; sed ipse Confessarius tenetur eum iuuare debitis interrogationibus: siquidem tam pęnitens, quàm Confessarius tenētur diligentiam eorum muneri accomodatam præstare; aliàs lethalem culpam contraherent, vt post alios probat Molfes.p.1. sua sum.tr.7.c.21. sub n.26. Imò in omni euentu, quo defectus debitæ diligentiæ in cognoscendis, ac memorādis peccatis speratur reparari posse interrogationibus Confessarij, tunc non est dimittendus pœnitens, vt præmittat eiusmodi diligentiam; sed est audiendus, ac debitis interrogationibus adiuuandus, examinando illum circa culpas illas, quas probabilitèr putat commisisse, habita ratione eiusdem status, temporis lapsus à præcedenti confessione, & negotiorum multitudinis, quæ interim gessit. Etenim, ait Nauar.in c. fratres, de pęnit. d. 5. n. 31. quando pœnitens nouit se à diligenti Confessario esse interrogandum, satis esse, si aliquantulam diligentiam pręmittat, cum proposito respondendi Confessarij interrogationibus. Dummodò probabilitèr credat per examen Confessarij habiturum memoriam omnium peccatorum: quod quidem impossibile est moraliter, vt locum sibi vendicet in eo, qui per longum temporis spatium ad confessionem non accessit, & solitus est in varias, ac diuersas culpas lethales incidere: & propterea in tali euentu tutius est pęnitentem dimittere, vt meliùs recogitet.

16 In multis alijs quoq; casibus obligatur Confessarius audire pęnitentem, & Sacramentum pęnitētiæ eidem ministrare, etiam si dicat, nullam diligentiam adhibuisse in memorādis peccatis; quorum primus est, quando pęnitens reperitur in mortis articulo, seu periculo belli, naufragij, incendij, aut alterius rei: quoniam in tali casu satis est confessio formalitèr integra, nec requiritur materialis integritas, si ex defectu temporis, & diligentis examinis haberi non potest, vt sup. diximus d.concl.5.limit.1. Secūdus casus est vitatio scandali, vt si virgo nobilis ad Ecclesiam se conferat cum matre, aut alijs consanguineis, vt Sacramenta pęnitentiæ, & Eucharistiæ susciperet, vt solent puellæ in die Natiuitatis, & Paschatis in aliquibus locis, in quibus illis tantùm festiuitatibus ad Ecclesiam ire à parentibus permittuntur; & interrogata à Confessario respondeat, se nullum conscientiæ examen præmisisse, propter quod si incōfessa, & incommunicata dimitteretur, apud matrem, seu consanguineos infamiæ notam contraheret, & de eius pudicitia fortè suspicionem præberet; tunc non est à Confessario dimittenda, sed debitis interrogationibus adiuuanda, vt rectè inquit Lopez p.1.instr. c.28. & Rodriq. lib. 1. sua sum.c.62. & alij, quos refert, & sequitur P. Megal p.1.Instit.Peregr.lib.5. c.9 sub n.5. Ratio autem hæc est; quia si pœnitens ad integram omnium peccatorum confessionem non tenetur ad euitandum graue aliquod nocumentum in propria persona, vt habetur ex D.Th.in 4.d. 17.q.3.ar.3.quæstiun.4. ad 5. Soto in 4. d. 116. q.2.ar.5.ad 3. & alij, quos sup. retulimus d.cōcl. 5. lim. 3. tanto magis à dicto examine excusari debet ad euitandam infamiam, aut aliud temporale damnum, cùm per omissionē dicti examinis periculo tantùm exponatur non faciendi confessionem integram. Tertius casus est si pęnitens paucis diebus anteà ad confessionem accesserat: nam tunc præsumitur recordari peccatorum citrà aliam diligentiam. Quartus casus est vbi pęnitens non est solitus lethales culpas committere, sed tantùm veniales; quoniam integra confessio necessaria est peccatorum mortalium dumtaxat, vt sup. ostendimus d concl.5. Quintus casus est, si pęnitens hìc, & nunc non susciperet Sacramentum pœnitentiæ, in futurū, nisi post multum temporis, aut nunquam esset suscepturus, cùm oporteret eum in Terra Infidelium proficisci: aut ipse in Infidelium Terris reperiretur, & Confessarius non posset vlterius immorari: quoniam tunc iste casus est similis ei, qui est in periculo mortis, cùm exponatur periculo moriendi citrà confessionem, & non adimplendi præceptū annuæ confessionis, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus to.1.§.1. disp.1 sec.1. concl.5.vers.Probatur modo. Sextus casus est si pænitens, qui nullo præmisso conscientiæ examine, esset magnus peccator, præsertim si per

17 plures annos steterit, quòminus ad confessionē accesserit: nam peccator eiusmodi non est dimittendus, vt examen illud præmittat, & deindè reuertatur; siquidem exponitur periculo non redeundi, sed melius est, vt Confessarius illum audiat, & deindè diligentèr eumdem interroget iuxtà sui status conditionem: & demum blandis verbis moneat ad recogitanda peccata, quæ cōmisit, & quorum fortè fuerit oblitus ob defectum debitæ diligentiæ in examinanda conscientia: & interim absolutionem illi non impendat, sed promittat eam sibi daturus cùm primum diligentiam prædictam adhibuerit, excusando, se non aliter posse citrà vtriusque sacrilegium absolutionem impendere: Et pendente ipsa diligentia facienda poterit eidem aliquam pœnitentiam imponere, qua occupetur in operibus charitatis præcipuè, ac humilitatis. Etenim pęnitentia potest imponi etiam verè non pęnitenti, qua deseruit ad eum disponendum ad veram pęnitentiam ex Dei illustratione, vt in c.quod quidam, & ibi Glosa, sup. eod.tit. nostro, multò magis ante absolutionem iniungi potest satisfactio sufficienter contrito, aut saltem attrito.

18 Imò multi volunt, satisfactionem esse omni-

nò imponēdam antequam pęnitens absoluatur, quam sententiam nos reiecimus sup. *tom.* 1. §. 1. *disp.* 11. *sec.* 4. *de forma Sacramenti pœnitentiæ agentes*, vbi ostendimus, satisfactionem tam ante, quàm post absolutionem iniungi posse. Nec obstat si dicatur, quòd ex *Conc. Trid. sup. relato, sess.* 14. *de confess. c.* 5. præcipitur, discussionem conscientiæ esse faciendam ante confessionem, quoniam in casu, de quo agitur verè discutitur conscientia ante confessionem: nam pęnitens id agit primò à semetipso reducendo in memoriam peccata priusquam ea in confessione aperiat, conscientiæ suæ latebras, & sinus discutiendo: Secundò hoc ipsum agit industria Confessarij: & deniq; diligentiùs in eiusdem absentiam; atq; ideò dici potest præmissa talis discussio ante confessionem, cùm ante illā expletam fuerit adhibita. Et quamuis aliqua mo-

19 dica negligentia vsus fuerit in examinanda cōscientia; non tamen ob id cōfessio redditur nulla: quia quando negligentia in memorandis est modica, ità vt ad summum ascendat ad venialē culpam, satis non est ad inualidandam confessionem, vt sup. probauimus *d. concl.* 5. *limit.* 2. Imò dato, quòd pęnitens debitam diligentiam non adhibuerit in examinanda ipsius conscientia, & memorandis culpis, si defectus huius diligentiæ fuit inculpabilis, vt quia pęnitens ex probabili ignorantia existimabat, se debitam diligentiam adhibuisse, quam tamen non adhibuit, tunc excusatur etiam à materiali integritate confessionis; quoniam omissio dictæ diligentiæ eo casu non est voluntaria, nec directè, neq; indirectè: aliàs nunquam pęnitens esset securus de sufficienti diligentia adhibita, & sēper posset dubitare de inualiditate confessionis ex defectu talis diligētiæ. Vndè meritò *Nauar. in c. fratres, de pęnit. d.* 5. *n.* 66. *cum seq. & n.* 75. licèt concludat in hac re tantam diligentiam esse necessariam, quanta viro prudenti humano more, pensatis circumstantijs, sufficiens videbitur ad peccata memoranda; nihilòminus minorem etiam satis esse in quibusdam hominibus rudibus si bonam fidem habeant, & credant debitam diligētiam adhibuisse: siquidem ipsemet *Nauar. in d. c. fratres. n.* 72. inquit, quòd quis posset peccare propter nimiam diligentiam in excutienda consciētia ante confessionem: nam, vt ait *D. Th.* 1. 2. *q.* 64. *ar.* 1. *ex Arist.* 2. *Ethic.* in omni virtute morali non solùm peccatur per defectum; sed etiam per excessum. Diligentèr

20 autem fit consciētiæ discussio, & examen à pęnitente, si in memorandis peccatis per præcepta decalogi, & Ecclesiæ discurrat, si per fidei articulos, per septem peccata capitalia, per corporis sensus, per opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, per virtutes theologales, & cardinales, per loca, & personas, in quibus, & cum quibus est conuersatus, & per negotia, quæ gessit. Et deniq; super omnem aliam diligentissima erit excussio, si aliqua confessionalia pęnitens legat, & peccata, quæ memoriæ sibi occurrant, scribat: sed hanc diligentiam non tenetur adhibere, vt aliàs diximus.

21 Debet præterea Confessarius antequam pęnitentis confessionem audiat, illum interrogare, si satisfactionem iniunctam sibi in pręcedenti confessione adimpleuerit; non solùm quoad illam, quæ Deo debetur, cui per culpam iniuria irrogatur; verùm etiam quoad illam, quæ debetur proximo, quæ restitutio propriè nominatur: & ei competit propter iniuriam, seu damnū illatum eiusdem personæ, animæ, famæ, aut bonis. Etenim si satisfactiones plurium confessionum Deo debitas pęnitens non adimpleuerit: & in futurum satisfactiones ipsas, & fortè iniungendas probabilitèr existimetur se non impleturum, tunc Confessarius debet pęnitentem ipsum dulcitèr monere, vt satisfactiones præmittat, si infra breue aliquot tempus possit, & deindè ad confessionem redeat: siquidem, vt ostendimus sup. *tom.* 1. §. 1. *disp.* 9. *sec.* 5. Confessarius potest pęnitentem compellere ad acceptandam condignam satisfactionem, & ipse pęnitens tenetur infra tempus præfixum adimplere, nisi ex iusta, ac rationabili causa excusetur: & si tēpus non fuerit determinatum cum primum potuerit

22 obligatur sub culpa lethali. Et si Confessarius videat pęnitentem adeò fragilem, vt probabilitèr dubitet, satisfactiones non esse expleturum, quamuis id promittat, & animum habeat eas adimplendi, poterit pęnitentem ipsum inducere ad indulgentiam plenariam lucrandam, mediantibus granis benedictis, vel imaginibus S. Caroli, aut aliorum, quibus talis indulgentia conceditur sub aliquo onere: nam per indulgētiam non solùm tollitur pęna, à Deo iniungenda in Purgatorio; sed etiam pœnitentia, quæ iniungitur à Confessario; dummodò non sit salubris, seu medicinalis imposita ad præseruandū à peccato, vt sup. adnotauimus *to.* 1. §. 1. *disp.* 10. *sec.* 3. *concl.* 5. *de indulgentijs agentes*. Benè verum est, quòd circa rē hanc Cōfessarius discretus esse debet, & cautus, nè effectum indulgentiæ doceat pęnitentem: siquidem hoc remedio semper vti posset, & liberius fortè peccaret; sed tacito indulgentiæ effectu, imponat ei mediocrem pœnitentiam, alijs non adimpletis sibi remissis; dummodò iniunctam adimpleat, & in-

23 dulgentiam vt supra lucretur. Quòd si pęnitens satisfactiones medicinales pluries iniunctas neget impleuisse, vt si pęnitenti fuerit in pęnitentiam iniunctum, quòd cilicium deferat, ieiunet, disciplinis, ac flagellis se cedat, &c. ad refrenandos, ac mortificādos carnis stimulos, quibus vehementer agitatur: vel si per pœnitentiam prohibitum ei fuerit, ne per hunc, aut illum locum pertranseat, qui eidem sit lethalis culpæ proxima occasio: aut si inhibitus ipsi fuerit alearum vsus tanquam blasphemiæ causa, & alia eiusmodi; & nullam ex dictis satisfactionibus adimpleuerit, non obstante quòd eas per plures confessiones Confessario implere spoponderit; tunc non debet audiri, nisi per aliquod tempus experimentum faciat ipse Confessarius, quod pęnitens eiusmodi pęnitentias seruauerit: vel si audiat, & velit mitius cum eo agere, ipsum nō absoluat, nisi prius prædictis pęnitentijs adimpletis: etenim dum per plures confessiones non curauit eas seruare, clarè conuincitur, quòd propositum firmum non habuerit abstinendi à peccatis in futurum, cùm media proportionata noluerit assumere, & occasiones proximas peccandi penitus amputare: ad quod obligatur pęnitēs non solùm ratione pęnitentiæ sibi iniunctæ, sed etiam de iure naturali, cùm eo iure quis teneatur

tur non solùm peccatum non committere; verùm etiam proximæ peccandi occasioni non se exponere, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 3. n. 14. Lopez in suo instr. p. 1. c. 10. Cord. in sum. q. 4. Rodriq. p. 1. sua sum. c. 49. & aly.* Dixi, *Per plures confessiones*, quoniam si per vnam tãtùm, non ob id est ei deneganda absolutio.

24 Quo verò ad satisfactionem exhibẽdam proximo dãnificato in fama, nempè per detractionem: in honore per iniuriam, conuicium, &c. in anima, vt quia pęnitens ad peccandum illum induxit, & suis persuasionibus in peccato perseuerat, iuxtà ea, quæ habentur ex *Nauar. in sum. c. 14. n. 45.* in corpore per membrorum debilitationem, vulnerationem, occisionem, &c. in bonis tãdem per furtum, rapinam, illicitos contractus, aut per alterius rei iniustam retentionem; si pęnitens interrogatus, vel etiam vltrò respondeat proximo non satisfecisse iuxtà satisfactionem sibi iniunctam à Confessario in præcedentibus cõfessionibus cùm potuisset, & possit, tunc Confessarius debet eiusmodi pęnitentem monere, vt quamprimùm restituat, antequam audiat: Et si velit audiri promittendo statim post confessionem restituere; ipsum audiat, sed non absoluat, nisi præmissa restitutione, supposito quòd possit. Siquidem restitutio bonorum externorum, vt de ijs, primo loco verba faciamus; nam de reliquis sigillatim agemus infra statim est facienda, vt habetur ex *D. Tho. 2. 2. q. 62. ar. vlt.* eo quòd sicut rem alienam auferre est contra iustitiam; ità & detinere, cùm impediatur Dominus vti re sua: at nulli fas est, etiam per modicum temporis spatium contra iustitiam agere. Et quamuis præceptum restituendi sit affirmatiuum, habet nihilominus negatiuum sibi annexum, nempè non retinendi rem alienam, ratione cuius reducitur ad illud Decalogi præceptum negatiuum, *Non furtum facies*, quòd cùm sit negatiuum obligat semper ad semper; atq; ideò neq; momento temporis rem alienam, inuito Domino, detinere licebit, vt latè habetur ex *Syl. in sum. ver. Restitutio 5. q. 1. Soto lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 4. Lelio Zecch. tom. 2. sua sum. de restit. c. 78. in ver. Quando sit restituendum:* & alijs innumeris ferè, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10 Clau. Reg. tr. 5. c. 2.* vbi *n. 2.* ex eisdem DD. id limitat, quoad intentionem facienda sit restitutio statim methamaticè, idest quamprimùm in mentem cuiq; venerit in debito esse rei alienæ, tenetur statim animum restituendi habere, data opportunitate. Quo verò ad actum exteriorem, & executionẽ restitutionis, illud statim non est intelligendum methamaticè, quasi in instanti; sed moraliter, expectata opportunitate restituendi citra dolum, & fraudem. Etenim non tenetur quis media nocte resurgere ad restituendum debitum, quod in mẽtem sibi venerit; sed satis est opportuno tempore restituere: sicut enim exigitur commoditas ex parte facultatis, ità etiam requiritur opportunitas ex parte temporis, loci, & personæ. Qui autẽ statim restituere potest, data commoditate, & nõ restituit, tunc dicitur in mora esse restituẽdi.

25 Vndè si pęnitens, de quo agitur promiserit eidem Confessario, vel alijs restituere, & non restituerit, meritò si restituere adhuc potest, non est absoluendus antequam restituat: vel saltem cautionem fideiussoriam, aut pignoratitiam de restituendo præstet; citrà tamen peccati propalationem, infra certum tempus sibi præfigendũ, iuxtà ea, quæ habentur ex *Antonuc. in Cathec. Neap. c. 25. sub tit. Notanda Confessoribus*: & ante ipsum *Syl. in sum. ver. Restitutio, 5. §. 5.* cuius sententiam licèt *Sot lib. 4. de Iust. & iure, q. 7. ar. 4.* approbet quoad forũ exterius; quoad forum verò interius omninò reijcit: Et id etiam si semel tantùm fuerit confessus, & absolutus cũ proposito restituendi, vt per *Caiet. in sum. ver. Restitutio, c. 6. & Cosm. Philiar. to. 2. lib. 6. c. 26.* Siquidem Confessarius licèt credere teneatur pęnitenti tam pro se, quàm contra se; nihilominus cauere debet peccati periculum in pęnitẽte, ne scilicet mora sit peccati causa, sicut prior. Sed re vera supradictorum sententia nimis rigorosa videtur *Mart. Ledes. 2. 4. q. 18. ar. 8 fol. 273. Nauar. in Man. c. 17. n. 59. vers. Quartò infertur, Barth. Med. lib. 2. Instr. confes. c. 11. regula 1. Salon. in D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 8 contr. 1. in fin. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. c. 4. dub. 13. n. 77.* Et propterea docent, vt etiam semel confessus, & absolutus cum proposito restituendi, si non restituar, possit secundò absolui, non præmissa restitutione. Non enim ob vnam, aut alteram negligentiam in restituendo, quam de facili incurrere solent homines, neganda est pœnitenti absolutio: nam idem dicendum esset de proponẽte amplius non peccaturum, & de alijs occasionibus peccãdi; & tamen non ob id, quòd semel quis fuit iussus occasionem vitare, aut cõcubinam dimittere, & non vitauit, nec dimisit; statim est absolutionis beneficio priuandus; sed patienter expectari oportet, aut iterum, & deindè iudicandum de propositi veritate, vt inferius latiùs dicemus.

26 Est tamen verum, quòd *Caiet.* sententia vera est secũdùm *Petr. Nauar. loc. cit. n. 78.* vbi quis in articulo mortis constitutus potens restituere non restituit: quoniam in tali articulo, qui potest restituere, aut aliam occasionem vitare, & non facit, non præsumitur habere verum propositum restituendi, & occasionem vitandi; atq; ideò talis non est absoluendus, nisi per se restituat, cùm possit; etiam si disponat in testamẽto, vt hæres restituat, nisi graue scandalum, aut infamia ex tali restitutione sibi oriretur, vt habetur ex *D. Anton. p. 2. tit. 2. c. 1. §. vlt. Syl. ver. restitutio, 5. q. 7. Nauar. in Man. c. 17. n. 67. Sot. lib. 4. de Iust. & iure, q. 7. ar. 4.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. c. 2. dub. 10. n. 31. & Zecch. p. 2. de restit. c. 7. ver. Quando.* Item ex *eod. Petro Nauar. loc. cit. n. 82.* vera est *Caiet.* opinio quoad restitutionẽ faciendam per manifestos vsurarios: quoniam hi priuantur Sacramentis pœnitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ, ac oblatione ad altare, donec vsuras extortas restituant, aut idoneam cautionem præstent de illis restituendis, vt in *c. quia in omnibus, de vsur.* Et idem dicendum esse de raptoribus colligit præfatus Doctor post *Palud.* per *tex. in c. 2. de raptor.* Imò ex *Mercato* idem dicendum putat de quolibet publico peccatore, qui ob æs alienum restituere tenetur: nam citra scandalum absolui non posset, non præmissa restitutione. Cæterum pęnitenti, de quo agitur non est regulariter deneganda absolutio

27

28

nò imponẽdam antequam pęnitens absoluatur, quam sententiam nos reiecimus sup. *tom. 1. §. 1. disp. 11. sec. 4. de forma Sacramenti pœnitentiæ agentes*, vbi ostendimus, satisfactionem tam ante, quàm post absolutionem iniungi posse. Nec obstat si dicatur, quòd ex *Conc. Trid. sup. relato, sess. 14. de confess. c. 5.* præcipitur, discussionem conscientiæ esse faciendam ante confessionem, quoniam in casu, de quo agitur verè discutitur conscientia ante confessionem: nam pęnitens id agit primò à semetipso reducendo in memoriam peccata priusquam ea in confessione aperiat, conscientiæ suæ latebras, & sinus discutiendo: Secundò hoc ipsum agit industria Confessarij: & deniq; diligentiùs in eiusdem absentiam; atq; ideò dici potest præmissa talis discussio ante confessionem, cùm ante illã expletam fuerit adhibita. Et quamuis aliqua mo-

19 dica negligentia vsus fuerit in examinanda cõscientia; non tamen ob id cõfessio redditur nulla: quia quando negligentia in memorandis est modica, ità vt ad summum ascendat ad venialẽ culpam, satis non est ad inualidandam confessionem, vt sup. probauimus *d. concl. 5. limit. 2.* Imò dato, quòd pęnitens debitam diligentiam non adhibuerit in examinanda ipsius conscientia, & memorandis culpis, si defectus huius diligentiæ fuit inculpabilis, vt quia pęnitens ex probabili ignorantia existimabat, se debitam diligentiam adhibuisse, quam tamen non adhibuit, tunc excusatur etiam à materiali integritate confessionis; quoniam omissio dictæ diligentiæ eo casu non est voluntaria, nec directè, neq; indirectè: aliàs nunquam pęnitens esset securus de sufficienti diligentia adhibita, & sẽper posset dubitare de inualiditate confessionis ex defectu talis diligẽtiæ. Vndè meritò *Nauar. in c. fratres, de pęnit. d. 5. n. 66. cum seq. & n. 75.* licèt concludat in hac re tantam diligentiam esse necessariam, quanta viro prudenti humano more, pensatis circumstantijs, sufficiens videbitur ad peccata memoranda; nihilominus minorem etiam satis esse in quibusdam hominibus rudibus si bonam fidem habeant, & credant debitam diligẽtiam adhibuisse: siquidem ipsemet *Nauar. in d. c. fratres. n. 72.* inquit, quòd quis posset peccare propter nimiam diligentiam in excutienda conscĩetia ante confessionem: nam, vt ait *D. Th. 1. 2. q. 64. ar. 1. ex Arist. 2. Ethic.* in omni virtute morali non solùm peccatur per defectum; sed etiam per excessum. Diligentèr

20 autem fit conscĩetiæ discussio, & examen à pęnitente, si in memorandis peccatis per præcepta decalogi, & Ecclesiæ discurrat, si per fidei articulos, per septem peccata capitalia, per corporis sensus, per opera misericordiæ corporalia, & spiritualia, per virtutes theologales, & cardinales, per loca, & personas, in quibus, & cum quibus est conuersatus, & per negotia, quæ gessit. Et deniq; super omnem aliam diligentissima erit excussio, si aliqua confessionalia pęnitens legat, & peccata, quæ memoriæ sibi occurrant, scribat: sed hanc diligentiam non tenetur adhibere, vt aliàs diximus.

21 Debet præterea Confessarius antequam pęnitentis confessionem audiat, illum interrogare, si satisfactionem iniunctam sibi in pręcedenti confessione adimpleuerit; non solùm quoad illam, quæ Deo debetur, cui per culpam iniuria irrogatur; verùm etiam quoad illam, quæ debetur proximo, quæ restitutio propriè nominatur: & ei competit propter iniuriam, seu damnũ illatum eiusdem personæ, animæ, famæ, aut bonis. Etenim si satisfactiones plurium confessionum Deo debitas pęnitens non adimpleuerit: & in futurum satisfactiones ipsas, & fortè iniungendas probabilitèr existimetur se non impleturum, tunc Confessarius debet pęnitentem ipsum dulcitèr monere, vt satisfactiones præmittat, si infra breue aliquot tempus possit, & deindè ad confessionem redeat: siquidem, vt ostendimus sup. *tom. 1. §. 1. disp. 9. sec. 5.* Confessarius potest pęnitentem compellere ad acceptandam condignam satisfactionem, & ipse pęnitens tenetur infra tempus præfixum adimplere, nisi ex iusta, ac rationabili causa excusetur: & si tẽpus non fuerit determinatum cum primum potuerit

22 obligatur sub culpa lethali. Et si Confessarius videat pęnitentem adeò fragilem, vt probabilitèr dubitet, satisfactiones non esse expleturum, quamuis id promittat, & animum habeat eas adimplendi, poterit pęnitentem ipsum inducere ad indulgentiam plenariam lucrandam, mediantibus granis benedictis, vel imaginibus S. Caroli, aut aliorum, quibus talis indulgentia conceditur sub aliquo onere: nam per indulgẽtiam non solùm tollitur pęna, à Deo iniungenda in Purgatorio; sed etiam pœnitentia, quæ iniungitur à Confessario; dummodò non sit salubris, seu medicinalis imposita ad præseruandũ à peccato, vt sup. adnotauimus *to. 1. §. 1. disp. 10. sec. 3. concl. 5. de indulgentijs agentes.* Bene verum est, quòd circa rẽ hanc Cõfessarius discretus esse debet, & cautus, nè effectum indulgentiæ doceat pęnitentem: siquidem hoc remedio semper vti posset, & liberius fortè peccaret; sed tacito indulgentiæ effectu, imponat ei mediocrem pœnitentiam, alijs non adimpletis sibi remissis; dummodò iniunctam adimpleat, & in-

23 dulgentiam vt supra lucretur. Quòd si pęnitens satisfactiones medicinales plures iniunctas neget impleuisse, vt si pęnitenti fuerit in pęnitentiam iniunctum, quòd cilicium deferat, ieiunet, disciplinis, ac flagellis se cedat, &c. ad refrenandos, ac mortificãdos carnis stimulos, quibus vehementer agitatur: vel si per pœnitentiam prohibitum ei fuerit, ne per hunc, aut illum locum pertranseat, qui eidem sit lethalis culpæ proxima occasio: aut si inhibitus ipsi fuerit alearum vsus tanquam blasphemiæ causa, & alia eiusmodi; & nullam ex dictis satisfactionibus adimpleuerit, non obstante quòd eas per plures confessiones Confessario implere spoponderit; tunc non debet audiri, nisi per aliquod tempus experimentum faciat ipse Confessarius, quod pęnitens eiusmodi pęnitentias seruauerit: vel si audiat, & velit mitius cum eo agere, ipsum nõ absoluat, nisi prius prædictis pęnitentijs adimpletis: etenim dum per plures confessiones non curauit eas seruare, clarè conuincitur, quòd propositum firmum non habuerit abstinendi à peccatis in futurum, cùm media proportionata noluerit assumere, & occasiones proximas peccandi penitus amputare: ad quod obligatur pęnitẽs non solùm ratione pęnitentiæ sibi iniunctæ, sed etiam de iure naturali, cùm eo iure quis tenea-

tur

tur non solùm peccatum non committere; verùm etiam proximæ peccandi occasioni non se exponere, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 3. n. 14. Lopez in suo instr. p. 1. c. 10. Cord. in sum. q. 4. Rodriq. p. 1. sua sum. c. 49. & alij.* Dixi, *Per plures confessiones*, quoniam si per vnam tãtùm, non ob id est ei deneganda absolutio.

24 Quo verò ad satisfactionem exhibẽdam proximo dãnificato in fama, nempè per detractionem: in honore per iniuriam, conuicium, &c. in anima, vt quia pœnitens ad peccandum illum induxit, & suis persuasionibus in peccato perseuerat, iuxtà ea, quæ habentur ex *Nauar. in sum. c. 14. n. 45.* in corpore per membrorum debilitationem, vulnerationem, occisionem, &c. in bonis tãdem per furtum, rapinam, illicitos contractus, aut per alterius rei iniustam retentionem; si pœnitens interrogatus, vel etiam vltrò respondeat proximo non satisfecisse iuxtà satisfactionem sibi iniunctam à Confessario in præcedentibus cõfessionibus cùm potuisset, & possit, tunc Confessarius debet eiusmodi pœnitentem monere, vt quamprimùm restituat, antequam audiat: Et si velit audiri promittendo statim post confessionem restituere; ipsum audiat, sed non absoluat, nisi præmissa restitutione, supposito quòd possit. Siquidem restitutio bonorum externorum, vt de ijs, primo loco verba faciamus; nam de reliquis sigillatim agemus infra statim est facienda, vt habetur ex *D. Tho. 2. 2. q. 62. ar. vlt.* eo quòd sicut rem alienam auferre est contra iustitiam; ità & detinere, cùm impediatur Dominus vti re sua: at nulli fas est, etiam per modicum temporis spatium contra iustitiam agere. Et quamuis præceptum restituendi sit affirmatiuum, habet nihilominus negatiuum sibi annexum, nempè non retinendi rem alienam, ratione cuius reducitur ad illud Decalogi præceptum negatiuum, *Non furtum facies*, quòd cùm sit negatiuum obligat semper ad semper; atq; ideò neq; momento temporis rem alienam, inuito Domino, detinere licebit, vt latè habetur ex *Syl. in sum. ver. Restitutio 5. q. 1. Soto lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 4. Lelio Zecch. tom. 2. sua sum. de restit. c. 78. in ver. Quando sit restituendum:* & alijs innumeris ferè, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10 Clau. Reg. tr. 5. c. 2.* vbi *n. 2.* ex eisdem DD. id limitat, quoad intentionem facienda sit restitutio statim methamaticè, idest quamprimùm in mentem cuiq; venerit in debito esse rei alienæ, tenetur statim animum restituendi habere, data opportunitate. Quo verò ad actum exteriorem, & executionẽ restitutionis, illud statim non est intelligendum methamaticè, quasi in instanti; sed moraliter, expectata opportunitate restituendi citra dolum, & fraudem. Etenim non tenetur quis media nocte resurgere ad restituendum debitum, quod in mẽtem sibi venerit; sed satis est opportuno tempore restituere: sicut enim exigitur commoditas ex parte facultatis, ità etiam requiritur opportunitas ex parte temporis, loci, & personæ. Qui autẽ statim restituere potest, data commoditate, & nõ restituit, tunc dicitur in mora esse restituẽdi.

25 Vndè si pœnitens, de quo agitur promiserit eidem Confessario, vel alijs restituere, & non restituerit, meritò si restituere adhuc potest, non est absoluendus antequam restituat: vel saltem cautionem fideiussoriam, aut pignoratitiam de restituendo præstet; citrà tamen peccati propalationem, infra certum tempus sibi præfigendũ, iuxtà ea, quæ habentur ex *Antonuc. in Cathec. Neap. c. 25. sub tit. Notanda Confessoribus:* & ante ipsum *Syl. in sum. ver. Restitutio, 5. §. 5.* cuius sententiam licèt *Sot lib. 4. de Iust. & iure, q. 7. ar. 4.* approbet quoad forũ exterius; quoad forum verò interius omninò reijcit: Et id etiam si semel tantùm fuerit confessus, & absolutus cũ proposito restituendi, vt per *Caiet. in sum. ver. Restitutio, c. 6. & Cosm. Philiar. to. 2. lib. 6. c. 26.* Siquidem Confessarius licèt credere teneatur pœnitenti tam pro se, quàm contra se; nihilominus cauere debet peccati periculum in pœnitẽte, ne scilicet mora sit peccati causa, sicut prior. Sed re vera supradictorum sententia nimis rigorosa videtur *Mart. Ledes. 2. 4. q. 18. ar. 8 fol. 273. Nauar. in Man. c. 17. n. 59. vers. Quartò infertur, Barth. Med. lib. 2. Instr. confes. c. 11. regula 1. Salon. in D. Th. 2 2. q. 62. ar. 8 contr. 1. in fin. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. c. 4. dub. 13. n. 77.* Et proptereà docent, vt etiam semel confessus, & absolutus cum proposito restituendi, si non restituat, possit secundò absolui, non præmissa restitutione. Non enim ob vnam, aut alteram negligentiam in restituendo, quam de facili incurrere solent homines, neganda est pœnitenti absolutio: nam idem dicendum esset de proponẽte amplius non peccaturum, & de alijs occasionibus peccãdi; & tamen non ob id, quòd semel quis fuit iussus occasionem vitare, aut cõcubinam dimittere, & non vitauit, nec dimisit; statim est absolutionis beneficio priuandus; sed patienter expectari oportet, aut iterum, & deindè iudicandum de propositi veritate, vt inferius latiùs dicemus.

26 Est tamen verum, quòd *Caiet.* sententia vera est secũdùm *Petr. Nauar. loc. cit. n. 78.* vbi quis in articulo mortis constitutus potens restituere non restituit: quoniam in tali articulo, qui potest restituere, aut aliam occasionem vitare, & non facit, non præsumitur habere verum propositum restituendi, & occasionem vitandi; atq; ideò talis non est absoluendus, nisi per se restituat, cùm possit; etiam si disponat in testamẽto, vt hæres restituat, nisi graue scandalum, aut infamia ex tali restitutione sibi oriretur, vt habetur ex *D. Anton p. 2. tit. 2. c. 1. §. vlt. Syl. ver. restitutio, 5. q. 7. Nauar. in Man. c. 17. n. 67. Sot. lib. 4. de Iust. & iure, q. 7. ar. 4.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. c. 2. dub. 10. n. 31. & Zecch. p. 2. de restit. c. 7. ver. Quando.* Item ex *eod. Petro Nauar. loc. cit. n. 82.* vera est *Caiet.* opinio quoad restitutionẽ faciendam per manifestos vsurarios: quoniam hi priuantur Sacramentis pœnitentiæ, & Sanctissimæ Eucharistiæ, ac oblatione ad altare, donec vsuras extortas restituant, aut idoneam cautionem præstent de illis restituendis, vt in *c. quia in omnibus, de vsur.* Et idem dicendum esse de raptoribus colligit præfatus Doctor post *Palud.* per *tex. in c. 2. de raptor.* Imò ex *Mercato* idem dicendum putat de quolibet publico peccatore, qui ob æs alienum restituere tenetur: nam citra scandalum absolui non posset, non præmissa restitutione. Cæterum pœnitenti, de quo agitur non est regulariter deneganda absolutio

27

28

lutio ex eo, quòd semel tantùm confessus fuit, & absolutus cum proposito restituendi, & non restituit; sed cùm sæpius; nempe cùm ter, aut quater confessus, & absolutus cum tali proposito nõ curauit restituere: tunc enim non est absoluendus denuò, nisi præmissa restitutione si potest restituere: siquidem, qui ità promisit, & non restituit, probabiliter credi potest, quod nec modo restituet; atq; ideò exponitur proximo periculo non restituendi, ac denuò peccandi, vt rectè docent DD. supracitati, *Bann. Salon* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. c. 2. n. 27.* vbi addit etiam, quòd eiusmodi pœnitenti petêti absolutionem hoc casu, & promittenti, se hac vice infallibiliter restituturum, est respondendum à Confessario id, quod docet *Caiet. loc. cit.* nempè, credo tibi, & propterea modo cum illa bona dispositione vade ad restituendum, & deindè absolueris. Imò ait *Med. lib. 1. Instr. confes. c. 14. ver. Sextum caput,* relatus à *Sayro* ibi, quòd nisi Confessarius ità se gerat, ipse tenebitur ad restitutionem eius, quod pœnitens sua culpa non restituit. Idem dicendũ est vbi pęnitens valens restituere totum, se offert restituere partem debiti ante absolutionem, & aliam partem promittat restituere post absolutionem: quia quando quis potest totum commodè restituere statim, non liberatur restituendo partem, cum aliam partem cum peccato, ac iniustè detineat, vt post innumeros ferè DD. probat *Sayr. loc. cit. q. 5. 6. & 7 n. 21. cum plurib. seq.*

29 Fatemur tamen, quòd quamuis id quod diximus verum sit regulariter; nihilominus in multis casibus absolui potest pęnitens, etiam si ter, & quater, & pluries fuerit confessus, & absolutus cum proposito restituendi, & tamen non restituit. Horum primus casus est, vbi concurrũt hic, & nunc tales circumstantiæ loci, temporis, & personæ, vt prudentèr iudicari possit, quòd post absolutionem impensam, statim restituet: & ex tam parua mora non sit rei Domino damnum aliquod prouenturum: Siquidem in rigore ad absoluendum aliquem requiritur, vt contritus sit, vel saltem attritus, proponat cauere in futurum, & implere, quæ tenetur; quæ omnia hoc casu concurrunt. Ità *Ledes c. 4. q. 18. ar. 8. fol. 171. Nauar. in Man c 17. n 59. Salon. 22. q. 62. ar. 8. contr. 1 Gregor. de Valen. to. 3. disp. 5. q. 6. pun. 7.* & *Sayr. loc. cit. sub n. 28.* Secundus casus est, quando eiusmodi pęnitens licèt antea potuerit restituere, ad presẽs verò factus est impotẽs ad soluẽdũ, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 8. ad 2* & in eũ *Caiet. & in sum. ver. Restitutio, c. 6. Sot. lib. 4. de Iust. & iure, q. 7. ar. 4. ad 2. Valent. loc. cit. Couarr. in regula peccatum, p. 1. n. 2. de regul. iur. in 6. Sayr. vbi sup. c. 3. n. 4.* & *Nauar d. c 17. n. 56.* vbi etiã *n. 59.* infert, quòd licèt *Conc. Trid. sess. 25. de reform. c. 12.* statuat, quòd non soluentes decimas, aut impedientes, vt non soluantur, absolui non possint, nisi præmissa restitutione; nihilominus si ad restituendum sint impotentes, absolui possunt, etiam restitutione non præmissa: quoniam retentio illa est omninò inuoluntaria, & ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium, ff de regul. iur.* & absolutio nõ est deneganda contrito, nec habẽti propositum non peccandi de cætero, & satisfa-

30 ciendi cùm possit. Tertius casus est, quando quis restituendo in extrema necessitate constitueretur: nam in extrema necessitate, omnia sũt communia, vt in *c. discipulos, de pœnit. d. 5.* atq; ideò, si licitum est eo casu bona auferre citra crimen furti, vt latè habetur per DD. *in c. si quis propter necessitatem famis, de furt.* multò magis licitum est bona ipsa retinere. Quod quidem verum esse dicimus, etiam si debitor in eadem necessitate reperiatur cõstitutus, vt contra *Scot. in 4 d. 15. q. 2. §. Ad argumenta, vers. Ad aliud autem,* & alios docet *Caiet in D Th 2. 2. q. 62. ar. 5. Salon. in eum ibidem contr. 8 & ar 8 contr. 3. Petr de Arag in eundem, ar. 8. D. Thomæ, Ledes. 2. 4. q 18. ar. 5 fol. 266 col. 4 Bann. 22. q. 31. ar. 3. Sot. lib. 5. de iust. & iure, q. 7. ar. 1. ad 4. & ar. 4. propè fin Gregor. de Valent. to 3. disp. 5. q. 6. pun. 7. causa 4. Tab. in sum ver. Restitutio, q. 4. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. c 4 dub. 5. n. 28. Nauar. d. c. 17. n. 60 vers. Quintò infertur, Ludouic. Lopez p. 1. Instr. consc. c. 114 Tol. lib. 5. sua sum. c. 24. Ludouic. Carbo de restit. q. 8. & Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. c. 3. dub. 1. sub n. 5.*

31 Etenim in pari necessitate melior est conditio possidentis. Imò *D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 5.* inquit, quòd in casu extremæ necessitatis, debitor potiùs deberet subuenire patri extremè indigenti, quàm creditori. Nec in casu extremæ necessitatis distinguendum est, an bona restitutioni obnoxia sint iustè acquisita, vel iniustè, nempè per furtum, rapinam, &c. quoniam creditor eo casu tenetur debitori nomine eleemosynæ elargiri ea, quibus pro conseruatione proprij indiuidui, & suæ familiæ indigeret, vt habetur ex *Adr. in 4 q. 2. de restit. dub. 6. Med c. de restit. q. 6. dub. 1. & 2.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. loc. cit. sub n 10. & 20.* Idem dicendum est si debitor iurasset restituere creditori rem tali die, & eo die esset in extrema necessitate constitutus; quoniam licèt iure ligatur tacitè facta exceptio extremæ necessitatis, vt habetur ex *Sot. lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 1. ad 4 Ledes 2. 4 q. 18 ar. 5. fol. 267. col. 1.* & *Sayr. loc. cit. n. 8.*

32 Id tamen verum est, nisi creditor esset persona publica valdè vtilis, & necessaria Reip. quoniam eo casu si reperiretur in pari extrema necessitate cum debitore, tunc debitor non ex debito iustitiæ; sed ex debito charitatis teneretur illi debitum restituere; atq; ideò non ex debito restituendi; sed ratione boni cõmunis, quod cum omni dãno proprio omni iuri priuato præferendum est, vt docet *Caiet. in D Th 2 2. q. 31. ar. 3. Bann. 22. q 62. ar. 5 in fine, Salon. ibidem, contr. 8. Tol. in sua sum. c. 24. & Sayr. d. c. 3. sub n. 7. & 9.* vbi quoad consanguineos debitoris, & creditorem constitutos ęqualiter in extrema necessitate, inquit etiam non posse dari certam regulam: & in omnem euentum si debitor peruenerit ad meliorem fortunam, obligatur debitum restituere, quando res, quę in extrema necessitate retinetur, non esset maximè vsu consumptibilis, & parui momenti, vt per eundem *Sayr.* ibi post alios, sub *n. 12. cum plurib. seq.* Quartus

33 casus est, quando debitor non potest restituere, nisi cum detrimẽto, ac iactura proprij status, & bonorum: tũc enim potest restitutionem differre quousque possit citrà eiusmodi iacturam, ac detrimentum restituere: siquidem non posse intel-

tel-

telligitur non solùm, qui simplicitèr non potest; sed etiam, qui commodè non potest, vt in *l. nepos Proculo. ff. de verb. signif. c. faciat, 22. q. 2.* Ille autem verè commodè dicitur non posse restituere, qui non potest citrà damnum suorum bonorum altioris ordinis, qualia sunt vitæ, salutis, famæ, &c. vel non sine magno detrimento eorum, quæ sunt eiusdem ordinis, vt vendere domum, aut possessiones, aut aliquid aliud notabiliter minus iusto pretio, vt restituat, iuxta ea, quæ habentur ex *Cord.* & alijs relatis à *Sayro lib. 10. Clauis Reg. c. 3. n. 32.* & benè declarat *Nauar.* post alios in *Man. c. 17. sub n. 56. & 57.* vbi id ampliat verum esse non solùm in debito, quod ex contractu, aut vltima voluntate; sed etiã in eo, quod ex furto, aut alio delicto nascitur: quoniam licèr hæc duo debita quoad originem differant, cùm in vnius origine peccatum sit, & non in alterius; nihilominus quoad hunc effectum saltem in foro conscientiæ similia sunt, & in vtroq; militat eadem ratio; nam vtrumq; restituere obligatur, & in vtroq; to alis impotentia omninò excusat: ergò in vtroq; etiam mediocris impotentia mediocritèr excusationem præbet, argum. *tex. in l. quæ de toto. ff. de reiuēd. c. Pastoralis, §. item si totum, ff. de offic. deleg.* Hanc eandem sententiam tenet *Gabr. in 4. d. 15. q. 2. ar. 2. concl. 2. litt. L. Tolet. lib. 5. suæ sum. c. 24. Cosm. Philiar. to. 2. de offic. Sacerd. lib. 6. c. 28. concl. 3. Zecc. p. 2. suæ sum. c. 78. de restit. in ver. Quando sit restituendum, n. 38. concl. 3.*

34 Hæc tamen *Nauar.* sententia, & aliorum, quos sup. retulimus, multiplicitèr limitatur: Et primò, vt locum sibi vendicet, quando quis statum iustè anteà acquisierat, ante furta, rapinas, & extorsiones postea factas: tunc enim siue debitum pendeat ex contractu, aut vltima voluntate, siue ex delicto, non tenetur illud restituere statim cum iactura status anteà iustè acquisiti, vt ex eodem *Nauar.* colligitur *loc. cit. in vers. Nec obstat, & vers. Cui respondeo:* cui adhæret etiam *Sayr. d. c. 3. n. 21 & 41.* Secus autem vbi quis statum iniustè acquisiuit; vt cùm nihil anteà habens, per fraudem, vsuras, rapinas, aut per alias iniustitias statum illum fuit adeptus; quoniam teneretur statim restituere, etiam cum iactura talis status; quamuis creditor similem necessitatem non patiatur. Vndè retentis ijs sibi, & suis, quę simplicitèr sunt necessaria, vt parcè viuat secundùm illum statum pristinum, quem anteà habuit, reliqua tenetur restituere: etenim sicut nemo tenetur cadere à statu iustè acquisito, vt restituat; ità etiam non tenetur, qui iniustè aliquid acquisiuit cadere à precedenti statu, quē ante iustè obtinebat; ità *Sayr. d. c. 3. n. 38.* & ante ipsum *Caiet. in sum. ver. restitutio, c. 6. Sot. lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 4. Salon. in D. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 8. contr. 3. concl. 2. Bann. ibid. dub. 2. concl. 2. & 3. Petr. de Arag. in eundem locum D. Th. concl. 4. Cord. in sum. q. 68. pun. 3. Barth. Med. lib. 1. Instr. confess. c. 14. §. 33. vers. Sextū caput, §. Tertia sententia, Petr. Nauar. de restit. lib. 4. c. 4. dub. 7. n. 4. Ludou. Lopez p. 2. Instr. consc. c. 118 concl. 1. & 3. Ioseph Angles in floribus 4. sent. q. 2. de restit. ar. 2. difficul. 9. concl. 3. Rodriq. p. 2. suæ sum. c. 45. concl. 6. & 7.* & idē *Sayr. d. c. 3. dub. 1. propos. 5. n. 36.* vbi id intelligendum esse ait de illis, qui iniustè debita contraxerunt, & nihil habent, quod non sit iniustè acquisitum: secus autem de illis, qui cum multa propria bona habeant, multa etiam debita iustè, aut inculpabiliter contraxerunt: nam ad horum restitutionem non ità rigidè cum iactura omnium bonorum obligandi sunt. Ratio autē cur priori casu restitutio statim facienda sit, etiam cum iactura status, hæc est; quoniam non est minor iniquitas, ac iniustitia statum tueri ex malè acquisitis, quàm illum comparare auferēdo res alienas: atq; ideò sicut est contra iustitiã auferre res alienas; ità quoq; ascendere ad statū altiorem, aut conseruare nouum ex solis alienis rebus iniustè acquisitis, tum quia ad statum illū nullum ius, aut iustum titulum habet, sed alienus est tanquam ex iniustitia acquisitus; & propterea restituēdo nullum damnum patitur, cùm

35 de suo nihil amittat. Secūdò limitatur, vt supradicta *Nauar.* & aliorum sententia vera sit, quādo res restitutioni obnoxia ex iniustā acceptione extaret, & debitor in extrema necessitate cōstitutus non esset; nam illam statim restituere tenetur, etiã cum iactura status, vt docet *Ioseph Angl. in florib. 4. sent. q. 2. de restit. ar. 2. difficult. 9. concl. 1.* & alij apud *Sayr. d. c. 3. n. 39.* Etenim tunc differri potest restitutio, quādo debitor detrimentum patitur in re propria; at cùm res aliena extat, si illam restituat, nullum in re propria patitur detrimentum. Et hoc est quod intendit re vera *Nauar.* vt rectè se declarat contra aliquos, qui malè suam sententiam fuerunt interpretati loc. sup. cit. & *n. 59.* Vndè meritò inquit *Sayr.* ibi, quod Nobiles, qui iniustè alterius Villas retinent, ad eorum restitutionē obligantur, etiam cum iactura status. Sic etiam vsurarij absolui non debent, nisi præmissa vsurarū extantium restitutione; etiam si aliàs negotiari non possint, cum nemo debeat cum alterius iactura locupletari: quod quidem verum est, quādo res ex iniusta acceptione sunt magni momenti: secus autem, si essent parui valoris, & creditor ex dilatione parum damni subiret; quoniam tunc debitor non tenetur restituere cum iactura totius, aut medietatis status, vt habetur ex *Lopez* post alios *p. 1. Instr. consc. c. 118. in fine, Rodriq. p. 2 suæ sum. c. 45. concl. 8.* & *Sayro d. c. 3. n. 4.* qui ait, id rationi, & æquitati naturali

36 consonum esse. Tertiò limitatur prædicta sententia, vt ità demum debitor non teneatur restituere statim cum iactura sui status, aut rerum suarum, sed potest restitutionem differre, quādo creditor similem iacturam status ex dilatione non sit passurus, siue statum iustè conseruet ex bonis proprijs; siue iniustè ex bonis alienis: & siue debitum inculpabiliter contraxerit per infortunia, siue culpabiliter sua prodigalitate: durus enim nimis, & iniquus esset creditor, qui cùm non egeat nisi leuiter; velit tamen sua sibi cum tanto sui debitoris detrimento restitui: & eò maximè; quia status iactura cadit in infamiã eius, qui talem iacturam facit; secus autem si creditor similem status iacturam esset passurus ex dilatione restituendi; quoniam tunc obligatur restituere etiam cum iactura sui status, cùm non censeatur creditor eiusmodi dilationi consentire: & rectæ rationi repugnat, vt existente æquali vtriusq; detrimento, citra extremam necessitatem, debitor conseruet statum suum cum

alie-

alienis bonis, is verò, qui verè est dominus, & cui verè debetur, cadat à statu suo: atque ideò duplex detrimentum creditor pateretur, priuationem scilicet rei suæ, & sui status iacturam. Ità *Sot. lib. 4. de Iust. & iure, q. 7. ar. 4. Nauar. in Man. c. 17. num 59. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. c. 4. dub. 9. num. 54. Gregor. de Valen. to. 3. disp. 5. q. 6. pun. 7. ca. 4. Salon. in D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 8. contr. 3. ante 3. concl.* & ibidem *Petr. de Arag concl. 5. Bann in eundem locum, dub. 2. concl. 1. Lopez p. 1. Instr. consc. c. 118.* post *concl. 3. Tol. lib. 5. sua sum. c. 24. dub. 3. circa med.* & hanc sententiam communem esse omnium Doctorum testatur *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. c. 3. sub n. 17. vers. Secundum est*, & *n. 27.* vbi plures alios DD. allegat. Quartò limitatur, vt quamuis debitor non teneatur statim restituere cum iactura sui status iustè acquisiti; nihilominus obligatur minuere statum, & creditori saltem paulatim satisfaciat: siquidè aliud est à suo statu cadere, & aliud minuere statum: nam is dicitur cadere à statu suo, qui omninò statum mutat, vt si Comes relicto Comitatu, alicui Duci inseruiat, vt seruiunt alij Nobiles inferioris ordinis: aut si quis antea non laborabat manibus ad comparanda necessaria pro victu, ac vestitu, & postea oporteat eum manibus laborare. Ille verò dicitur minuere statum, qui citrà notã paupertatis manet in priori suo statu, parcius tamen viuendo: & solum necessaria sibi, ac suis sumendo pro conseruatione decentiæ status, vt benè aduertit *Sayr. d. c. 3. n. 18.* Probatur limitatio ipsa ex eo quod debitor tenetur facere ea, per quæ commodè restituere possit; sed minuendo statum, ac reiectis superfluis, & quæ sunt ad solam pompam, & abundantiam, & retinendo sibi necessaria ad status sui decentiam commodè potest posteà restituere, cùm ad hæc facienda non sit impotens: imò id ipsum faceret, etiam si non esset debitor, & prodigalitate nollet vti: ergò multò magis ad id agendum obligatur, vt creditori satisfaciat. Vnde quamuis Comes non obligetur vendere Comitatum, vt restituat: nec Nobilis seruire, ac laborare manibus: nec artifex vendere instrumẽta artis, & supellectilem necessariam; tenentur tamen parcius viuere, necessaria tantùm sibi, suisq; ministrantes: ità vt si Comes prius sex habebat famulos, sit contentus trium: & si lautè epulabatur, viuat sobriè, vt paulatim valeat debitori satisfacere, vt habetur ex *Soto lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 4. Corduba in sum. q. 68 pun. 3. Rodriq. p. 2. sua sum. c. 45. concl. 5. Lopez p. 1. Instr. consc. c. 118. ante fin. & Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. c. 3. n. 28. & 29.*

37

38 Est quintus casus, vt quamuis regulariter debitor teneatur statim restituere; nihilominus vbi debitor esset bonæ fidei, cuius bona omnia sunt restitutioni obnoxia, vt si filius vsurarij esset, qui bona fide hæreditatem à patre fuerit cõsecutus: siquidem is nõ tenetur statim restituere cum iactura sui status, aut notabili iactura suorũ bonorum, si moralis spes habeatur, quòd in tẽpore cõgruo restituere poterit citra illud incommodum: tunc enim creditor irrationabiliter diceretur inuitus quoad dilationem in restituendo: secus autem si non esset spes moralis, quòd ad moderatum tempus possit restituere: aut creditor esset in simili necessitate; quoniam tunc statim facienda esset restitutio, retentis tãtùm ijs bonis, quæ necessaria essent ad eam vitę rationem conseruandam, quam suæ conditionis homines seruare solent. Ità *Sayr. loc. cit.* post alios, *n. 35.* qui *n. 32. 33. & 34.* probat etiam, quòd quando debitor bonæ fidei, & inculpabilis ex restitutione statim facienda iacturam totalem sui status pateretur, non teneretur statim restituere; etiam si creditor ex dilatione notabile damnum esset passurus; dummodò damnum illud passurus non esset de præsenti; sed satis esse si debitor paratus sit resarcire damnum illud pendẽs dum venerit. Sextus casus, quo quis excusatur à statim restituendo est voluntaria creditoris dilatio; quoniã sicut condonatio creditoris pro semper a debito excusat; ità etiam voluntaria eiusdem dilatio à statim restituẽdo, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 17. n. 55. Zecc. p. 2. sue sum. de restit. c. 78. sub n. 38.* ex alijs. Septimus casus à statim restituendo excusat, quãdo debitor non potest omnibus creditoribus satisfacere statim restituendo, & adest probabilis spes, quòd post aliquod breue temporis spatium futurus sit potens ad satisfaciendum omnibus: nam vt ait *tex. in l. fin. C. qui bon. ced. poss.* cogũtur creditores expectare solutionem, si maior illorum pars velit, etiam si alij reluctent. ergò naturalis æquitas postulat, quòd non teneatur restituere vni, vbi debitor impotens redditur ad restituendum omnibus. Ità *Adrian. in 4. q. 2. de restit. dub. 6. Petr de Arag. in D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 8. concl. 5. Ioa. Med. C. de restit. q. 5. dub. 2. § Dixi notanter, Cord. in sua sum. q. 68. pun. 3. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. c. 4 dub. 8. nu. 52. & Say. lib. 10. Clauis Reg. c. 3. sub n. 42.* Octauus casus, qui à statim restituendo debitorem excusat, est, vbi debitor statim restituere non potest citra propriæ famæ detrimentum; quoniam tũc potest restitutionem differre quousq; cesset periculum detrimenti propriæ famæ. Etenim irrationabiliter inuitus esset creditor, si mallet suũ debitorem infamari, quàm pati modicum incommodum in bonis suis ex dilatione restitutionis faciendæ, cùm fama ex suo genere sit bonum altioris ordinis, quàm sunt bona externa. Vndè si is, qui rẽ alterius furto subtraxit, timeat latrocinij infamiam contrahere si rem furtiuã statim restituat, potest restitutionem differre, donec cesset eiusmodi timor. Ità *Scot. in 4. d. 15. q. 2. §. Ad argumenta, ante fin. Caiet. in sum. ver. Restitutio, c. 6.* & in *D. Th. 2. 2. q 62. ar. 2. et 8.* vbi etiam *Petr. de Arag. Syl. in sum. ver. Restitutio, 5. concl. 2. vers. Secundus casus, Couarr. in reg. peccatum, p. 1. n. 6. de reg. iur. in 6. Petr. Nauar. de restit. lib. 2 c. 4. p. 3. dub. 9. n. 400. & seq. Martin. Nauar. in Man. c. 17. n. 89. Greg. de Valent. to. 3. disp. 5. q. 6. p. 7. cau. 5. Tol. lib. 5. sua sum. c. 27. Ioseph Angl. in florib. 4. sent. q. 2. de restit. art. 2. difficult. 9. concl 7. Ludou. Lopez p. 1. Instr. consc. c. 116. Say. d. c. 3. sub n. 43. Zecc. loc. sup. cit. & alij.* Quod quidem verum est, quando infamia magna esset: secus autem si res restituenda esset magna, & infamia mediocris, vel minima: siquidem licèt fama ex suo genere sit bonum altioris ordinis, quàm sint bona externa; nihilominus tanta potest esse res restituẽda, vt famam debitoris longè superet, vt rectè in-

39 40 41

inquit *Sayr. loc. sup. relato;* vbi exemplum affert mulieris, quæ partum alienum sibi supponit, aut ex adulterio filium peperit: nam si attentis circũstantijs, mulieris infamia non esset adeò magna: vt quia nõ haberetur honesta, & alioqui esset suspecta: & damnum filiorum legitimorũ esset magnum, nempè alicuius status, tunc teneretur mulier, non obstãte periculo talis infamiæ reuelare proprium crimen, vt filios legitimos seruet indemnes. Et quamuis *Caiet. in sum. loc. cit. & 2.2. q. 62. ar. 6. in resp. ad 2. & ar. 8. Mart. Nauar. & Petr. Nauar. vbi sup.* omninò negét ad id teneri eiusmodi mulierem cum detrimẽto propriæ famæ, quantumuis paruo, iuxtà illud *Prouer. c. 22. Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* Nihilominus probabiliorẽ existimat sententiam *Sot. lib. 4. de iust. & iure, q. 6. ar. 3. post med. in resp. ad 4. arg. §. Grauius autẽ dubium est, q. 7. ar. 2. ad 2. Conar. in reg. peccatum, p. 1. n. 6. §. Sed & secundo loco, de regul. iur. in 6. Maior in 4. d. 15. q. 17. Ledes. 2. 4. q. 18. ar. 2. dub. 4. concl. 4. fol. 144. col. 1. & q. 18. ar. 5. fol. 268. col. 2. Gregor. de Valen. d. cau. 5. Rodriq. p. 2. sua sum. c. 4. concl. 2.* quibus omnibus Ego etiam me subscribo; dicentium, quòd vbi talis mulier resarcire non potest damna per alia bona, quę habeat, aut procurando, quòd eius filius suppositus, vel adulterinus Religionem ingrediatur, & sperat probabiliter ex reuelatione filium suppositum, seu adulterinum fidem fore sibi adhibiturum, & hęreditatem renunciaturũ, tunc obligatur cum detrimento propriæ famæ crimen reuelare, & restitutionem procurare: etenim licèt ex natura sua maius sit bonum famæ, quam bona externa; consideratis tamen particularibus circumstantijs, præponderare potest quoad humanam æstimationem bonum aliquod externum alicui bono famæ: quemadmodum aurum quamuis natura sua pretiosius sit argento; potest tamen argentum in magna quãtitate auro exiguo esse pretiosius. Hæc *Sayr. loc. cit. n. 44.* vbi contraria soluit: & plures alios casus enumerat *c. 4. & seq.* & *Zecc. vbi sup.* excusantes à restitutione.

42 Quæ diximus circa restitutionem faciendam statim bonorum externorum, extẽdimus ad restitutionem statim faciendam proximo quoad damnificationem in corpore. In his enim omnibus regulariter statim facienda est restitutio, cũ militet eadẽ ratio, & maior, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. & in auth. multo magis, C. de sacros. Eccl.* vndè iniustè occidens hominem, aut alicuius eiusdem membrum lædens, licèt non possit restituere vitam homini mortuo, aut membrum quod læsit, aut mutilauit, vel inutile reddidit ad suas operationes; tenetur tamen ad omnes expensas, damna, & interesse, quæ occasione huiusmodi criminis proximo obuenerũt: siquidem bonum illud corporale secũdùm humanam æstimationem factum est pretio æstimabile, atq; ideò fieri potest recompensatio, si non ad ęqualitatem simpliciter, saltem ad ęqualitatem aliquo modo quoad fieri potest, & in alio genere rerũ, nempè in pecunia, aut in alijs bonis externis, aut spiritualibus, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primum,* & in eum *Salon. ibi. contr. 4. & Petr. de Arag. Gabr. in 4. d. 15. q. 15. ar. 1. not. 2. Sylu. ver. restitutio, 3. q. 2. §. primum. Sot. lib. 4. de Iust. & iure, q. 6. ar. 3. in resp. ad 3. Gregor. de Valen. to. 3. disp. 5. q. 6. pun. 5. §. 1. Nauar. in Man. c. 15. n. 26. Conar. lib. 2. var. resol. c. 10. n. 7. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. c. 4. dub. 10. n. 64. & 65.* Etenim iure naturali debetur restitutio damnorum temporalium iniustè illatorũ, vt in *c. si rixati, & c. si culpa tua, de iniur. & damno dato* Imò secundùm sentẽtiam magis receptam in supradictis casibus restitutio locum sibi vendicat, non solùm quando ex nocumento corporali sequitur nocumentum in bonis fortunæ; verùm etiam quando nullum aliud damnum sequitur in tẽporalibus, vt quia

43 occisus, aut debilitatus in membro erat omninò inutilis domui suæ, sibi, aut Domino, vt cõtra *Sot. lib. 4. de Iust. & iure, & Nauar. in Man. c. 15. n. 22.* tenet *Scot. in 4. d. 15. q. 3. §. De secũdo: Gabr. ibidem, q. 15. ar. 2. Syl. ver. Restitutio, 3. q. 2. §. primum: Caiet. in sum. eod. ver. c. 2. D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primum,* & in eum *Petr. de Arag.* & ibidem *Salon. contr. 4. conc. 3. Gregor. de Valen. to. 3. disp. 5. q. 6. pun. 5. §. 1.* & alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 11. Clauis Reg. c. 2. sub n. 10.* vbi soluit contraria, & sententiam hanc dicit esse communem: siquidem homicida licet non possit reddere occiso vitam, aut membrum mutilatum, debilitatum, aut occecatum oculum; potest tamen reddere æquiualens in pecunia, in alijs bonis externis, in honore, & in beneficijs spiritualibus, vt sup. ostendimus: ergò sicut suprà diximus de restitutione statim faciẽda bonorum externorum cum suis limitationibus; ità proportionalitèr dicendum est de restitutione quoad damnificationem illatam proximo in corpore.

44 Quo verò ad restitutionem faciendam ob dãnum illatum in bonis spiritualibus, regulariter statim quoq; fieri debet: nam si rerum externarum, & corporalium restitutio est mox faciẽda cum limitationibus suprà relatis, multò magis facienda est rerum spiritualium, quæ ad animã pertinẽt, cùm hæc bona sint illis nobiliora, *c. deteriores, 6. q. 1.* Vndè si Pater, aut Dominus inducerent filium, aut seruum ad contrahendum cum aliquo inimicitias, vel ad eum occidendũ: aut si hæreticus suaserit catholico hæresim, eo modo quo nocuerunt ad restitutionem tenẽtur statim faciendã inducendo eos, quos induxerũt ad peccandum, ad pœnitentiam, & opera meritoria consulendo, & exhortando. Et si peccata, quæ committere suaserint, nondùm fuerint patrata, debent omni studio non solùm cum iactura status; verùm etiam cum vitæ discrimine eos dissuadere, & impedire, ne committantur: siquidem bona animæ sunt altioris ordinis, quam bona corporis, & externa. Confirmatur, quoniã fama etiam cum periculo vitæ aliquando est restituenda, vt infrà dicemus; ergò idem dicendũ est circa restaurationem damni in bonis spiritualibus, & multò magis, cùm longè grauius sit nocere proximo in spiritualibus, quàm in corporalibus, vt in *d. cap. deteriores.*

45 Quæ quidem intelligenda sunt primò de eo, qui dolo, aut fraude alium ad peccandum induxit, vt cùm Pater, aut Dominus mandat filio, vel seruo, vt talem hominem interficiat, aut priuabit eum vita, hæreditate, &c. vel si quis suaderet, hunc, vel illum contractum non esse vsura-

rium, cùm talis sit, ut inimicitias capitales disseminauit inter duos amicos, falsa renunciãdo; non autem de eo, qui ad peccandum impulit aliũ, qui scit, illud esse peccatum, & liberè posset citrà illam formidinem, aut erubescentiam ab illo peccato se abstinere: quoniam hoc casu sicut ad nullam tenetur restitutionem de rigore iustitiæ, cùm non commiserit contrà iustitiam: sed tantùm ex charitate, vt post *Sot. lib. 4. de iustit. & iure, q. 4. ar. 3.* docet *Nauar. in Man. c. 14. sub n. 45. & Sayr. lib. 10. Clauis Reg. c. 1. n. 9 cum plur. seq.* ità etiam, & multò minus obliga-46 tur ad statim restituendum. Quod verum est, nisi Prælatus subditum ad peccandum induxerit; quia tunc ageret contra iustitiam, cùm Prælati ex iustitia obligẽtur bonum spirituale suorum subditorum curare, iuxtà ea, quæ habẽtur ex eodem *Sayr. ibidem, sub n. 7. vers. Secundo hoc ipsum,* vbi allegat *tex. in c. præcipuè, 11. q. 3.* vbi *Nicol. Papa ad Lotharium Regem ex B. Gregorio,* sic ait, *Scire Prælati debent, quòd si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditiõnis exempla transmittunt: vndè necesse est, tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua, quæ faciunt, non soli moriuntur, &c.* Secundò prædicta limitantur vera esse, quando tractatur de impe-47 diendo peccatum, quod vi, aut dolo quis alteri consuluit: secùs autem si tractetur de inducẽdo ad pœnitentiam eum, quem impulit ad peccandum; quoniam tunc non tenetur cum periculo propriæ vitæ, aut magna bonorum iactura statim eiusmodi restitutionẽ facere; sed potest differre donec cesset tale periculum; nisi probabile dubium esset, eum quẽ induxit ad peccandum, interim moriendum impœnitentem; quoniam eo casu etiam cũ periculo vitę tenetur statim restituere: siquidẽ vnusquisq; tenetur vitã ponere pro salute animæ proximi, vt habetur ex *D. Th. in 3. sent. d. 29. ar. fin. quodlib. 2. in resp. ad 2.* ità se habente: *Cùm scimus fratrẽ nostrum posse liberari per mortem corporis nostri à morte animæ sine periculo animæ nostræ, tunc tradere animam, idest vitam corporalem pro fratribus, non est perfectionis, sed necessitatis.* Quòd si hoc seruandum est ab vnoquoq; regulariter; multò magis id seruari debet ab eo, qui fratrẽ ad peccandum induxit: & eò fortiùs si talis Prælatus sit, qui subditum scandalizauerit, per ea, quæ suprà diximus, & quę habentur ex *Tab. in sum.* 48 *ver. Episcopus sub n. 5.* Tertiò prædicta intelligenda sunt, quãdo is, qui alium induxit ad peccandum, probabiliter scit, suis suasionibus fore vt pœnitentiam agat, aut eum, cui consuluit, aut mandauit peccare, fore, ac esse suis persuasionibus à peccandi voluntate extollendum: secus si sciat nihil profuturum; quoniam tunc non tenetur restituere statim vt supra, maximè cum propriæ vitæ, ac bonorum iacturæ periculo. Cum prædictis igitur limitationibus sunt ea, quæ suprà diximus intelligenda: quibus sic stantibus, si pœnitens ter, aut quater ad pœnitentiam accesserit, & restituere promiserit, & nõ restituit, non est audiendus, nisi præmissa restitutione: vel saltem non est absoluendus, nisi hic, & nunc tales circumstantiæ concurrant, quibus moraliter certus reddatur Confessarius, quòd pœnitens sit statim post absolutionem restituturus, iuxtà ea, quæ sup. diximus de restitutione bonorum externorum.

49 Quoad restitutionem famæ statim faciendã, idem circa multa proportionaliter dicendum est, quod diximus de restitutione quoad damnificationem factam in bonis spiritualibus, corporalibus, & temporalibus. Dixi, *Circa multa,* quoniam in multis etiam differt à supradictis. Etenim restitutio bonorum externorum non obligat cum probabili vitæ periculo; sicut etiã restitutio damni illati in corpore, vt sup. diximus: at restitutio famę quamuis regulariter fieri non teneatur ab aliquo cum propriæ vitæ periculo, cum vita sit altioris ordinis, quàm fama; siquidẽ *Caiet. 22. q. 62. ar. 6. & opusc. to. 1. opusc. 17. q. 14. dubio 2.* vitam constituit in supremo ordine, & bona alia corporalia: in secundo ponit famam, & honorem: & in tertio ponit bona pecunię, & rei familiaris; atq; ideò pro omni restitutione res inferioris ordinis non restituẽda cum iactura rei superioris: & ità sicut pecunia non est restituenda cum detrimento famæ; ità fama non est restituenda cum detrimento vitæ, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 16. n. 44. c. 17. n. 89. & c. 18. n. 47. Cord. lib. 1. qq. q. 31. & in sum q. 102. Ioseph Angles in florib. 4 sent. q. de restit. famæ, concl. 1. & 2. Petri Nauar. lib. 1. de restit. c. 4. p. 3. dub. 9. n. 403. Gregor. de Valent. to. 3. disp. 5. q. 6. pun. 7. cau. 5. § Imò Sotus: & Sayr. lib. 11. Clauis Regia, c. 7. sub n. 1. & 2.* Nihilominus aliquando restitutio famæ facienda est etiam cum periculo vitæ: quoniam contin-50 gere potest, vt fama alicuius, aut simpliciter, aut ex circumstantia maius bonum sit, quàm vita Infamatoris, vt maior est bona fama S. Pontificis propter vniuersale bonum totius Ecclesiæ, quàm vita alicuius priuati hominis, Reipub. parum vtilis. Vndè si talis homo infamasset S. Põtificem, teneretur ei famam restituere, etiam cũ periculo vitæ. Sic etiam si quis falsò accusauerit aliquem de aliquo crimine, pro quo veniret omninò capite plectendus à Iudice, proculdubio teneretur accusans, etiam cum propriæ vitæ discrimine famam restituere, reuocando suum dictum; secus autem vbi quis crimen commisit, ob quod alter falsò, & indebitè venit condemnandus: quia tunc si delinquens non imposuit innocenti condemnato crimen, nõ tenetur seipsum prodere, vt habetur ex *Soto lib. 4. de Iust. & iure, q. 6. ar. 3. Salon. 22. q. 62. ar. 2. contr. 16. & ar. 6. contr. 8.* quos refert, & sequitur *Sayr. loc.* 51 *cit. n. 3.* Etenim tenetur damnum inferens, tantum damnum subire, quantum alteri intulit, & à quo per simile, & æquale damnum potest alterum læsum liberare: quod verum est, nisi falsò accusatus per alios testes, & probationes, non obstante accusantis exculpatione, adhuc veniret occidendus: nam tunc non teneretur famam restituere, & suum dictum reuocare, vt per eundẽ *Sayr. ibid.* vbi alios casus enumerat. Vndè in eo casu, quo quis tenetur ad famæ restitutionem, etiam cum periculo vitæ, tenetur ad statim restituendam famam, si ex dilatione periculum vitæ probabiliter non est auferendum. Est tamen verũ, quòd famæ restitutio remitti potest in mul-52 tis casibus, de quibus latè *Sayr. loc. cit. n. 12. cũ plur. seq.* & propterea in casibus prædictis, si fiat remissio, qui famam læsit, liberatur, atq; ideò li-

citè

citè auditur, ac absoluitur, non præmissa restitutione: secus autem dicendum est de casibus, qui remissionem non patiuntur; vt cùm infamatur paterfamilias, cuius fama filijs, & familiæ necessaria est: aut infamatur persona publica, cuius fama redundat in aliorum vtilitatem; qui remittere restitutionem non valent citra violationem iustitiæ, iuxtà ea, quæ habentur ex *Salon. in D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. contr. 23.* vbi etiam ait, liberari à restitutione infamantem per compensationem. Vt si quis infamauit Titium de furto: & Titius infamauit eum de adulterio, ità tamen quòd infamiæ sint æquales. Quod quidem verum est, quando compensatio fit inter personas priuatas: secus autem si fiat inter personas publicas, & inter patresfamilias, quorum bona fama est alijs necessaria: nam inter eiusmodi personas non habet locum compensatio in præiudicium aliorum, vt latè habetur ex eodem *Sayro ibidem, n. 20. cum seq.* vbi sufficienter hàc materiam pertractat.

53 Ea quæ hucusq; ostendimus de restitutione famæ proportionaliter extendimus ad restitutionem honoris. Etenim sicut fama læditur per detractionem, aut per falsi criminis impositionem, aut per iniustam veri criminis propalationem; ità honor læditur per contumeliam; quæ vt plurimum verbis iniuriosè prolatis infertur; licèt etiam inferatur & factis. Item læditur per conuicium, quod latiùs se habet, cum importet dehonorationem etiam citra culpam, vt cùm quis nominatur cæcus, aut hæretici filius; & denique honor læditur per improperium, vt cùm quis alteri iniuriosè per verba, aut signa in memoriam reuocat beneficium, aut auxilium sibi in necessitate collatum: & quemadmodum debetur statim regulariter restitutio famæ, vt sup. diximus; ità quoq; statim debetur restitutio honoris, iuxtà illud D. Augustini in sua regula, dum ait: *Quicumq; maledicto, vel conuicio aliquē læserit, meminerit satisfactione quamcitius curare, quod fecit.* & iuxtà illud Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris; quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Fit autem honoris restitutio, quando in facie fit contumelia, aut conuiciatur ex ignorantia, per confessionem propriæ ignorantiæ, & exhibendo illi honorem debitū, sicut Apostolus Paulus; qui cùm inhonorasset Ananiam Sacerdotem summum, *Act. 23.* admonitus dixit: *Ignorabam fratres, quòd Princeps Sacerdotum esset.* Quòd si ex odio, ira, & malitia sit facta alicui honoris læsio, tunc restitutio fit regulariter per veniæ petitionem, & per humiliationem inhonorato, vt habetur ex *Soto lib. 4. de Iust. & iure, q. 6. ar. 3. ad 5. Syl. in sum. ver. Contumacia, q. 4. Barth. Medina lib. 1. Instr confes. cap. 14. § 35 Petr. de Arag. in D. Th. 22. q 62. ar. 2. in resp. ad 3. & Salon. ibid. cōtr. 24. Gregor. de Valent. to. 3. disp. 5. q. 6. pun. 1. & Sayro lib. 10. Clauis Reg. c. 8. sub n. 12.*

54 Quod tamen verum est, nisi lædens sit Prælatus, aut Superior; quia quamuis non habeat vndè restituat, nisi petendo veniam; nihilominus non obligatur petere veniam à suis subditis, & inferioribus, quos inhonorauit; ne illorum officium, cuius auctoritas bono communi necessaria est, contemptui habeatur, vt ex D. Augustino habetur in regula, his verbis: *Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, non à vobis exigitur, vt à vobis subditis veniam postuletis, ne apud eos, quos oportet esse subiectos dum nimium seruatur humilitas, regēdi frāgatur auctoritas.* Idem dicendum est, vbi lædens in honore sit nobilis, & læsus ignobilis, & plebeius: siquidem non decet Nobilem à plebeo, non secus ac Dominum à seruo, Prælatum à subdito, Parentes à filijs, & Magistrum à discipulo veniam petere, genua flectendo, & alia eiusmodi humilitatis signa exhibendo; sed satis est si secundum cuiusq; statum debitus honor exhibeatur citra dedecus aliquod. Hoc idem inter Illustres seruatur: & propterea à Confessarijs cogendi non sunt veniam petere; sed satis est aliter debitam reuerētiam exhibere, vt latè docet *Sayr. loc. cit. sub nu. 11. in fine.* Quod si quis obligatur veniam petere pro restitutione honoris, & non petat, tūc *D. August. in regula*, sic ait: *Qui autem non vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in Monasterio, etiā si inde nō proijciatur.*

55 Quòd si in absentia iniuria fuerit illata coram alijs eo animo, vt in notitiam contumelia affecti veniret, tunc honorem ità lædens tenetur eos, coram quibus contumeliam intulit, adire, & rogare vt sileant, asserens illi talem reuerentiam deberi, & iniquè, ac malè proximum illum iniuria affecisse, eum honorificè in qualibet occasione tractando, & laudando. Si deniq; quis conuiciando falsum protulit, non tantùm obligatur petere veniam ab eo, cui contumeliam fecit; sed etiam, se mentitum fuisse fateri. Imò si iniuria publicè fuerit illata, publicè est facienda satisfactio: secus si priuatè; quia tunc satis est si secretè fiat restitutio, vt habetur ex *Syl. in sum. ver. Cōtumelia, q. 5. Petr. Nauar. lib. 2. de restit. c. 4. p. 1. dub. 6. n. 90.* Imò non tantùm honoris facienda est restitutio; sed eorum etiam damnorum temporalium, quæ consecuta fuere ob ignominiam

56 iniustè proximò illatam. Quæ quidem honoris restitutio, quamuis statim sit facienda; nihilominus poterit prudens Confessarius si viderit pęnitentem virum esse timoratum, & seruaturū promissa, ipsum absoluere, antequam satisfaciat, vt habetur ex *Sayro loc. cit. sub n. 12. in fine.* Quòd si bis, aut ter fuerit confessus, & promiserit Confessario restituere, & non satisfecit, cum potuerit, tunc non est audiendus, vel saltem nō absoluendus, nisi præmissa satisfactione: quod tamen verum est, nisi læsus iniuriam remiserit, iuxtà ea, quæ sup. diximus quoad restitutionem famæ, vt contra *Caiet.* probat idem *Sayr. ibid. n. 10.* vbi etiam addit *n. 14.* quòd non est idem remittere iniuriam, & familiater cum iniuriante conuersari; quoniam multi sunt, qui simul viuunt cum eo, qui iniuriam intulit, quia eo indigent, vel ad euitandum scandalum. Ità *Sayr.* contra *D. Antōn. 2. p. tit. 2. c. 2. § 1. Syl. ver. Cōtumelia, q. 41. & Cord. q. 3. concl. 11. & alios.*

Qualiter Cõfessarius discretus, & cautus esse debeat erga pœnitentes in ipso actu Sacramentalis confessionis.

D I S P. III.

S V M M A R I V M.

1 *Discretio, & cautio partes sunt prudentiæ, quæ nunquam datur sine scientia.*

TRactauimus hucusq; de bonitate Confessarij quoad se, & suam perfectionem; nec non quoad alios, nempè quoad pœnitentes, & qualiter discretus, & cautus debeat esse antequam pœnitentis confessionem audiat; modo competenti ordine videndum est, qualiter erga pœnitentes debeat esse discretus, & cautus in ipso audiendę confessionis actu. Et quoniam sup. *disp. 1. ante 1. sec.* ostendimus, discretionem, & cautionem esse partes prudentiæ, quę nunquam datur sine sciẽtia; atq; ideò, vt Confessarius discretus, & cautus dici possit, necesse est, vt non solũ bonitatem in se habeat; sed etiam scientiam, vt prudenter se habeat quoad eiusdem pœnitẽtes, sciens discernere inter lepram, & lepram; ligare, & soluere; admonere, & corrigere, vinum, & oleum infundens vulneribus sauciati, iuxtà nostri capitis documenta, idcircò antequam ad vlteriora progrediamur, videndum est in primis de ipsius Confessarij scientia, quæ necessaria sit ad audiendas confessiones.

De Confessarij scientia, quæ, & quanta esse debeat, dum actu exponitur ad audiendas fidelium confessiones.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Circa Confessarij scientiam, complures traduntur à Doctoribus distinctiones, vt quot homines sint, tot sententiæ.*
2 *Non probatur eorum sententia, qui duplicem exigunt in Confessario scientiam, nempè speculatiuam, & practicam. Et in quo differat speculatiua scientia à practica.*
3 *Superuacanea videtur distinctio tradita inter Confessarium, confessiones audientem ex obedientia, ac inter eum, qui se spontè ingerit.*
4 *Depositarius, qui se spontè obtulit ad recipiendum depositum, tenetur de culpa etiam leuissima.*
5 *Confessario ad confessiones audiendas non est simpliciter necessaria scientia eminens, ità vt moralis Theologiæ, ac vtriusq; iuris peritiam habeat, licet ea vtilis sit.*
6 *Confessarius ad confessiones audiendas expositus, si sufficientem non habeat scientiam, mortaliter peccat, siue spontè se ingerat, siue ex charitate, siue ex obedientia, siue ex vi muneris.*
7 *Scientia in Confessario non solùm iure humano exigitur, sed etiam naturali, & diuino.*
8 *Confessarius minus idoneus, ac insufficiens, audiendo confessiones peccat, etiam si id Prælatus sub præcepto obedientiæ illi præcipiat.*
9 *Non modo huiusmodi Confessarius insufficiens peccat exponendo se, ac audiẽdo confessiones, sed etiam pœnitens, si confiteatur huiusmodi Confessario.*
10 *Confessarius ignarus, & insufficiens, scienter audiens confessionem non solum mortaliter peccat, sed etiam nulliter Sacramentum suscipitur; quod secus si ignoranter audiat.*
11 *Confessarius insufficiens, si confessionem audiat alicuius docti viri, qui eius ignorantiam suppleret, haud peccat.*
12 *Confessarius minus idoneus, neq; peccat, si cõfessiones audiat personarum spiritualiũ, quæ solitæ sunt sæpè confiteri, & proindè nõ alijs, quàm venialibus tenentur.*
13 *Confessarius minus idoneus citra omnem culpam audire potest confessionẽ in articulo mortis constituti, alium idoneũ non habentis, qui ipsum audiat.*
14 *Confessarius ille dicitur idoneus ad confessiones audiendas, qui sufficientem scientiam habet, & qui peccata sciat discernere.*
15 *Sub culpa lethali tenetur Confessarius scire discernere inter mortale, & veniale, & non solum peccata præterita vendicare, sed etiam futuris mederi.*
16 *Confessarius si non habeat perfectam scientiã discernendi omnia, & singula peccata mortalia à venialibus maximè inusitata, & quæ sunt obscuri iuris, non per hoc diceretur idoneus.*
17 *Matrimonium illius, qui cognouerit prius cõsanguineam eius, quam duxerit in vxorem, an sit nullum.*
18 *Eorum, quæ frequentius accidunt, tenetur Cõfessarius perfectam habere scientiam.*
19 *Ad Confessarij scientiam non solùm spectat scire discernere mortalia à venialibus, ac reseruata à non reseruatis; sed etiam peccata ipsa materiam esse Sacramenti pœnitentiæ essentialem.*
20 *Ad secernendum peccatum mortale à veniale quinque dantur regulæ.*
21 *Inter peccatum mortale, & veniale non datur oppositio contraria.*
22 *Omne peccatum est recessus à diuina lege.*
23 *Per accidens contingit, vt quod est mortale fit veniale, & è conuerso. & n. seq. & 26.*
24 *Mortale peccatum ex suo genere fit per accidens veniale duobus modis.*
25 *In multis casibus paruitas non datur materiæ, & quibus.*
26 *Peccatum veniale ex suo genere, fit veniale multis modis.*
27 *Ad scientiam idonei Confessarij spectat non solum cognoscere materiam circa quam, seu remotam huius Sacramenti pœnitentiæ, sed etiam materiam ex quo, seu proximam. Et quotuplex sit contritio.*
28 *Debet quoq; Confessarius scire conditiones, quas sacramentalis confessio exigit, & quando fideles ad præceptũ confessionis obligẽtur.*
29 *Ad scientiam Confessarij idonei pertinet scire formam Sacramẽti pœnitentiæ, quod scilicet consistat in illis verbis* (Absoluo te)

30 *Scire*

50 *Scire quoque debet Confessarius, absolutionem sacramentalem non solùm comprehendere peccata confessa, sed etiam extendi ad peccata, inculpabiliter oblita.*

1 IN hac re quot homines, tot sunt sententiæ: nã quidam duplicem scientiam exigunt in Cõfessario, speculatiuã scilicet, & practicam, vt habetur ex *P. Molfes. p. 1. sua sum. tract. 7. c. 14. n. 96.* & *P. Megal. p. 1. Instit. Peregr. c. 1. n. 2.* Alij distinguũt inter Confessarium, qui ex obedientia sui Superioris exponitur ad audiendas confessiones: & inter Confessarium, qui sponte se ingerit in illis audiendis: nam prior satis est, si sciat distinguere inter peccatum, & non peccatum, & peccatum mortale, & veniale, & si in aliquo dubitaret ad peritiores recurrat, vt per *D. Th. in 4. d. 17. & Palud. ibidem, d. 19. & alios.* Posterior verò debet esse paratus ad respondendum de quolibet, & interdum de casibus inopinatis, & aliàs inauditis, vt ex *Duran.* inquit *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 16. §. 1.* Alij distinguũt inter Confessarios, qui ex charitate tãtùm confessiones audiunt, quales sunt Religiosi; & inter Confessores, qui ex vi muneris confessiones excipiunt, quales sunt Curati, & alij Pastores Ecclesiæ: siquidem priores nolunt indigere tanta scientia, quanta posteriores, vt per *Laym.* post alios *in sua sum. Theol. lib. 5. tract. 6. de sacram. pœnit. c. 13. assert. 3.* Alij distinguũt inter Confessarios rurales, & ciues, qui in Pagis, ruribus, seu Ciuitatibus exponuntur ad audiendas confessiones: putant enim minorem scientiam exigere, qui in Pago confessiones audit, quàm qui in Vrbe maximè maritima, in qua varij contractus, & negotiationes fiunt, iuxtà ea, quæ habẽtur ex *Nauar. in Man. c. 4. n. 10. & in c. 1. §. caueat, n. 17. de pœnit. d. 6. Lopez p. 1. Instr. c. 27. vers. Porrò quia, Molfes. p. 1. suæ sum. tr. 7. c. 14. n. 98. & ex alijs.* Alij deniq; distinguũt inter Confessarium perfectum, & Confessarium sufficientem. Nam prior debet habere Theologiæ moralis, & vtriusq; iuris peritiam, ac scire constitutiones synodales illius Regionis, in qua cõfessiones audit: Posterior verò satis est, si libros legens intelligat, quæ peccata ex ijs, quæ illi, quos audit, communiter contrahunt, sint mortalia, quæue venialia; quæ circumstantia sint necessariò confitenda; quibus criminibus annexa sit excommunicatio; quæ sint peccata reseruata, & quæ restitutionem exigunt; vel saltem sciat dubitare in ijs, quæ alij mediocriter eruditi intelligunt, vt possint peritiores consulere. Ità *Nauar. in Man. c. 4. n. 8.* Quæ quidem sententia, quoniam nobis probatur, idcirco pro eius explicatione sit

PRIMA CONCLVSIO.

2 SEntentia eorum, qui duplicem scientiam in Confessario exigunt, nempè speculatiuam, & practicam, nobis non probatur. Etenim scire, speculari, ac intelligere materiam, formam, ac partes Sacramenti pœnitentiæ, ac discernere vitia à virtutibus, peccata mortalia à venialibus, & alia eiusmodi, ad Theologum moralem pertinet: ergo scientia Confessarij dicitur simpliciter practica, non autem speculatiua, & practica: quoniã talis est Theologia moralis. In hoc differt scientia speculatiua à scientia practica; quòd scientia speculatiua sistit tantùm in sui obiecti speculatione qualis est philosophia naturalis; practica verò licèt cõtempletur proprium obiectum, non tamen sistit in eius speculatione; sed illud dirigit ad opus, vt est legalis scientia. Vndè licèt ad Confessarium pertineat speculari, & intelligere, quæ mala sint, quæ bona: vera, & falsa: quænam sit forma, materia, & partes Sacramenti pœnitentiæ, &c. Nihilominùs cùm omnia hæc dirigantur ad salutem animarum, scientia Confessarij est simpliciter practica.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 DIstinctio inter Confessarium audientem confessiones ex obedientia, & inter Confessarium in ipsis spontè se ingerentem, superuacanea videtur. Hæc conclusio est *Nauar. in Man. c. 4. n. 9.* contra *Durand. & D. Anton.* supra relatos, & alios. Probatur; quoniam si hi, qui sua spontè ad audiendas confessiones se offerũt, obligarentur esse parati ad respondendum de quolibet; atque ideò de omnibus sibi propositis iudicare, nempè an illud sit lethalis culpa, nec ne? an habeat excommunicationem, vel restitutionem annexam? an contractus sit licitus, vel illicitus, an impediat communionem, &c. pauci, aut nulli ex Cõfessarijs sæcularibus salui fierent. Et si ex obedientia expositi in re non essẽt idonei, non ob id excusarentur à lethali culpa; sicut nec qui ex charitate confessiones audiunt, vt infrà latius dicemus. Confirmatur hæc ipsa conclusio, quia eiusmodi distinctio nullo canone comprobatur. Nec obstat *tex. in l. 1. §. sæpè, ff. depos.* vbi depositarius, qui spontè se obtulit

4 ad recipiendum depositum tenetur de culpa etiam leuissima, & idem habetur *in c. 2. de depos.* in illis verbis: *De culpa quoq; teneris si te ipsum deposito obtulisti*: quoniam *Panor.* ibi, & *Imol.* dicunt, quòd iura illa fundantur in eo, quod eiusmodi depositarius præsumitur depositum accipere gratia sui, & suæ propriæ vtilitatis intuitu: at Confessarius onus audiendę confessionis gratia pœnitentis suscipit, aut saltem principalius, vel æquè principalitèr, quàm propter se; atq; ideò *tex. in d. l. 1. §. sæpè, ff. depositi, & d. c. 2. eod. tit.* non faciunt cõtra nostram conclusionem, cum militet diuersa ratio, arg *tex. in l. Papinianus exuli, ff. de minor.*

TERTIA CONCLVSIO.

5 COnfessario ad audiendas confessiones non est necessaria scientia eminens, ita vt moralis theologiæ, ac vtriusq; iuris peritiã habeat, & ità sit perfectus, vt solus possit de omnibus discernere, siue spontè in audiendis confessionibus se ingerat, siue ex obedientia, aut charitate, & siue ex vi muneris confessiones audiat, vt sũt Curati, & alij Ecclesiæ Pastores. Hæc conclusio est *Nauar. d. c. 4. sub n. 8.* & patet ex ijs, quæ supra diximus conclusione præcedenti. Etenim in iudicio exteriori licèt sit vtilis eminens sciẽtia in causis determinandis; non tamen est simpliciter necessaria; aliàs pauci Iudices inuenirẽtur, qui non essent in statu damnationis: ergo idem, & multò magis dicendum est de scientia Confessarij, vt necesse non sit, vt sit eminens, cum in foro interno sacramentalis sententia feratur, nõ atten-

attentis vtriusq; iuris apicibus, sed summariè simpliciter,& de plano,sola facti veritate inspecta,ex ore ipsius pœnitentis excepta, qui in eo fore ipsemet est testis,accusator, & reus. Confirmatur ex communi Ecclesiæ consuetudine, quæ eiusmodi scientiæ eminentiam non exigit in Confessarijs: nam pauci sunt Confessarij in Ecclesia Dei,qui peritiã habeant moralis Theologiæ, ac vtriusq; iuris scientiam:& innumerabiles sunt, qui non habeant.

QVARTA CONCLVSIO.

6 Confessarius ad audiendas confessiones expositus,si sufficientem scientiam non habeat,siue confessiones audiat in eis se sponte ingerens,siue ex charitate, siue ex obedientia, siue ex vi muneris easdem excipiat, mortaliter peccat. Hæc conclusio est communis, præsertim *D.Th.D Bonau.& aliorum in 4.sent.d.17. & D.Ant.3.p.tit.17.c.6.§.1.& Nauar. in Man. c.4. n. 12.* qui illum Confessarium carere sufficienti scientia volunt, qui ignorat quæ pertinet ad idonei Confessarij munus, de quibus latè in seq. conclusione dicemus. Siquidem vnusquisque tenetur, vt eam scientiam sibi comparet, quæ suo muneri ritè subeundo necessaria est;ad quod multò magis obligatur Confessarius in audiendis confessionibus, cùm munus suum sit ars artium,vt *in c.cum sit,de ætate,& qualit.* Et Diuinum esse opus, Dei esse ministrum ad reducendas animas ad suum principium, ait *D. Dion.de Eccles. Hierar.* Hinc per *Oseam Prophet.c.4.* ignaro Sacerdoti dicit Dominus:*Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio* 7 *fungaris mihi*. Quæ quidem scientia in Confessario,non solùm humano iure exigitur, vt *in Conc.Trid.sess.23. c. 11. & seq.* sed etiam iure naturali,ac Diuino, vt per *Abbat. Panor. in c. Extirpandæ,not.1.de preb.* vbi etiam ait, talem scientiam non debere esse modicam; quoniam nulla,& modica peritia comparantur: imò modica peritia perniciosior est, tanquam inducens in errorem, cùm per eam putet quis verum sentire;quod tamen ignoret. Vndè cùm de iure naturali, ac Diuino sufficiens scientia in Confessario requiratur, certum est quod omnis Confessarius insufficiens, quocumq; modo exponatur, & confessiones sacramentales audiat, mortaliter peccet,cùm in re graui faciat contra legẽ Diuinam, ac naturalem.

8 Ampliatur primò hæc conclusio, vt Confessarius minus idoneus, ac insufficiens peccet audiendo confessiones quicumq; sit, si idoneum minus esse se cognoscat, etiam si Prælatus sub præcepto obedientiæ illi præcipiat,vt confessiones audiat; nam cùm se insufficientem esse cognoscat non debet eiusmodi munus acceptare: & Prælatus id præcipiens multò magis peccat, vt in *c.nihil, de elect.c.fin.eod.tit. in 6. & Nauar. d c. 4. sub n. 14.* qui id limitat in subdito, qui dubitat de sua sufficientia; quoniam tunc non peccat audiendo confessiones,cùm possit se se Prælati præcepto conformare, arg. *tex. in c. quid culpatur, 23.q.1.*

9 Secundò ampliatur,vt non solùm peccet Confessarius insufficiens exponendo se,ac audiendo confessiones,sed etiam pœnitens eiusmodi Confessario confitens, vt *in c.1.de pœnit.d.6.* ità se habente: *Qui vult confiteri peccata,vt inueniat gratiam,quærat Sacerdotem scientem ligare,et soluere: ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui cùm misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit.* Imò pœnitens si rectè velit animæ suæ consulere, semper recurrat ad Confessarium meliorem, vt *d. c. 1.* habetur, in illis verbis: *Qui igitur omnia confitetur, Sacerdoti meliori quàm potest confiteatur.* Et rationem assignans,inferius ita subdit,*Iudas enim pœnitens iuit ad Pharisæos, reliquit Apostolos, nihil inuenit auxilij, sed augmentum desperationis. Dixerunt enim, Quid ad nos,tu videris,&c.*

10 Tertiò ampliatur,vt Confessarius ignarus, & insufficiens scienter audiens non solùm mortaliter peccet;sed etiam nulliter Sacramentum suscipiatur:quã cùm scienter malè iudicari voluit, in ipso actu absolutionis lethalem culpam contraxit, atq; ideò cum obice Sacramentum suscepit. Dixi scienter;quoniam pœnitens probabiliter putãs Confessarium esse sufficientem si bona fide ad eum accedat,& absolutionem consequatur,non peccat,& validè Sacramentum suscipit; dummodò Confessarius saltem cognoscat actũ, quem pœnitẽs fuerit confessus esse peccaminosum sub communi ratione peccati mortalis, aut venialis;quia tunc cognoscit materiam satis esse ad applicandam absolutionem. Nec obstat si dicatur,quòd Confessarius non potest sacramẽtale iudicium exercere causa non cognita, vt in *Conc.Trid.sess.14.c.5.* at Confessarius nesciens discernere peccatum mortale à veniali absolutionem impendens,iudicium exerceret super incognitis; ergo,&c. quoniam respõdetur ex *Nauar.in Man. c.9. n.2.* quòd sicut aliæ sententiæ communiter valent,etiã si sint iniustæ,vt *in c.1. 11.q.3. & c.cum inter, de re iud.* nisi error sit in substantialibus,vt *in c.1. eod.tit.* ità dicendum est de sententia sacramentali,cùm militet eadem ratio, arg.*tex.in l.illud, ff.ad leg. Aquil.* dummodò alia substantialia concurrant;nempè pręter materiam forma, intentio, & potestas ministri. Vndè Confessarius cùm rectè factum cognoscit, in casu de quo agitur dicitur iudicium ferre super cognitis. Idem dicendum est si pœnitens sit doctus;nam si accedat ad Confessariũ ignarum non peccat, si illum instruat, vt infra latius dicemus *lim.seq.*

11 Sic ampliata limitatur primò,vt Confessarius insufficiens nõ peccet si confessionem audit alicuius docti viri, qui suppleret ignorantiam talis Confessarij docens eum peccata,quę confitetur, quę mortalia sint, & quæ venialia: & quæ materia sufficiens, super quam possit impendere formam, cùm eo casu Confessarius posset sẽtentiam sacramentalem ferre ritè, & rectè, non tantùm absolutoriam; sed etiam obligatoriam ad vindictam præteritorum peccatorum,& medelam futurorum, vt habetur ex *Suar.de pœnit. disp.28.sec.1.Nauar.in Man.c.4.n.13.& Megal.p 1.Instit.Peregr.lib.5.c.19.q.3.n.6.in fine.* Confirmatur; quoniam hoc casu pœnitens vt supra doctus non peccat eiusmodi Confessario insufficienti confitens, vt sup. diximus *ampl. 3.* Ergò nec Confessarius peccabit illius confessionem audiens;quia Confessarius,& confitens sũt correlatiui, in quibus quod disponitur in vno, disponitur etiam in altero,iuxtà ea,quæ latè tractat *Euerard.in suis locis comm.loco,à correlatiuis.*

12 Se-

12 Secundò limitatur hæc ipsa Conclusio in Confessario minus idoneo, qui audit confessiones pœnitentium, quæ sint personæ spirituales, solitæ sæpè confiteri, & proindè non alijs, quàm peccatis venialibus tenentur, vt habetur ex *Nauar.d.c.4.sub n.13.* atq; adeò talis Confessarius illas personas tantùm ad confessiones admitteret, quas probabiliter sciret non habere casus insolitos, & inusitatos, sed qui frequenter solent accidere: & tanta scientia non indigeant ad ferendum rectum iudicium: quod quidem locum sibi vendicare inquit *Syl.in sum. ver.Confessor, 8.col.2.sub vers.Quantum verò ad scientiam*; in Confessario qui ex charitate ad alterius instantiam cõfessiones audit, nec se ingerit: vel ex obedientia exponitur. Et in hoc casu habere locum sententiam *D.Anton.* inquit *Nauar.loc.cit.* secus autem si se ingerat, quoniam tunc debet habere scientiam sufficientem, vt *concl.seq.* latius Deo duce, declarabimus.

13 Tertiò limitatur, vt Confessarius minus idoneus citra culpam possit audire confessionem in articulo mortis constituti, qui alium idoneum non habeat, qui possit eum audire, vt habetur per *Nauar.loc.cit.* qui idem dicendum putat de Confessario, qui est apud Infideles, penès quos sunt Christiani, quibus non est copia Confessarij peritioris, arg.*tex.in c.1.§.fin.ne sede vacan. lib.6.& l.generaliter,§.spurios,ff.de Decur.* satis est enim, vt eiusmodi Confessarius ea adhibeat, quæ diximus supra *ampl.3.* nempè quòd formam ritè impendat super materiam, quam in genere saltem sciat esse peccaminosam, & quod intentionem habeat conferendi Sacramentum: nam quoad potestatem quilibet Sacerdos potestatem habet absoluendi constitutos in articulo mortis, vt ex *Conc.Trid.* sæpè diximus. Et apud Infideles existentes captiui si tali Confessario non confiteantur hìc, & nunc, probabiliter putent se decessuros sine confessione, quo casu videntur æquiparari in periculo, seu in articulo mortis constituti. Et eò magis quoniam inquit *tex. in d. c. 1. de pœnit. d.6.* quòd tanta est vis confessionis, vt si desit Sacerdos, cui quis confiteatur possit confiteri proximo, qui licèt soluẽdi potestatem non habeat; confitens tamen est venia dignus ex desiderio Sacerdotis.

QVINTA CONCLVSIO.

14 ILle Confessarius dicitur idoneus ad audiendas confessiones, qui sufficientem scientiam habet. Hæc conclusio est communis, quam docent *Nauar.loc.cit. & alij.* Et patet ex ijs, quæ sup.adnotauimus *concl.3. & 4.* Nam si ad audiendas confessiones non est necessaria scientia eminens, & modica non sufficit; ergo satis est scientia sufficiens, qua Confessarius sufficienter possit exercere munus suum. Dicitur autem sufficientem scientiam habere Confessarius si sciat cognoscere quicquid debet iudicare, vt habet *in d.c.1.de pœnit.d.6.§.caueat,* in illis verbis: *Caueat spiritualis Iudex, vt sicut nõ commisit crimen nequitiæ, ità non careat munere scientiæ; oportet, vt sciat cognoscere quicquid debeat iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debeat iudicare discernat, &c.* Vndè cùm peccata sint, quæ pertinent ad Confessarij iudicium, ille Confessarius dicitur esse idoneus, & sufficientem habere scientiam, qui peccata sciat discernere, an sint: & si nouerit esse, discernat, an venialia sint, vel mortalia, vt rectè docet *D.Th. in 4.d.17.* Et id non immeritò, quoniam alias Confessarius non posset iustam sententiam in sacramentali iudicio ferre, ad quam sub lethali culpa tenetur multò magis, quàm Iudex temporalis in externo foro. Prætereà Confessarius non solùm tenetur soluere pœnitentem, quando concurrunt omnia requisita ad sacramentalem absolutionem impendendam; sed etiam eundem ligare ad condignam pœnam, vt determinauit *Conc.Trid.sess.14.c.8.* ita inquiens: *Debent Sacerdotes pro qualitate criminum, & pœnitẽtium facultatem, salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, nè si fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quadam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Vndè meritò pœnitentes iustam pœnitentiam à Confessario impositam teneri ad acceptandam, & acceptatam implendam suprà ostendimus *tom.1.§.1. disp.9.sec.5.* & patet ex eod.*Conc.loc.cit.* in illis verbis: *Nam Sacerdotibus claues non solùm ad soluendum, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent.* & cõtraria sententia damnatur in eadem *sess.can.15.* his verbis: *Si quis dixerit, claues Ecclesiæ esse datas tantùm ad soluendũ, non etiam ad ligandum, &c. anathema sit.* Ergò sub lethali culpa tenetur Confessarius scire

15 discernere inter mortale, & veniale, & multò magis, an talis actus peccatum sit. Rursus sub mortali obligatur Confessarius non solùm vendicare præterita pœnitentis peccata; sed etiam futuris mederi: siquidem Confessarius non tantùm dicitur Iudex, vt *in c.verbum de pœnit.d.1.* sed etiam dicitur Medicus, vt colligitur ex nostro *cap.* ibi. *Sacerdos autẽ sit discretus, & cautus, vt more periti Medici superinfundat vinũ, & oleum vulneribus sauciati.* id autem adimplere non potest, nisi sciat peccati speciem, ac grauitatem, & multò magis an talis actus sit peccatum.

16 Est tamen verum, quòd Confessarius non habens perfectam scientiam discernendi omnia, & singula peccata mortalia à venialibus maximè inusitata, & quæ sunt obscuri iuris, non tamen ob id non diceretur idoneus, & sufficientem habere sciẽtiam, si sciat de illis dubitare, vt possit doctiorem se consulere, iuxtà ea, quæ habẽtur in nostro *cap.* ibi, *Sed si prudentiori consilio indiguerit, &c.* Sed quomodo poterit Confessarius dubitare; nisi prius legerit, & relegerit Doctores de casibus consciẽtiæ tractãtes? oportet igitur Confessarium prius legisse, & relegisse, & diù studuisse, vt dubitare sciat. Etenim si videmus corporis Medicos quotidie libros medicinales euoluere, in quibus moritura corpora curari edocentur; profectò crimen haud leue erit Confessariorum si assiduè libros Sanctorũ, in quibus animas perpetuò victuras curare edocemur, legere neglexerint, cùm maius sit vnius animę damnum, quàm innumerabilium corporum interitus, *c.si habes,24.q.3.* Et re vera non video quomodo quis dubitabit, matrimonium illius, qui cognouit prius consanguineam eius,

17 quam duxit in vxorem, esse nullũ propter impedi-

pedimentum affinitatis, nisi prius legerit *tex. in c. fraternitati, de eo, qui cogn. consang. vxor. sua,* vel Doctores de hac re agentes: & quonam pacto dubitare poterit de validitate matrimonij illius, contracti cum ea, quam prius polluit per adulterium cum fide, ac promissione ducēdi eā post obitum viri, contra *tex. in c. significasti il 2. de eo, qui duxit in vxor. quam poll. per adult.* si materias eiusmodi non prius legerit, & relegerit in libris de his tractantibus. Dixi, *Maxi-*

18 *mè inusitata, & quæ obscuri iuris sunt,* quoniā eorum, quæ frequentius accidunt, perfectā sciētiam habere tenetur Confessarius, qualia sunt peccata mortalia communia, simplex fornicatio, voluntas deliberata ad peccandum mortaliter, furtum rei notabilis quòd sit mortale, & rei minimæ veniale, maior, & minor excommunicatio, & alia eiusmodi, vt habetur ex *Nauar. d. c. 4. sub n. 12. Tol. lib. 3. sua sum. c. 15. n. 4. Suar. de pœnit. disp. 28. sec. 2. n. 4.* latè *D. Anton. p. 3. tit. 17. c. 16. §. 2.* Ad sufficientem scientiam Confessarij pertinet scire peccata reseruata, ad quæ non extenditur eius potestas: vndè, vt rectum iudicium de illis ferre possit, exigitur, vt sciat peccatorum species, ac differentias, vt habetur ex *D. Bonauent. in 4. d. 17.* relato à *Syl. in sum. ver. Confessor 3. col. 2. ver. Quantum ad scientiam.*

19 Ad scientiam Confessarij pertinet non solùm discretio peccati mortalis à veniali, ac reseruati à non reseruato; sed etiam scire peccata ipsa esse materiam Sacramenti pœnitentiæ essentialē, quæ si desit, nulliter datur absolutio, & Confessarius illam tribuens sacrilegium cōmittit. Diuiditur autem materia in materiam, circa quā, seu remotam; & in materiam, ex qua, seu proximam. Prior est peccatum, non originale, nec actuale ante baptismum commissum; sed actuale post baptismum commissum, siue mortale sit, siue veniale, dubium, in genere, ac etiā aliàs confessum, vt latè sup. declarauimus *to. 1. § 1. disp. 3. sec. 1. per tot.* Posterior verò sunt actus pœnitentis, nempè oris confessio, cordis contritio, ac operis satisfactio, vt ostendimus *d. §. 1. disp. 2. sec. 7.* Debet igitur Confessarius scire, vt idoneus dicatur, non modò materiam proximā Sacramenti pœnitentiæ esse actus pœnitentis; sed etiam remotam esse peccata, siue mortalia sint, siue venialia; ita vt mortalia sint materia necessaria, & venialia sint tātùm materia sufficiens, vt in *d. disp. 3. sec. 1.* atq; ideò, vt rectum iudicium ferre possit non solùm debet quæ nā sint peccata mortalia, & quæ venialia; sed etiam eorum species, vt diximus; quoniam Sacramētum pœnitentiæ cùm sit institutum per modum iudicij, vt *in c. verbum, de pœnit. d. 1.* iudicium non potest ferri super incognitis, arg. *tex. in l. illicitas, §. veritas ff. de offic. Præsid.* Et si Confessarius ignoret, an hic, vel ille actus sit peccatū, ignorabit etiam quomodo, & quando super illum applicanda sit absolutionis forma, vt validum sit Sacramentum.

20 Ad secernendum autem peccatum mortale à veniali, licèt multi multa dicant, vt videre est apud *D. Th. 1. 2. q. 88. ar. 1. Scot. in 2. d. 21. q. Syl. in sum. ver. peccatum, q. 3. D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 18.* vbi quinq; regulas assignat, *Tolet. lib. 3. sua sum. c. 2. Molfes. p. 1. sum. Theol. tract. 8. c. 8. c. 2. & alios;* nihilominus si cōsideremus peccatum mortale ex suo genere, & peccatum veniale ex suo genere, placet nobis sententia *D. Tho.* dicentis, quòd mortale ex suo genere, sit actus contra Diuinam, naturalem, vel humanā legem, quæ reducuntur etiam ad Diuinam, quatenus præcepta Diuina sunt quoque naturalia multa; & præcepta humana reducuntur ad Diuina, quæ præcipiunt Superioribus obedire, tanquam Dei Ministris. Veniale verò peccatum ex suo genere est actus non propriè contra legē Diuinam; sed potius impedimentum circa media, quibus tendere debemus in finem præcepti, qui est Deus; qua ratione potest dici aliquo modo contra legem Dei, & contra charitatem, cùm tepescat hominem in charitate Dei, & non faciat ad vnguem Dei legem obseruare. Hinc sequitur, quòd inter peccatum mortale, & veniale, non est oppositio contraria; sed potius analo-

21 gica; vt per eundem *D. Tho.* ibi *in resp. ad primum,* quem omnes Theologi sequuntur, excepto *Durando,* vt notat *Molfes.* post *Lorcam d. c. 8. n. 26.* Siquidem quæ sunt contraria opponuntur diuersis virtutibus; sed veniale, & mortale eidem virtuti opponuntur, nempè charitati, & eidem legi; qua ratione conueniunt etiam vniuocè, quatenus peccata sunt; & solùm differunt analogicè quoad effectum; quoniam mortale separat totaliter à Deo, cùm destruat charitatem, & amicitiam illius, & impediat consecutionem vltimi finis, qualis est æterna Beatitudo; quod non facit veniale, cùm tepescat tantùm charitatem, & non tendat in finem præcepti, qui est Deus; non tamen impedit consecutionē vltimi finis. Vel secundò dicamus ex *Toleto loco cit.* quòd peccatum mortale est contra legem Dei; veniale verò est præter Dei legem. Etenim

22 cùm omne peccatum sit recessus à Diuina lege, iuxtà illud *D. Ambr. lib. de Paradiso,* qui definiens peccatum, sic ait, *Quid est peccatum, nisi prauaricatio legis Diuinæ, & cælestium inobedientia mandatorum.* Duobus modis contingit recedere à Diuino præcepto, vno modo agendo contra ipsum, vt furari, mœchari, occidere, &c. Et hoc est peccatum mortale ex suo genere: altero modo non agendo contra ipsum; sed præter ipsum, & id est veniale ex suo genere. Vt verbū otiosum v.g. non reperitur prohibitum in lege, nec permissum, quapropter dicitur non secundum, aut contra legem Diuinam: quod licèt nō sit contra præceptum, quia tamen non tendit in finem præcepti, qui est Deus, & æterna Beatitudo, idcircò dicitur veniale ex suo genere.

23 Contingit autem, quod est mortale ex suo genere esse veniale per accidēs: & è conuerso quod est veniale ex suo genere fieri mortale per accidens pluribus modis. Dixi, *Mortale ex suo genere aliquando esse veniale per accidens: & veniale ex suo genere fieri mortale per accidens;* atq; ideò mortale est aliquando veniale, non tamen fit; sicut è cōuerso veniale fit mortale: quoniam peccatum mortale ex suo genere nunquā potest fieri veniale: at veniale ex suo genere potest fieri mortale: siquidem mortale peccatum, & veniale se habent sicut perfectum, & imperfectum, & sicut vir, & puer. Vndè sicut vir nō potest effici puer; sed è contra puer potest effi vir; peccatum mortale non potest effici venia-

les;

le; sed veniale fieri mortale, vt per eundem *D. Th.d.q.88. ar.6.*

24 Est igitur mortale ex suo genere veniale per accidens duobus modis: primò ex imperfectione actus, quando non est deliberatus, vt sunt primi motus vindictæ, & alij eiusmodi, qui sunt in sensualitate, vt benè declarat D. *Antoni n. p. 1. tit. 10. c. 1. §. 2.* idem dicendum est de actu blasphemiæ non deliberato, vel ex inaduertentia, vt habetur ex *Villalobos in sum. to. 2. tr. 1. disp. 15. n. 5* & *P. Diana to. 5. tr. 5. de paruit. mater. resol. 3.* qui pro hac re affert *Lorcham 22. q. 13. ar. 2.* dum ait, blasphemiam esse graue peccatum, & non posse fieri veniale, nisi solùm ex defectu deliberationis. Secundò mortale ex suo genere est veniale per accidens ex imperfectione obiecti, vt patet in furto rei minimæ: quod quidem verum est; nisi furtum rei minimæ esset Domino causa notabilis damni, & surripiens hoc ipsum præuidisset: vel fur sciret rem illam minimam rationabiliter magni æstimari à Domino, iuxtà ea, quę habētur ex *Nauar. in Man. c. 17. n. 2. & c. 11. n. 4.* Est tamen verum, quod in

25 multis casibus non datur paruitas materiæ, vt in actu infidelitatis; nam omnis materia in ordine ad illam est notabilis, & culpa grauis, vt habetur ex *Suar. lib. 2. de legib. c. 28. num. 68. Sanch. in sum. to. 1. lib. 1. c. 4. num. 2. & 3.* & *P. Diana loc. cit. resol. 1.* vbi *à resol. 2. vsque ad resol. 69. inclusiuè*, & per totum tractatum prædictum agit, an, & quando detur paruitas materiæ in simonia, in blasphemia, in iuramento, in rebus venereis, in operibus seruilibus quoad dies festus, in fractione sigilli confessionis, in anticipatione comestionis in die ieiunij, in fractione ieiunij, in ieiunio pro Sacra Communione suscipienda, in acceptione personarum quoad beneficia conferenda, in negatione debiti coniugalis, in dilatione pœnitentiæ iniunctæ, in ætate requisita ad matrimonium, in ætate requisita ad ordines suscipiendos, in ætate requisita ad professionem emittendam, in continuatione anni Nouitiatus, in patrimonio necessario ad sumendos sacros ordines, in communicatione cum excommunicato, in ingressu, vel egressu clausurę Monialium, in obligatione celebrandi, in obligatione restituendi fructus pro omissione horarum canonicarum, in fructibus beneficij ad euitandam obligationem recitādi horas canonicas, in recitatione horarum canonicarum, in mendacio adhibito in confessione, aut in iudicio, in hæresi, in sortilegijs, & magia, in vsura, in conscientia erronea, in comestione carnis in die ieiunij, in surreptione gratiæ, in furto, in furto reliquiarum, in voto, vel iuramēto non bibendi vinum, in voto, vel iuramento non ludendi, in verbis formæ Sacramentorum, in coniunctione materiæ, & formæ Sacramentorum, in formæ Sacramentorum interruptione, in lectione librorum hæreticorum, in retentione librorum hæreticorum, in auditione Missæ, in omissione aliquarum rerum, quæ dicuntur in Missa, in casibus reseruatis, & an superior ratione circumstantiarum possit sub peccato mortali præcipere materiam leuem, an præceptum sub mortali positum in materia leui obliget saltem sub veniali: an detur materia leuis, quæ excuset à lege prohibente, nequid extrahatur à Regno, an quis possit vouere in materia leui sub obligatione lethali, an possit Confessarius imponere pœnitentiam leuem sub mortali, an plures materiæ leues coalescant in vnum, an si quis omittat votum leuis materię peccet mortaliter, An Beneficiatus, qui partes leues in singulis horis omittit, quæ simul sumptæ grauē quantitatem constituunt, teneatur ad aliquam restitutionem, an eodem die violare plura vota de materia leui sit peccatum mortale, an si à Sacerdote gutta aquæ in calice omittatur, excusetur à mortali: An in prohibitione alienationis rerum Ecclesiasticarum detur paruitas materię; an in prohibitione celebrandi post meridiem detur paruitas materiæ, an in violatione interdicti, in præcepto gestandi tonsuram clericalē, in dimissione habitus propriæ Religionis, in præcepto celebrandi cum vestibus Sacris, in pręcepto Pij V. de nō addendo aliquid in Missa præter præscripta, in præcepto non addendi, vel diminuēdi aliquid ex officio canonico, in percussione Clerici, in præcepto correctionis fraternæ, in peccato inuidiæ, in iudicio temerario, & demum in detractione.

26 Fit autem veniale ex suo genere mortale per accidens multis modis, vt colligitur ex *D. Th. d.q.88. ar. 4. in corp. D. Anton. in sum. p. 1. tit. 10. c. 1. §. 3. Tol lib. 3. sua sum. c. 2. Sanch. lib. 1. Decal. c. 5. n. 6. cum seq. & ex alijs.* Primò ratione vltimi finis, vt cùm vltimus finis ita in veniali constituitur, vt quis ita sit paratus veniale committere, vt committeret, etiam si sciret esse mortale, ad quod *D. Anton.* allegat *tex. in c. 3. §. criminis 25. d.* dum in eo habetur per *D. Augus.* quod nullum peccatum est adeò veniale, quod nō fiat mortale si placet: intelligitur enim de complacentia fruitionis, cùm scilicet ibi constituitur vltimus finis. Secundò veniale efficitur mortale ratione finis adiūcti, vt cùm quis leuiter mentitur, ut fornicetur. Tertiò ratione scandali, ubi peccatum veniale à tali persona, & coram talibus committitur, vt meritò æstimandum sit, audientes inducendos esse ad mortale, vt si à persona valdè religiosa verbum turpe veniale publicè fuerit prolatum: vel si quis ioco verbum amatorium coniugatæ diceret coram viro ualdè zelotypo, ut habetur ex *Sanch. lib. 1. Decal. c. 6. n. 11. cum alijs*, quos allegat. Idem dicendum est de muliere supra modum se ornante, si prēuideat inde aliquem ad concupiscēdam eam alliciendum, ut per *Syl. in sum. ver. Ornatus §. 4.* Quartò ratione periculi, ubi leuiter peccans occasioni proximæ ita exponitur, ut proximo peccandi periculo moraliter constituatur, iuxtà illud Eccles. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Tunc autem dicenda erit occasio hæc proxima, seu periculum morale proximū, quando ex suo genere occasio talis est, ut frequenter homines similis conditionis ad lethalē culpam inducat: uel experimento constet, in hoc homine, talem effectum habere, ut ex *Nauar. & Suar.* idem *Sanch. lib. 1. Decal. c. 8. sub n. 1.* Quintò ueniale fit mortale ratione consciētiæ erroneæ, ut si quis arbitretur peccare lethaliter dicendo uerbum otiosum, si id proferat proculdubiò peccat mortaliter. Sextò ueniale ex suo genere fit mortale per accidens ratione contemptus, non solùm formalis cùm præce-

ptum contemnitur sub hac formalitate, vt præceptum est; seu cùm quis recusat subijci superiori, vt præcipienti; sed etiam ratione contemptus interpretatiui per intentionem scilicet continuandi transgressionem in futurum, & per cōsuetudinem transgrediendi, vt habetur ex *D. Ant.* loco supra relato, qui ita intelligendum esse ait *tex. in c. vnum orarium, §. alias, 25. d.* se habentem, quòd aliqua venialia in consuetudinem ducta efficiuntur mortalia. In eandem sententiam concurrit *D. Bernar. lib. de precep. & dispen.* dicens, quædam esse venialia peccata, excepto cum ex contemptu vertuntur in vsum, & consuetudinem. Hanc ipsam opinionem expresse tenet *Angel. in sum. ver. Inobedientia, Panor. in c. Nam concupiscentiam, num. 5. de const.* & in explicatione nostri capitis. Quæ quidem sententia licèt vera sit dispositiuè, vt per *Azor. p. 1. instit. moral. lib. 4. c. 9. q. 11. & Sanch lib. 1. Decal. c. 5. n. 2.* ob periculum peccati grauissimi; tamen eiusmodi periculum idem *Sanch.* ibi ait, esse proximum. Vndè hic modus reducitur ad quartum, nempe ad occasionem proximam, de qua paulo supra egimus. Ex dictis igitur, & ex alijs collectis per *P. Molfes. p. 1. sua sum. tract. 8. c. 8. n. 283.* patet, quòd si hominis operatio, vel omissio aduersetur charitati, aut alteri virtuti in re graui, erit mortale; si aduersetur in re leui, erit veniale; si nullo modo, nullum erit peccatum. Hæc omnia debet scire Confessarius, vel de illis saltem dubitare, si obscuritatis sint; aliàs non dicetur ideneus; quoniam non cognosceret, quod debet iudicare contra *tex. in d. cap. 1. §. caueat, de pœnit. d. 6.*

27 Ad eandem Confessarij idonei scientiam spectat cognoscere non solùm materiam, circa quam, & remotam Sacramenti Pœnitentiæ, nempe peccata, & eorum circumstantias, de quibus hucusque egimus; sed etiam materiam, ex qua, seu proximam, quales sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, ac satisfactio, vt supra diximus. Diuiditur autem contritio in perfectam, & hæc est detestatio peccati propter Deum summè dilectum: & in contritionem imperfectam, quæ alio vocabulo dicitur attritio, quæ est detestatio peccati ob metum gehennæ, pœnarum, aut propter turpitudinem peccati, quæ quidem attritio necessaria est ad effectum Sacramenti, etiam si pœnitens venialia tantùm habeat, & ea tantùm confiteatur; contritio verò perfecta necessaria non est, vt latè de hac re egimus supra *tom. 1. §. 1. disp. 7. sec. 1.* & latiùs *sec. 10.* Si enim Confessarius ignoret contritionem, & attritionem quæ sint, non potest scire quando absolutio impendenda sit pœnitenti, cui si attritionem saltem non habeat, nulliter confer-

28 tur. Debet quoque scire conditiones, quas Sacramentalis confessio exigit, de quibus latè supra tractauimus *d. § 1. disp. 2. sec. 7.* Item debent scire quando Fideles ad præceptum confessionis obligentur, de quo supra *d. §. 1. disp. 1. sec. 1.* nam si hæc nesciret, & pœnitens præceptum fuerit transgressus, non posset ipse Confessarius de illis rectum iudicium ferre. Ad idoneum Confessarium quoq; pertinet scire casuū reseruationem, vt aliàs diximus, & qui restitutionem habeant annexam, excommunicationes tùm Papales, tùm Episcopales, tùm Synodales, suspensiones, interdicta, ac etiam irregularitates, si Clericorum maximè confessiones audiat; aliàs non posset rectum iudicium ferre: & si licitum iudicat, quod illicitum est, aut è contra, cæcus, cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt, *d. c. 1. de pœnit. d. 6. c. cùm sit, de ætate, & qualit. Nauar. in Man. c. 4 n. 2.* latè *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 16. §. 1. & Antonuc. in Cathesi Neap. de scient. Sacerd. c. 7.* Ad scientiam Confessarij multum pertinet etiam cognitio Canonum pœnitentialium, quorum si scientiam non habeat, Sacerdotis nomen non meretur, ait *tex. in c. qua ipsis, 38.* qui Canones sunt sexaginta duo, & eos referunt, & declarant *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 21. §. 5. Antonuc. loc. cit. cap. 2. & Molfes. p. 1. sua sum. tr. 8. cap. 8. n. 283.* Est tamen verum, quòd hodie cum omnes pœnitentiæ sint arbitrariæ ipsorum cognitio est vtilis, non tamē necessaria.

29 Ad scientiam deniq; Confessarij vt idoneus sit censendus pertinet, vt supra omnia sciat formam Sacramenti pœnitentiæ, nempè quod absolutio sacramentalis consistat in illis verbis, *Absoluo te.* Et quòd licet verba illa satis sint ad absolutionem impendendam, sicut verba, *Remitto tibi peccata tua: absolutionem impendo, &c.* Et alia verba æquipollentia; nihilominus si non seruetur forma, qua communiter Ecclesia vtitur, absolutio ipsa citra culpam non impenditur, vt latè de hac re egimus supra *to. 1. §. 1. disp. 11. sec. 2. & 3.* Ad scientiam quoq; Confessarij pertinet, absolutionem sacramentalem nō solùm purè tribui posse; sed etiam aliquādo sub conditione de præterito, & de præsenti, ac etiā sub modo; non tamen sub conditione de futuro,

30 vt *d. disp. 11. sec. 9.* ostendimus. Debet pariter Confessarius scirè, absolutionem sacramentalē comprehendere non solùm peccata confessa; sed extēdi quoq; ad peccata inculpabiliter oblita: & quòd oblitorum remanet obligatio ea cōfitendi tempore debito, cùm in memoriam veniunt, vt in *d. disp. 11. sec. 7.* latè probauimus.

Qualiter Confessarius discretus debeat esse, ac cautus, ne in audiendis confessionibus, præsertim mulierum, immoretur plusquam necessitas confessionis exigat.

S E C. II.

S V M M A R I V M.

1 *Confessarius discretus, ac prudens esse debet, ne pœnitens peccati complicem nominet.*

2 *Si quis plura cōmisit peccata eiusdem speciei, satis est si singula reducat sub propria specie, & omnia indiuidua vno verbo Confessario aperiat.*

3 *In audiendis mulieribus caueat Confessarius, ne eas audiat, nisi in publico, nec multum immoretur, sed quantum exigit confessionis necessitas.*

HAnc controuersiam hoc loco discutiendam duximus ob aliquas personas maximè mulieres,

lieres, quæ in confessionibus historias recẽsent, & indiuidua, non autem in specie peccata confitentur contra ea, quæ habentur in *Conc. Trid. sess.* 14. c. 5. Imò non desunt, quę antequam propria peccata explicent, nõnullorum culpas manifestant, & maximè eorum, qui sũt complices: & hæc omnia vel tendunt in excusationem peccati: vel in inanem gloriam. Etenim sunt aliquę mulieres, quæ culpam eorum impatientiæ tribuentes viris, filijs, aut famulis, antequam propriam impatientiam Confessario aperiant, peccata virorum, filiorum, famulorum, aut famularum manifestant. Et interdum Miles dum homicidium in duello patrasse confitetur, narrando quàm strenuè se gesserit, inanem gloriam potius, quàm de homicidio sufficientem dolorẽ

1 videtur ostendere. Sit igitur Confessarius his casibus discretus, & prudẽs, vt si præuideat pœnitentem velle nominare peccati complices, ei occurrat docens, non esse licitum aliorum peccata manifestare; etiam si complices sint, vt sup. declarauimus *to.* 1. §. 1. *disp.* 1. *sec.* 7. & contra dispositionem *Conc. Trid. loc. cit.* quod in specie, & sigillatim vult peccata confiteri. Vndè quando quis commisit plura peccata eiusdem

2 speciei, satis est si singula reducat sub propria specie, & ea omnia indiuidua vno verbo Confessario aperiat: vt si decies cum soluta rem habuit, aut cum pluribus solutis, non oportet singula peccata per se, & quasi historicè narrare, sed sufficit si dicat, decem simplices fornicationes cõmisisse, vel decies fornicasse; nam id quasi historicè narrare ad morale iudicium non pertinet, & Confessario est valdè molestum: imò tam illi, quàm pœnitenti nociuum, vt ostendimus *d.* §. 1. *disp.* 3. *sec.* 4. *limit.* 1. Etenim ex eiusmodi historijs proueniunt inutiles confabulationes, periculosę familiaritates inter Confessarium, & pœnitentes, maximè si mulieres sint, ac velint frequenter audiri; atq; ideò confessio nõ efficitur simplex, & pura, vt decet, sed admixta superfluis, inanibus, & aliquando detractorijs verbis: nec dicetur accelerata iuxtà SS. Patrum regulas; sed irrationabiliter prolongata non citra Astantium admirationem, murmurationem, & scandalum. Vndè meritò *Vbert. lib.* 5. *de offic. Ord. Fratr. Prædic.* relatus à *D. Anton.* 3. *p. tit.* 17. *c.* 19. hæc valdè detestans sic ait, *In au-*

3 *diendis mulieribus caueat Confessarius, ne nisi in publico audiat, nec multum immoretur, nisi quantum necessitas confessionis requirit. Et eis, quæ nimis frequenter confiteri volunt, assignet certum tempus extra quod ipsas non audiat, & semper verbis duris, & rigidis vtatur circa illas, potius quam mollibus. Et hoc est contra illos, qui quotidie audiunt mulierculas, & faciũt eis longas prædicationes: vndè amittũt multum temporis, & scandalum communiter sequitur in ipsis, & in Populis.*

Qualiter Cõfessarius discretus, & cautus esse debeat in audiendis confessionibus mulierum quantumuis spiritualium, ne cum eis nimiam familiaritatem contrahat.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Ex* D. Bonau. *Mulierum etiam spiritualium familiaritas fugienda est.*

2 *Mulier pœnitens si per plures horas quotidie ad Confessarij pedes prostrata existeret, & sæpe sæpius Confessarius ipse ad eius domum accederet, id haud esset sine magno Populi scandalo, & murmure.*
Et an id esset scandalum actiuum, vel passiuũ.

3 *Familiaritas hęc citrà culpam continuari nõ posset, & quare?*
Nec minorem culpam Superiores contrahũt, qui id vident in eorum Ecclesijs, & tolerãt.

4 *Deus Omnipotens huiusmodi perditos Sacerdotes vna cum eorum confitentibus permittit quandoque esse reuelandos.*

5 *Sacerdos, qui cum filia spirituali fornicatus fuerit, graue adulterium committit. Et quænam debeat agere fœmina, & quæ Sacerdos ipse.*

6 *Ex Sacramento pœnitentiæ inter Confessariũ, & pœnitentem oritur cognatio spiritualis. Et quidem non impropria, nec lato sumpto vocabulo.*

7 *Multo grauior est copula inter Confessarium, & Puerum, cuius confessionẽ audiuit. Et qua pœna puniatur Clericus sodomita.*

8 *Confessarius, qui citra abusum, & iniuriam Sacramenti pœnitentiæ rem haberet cum filijs, aut filiabus spiritualibus, non contraheret suspicionem hæresis.*

9 *Neapoli, qui filiam spiritualem sollicitauerit, siue in confessione, siue extra, non potest deinceps eius confessionem audire.*

1 IN hac re *D. Bonau. tom.* 3. *opusc. tract. de modo confit. & de purit. consc.* Mulierum familiaritatem, etiam spiritualium tanquam inutilẽ, periculosam, & scandalosam, probat esse omninò fugiendam, per subsequentia verba, ita inquiens: *Et quoniam spiritualibus loquor, propter quos illa scribo, nouerint ipsi, quòd licet carnalis affectio sit omnibus periculosa, & damnosa; ipsis tamẽ magis perniciosa, maximè quãdo conuersantur cum persona, quæ spiritualis videtur. Nam quamuis horum principium videatur esse purum, frequens tamen domesticum est periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum. Quæ quidẽ familiaritas quanto plus crescit, tanto plus infirmatur principale motiuum, & vtrinsq; puritas maculatur. Non tamen hoc statim perpendunt; quia sagittarius ille à principio non mittit sagittas venenatas; sed solùm aliqualiter vulnerantes, & amorem augmentantes. Ad tã-*

rum verò in breui deueniunt, vt iam non velut Angelos sicut inceperant, se inuicem alloquãtur, & videant; sed tanquam carne vestitos se mutuo intueantur, & saucient mentes, quibus commendationibus, ac uerbis blanditorijs, ac adulatorijs, quæ uidentur ex prima deuotione procedere; exinde unus incipit alterius appetere præsentiam corporalem: quia forma, uel species corporum in utriusq; mente concepta incitat eos ad uolendum præsentiam corporalem, quasi in, sit eis præsentia mentalis: sicq; spiritualis deuotio paulatim conuertitur in corporalem, & carnalem; & sic ipsorum mẽtes, quæ solebat in oratione cum Deo absq; intermedio loqui, tunc inter se, & Deum alter alterius ponit corporalem effigiem, quam uelant, & obtenebrant ponentes sibi ipsis faciem Dei cum facie creaturę.

2 Quod si *D. Bonauentura* spiritualibus loquẽs, propter eos hæc scripsisse testatur, quid quæsò diceret aliquis, qui Sanctus non esset, si vnum alterius præsentiam appetere ita cerneret, vt quotidie per plures horas de mane pœnitens ad Confessarij pedes prostrata existeret: & post prandium sæpe sæpius Confessarius ipse ad illius domum accederet, cum ea spiritualia pauca, inania multa, & aliquando iocosa verba proferens, non sine maximo vtriusq; periculo, populi murmuratione, ac scandalo? cùm hæc omnia mali suspicionem non paruam habeãt. Nec dicas scandalum eiusmodi esse passiuum, cùm prouenịat ex alterius opere bono; atq; ideò non esse de eo curãdum, iuxtà illud Domini *Matt. c. 15. Sinite illos, caci sunt, & duces cacorum.* quoniam re vera scandalum est actiuum: siquidem licèt proueniat ex opere bono; habet tamẽ opus illud speciem mali, iuxtà definitioné scandali actiui traditam à *Syl. in sum. uer. Scandalum, q. 1. Tab. eod. uer. n. 2. & Zecch. de charit. c. 21. de scand. to. 1. sua sum. & ex alijs.* Imò dato, quod scandalum sit passiuum, cùm tanta familiaritas non sit de necessitate salutis; est proculdubio moderanda; quoniam scandalũ eiusmodi non est Pharisæorum, quod prouenit ex malitia eorum, qui volẽtes bona spiritualia impedire, scandalum concitabant de Christi Domini doctrina; sed potius pusillorum dici posset ex infirmitate saltem, aut ex ignorantia prouenięns, propter quod spiritualia opera occultanda sunt, & interdum etiam differẽda per ea, quæ habentur ex *Syl. loc. cit. q. 3. Tab. ibidem, q. 7. & Zecch. propos. 7. n. 9.*

3 Præterea hæc ipsa familiaritas cum rumorem in plebe exciet cum frequenti sermocinatione circa talem effectum, & causas eius, ac infamia inde oriatur, proculdubio citra culpam continuari non potest, iuxta ea, quæ tradita sunt per *Suar. de censur. disp 6. sec. 3. num. 19.* Et denique cùm experientia, quę rerum magistra est, & Sanctorum Patrum monita nos doceant, familiaritates eiusmodi esse inutiles periculosas, & scãdalosas, & deuotionem in principio spiritualem in breui conuertẽdam esse in affectum carnalem, non video quomodo tales Confessarij, & eorum confitentes ità indiscretè, & minus cautè se habentes iudicantur esse in conscientia, & non potius in statu peccati mortalis permanere. Et non minorem culpam Superiores contrahere, qui in eorum Ecclesijs id vident, & tolerãt. Etenim Episcopi, & Præpositi idcirco in Ecclesijs præficiuntur, vt speculentur, & prospiciant populorum intra se mores, & vitas, vt *in c. Cleros, 21. d.* & in hoc negligentes peccant mortaliter, & canes dicuntur impudici, *c. qui nec, 2. q. 7.* Non enim Superior præficitur, vt præsit, sed vt prosit: vndè rectè legitur *in c. qui Episcopatum, 8. q. 3. Episcopum non se esse intelligat, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Qui talis est non Pastor, sed mercenarius appellatur à Domino, *Ioan. c. 10.* eo quòd non pertinet ad eum de ouibus; sed videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.

4 At Deus Omnipotens iustus Iudex, & communis omnium Pastor, eiusmodi perditos Sacerdotes vna cum incautis eorum confitentibus periculum negligentes, & in eo miserabiliter mortuos, non solum in altero, sed etiam in hoc sæculo tanquam lupos sub ouina pelle toleratos, iusto ipsius iudicio quandoq; permittit esse reuelandos; ità vt ex eorum peccati, & hypocrisis propalatione ex æstimatis ouibus rapaces lupi, non sine maximo eorundem ruborę, ac cõfusione cunctis manifestentur. Quot quot lupos eiusmodi Sacræ Inquisitionis carceres inclusos detinuerunt, & detinent, qui sub fuco spiritus carnis sensualitati inseruientes veriti non sunt pœnitentibus impiè suadere, tactus impudicos, non esse peccatum: imò & aliqui fornicationẽ tam cum pœnitentibus, quàm cum alijs citra omnem culpam committi posse, & alia eiusmodi asserere ausi sunt; quamuis re vera nouerint, fornicationem cum alijs non solùm esse lethalem; verùm etiam cum pœnitentibus esse crimen incestus, & graue adulterium: quod re vera adeò verum est, vt *Cœlestin. Papa in c. si quis Sacerdos, 30. q. 1.* multiplicem pro eo pœnam imponens, sic statuit, *Si quis Sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat, se graue adulterium commisisse;*

5 *idcirco fœmina si laica sit, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & conuersa in Monasterio vsque ad mortẽ seruiat: Sacerdos autem, qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pęniteat: postea verò ad Monasterium vadat, ibiq; cunctis diebus vita sua seruiat.* Imò *Alex. de Neuo in c. fin. de cognat. spirit. in 6.* inquit, huiusmodi crimen maius esse adulterio: & ibidem *Gallego,* incestum cum sacrilegio id ipsum appellat; atq; ideò *Symmac. Papa,* relatus *in c. omnes, 30. q. 1.* Sacerdotes in tale nefas prolapsos sanciuit esse priuandos, & tanquam incestuosos vsq; ad exitum vitæ iugi pœnitentia puniẽdos, ita inquiẽs, *Omnes, quos in pœnitentia suscipimus ita nostri sunt spirituales filij, vt & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trina mersionis vocabulo mergentibus vnda Sacri Baptismatis regenerauit. Syluester quoq; docens admonet, vnumquemque Sacerdotem, vt nullus causa fornicationis ad suam pœnitentialem accedat: quia scriptum est, omnes, quos in pœnitentia accepimus, ita filij nostri sunt, vt in Baptismate suscepti: quapropter hoc scelus si quis perpetrauerit, non solum dignitatis honorem amittat, verum etiã vsq; ad exitũ vitæ iugi pœnitentia se subdat.* Idem *Cœlestin.* similiter *in c. fin. eadem causa, & q.* ita statuens inquit, *Non debet Episcopus, aut Presbyter cõmi-*

misceri cum mulieribus, quæ ei fuerint peccata confessa. Si fortè (quod absit) hoc contingerit, sic pœniteat quomodo de filia spirituali: Episcopus quindecim annos; Presbyter duodecim, & deponatur.

6 Ex dictis iuribus igitur non immeritò colligunt *Franc. & alij in c. fin. de cognat. spirit. in 6. & Palud. in 4. d. 42 disp. 1. ar. 1. concl. 2. n. 7.* Ex Sacramento pœnitentiæ cognationem spiritualem oriri inter Confessarium, & pœnitentē; quæ cognatio nō est impropria, ac lato sumpto vocabulo, vt arbitratur *P. Molfes. p. 1. suæ sum. tr. 7. c. 24. n 27.* sed vera, & propria, ita vt *D. Th. dist. 42. q. 1. ar. 2. ad 8. Viguer. lib. Instit. c. 16. §. 7. imped. 8. & Gallego de cognat. spirit. c. 10. nu. 13.* dicant esse tam graue nefas accedere ad filiā confessionis, sicut ad filiam baptismi; atq; ideò rectè inquit *Sanch. lib. 7. de matr. disp 55. cum alijs,* quos allegat, hanc circumstantiam esse in confessione aperiendam, non solùm tanquam notabiliter aggrauātem; verùm etiam quoniam mutat speciem: siquidem habere rem cum propria confitente, est speciale sacrilegium, ratione specialis prohibitionis Ecclesiæ: & quodāmodo incestus, ratione vinculi similis cognationi baptismi, & confirmationis. Nec obstat *tex. in d. c. fin. de cognat. spirit. in 6. & Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 2.* vbi decernitur, cognationem spiritualem oriri ex baptismo tātùm, & confirmatione; quoniam respondetur, quod iura illa loquuntur de cognatione spirituali, quæ matrimonium impediat, & dissoluat. Et quamuis *d. c. fin.* subdat, *Ex datione verò aliorum Sacramētorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissoluat.* Non tamen ob id negat, cognationem spiritualem oriri ex Sacramento pœnitentię, & si illa matrimonium non impediret, nec dissolueret; atque ideò si de iure humano non esset interdictum Sacerdotibus latinis matrimonium contrahere, posset Confessarius mulierem, cui Sacramentū pœnitentiæ ministrauit in vxorem ducere.

7 Quæ diximus de grauitate copulæ inter Cōfessarium, & filiam spiritualem extēdimus multò magis ad copulam inter Confessarium, & puerum, cuius confessionem sacramentalem audiuit: siquidem inter eos cognatio spiritualis contrahitur: & eiusmodi crimen est longè grauius; nam non solùm est sacrilegium cum incestu; sed etiam est stuprum, ac nefandum crimē: si Confessarius in eiusmodi crimen incideret (quod absit) veniret longè grauius puniendus: siquidem hoc nefas de iure ciuili capitis pœnā annexam habet à quocunq; fiat, vt patet ex *tex. in l. cum vir, C. ad leg. Iul. de adulter.* vbi per Imperatores Constantium, & Constantem ità sancitur, *Cùm vir nubit, in femina viros paritura quid cupiatur, vbi sexus perdidit locum? vbi scelus est id quod non proficit scire: vbi venus mutatur in alteram formā: vbi amor quæritur, & non videtur: iubemus insurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquisitis pœnis subdantur infames, qui sunt, & qui futuri sunt rei.* Clericus autem sodomita, omni officio, ac dignitate, & omni clericali, ac ecclesiastico beneficio ipso iure priuatur, ita quòd per Iudicem Ecclesiasticum degradatus potestati sæculari statim traditur, vt patet ex *Constit. Leonis X. & Pij V.* de quibus latè egimis *in nostris Commentar. in Bull. Cœna Domini lib. 2. c. 15. q. 11. nu. 60. & 6. & in 2. editione ibidem, in addit. litt. X. fol. 564.*

8 Non tamen Confessarius, qui citra abusum, & iniuriam Sacramenti pœnitentiæ rem haberet cum filijs, aut filiabus spiritualibus (quod absit) contraheret suspicionem hæresis; atque ideò talis criminis cognitio non spectaret ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, vt latè probat *Acugna in explicatione Bullæ Pauli V. de Cōfessar. sollic. q. 5. n. 14.* Spectaret autem si Confessarius ad turpia sollicitaret pœnitentes, siue masculi sint, siue fœminæ in actu confessionis immediatè, vel paulò ante, vel post confessionē, vt latè de hac re, & tota sollicitationis materia *à sec. seq. vsque ad sec. 10.* inclusiuè, Deo duce, tractabimus. An autem Confessarius post rem habitam cum pœnitente, possit iterum eiusdem cōfessionem audire, vide *Ioan. Andr. & Panor. in explic. nostri Canon. & in c. 1. de ordin. Episc. qui renunc. Episc. Suar. de pœnit. disp. 27. sec. 4. n. 19. & Syl. cum alijs,* quos allegat *in sua sum. ver. Confessor, 3. q. 5.* qui tenent partem affirmatiuam; quoniam non ob id Sacerdos absoluendi potestatem amittit: quamuis de consilio talium confessionem audire non debeat, vt latè *Megall. p. 1. Instit. Peregr. lib. 1. c. 5. sub nu. 34.* Et idem de iuris rigore puto dicendum de Confessario sollicitante in confessione, vt supra pœnitentem, quamuis id dicatur nefandum, & immanissimum crimen.

9 Est tamen verum, quòd *Graff. cons. 1. de cognat. spirit. à n. 37* testatur Neapoli, Confessarium si filiam spiritualem sollicitauerit, siue in confessione, siue extra confessionem non posse deinceps confessiones audire; sed ipso facto, licentia, quam ad munus istud exercendum illi erat cōcessa, remanet inanis. Simile decretum fuit latum in Diœcesana Synodo per Illustrissimum, ac Reuerendissimū D. Camillum Melzium Capuanæ Metropolis, Archiepiscopum dignissimum, & omni virtute præditum, & ab Alex. VII. purpura decoratum, in cuius locum fuit sublimatus eius nepos Io. Antonius, optimè meritus ab eodem S.P. à quo contra sollicitantes quascunq; personas in omnibus casibus in Bulla Gregor. XV. comprehēsis, imponitur pœna suspensionis à Diuinis quoad Sæculares: quo verò ad Regulares reuocationis facultatis ministrandi Sacramentum pœnitentiæ, & inhabilitatis ad illud ministrandum post absolutionem tunc ritè concessam: & hoc modo, & non aliter censetur ipsis concessa facultas audiendi confessiones: neque per nouam facultatem ab eisdem post hac postea imperādam, censetur denuo concessa, non denunciata ab illismet eiusmodi inhabilitate, & obtenta rehabilitatione.

Con

Confessarius qualiter discretus, & cautus in audiendis confessionibus esse debeat, ne in pœnitentis ad turpia sollicitationem incidat, cum abusu, ac iniuria Sacramenti pœnitentiæ, & de sollicitationis sceleris grauitate, & pœnis.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Confessarij in audiendis confessionibus sollicitantes pœnitentes ad turpia enorme, impium, perniciosum, ac nefandum scelus committũt. Et pro medicina venenum, pro pane Aspidem porrigit, & ex cælesti medico, fit infernalis veneficus.*

2 *Cauere debet Confessarius ne ad hoc Sacramentũ accedat cum conscientia peccati mortalis, & à nimia quoq; pœnitentium familiaritate.*

3 *Vltra alias pœnas nefas hoc hæresis suspicionem, seu præsumptionem inducit.*

4 *An sit vehemens, vel leuis hæc hæresis suspicio, seu præsumptio.*

5 *Abiuratio ab hac hæresi fieri non debet in publico, sed in secreto in Aula S. Officij.*

6 *Per Gregorianam Constitutionem huiusmodi Confessarij pluribus alijs pœnis puniuntur, & quibus.*

7 *Ante prædictam Gregorij Constitutionem solebant quoq; isti Confessarij sollicitantes puniri pœna exilij, carceris, priuationis actiua, & passiua, ac audiendi confessiones præsertim mulierum.*

8 *Dicta de Confessario, feminam sollicitante in actu confessionis, extenduntur etiam ad confessionem sollicitantem puerum pariter in eodem actu; propterea sunt pariter quoq; reuelandi.*

9 *Huiusmodi Confessarij, si abiurare renuant, sunt excommunicandi, in qua si per annum insurdescant, oritur contra eos violenta hæresis suspicio, & ordinaria pœna plectendi. Et quid si sint omninò incorrigibiles.*

1 CONfessarij, pœnitentes in audiendis confessionibus ad turpia sollicitantes, adeò detestabile scelus committunt, vt illud enorme, impium, perniciosum, ac nefandum appelletur à *Gregor. XV. Constit.* 34 quæ incipit, *Vniuersi Dominici gregis*, edita sub die 30. Aug. 1622. Ait enim ipse Pôtifex, quòd Sacerdos ad sacras confessiones audiendas deputatus, ad turpia sollicitando suas confitentes, & sacrosancto pœnitentiæ Sacramento abutendo, pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigit, & ex cœlesti medico infernalis veneficus, & ex patre spirituali proditor execrabilis animarum redditur. Vndè nefandum eiusmodi scelus non solùm inter Christi Fideles non esse, sed nec quidem nominari debere, meritò decernit. Ad igitur eiusmodi scelus effugiendum, caueat Confessarius in primis, ne ad audiendas Fidelium confessiones cum conscientia peccati mortalis

2 accedat; sed cum pura intentione ad solam Dei gloriam, & honorem, ac animarum salutem suo munere fungatur, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus *disp.* 1. *sec.* 1. & 2. Deindè caueat à pœnitentium nimia familiaritate, blandis, ac adulatorijs verbis, quæ sauciant mentem: nec multum cum eis immoretur, nisi quantum confessionis necessitas exigit: nec easdem nisi in publico audiat; ità vt dum confessiones excipit, ab alijs conspiciatur, vt constat ex ijs, quæ sup. adnotauimus *disp.* 2. *sec.* 1. Iuuat deniq; multum memorare tanti sceleris enormitatem, & pœnas, à iure, ac Pontificijs Constitutionibus statutas: postquam vltra deformitates à Gregoriana cõnumeratas, quas secum affert tantum nefas, ea

3 est omnium maxima, quòd hæresis suspicionem inducit, iuxtà ea, quæ habentur ex Constitutione Pij V. edita sub die 16. mensis Aprilis 1561. in illis verbis, *Nos animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè sentiunt, Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciant.*

4 Hanc autem hæresis suspicionem, seu præsũptionem vehemẽtem esse docent *Pegna in Dir. Inquis. p.* 2. *com.* 8. *Modius de Sac. Ordin. c.* 27. *sub n.* 6. *Genuen. in praxi Archiep. c.* 66. *n.* 2. qui refert audiuisse ita declaratum à *Clem. VIII. Bariola Consultor S. Officij in Sac. Inquisitione Mediolan. de Confessar. sollic. post flores Inquisitionis, & alij.* Sed quoniam ex hoc facto non videtur colligi, nec semper ferè, neq; vt plurimum, vt illud facientes sint hæretici, iuxtà ea, quæ nos adnotauimus *in nostris Commentar. in Bull. Cœna lib.* 2 *c.* 1. *q.* 33. *sub n.* 5. *cum plurib. seq.* idcirco probabilior nobis videtur sententia *Parami de orig. Inquis. lib.* 3 *q.* 10. *n.* 115. *Acug. de confessar. sollic. q.* 24. *n.* 12. quos refert, & sequitur *P. Diana to.* 5. *resolut. tract.* 5. *resol.* 51. qui putant, huiusmodi hæresis suspicionem, quã Confessarij sollicitantes ad turpia pœnitentes, contrahunt, non esse vehementem; sed tantùm leuem: siquidem rarò Confessarij nefas hoc cõmittunt, quia de Sacramento pœnitentiæ malè sentiant; sed frequenter, & vt plurimum à carnalibus incentiuis compulsi miserabiliter cadunt. Est tamen verum, quòd leuis illa suspicio ex frequentia, vel ex alia quauis circumstantia poterit vehemens insurgere, atq; ideò talis sceleris reus posset compelli ad abiurandum de vehementi; nunquam tamen de hæresi formaliter conuinci potest, etiam si bis, & sæpius delictum patrauerit, & abiurauerit, vt habetur ex *Acugna, loc. cit. n.* 13. & 25. *cum plurib. seq.*

5 Imò talis abiuratio non debet fieri in publico; sed in secreto in Aula S. Officij coram Episcopo, aliquibus Confessarijs, Parochis, ac Regularibus. Vbi verò Reus Regularis foret, solẽt in aula prædicta in legendis culpis assumi eiusdem ordinis Religiosi, quibus omnibus secretũ præcipitur, ne si commissa scelera propalentur, detur vrgens occasio fastidiendi, vitandi, ac dissuadendi vxoribus, ac filiabus frequentiam Sacramenti pœnitentiæ, vt habetur ex eodẽ *Acugna d. q.* 24. *n.* 14. *cum plur. seq.* & ante ipsum *Simanc. de Cathol. c.* 1. *n.* 24. *Rojas, singul.* 1. *n.* 11. & 56. *Pen. in Dir.* 3. *p. com.* 40. *vers. Præterea*

rea differunt, Parâm.d.q.10.n.166.& Cantera in qq.crim.c.1.de haret.n.65.ad fin.pag.426. vbi etiam addit, huiusmodi criminis reos non esse pœnitentijs, publicè plectendos. Per supra

6 relatam Constitutionem Gregorianam, §.4.*in fin.* pro criminum qualitate, ac circumstantijs variæ, ac diuersæ pœnæ prædicti criminis reis decernuntur; nempè suspensionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa: nec non vocis actiuæ, ac passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, absq; vlla spe gratiæ: imò si grauitas sceleris ex aliqua circumstantia grauiores pœnas exigat, dicta Gregoriana statuit, eiusmodi criminis reos posse degradari, & Curiæ sæculari tradi.

7 Ante prædictam constitutionem editam solebant ipsi Confessarij vt sup. pœnitentes ad turpia sollicitantes plecti similiter pœna exilij, carceris, triremium, priuationis vocis actiuæ, ac passiuæ, audiendi confessiones præsertim mulierum, & aliarum pœnarum maiorum, ac minorum, iuxtà criminum qualitates, frequentiã, & circumstãtias, vt per eundem *Acug. d q.24. n.10.* & in eum *Seraphin. n.50.* qui testatur vidisse Pintræ quendam Confessarium, qui spatio quamplurimorum annorum pęnitentes ad turpia sollicitauerat in confessionibus audiendis, priuatum facultate confessiones audiendi: & insuper ad detrudendum in carcerem per decenniũ in propriæ Religionis Monasterio, à Prouinciali Superiore designando; dummodò Monasterium non sit existens in eo Oppido, ac Ciuitate, in quibus confessiones audiens ad turpia sollicitabat. Imò antequam in carcerem detruderetur, fuit decretum, vt fustibus flagelletur ab omnibus prædicti Monasterij Religiosis, præsente sanctæ inquisitionis notario, vltra ieiunia, & alias mortificationes, ac pœnitentias. Et si ex sollicitatione Confessarius ipse deuenerit ad actum consumatum punitur pęna depositionis; quoniam, vt sup. diximus, per copulã cum filia spirituali committitur incestus: at pro incestu imponitur depositionis pęna, vt probat *Farin. in pract.crim.q.149.n.53.Anton.de Butr.in c. at si Clerici, n.13 de Iudic.* vbi etiam *Panor. n. 35. Bero.n.169. & Clar. in §. Incestus, n.2. & Roder. Acugna d.c.24. n.7.* His adde, quæ sup. diximus *sec. praced. vers. An autem.*

8 Quæ diximus de Confessario sollicitante fœminam in confessione, extendimus ad Confessarium sollicitanté puerum in actu pariter cõfessionis: etenim non minus abutitur Confessarius Sacramento pœnitentiæ sollicitãdo ad turpia mulierem eius confessionem excipiens, quã ad turpia sollicitando in actu confessionis puerum. Nam quamuis olim controuersia erat inter Doctores de Confessario ad inhonesta sollicitante pueros, vt sup. sit denunciandus: namquidam negatiuam sententiam sustinebant, nempè *Fagund.de precep.Eccl.precep.2.lib.4. c.3.sub n.31.Portell.ad dub.Regular. ver.Sollicitare fœminas*, & *Bariola in florib. Inquis. fol. 227.* Alij verò affirmatiuam opinionem tenebant, vt *Ricc.in praxi, p.3. resol.26. n.3. Roder. Acugna, de Confessar.sollic.q.5 Cherub.in compen.Bullar.p.2.const.31.& Molfes.p.1. sua sum.tract.7.c.24.n.34.* hodie tamen ab affirmatiua sententia nullo pacto est recedendum, atq; ideò Confessarios ad turpia sollicitantes pueros in confessione esse proculdubio reuelandos, vt patet ex sæpè à nobis relata *Gregoriana Constitutione*, §.4. in illis verbis, (*Qui personas, quacumq; illa sint, &c.* & ità post alios docet quoque *Diana to. 1. tract. 4. resol.11.* Vndè huius sceleris reus, iuxtà criminis frequẽtiam, & alias circumstantias plectitur, & abiurare compellitur pro leui hæresis suspicione, vel pro vehementi; sicut supra diximus de Confessario sollicitante fœminas. Quòd si eiusmodi Confessarij

9 talis sceleris rei abiurare renuant, tunc sunt excommunicandi: & si in excommunicatione per annum insurdescant, tunc oritur contra eos violenta hæresis suspicio, & ordinaria pœna veniũt plectendi: & si sint omninò incorrigibiles, degradati Curiæ sæculari traduntur. Ita post alios docet *Roder. Acugna d.q.24.n.20. 21.30 32.& 33.Eymer.Dir.Inquis.p.2.q.55 n.25.* & in eum *Pen. litt. S.* ad quod facit *tex.in c. Excommunicamus, §.qui autem, de haret.* Si verò dicti criminis rei Ecclesiæ mandatis humiliter pareant, post abiurationem de leui, & pœnitentiã peractam, non redduntur de iure inhabiles ad gradus, ac dignitates eorum Religionis, vt habetur ex *Nauar.consi 18 de haret.* incipit *Titius Religiosus, & Emanuel Rodriq. to.2. qq. Regul. q.82.ar.2.* quos refert, & sequitur *Roder. Acugna loc. cit. n. 22.* & in eum *Seraph. n. 70.* vbi etiam addit, quòd suspectus etiam de hæresi, qui abiurauit de vehementi, non est inhabilis ad beneficia, etiam cathedralia, vt fuit decisum in *Rota Rom.* apud *Farinac.lib.1.decis.51.* & habetur etiam ex *Garc. de Benef. to. 2. p. 2.c.10. n.87.* cum alijs, quos allegat. Regulares autem Confessarij ex abiuratione propter sollicitationem ex decreto S D.N. D. Vrbani VIII. remanent inhabiles ad officia Religionis, vt post alios inquit *Diana tom.4.tr.5.resol 48.*

Ad quos spectet Confessariorum cognitio pœnitentes in confessione ad turpia sollicitantium.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Cognitio Confessariorum ad turpia pœnitentes sollicitantium, spectat ad Inquisitores hæretica prauitatis, & tam simul, quàm separatim cum Ordinarijs omnium locorum.*

2 *In Regnis Hispaniarum non possunt Episcopi separatim ab Inquisitoribus cognoscere causas de rebus fidei, & denunciationes ipsis factas tenentur Inquisitoribus remittere, & neque carcerare reum possunt.*

3 *Ex Const.Greg. XV. in Regnis, vbi non extat Hispanica Inquisitio si præfati citentur eodẽ tempore ab Episcopo, & Inquisitore, comparere possunt coram Episcopo tantum, vel coram Inquisitore.*

4 *Quamuis per præfatam Bullam Gregorij Episcopi tam coniuncti simul cum Inquisitoribus, quàm separatim possint in crimine sollicitatio-*

tionis procedere, non tamen sententiam separatim proferre valent.

5 *Contrarium tamen de hoc sentit Pegna. Et in quam sententiam inclinet P. Dian.*

6 *Inquisitores in præteritam sollicitationẽ, præiudicatam ab Episcopo animaduertere non possunt.*

1 AD præfatam difficultatem quid dicendum sit patet ex præcedenti *sec.* Etenim cùm sollicitatio pœnitentium ad turpia in confessione per Confessarios habita, inducat contra ipsos hæresis suspicionem, & obliget talis sceleris reos ad abiurationem, certum est, horũ cognitionem pertinere ad Inquisitores hæreticæ prauitatis. Etenim Inquisitores ipsi facultatem habent non solùm cognoscendi de hæreticis; sed etiam de omnibus criminibus, quæ suspicionẽ præbent hæresis, vt in *c. accusatus, de hæret. in 6.* at sollicitantes pœnitentes in actu confessionis suspicionem contrahunt hæresis, vt sup. diximus. Ergo, &c. Imò expressè horum cognitio fuit delegata prædictis Inquisitoribus, vt habetur in Constitutione Pij IV. edita sub die 16. Mensis Aprilis 1561. ex decreto Sac. Congreg. de mandato S.P. lato die 15. Decemb. 1613. & Constit. Greg. XV. lata die 30. Augusti 1622. vbi insuper addit, se velle, cõstitutionem ipsam locum sibi vendicare vbiq; locorum Vniuersi Orbis Christiani: & hanc eandem cognitionem delegat non solùm Inquisitoribus hęreticæ prauitatis; sed etiam Ordinarijs omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum, in suis Diœcesibus, & Territorijs tam simul, quàm separatim in omnibus, prout in causis Fidei, vt constat ex *§. 3. in princ.* & latiùs §. 4. in illis verbis, *Et propterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios, &c.* Vndè hæc Gregoriana in plus se habet, quàm supradicta Piana, ac Pontificium decretum: siquidem supradictum decretum Romæ tantùm locum habet: Piana verò in Regnis Hispaniarum, sicut & alia consimilis edita à Paulo V. die 16. Septembris 1608. Pontificatus sui anno 4. at verò Gregoriana extenditur per totum Christianum Orbem. Et istam cognitionem huius sceleris delegat non tantùm Inquisitoribus, sed etiam Ordinarijs locorum, qui procedere valeant diuisim, aut coniunctim: quę delegatio non conspicitur in alijs sup. relatis Pontificijs dispositionibus.

2 Verum tamen est, quòd in Regnis Hispaniarum, in quibus extat specialis Hispanica inquisitio, ex consuetudine, ac priuilegio Pontificio non possunt Episcopi separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere: & denunciationes ipsis factas tenētur ad Inquisitores remittere; neq; reũ valent carcerare, nisi timeatur de fuga; sed certiorem facere debent præfatos Inquisitores, vt illum capiant, vt habetur ex *Sã. ctarel. tract. de hæresi, c. 40. dub. 2. n. 15. Molina to. 5. de Iust. & iure, trac. 5. disp. 28. n. 12. & 13. Acug. de Cõfessar. sollic. q. 2. n. 1. Pegna in Dir. p. 3. q. 32. com. 101. & Barb. in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 17. n. 3.* atq; ideò cum causa sollicitationis sit causa fidei, in dictis Hispaniarum Regnis non potest Episcopus separatim cognoscere de crimine sollicitationis; sed iunctim cum Inquisitoribus: secus autem dicendum est in alijs Regnis, vbi talis consuetudo, aut priuilegium non extat; quoniam ibi potest Episcopus etiam separatim ab Inquisitoribus de ipso crimine cognoscere, vt rectè aduertit *P. Diana to. 1. tr. 4. de denunc. resol. 29.* cum alijs, quos allegat, & *to. 4. tr. 5. de Confessar. sollic. resol. 52.* vbi *circa fin. eiusdem resol.* addit etiam, quòd si Confessarius sollicitans, & mulier sollicitata eodem tempore citentur ab Episcopo, & Inquisitore, etiam in Regnis vbi non adest inquisitio Hispanica, comparere debent coram Inquisitoribus; non autem coram Episcopo, vt contra *Rojas singul. 44. n. 3. & seq.* docet *Sousa opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 2. n. 7.* Etenim iurisdictio Inquisitorum cùm sit delegata à S.P. superior est, & maior iurisdictione ordinaria. Si verò Cõfessarius esset Regularis exemptus posset in tali casu corã Episcopo comparere: quoniam Episcopus contra illum procedit ex iurisdictione delegata.

3 Sed re vera hodie vi supradictæ Constitutionis Gregorianæ, in Regnis, in quibus non extat Hispanica inquisitio, si prædicti citentur eodẽ tempore ab Episcopo, ac ab Inquisitore, videtur, eos posse comparere coram Episcopo tantùm, vel coram solo Inquisitore: siquidem in crimine sollicitationis eiusmodi tam Episcopi, quàm Inquisitores videtur specialiter Delegati à Romano Pontifice, vt patet ex illis eiusdem Gregorianæ verbis, §. 4. *Et præterea, omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani, in suis quemq; Diœcesibus, & Territorijs per has nostras litteras, etiam priuatim quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, & super his contra prędictos simul, & separatim in omnibus, &c.* Nota verba illa, *Perpetuò Iudices delegamus, &c.* quoniam verbis huiusmodi tam Inquisitoribus, quàm Episcopis æquè principaliter coniunctim, ac diuisim à Rom. Pontifice criminis huius fit delegatio: quocirca quamuis in alijs hæresum causis vera sit sententia *Rojas*; non tamen videtur habere locum in præsenti sollicitationis casu, siue Confessarius sollicitans Regularis, siue sæcularis Sacerdos existat.

4 Illud autem circa rem hanc nolui hoc loco silentio esse prætereundum, quod inquit *Sousa* post *opusc. de Confessar. sollic. in præfationibus ad præfatam Bullã Gregorianã*, dum ait, quòd quamuis, attenta dispositione dictæ Bullæ Episcopi, tam cõiuncti simul cum Inquisitoribus, quàm separatim possint procedere in crimine sollicitationis, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus; non tamen per ipsam Gregorianam conceditur, vt Episcopi sententiam separatim proferant, atque ideò citra Inquisitorum interuentum; etiam si abiuratio tantùm sollicitantibus decernatur; sed quoad hoc iura, ac Constitutiones Pontificias seruari debere. Nec etiam per dictã Gregorianam tollitur communicatio processuum per ius canonicum, vt est *tex. in c. per hoc, de hæret. lib 6.* Hanc eandem sententiam tenet *Pegna in Dir. p. 3. com. 97. Lucer. Inquis. ver. Absoluere, n. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana to. 4. tr. 5. de Confessar. sollic. resol. 53.* vbi post alios

alios quoq; docet, id adeò verum esse, vt si Episcopus separatim sententiam ferat contra Confessarios ipsos sollicitantes, eam nullam esse, ac inualidam, sicut si pro eisdem absolutoria detur.

5 Contrarium tamen defendit *Pegna* relatus ibi, dicens, hoc esse de genere eorum, quæ licèt fieri prohibeantur, facta tamen tenent: nam Episcopus est Ordinarius Inquisitor, & per Gregoriũ Episcopi in eiusmodi causis delegantur Iudices diuisim, & cōiunctim: ergò talis delegatio Episcopis facta censetur non solùm in procedendo diuisim, aut coniunctim, sed etiam eo modo in iudicando. Vndè ipse *P. Diana* quamuis in priorem opinionem videatur inclinare *d. resol.* 53. nihilominus *resol.* 54. videtur sequi sententiam *Acug. de Confessar. sollic. q.* 3. *n.* 11. & in eum *Seraph. Freit. in addit. nouissimis ad d. q.* 3. *n.* 37. *& seq.* dicentium, Inquisitores non posse

6 animaduertere in sollicitationem præteritam, si iam præiudicata fuerit ab Episcopo, cùm eiusmodi crimen remaneat extinctum in foro Ecclesiæ; atq; ideò licèt Episcopus separatim sententiam absolutoriam maximè tulerit in causa sollicitationis; valebit tamen sententia ipsa, etò quod ab eo separatim de iure non potuerit, vt *in d. c. per hoc, de hæretic. in 6. Simancha de cathol. tit.* 25. *n.* 5 & *Molina to.* 5. *de Iustit. & iur. disp* 28 *n* 13. *&* 14. vbi nota hic obitèr, quòd in omnibus casibus, in quibus datur obligatio denunciādi, in omnibus etiam datur nexus, seu ligatio reseruationis Episcopalis: ità eruditissimus noster *P. Quartus.*

Quonam modo procedatur contra Confessarios, pœnitentes in confessione sollicitantes.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *In quolibet crimine tripliciter proceditur etiã in causa fidei.*
Et an causa sollicitationis ad turpia in actu confessionis dicatur fidei.
2 *Denunciatio in nullo crimine inscriptionem denunciantis expostulat.*
3 *Inquisitio regulariter diffamationẽ exigit eius contra quem formatur.*
4 *Fallit tamen in crimine hæresis, in quo diffamatio non requiritur ob eius enormitatem.*
5 *Inquisitor, qui in crimine hæresis procedit per viam inquisitionis nulla præcedente infamatione, debet esse prudens, & cautus, ac adeò secretè inquirens, ne cuiuspiam fama, vel honor lædatur.*
6 *Licet in crimine hæresis, quando in eo procedatur per viam Inquisitionis non præexigatur Rei diffamatio; in crimine tamen sollicitationis ea prærequiritur.*
7 *Rei diffamatio nullo pacto exigitur quo ad accusationem, & denunciationem in crimine sollicitationis.*

1 AD hanc difficultatem respondetur, quòd sicut in quolibet crimine tripliciter procedi potest, nempè per viam accusationis, denunciationis, & inquisitionis, vt *in c. super his, & c. qualiter, & quãdo, il* 2. *de accusat.* ita quoque in causa fidei proceditur, vt habetur ex *Eymer. in Direct. Inquis. p.* 3 *tit. de modo proced. in causa fid. n.* 67. 68. *&* 69. & in eam *Pegna com.* 14. 15. *&* 16. Vndè cùm sollicitatio ad turpia in actu confessionis dicatur fidei causa propter hæresis suspicionem, quam contrahunt Confessarij pœnitentes sollicitantes, vt *sec. praced.* ostendimus, proculdubio in sollicitationis scelere tribus modis pariter procedi potest, nempè per viam accusationis, denunciationis, & inquisitionis. Et quoniam accusatio tendit ad delinquentis pœnam, licèt regulariter accusator se inscribat ad pœnam talionis, nisi probet; in causa tamen fidei hodie non inscribitur, vt probat *Pegna d. com.* 14. atq; ideò arbitror nec inscribi

2 accusatorem in delata accusatione contra præfatos Confessarios, vt sup. sollicitantes. Denunciatio verò cùm tendat ad delinquentis tantùm correctionem, in nullo crimine inscriptionem expostulat, vt *in d. cap. super his, de accusat.* & propterea Denunciator in causa sollicitationis se inscribere non compellitur. Nec prærequiritur aliqua diffamatio, ac infamia accusati, aut denunciati, cum proceditur per viam accusationis, seu denũciationis; quoniam ipsa accusatio præsertim obtinet vicem diffamationis etiam si agatur de causa ad fidem pertinente, vt habetur per *Eymer. d. n.* 67. & in eum *Pegna com.* 14.

3 Inquisitio denique, cum ex officio procedat Iudex, regulariter exigit diffamationem eius, contra quem formatur inquisitio, vt *in d. c. qualiter, & quando, il* 2. *de accusat.* & ibi latè Doctores.

4 Dixi, *Regulariter*, quoniam in omnibus delictis, in quibus proceditur per viam inquisitionis, licèt inquisitio exigat præuiam diffamationem inquisiti; id tamen fallit in crimine hæresis; siquidem in eiusmodi crimine ob enormitatem illius, & timorem infectionis, potest formari inquisitio contra reum, etiam si nulla præcedat diffamatio, vt habetur ex *Pegna d comm.* 16. *Simancha de cath. Inst. tit.* 43. *n.* 7. *& seq Rojan. à Valle lib.* 3. *cons.* 8. *n.* 6. *Campeg. in addit. ad Zanchin. tract. de hæret. c.* 9 *n.* 9. *Rojas singul.* 3. *n.* 22. *& ex alijs.* Est tamen verum, quòd

5 quãdo Inquisitor procedit per viam inquisitionis in crimine hæresis, nulla præcedente diffamatione; sed per sola indicia, ac præsumptiones; debet esse prudens, & cautus, & adeò secretè inquirere, ne cuiuspiam fama, honorq; lædatur, vt per *Gemin. Franc. & alios, in c. officium, de hæret. in 6. Bald. in l. iubemus, C. de probat.* quos refert, & sequitur *Pegna d. com.* 16. Crimen autem sollicitationis, de quo agitur, licèt quando in eo proceditur per viam accusationis, aut denunciationis non sit opus vt præcedat rei diffamatio, cùm accusatio, ac denunciatio obtineant vicem diffamationis, vt sup. diximus; nihilominus vbi in tali crimine proceditur per viam inquisitionis, arbitror debere præcedere rei diffamationem; tum quia crimen sollicitationis non est formaliter crimẽ hæresis aliorum infectiuũ, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *sub n.* 31. Sed regulariter leuem inducit hæresis suspicionem, vt sup. ostendimus *sec.* 3. tum etiam, quoniam id apertè definitum

reperitur per Pontificias constitutiones, vt patet ex illa Pij IV. edita 16. Aprilis 1561. §. 1. quæ incipit, *Sicut nuper*, in illis verbis, *Contra omnes Sacerdotes, &c. quomodolibet diffamatos.* & ex alia Pauli V. emanata die 16. Septemb. 1608. ibi, *Contra singulos Sacerdotes, &c. de præmissis quomodolibet diffamatos*, quæ quidem diffamatio ad aures Superioris perueniat, non à maleuolis, & maledicis; sed à prouidis, & honestis, iuxtà *tex. in d. c. qualiter, & quãdo*, in illis verbis, *Si per clamorem, & famam ad aures Superioris peruenerit, non quidem à maleuolis, & maledicis; sed à prouidis, & honestis.* vbi est adnotandum, quòd *Glosa ibi, in ver. à maleuolis:* id verum esse ait si constaret, quòd fama, seu diffamatio à talibus proueniat: aliàs difficile esset probare famam ortam esse à talibus, cùm fama ab incerto auctore procedat, vt *in c. sanctũ est, de consecr. d.* 4. vndè si non constat, quod à maleuolis, & maledicis sit orta infamia, ipsa *Glosa* inquit, inquisito indicendam esse purgationem vndecumq; procedat infamia. Ergo idẽ dicendum videtur in crimine sollicitationis, vbi in eo proceditur per viam inquisitionis: nam cũ inquisitio huiusmodi prærequirat reos quomodolibet diffamatos, præreqùirit infamiam vndecumq; procedat.

6 Ex his infertur, quòd licèt in crimine hæresis, quando in eo proceditur per viam inquisitionis non præexigatur Rei diffamatio, vt sup. ostendimus; in crimine tamen sollicitationis, cùm in eo proceditur per viam pariter inquisitionis, debet præcedere Rei diffamatio, sicut in reliquis criminibus, excepta hæresi. Etenim quamuis cognitio sollicitationis pertineat ad Inquisitores hæreticæ prauitatis sicut cognitio hæresis; nihilominus ex Pontificijs cõstitutionibus in hoc differt inquisitio sollicitationis ab inquisitione hæresis, quòd prior præexigit Rei diffamationem, non autem posterior. Et sicut aliorum criminum inquisitio, excepta hęresi, præexigat veram famam vndecumq; procedat, vt per *Glos. in d. c. qualiter, & quando, il 2. ver. à maleuolis*; quæ quidem vera tunc dicitur, quando non constat prouenire à maleuolis, & maledicis, etiam si id per Fiscum non probetur, cum fama ab incerto actore proueniat, vt *in d. c. sanctum est, de consecr. d* 4. & ex dicta *Glosa* colligitur; ita quoq; sollicitationis inquisitio prerequirit veram famam vndeqnaq; proueniat; siue insurgat à pœnitentibus sollicitatis, siue ab alijs, dummodò ex ipsa inquisitione non constet, infamiam procedere à maleuolis, & maledicis, potiusquam à prouidis, ac honestis personis: atq; ideò inquisitio sollicitationis quoad prærequisitam infamiam Rei, non differt ab inquisitione aliorum criminum. Siquidem verba illa supradictarum Pontificum constitutionũ, *Quomodolibet diffamatos, &c.* non significant satis esse qualemcumq; infamiam, etiam à maleuolis, & maledicis ortam, & non veram infamiam, de qua *in d. c. qualiter, & quando, il 2.* & ibi *Glosa, in ver. à maleuolis:* vt videntur velle *Moura opusc. 1. de Ensal. & incant. sec. 3. c. 3. n. 11. & Acugna de cõfessar. sollic. q 4. n. 4.* quos refert, & sequitur *P. Diana to. 4. tract. 5. de cõfessar. sollic.* sed denotant præ requiri in sollicitationis inquisitione veram Rei diffamationem vndecumq; procedat, siue à pœnitentibus sollicitatis, siue ab alijs, dummodò non constet prouenire à personis maleuolis, & maledicis; & nõ à personis prouidis, & honestis, etiam si per Fiscum id non probetur, cum sit difficilis probationis, eò quòd fama ab incerto auctore proueniat, vt sup. diximus. Etenim verba, *Vndecumq; procedat*, quibus vtitur *Glosa loc. cit.* æquipollent verbis prædictis, *Quomodolibet diffamatos*; Vndè sicut inquisitio cum alijs delictis, excepta hæresi, excludit famam ortam à maleuolis, ac maledicis, ità etiam dicendum videtur in inquisitione contra Confessarios sollicitantes pœnitentes in actu confessionis. Nec obstant verba illa supradictarum Pontificum constitutionum, *Diligenter inquiras, & iuxtà facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.* quoniã licèt verbis illis detur facultas procedendi contra Confessarios pœnitentes vt supra sollicitantes, sicut contra hæreticos; Excipitur tamen inquisitio contra sollicitantes, vt contra eos non formetur, nisi præuia diffamatione, per verba illa, *Quomodolibet diffamatos*, quæ quidem diffamatio non prærequiritur in inquisitione pro crimine hæresis, vt sup. ostendimus. Quo uerò ad accusationem, & denunciationem in crimi-

7 ne sollicitationis nullo pacto dicimus præexigi Rei diffamationem, nec quidem aliqualem, vt aliqui opinantur prærequiri: quoniam accusatio, ac denunciatio se habẽt loco diffamationis: & propterea meritò contra sic opinantes insurgunt *Moura, & Acugna locis citatis*, & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana d. resol.* 1. Hęc satis de hac re remittendo me in omnibus doctissimo iudicio Dominorum Sacræ Inquisitionis.

Quænam probationes satis sint ad carcerandum, & puniendum Confessarios ad turpia pœnitentes in confessione sollicitantes.
SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Ex vnius fœminæ quantumuis honestæ denunciatione, quod a Confessario fuerit ad turpia sollicitata, non est constituendus, nec carcerandus Confessarius.*
Et quid soleat agere Inquisitor cum mulier denunciat, seu deponit, mulierem fuisse sollicitatam ad turpia.

2 *Confessarius si compertus fuerit leuis, & malę vitæ, non poterit ab Episcopo capi absq; speciali commissione, & rescripto Sac. Congr.*
Memorantur litteræ eiusdem Sac. Congr. directæ Episcopo Fulgni.

3 *Confessarius constitui, & carcerari potest, si duæ fœminæ probatæ vitæ aduersus eum denunciauerint de sollicitatione.*

4 *Fœminæ regulariter à testificando repellũtur.*

5 *Sollicitationis crimen aliter quam per fœminas probari nequit.*

6 *Ad condemnandum Confessarium pro sollicitatione habita in confessione nõ sufficiunt duę mulieres, quantumuis probatæ vitæ denunciantes.*

7 Con-

7 *Confessarius examinatus si delictum negauerit., torqueri potest pracipuè super intentione qualiter sentiat de Sacramentis.*

8 *Tres fœmina probata vita, Confessarium denunciantes, satis sunt ad conuincendum, & condemnandum eum pro crimine sollicitationis in earum personas.*

9 *Probatio per testes singulares licet non dicatur aperta, nec concludens, esto quod fœmina denunciantes sint quatuor, & propterea non sufficiat ad pœnam ordinariam imponendam, sufficit tamen ad extraordinariam maximè in crimine hæresis.*

10 *Testes singulares si sint infames, vel complices, nunquam satis sunt ad imponendam ordinariam pœnam. Vbi vide casum, &c.*

IN hac re varia sunt Doctorum placita, & ideò quid nobis dicendum sit, per sequentes conclusiones breuiter aperiemus. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

1 EX vnius fœminæ quantumuis honestæ denunciatione non est constituendus, nec carcerandus Confessarius, quem ipsa fœmina denunciat ab eo fuisse ad turpia sollicitatam in actu confessionis. Hęc conclusio est communis, quam docet *Acugna de Confessar. sollic. q. 23. n.27.* & in eum *Freitas, q.4.n.27. Sousa, opusc. de Confessar. sollic. tract. 2. c 21. n.6. & Diana to. 1. tract. 4. res. 28. & to. 4. tr. 5 de Cōfessar. sollic. resol. 5.* Vndè *Molfes. p. 1. sua sum. Theol. tract. 7. c. 25. n. 39.* relatus à *Diana d. resol. 55.* quòd dum est sola denunciatio, vel depositio mulieris sollicitatæ ad turpia, quæ sit bonæ famæ, Domini Inquisitores verbotenus solent inquirere de qualitatibus Confessarij, an aliàs sit inquisitus de similibus, qui si similiter sit bonæ famæ in pari qualitate præfertur, vt testatur ab illis audiuisse, & seruari in practica. Quòd si compertus fuerit leuis, ac malæ vitæ, tunc ait *Freitas loc. cit. n 28.* eum posse capi. Non tamen id fieri posse ab Episcopo citra supremæ Congregationis sacræ Inquisitionis specialem commissionē, vt rescriptum fuisse Episcopo Ful. testatur *Nouar. in Lucer. Regul. ver. Sollicitationes*, mediantibus litteris tenoris sequentis. *Al Molto Illustre, & Reuerendiss. Monsignor il Vescouo de Foligno.* Intus verò, *Molt' Illustre, & Reuerendiss. Signore. Acciò più fundatamente si proceda contra li sollicitanti in confessione, questa suprema Congregatione ordina, che per il detto d'vna sola donna V.S. non venghi à costituire, ò carcerare il preteso reo, senza prima darne quà auiso con la relatione della qualità della donna, del denunciante, & denunciato, & all' hora se li scriuerà se debba, ò nò procedere à costituirlo, & carcerarlo, tanto V.S. sarà contenta d'eseguire, & il Sig. Iddio la conserui. Roma li 17. di Luglio 1627. Affettionatiss. per seruirla. Il Cardinal Mellino.* Quod si cum mala fama Confessarij, & denunciatione fœminæ, quæ dicat ab eo fuisse in confessione sollicitatā, concurrāt alia indicia, aut adminicula, maximè si Confessarius aliàs fuerit inquisitus de tali crimine, tunc potest constitui, ac carcerari, ac etiā torqueri, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Farin. de hæresi, q. 185. à n. 130.* & alijs relatis à *Seraph. in addit. ad Roder. de Acug. de Confessar. sollic. q. 4. n. 16. & q. 23. n. 29.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 COnfessarius potest constitui, ac carcerari, si duæ fœminæ probatæ vitæ aduersus illum denunciauerint. Hæc conclusio est *Sousa opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 12 concl 4. n. 8. Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 25. n. 39. Bariola de Confessar. sollic. q. 15. & aliorum.* Probatur, quoniam tres fœminæ sollicitatæ in confessione secundùm aliquos sufficiunt ad puniendū Cōfessarium, vt infra dicemus. Ergò duæ satis sunt ad ipsum cōstituendum, & carcerandum. Dixi, *Duæ fœminæ probatæ vitæ*, quoniam si constaret huiusmodi fœminas non esse probatę vitæ, præsertim si sint complices, earum denunciationes non sufficerent ad constituendum, ac carcerandum Confessarium, quem denunciauerunt in confessione eas sollicitasse, vt habetur ex *Acugna de Confessar. sollic. q. 23. n. 9. & Sousa loc. cit.* Etenim fœminæ regulariter repelluntur à 4 testificādo, vt *in c forus, de verb. signif. c. mulierem*, & ibi *Glosa, ver. nec testis, 33. q. 5. c. mulieres*, & ibi *Panor n. 2. in prin. de testib.* quam sētentiam communem esse testatur *Felyn. ibid. n. 1. Dec. in l. fœmina, n. 34. ff. de regul. iur.* & latè *Mascard. de probat. concl. 763.* siquidem fœminæ, vt colligitur ex *d. c. forus*, ex sui natura sunt mendaces, periuræ, dolosæ, variæ, & corruptibiles. Et quamuis in hoc crimine sollicitationis, sicut in crimine hæresis admittantur in testes, vt habetur ex *Simancæ in Enchirid. tit. 37. n. 80. & de Cathol. instit. tit. 64. n. 77. Acugna loc. cit. q 22. n. 8. & 9. Farinac de hæresi, q. 64. n. 6. Couar. lib. 3. var. resol. c. 3. n. 3. vers. Verum*, & ex alijs, qui hanc esse rationem volunt, 5 quoniam sollicitationis crimen aliter probari non potest, nisi per fœminas ipsas sollicitatas: attamen duæ fœminæ, vt sup. denunciantes earū Confessarium debent esse probatæ vitæ, vt earūdem denunciationes satis sint ad constituendū, & carcerandum illum. Imò totum hoc negotiū remittendum est arbitrio, ac iudicio Inquisitorum, qui qualitates, & mores Confessarij denūciati, & mulierum denunciantium debent diligenter saltem verbotenus inquirere antequam ad Reum constituendum, ac carcerandum deueniāt, vt habetur ex *Ioanne Sancio in select. disp. 11. n. 47. & P. Diana d. resol. 55. tr. 5. to. 4.*

TERTIA CONCLVSIO.

6 AD condemnandum Confessarium pro sollicitatione in confessione habita denunciatum, non sufficiunt duæ mulieres, quantumuis probatæ vitæ denunciantes. Hæc conclusio est *Sanctarelli tract. de hęresi, c. 44. dub. vnico, n. 6. Peirini de priuil. Minim. to. 2. cōstit. 4. Gregor. XV. §. 8. n. 23. Bonac. tract. var. disp. 6. pun. 3. n. 26. Ioan. Sanc. in select. disp. 11. n. 46.* quos refert *P. Diana to. 1. tr. 4 resol. 8.* cōtra *Param. de Orig. Inquis. lib. 3. q. 10. n. 158. & 165.* Etenim licet per duos testes omni exceptione maiores probari possint omnia crimina, vt *in l. vbi numerus, ff. de testib. & c. si testes, §. vbi numerus, 4. q. 3.* nihilominus in casu nostro cùm admittantur fœminæ singulares deponentes super diuersis factis, non sunt legitimæ testes, quo-

niam testes singulares regulariter non probant, vt *in l. ob carmen, § si testes*, & ibi *Glos. & Bart.* & ad eum Addentes, præsertim *Alex. ver. Sufficit, ff. de testib.* Est tamen verum, quòd circa fidem testium multum præualet iudiciũ, & prudentia Dominorum Inquisitorum, qui considerare debent circumstantias, & qualitates tam mulierum denunciantium, quàm Sacerdotum, qui accusantur, vt habetur ex *Diana loc. cit.* ad quod facit *tex. in l. 3. § ideoque, ff. de testib.* ibi, *Tu magis scire potes quantũ fides sit adhibẽda testibus, &c.* In omnem euentum hoc casu examinatus Confessarius, si negat delictum, potest torqueri præcipuè super intentione, qualiter sẽtiat de Sacramentis Ecclesiæ: & si confitendo delictum, constaret malè sentire debet abiurare de vehementi: si tamen constet ardore libidinis id fecisse, abiurat de leui, & pro qualitate excessus, & pro continuatione criminis punitur. Et ita in praxi seruari testatur *Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 24. sub n. 40.* Quod si in tormentis in negatione perseueraret, est dimittendus.

7

QVARTA CONCLVSIO.

8 TRes fœminæ probatæ vitæ denunciantes Confessarium, satis sunt ad conuincendũ, & condemnandum eum pro crimine sollicitationis in confessione in earum personas. Hæc conclusio est *Ortiz in sum. c. 24. n. 11. & aliorũ.* Etenim quando proceditur in crimine per viam denunciationis tres testes sufficienter probant: eo quod per denunciationem non intẽditur per denunciantem pœna; sed correctio denunciati, vt in *c. in omni negotio*, & ibi *Glosa, de testib.* Et quamuis eiusmodi mulieres sint singulares; nihilominus non dicuntur simpliciter tales; sed aliquo modo contestes: nam licèt discordant in loco, & tempore; in substantia tamen sunt concordes, iuxta ea, quæ habentur ex *Alex. in addit. ad Bart. in l. ob carmen, § si testes, sub n. 2. ff. de testib. Vinc. de Franch. decis. 105. sub n. 21.* & in specie *Simanch. in Enchirid. tit. 37. n. 80. & de cathol. instit. tit. 64. n. 77. Rodor. de Acug. de Confessar. sollic. q. 22. n. 8. & 9.* quibus adde, quæ cumulant *Farin. de hæresi, qu. 64. n. 6. Couar. lib. 3. var. resol. c. 3. n. 3. ver. Verum, & Gomez de delict. c. 12. n. 12.* & hanc probationem admitti tenet *Molfes. p. 1. sua sum tr. 7. c. 24. n. 35. cum plurib. seq.* Rationem autem hanc esse volunt; quia sollicitationis actus aliter colligi non potest, nisi per ipsas personas sollicitatas. Et ità hodie de consuetudine, seruari testatur idem *Acugna loc. cit. n. 13.* Et quoniam probatio per

9 testes singulares non dicitur aperta, ac concludens, maximè in criminalibus, vt habetur ex *Mascar.* etiam quoad crimen hæresis, *concl. 856. a n. 3.* & licet fœmina in criminibus exceptis, in quibus aliter veritas haberi non potest, admittatur, vt habetur ex eodem *Mascar. cõcl. 461. n. 6. & concl. 761. n. 16. & 22.* nihilominus in capitalibus fœminæ Reum non conuincunt, licèt sint contestes, vt habetur ex *Gand. de fur. n. 7. Hyppol. Riminal. cons. 217. n. 5. vol. 2. & Farin. to. 2. q. 59. n. 29.* idcirco *Seraph. in addit. in d. q. 22. n. 26.* etsi quòd fœminæ denunciantes sint quatuor, vt vult ipse *Acugna ibidem, q. 23. n. 11.* censet, prædictam conclusionem esse veram quoad pœnam tantùm extraordinariam imponendam. Etenim in crimine hæresis licèt testes singulares non sufficiant ad pœnam ordinariam imponendam; sufficiũt tamen ad extraordinariam, vt habetur ex *Repert. Inquisit. ver. testes, vers. An in causa locat. in praxi Inquisit. ver. testis, n. 18. Paris. cons. 2. n. 93. vol. 4. Pegna 3. p. com. 121. col. 9. ver. Quoties.* Quæ quidem pœna non debet esse corporalis, vt habetur ex *Menoch. cons. 82. n. 167. lib. 1. Farin. 2. to. q. 64. n. 218. & de hæresi, q. 188. n. 163.* quibus adde, quę habentur ex *Ricc. p. 3. collect. 549. & in praxi fori Eccles. decis. 369.* dum refert pluriũ fœminarum, quæ sollicitatę fuerant, testimonio conuinctum non fuisse ad pœnam ordinariam Confessorem; sed in tortura negantem, per annum suspensum ab animarum cura. Est tamen

10 verum, quod quamuis circa rem hanc magna controuersia sit inter Doctores, vt videre est apud *Acug. Seraph. & Molfes. locis citatis;* nihilominus illud est certissimum, quòd quando testes singulares sunt infames, vel complices, nunquam satis sunt ad imponendam ordinariã pœnam: siquidem quoties plures concurrunt defectus in testibus, non possunt admitti saltem ad pœnam ordinariã imponendã, vt per *Gabr. comm. opin. tit. de testib. concl 7. n. 10. Farin. 2. to. q. 62. n. 80. & 381.* licèt statuto inhabiles admittantur, vt habetur ex eodem *Farin. d. q. 62. n. 382.* quam sententiam communem esse testatur *Seraphin. d. q. 22. sub n 27.*

† Adde casum ad rem nostram, perutilem Confessarijs, qui accidit prudentissimis, & Illustrissimis Inquisitoribus Regni Siciliæ, sicut accepi ab ipsomet meo patruo, vbi quædam muliercula amore capta eius Confessarij illum sollicitauit, cuius prouocationi non solùm viriliter restitit, verum etiam eam obiurgauit; quamobrem cum non sit ira super iram mulieris, accensa ipsa iracundia, & acta in rabiem Confessarium insontem, vti Reum, & sollicitãtem accusauit. Acceperunt denunciationem mulieris, & cauti, vt mos est, circa accusatum se gesserunt. Vndè videns muliercula non puniri ab illis Reum Confessarium, iterum adijt Tribunal Sanctissimę Inquisitionis conquerendo, & eiulando, quod non vidisset animaduersum Reum Confessarium à se multo elapso temporis spatio accusatum. Hæc impudentia, & mulierculę petulantia inditium fuit illi Sanctissimo Tribunali falsæ accusationis: idcircò fuit in carcerem trusa, & confessa fuit suum enormissimum scelus; vndè fuit omninò absolutus ab impostura Confessarius, & punita tanquam rea ipsa muliercula. Discant Confessarij esse cauti, ac prudentes in tractando, & prottahendo ad longum tempus cum talibus sermonẽ, ac breuiter, & maturè eas audire, & nulla cum illis verba facere, nec familiaritatem habere, cum sint personæ animo irreuerenti, & infrunito, & meretricia fronte absq; velamine verecundiæ, & pudoris, quod vt plurimum solent habere principes, ac ingenuæ mulieres.

Quid-

Quidnam sit pœnitentium ad turpia sollicitatio: quotuplex; & cuiusnam cognitio ad Sancti Officij Inquisitores pertineat. SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Sollicitatio ad turpia quidnam sit; Et quotupliciter fieri contingat.*
2 *Sollicitatio ad venerea in actu confessionis sacramentalis, habita à Confessarijs, cum pœnitentibus perpetranda, comprehenditur sub dispositionibus Pontificijs, eiusq; cognitio pertinet ad Inquisitores S. Officij.*
3 *Quod locum habet contra Confessarios, quascumq; personas sollicitantes, siue fœminas, siue masculos.*
4 *Ante Constit. Gregor. XV. eiusdem cognitio spectabat ad Inquisitores.*
5 *Nec solum procedit in sollicitatione ad venerea, in pœnitentes perpetranda, sed etiam cũ alijs.*
6 *Confessarius sollicitare dicitur, si vrgeat pœnitentem ad inhonesta patranda cum alio tertio, & sic lenonis ministerium agens.*
7 *Huiusmodi Confessarius denunciandus est non modo ex vi Gregorianæ Constitutionis, sed etiam vigore antiquarum Constitutionum.*
8 *Vera est supradicta conclusio, siue sollicitatio fiat per Confessarium verbis expressis, ac claris, siue tacitis, & obscuris.*
9 *Tacitè dicitur Confessarius sollicitare pœnitentem in cõfessione, si eam laudet de pulchritudine, ac venustate, ac alias eius dotes commendet.*
10 *Tacitè pariter Confessarius sollicitare dicitur si audiendo confessionem suæ concubinæ, commotus zelotipia, in hac, & similia verba prorumpat, & quæ.*
11 *Confessarius sollicitare dicitur etiam si antè, vel post immediatè pœnitentem ad turpia perpetranda sollicitauerit.*
12 *Actus, confessioni proximus, an, & quando dicatur.*
13 *Confessarius mulierem audiens in confessione, comisisse aliqua peccata venerea, si insequatur illam, mox è cõfessionario discedentem, et in via sollicitet, vel ad domum suam, aut aliò peruentam, est denunciandus, & pœnis Pontificijs afficiendus.*
14 *Vera est conclusio de quacunq; sollicitatione, habita per Confessarium ad turpia, occasione, ac prætextu confessionis.*
15 *Prætextus confessionis requisitus in sollicitatione, an debeat esse proximus, vel remotus à loco, & statu confessionis.*
16 *Procedit nostra conclusio in sollicitatione ad turpia habita per Confessarium, etiam extra confessionem, sed in confessionario.*
17 *Denunciandus est Confessarius, qui tribuit in confessionario cartham pœnitenti dum confitetur, legendam tamen domi, aut alibi, in qua illam sollicitabat.*
18 *Denunciandus est Confessarius, qui mulierem sollicitat, quæ dicit, se velle in crastinum confiteri.*
19 *Pœnis Gregorianæ subijcitur Confessarius fœminam sollicitans, ad confessionarium accedentem animo confitendi, & preuenitur ab ipso Confessario, vt confessionem differat in aliud tempus.*
20 *Procedit etiam Gregoriana Constitutio etiam si Confessarius inhonestos sermones habeat cũ pœnitentibus, seu tractatus.*
21 *Tunc est denunciandus Confessarius sollicitãs in confessionario pœnitentem, aut cum ea turpes sermones, ac tractatus habens, cum simulat confessiones audire, aliàs secus.*
22 *Affertur Decretum Pauli V. circa rem hanc.*
23 *Confessarius pœnitentem sollicitans in actu cõfessionis non ad turpia venerea, sed ad alia peccata alterius generis, denunciandus an sit.*
24 *Non minorem irreuerentiam infert Confessarius sollicitando pœnitentem ad peccata, quę confitetur, quam ad alia.*
25 *Non est probabilis sententia Parami, & aliorum docentium, verba Pontificiarum Constitutionum dirigi tantum ad sollicitationem carnalem.*
26 *Confessarius sollicitans ad turpia aliquam fœminam, vel masculum in alijs Sacramentis, quàm pœnitentia, non incidit in pœnas contra sollicitantes pœnitentes in cõfessione.*
27 *Sacerdos si in administrando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento alicui fœminæ eam sollicitet, an sit Inquisitoribus hæreticæ prauitatis denunciandus.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd sollicitatio ad turpia nihil aliud est, quã motio, seu prouocatio volũtatis alienę ad inhonesta, vt colligitur ex cõstitutione Gregor. XV. edita sub die 30. Augusti 1622. §. 4. Hæc autem sollicitatio fieri contingit dupliciter. Primò ad inhonesta perpetranda inter sollicitantem, & sollicitatam: Secundò ad inhonesta facienda cũ alijs, vt patet ex eadem Gregoriana d. §. 4. in illis verbis *Ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.* vtraq; tandem sollicitatio diuiditur in sollicitationem inhonestam veneream, & non veneream: in tacitam, & expressam. De his igitur omnibus in hac *sec.* agemus, an earum cognitio spectet ad Inquisitores S. Officij, ac hæreticæ prauitatis, & quænam sollicitatio comprehendatur sub dispositionibus, & pœnis Pontificiarum constitutionũ editarum contra Confessarios in cõfessionibus audiendis ad turpia sollicitantes eorum confitentes. Sit ergò

PRIMA CONCLVSIO.

2 SOllicitatio ad inhonesta venerea in actu cõfessionis sacramentalis habita à Confessarijs in pœnitentes inter se perpetranda, comprehenditur sub dispositionibus, & pœnis Pontificiarum constitutionum: & eiusdem cognitio pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis. Hæc conclusio est communis, & patet tum ex Piana, ac Paulina constitutionibus, quas supra retulimus *sec.* 5. tum etiam ex d. Gregoriana vltimo loco edita, §. 4. in illis verbis, *Personas quecũque*

quæ illa sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, &c.

3 Ampliatur primò dicta conclusio, vt locum habeat contra Confessarios in sacramentali cõfessione sollicitantes vt supra, quascunq; personas, siue masculi sint, siue fœminæ, vt patet ex prædictis Gregorianæ verbis, *d. §. 4. Qui personas, quæcumque illa sint, &c.* Dictio enim, quęcumque, est generalis, nihil excipiens, vt *in c. solita, ver. Nihil excipiens, de maior. & obed. Panor. in c. super quæstione, in Glosa, ver. Quicunque, de offic. delegati, & Glosa in l. Balista, ff. ad Trebell.* Vndè licèt ante d. Gregorianam nonnulli docuerint non comprehendi sollicitantes pueros sub alijs Pontificijs constitutionibus, vt habetur ex *Portel. in addit. ad dubia Regular. ver. Sollicitare fœminas, Fagũd. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 4. c. 3. sub n. 31. Bariola in Florib. Inquis. fol. 227. & ex alijs.* Hodie tamen sopita est eiusmodi controuersia per verba præfatæ constitutionis Gregorianæ, vt rectè aduertit *P. Nald. in addit. ad suam sum. ver. Confessio, n. 31. Peirin. in priuileg. minor. to. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 1. n. 14.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana to. 1. tract. 4. resol. 12.* quibus adde, quæ supra cumulauimus *sec. 3. verf. Quæ diximus.* Est tamen verum, quòd eiusmodi casus etiam ante d. Gregorianam editam spectabat

4 ad Inquisitores hæreticæ prauitatis: siquidem Inquisitores ipsi facultatem habent non solùm cognoscendi de hæreticis; verùm etiam de omnibus criminibus, quæ suspicionem habent hæresis, vt sup. adnotauimus *sec. 4.* Sollicitatio autem ad turpia puerorum in sacramentali confessione, non minorem suspicionem hæresis inducit, quàm sollicitatio mulierum, vt sup. ostendimus *d. sec. 3.*

5 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat non solùm in sollicitatione ad venerea per Confessarios in pœnitentes vt supra inter se perpetranda; sed etiam cum alijs, vt constat ex dictis Gregorianæ verbis, *Ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.* Vndè quamuis ante Gregorianæ constitutionis editionem hæc ampliatio locum sibi non vendicabat; eo quod Piana, & aliæ constitutiones editę contra sollicitantes loquuntur de Confessarijs pœnitentes in confessione sollicitãtibus ad turpia inter se tãtùm perpetranda, & propterea cùm sint odiosæ non debent extendi in sollicitantes ad turpia non committenda cum pœnitentibus; sed cum alijs, arg. *tex. in c. odia, de regul. iur. in 6.* & in specie *Acugna in explicatione d. Paulina, de Confessar. sollic. q. 17. n. 9.* hodie tamen post Gregorianam nouissimè editam, sub ea comprehenduntur sollicitantes pœnitentes ad turpia perpetrãda tam inter se, quàm cum alijs, & id per verba dictæ constitutionis sup. relatæ, vt habetur ex *P. Naldo* in sup. relatis *add. ad suam sum. sub num. 31. Bonac. tract. var. disput. 6. p. 3. n. 19. Sanc. in select. disput. 11. n. 43. & 44. Sanctarell. de hæresi cap. 44. dub. vnico, nu. 19. & Diana to. 1. tr. 4 resol. 19.* Hinc infertur, quod Confessarius sollicitans, prouocans, ac vrgens pœnitentem ad prostituendam sibi eius filiam, aut aliam eius consanguineam, affinem, vel amicam, proculdubio est denunciandus, & incidit in pœnas in dictis Pontificijs constitutionibus contentas, vt habetur ex *P. Diana*, & alijs Doctoribus sup.

6 citatis. Idem dicendum est si Confessarius pœnitentem vrgeat ad inhonesta patranda cum aliquo alio tertio, & sic lenonis ministerium agens. Vel si pœnitentem sollicitet ad lenocinium exercendum pro alijs. Etenim quamuis Confessarius lenonis ministerium in confessione exercens, aut sollicitans pœnitentem ad lenocinium non comprehendatur in terminis antiquarum constitutionum; comprehenditur tamen sub Gregoriana prędicta, & ideò venit denunciandus, & per Inquisitores hæreticæ prauitatis debitis pœnis plectẽdus, vt per *Io. Sanc. in select. disp. 11. n. 44. & Sousam in aphor. lib. 1. c. 34. n. 21.* & id non solum per verba illa Gregorianę, *Ad inhonesta siue inter se, siue cũ alijs*; sed etiam ob subsequentia eiusdem constitutionis verba, ibi, *Aut cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* At proculdubiò inhonesti, & illiciti sermones sunt, quibus pęnitens ad lenocinium sollicitatur à Confessario: vel ipse lenonis fungatur munere, sollicitando pœnitentem ad tur-

7 pia patranda cum alio. Imò *P. Diana* ibidem probabilem putat opinionem *Castri Palai tr. 4. disp. 9. pun 5. n. 2.* existimantis, eiusmodi Confessarium esse denunciandum non modò vi d. Gregorianæ; verum etiam vigore antiquarum constitutionum per rationes ab eo relatas: quam sententiam puto veram; quoniam talis Confessarius contrahit suspicionem hæresis, cùm abutatur sacrosancto pœnitentiæ Sacramento: & propterea huius criminis cognitio pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, etiam attentis antiquis constitutionibus Pontificijs, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus, *ampl. præcedenti, circa fin.*

8 Tertiò ampliatur, vt conclusio vera sit, siue sollicitatio fiat per Confessarium ad turpia verbis expressis, & claris; siue tacitis, & obscuris, dubijs, signis, nutibus, ac tactibus: etenim taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cum quid, ff. si cert. petat.* & habetur ex *Peyrino de priuil. Minor. to. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 6. n. 21.* Est tamẽ verum, quòd quãdo verba, ac signa sunt dubia, tunc *Sousa Aphor. Inquis. lib. 1. c. 34. & 54.* & *in opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 4. n. 16.* quem refert, & sequitur *P. Diana to 4. tr. 5. resol. 25.* volunt, posse Inquisitores, si expediens eis videbitur, interrogare huiusmodi sollicitantes circa factum, aut verbum dubium de eorum intẽtione. Tacitè autem Confessarius dicitur ad

9 turpia sollicitare pœnitentem in confessione, si laudet eã de pulchritudine, ac venustate, aliasq; eius dotes commendet, vt habetur ex *Peyrino loc. cit. constit. 7. Gregor. XV. §. 6. n. 2. Acugna de Cõfessar. sollic. q. 7. n. 13. Bonac. tract. var. disp 6. pun. 3. n. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana loc. cit.* & rectè limitat id locum sibi vendicare, modò non constet, aut rationabiliter non præsumatur, Confessarium, qui fœminam sic laudauit, protulisse verba eiusmodi alio fine, quàm intentione alliciẽdi ad actus inhonestos: siquidem laudare mulierem de pulchritudine, & venustate, de sui natura non est actus inhonestus, neq; peccatum. Tacitè pariter Confessa-

10 sarius dicitur sollicitare, si audiendo confessionem suæ concubinæ ex zelotipia commotus eã arguat; prorumpendo in hæc, & similia verba, discontinuandi nostrum affectum occasionem affers, quoniam cum alijs distraheris in similibus lasciuijs, vt habetur ex *Sanc. in select. disp. 11. n. 32. & Fagund de precep. Eccl. in 2. edit. precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 63.* Tacitè quoq; Confessarius censetur sollicitare pœnitentem, si det ei pœnitentiam, vt nuda à se verberetur, vt per *Sous. opusc. de Confessar. sollic. tr. 1. c. 18. n. 14.* quem refert, & sequitur *Diana d. tr. 5. resol. 47.* qui idem dicendum esse volunt de Confessario, suadente pœnitenti sibi actu confitenti, vt ipsi eo loco vas naturale, quod ipsa in eadem confessione morbo affectum habere dixerat, ostendat, eiusmodi enim suasiones, ac postulationes proculdubio sunt ad turpia tacitæ sollicitationes, atq; ideò tales Confessarij efficiuntur de foro Inquisitorum, ipsisq; veniunt omninò denunciandi, ac Pontificijs subduntur pœnis.

11 Quartò ampliatur ipsa conclusio, vt locum sibi vendicet in Confessario sollicitante ad turpia venerea pœnitentem cum se, vel cum alijs perpetranda, vt supra, non modo in actu sacramentalis cõfessionis; verùm etiam ante, vel post confessionem immediatè, vt constat ex eadem Gregoriana *d. §. 4. ibi, Siue antea, vel postea immediatè, &c.* Idem dicendum est, si paulò ante, vel paulò post confessionem fiat sollicitatio: siquidem quæ incontinenti fiunt censentur inesse; hinc *Bald. in c. 1. de pace tenen.* inquit, id factum esse tempore belli, quod paulò ante, vel post bellum est actum; ergò paria sunt aliquid fieri in actu cõfessionis, vel paulò ante, vel post. Ità in specie docent *Scort. in Bull. Pontif. Epitome 77. theor. 197. Bariola in Flor. Inquis. fol. 226. Ortiz in sum c. 24. n. 11. Gipt. de casib. reser. c. 14. n. 3. Coriol. eod. tr. p. 2. casu 9. Bonac. de matrim. q. 4. pun. 16. propos. 5. n. 7. Ricc. in praxi. p. 2. resol. 240. Rodriq. in qq. Regul. to. 2. q. 27. ar. 2. & 3. Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 24. n. 31.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Diana to. 1. tr. 4. resol. 14.* quamuis negatiuam sententiam doceat *Fagund. de pracep. Eccl. par. 2. lib. 4. c. 3. sub n. 31. et Portell. in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare fœminas, n. 6.* Dicitur autem actus aliquis proximus confessioni, quãdo

12 Confessarius ad extraneos actus non diuertit; atq; ideò si post absolutam mulierem Confessarius ad extraneum actum diuertat, licèt eam statim sollicitet, non comprehenditur sub Pontificijs Bullis, vt habetur ex *Acugna de Confessar. sollic. q. 5. n. 20.* quòd si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri eam sollicitet, incidit in Pontificias pœnas, etiam si confessio non sequatur, vt quia ipsa vel noluit postea confiteri, vel Confessarius noluit eam audire; quoniam talis actus dicitur immediatus ad confessionẽ, vt habetur ex *Sousa in aphor. inquis. lib. 1. c. 34. sub n. 31. Acugna de Confessar. sollic. q. 14. n. 4. Castr. Palao tract. 4. disp. 9 pun. 7. n. 3. & Diana to. 4. tract. 5. resol. 11.* quam sententiam putat veram, quando fœmina vellet statim confiteri. Idem dicendum putant ibidem de Confessario, qui statim post confessionem ducens puerum in cellam, vt ei chyrographum confessionis traderet, ad turpia sollicitauit; quoniã is dicitur immediatè, vel saltèm paulò post confessionem puerum sollicitasse. Confessarius quoque au-

13 diens in confessione mulierem commisisse aliqua peccata venerea, si insequatur illam mox è confessionario discedentem, & eandem in via sollicitet, vel etiam ad domum suam, aut aliò peruentam, est denunciandus, atq; ideò pœnis Pontificijs efficitur obnoxius; quoniam is immediatè, vel saltem paulò post confessionem, & occasione confessionis censetur mulierem illam sollicitasse. Ità *Peirin. de priuileg. minor. to. 2. constit. 4. Gregor. xv. & Lenzana in sum. qq. Regular. c. 19. n. 34.* quam quidem sententiã puto probabilem maximè si Cõfessarius statim post auditam confessionem eam insequatur, nõ deueniendo ad extraneos actus, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus; quamuis in contrariam sententiam videatur inclinare *P. Diana to. 4. tract. 5. resol. 7.* & infrà latiùs dicemus *ampl. seq.*

14 Quintò ampliatur prædicta conclusio, vt vera sit de quacunq; sollicitatione habita per Cõfessarium ad turpia occasione, ac prætextu confessionis, vt patet ex d. Gregoriana, §. 4. in illis verbis, *Seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam confessione non sequuta.* Vndè pœnitens si ignorãter accusauit se in confessione habuisse animum peccandi cum Confessario: quapropter Confessarius post confessionem, vel etiam confessione non completa, surgens è confessionario, insequatur eam, & in domo, vel in itinere sollicitet, etiam si deueniat ad extraneos actus, puto, quòd sit denunciandus, & incurrat pœnas à Pontificijs constitutionibus statutas; maximè si pœnitens deuenerit in cognitionem, quòd ob eam causam fuerit sollicitata. Confirmatur ex ijs, quæ diximus *ampliat. praced. in fin.* dum ostendimus, Confessarium, statim post confessionẽ insequentem mulierẽ, quæ venerea fuerat ipsi confessa, ac sollicitantem, esse denunnunciandum, & nõ effugere Pontificias pœnas: quorum sollicitatio eiusmodi prouenit occasione confessionis. Nec obstare videtur id, quod quidam doctissimi viri responderunt, de quibus *P. Diana d. resol. 7.* dicentes, prætextum con-

15 fessionis, de quo agitur in Bulla Gregoriana, debere esse proximum, non autem remotum à loco, & statu confessionis; quoniam re vera ipsa Gregoriana simpliciter loquitur de sollicitatione facta occasione, vel prætextu cõfessionis, nec distinguit de proximo, aut remoto à loco, ac statu confessionis; atq; ideò dispositio Gregorianæ simpliciter, ac indistinctè est intelligenda: siquidem lex generaliter loquẽs, generaliter est intelligenda: & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. l. quod de pretio, ff. de publ. in rem act.* Hac eadem ratione puto denunciandum esse Confessarium, qui prætextu confessionis agendę vocatus, pœnitentem postea in domo sollicitet, vt docet *Sanc. in selec. disp. 11. n. 68. in fine,* contra *P. Dianam d. tr. 5. resol. 37.*

16 Sextò ampliatur cõclusio, vt procedat in sollicitatione ad turpia habita per Confessarium, etiam extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulando ibidem confessionem audire, vt patet ex verbis eiusdem Gregorianæ, §. 4. ibi,

ibi, *Siue extra occasionem confessionis in confessionario. aut in loco quocumq; vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessio-*
17 *nes audire, &c.* Ex hac conclusione infertur primò denunciandum esse Confessarium, qui tribuit pœnitenti cartam in confessionario, dũ confiteretur, postea tamen legendam domi, aut alibi, in qua ad venerea illam sollicitabat, vt docet *Ioan. Sanc. in select. disp. 11. n. 31.* Etenim dum traditur carta incipit sollicitatio, & iniuria fit Sacramento pœnitentiæ. Hanc eandem sententiam tenet *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. in nouissima editione, lib. 4. c. 3. n. 62. & Diana to. 4. tr. 5. resol. 2.* quam amplio veram esse etiam si confessionem non audiat, dummodò simulet confessionem audire, vt ex supradictis Gregorianæ verbis colligitur, dum Confessarium sollicitantem pœnitentem in confessionario, vel in alio loco ad audiendas cõfessiones electo, etiam extra confessionem si audire con-
18 fessionem simulet, Pontificijs pœnis facit obnoxium. Secundò infertur denunciandum esse Confessarium, & debitis pœnis plectendum, qui in Confessionario dicentem fœminam se velle in crastinum confiteri, sollicitauit: siquidem eiusmodi sollicitatio fit in confessionario, & dũ Confessarius pœnitentem sollicitat, simulat cõfessionem audire, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccl. in editione nouissima, precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 49.* quem sequitur *Diana d. tr. 5. resol. 6.* Dixi, *Simulat confessionem audire, &c.* quia si confessionem audire non simulet; sed alloqui tantùm, & confabulari cum pœnitente conspiciatur, aliter fortè de iuris rigore videtur dicẽdum, vt infra latius dicemus *limit. vnica.* Ter-
19 tio infertur Gregorianæ pœnis subijci Confessarium sollicitantem fœminam ad confessionarium accedentem confitendi animo, & præuentam ab ipso Confessario, vt confessionem differat in aliud tempus: siquidem eiusmodi sollicitatio fit in confessionario, & Confessarius dum pęnitentem sollicitat simulat eius confessionem audire, vt rectè docet *Diana d. trac. 5. resol 46.* quamuis aliter esset dicendum, attenta dispositione antiquarum constitutionum, præsertim Pauli V. vt habetur ex *Sousa opusc. de Confessar. sollic. trac. 1. c. 18. n. 7.* relato à *Diana loco citato.*

20 Septimò ampliatur ipsa conclusio, vt locum sibi vendicet non solùm in Confessarijs sollicitantibus vt sup. pęnitentes in casibus supra relatis, verùm etiam inhonestos sermones, seu tractatus habentibus, vt constat ex eadem Gregoriana §. 4. ibi, *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* Vndè denunciandus est Confessarius, qui in cõfessione non intendens pęnitentem sollicitare ad copulam, turpibus tantùm confabulationibus, & inhonestis sermonibus, ac tractatibus delectatur, & id etiam si tam Confessarius, quàm pęnitens conueniant in simulatione confessionis, vt rectè declarat *P. Diana to. 1. tr. 4. resol. 11. & to. 4. tr. 5. resol. 10.*

21 Sic ampliata limitatur supradicta conclusio quoad sextam ampliationem, vt ità demum Cõfessarius sollicitans in confessionario pęnitentẽ, aut cum ea turpes sermones, & tractatus habẽs extra confessionem, sit denunciandus, ac subijciatur pęnis contra sollicitates statutis quando simulat confessiones audire, vt constat ex illis Gregorianæ verbis, *Simulantes ibidem confessiones audire, &c.* Vnde Confessarius, qui sedẽs in confessionario, & loquens cum pęnitente stante, vel sedente ante confessionarium illam sollicitet, non est denunciandus, nec incidit in pęnas supradictas; quoniam audire confessiones non simulauit. Ità *Freitas in nouiss. edit. de Cõfessar. sollic. q. 15 n. 49. & 52. & q. 13. n. 30. Castr. Palaus to. 1. tr. 4. disp. 9. pun. 8. n. 4. Lezana in sum. qq. Regular. c. 19. n 34. & Sousa de Cõfessar. sollic. tr. 1. c. 15. & in annot. n. 13.* Est ta-
22 men verum, quòd circa rem hanc adest decretum Pauli V. cuius tenor est, qui sequitur. *Feria 5. die 10. Iulij 1614. in Generali Congregatione S. Rom. & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram SS. D. N. D. Paulo, diuina prouidentia, Papa V. ac Illustrissimis, & Reuerendissimis DD. Petro titulo S. Mariæ in via Bellarminio, Ferdinando Taberna titulo S. Eustachij, & Ioanne Garzia titulo SS. quatuor Coronatorum Mellino, nuncupatis Presbyteris S. R. E. Cardinalibus aduersus hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter Deputatis facta relatione, quòd multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, Sanctissimus decreuit, vt contra huiusmodi Confessarios procedatur in S. Officio.* In quo decreto nulla mentio habetur de simulatione confessionis: atque ideò intelligendum est, vt Confessarius eo casu sit denunciandus, ac puniendus etiam si confessiones audire non simulet. Vndè *P. Diana to. 4. tr. 5. resol. 48.* stante huiusmodi declaratione, ab ea inquit, non esse recedendum: vbi tamen refert *Freitam de Confessar. sollic. in nouissima editione, q. 9. n. 21. & q. 15. n. 24.* docentem dicta verba Gregorianæ, *Simulantes confessionem audire, &c.* intelligenda esse de simulatione ad circumstantium illusionem: quamuis contrarium doceat *Sanc. in select. q. 11. n. 40.* quem sequitur ipse *Diana d. resol. 48.* Non tamen videtur spernenda *Sousa*, & aliorum responsio ad d. Pauli V. decretum, dum inquiunt, illud fuisse restrictum ad simulationis terminos per ipsam Gregorianam, vel saltem ita declaratum.

SECVNDA CONCLVSIO.

23 Confessarius sollicitans pęnitentem in actu confessionis, & in alijs casibus supra relatis, non ad turpia venerea; sed ad alia peccata alterius generis, est denunciandus. Hæc conclusio est *Pegna in Director. Inquisit. p. 2. com. 81. vers. Ille quoque*, ita se habentis, *Ille quoq; grauiter peccat, nec leuem contrahit mala credentiæ suspicionem, qui in Sacramento confessionis, vel ad quæq; flagitia, seu peccata prouocat confitentem: & propterea iure optimo indicio Inquisitorum subiectus est.* Confirmatur, quia non minus infertur iniuria Sacramento pęnitẽtiæ sollicitando pęnitentem in confessione ad turpia venerea, quàm ad alia peccata alterius ge-

generis: ergò ficut in primo casu contrahitur suspicio hæresis;ita etiam contrahitur in posteriori casu,atque ideò eiusmodi casus Inquisitorum iudicio est subiectus. Etenim Inquisitores non solùm de hæreticis cognoscunt;verùm etiã de omnibus criminibus, quæ suspicionem præbent hæresis,vt *in c.accusatus, de haretic. in 6.* & sup. adnotauimus *sec.* 4. Imò id non obscurè videtur colligi ex d.Gregoriana §.4.in illis verbis, *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* Vbi Confessarijs non tantùm ad turpia sollicitatio in confessione prohibetur; sed etiam illiciti, & inhonesti sermones execrantur. Confessarius autem sollicitans pęnitentem ad aliquod peccatum, licèt nõ carnale, censetur proculdubiò cum ea habere sermones illicitos,& inhonestos.Præterea,peccatum omne est contra iustitiam, & contra rectam rationem,iuxtà definitionem *D. Augustini*,relatam à *Grat.§.1.in fine*, 15. *q.*1. qui peccatum definiens sic ait, Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat: atq; ideò omne peccatum est contra licitum, & honestum:siquidem honestas secundùm *D.Th. 2.2.q.145.ar.2. in corp.* est actio hominis benè proportionata, secundùm spiritualem rationis claritatem: hinc idem *D.Th.ibidem ar. 3. in corp.* honestum, inquit, est secundum rationem ordinatum. Ergò Confessarius sollicitans pęnitentem in confessione ad alia peccata,quę venerea non sint,sed alterius generis, comprehenditur sub dispositione Gregorianæ cõstitutionis, qua expressè detestantur inter Confessarios,|& pęnitentes in confessione non modò sollicitatio ad venerea, sed etiam omnia alia peccata,per illa verba, *Aut cũ eis illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint*, cum omnia peccata illicita sint, & inhonesta,vt patet ex ijs, quæ sup. diximus. In eandem opinionem inclinat *Seraph. Freitas in addit.ad Rodor. de Acugna de Confessar.sollic.q.*8. *n.*17. cum hac tamen limitatione, nempè quando Confessarius sollicitat pęnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur,vt si sortilegium fateatur,& Confessarius petat ab illo, vt se doceat illud facere; quoniam in tali casu acciperet Confessarius ipse occasionem à peccato confesso,& ità contraheret suspicionem hæresis.

24 Sed reuera licèt Confessarius eo casu sit denunciandus, cùm contrahat suspicionem hæresis,absq; huiusmodi limitatione nostra conclusio procederet; quoniam non minorem irreuerentiam inferret Sacramento pęnitentiæ sollicitando in confessione confitentem ad eadem peccata,quæ confitetur,quàm ad alia,sicut non maiorem irreuerentiam inferret Sacramẽto sollicitando mulierem ad venerea,quæ confitetur, quàm ad alterius generis venerea, quæ non cõfitetur,& in vtroque casu dicitur abuti ipso Sacramento, pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigendo,& ex cęlesti medico infernalis veneficus, & ex patre spirituali proditor execrabilis animarum redditur, vt verbis Gregor.XV.vtar in d.ipsius constitutione,atq,ideò suspicionem hæresis contraheret,iuxtà verba illa Pontificiarum constitutionum à nobis sæpè sæpius repetita, *Nos animum inducere nequeũtes,quòd qui de fide catholica rectè sentiunt,Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutãtur, aut illis iniuriam faciant.* Vndè si pęnitens confiteatur venerea, & esse ex adulterio, aut ex stupro grauidam, & Confessarius sollicitet pęnitentem ipsam ad committendum abortum, sanè arbitror, quòd non minus sit hoc casu denunciandus, quam si audito sortilegij peccato pęnitentem sollicitet ad se docendum illud. Ex quibus infertur, nõ videri omninò probabilem

25 sententiam *Parami de Orig Inquis.lib.3.q.*10. *n.*121. *Bariola in Flor.Inquis. fol.*125. & aliorum,quos refert,& sequitur P.*Diana to.*1.*tr.*4. *resol.*20.qui contrarium docent dicentes,quod verba Pontificiarum constit.diriguntur ad sollicitationem carnalem, quæ communiter accidere solet,& in delictis non fit extensio, vt *in c. in pœnis,de regul. iur. in 6.* Etenim vltra quod animarum fauore,de quo agitur in casu nostro, odia ampliantur, & pęnæ extenduntur, vt per *Glos. Bart.& Soc.* cõmuniter receptos,in *auth. Sacramenta puberum,C.si aduer.vend.*Et *Nos* adnotauimus in *nostris Commentar. in Bulla Cęnę,lib.2.c.7.q.7.sub n.*1. casus noster comprehenditur sub illis Gregorianæ verbis, *Aut cum eis illicitos,& inhonestos sermones,&c.*Siquidem peccata quoq; quæ venerea non sunt, illicita sunt, & inhonesta, vt furtum,rapina,falsum testimonium, & alia eiusmodi. Et dato, ac non concesso, quòd casus noster non comprehenderetur sub d. Gregoriana; quia tamen habet annexam hæresis suspicionem,vt sup.ostendimus, iudicio Inquisitorum verè subijcitur, quoniam Inquisitores non solùm de crimine hæresis cognoscunt; sed de quocumq; alio crimine præbente suspicionem hæresis, vt in *d.c. accusatus, de haret.lib.6.*

TERTIA CONCLVSIO.

26 Confessarius sollicitans ad turpia aliquam feminam,vel masculum in alijs Sacramẽtis,quàm in sacramentali confessione,non incidit in pęnas in Pontificijs constitutionibus statutas contra sollicitantes pęnitentes in confessione. Hæc conclusio est *Sanc.in select.disp.*11. *n.*42. *Acugnę de cõfessar.sollic.q.*16.*n* 6. *Castr. Palaus tr.*4.*disp.*9.*pun.*1.*n.*4.*Peyrini in priuil. minor.to.*2.*const.*4.*Gregor.XV.* §. 5.*n.*17. *Peregrin.in commentar.nostr.constit.p.*1.*c.*5.*lit.M.* & aliorum,quos refert,& sequitur *Diana to.*4. *tr.*5. *resol.*16. Mouentur ex eo, quòd in omnibus constitutionibus Pontificijs fit mentio tantùm de Sacramento pęnitentiæ: eo magis, quia rarissimè occurrit, vt in alijs Sacramentis Cõfessarius sollicitet ad turpia fęminas. Hæc conclusio licet vera sit,nihilominus si Sacerdos in

27 administrando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento alicui fęminæ,v.g.eam sollicitet, puto quòd sit denunciandus Inquisitoribus hæreticę prauitatis: is enim non minus abuti dicitur Sacramento Eucharistiæ, illiq; iniuriam inferre, quàm Confessarius sollicitando pęnitentem in actu confessionis:ergò sicut Confessarius cõtrahit suspicionem hæresis; ita etiam Sacerdos, atq; ideò est Inquisitoribus denunciandus. Etenim, vt sæpè diximus,Inquisitores non tantùm possunt cognoscere de crimine hæresis, sed de quocunq; alio crimine, quod præbet suspicionem hæresis,vt in *c.accusatus,de haret.in 6.* Et

Confessarius qualiter discretus,& cautus in audiendis confessionibus esse debeat, ne in pœnitentis ad turpia sollicitationem incidat,cum abusu, ac iniuria Sacramenti pœnitentiæ, & de sollicitationis sceleris grauitate, & pœnis.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Confessarij in audiendis confessionibus sollicitantes pœnitentes ad turpia enorme,impium, perniciosum, ac nefandum scelus committũt. Et pro medicina venenum, pro pane Aspidem porrigit, & ex cælesti medico, fit infernalis veneficus.*

2 *Cauere debet Confessarius ne ad hoc Sacramentũ accedat cum conscientia peccati mortalis,& à nimia quoq; pœnitentium familiaritate.*

3 *Vltra alias pœnas nefas hoc hæresis suspicionem,seu præsumptionem inducit.*

4 *An sit vehemens, vel leuis hæc hæresis suspicio,seu præsumptio.*

5 *Abiuratio ab hac hæresi fieri non debet in publico,sed in secreto in Aula S. Officij.*

6 *Per Gregorianam Constitutionem huiusmodi Confessarij pluribus alijs pœnis puniuntur, & quibus.*

7 *Ante prædictam Gregorij Constitutionem solebant quoq; isti Confessarij sollicitantes puniri pena exilij,carceris, priuationis actiua, & passiua,ac audiendi confessiones præsertim mulierum.*

8 *Dicta de Confessario, feminam sollicitante in actu confessionis, extenduntur etiam ad confessionem sollicitantem puerum pariter in eodem actu; propterea sunt pariter quoq; reuelandi.*

9 *Huiusmodi Confessarij, si abiurare renuant, sunt excommunicandi, in qua si per annum insurdescant,oritur contra eos violenta hæresis suspicio, & ordinaria pœna plectendi. Et quid si sint omninò incorrigibiles.*

1 CONfessarij, pœnitentes in audiendis confessionibus ad turpia sollicitantes, adeò detestabile scelus committunt, vt illud enorme, impium,perniciosum,ac nefandum appelletur à *Gregor. XV. Constit.* 34 quæ incipit, *Vniuersi Dominici gregis*, edita sub die 30. Aug. 1622. Ait enim ipse Pôtifex, quòd Sacerdos ad sacras confessiones audiendas deputatus, ed turpia sollicitando suas confitentes,& sacrosanctõ pœnitentiæ Sacramento abutendo, pro medicina venenum, pro pane aspidem porrigit,& ex cœlesti medico infernalis veneficus, & ex patre spirituali proditor execrabilis animarum redditur. Vndè nefandum eiusmodi scelus non solùm inter Christi Fideles non esse, sed nec quidem nominari debere,meritò decernit. Ad igitur eiusmodi scelus effugiendum, caueat Confessarius in primis, ne ad audiendas Fidelium confessiones cum conscientia peccati mortalis

2 accedat; sed cum pura intentione ad solam Dei gloriam,& honorem,ac animarum salutem suo munere fungatur, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus *disp. 1. sec. 1. & 2.* Deindè caueat à pœnitentium nimia familiaritate, blandis, ac adulatorijs verbis,quæ sauciant mentem:nec multum cum eis immoretur, nisi quantum confessionis necessitas exigit: nec easdem nisi in publico audiat; ità vt dum confessiones excipit, ab alijs conspiciatur, vt constat ex ijs, quæ sup.adnotauimus *disp. 2. sec. 1.* Iuuat deniq; multum memorare tanti sceleris enormitatem, & pœnas, à iure, ac Pontificijs Constitutionibus statutas: postquam vltra deformitates à Gregoriana cõnumeratas,quas secum affert tantum nefas, ea

3 est omnium maxima,quòd hæresis suspicionem inducit,iuxtà ea,quæ habentur ex Constitutione Pij V. edita sub die 16. mensis Aprilis 1561. in illis verbis, *Nos animum inducere nequeuntes,quòd qui de fide catholica rectè sentiunt,Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur,aut illis iniuriam faciant.*

4 Hanc autem hæresis suspicionem, seu præsũptionem vehemẽtem esse docent *Pegna in Dir. Inquis.p.2.com.8. Modius de Sac. Ordin. c.27. sub n.6. Genuen.in praxi Archiep.c.66.n.2.* qui refert audiuisse ita declaratum à *Clem. VIII. Bariola Consultor S.Officij in Sac.Inquisitione Mediolan.de Confessar.sollic.post flores Inquisitionis, & alij.* Sed quoniam ex hoc facto non videtur colligi, nec semper ferè, neq; vt plurimum,vt illud facientes sint hæretici, iuxtà ea, quæ nos adnotauimus *in nostris Commentar.in Bull Cœna lib.2 c.1.q.33.sub n.5.cum plurib. seq.* idcirco probabilior nobis videtur sententia *Parami de orig.Inquis.lib.3 q.10.n.115.Acug. de confessar.sollic.q.24 n.12.* quos refert,& sequitur *P. Diana 10.5. resolut. tract.5. resol.51.* qui putant, huiusmodi hæresis suspicionem,quã Confessarij sollicitantes ad turpia pœnitentes, contrahunt, non esse vehementem; sed tantùm leuem: siquidem raro Confessarij nefas hoc cõmittunt, quia de Sacramento pœnitentiæ malè sentiant; sed frequenter, & vt plurimum à carnalibus incentiuis compulsi miserabiliter cadunt. Est tamen verum, quod leuis illa suspicio ex frequentia, vel ex alia quauis circumstantia poterit vehemens insurgere, atq; ideò talis sceleris reus posset compelli ad abiurandum de vehementi; nunquam tamen de hæresi formaliter conuinci potest, etiam si bis, & sæpius delictum patrauerit, & abiurauerit, vt habetur ex *Acugna,loc.cit.n.13.& 25.cum plurib.seq.*

5 Imò talis abiuratio non debet fieri in publico; sed in secreto in Aula S.Officij coram Episcopo,aliquibus Confessarijs, Parochis, ac Regularibus. Vbi verò Reus Regularis foret, solet in aula prædicta in legendis culpis assumi eiusdem ordinis Religiosi,quibus omnibus secretũ præcipitur, ne si commissa scelera propalentur, detur vrgens occasio fastidiendi,vitandi,ac dissuadendi vxoribus, ac filiabus frequentiam Sacramenti pœnitentiæ,vt habetur ex eodẽ *Acugna d.q.24. n.14. cum plur. seq.* & ante ipsum *Simanc. de Cathol. c.1. n.24 Rojas, singul. 1. n.11.& 56.Pen.in Dir.3.p.com.40. vers.Praterea*

rea differunt, Pardm.d.q.10.n.166.& Cantera in qq.crim.c.1.de haret.n.65. ad fin.pag.426. vbi etiam addit, huiusmodi criminis reos non esse pœnitentijs, publicè plectendos. Per supra relatam Constitutionem Gregorianam, §.4.*in fin.* pro criminum qualitate, ac circumstantijs variæ, ac diuersæ pœnæ prædicti criminis reis decernuntur; nempè suspensionis ab executione ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa: nec non vocis actiuæ, ac passiuæ, si Regulares fuerint, exilij, damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum, absq; vlla spe gratiæ: imò si grauitas sceleris ex aliqua circumstantia grauiores pœnas exigat, dicta Gregoriana statuit, eiusmodi criminis reos posse degradari, & Curiæ sæculari tradi.

7 Ante prædictam constitutionem editam solebant ipsi Confessarij vt sup. pœnitentes ad turpia sollicitantes plecti similiter pœna exilij, carceris, triremium, priuationis vocis actiuæ, ac passiuæ, audiendi confessiones præsertim mulierum, & aliarum pœnarum maiorum, ac minorum, iuxtà criminum qualitates, frequentiã, & circumstãtias, vt per eundem *Acug. d q.24. n.10.* & in eum *Seraphin. n.50.* qui testatur vidisse Pintræ quendam Confessarium, qui spatio quamplurimorum annorum pœnitentes ad turpia sollicitauerat in confessionibus audiendis, priuatum facultate confessiones audiendi: & insuper ad detrudendum in carcerem per decenniũ in propriæ Religionis Monasterio, à Prouinciali Superiore designando; dummodò Monasterium non sit existens in eo Oppido, ac Ciuitate, in quibus confessiones audiens ad turpia sollicitabat. Imò antequam in carcerem detruderetur, fuit decretum, vt fustibus flagelletur ab omnibus prædicti Monasterij Religiosis, præsente sanctæ inquisitionis notario, vltra ieiunia, & alias mortificationes, ac pœnitentias. Et si ex sollicitatione Confessarius ipse deuenerit ad actum consumatum punitur pœna depositionis; quoniam, vt sup. diximus, per copulã cum filia spirituali committitur incestus: at pro incestu imponitur depositionis pœna, vt probat *Farin. in pract.crim.q.149.n.53.Anton.de Butr.in c. at si Clerici, n.13 de Iudic.* vbi etiam *Panor. n. 35. Bero.n.169. & Clar. in §. Incestus, n.2. & Roder. Acugna d.c.24.n.7.* His adde, quæ sup. diximus *sec praced. verf. An autem.*

8 Quæ diximus de Confessario sollicitante fœminam in confessione, extendimus ad Confessarium sollicitantẽ puerum in actu pariter cõfessionis: etenim non minus abutitur Confessarius Sacramento pœnitentiæ sollicitãdo ad turpia mulierem eius confessionem excipiens, quã ad turpia sollicitando in actu confessionis puerum. Nam quamuis olim controuersia erat inter Doctores de Confessario ad inhonesta sollicitante pueros, vt sup. sit denunciandus: nam quidam negatiuam sententiam sustinebant, nempè *Fagund.de pracep.Eccl.pracep.2. lib.4. c.3.sub n.31.Portell.ad dub.Regular. ver.Sollicitare fœminas*, & *Bariola in florib. Inquis. fol. 227.* Alij verò affirmatiuam opinionem tenebant, vt *Ricc.in praxi, p.3. resol.66. n.3. Roder. Acugna, de Confessar.sollic.q.5.Cherub.in compen.Bullar.p.2.const.31.& Molfes.p.1. sua sum.tract.7.c.24.n.34.* hodie tamen ab affirmatiua sententia nullo pacto est recedendum, atq; ideò Confessarios ad turpia sollicitantes pueros in confessione esse proculdubio reuelandos, vt patet ex sæpè à nobis relata *Gregoriana Constitutione, §.4.* in illis verbis, (*Qui personas, quacumq; illa sint, &c.* & ità post alios docet quoque *Diana to. 1. tract. 4. resol.11.* Vndè huius sceleris reus, iuxtà criminis frequẽtiam, & alias circumstantias plectitur, & abiurare compellitur pro leui hæresis suspicione, vel pro vehementi; sicut supra diximus de Confessario sollicitante fœminas. Quòd si eiusmodi Confessarij

9 talis sceleris rei abiurare renuant, tunc sunt excommunicandi: & si in excommunicatione per annum insurdescant, tunc oritur contra eos violenta hæresis suspicio, & ordinaria pœna veniũt plectendi: & si sint omninò incorrigibiles, degradati Curiæ sæculari traduntur. Ita post alios docet *Roder. Acugna d.q.24.n.20.21.30 32.& 33.Eymer.Dir.Inquis.p.2.q.55 n.25.* & in eum *Pen. litt. S.* ad quod facit *tex.in c. Excommunicamus, §.qui autem, de haret.* Si verò dicti criminis rei Ecclesiæ mandatis humiliter pareant, post abiurationem de leui, & pœnitentiã peractam, non redduntur de iure inhabiles ad gradus, ac dignitates eorum Religionis, vt habetur ex *Nauar.consi 18 de haret.*incipit *Titius Religiosus, & Emanuel Rodriq. to.2. qq. Regul. q.82.ar.2.* quos refert, & sequitur *Roder. Acugna loc. cit. n. 22.* & in eum *Seraph. n. 70.* vbi etiam addit, quòd suspectus etiam de hæresi, qui abiurauit de vehementi, non est inhabilis ad beneficia, etiam cathedralia, vt fuit decisum in *Rota Rom.* apud *Farinac.lib.1.decis.51.* & habetur etiam ex *Garc. de Benef. to. 2. p. 2. c.10. n.87.* cum alijs, quos allegat. Regulares autem Confessarij ex abiuratione propter sollicitationem ex decreto S D.N. D. Vrbani VIII. remanent inhabiles ad officia Religionis, vt post alios inquit *Diana tom.4.tr.5.resol 48.*

Ad quos spectet Confessariorum cognitio pœnitentes in confessione ad turpia sollicitantium.
SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Cognitio Confessariorum ad turpia pœnitentes sollicitantium, spectat ad Inquisitores hæretica prauitatis, & tam simul, quàm separatim cum Ordinarijs omnium locorum.*

2 *In Regnis Hispaniarum non possunt Episcopi separatim ab Inquisitoribus cognoscere causas de rebus fidei, & denunciationes ipsis factas tenentur Inquisitoribus remittere, & neque carcerare reum possunt.*

3 *Ex Const.Greg. XV. in Regnis, vbi non extat Hispanica Inquisitio si præfati citentur eodẽ tempore ab Episcopo, & Inquisitore, comparere possunt coram Episcopo tantùm, vel coram Inquisitore.*

4 *Quamuis per præfatam Bullam Gregorij Episcopi tam coniunctì simul cum Inquisitoribus, quàm separatim possint in crimine sollicitatio-*

tionis procedere, non tamen sententiam separatim proferre valent.

5 *Contrarium tamen de hoc sentit Pegna. Et in quam sententiam inclinet P. Dian.*

6 *Inquisitores in prateritam sollicitationẽ, praeiudicatam ab Episcopo animaduertere non possunt.*

1 AD præfatam difficultatem quid dicendum sit patet ex præcedenti *sec.* Etenim cùm sollicitatio pœnitentium ad turpia in confessione per Confessarios habita, inducat contra ipsos hæresis suspicionem, & obliget talis sceleris reos ad abiurationem, certum est, horũ cognitionem pertinere ad Inquisitores hæreticæ prauitatis. Etenim Inquisitores ipsi facultatem habent non solùm cognoscendi de hæreticis; sed etiam de omnibus criminibus, quæ suspicionẽ præbent hæresis, vt in *c. accusatus, de hæret. in 6.* at sollicitantes pœnitentes in actu confessionis suspicionem contrahunt hæresis, vt sup. diximus. Ergo, &c. Imò expressè horum cognitio fuit delegata prædictis Inquisitoribus, vt habetur in Constitutione Pij IV. edita sub die 16. Mensis Aprilis 1561. ex decreto Sac. Congreg. de mandato S.P. lato die 15. Decemb. 1613. & Constit. Greg. XV. lata die 30. Augusti 1622. vbi insuper addit, se velle, cõstitutionem ipsam locum sibi vendicare vbiq; locorum Vniuersi Orbis Christiani: & hanc eandem cognitionem delegat non solùm Inquisitoribus hæreticæ prauitatis; sed etiam Ordinarijs omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum, in suis Diœcesibus, & Territorijs tam simul, quàm separatim in omnibus, prout in causis Fidei, vt constat ex *§. 3. in princ.* & latiùs §. 4. in illis verbis, *Et propterea omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios, &c.* Vndè hæc Gregoriana in plus se habet, quàm supradicta Piana, ac Pontificium decretum: siquidem supradictum decretum Romæ tantùm locum habet: Piana verò in Regnis Hispaniarum, sicut & alia consimilis edita à Paulo V. die 16 Septembris 1608. Pontificatus sui anno 4. at verò Gregoriana extenditur per totum Christianum Orbem. Et istam cognitionem huius sceleris delegat non tantùm Inquisitoribus, sed etiam Ordinarijs locorum, qui procedere valeant diuisim, aut coniunctim: quę delegatio non conspicitur in alijs sup. relatis Pontificijs dispositionibus.

2 Verum tamen est, quòd in Regnis Hispaniarum, in quibus extat specialis Hispanica inquisitio, ex consuetudine, ac priuilegio Pontificio non possunt Episcopi separatim ab Inquisitoribus causas de rebus fidei cognoscere: & denunciationes ipsis factas tenẽtur ad Inquisitores remittere; neq; reũ valent carcerare, nisi timeatur de fuga; sed certiorem facere debent præfatos Inquisitores, vt illum capiant, vt habetur ex *Sã. Clarel. tract. de hæresi, c. 40. dub. 2. n. 15. Molina to. 5. de Iust. & iure, trac. 5. disp. 28. n. 12. & 13. Acug. de Cõfessar. sollic. q. 2. n. 1. Pegna in Dir. p. 3. q. 32. com. 101. & Barb. in collect. to. 3. lib. 5. tit. 2. c. 17. n. 3.* atq; ideò cum causa sollicitationis sit causa fidei, in dictis Hispaniarum Regnis non potest Episcopus separatim cognoscere de crimine sollicitationis; sed iunctim cum Inquisitoribus: secus autem dicendum est in alijs Regnis, vbi talis consuetudo, aut priuilegium non extat; quoniam ibi potest Episcopus etiam separatim ab Inquisitoribus de ipso crimine cognoscere, vt rectè aduertit *P. Diana to. 1. tr. 4. de denunc. resol. 29.* cum alijs, quos allegat, & *to. 4. tr. 5. de Confessar. sollic. resol. 52.* vbi *circa fin. eiusdem resol.* addit etiam, quòd si Confessarius sollicitans, & mulier sollicitata eodem tempore citentur ab Episcopo, & Inquisitore, etiam in Regnis vbi non adest inquisitio Hispanica, comparere debent coram Inquisitoribus; non autem coram Episcopo, vt contra *Rojas singul. 44. n. 3. & seq.* docet *Sousa opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 2. n. 7.* Etenim iurisdictio Inquisitorum cùm sit delegata à S.P. superior est, & maior iurisdictione ordinaria. Si verò Cõfessarius esset Regularis exemptus posset in tali casu corã Episcopo comparere: quoniam Episcopus contra illum procedit ex iurisdictione delegata.

3 Sed re vera hodie vi supradictæ Constitutionis Gregorianæ, in Regnis, in quibus non extat Hispanica inquisitio, si prædicti citentur eodẽ tempore ab Episcopo, ac ab Inquisitore, videtur, eos posse comparere coram Episcopo tantùm, vel coram solo Inquisitore: siquidem in crimine sollicitationis eiusmodi tam Episcopi, quàm Inquisitores vidẽtur specialiter Delegati à Romano Pontifice, vt patet ex illis eiusdem Gregorianæ verbis, §. 4. *Et præterea, omnes hæreticæ prauitatis Inquisitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuersi Orbis Christiani, in suis quemq; Diœcesibus, & Territorijs per has nostras litteras, etiam priuatim quoad omnes alios specialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, & super his contra prędictos simul, & separatim in omnibus, &c.* Nota verba illa, *Perpetuò Iudices delegamus, &c.* quoniam verbis huiusmodi tam Inquisitoribus, quàm Episcopis æquè principaliter coniunctim, ac diuisim à Rom. Pontifice criminis huius fit delegatio: quocirca quamuis in alijs hæresum causis vera sit sententia *Rojas*; non tamen videtur habere locum in præsenti sollicitationis casu, siue Confessarius sollicitans Regularis, siue sæcularis Sacerdos existat.

4 Illud autem circa rem hanc nolui hoc loco silentio esse prætereundum, quod inquit *Sousa* post *opusc. de Confessar. sollic. in præfationibus ad præfatam Bullã Gregorianã*, dum ait, quòd quamuis, attenta dispositione dictæ Bullæ Episcopi, tam cõiuncti simul cum Inquisitoribus, quàm separatim possint procedere in crimine sollicitationis, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus; non tamen per ipsam Gregorianam conceditur, vt Episcopi sententiam separatim proferant, atque ideò citra Inquisitorum interuentum; etiam si abiuratio tantùm sollicitantibus decernatur; sed quoad hoc iura, ac Constitutiones Pontificias seruari debere. Nec etiam per dictã Gregorianam tollitur communicatio processuum per ius canonicum, vt est *tex. in c. per hoc, de hæret. lib 6.* Hanc eandem sententiam tenet *Pegna in Dir. p. 3. com. 97. Lucer. Inquis. ver. Absoluere, n. 1.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana to. 4. tr. 5. de Confessar. sollic. resol. 53.* vbi post alios

alios quoq; docet, id adeò verum esse, vt si Episcopus separatim sententiam ferat contra Confessarios ipsos sollicitantes, eam nullam esse, ac inualidam, sicut si pro eisdem absolutoria detur.

5 Contrarium tamen defendit *Pegna* relatus ibi, dicens, hoc esse de genere eorum, quæ licèt fieri prohibeantur, facta tamen tenent: nam Episcopus est Ordinarius Inquisitor, & per Gregoriū Episcopi in eiusmodi causis delegantur Iudices diuisim, & cōiunctim: ergò talis delegatio Episcopis facta censetur non solùm in procedendo diuisim, aut coniunctim; sed etiam eo modo in iudicando. Vndè ipse *P. Diana* quamuis in priorem opinionem videatur inclinare *d. resol.* 53. nihilominus *resol* 54. videtur sequi sententiam *Acug. de Confessar. sollic q.* 3. *n.* 11. & in eum *Seraph. Freit. in addit. nouissimis ad d. q.* 3. *n* 37. *& seq.* dicentium, Inquisitores non posse

6 animaduertere in sollicitationem præteritam, si iam præiudicata fuerit ab Episcopo, cùm eiusmodi crimen remaneat extinctum in foro Ecclesiæ; atq; ideò licèt Episcopus separatim sententiam absolutoriam maximè tulerit in causa sollicitationis; valebit tamen sententia ipsa, eò quod ab eo separatim de iure non potuerit, vt *in d. c. per hoc, de hæretic. in* 6. *Simanca de cathol. tit.* 25 *n* 5. & *Molina to.* 5. *de Iustit. & iur. disp* 28 *n* 13. *&* 14. vbi nota hic obitèr, quòd in omnibus casibus, in quibus datur obligatio denunciādi, in omnibus etiam datur nexus, seu ligatio reseruationis Episcopalis: ità eruditissimus noster *P. Quartus.*

Quonam modo procedatur contra Confessarios, pœnitentes in confessione sollicitantes.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *In quolibet crimine tripliciter proceditur etiā in causa fidei.*
Et an causa sollicitationis ad turpia in actu confessionis dicatur fidei.

2 *Denunciatio in nullo crimine inscriptionem denunciantis expostulat.*

3 *Inquisitio regulariter diffamationē exigit eius contra quem formatur.*

4 *Fallit tamen in crimine hæresis, in quo diffamatio non requiritur ob eius enormitatem.*

5 *Inquisitor, qui in crimine hæresis procedit per viam inquisitionis nulla præcedente infamatione, debet esse prudens, & cautus, ac adeò secretè inquirens, ne cuiuspiam fama, vel honor lædatur.*

6 *Licet in crimine hæresis, quando in eo procedatur per viam Inquisitionis non præexigatur Rei diffamatio; in crimine tamen sollicitationis ea prærequiritur.*

7 *Rei diffamatio nullo pacto exigitur quo ad accusationem, & denunciationem in crimine sollicitationis.*

1 AD hanc difficultatem respondetur, quòd sicut in quolibet crimine tripliciter procedi potest, nempè per viam accusationis, denunciationis, & inquisitionis, vt in *c. super his, & c. qualiter, & quādo, il*. 2. *de accusat.* ita quoque in causa fidei proceditur, vt habetur ex *Eymer. in Direct. Inquis. p.* 3 *tit. de modo proced. in causa fid. n.* 67. 68. *&* 69. & in eam *Pegna com.* 14. 15. *&* 16. Vndè cùm sollicitatio ad turpia in actu confessionis dicatur fidei causa propter hæresis suspicionem, quam contrahunt Confessarij pœnitentes sollicitantes, vt *sec. praced.* ostendimus, procul dubio in sollicitationis scelere tribus modis pariter procedi potest, nempè per viam accusationis, denunciationis, & inquisitionis. Et quoniam accusatio tendit ad delinquentis pœnam, licèt regulariter accusator se inscribat ad pęnam talionis, nisi probet; in causa tamen fidei hodie non inscribitur, vt probat *Pegna d. com.* 14. atq; ideò arbitror nec inscribi

2 accusatorem in delata accusatione contra præfatos Confessarios, vt sup. sollicitantes. Denunciatio verò cùm tendat ad delinquentis tantùm correctionem, in nullo crimine inscriptionem expostulat, vt *in d. cap. super his, de accusat.* & propterea Denunciator in causa sollicitationis se inscribere non compellitur. Nec prærequiritur aliqua diffamatio, ac infamia accusati, aut denunciati, cum proceditur per viam accusationis, seu denūciationis; quoniam ipsa accusatio præsertim obtinet vicem diffamationis etiam si agatur de causa ad fidem pertinente, vt habetur per *Eymer. d. n.* 67. & in eum *Pegna com.* 14.

3 Inquisitio denique, cum ex officio procedat Iudex, regulariter exigit diffamationem eius, contra quem formatur inquisitio, vt *in d. c. qualiter, & quando, il* 2. *de accusat.* & ibi latè Doctores.

4 Dixi, *Regulariter*, quoniam in omnibus delictis, in quibus proceditur per viam inquisitionis, licèt inquisitio exigat præuiam diffamationem inquisiti; id tamen fallit in crimine hęresis; siquidem in eiusmodi crimine ob enormitatem illius, & timorem infectionis, potest formari inquisitio contra reum, etiam si nulla pręcedat diffamatio, vt habetur ex *Pegna d comm.* 16. *Simancha de cath. Inst. tit.* 43. *n.* 7. *& seq Rolan. à Valle lib.* 3. *consf.* 8. *n.* 6. *Campeg. in addit. ad Zanchin. tract. de hæret. c.* 9 *n.* 9. *Rojas singul.* 3. *n.* 22. *& ex alijs.* Est tamen verum, quòd

5 quādo Inquisitor procedit per viam inquisitionis in crimine hæresis, nulla præcedente diffamatione; sed per sola indicia, ac præsumptiones; debet esse prudens, & cautus, & adeò secretè inquirere, ne cuiuspiam fama, honorq; lædatur, vt per *Gemin. Franc. & alios, in c. officium, de hæret. in* 6. *Bald. in l. iubemus, C. de probat.* quos refert, & sequitur *Pegna d. com.* 16. Crimen autem sollicitationis, de quo agitur, licèt quando in eo proceditur per viam accusationis, aut denunciationis non sit opus vt præcedat rei diffamatio, cùm accusatio, ac denunciatio obtineant vicem diffamationis, vt sup. diximus; nihilominus vbi in tali crimine proceditur per viam inquisitionis, arbitror debere præcedere rei diffamationem; tum quia crimen sollicitationis non est formaliter crimē hæresis aliorum infectiuū, vt habetur ex *Fagund. de pracep. Eccl. pracep.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *sub n.* 31. Sed regulariter leuem inducit hæresis suspicionem, vt sup. ostendimus *sec.* 3. tum etiam, quoniam id apertè definitum

reperitur per Pontificias constitutiones, vt patet ex illa Pij IV. edita 16. Aprilis 1561. §. 1. quæ incipit, *Sicut nuper*, in illis verbis, *Contra omnes Sacerdotes, &c. quomodolibet diffamatos.* & ex alia Pauli V. emanata die 16. Septemb. 1608. ibi, *Contra singulos Sacerdotes, &c. de præmissis quomodolibet diffamatos*, quæ quidem diffamatio ad aures Superioris perueniat, non à maleuolis, & maledicis; sed à prouidis, & honestis, iuxtà *tex. in d. c. qualiter, & quãdo*, in illis verbis, *Si per clamorem, & famam ad aures Superioris peruenerit, non quidem à maleuolis, & maledicis; sed à prouidis, & honestis.* vbi est adnotandum, quòd *Glosa ibi, in ver. à maleuolis:* id verum esse ait si constaret, quòd fama, seu diffamatio à talibus proueniat: aliàs difficile esset probare famam ortam esse à talibus, cùm fama ab incerto auctore procedat, vt *in c. sanctũ est, de consecr. d.* 4. vndè si non constat, quod à maleuolis, & maledicis sit orta infamia, ipsa *Glosa* inquit, inquisito indicendam esse purgationem vndecumq; procedat infamia. Ergo idẽ dicendum videtur in crimine sollicitationis, vbi in eo proceditur per viam inquisitionis: nam cũ inquisitio huiusmodi prærequirat reos quomodolibet diffamatos, prærequirit infamiam vndecumq; procedat.

6 Ex his infertur, quòd licèt in crimine hæresis, quando in eo proceditur per viam inquisitionis non præexigatur Rei diffamatio, vt sup. ostendimus; in crimine tamen sollicitationis, cùm in eo proceditur per viam pariter inquisitionis, debet præcedere Rei diffamatio, sicut in reliquis criminibus, excepta hæresi. Etenim quamuis cognitio sollicitationis pertineat ad Inquisitores hæreticæ prauitatis sicut cognitio hæresis; nihilominus ex Pontificijs cõstitutionibus in hoc differt inquisitio sollicitationis ab inquisitione hæresis, quòd prior præexigit Rei diffamationem, non autem posterior. Et sicut aliorum criminum inquisitio, excepta hæresi, præexigat veram famam vndecumq; procedat, vt per *Gloss. in d. c. qualiter, & quando, il* 2. *ver. à maleuolis*; quæ quidem vera tunc dicitur, quando non constat prouenire à maleuolis, & maledicis, etiam si id per Fiscum non probetur, cum fama ab incerto actore proueniat, vt *in d. c. sanctum est, de consecr. d* 4. & ex dicta *Glosa* colligitur; ita quoq; sollicitationis inquisitio prerequirit veram famam vndequaq; proueniat; siue insurgat à pœnitentibus sollicitatis, siue ab alijs, dummodò ex ipsa inquisitione non constet, infamiam procedere a maleuolis, & maledicis, potiusquam à prouidis, ac honestis personis: atq; ideò inquisitio sollicitationis quoad prærequisitum infamiam Rei, non differt ab inquisitione aliorum criminum. Siquidem verba illa supradictarum Pontificum constitutionũ, *Quomodolibet diffamatos, &c.* non significant satis esse qualemcumq; infamiam, etiam à maleuolis, & maledicis ortam, & non veram infamiam, de qua *in d. c. qualiter, & quando, il* 2. & ibi *Glosa, in ver. à maleuolis:* vt videntur velle *Moura opusc.* 1. *de Ensal. & incant. sec.* 3. *c.* 3. *n.* 11. *& Acugna de cõfessar. sollic. q* 4. *n.* 4. quos refert, & sequitur *P. Diana to.* 4. *tract.* 5. *de cõfessar. sollic.* sed denotant prærequiri in sollicitationis inquisitione veram Rei diffamationem vndecumq; procedat, siue à pœnitentibus sollicitatis, siue ab alijs, dummodò non constet prouenire à personis maleuolis, & maledicis; & nõ à personis prouidis, & honestis, etiam si per Fiscum id non probetur, cum sit difficilis probationis, eò quòd fama ab incerto auctore proueniat, vt sup. diximus. Etenim verba, *Vndecumq; procedat*, quibus vtitur *Glosa loc. cit.* æquipollent verbis prædictis, *Quomodolibet diffamatos*; Vndè sicut inquisitio cum alijs delictis, excepta hæresi, excludit famam ortam à maleuolis, ac maledicis, ità etiam dicendum videtur in inquisitione contra Confessarios sollicitantes pœnitentes in actu confessionis. Nec obstant verba illa supradictarum Pontificum constitutionum, *Diligenter inquiras, & iuxtà facultatem tibi contra hæreticos, &c. procedas.* quoniã licèt verbis illis detur facultas procedendi contra Confessarios pœnitentes vt supra sollicitantes, sicut contra hæreticos; Excipitur tamen inquisitio contra sollicitantes, vt contra eos non formetur, nisi præuia diffamatione, per verba illa, *Quomodolibet diffamatos*, quæ quidem diffamatio non prærequiritur in inquisitione pro crimine hæresis, vt sup. ostendimus. Quo uerò ad accusationem, & denunciationem in crimi-

7 ne sollicitationis nullo pacto dicimus præexigi Rei diffamationem, nec quidem aliqualem, vt aliqui opinantur prærequiri: quoniam accusatio, ac denunciatio se habẽt loco diffamationis: & propterea meritò contra sic opinantes insurgunt *Moura*, *& Acugna locis citatis*, & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana d. resol.* 1. Hęc satis de hac re remittendo me in omnibus doctissimo iudicio Dominorum Sacræ Inquisitionis.

Quænam probationes satis sint ad carcerandum, & puniendum Confessarios ad turpia pœnitentes in confessione sollicitantes.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Ex vnius fœminæ quantumuis honestæ denunciatione, quod a Confessario fuerit ad turpia sollicitata, non est constituendus, nec carcerandus Confessarius.*

Et quid soleat agere Inquisitor cum mulier denunciat, seu deponit, mulierem fuisse sollicitatam ad turpia.

2 *Confessarius si compertus fuerit leuis, & malę vitæ, non poterit ab Episcopo capi absq; speciali commissione, & rescripto Sac. Congr.*

Memorantur litteræ eiusdem Sac. Congr. directæ Episcopo Fulgini.

3 *Confessarius constitui, & carcerari potest, si duæ fœminæ probatæ vitæ aduersus eum denunciauerint de sollicitatione.*

4 *Fœminæ regulariter à testificando repellũtur.*

5 *Sollicitationis crimen aliter quam per fœminas probari nequit.*

6 *Ad condemnandum Confessarium pro sollicitatione habita in confessione nõ sufficiunt duę mulieres, quantumuis probatæ vitæ denunciantes.*

7 Con-

7 *Confessarius examinatus si delictum negauerit, torqueri potest pracipuè super intentione qualiter sentiat de Sacramentis.*

8 *Tres fœminæ probatæ vitæ, Confessarium denunciantes, satis sunt ad conuincendum, & condemnandum eum pro crimine sollicitationis in earum personas.*

9 *Probatio per testes singulares licet non dicatur aperta, nec concludens, esto quod fœminæ denunciantes sint quatuor, & propterea non sufficiat ad pœnam ordinariam imponendam, sufficit tamen ad extraordinariam maximè in crimine hæresis.*

10 *Testes singulares si sint infames, vel complices, nunquam satis sunt ad imponendam ordinariam pœnam. Vbi vide casum, &c.*

IN hac re varia sunt Doctorum placita, & ideò quid nobis dicendum sit, per sequentes conclusiones breuiter aperiemus. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

1 EX vnius fœminæ quantumuis honestæ denunciatione non est constituendus, nec carcerandus Confessarius, quem ipsa fœmina denunciat ab eo fuisse ad turpia sollicitatam in actu confessionis. Hęc conclusio est communis, quam docet *Acugna de Confessar. sollic. q. 23. n. 27.* & in eum *Freitas, q. 4. n. 27. Sousa, opusc. de Confessar. sollic. tract. 2. c. 21. n. 6. & Diana to. 1. tract. 4. res. 28. & to. 4. tr. 5. de Cōfessar. sollic. resol. 5.* Vndè *Molfes. p. 1. sua sum. Theol. tract. 7. c. 25. n. 59.* relatus à *Diana d. resol. 55.* quòd dum est sola denunciatio, vel depositio mulieris sollicitatæ ad turpia, quæ sit bonæ famæ, Domini Inquisitores verbotenus solent inquirere de qualitatibus Confessarij, an aliàs sit inquisitus de similibus, qui si similiter sit bonæ famæ in pari qualitate præfertur, vt testatur ab illis audiuisse, & seruari in practica. Quòd si compertus fuerit leuis, ac malæ vitæ, tùnc ait *Freitas*

2 *loc. cit. n. 28.* eum posse capi. Non tamen id fieri posse ab Episcopo citra supremæ Congregationis sacræ Inquisitionis specialem commissionē, vt rescriptum fuisse Episcopo Ful. testatur *Nouar. in Lucer. Regul. ver. Sollicitationes*, mediantibus litteris tenoris sequentis. *Al Molto Illustre, & Reuerendiss. Monsignor il Vescouo de Foligno.* Intus verò, *Molt'Illustre, & Reuerendiss. Signore. Acciò più fundatamente si proceda contra li sollicitanti in confessione, questa suprema Congregatione ordina, che per il detto d'vna sola donna V. S. non venghi à costituire, ò carcerare il preteso reo, senza prima darne quà auiso con la relatione della qualità della donna, del denunciante, & denunciato, & all'hora se li scriuerà se debba, ò nō procedere à costituirlo, & carcerarlo, tanto V. S. sarà contenta d'eseguire, & il Sig. Iddio la conserui. Roma li 17. di Luglio 1627. Affettionatiss. per seruirla. Il Cardinal Mellino.* Quod si cum mala fama Confessarij, & denunciatione fœminæ, quæ dicat ab eo fuisse in confessione sollicitatā, concurrāt alia indicia, aut adminicula, maximè si Confessarius aliàs fuerit inquisitus de tali crimine, tunc potest constitui, ac carcerari, ac etiā torqueri, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Farin. de hæresi, q. 185. à n. 130.* & alijs relatis à *Seraph. in addit. ad Roder. de Acug. de Confessar. sollic. q. 4. n. 16. & q. 23. n. 29.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 COnfessarius potest constitui, ac carcerari, si duæ fœminæ probatæ vitæ aduersus illum denunciauerint. Hæc conclusio est *Sousa opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 12. concl. 4. n. 8. Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 25. n. 59. Bariola de Confessar. sollic. q. 15. & aliorum.* Probatur, quoniam tres fœminæ sollicitatæ in confessione secundùm aliquos sufficiunt ad puniendū Cōfessarium, vt infra dicemus. Ergò duæ satis sunt ad ipsum cōstituendum, & carcerandum. Dixi, *Duæ fœminæ probatæ vitæ*, quoniam si constaret huiusmodi fœminas non esse probatę vitæ, præsertim si sint complices, earum denunciationes non sufficerent ad constituendum, ac carcerandum Confessarium, quem denunciauerunt in confessione eas sollicitasse, vt habetur ex *Acugna de Confessar. sollic. q. 23. n. 9. & Sousa loc. cit.* Etenim fœminæ regulariter repelluntur à

4 testificādo, vt *in c. forus, de verb. signif. c. mulierem*, & ibi *Glosa, ver. nec testis, 33. q. 5. c. mulieres*, & ibi *Panor. n. 2. in prin. de testib.* quam sēntentiam communem esse testatur *Felyn. ibid. n. 1. Dec. in l. fœmina, n. 34. ff. de regul. iur.* & latè *Mascard. de probat. concl. 763.* siquidem fœminæ, vt colligitur ex *d. c. forus*, ex sui natura sunt mendaces, periuræ, dolosæ, variæ, & corruptibiles. Et quamuis in hoc crimine sollicitationis, sicut in crimine hæresis admittantur in testes, vt habetur ex *Simanca in Enchirid. tit. 37. n. 80. & de Cathol. instit. tit. 64. n. 77. Acugna loc. cit. q. 22. n. 8. & 9. Farinac. de hæresi, q. 64. n. 6. Couar. lib. 3. var. resol. c. 3. n. 3. vers. Verum*, & ex alijs, qui hanc esse rationem volunt,

5 quoniam sollicitationis crimen aliter probari non potest, nisi per fœminas ipsas sollicitatas: attamen duæ fœminæ, vt sup. denunciantes earū Confessarium debent esse probatæ vitæ, vt earūdem denunciationes satis sint ad constituendū, & carcerandum illum. Imò totum hoc negotiū remittendum est arbitrio, ac iudicio Inquisitorum, qui qualitates, & mores Confessarij denūciati, & mulierum denunciantium debent diligenter saltem verbotenus inquirere antequam ad Reum constituendum, ac carcerandum deueniāt, vt habetur ex *Ioanne Sancio in select. disp. 11. n. 47. & P. Diana d. resol. 55. tr. 5. to. 4.*

TERTIA CONCLVSIO.

6 AD condemnandum Confessarium pro sollicitatione in confessione habita denunciatum, non sufficiunt duæ mulieres, quantumuis probatæ vitæ denunciantes. Hæc conclusio est *Sanctarelli tract. de hæresi, c. 44. dub. vnico, n. 6. Peirini de priuil. Minim. to. 1. cōstit. 4. Gregor. XV. §. 8. n. 23. Bonac. tract. var. disp. 6. pun. 3. n. 26. Ioan. Sanc. in select. disp. 11. n. 46.* quos refert *P. Diana to. 1. tr. 4. resol. 8.* cōtra *Param. de Orig. Inquis. lib. 3. q. 10. n. 158. & 165.* Etenim licet per duos testes omni exceptione maiores probari possint omnia crimina, vt *in l. vbi numerus, ff. de testib. & c. si testes, §. vbi numerus, 4. q. 3.* nihilominus in casu nostro cùm admittantur fœminæ singulares deponentes super diuersis factis, non sunt legitimæ testes, quo-

niam testes singulares regulariter non probant, vt *in l. ob carmen, § si testes*, & ibi *Glos. & Bart.* & ad eum Addentes, præsertim *Alex. ver. Sufficit, ff. de testib.* Est tamen verum, quòd circa fidem testium multum præualēt iudiciū, & prudentia Dominorum Inquisitorum, qui considerare debent circumstantias, & qualitates tam mulierum denunciantium, quàm Sacerdotum, qui accusantur, vt habetur ex *Diana loc. cit.* ad quod facit *tex. in l. 3. § ideoque, ff. de testib.* ibi, *Tu magis scire potes quantā fides sit adhibēda testibus, &c.* 7 In omnem euentum hoc casu examinatus Confessarius, si negat delictum, potest torqueri præcipuè super intentione, qualiter sētiat de Sacramentis Ecclesiæ: & si confitendo delictum, constaret malè sentire debet abiurare de vehementi: si tamen constet ardore libidinis id fecisse, abiurat de leui, & pro qualitate excessus, & pro continuatione criminis punitur. Et ita in praxi seruari testatur *Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 24. sub n. 40.* Quod si in tormentis in negatione perseueraret, est dimittendus.

QVARTA CONCLVSIO.

8 TRes fœminæ probatæ vitæ denunciantes Confessarium, satis sunt ad conuincendū, & condemnandum eum pro crimine sollicitationis in confessione in earum personas. Hæc conclusio est *Ortiz in sum. c. 24. n. 11. & aliorū.* Etenim quando proceditur in crimine per viam denunciationis tres testes sufficienter probant: eo quod per denunciationem non intēditur per denunciantem pœna; sed correctio denunciati, vt in *c. in omni negotio*, & ibi *Glosa, de testib.* Et quamuis eiusmodi mulieres sint singulares; nihilominus non dicuntur simpliciter tales; sed aliquo modo contestes: nam licèt discordant in loco, & tempore; in substantia tamen sunt concordes, iuxta ea, quæ habentur ex *Alex. in addit. ad Bart. in l. ob carmen, § si testes, sub n. 2. ff. de testib. Vinc. de Franch. decis. 105. sub n. 21.* & in specie *Simanch. in Enchirid. tit. 37. n. 80. & de cathol. instit. tit. 64. n. 77. Rodor. de Acug. de Confessar. sollic. q. 22. n. 8. & 9.* quibus adde, quæ cumulant *Farin. de hæresi, qu. 64. n. 6. Couar. lib. 3. var. resol. c. 3. n. 3. ver. Verum, & Gomez de delict. c. 12. n. 12.* & hanc probationem admitti tenet *Molfes. p. 1. sua sum tr. 7. c. 24. n. 35. cum plurib. seq.* Rationem autem hanc esse volunt; quia sollicitationis actus aliter colligi non potest, nisi per ipsas personas sollicitatas. Et ità hodie de consuetudine, seruari testatur idem *Acugna loc. cit. n. 13.* 9 Et quoniam probatio per testes singulares non dicitur aperta, ac concludens, maximè in criminalibus, vt habetur ex *Mascar.* etiam quoad crimen hæresis, *concl. 856. a n. 3.* & licet fœmina in criminibus exceptis, in quibus aliter veritas haberi non potest, admittatur, vt habetur ex eodem *Mascar. cōcl. 462. n. 6. & concl. 761. n. 16. & 22.* nihilominus in capitalibus duæ fœminæ Reum non conuincunt, licet sint contestes, vt habetur ex *Gand. de fur. n. 7. Hyppol. Riminal. cons. 217. n. 5. vol. 2.* & *Farin. to. 2. q. 59 n. 29.* idcircò *Seraph. in addit. in d. q. 22. n. 26.* esto quòd fœminæ denunciantes sint quatuor, vt vult ipse *Acugna ibidem, q. 23. n. 11.* censet, prædictam conclusionem esse veram quoad pœnam tantùm extraordinariam imponendam. Etenim in crimine hæresis licèt testes singulares non sufficiant ad pœnam ordinariam imponendam; sufficiūt tamen ad extraordinariam, vt habetur ex *Repert. Inquisit. ver. testes, vers. An in causa locat. in praxi Inquisit. ver. testis, n. 18. Paris. cons. 2. n. 93. vol. 4. Pegna 3. p. com. 121. col. 9. ver. Quoties.* Quæ quidem pœna non debet esse corporalis, vt habetur ex *Menoch. cons. 81. n. 167. lib. 1. Farin. 2. to. q. 64. n. 218. & de hæresi, q. 188. n. 163.* quibus adde, quę habentur ex *Ricc. p. 3. collect. 549. & in praxi fori Eccles. decis. 369.* dum refert pluriū fœminarum, quæ sollicitatę fuerant, testimonio conuinctum non fuisse ad pœnam ordinariam Confessorem; sed in tortura negantem, per annum suspensum ab animarum cura. Est tamen 10 verum, quod quamuis circa rem hanc magna controuersia sit inter Doctores, vt videre est apud *Acug. Seraph. & Molfes. locis citatis*; nihilominus illud est certissimum, quòd quando testes singulares sunt infames, vel complices, nunquam satis sunt ad imponendam ordinariā pœnam: siquidem quoties plures concurrunt defectus in testibus, non possunt admitti saltem ad pœnam ordinariā imponendā, vt per *Gabr. comm. opin. tit. de testib. concl 7. n. 10. Farin. 2. to. q. 62. n. 80. & 381.* licèt statuto inhabiles admittantur, vt habetur ex eodem *Farin. d. q. 62. n. 382.* quam sententiam communem esse testatur *Seraphin. d. q. 22. sub n 27.*

† Adde casum ad rem nostram, perutilem Confessarijs, qui accidit prudentissimis, & Illustrissimis Inquisitoribus Regni Siciliæ, sicut accepi ab ipsomet meo patruo, vbi quædam muliercula amore capta eius Confessarij illum sollicitauit, cuius prouocationi non solùm viriliter restitit, verum etiam eam obiurgauit; quamobrem cum non sit ira super iram mulieris, accensa ipsa iracundia, & acta in rabiem Confessarium insontem, vti Reum, & sollicitātem accusauit. Acceperunt denunciationem mulieris, & cauti, vt mos est, circa accusatum se gesserunt. Vndè videns muliercula non puniri ab illis Reum Confessarium, iterum adijt ad Tribunal Sanctissimę Inquisitionis conquerendo, & eiulando, quod non vidisset animaduersum Reum Confessarium à se multo elapso temporis spatio accusatum. Hæc impudentia, & mulierculę petulantia inditium fuit illi Sanctissimo Tribunali falsæ accusationis: idcircò fuit in carcerem trusa, & confessa fuit suum enormissimum scelus; vndè fuit omninò absolutus ab impostura Confessarius, & punita tanquam rea ipsa muliercula. Discant Confessarij esse cauti, ac prudentes in tractando, & protrahendo ad longum tempus cum talibus sermoné, ac breuiter, & maturè eas audire, & nulla cum illis verba facere, nec familiaritatem habere, cum sint personæ animo irreuerenti, & infrunito, & meretricia fronte absq; velamine verecundiæ, & pudoris, quod vt plurimum solent habere principes, ac ingenuæ mulieres.

Quidnam sit pœnitentium ad turpia sollicitatio: quotuplex; & cuiusnam cognitio ad Sancti Officij Inquisitores pertineat.
SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Sollicitatio ad turpia quidnam sit; Et quotupliciter fieri contingat.*
2 *Sollicitatio ad venerea in actu confessionis sacramentalis, habita à Confessarijs, cum pœnitentibus perpetranda, comprehenditur sub dispositionibus Pontificijs, eiusq. cognitio pertinet ad Inquisitores S. Officij.*
3 *Quod locum habet contra Confessarios, quascumq; personas sollicitantes, siue fœminas, siue masculos.*
4 *Ante Constit. Gregor. XV. eiusdem cognitio spectabat ad Inquisitores.*
5 *Nec solum procedit in sollicitatione ad venerea, in pœnitentes perpetranda, sed etiam cũ alijs.*
6 *Confessarius sollicitare dicitur, si vrgeat pœnitentem ad inhonesta patranda cum alio tertio, & sic lenonis ministerium agens.*
7 *Huiusmodi Confessarius denunciandus est non modo ex vi Gregorianæ Constitutionis, sed etiam vigore antiquarum Constitutionum.*
8 *Vera est supradicta conclusio, siue sollicitatio fiat per Confessarium verbis expressis, ac claris, siue tacitis, & obscuris.*
9 *Tacitè dicitur Confessarius sollicitare pœnitentem in cõfessione, si eam laudet de pulchritudine, ac venustate, ac alias eius dotes commendet.*
10 *Tacitè pariter Confessarius sollicitare dicitur si audiendo confessionem suæ concubinæ, commotus zelotipia, in hæc, & similia verba prorumpat, & quæ.*
11 *Confessarius sollicitare dicitur etiam si ante, vel post immediatè pœnitentem ad turpia perpetranda sollicitauerit.*
12 *Actus, confessioni proximus, an, & quando dicatur.*
13 *Confessarius mulierem audiens in confessione, cõmisisse aliqua peccata venerea, si insequatur illam, mox è cõfessionario discedentem, et in via sollicitet, vel ad domum suam, aut aliò peruentam, est denunciandus, & pœnis Pontificijs afficiendus.*
14 *Vera est conclusio de quacunq; sollicitatione, habita per Confessarium ad turpia, occasione, ac prætextu confessionis.*
15 *Prætextus confessionis requisitus in sollicitatione, an debeat esse proximus, vel remotus à loco, & statu confessionis.*
16 *Procedit nostra conclusio in sollicitatione ad turpia habita per Confessarium, etiam extra confessionem, sed in confessionario.*
17 *Denunciandus est Confessarius, qui tribuit in confessionario cartham pœnitenti dum confitetur, legendam tamen domi, aut alibi, in qua illam sollicitabat.*
18 *Denunciandus est Confessarius, qui mulierem sollicitat, quæ dicit, se velle in crastinum confiteri.*
19 *Pœnis Gregorianæ subijcitur Confessarius, fœminam sollicitans, ad confessionarium accedentem animo confitendi, & preuenitur ab ipso Confessario, vt confessionem differat in aliud tempus.*
20 *Procedit etiam Gregoriana Constitutio etiam si Confessarius inhonestos sermones habeat cũ pœnitentibus, seu tractatus.*
21 *Tunc est denunciandus Confessarius sollicitãs in confessionario pœnitentem, aut cum ea turpes sermones, ac tractatus habens, cum simulat confessiones audire, aliàs secus.*
22 *Affertur Decretum Pauli V. circa rem hanc.*
23 *Confessarius pœnitentem sollicitans in actu cõfessionis non ad turpia venerea, sed ad alia peccata alterius generis, denunciandus an sit.*
24 *Non minorem irreuerentiam infert Confessarius sollicitando pœnitentem ad peccata, quę confitetur, quam ad alia.*
25 *Non est probabilis sententia Parami, & aliorum docentium, verba Pontificiarum Constitutionum dirigi tantum ad sollicitationem carnalem.*
26 *Confessarius sollicitans ad turpia aliquam fœminam, vel masculum in alijs Sacramentis, quàm pœnitentia, non incidit in pœnas contra sollicitantes pœnitentes in cõfessione.*
27 *Sacerdos si in administrando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento alicui fœminæ eam sollicitet, an sit Inquisitoribus hæreticæ prauitatis denunciandus.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd sollicitatio ad turpia nihil aliud est, quã motio, seu prouocatio volũtatis alienę ad inhonesta, vt colligitur ex cõstitutione Gregor. XV. edita sub die 30. Augusti 1622. §. 4. Hæc autem sollicitatio fieri contingit dupliciter. Primò ad inhonesta perpetranda inter sollicitantem, & sollicitatam: Secundò ad inhonesta facienda cũ alijs, vt patet ex eadem Gregoriana d. §. 4. in illis verbis *Ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.* vtraq; tandem sollicitatio diuiditur in sollicitationem inhonestam veneream, & non veneream: in tacitam, & expressam. De his igitur omnibus in hac *sec.* agemus, an earum cognitio spectet ad Inquisitores S. Officij, ac hæreticæ prauitatis, & quænam sollicitatio comprehendatur sub dispositionibus, & pœnis Pontificiarum constitutionũ editarum contra Confessarios in cõfessionibus audiendis ad turpia sollicitantes eorum confitentes. Sit ergò

PRIMA CONCLVSIO.

2 SOllicitatio ad inhonesta venerea in actu cõfessionis sacramentalis habita à Confessarijs in pœnitentes inter se perpetranda, comprehenditur sub dispositionibus, & pœnis Pontificiarum constitutionum: & eiusdem cognitio pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis. Hæc conclusio est communis, & patet tum ex Piana, ac Paulina constitutionibus, quas supra retulimus *sec.* 5. tum etiam ex d. Gregoriana vltimo loco edita, §. 4. in illis verbis, *Personas quacũque*

quæ illa sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, &c.

3 Ampliatur primò dicta conclusio, vt locum habeat contra Confessarios in sacramentali cõfessione sollicitantes vt supra, quascunq; personas, siue masculi sint, siue fœminæ, vt patet ex prædictis Gregorianæ verbis, *d.§.4. Qui personas, quæcumque illa sint, &c.* Dictio enim, quæcumque, est generalis, nihil excipiens, vt *in c. solita, ver. Nihil excipiens, de maior. & obed. Panor. in c. super quæstione, in Glosa, ver. Quicunque, de offic. delegati, & Glosa in l. Balista, ff. ad Trebell.* Vndè licèt ante d. Gregorianam nonnulli docuerint non comprehendi sollicitantes pueros sub alijs Pontificijs constitutionibus, vt habetur ex *Portel. in addit. ad dubia Regular. ver. Sollicitare fœminas, Fagũd. de precep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. c. 3. sub n. 31. Bariola in Florib. Inquis. fol. 227. & ex alijs.* Hodie tamen sopita est eiusmodi controuersia per verba præfatæ constitutionis Gregorianæ, vt rectè aduertit *P. Nald. in addit. ad suam sum. ver. Confessio, n. 31. Peirin. in priuileg. minor. to. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 1. n. 14.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana to. 1. tract. 4. resol. 12.* quibus adde, quæ supra cumulauimus *sec. 3. vers. Quæ diximus.* Est tamen verum, quòd eiusmodi casus etiam ante d. Gregorianam editam spectabat ad Inquisitores hæreticæ prauitatis: siquidem Inquisitores ipsi facultatem habent non solùm cognoscendi de hæreticis; verùm etiam de omnibus criminibus, quæ suspicionem habent hæresis, vt sup. adnotauimus *sec. 4.*

4 Sollicitatio autem ad turpia puerorum in sacramentali confessione, non minorem suspicionem hæresis inducit, quàm sollicitatio mulierum, vt sup. ostendimus *d. sec. 3.*

5 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat non solùm in sollicitatione ad venerea per Confessarios in pœnitentes vt supra inter se perpetranda; sed etiam cum alijs, vt constat ex dictis Grægorianæ verbis, *Ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.* Vndè quamuis ante Gregorianæ constitutionis editionem hæc ampliatio locum sibi non vendicabat; eo quod Piana, & aliæ constitutiones ediṫę contra sollicitantes loquuntur de Confessarijs pœnitentes in confessione sollicitãtibus ad turpia inter se tãtùm perpetranda, & propterea cùm sint odiosæ non debent extendi in sollicitantes ad turpia non committenda cum pœnitentibus; sed cum alijs, arg. *tex. in c. odia, de regul. iur. in 6.* & in specie *Acugna in explicatione d. Paulina, de Confessar. sollic. q. 17. n. 9.* hodie tamen post Gregorianam nouissimè editam, sub ea comprehenduntur sollicitantes pœnitentes ad turpia perpetrãda tam inter se, quàm cum alijs, & id per verba dictæ constitutionis sup. relatæ, vt habetur ex *P. Naldo* in sup. relatis *add. ad suam sum. sub num. 31. Bonac. tract. var. disput. 6. p. 3. n. 19. Sanc. in select. disput. 11. n. 43. & 44. Sanctarell. de hæresi cap. 44. dub. vnico, nu. 19. & Diana to. 1. tr. 4 resol. 19.* Hinc infertur, quod Confessarius sollicitans, prouocans, ac vrgens pœnitentem ad prostituendam sibi eius filiam, aut aliam eius consanguineam, affinem, vel amicam, proculdubio est denunciandus, & incidit in pœnas in dictis Pontificijs constitutionibus contentas, vt habetur ex *P. Diana*, & alijs Doctoribus sup. citatis.

6 Idem dicendum est si Confessarius pœnitentem vrgeat ad inhonesta patranda cum aliquo alio tertio, & sic lenonis ministerium agens. Vel si pœnitentem sollicitet ad lenocinium exercendum pro alijs. Etenim quamuis Confessarius lenonis ministerium in confessione exercens, aut sollicitans pœnitentem ad lenocinium non comprehendatur in terminis antiquarum constitutionum; comprehenditur tamen sub Gregoriana prędicta, & ideò venit denunciandus, & per Inquisitores hæreticæ prauitatis debitis pœnis plectẽdus, vt per *Io. Sanc. in select. disp. 11. n. 44. & Sousam in aphor. lib. 1. c. 34. n. 21.* & id non solum per verba illa Gregorianę, *Ad inhonesta siue inter se, siue cũ alijs*; sed etiam sob subsequentia eiusdem constitutionis verba, ibi, *Aut cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* At proculdubiò inhonesti, & illiciti sermones sunt, quibus pœnitens ad lenocinium sollicitatur à Confessario: vel ipse lenonis fungatur munere, sollicitando pœnitentem ad turpia patranda cum alio.

7 Imò *P. Diana* ibidem probabilem putat opinionem *Castri Palai tr. 4. disp. 9. pun 5. n. 2.* existimantis, eiusmodi Confessarium esse denunciandum non modò vi d. Gregorianæ; verum etiam vigore antiquarum constitutionum per rationes ab eo relatas: quam sententiam puto veram; quoniam talis Confessarius contrahit suspicionem hæresis, cùm abutatur sacrosancto pœnitentiæ Sacramento: & propterea huius criminis cognitio pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, etiam attentis antiquis constitutionibus Pontificijs, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus, *ampl. præcedenti, circa fin.*

8 Tertiò ampliatur, vt conclusio vera sit, siue sollicitatio fiat per Confessarium ad turpia verbis expressis, & claris; siue tacitis, & obscuris, dubijs, signis, nutibus, ac tactibus: etenim taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cum quid, ff. si cert. petat.* & habetur ex *Peyrino de priuil. Minor. to. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 6. n. 21.* Est tamẽ verum, quòd quãdo verba, ac signa sunt dubia, tunc *Sousa Aphor. Inquis. lib. 1. c. 34. & 54.* & *in opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 4. n. 16.* quem refert, & sequitur *P. Diana to 4. tr. 5. resol. 25.* volunt, posse Inquisitores, si expediens eis videbitur, interrogare huiusmodi sollicitantes circa factum, aut verbum dubium de eorum intẽtione.

9 Tacitè autem Confessarius dicitur ad turpia sollicitare pœnitentem in confessione, si laudet eã de pulchritudine, ac venustate, aliasq; eius dotes commendet, vt habetur ex *Peyrino loc. cit. constit. 7. Gregor. XV. §. 6. n. 2. Acugna de Cõfessar. sollic. q. 7. n. 13. Bonac. tract. var. disp 6. pun. 3. n. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana loc. cit.* & rectè limitat id locum sibi vendicare, modò non constet, aut rationabiliter non præsumatur, Confessarium, qui fœminam sic laudauit, protulisse verba eiusmodi alio fine, quàm intentione alliciẽdi ad actus inhonestos: siquidem laudare mulierem de pulchritudine, & venustate, de sui natura non est actus inhonestus, neq; peccatum. Tacitè pariter Confessa-

10 satius dicitur sollicitare, si audiendo confessionem suæ concubinæ ex zelotipia commotus eã arguat; prorumpendo in hæc, & similia verba, discontinuandi nostrum affectum occasionem affers, quoniam cum alijs distraheris in similibus lasciuijs, vt habetur ex *Sanc. in select. disp. 11. n. 32. & Fagund. de precep. Eccl. in 2. edit. precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 63.* Tacitè quoq; Confessarius censetur sollicitare pœnitentem, si det ei pœnitentiam, vt nuda à se verberetur, vt per *Sous. opusc. de Confessar. sollic. tr. 1. c. 18. n. 14.* quem refert, & sequitur *Diana d. tr. 5. resol. 47.* qui idem dicendum esse volunt de Confessario, suadente pœnitenti sibi actu confitenti, vt ipsi eo loco vas naturale, quod ipsa in eadem confessione morbo affectum habere dixerat, ostendat, eiusmodi enim suasiones, ac postulationes proculdubio sunt ad turpia tacitæ sollicitationes, atq; ideò tales Confessarij efficiuntur de foro Inquisitorum, ipsisq; veniunt omninò denunciandi, ac Pontificijs subduntur pœnis.

11 Quartò ampliatur ipsa conclusio, vt locum sibi vendicet in Confessario sollicitante ad turpia venerea pœnitentem cum se, vel cum alijs perpetranda, vt supra, non modo in actu sacramentalis cõfessionis; verùm etiam ante, vel post confessionem immediatè, vt constat ex eadem Gregoriana d. §. 4. ibi, *Siue antea, vel postea immediatè, &c.* Idem dicendum est, si paulò ante, vel paulò post confessionem fiat sollicitatio: siquidem quæ incontinenti fiunt censentur inesse; hinc *Bald. in c. 1. de pace tenen.* inquit, id factum esse tempore belli, quod paulò ante, vel post bellum est actum; ergò paria sunt aliquid fieri in actu cõfessionis, vel paulò ante, vel post. Ità in specie docent *Scort. in Bull. Pontif. Epitome 77. theor. 197. Bariola in Flor. Inquis. fol. 226. Ortiz in sum c. 24. n. 11. Gipt. de casib. reser. c. 14. n. 3. Coriol. eod. tr. p. 2. casu 9. Bonac. de matrim. q. 4. pun. 16. propos. 5. n. 7. Ricc. in praxi. p. 2. resol. 240. Rodriq. in qq. Regul. to. 2. q. 27. ar. 2. & 3. Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 24. n. 31.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Diana to. 1. tr. 4. resol. 14.* quamuis negatiuam sententiam doceat *Fagund. de precep. Eccl. par. 2. lib. 4. c. 3. sub n. 31. et Portell. in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare fœminas, n. 6.* Dicitur autem actus aliquis proximus confessioni, quãdo

12 Confessarius ad extraneos actus non diuertit; atq; ideò si post absolutam mulierem Confessarius ad extraneum actum diuertat, licèt eam statim sollicitet, non comprehenditur sub Pontificijs Bullis, vt habetur ex *Acugna de Confessar. sollic. q. 5. n. 20.* quòd si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri eam sollicitet, incidit in Pontificias pœnas, etiam si confessio non sequatur, vt quia ipsa vel noluit postea confiteri, vel Confessarius noluit eam audire; quoniam talis actus dicitur immediatus ad confessionẽ, vt habetur ex *Sousa in aphor. inquis. lib. 1. c. 34. sub n. 31. Acugna de Confessar. sollic. q. 14. n. 4. Castr. Palao tract. 4. disp. 9 pun. 7. n. 3. & Diana to. 4. tract. 5. resol. 11.* quam sententiam putat veram, quando fœmina vellet statim confiteri. Idem dicendum putant ibidem de Confessario, qui statim post confessionem ducens puerum in cellam, vt ei chyrographum confessionis traderet, ad turpia sollicitauit; quoniã is dicitur immediatè, vel saltèm paulò post confessionem puerum sollicitasse. Confessarius quoque au-

13 diens in confessione mulierem commisisse aliqua peccata venerea, si insequatur illam mox è confessionario discedentem, & eandem in via sollicitet, vel etiam ad domum suam, aut aliò perueniam, est denunciandus, atq; ideò pœnis Pontificijs efficitur obnoxius; quoniam is immediatè, vel saltem paulò post confessionem, & occasione confessionis censetur mulierem illam sollicitasse. Ità *Peirin. de priuileg. minor. to. 2. constit. 4. Gregor. xv. & Lenzana in sum. qq. Regular. c. 19. n. 34.* quam quidem sententiã puto probabilem maximè si Cõfessarius statim post auditam confessionem eam insequatur, nõ deueniendo ad extraneos actus, iuxtà ea, quæ sup. aduotauimus; quamuis in contrariam sententiam videatur inclinare *P. Diana to. 4. tract. 5. resol. 7.* & infrà latiùs dicemus *ampl. seq.*

14 Quintò ampliatur prædicta conclusio, vt vera sit de quacunq; sollicitatione habita per Cõfessarium ad turpia occasione, ac prætextu confessionis, vt patet ex d. Gregoriana, §. 4. in illis verbis, *Seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam confessione non sequuta.* Vndè pœnitens si ignorãter accusauit se in confessione habuisse animum peccandi cum Confessario: quapropter Confessarius post confessionem, vel etiam confessione non completa, surgens è confessionario, insequatur eam, & in domo, vel in itinere sollicitet, etiam si deueniat ad extraneos actus, puto, quòd sit denunciandus, & incurrat pœnas à Pontificijs constitutionibus statutas; maximè si pœnitens deuenerit in cognitionem, quòd ob eam causam fuerit sollicitata. Confirmatur ex ijs, quæ diximus *ampliat. praced. in fin.* dum ostendimus, Confessarium, statim post confessionẽ insequentem mulierẽ, quæ venerea fuerat ipsi confessa, ac sollicitantem, esse denunnunciandum, & nõ effugere Pontificias pœnas: quorum sollicitatio eiusmodi prouenit occasione confessionis. Nec obstare videtur id, quod quidam doctissimi viri responderunt, de quibus *P. Diana d. resol. 7.* dicentes, prætextum con-

15 fessionis, de quo agitur in Bulla Gregoriana, debere esse proximum, non autem remotum à loco, & statu confessionis; quoniam re vera ipsa Gregoriana simpliciter loquitur de sollicitatione facta occasione, vel prætextu cõfessionis, nec distinguit de proximo, aut remoto à loco, ac statu confessionis; atq; ideò dispositio Gregorianæ simpliciter, ac indistinctè est intelligenda: siquidem lex generaliter loquẽs, generaliter est intelligenda: & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præst. l. quod de pretio, ff. de publ. in rem act.* Hac eadem ratione puto denunciandum esse Confessarium, qui prætextu confessionis agendę vocatus, pœnitentem postea in domo sollicitet, vt docet *Sanc. in selec. disp. 11. n. 68. in fine,* contra *P. Dianam d. tr. 5. resol. 37.*

16 Sextò ampliatur cõclusio, vt procedat in sollicitatione ad turpia habita per Confessarium, etiam extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulando ibidem confessionem audire, vt patet ex verbis eiusdem Gregorianæ, §. 4. ibi,

generis: ergò ficut in primo cafu contrahitur fufpicio hærefis;ita etiam contrahitur in pofteriori cafu,atque ideò eiufmodi cafus Inquifitorum iudicio eft fubiectus. Etenim Inquifitores non folùm de hæreticis cognofcunt;verùm etiā de omnibus criminibus, quæ fufpicionem præbent hærefis,vt *in c.accufatus, de hæretic. in 6.* & fup. adnotauimus *fec. 4.* Imò id non obfcurè videtur colligi ex d.Gregoriana *§.4.*in illis verbis, *Aut cum eis illicitos, & inhoneftos fermones, fiue tractatus habuerint.* Vbi Confeffarijs non tantùm ad turpia follicitatio in confeffione prohibetur; fed etiam illiciti, & inhonefti fermones execrantur. Confeffarius autem follicitans pęnitentem ad aliquod peccatum, licèt nō carnale, cenfetur proculdubiò cum ea habere fermones illicitos,& inhoneftos.Præterea,peccatum omne eft contra iuftitiam, & contra rectam rationem,iuxtà definitionem *D. Augustini*,relatam à *Grat.§.1.in fine, 15. q.1.* qui peccatum definiens fic ait, Peccatum eft voluntas retinendi, vel confequendi, quod iuftitia vetat: atq; ideò omne peccatum eft contra licitum. & honeftum:fiquidem honeftas fecundùm *D.Th. 2.2.q.145.ar.2. in corp.* eft actio hominis benè proportionata, fecundùm fpiritualem rationis claritatem: hinc idem *D.Th ibidem ar. 3. in corp.* honeftum, inquit, eft fecundum rationem ordinatum. Ergò Confeffarius follicitans pęnitentem in confeffione ad alia peccata,quę venerea non fint,fed alterius generis, comprehenditur fub difpofitione Gregorianæ cōftitutionis, qua exprefsè deteftantur inter Confeffarios,& pęnitentes in confeffione non modò follicitatio ad venerea, fed etiam omnia alia peccata,per illa verba, *Aut cū eis illicitos, & inhoneftos fermones, fiue tractatus habuerint*, cum omnia peccata illicita fint, & inhonefta,vt patet ex ijs, quæ fup. diximus. In eandem opinionem inclinat *Seraph. Freitas in addit. ad Rodor. de Acugna de Confeffar. follic. q. 8. n.17.* cum hac tamen limitatione, nempè quando Confeffarius follicitat pęnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur,vt fi fortilegium fateatur,& Confeffarius petat ab illo, vt fe doceat illud facere; quoniam in tali cafu acciperet Confeffarius ipfe occafionem à peccato confeffo,& ità contraheret fufpicionem hærefis.

24 Sed reuera licèt Confeffarius eo cafu fit denunciandus, cùm contrahat fufpicionem hærefis,abfq; huiufmodi limitatione noftra conclufio procederet; quoniam non minorem irreuerentiam inferret Sacramento pęnitentiæ follicitando in confeffione confitentem ad eadem peccata,quæ confitetur,quàm ad alia,ficut non maiorem irreuerentiam inferret Sacramēto follicitando mulierem ad venerea,quæ confitetur, quàm ad alterius generis venerea, quæ non cōfitetur,& in vtroque cafu dicitur abuti ipfo Sacramento, pro medicina venenum, pro pane afpidem porrigendo,& ex cęlefti medico infernalis veneficus, & ex patre fpirituali proditor execrabilis animarum redditur, vt verbis Gregor. XV. vtar in d.ipfius conftitutione,atq,ideò fufpicionem hærefis contraheret,iuxtà verba illa Pontificiarum conftitutionum à nobis fæpè fæpius repetita, *Nos animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè fentiunt, Sacramentis ab Ecclefia Dei inftitutis abutātur, aut illis iniuriam faciant.* Vndè fi pęnitens confiteatur venerea, & effe ex adulterio, aut ex ftupro grauidam, & Confeffarius follicitet pęnitentem ipfam ad committendum abortum, fanè arbitror, quòd non minus fit hoc cafu denunciandus, quam fi audito fortilegij peccato pęnitentem follicitet ad fe docendum illud. Ex quibus infertur, nō videri omninò probabilem

25 fententiam *Parami de Orig Inquif. lib.3.q.10. n.121. Bariola in Flor. Inquif. fol.225.* & aliorum,quos refert,& fequitur *P. Diana to.1.tr.4. refol.20.* qui contrarium docent dicentes,quod verba Pontificiarum conftit.diriguntur ad follicitationem carnalem, quæ communiter accidere folet,& in delictis non fit extenfio, vt *in c. in pœnis, de regul. iur. in 6.* Etenim vltra quod animarum fauore,de quo agitur in cafu noftro, odia ampliantur, &,pęnæ extenduntur, vt per *Glof Bart.& Soc.* cōmuniter receptos,in *auth. Sacramenta puberum, C. fi aduer. vend.* Et *Nos* adnotauimus in *noftris Commentar. in Bulla Cœnæ, lib.2.c.7.q.7.fub n.1.* cafus nofter comprehenditur fub illis Gregorianæ verbis, *Aut cum eis illicitos, & inhoneftos fermones, &c.* Siquidem peccata quoq; quæ venerea non funt, illicita funt, & inhonefta, vt furtum,rapina,falfum teftimonium, & alia eiufmodi. Et dato, ac non conceffo, quòd cafus nofter non comprehenderetur fub d. Gregoriana; quia tamen habet annexam hærefis fufpicionem,vt fup.oftendimus, iudicio Inquifitorum verè fubijcitur, quoniam Inquifitores non folùm de crimine hærefis cognofcunt; fed de quocumq; alio crimine præbente fufpicionem hærefis, vt in *d.c. accufatus, de hæret. lib.6.*

TERTIA CONCLVSIO.

26 Confeffarius follicitans ad turpia aliquam feminam,vel mafculum in alijs Sacramētis,quàm in facramentali confeffione,non incidit in pęnas in Pontificijs conftitutionibus ftatutas contra follicitantes pęnitentes in confeffione. Hæc conclufio eft *Sanc. in felect. difp. 11. n.42. Acugne de cōfeffar. follic. q.16.n 6. Caftr. Palaus tr.4. difp.9. pun. 1. n.4. Peyrini in priuil. minor. to.2. conft.4. Gregor. xv. §. 5. n.17. Peregrin. in commentar. noftr. conftit. p.1. c.5. lit. M.* & aliorum,quos refert,& fequitur *Diana to.4. tr.5. refol.16.* Mouentur ex eo, quòd in omnibus conftitutionibus Pontificijs fit mentio tantùm de Sacramento pęnitentiæ: eo magis, quia rariffimè occurrit, vt in alijs Sacramentis Cōfeffarius follicitet ad turpia fęminas. Hæc conclufio licet vera fit,nihilominus fi Sacerdos in

27 adminiftrando Sanctiffimo Euchariftiæ Sacramento alicui feminæ,v.g.eam follicitet, puto quòd fit denunciandus Inquifitoribus hæreticę prauitatis: is enim non minus abuti dicitur Sacramento Euchariftiæ, illiq; iniuriam inferre, quàm Confeffarius follicitando pęnitentem in actu confeffionis:ergò ficut Confeffarius cōtrahit fufpicionem hærefis; ita etiam Sacerdos, atq; ideò eft Inquifitoribus denunciandus. Etenim, vt fæpè diximus,Inquifitores non tantùm poffunt cognofcere de crimine hærefis, fed de quocunq; alio crimine, quod præbet fufpicionem hærefis,vt in *c. accufatus, de hæret. in 6.* Et

ideò malè reprobatur *Moura opusc. 1. de incat. sec. 3. c. 3. n. 17. per Seraph. Freitam in addit. ad Acugn. de Confessar. sollic. q. 16 n. 10.* si *Mour.* intelligat, vt talis Sacerdos non sit denunciandus. Hæc satis dicta sint de Confessarijs sollicitantibus in confessione, & extra confessionis occasionem pęnitentes, reliqua de eisdem Cōfessarijs denunciandis, *seq. sec.* Deo duce, dicemus.

An soli Confessarij deputati, pœnitentes in confessione, & in alijs supra relatis casibus ad turpia sollicitantes comprehendantur sub pœnis in Pontificijs constitutionibus statutis contra sollicitantes; vel etiam aliæ personæ. SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Dubium hoc in quibus personis cadere potest.*
2 *Sub Pontificijs Constitutionibus, editis contra Confessarios sollicitantes, an comprehendantur laici, & Clerici, qui ponentes se in loco, confessionibus deputato, fœminam audiunt, eamq; inter confessionem sollicitant, & n. seq.*
3 *Verior est sententia, quod omnes supradicti subijciuntur Inquisitoribus, et pœnis Pontificijs contra sollicitantes ad turpia.*
4 *Confessarij, ad fidelium confessiones audiendas deputati, & ad turpia sollicitātes pœnitentes in Sacramentali confessione, subijciuntur Inquisitorum iudicio, & sunt denunciandi.*
5 *Idq; ampliatur siue masculi, siue fœmina sint sollicitata.*
6 *Ampliatur queq; etiam si Confessarius sollicitando propter paruitatem materię leuem culpam committeret intra genus tamen luxuriæ; puta si brachium, aut pedem pœnitentis premat, digitos intorqueat, &c.*
7 *Hac sententia probabilis est, sed contraria sententia non videtur omninò improbabilis, vbi etiam vide Additionem.*
8 *Locum habet quoq; hæc conclusio in Confessarijs, qui fuerint à pœnitentibus sollicitati, ipsisq; consentiunt.*
9 *Quid si Confessarius consentiens sollicitationi statim desistat de turpi illa materia loqui differendo illius complementum ad aliud tempus.*
10 *Confessarius pro prima sollicitatione punitus, si in secundam incidat, non solùm est denunciandus pro prima, sed etiam pro secunda.*
11 *Confessarius sollicitans, denunciandus est, etiā si mulier ante accusationem sollicitata, nolit postea se accusare, vel etiam compuntus Confessarius ad alterum eam remittat audiendam.*
12 *Confessarius, qui statim post confessionem sollicitauit pœnitentem, & cum ea rem habuit, non solum iudicio subditur Inquisitorum, sed etiam eiusmodi circumstantiam confiteri.*
13 *Confessarius haud subditur Inquisitorum iudicio, nec est denunciandus si fœmina dixerit se velle in crastinum confiteri, illamq; sollicitat, & Confessarium dissuadeat.*
14 *Nec denunciandus est, si appareat, & verè sit de tanto scelere emendatus, maximè si post sollicitationem per multos annos laudabilē vitam duxerit.*
15 *Triennio annorum spatio præsumitur quis emendatus.*
16 *Præsumitur quoq; emendatus, si post sollicitationem, consequutus fuerit iubileum. Licet alij id remittant arbitrio boni viri.*
17 *Hæreticos esse emendatos, semper dubitari potest, & quare.*
Multiq; volunt, Confessarios sollicitantes, quantumuis emendatos esse denunciandos.
18 *Ex praxi Curiæ Archiepiscopalis Neap. quomodo recipiendæ sint huiusmodi denunciationes.*
19 *Confessarius erit minimè denunciandus, vbi sollicitationi consenserit ob metum.*
20 *Confessarius si pœnitentem non sollicitauerit ad turpia, sed in actu confessionis immediatè, vel paulò ante, aut paulò post poculum amatorium ei dederit, per quod fuit somno correcta, & sic eam agnouit, denūciandus non est. Si tamen per Confessarij confessionem crimen probetur, exoluet pœnas Pontificiarum Constitutionum.*
21 *Etiam ipsimet Ordinarij sollicitantes sunt denunciandi, & iudicio subduntur Inquisitorum.*
22 *Prohibitos legere libros hæreticorum, prohibetur quoq; illos audire.*
23 *Causa, et præcipuè hæresis Prelatorum, etiam Episcoporum Titularium, & qui solum electi sint, licet non consecrati, à solo Romano Pontifice cognoscuntur.*
Et quid possint agere Inquisitores contra Prelatos supradictos.
24 *Possunt Inquisitores Episcopos tenere, & carcerare, si eorum fuga timeatur, donec eorum delictum ad Sedem Apostolicam deferatur.*
An Eminētiss. Cardinales generales Inquisitores sint in tota Rep. Christiana, & possint in Episcopos, et cæteros Prælatos animaduertere
25 *Sacerdotes, ab Ordinario ad confessiones non approbati, fingentes, facultatem habere ad confessiones excipiendas, si pœnitentes sollicitent, subduntur iudicio Inquisitorum, & pœnis Pontificijs, vbi vide etiam Additionem.*
26 *Idq; ampliatur etiam in Sacerdotibus, qui huiusmodi facultatem non habent eo quod excommunicati sint, suspensi, vel degradati.*
27 *Laicus, vel Clericus, occultè se ponens in confessionario, ibiq; simulans se Sacerdotem esse, fœminam ad turpia sollicitet, si absolutionem impendat, incidit in Constitutionem Gregorij.*
28 *Etiam si absolutionem non impendant laici, vel Clerici, licet sub Constitutionibus Pontificijs non comprehendantur, Iudicium tamen Inquisitorum non effugient.*
29 *Hoc fuit statutum à Paulo IV. Fundatore Religionis Theatinorum, & Papa Sanctissimo.*
30 *Idem dicendum est de laico interprete, sollicitante mulierem, cuius est interpres.*
31 *Mandans Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet, licet non comprehendatur sub Pontifi.*

tificijs Constitutionibus, non effugiet tamen Iudicium Inquisitorum. & n. 35.

32 *Pœnitens Confessarium sollicitans in actu confessionis, vel ante, vel post immediatè, eandem de hæresi contrahit suspicionem, ac Confessarius. & n. 36.*

33 *Siue mulier eandem animi significationem retineat, siue interrumpat, semper talis Confessarij punitio ad Inquisitores pertinet.*

34 *Laicus, vel Clericus si necessitatis tempore mulieris confessionem audiat, eamq; sollicitet, licet absolutionem illi impendat verbis deprecatiuis, non subijcitur* Iudicio Inquisitorum.

An possit fieri confessio laico tempore necessitatis, & an hic laicus teneatur sub sigillo secreti peccata audita retinere; vbi vide etiã Additionem.

35 *Mandans Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet, tunc subditur Inquisitori, si mãdet, vt in actu confessionis sollicitet, alias secus.*

36 *Mulier sollicitans Confessarium, tunc Iudicio Inquisitionis subijcitur, cum pro medio assumit ipsam confessionem sacramentalem, aliàs secus.*

1 AD tituli quæstionis explicationem est aduot. quòd dubium esse potest de Sacerdotibus, qui non habent facultatem audiendi confessiones, vt quia approbati non sunt ab Ordinario, vel excommunicati, suspensi, aut interdicti, qui simulantes se esse Confessarios confessiones sacramentales audiunt, & confitentes sollicitant. Item dubium esse potest de Clericis, qui Sacerdotes non sunt, ac de laicis simulantibus vt supra se esse Confessarios, & sollicitantibus. Item difficultas quoq; est de interpetre, qui in sacramentali confessione confitentem sollicitauit: & de mandante Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet: & demum de pœnitente ad turpia, ac illicita Confessarium sollicitante, vel etiam Sacerdotes, qui Confessarij nõ sint, Clericos, & laicos, vt supra simulantes Sacerdotes Confessarios esse, & denique interpetrem, an hi omnes subijciantur pœnis per Pontificias Constitutiones statutis contra Confessarios sollicitantes; ita vt Inquisitoribus hæreticæ prauitatis veniant denunciandi.

2 In hac re affirmatiuam sententiam docere videtur *Portell. in addit. ad dubia Regul. ver. Sollicitare fœminas, n.* 14. dicens sub Põtificijs constitutionibus editis contra Confessarios in confessione sollicitantes mulieres, non comprehendi laicos, & Clericos occultè se ponentes in loco confessionibus deputato, & inter confessionem fœminæ, illam sollicitẽt: quoniam prædictæ Pontificiæ constitutiones editæ contra eiusmodi sollicitantes in confessione, videntur loqui de confessione sacramentali vera, reali, ac ordinaria: ergò sub pœnis in dictis Pontificijs constitutionibus statutis Confessarij tantùm comprehenduntur, & non alij, qui Confessarij non sunt. Hac eadem ratione idem *Portell.* ibi *sub n.* 13. inquit, Sacerdotem simplicem non habentem facultatem ab Ordinario audiendi confessiones, si de facto audiat, & in confessione fœminam sollicitet, fingens se talem facultatem habere, non esse denunciandum. In eandem opinionem videtur inclinare *Rodriq. to. 2. qq. Regular. q. 28. ar. 2. & in sum. to. 2. c. 83. n. 3.* dũ ait, non esse denunciandum Clericum, aut laicum, qui simulantes se Sacerdotes esse in confessione sollicitent fœminas, si eas non absoluant. Hanc eandem sententiam videtur sequi *Diana to. 1. tr. 4. resol. 22.* dicens, mandantem Confessario, vt pro se sollicitet in confessione pœnitentem non comprehendi sub dictis Pontificijs constitutionibus contra sollicitãtes editis: quia statutum puniens facientem non comprehendit mandantem. Idem dicendum putat de Interprete sollicitante pœnitentem in actu confessionis, vt probat *to. 4. tr. 5. resol. 9.* Et denique à dictis pœnis excludunt omninò pœnitẽtes, quæ in actu confessionis sollicitarent Confessarios, *Ricc. in praxi p. 3. resol. 67. n. 1. Sanc. in select. disp. 11. n. 24. Bonac. in tr. var. disp. 6. p. 3. n. 20. & Diana d. to. 1. tr. 4. resol. 23.* & non alia ratione, nisi quoniam Pontificiæ constitutiones loquuntur tantùm de Confessarijs: ergò sub eisdem non comprehenduntur, nisi soli Cõfessarij, & non alij. Et multò minus pœnitentes, & interpretes cum se teneant ex parte pœnitentium.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sentẽtiam arbitror de iure veriorem esse, atque ideò non tantùm Confessarios ad audiendas confessiones deputatos, pœnitentes ad turpia vt supra in confessione sollicitantes subijci Inquisitorũ hæreticæ prauitatis iudicio, ac esse denunciandos; sed etiam alias personas, quæ Confessarij non sint, in actu confessionis, aut prætextu confessionis, ad turpia sollicitantes, Pontificijs pœnis, & ipsorum Inquisitorum iurisdictioni subdi. Pro cuius rei explicatione est sciendum, quòd quamuis *sec. praced.* nonnulla dixerimus de Confessarijs, an & quando incidant in pœnas Pontificias contra sollicitantes in confessione pœnitentes statutas; nihilominus, quoniã plura ad eandem materiam pertinentia, in hac *sec.* pro totius rei complemento reseruauimus explicanda, idcirco ad totius controuersiæ determinationem sit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 COnfessarij deputati ad audiendas Fidelium confessiones, pœnitentes in sacramentali confessione ad turpia sollicitantes subijciuntur Inquisitorum hæreticæ prauitatis iudicio, atq; ideò veniunt denunciandi, ac plectendi pœnis à Pontificijs constitutionibus statutis contra Confessarios sollicitantes. Hæc conclusio est communis, & patet tùm ex Piana, Paulina, ac Gregoriana constitutionibus supra sæpè relatis; tum ex ijs, quæ sup. cumulauimus *sec. praced. concl.* 1.

5 Ampliatur primò hæc conclusio, vt locum sibi vendicet in Confessarijs ad turpia, vt supra sollicitantibus, siue pœnitentes masculi sint, siue fœminæ: siue turpia venerea sint, siue alterius generis peccata: siue sollicitatio immediatè, siuè paulò ante confessionem fiat, siue in actu cõfessionis, siue immediatè, vel paulò post confessionem: siue fiat occasione, vel prætextu confessionis, siue extra confessionem in confessionario: siue sollicitatio fiat expressè, siue tacitè: siue

 fiat

bat ad turpia inter Confessarium, & pœnitenté perpetranda, siue cum alijs, vt in *d. sec praced.* late explicauimus, cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

6 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat, etiam si Confessarius sollicitando propter paruitatem materiæ leuem culpam committeret intra genus luxuriæ, vt quia brachium, aut pedem pœnitentis præmat, digitos intorqueat, & alia similia ex leuitate potius quàm ex malitia prouenientia agat: adhuc enim eiusmodi Cófessarius Inquisitorum iudicio subditur, ac venit denunciandus, vt rectè docent *Sanc. in select. disp. 11. n. 22. Seraph. Freit. in addit. ad Acugn. q. 7. n. 3.* quos refert, & sequitur *Diana to. 1. tr. 4. resol. 21. & to. 4. tr. 5. resol. 5.* Etenim quamuis prædicti actus, & alij similes sint peccata venialia intra genus luxuriæ, dummodò absit finis mortalis, aut pollutionis periculum, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 14 n. 31. Sanch. de matr. lib. 9 disp. 46. n. 16.* & ex alijs relatis ab ipso *Diana d. resol. 5.* nihilominus si fiat tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè ante, vel post, erunt peccata mortalia ob grauem iniuriam illatam Sacramento, vt inquit *Seraph. loc. cit.* Hæc sententia est probabilis; est tamen verum, quòd contraria sententia mihi nó

7 videtur omninò improbabilis, quam docent *Portell. in addit. ad dubia Regular. ver. Sollicitare fœminas, n. 4. Castrus Palaus to. 1. tr. 4. disp. 9. pun. 3. n. 2. & 3. & Sou. in aphoris. Inquis. lib. 1. c. 33. n. 4. & in tr. de Confessar. sollic. tr. 1. c. 1. n. 7.* existimantes, quòd vt sollicitans puniatur iuxtà hæc decreta, necesse est, vt actus sollicitationis sit peccatum mortale: quod negát esse actus, de quibus agitur, quamuis in actu confessionis adhibeantur. Etenim re vera non potest assignari ratio, cur illi actus intra genus luxuriæ peccata venialia adhibiti in confessione efficiantur culpæ mortales: & mendacium ex suo genere mortale, si sit leue, & prolatum in confessione, fit culpa venialis, & nó lethalis, vt sup. ostendimus *to. 1. §. 1. disp. 6. sec. 1. concl. 1. & 2.* eo maximè quoniam in vtroq; casu videtur Sacramento non nisi leuem irreuerentiá inferri, nisi dicamus cum *Fagund. de precep. Eccles. in nouissima editione precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 52. & alijs*, in peccato luxuriæ non dari paruitatem materiæ, atq; ideò illos actus intrà genus luxuriæ esse peccata mortalia, contra *Nauar.* & alios sup. relatos Doctores.

† Adde: huic sententiæ videtur assentiri propositio 40. Alexandri VII. Summi Pontificis, quę damnat illam opinionem, esse probabilem, quę dicit esse tantum peccatum veniale osculú habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis: quamobré si ista propositio est iam damnata, pari modo est damnanda, imò damnata illa huic consimilis; imò magis prouocatoria ad actum venereú, scilicet præmendo bracchium, aut pedem pœnitentis, contorquendo digitos, & alia similia; & sic subiacere pęnis Pontificijs, vt supra; & sic vtraq; opinio, vt consimilis, imò omninò vna, ac eadem, vt damnata amittit omnem probabilitatem.

8 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt locum habeat in Confessarijs quoque, qui à pœnitentibus ad turpia in confessione sollicitati, sollicitationi consentiant, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccl. in 2. edit. precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 56. & 57.* quem refert, & sequitur *Diana to. 4. tr. 5. resol. 42.* siquidem Gregoriana constitutio omnes illicitos, & inhonestos sermones, quos Cófessarij cum pęnitentibus habuerint prohibet, & ipsos Confessarios denunciandos esse statuit.

9 Quam quidem ampliationem putat veram idé *Diana d. tr. 5. resol. 4.* etiam si Confessarius cósentiens sollicitationi, statim desistat de turpi illa materia loqui, differendo illius complemétum ad aliud tempus, & non præbendo pœnitenti absolutionem: nam adhuc in Gregorianá incidit; siquidem vt Confessarius verè dicatur sollicitator, non est opus, vt absolutionem sacramentalem impendat, nec vt de rebus venereis longius cum pęnitente loquatur; sed sufficit sollicitationi pęnitentis acquiescere; quoniá ad sollicitationem consensus non adhibetur méte; sed verbis, aut nutibus: ergò eo ipso quòd ita sollicitationi consensit, dicitur habere inhonestos sermones cum pęnitente; quod à Gregoriana prohibetur. Plus autem & minus non mutant speciem, *l. fin. ff. de fundo instr. & instr. legato, l. humilem, C. de incest. nupt.* & latiùs intrà dicemus *concl. 3. ampl. 3. vers. Et quæ is.* Idem dicendum est si Confessarius statim postquam sollicitauit se pęnituit, quia iam intulit iniuriam Sacramento.

10 Quartò ampliatur, vt Confessarius pro prima sollicitatione punitus, & secunda vice in huiusmodi crimen incidens, sit denunciandus non solùm pro prima; sed etiam pro secunda sollicitatione: siquidé Inquisitores solent grauiores pęnas infligere recidiuis, vt habetur ex *Seraph. Freit. in addit. ad Acug. de Confessar. sollic. q. 3. n. 34.* quem refert, & sequitur *Diana to. 4. tr. 5. resol. 21.* cótra *Sanc. in select. disp. 11. n. 53.* Non tamen est denunciandus Confessarius, qui pro sollicitatione abiurauit, & in sollicitationem iterum non fuerit lapsus, vt per *Sác. loc. cit. n. 52. Peirin. de priuil. minim. to. 2. const. 4. Gregor. xv. §. 9 n. 32. Freitas d. q. 3. n. 34.* & *Diana to. 1. tr. 4. resol. 26.* contra *Bonac. tr. var. disp. 6. pun. prop. 2. n. 15.* Rationem autem hanc esse volunt, quòd multi putant, quòd quis non tenetur denunciare hæreticum emendatum: at eiusmodi Confessarius propter abiurationem censetur sufficienter emendatus. Quod an verú sit *lim. 2.* infra declarabimus.

11 Quintò ampliatur, vt Confessarius vt supra sollicitans subijciatur Inquisitorum iudicio, & & pęnis, atq; ideò sit quoq; denunciandus, etiá si mulier ante accusationem sollicitata nolit postea se accusare, vel etiam compunctus Confessarius ad alterum Confessarium eam remittat exaudiendam; dummodo sollicitatio fiat prætextu confessionis sacramentalis, ad quam natura sua illi præcedentes actus dirigantur, vt habetur ex *Graff. cons. 1. de cognat. spir. à n. 25.* quem refert *Acugna de Confessar. sollic. q. 14. n. 8.* quam sententiam approbat *Seraph. Freit. in addit. ad eum, n. 15. cum plur. seq.* in multis casibus; quorum primus est, vbi fęmina sub crucis signum velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia sollicitante.

Se-

Secundus casus est, si filiam spiritualem ad genua procumbentem ante crucis signum Confessarius sollicitatione præoccupet. Tertius casus est accedens femina confessionis causa, à Confessario præueniatur, vt confessio in aliud tempus differatur, vt tunc eam sollicitet. Quartus casus est, vbi audiat confessionem alicuius, v.g. meretricis non animo impendendi absolutionem, vel cum effectu absolutionem ei deneget: & ad turpia eam sollicitet. Adde hic *Dian. to.4 tr.5.resol.30.& 39.*

12 Sextò ampliatur, vt Confessarius si statim post confessionem sollicitauit pœnitentem, & rem habuit cum ea non solùm subijciatur iudicio Dominorum Inquisitorum, & penis statutis per Pontificias constitutiones; sed etiam in foro conscientiæ teneatur eiusmodi circumstãtiam confiteri: quoniam mutat speciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra Sacramentum penitentiæ commissas, vt habetur ex *Petro de Ochagauia tr.2. de confes. Sacram. q. 14.n.14.*& *Diana to.4.tr.5 resol.34.* vbi tamen id limitãt cum tale peccatum committitur vnico die post confessionem, quoniam tunc dicũt, quòd non habet specialem deformitatem necessariò confitendam, tum quia non dicitur proximè ad confessionem; tum etiam quoniam volunt ex confessione non contrahi cognationem spiritualem perpetuò duraturam sicut oritur ex Baptismi Sacramento, vt habetur etiam ex *Ludouico de San Iuan in luce confes. q.5. de Sacram.pœnit.ar.2 difficul.5.* & *Hurtado de Sacram.penit.disp.9 difficul.4.§.quid,in fine.* Sed nos contrarium ostendimus supra *sec.2. vers. Ex dictis*, probantes inter Confessarium, & penitentem contrahi veram cognationem spiritualem; atq; ideò si copula inter eos interueniat, hæc cognationis circumstantia est in confessione aperienda quocumq; tempore fiat post auditam confessionem, vt ibidem diximus.

13 Sic ampliata limitatur primò dicta conclusio, vt Confessarius non subdatur Inquisitorum iudicio, nec sit denunciandus, qui dicente femina, se velle in crastinum confiteri, illam sollicitet, & confessionem dissuadeat. Etenim huiusmodi mulier non diceretur sollicitata proximè ante confessionem, cùm tunc quando fit sollicitatio nolit femina confiteri; atq; ideò sollicitatio non est proxima conuentioni de illa agenda. Ità *Sanc.in select.disp.11.n.49 & Castr.Palaus to.1.tr.4.disp.9.pun 8.n.4.* Quam tamen sententiam puto ueram quando non fiat sollicitatio in loco deputato ad confessiones audiẽdas: aut si fiat in confessionario Confessarius non simulet confessionem audire: secus autem si simulet confessionem audire ad circumstantium maximè illusionem, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus *sec.praced.concl.1. limit.vnica.*

14 Limitabant secundò aliqui eandem conclusionem, vt locum non habeat secũdùm aliquos, vbi Confessarius apparet, & sit verè de sollicitationis scelere emendatus, maximè si per multos annos post sollicitationem laudabilem vitam duxerit: tunc enim non est denunciandus, vt habetur ex *Acug.de Confessar.sollic q.3.n.15.* & in eum *Freit.n.34. Peirino de priuil.minim. to.2.constit.4.Gregor.xv.§.9. n 31. Castro Palao tr.4. disp.9.pun. 10. n.1. Sousa de Confess. sollic.tr.2.c.6.concl.4. n.16. Lenza in sum.qq. Regular. c.19. n.34.* & *Sanc.in select. disp.11. n.15.* vbi addit, quòd si plures sint anni elapsi post factam sollicitationem, & credatur verisimiliter emendatum iam esse Confessarium, non erit denunciandus: siquidem id pia conditio pati videtur, vt post longum tempus commissi sceleris non deferatur delinquens ad punitionis tribunal; sed præsumatur emendatus, qui quidem trium annorum spatio præsumitur secun-

15 dum communem Doctorum sententiam; quam à fortiori docerent Doctòres, qui volunt, hæreticum emendatum non esse denunciandum, vt colligitur ex *D.Th.2.2 q.33.ar.7. Soto de Iust. & iure lib.5.q.5.ar.1.& ex alijs.* Hanc eandem sententiã docet idẽ *Sot. loc. cit. ar. 5. Genuen. in praxi Episc.c.18.n.6. Molfes.p.1.sua sum.tr. 7.c.24.n.21 Nald.in sum. ver. Accusare, n.1. Victorel.in addit.ad Nauar.in Man.cap.25.n. 33. Finel.tr.de casib.reseru, casu 2. n.8. in fine, Zanard.in director.confessor.p.3.c.31. Megal. 1.p.Inst.Pereg.lib.1.c.5.n.26.& Portel.in Addit.ad dub.Regul. ver.Sollicitare fœminas, n. 18.* Mouentur ex eo, quod finis denunciationis est emendatio proximi; cùm autem femina sollicitata intelligit moraliter Confessarium esse emendatum, cessat obligatio denunciandi. Potest autem mulier sollicitata moraliter credere, Confessarium esse emẽdatum, si eadem sollicitata ter, vel quater ad ipsum accedens non iterum in eo libidinosum animum, & libidinis signa reperiat, vt habetur ex *Sousa loc.cit.* quem refert *Diana to. 4. tr.5. resol. 23. in fine.* Item Confessarius potest præsumi emendatus si post

16 sollicitationem consequutus fuerit iubilæum, vt per *Genuen. in praxi c. 18. n.6.* Item præsumitur emendatus si per triennium benè vixerit, iuxtà ea, quæ habentur ex *Ricc. p.2. decis.159. n 14. Seraph.Freit.in addit. ad Acugn. de Cõfessar.sollic.q 8.n.32.& Homob.de exam.Eccl. p.1.tr.7.c.7.q.33.* Alij verò totum hoc negotiũ remittunt arbitrio boni viri, qui considerata qualitate personarum, hic, & nunc prudenter poterit iudicium ferre, vt de hæreticorum emẽdatione iudicandum esse docet *Seraph. Freit. d.loco, q.18.n.39.* quem refert *Diana to. 1. tr.4. de denunc.reso..3.* Est tamen verum, quòd hanc sententiam limitat *Fagund. de pracep. Eccl. pracep.2.lib.6.c.4.n.17.* quoad hæreticum formalem; quoniam semper dubitare possumus, an re vera sit emendatus: & *Genuen.d.c.18.n.6.* & alij comprobant dictam limitationem quoad hæreticum, qui dogmatizando nocuisset Reip. nam in tali casu putant esse denunciandum. Et hanc opinionem sequitur quoq; *Molfes.p.1.sua sum.tr.7.cap.24.n.21.* quem refert, & sequitur *Diana d.tr.4.resol.3.*

† Adde: hæc sentẽtia tũ quoad sollicitantes, tùm quoad hæreticos est omninò damnata ab Alex. VII. Pont. Max., Siquidem de hæreticis semper dubitari potest, quod sint emendati: quoniam sunt valdè vafri, & subdoli: & experientia docet, vt conceptam hæresim retinere nequeant, quin alios doceãt. Etsi nõ defuere, qui velint nõ solùm hæreticos, sed etiam Confessarios in cõfessione sollicitantes penitentes quantumuis emendatos esse denunciandos, vt habetur ex *Sanc.in select.disp.11.n.52. Bonac.tratt.var.*

disp.

disp. 6 *pun.* 2. *n.* 3. *& pun.* 3. *P. Diana to.* 4. *tr.* 5. *resol.* 23. qui *to.* 1. *tr.* 4. *resol.* 3. pro hac eadem sententia refert *Suar. tr. de fide, disp.* 40. *sec.* 4. *n.* 13. *Azor. p.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *c.* 19. *q.* 9 *Salon.* 22. *q.* 68. *ar.* 1. *de edic. super regula* 3. *Rojas singul.* 3. *n.* 33. *& Param. de Orig. Inquis. lib.* 3. *q.* 8. *n.* 90. qui mouentur ex eo, quòd horum denunciatio tendit ad punitionem: & propterea inquit *Genuen. d. c.* 18. *sub n.* 2. quòd praxis Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ est, quòd tales denunciationes non recipiantur, nisi Denunciator cum iuramento examinetur cum expressione, & subscriptione sui nominis tanquam quilibet testis. Cum tales denunciationes non solùm tendant ad emẽdationem delinquẽtis, verum etiam ad penam, ac punitionem, vt sup. diximus, vt vnius pena sit aliorũ exẽplũ; & sic in vtroq; casu si quis fuerit emẽdatus, vt infra suo loco latius, Deo duce, dicemus; quod similiter est denunciandus, & contraria opinio est similiter damnata ab Alex. VII. P. M. ob rationes adducendas, & eo magis idem dicendum de eo, de quo speretur correctio, & emendatio.

18

19 Limitatur tertiò, vt conclusio non procedat, vbi Confessarius consentiat sollicitationi ob metum: quoniam is non dicitur formaliter sollicitare; sed potius pati sollicitationem. Vndè si vocatus Confessarius ad ęgrotantis fęminæ cõfessionem ab ipsa sollicitetur, minas super addendo, se exclamaturam vim ab illo sibi inferri, ad quam infamiam vitandam Confessarius in actu venereo consentiat: tunc quamuis Iosephi exempli oblitus peccet, iuxtà *tex. in c. sacris, de ijs, quæ vi, &c.* non tamen subditur Inquisitorum iudicio, & Pontificiarum constitutionum pęnis contra sollicitãtes statutis, vt habetur ex *Graff. cons.* 7. *n.* 1. *de pœnit. & remiss. Peyrin. de priuil minim. to.* 2. *cõst.* 4. *Gregor. XV.* §. 3. *n.* 9. *Frater Seraph. Freit. in Addit. ad Acug. de Confessar. sollic q.* 9 *n.* 9. & *Diana to.* 4. *tr.* 5. *resol.* 15. vbi addit, quòd licèt *Sousa in aphoris. Inquisit. lib.* 1. *c.* 34 *n.* 28. & *in opusc. de Confessar. sollic. tr.* 1. *c.* 17 *n.* 8 *& seq.* velit, quòd si talis Confessarius denunciaretur, veniret ab Inquisitoribus arbitraria pęna plectendus; nihilominus *Seraph. Freit. loc. cit. & q.* 11. *n.* 36. docet, dictum Confessarium non esse denunciandum; neque Inquisitores pęna arbitraria possent punire.

20 Limitatur quartò prædicta conclusio, vt si Confessarius non sollicitet pęnitentem ad turpia, sed in actu confessionis, vel immediatè, aut paulò antè, vel paulò post confessionem poculũ ei præbeat amatorium, quo in somnum incidat, & sopitam illam agnoscat, non subijciatur iudicio Inquisitorum: siquidem huiusmodi fęmina somno sopita copulam non sentit: & propterea delationi locus esse nequit: & Confessarius prodere se ipsum non tenetur. Verùm si crimen probetur per Confessarij confessionem, tunc pęnas Pontificiarum constitutionum exoluet. Ità *Seraph. Freit. d. q.* 9. *n.* 10. contra *Graff. cons.* 17. *de pœnit. & remiss. à n.* 2. docentem, huiusmodi Confessarium omninò esse denunciãdũ; cuius sententia nobis videtur probabilior: siquidem negari non potest, talem Confessarium maximam irreuerentiam intulisse Sacramento pęnitentiæ, atq; ideò contraxisse suspicionem hæresis: ergò Inquisitorum hæreticæ prauitatis iudicio subditur: quoniam, vt sæpè diximus Inquisitores non solùm cognoscunt de crimine hæresis; sed de omni alio crimine, quod hæresis suspicionem præbet.

SECVNDA CONCLVSIO.

21 NOn tantùm Confessarij ad audiendas cõfessiones sacramentales ab Ordinarijs deputati, pęnitentes in confessione sollicitantes subduntur Pontificiarum constitutionum pœnis, suntq; Inquisitoribus denunciandi; sed etiã ipsimet Ordinarij si confessiones audiant, & confitentes sollicitent: Hæc conclusio est *Roder. Acug. de Confessar. sollic. q.* 12. *n.* 9. *& aliorum.* Vndè Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Cardinales in eorum Ecclesijs Legati, Nuncij, & alij eiusmodi sollicitantes (quod absit) confitentes in actu confessionis, & in alijs casibus supra relatis subijciuntur eisdem pęnis, & veniũt denunciandi sicut & Confessarij vt supra deputati ab ipsis Ordinarijs, vt supra sollicitantes. Probatur ipsa conclusio ex prædicta Gregoriana §. 4. in illis verbis, *Decernimus, & declaramus, quòd omnes, & singuli Sacerdotes tam sæculares, quàm, &c.* vbi ipsa Gregor. loquitur generaliter de omnibus Sacerdotibus, vt supra sollicitantibus, cuiuscunq; dignitatis sint, & neminem excludit: ergò sub ea comprehendũtur non solùm Confessarij deputati ab Ordinarijs ad audiendas confessiones; sed etiam ipsi Ordinarij, ad quos spectat deputare Confessarios. Siquidem lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt *in l.* 1. §. *generaliter, ff. de legat. præst.* Imò dato, & non concesso, quòd dicta Gregoriana expressè loquatur de Confessarijs ab Ordinarijs deputatis, adhuc tamen debet extendi ad Ordinarios, si sollicitent: quoniã illa constitutio fuit edita fauore animarum, vt ex ea colligitur: & propterea esto quòd sit pœnalis extenditur ad Ordinarios sollicitantes: siquidem licèt simus in pęnis; vbi tamen de animarum fauore, & vtilitate Ecclesiæ agitur, & ratio eadem est, dispositio dilatatur, vt per *Glos.* & ibi *Barth. in auth. Sacramenta puberum*, vbi etiam *Soc. C. si aduersus vendit.* & id magis locum habet in casu nostro, vbi disponendi ratio est expressa: siquidem ex ratione legis expressa colligitur mens legis, *Clem.* 1. *de elect.*

22 Hinc fit, quod prohibitus legere libros hæreticorum, censetur etiam prohibitus illos audire: quia licèt regulariter in pęnalibus non fiat extensio de persona ad personam; nihilominus quando identitas rationis est in lege expressa, vel indubitatè præsumpta, tunc habet locũ extensio etiam in pęnalibus, vt habetur ex *Panor. in c. quia in insulis, de statu Monac. Imola, & Gemin. in c. postquam de elect. in* 6. ad quod facit *tex. in c. ex parte, de postul.* vbi prohibitio de aduocando facta Monachis, extenditur etiam ad Canonicos Regulares: siquidem licèt sint diuersi; nihilominus in eis militat eadem Religionis ratio.

23 Nec obstat si dicatur, quòd causæ maximè hæresis prædictorum Prælatorum à solo Romano Pontifice cognoscuntur, vt de Episcopis habetur in *Conc. Trid. de refor. sess.* 24. *c.* 5. etiã si

si titulares tantum sint, iuxtà ea, quæ habentur ex *Molina to.6.de iust. & iur.tr.5.disp.28. n.19.& Acug.deConfessar.sollic.q.12.n.7.* Imò si tantùm electi sint, & approbati à S.P.quamuis non sint consecrati, quoniam iam iurisdictionem habent, *c.transmissam de elect. Molina loco citato, & Seraph. Freyt. in addit. ad Acug.d.q.12.n.31.* Et de alijs Prælatis Episcopis Superioribus est, *tex. in c. Inquisitores de hæret.in 6.* ac de Nuncijs, & alijs Officialibus Sedis Apostolicæ extat extrauag. *Cum Matthæus eod. tit.* Quoniam respondetur, quòd licèt Inquisitores hæreticę prauitatis non possint huiusmodi Prælatos punire; possunt tamen dicta testium excipere, & seruare, A. S. denuncianda, vt in *d.c.Inquisitores, Villadiego de hæret. prauit.q.7.n.15. Siman. de Cathol. inst. c. 25.nu.8.& in praxi hæreseos,c.8.n.2.Molina vbi supra, Farinac.de hæresi,qu.186.n.116.& Acug.d.q.12.n.9.* vbi etiam *nu. 10. addit.* posse Inquisitores Episcopos tenere, ac carcerare si

24 horum fuga timeatur, donec eorum delicta ad S. A. deferantur, vt docet etiam *Villadiego loco citato*; quamuis parcissimè debeant ea facultate vti, cùm generaliter eis interdicatur processio in Episcopos, per *Conc. Trid. d. c.5.* Imò refert *Pegna* inter Apostolicas litteras, fol. 128.3.*p. Dir.com.76* extare extrauag. Pij IV. æditam sub anno 1563. qua statuitur, vt Eminentissimi Cardinales in tota Christiana Repub. generales Inquisitores, in Episcopos animaduertere possent, & in alios quoslibet Prælatos, de quibus ibi, eosque moneant, citent, requirant, vt infra certum terminum personaliter compareant, sub pœnis in d.extrauag. contentis; Et cũ processus cõpilatus fuerit S. D. N. referatur, vt debita, ac iusta sententia contra tales promulgetur. Hanc eandem extrauag. refert *Emanuel Rodriq. to.2. Regular.qq.q.1.ar.1.ad fin.& Farin.de hæresi,q.186.n.123.*

TERTIA CONCLVSIO.

25 SAcerdotes non approbati ab Ordinario, atque ideò non deputati ad audiendas confessiones, si audientes eas, & fingentes habere facultatem excipiendi confessiones; pœnitentes sollicitent, subduntur iudicio Inquisitorum hæreticæ prauitatis, Pontificijs pœnis, & veniunt denunciandi. Hæc conclusio est *Acugn. deConfessar.sollic qu.14.n.4. Ioan.Sanc.in select. disp.11.nu.39. & Diana to.1. tr.4. de denunc. resol.17. & to 4.tr 5. de Confessar.sollic. resol. 8.* qui pro hac conclusione adducit etiam *Castr.Palaum tr.4.disp.9 pun.9 nu.1.* Et ex eis aliqui eam ampliant, etiam si mala fides Confessarij, & pœnitentis interueniat, vt quia vterque cognoscit, confessionem inualidam esse: Et procedere non solùm attenta dispositione Gregorianę constitutionis contra sollicitantes editæ; sed etiam attentis alijs antiquis Pontificum Bullis, ac Decretis. Rationem autem hanc esse volunt, præsertim *Castr.Palaus loco citato*; quia Sacerdos quamuis iurisdictione careat, absolutè dicitur Confessarius, cùm ordinis potestatem habeat, & à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs confessis possit absoluere; & ab omnibus in articulo mortis. Vndè ex hoc patet responsio ad rationem *Portelli*, & aliorũ, quos pro contraria sententia supra retulimus: & re vera si aliter esset dicendum quilibet Sacerdos simplex sub hoc colore posset eludere decreta Inquisitorum, & constitutiones Pontificum.

† Adde: quod idem docet *Pater Quartus de casibus reseru.sect.1. c.1. difficult. 6.* qui tamen quoad reseruationem factam ab Episcopo ait non eos ligari, nisi Confessarios approbatos ad confessiones audiendas, vt patet ex verbis, quibus fit reseruatio.

26 Ampliatur hæc conclusio, vt quæ diximus de Sacerdote simplici non habente facultatem audiendi confessiones ab Ordinario, vera sint, & locum sibi vendicent in Sacerdotibus, qui eiusmodi facultatem non habent, eo quod excommunicati sint, denunciati, aut publici Clericorum percussores, suspensi, aut degradati, & confessiones audientes confitentes ad turpia sollicitant, vt habetur ex *Acugn. loc. cit. q.14. n.4.cum plur.seq.* quem sequitur *Seraph Freyt. in addit.ad ipsum Acugn.* ibi, *n.13.* qui dicit hanc sententiam esse verissimam, vbi pœnitens bona fide eis confiteatur credens iurisdictionẽ habere: & id non tam ob fraudem, qua vtitur Confessarius in decipiendo pœnitentem; sed quoniam tenetur hoc casu ad sigillum confessionis, vt habetur ex *Henriq. cum communi, lib.6.de pœnit.c.21.§ 4.* & quia valida est confessio, si obtenta iurisdictione absoluat, iuxtà ea, quæ habentur ex *Soto in 4. d.18. q.4. ar.5.* Et in omnem euentum hi non poterunt effugere dispositionem Gregorianæ, in qua excommunicantur omnes Sacerdotes sollicitantes, vt supra ostendimus *concl.præced.* at Sacerdotes excommunicati, depositi, suspensi, &c. & qui non habent facultatem absoluendi, ac audiendi confessiones non desinunt esse Sacerdotes.

QVARTA CONCLVSIO.

27 LAicus, vel Clericus occultè se ponens in loco confessionibus deputato, & simulans Sacerdotem esse ibi fœminam ad turpia sollicitet, licet non comprehendatur sub Pontificijs constitutionibus contra sollicitantes; si tamen absolutionem impendat, incidit in dispositionem constitutionis Gregor. XIII. editæ contra non Præsbyteros audientes confessiones, & absolutionem confitentibus impendentes, atque ideò iudicio Inquisitorum subijcitur, & venit denunciandus. Hæc conclusio est *Rodriq.tom. 2.qq.Regular.q.28.ar.2. & in sum.p.2.c.83.n. 5.* & aliorum, quos refert, & sequitur *P. Diana to.1.tr.4.resol.15.& 16.* Prima pars conclusionis patet, quoniam tam constitutiones antiquæ, quàm nouissima Gregor.XV. latæ contra sollicitantes imponunt pœnas Sacerdotibus sollicitantibus: ergo non videntur comprehendere Laicos, vel Clericos, qui Sacerdotes non sint: quoniam regulariter in pœnalibus non fit extensio de persona ad personam, vt sæpè diximus. Vndè ob id antè Gregorianam Gregor. XV. non nulli Doctores existimarunt, Confessarios sollicitantes in confessione pueros non comprehendi sub constit. Pij IV. Pauli V. & alijs æditis ante d.constitutionem Gregor. XV. Secunda pars conclusionis probatur per supra re-

niam testes singulares regulariter non probant, vt *in l. ob carmen, §. si testes*, & ibi *Glos. & Bart.* & ad eum Addentes, præsertim *Alex. ver. Sufficit, ff. de testib.* Est tamen verum, quòd circa fidem testium multum prævalēt iudiciū, & prudentia Dominorum Inquisitorum, qui considerare debent circumstantias, & qualitates tam mulierum denunciantium, quàm Sacerdotum, qui accusantur, vt habetur ex *Diana loc. cit.* ad quod facit *tex. in l. 3. § ideoque, ff. de testib.* ibi, *Tu magis scire potes quantā fides sit adhibēda testibus, &c.* In omnem euentum hoc casu examinatus Confessarius, si negat delictum, potest torqueri præcipuè super intentione, qualiter sētiat de Sacramentis Ecclesiæ: & si confitendo delictum, constaret malè sentire debet abiurare de vehementi: si tamen constet ardore libidinis id fecisse, abiurat de leui, & pro qualitate excessus, & pro continuatione criminis punitur. Et ita in praxi seruari testatur *Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 24. sub n. 40.* Quod si in tormentis in negatione perseueraret, est dimittendus.

7

QVARTA CONCLVSIO.

8 TRes fœminæ probatæ vitæ denunciantes Confessarium, satis sunt ad conuincendū, & condemnandum eum pro crimine sollicitationis in confessione in earum personas. Hæc conclusio est *Ortiz in sum. c. 24. n. 11. & aliorū.* Etenim quando proceditur in crimine per viam denunciationis tres testes sufficienter probant: eo quod per denunciationem non intēditur per denunciantem pœna; sed correctio denunciati, vt in *c. in omni negotio*, & ibi *Glosa, de testib.* Et quamuis eiusmodi mulieres sint singulares; nihilominus non dicuntur simpliciter tales; sed aliquo modo contestes: nam licèt discordant in loco, & tempore; in substantia tamen sunt concordes, iuxta ea, quæ habentur ex *Alex. in addit. ad Bart. in l. ob carmen, §. si testes, sub n. 2. ff. de testib. Vinc. de Franch. decis. 105. sub n. 21.* & in specie *Simanch. in Enchirid. tit. 37. n. 80. & de cathol. instit. tit. 64. n. 77. Rodor. de Acug. de Confessar. sollic. q. 22. n. 8. & 9.* quibus adde, quæ cumulant *Farin. de hæresi, qu. 64. n. 6. Couar. lib. 3. var. resol. c. 3. n. 3. ver. Verum, & Gomez de delict. c. 12. n. 12.* & hanc probationem admitti tenet *Molfes. p. 1. sua sum tr. 7. c. 24. n. 35. cum plurib. seq.* Rationem autem hanc esse volunt; quia sollicitationis actus aliter colligi non potest, nisi per ipsas personas sollicitatas. Et ità hodie de consuetudine, seruari testatur idem *Acugna loc. cit. n. 13.* Et quoniam probatio per testes singulares non dicitur aperta, ac concludens, maximè in criminalibus, vt habetur ex *Mascar.* etiam quoad crimen hæresis, *concl. 856. a n. 3.* & licet fœmina in criminibus exceptis, in quibus aliter veritas haberi non potest, admittatur, vt habetur ex eodem *Mascar. cōcl. 462. n. 6. & concl. 761. n. 16. & 22.* nihilominus in capitalibus duæ fœminæ Reum non conuincunt, licet sint contestes, vt habetur ex *Gand. de fur. n. 7. Hyppol. Riminal. cons. 217. n. 5. vol. 2.* & *Farin. to. 2. q. 59 n. 29.* idcirco *Seraph. in addit. in d. q. 22. n. 26.* esto quòd fœminæ denunciantes sint quatuor, vt vult ipse *Acugna ibidem, q. 23. n. 11.* censet, prædictam conclusionem esse veram quoad pœnam tantùm extraordinariam

9

imponendam. Etenim in crimine hæresis licèt testes singulares non sufficiant ad pœnam ordinariam imponendam; sufficiūt tamen ad extraordinariam, vt habetur ex *Repert. Inquisit. ver. testes, vers. An in causa locat. in praxi Inquisit. ver. testis, n. 18. Paris. cons. 2. n. 93. vol. 4. Pegna 3. p. com. 121. col. 9. ver. Quoties.* Quæ quidem pœna non debet esse corporalis, vt habetur ex *Menoch. cons. 82. n. 167. lib. 1. Farin. 2. to. q. 64. n. 218. & de hæresi, q. 188. n. 163.* quibus adde, quę habentur ex *Ricc. p. 3. collect. 549. & in praxi fori Eccles. decis. 369.* dum refert pluriū fœminarum, quæ sollicitatę fuerant, testimonio conuinctum non fuisse ad pœnam ordinariam Confessorem; sed in tortura negantem, per annum suspensum ab animarum cura. Est tamen 10 verum, quod quamuis circa rem hanc magna controuersia sit inter Doctores, vt videre est apud *Acug. Seraph. & Molfes. locis citatis;* nihilominus illud est certissimum, quòd quando testes singulares sunt infames, vel complices, nunquam satis sunt ad imponendam ordinariā pœnam: siquidem quoties plures concurrunt defectus in testibus, non possunt admitti saltem ad pœnam ordinariā imponendā, vt per *Gabr. comm. opin. tit. de testib. concl 7. n. 10. Farin. 2. to. q. 62. n. 80. & 381.* licèt statuto inhabiles admittantur, vt habetur ex eodem *Farin. d. q. 62. n. 382.* quam sententiam communem esse testatur *Seraphin. d. q. 22. sub n. 27.*

† Adde casum ad rem nostram, perutilem Confessarijs, qui accidit prudentissimis, & Illustrissimis Inquisitoribus Regni Siciliæ, sicut accepi ab ipsomet meo patruo, vbi quædam muliercula amore capta eius Confessarij illum sollicitauit, cuius prouocationi non solùm viriliter restitit, verum etiam eam obiurgauit; quamobrem cum non sit ira super iram mulieris, accensa ipsa iracundia, & acta in rabiem Confessarium insontem, vti Reum, & sollicitātem accusauit. Acceperunt denunciationem mulieris, & cauti, vt mos est, circa accusatum se gesserunt. Vndè videns muliercula non puniri ab illis Reum Confessarium, iterum adijt ad Tribunal Sanctissimę Inquisitionis conquerendo, & eiulando, quod non vidisset animaduersum Reum Confessarium à se multo elapso temporis spatio accusatum. Hæc impudentia, & mulierculę petulantia inditium fuit illi Sanctissimo Tribunali falsæ accusationis: idcircò fuit in carcerem trusa, & confessa fuit suum enormissimum scelus; vndè fuit omninò absolutus ab impostura Confessarius, & punita tanquam rea ipsa muliercula. Discant Confessarij esse cauti, ac prudentes in tractando, & protrahendo ad longum tempus cum talibus sermonē, ac breuiter, & maturè eas audire, & nulla cum illis verba facere, nec familiaritatem habere, cum sint personæ animo irreuerenti, & infrunito, & meretricia fronte absq; velamine verecundiæ, & pudoris, quod vt plurimum solent habere principes, ac ingenuæ mulieres.

Quid-

Quidnam sit pœnitentium ad turpia sollicitatio: quotuplex; & cuiusnam cognitio ad Sancti Officij Inquisitores pertineat. SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Sollicitatio ad turpia quidnam sit; Et quotupliciter fieri contingat.*
2 *Sollicitatio ad venerea in actu confessionis sacramentalis, habita à Confessarijs, cum pœnitentibus perpetranda, comprehenditur sub dispositionibus Pontificijs, eiusq. cognitio pertinet ad Inquisitores S. Officij.*
3 *Quod locum habet contra Confessarios, quascumq; personas sollicitantes, siue fœminas, siue masculos.*
4 *Ante Constit. Gregor. XV. eiusdem cognitio spectabat ad Inquisitores.*
5 *Nec solum procedit in sollicitatione ad venerea, in pœnitentes perpetranda, sed etiam cũ alijs.*
6 *Confessarius sollicitare dicitur, si vrgeat pœnitentem ad inhonesta patranda cum alio tertio, & sic lenonis ministerium agens.*
7 *Huiusmodi Confessarius denunciandus est non modo ex vi Gregorianæ Constitutionis, sed etiam vigore antiquarum Constitutionum.*
8 *Vera est supradicta conclusio, siue sollicitatio fiat per Confessarium verbis expressis, ac claris, siue tacitis, & obscuris.*
9 *Tacitè dicitur Confessarius sollicitare pœnitentem in cõfessione, si eam laudet de pulchritudine, ac venustate, ac alias eius dotes commendet.*
10 *Tacitè pariter Confessarius sollicitare dicitur si audiendo confessionem suæ concubinæ, commotus zelotipia, in hæc, & similia verba prorumpat, & quæ.*
11 *Confessarius sollicitare dicitur etiam si ante, vel post immediatè pœnitentem ad turpia perpetranda sollicitauerit.*
12 *Actus, confessioni proximus, an, & quando dicatur.*
13 *Confessarius mulierem audiens in confessione, cõmisisse aliqua peccata venerea, si insequatur illam, mox è cõfessionario discedentem, et in via sollicitet, vel ad domum suam, aut aliò peruentam, est denunciandus, & pœnis Pontificijs afficiendus.*
14 *Vera est conclusio de quacunq; sollicitatione, habita per Confessarium ad turpia, occasione, ac prætextu confessionis.*
15 *Prætextus confessionis requisitus in sollicitatione, an debeat esse proximus, vel remotus à loco, & statu confessionis.*
16 *Procedit nostra conclusio in sollicitatione ad turpia habita per Confessarium, etiam extra confessionem, sed in confessionario.*
17 *Denunciandus est Confessarius, qui tribuit in confessionario cartham pœnitenti dum confitetur, legendam tamen domi, aut alibi, in qua illam sollicitabat.*
18 *Denunciandus est Confessarius, qui mulierem sollicitat, quæ dicit, se velle in crastinum confiteri.*
19 *Pœnis Gregorianæ subijcitur Confessarius, fœminam sollicitans, ad confessionarium accedentem animo confitendi, & præuenitur ab ipso Confessario, vt confessionem differat in aliud tempus.*
20 *Procedit etiam Gregoriana Constitutio etiam si Confessarius inhonestos sermones habeat cũ pœnitentibus, seu tractatus.*
21 *Tunc est denunciandus Confessarius sollicitãs in confessionario pœnitentem, aut cum ea turpes sermones, ac tractatus habens, cum simulat confessiones audire, aliàs secus.*
22 *Affertur Decretum Pauli V. circa rem hanc.*
23 *Confessarius pœnitentem sollicitans in actu cõfessionis non ad turpia venerea, sed ad alia peccata alterius generis, denunciandus an sit.*
24 *Non minorem irreuerentiam infert Confessarius sollicitando pœnitentem ad peccata, quę confitetur, quam ad alia.*
25 *Non est probabilis sententia Parami, & aliorum docentium, verba Pontificiarum Constitutionum dirigi tantum ad sollicitationem carnalem.*
26 *Confessarius sollicitans ad turpia aliquam fœminam, vel masculum in alijs Sacramentis, quàm pœnitentia, non incidit in pœnas contra sollicitantes pœnitentes in cõfessione.*
27 *Sacerdos si in administrando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento alicui fœminæ eam sollicitet, an sit Inquisitoribus hæreticæ prauitatis denunciandus.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd sollicitatio ad turpia nihil aliud est, quã motio, seu prouocatio volũtatis alienę ad inhonesta, vt colligitur ex cõstitutione Gregor. XV. edita sub die 30. Augusti 1622. §. 4. Hæc autem sollicitatio fieri contingit dupliciter. Primò ad inhonesta perpetranda inter sollicitantem, & sollicitatam: Secundò ad inhonesta facienda cũ alijs, vt patet ex eadem Gregoriana *d.* §. 4. in illis verbis *Ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.* vtraq; tandem sollicitatio diuiditur in sollicitationem inhonestam veneream, & non veneream: in tacitam, & expressam. De his igitur omnibus in hac *sec.* agemus, an earum cognitio spectet ad Inquisitores S. Officij, ac hæreticæ prauitatis, & quænam sollicitatio comprehendatur sub dispositionibus, & pœnis Pontificiarum constitutionũ editarum contra Confessarios in cõfessionibus audiendis ad turpia sollicitantes eorum confitentes. Sit ergò

PRIMA CONCLVSIO.

2 SOllicitatio ad inhonesta venerea in actu cõfessionis sacramentalis habita à Confessarijs in pœnitentes inter se perpetranda, comprehenditur sub dispositionibus, & pœnis Pontificiarum constitutionum: & eiusdem cognitio pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis. Hæc conclusio est communis, & patet tum ex Piana, ac Paulina constitutionibus, quas supra retulimus *sec.* 5. tum etiam ex d. Gregoriana vltimo loco edita, §. 4. in illis verbis, *Personas quacũque*

quæ illæ sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, &c.

3 Ampliatur primò dicta conclusio, vt locum habeat contra Confessarios in sacramentali cōfessione sollicitantes vt supra, quascunq; personas, siue masculi sint, siue fœminæ, vt patet ex prædictis Gregorianæ verbis, *d.§.4. Qui personas, quæcumque illæ sint, &c.* Dictio enim, quæcumque, est generalis, nihil excipiens, vt *in c. solita, ver. Nihil excipiens, de maior. & obed. Panor. in c. super quæstione, in Glosa, ver. Quicunque, de offic. delegati, & Glosa in l. Balista, ff. ad Trebell.* Vndè licèt ante d. Gregorianam nonnulli docuerint non comprehendi sollicitantes pueros sub alijs Pontificijs constitutionibus, vt habetur ex *Portel. in addit. ad dubia Regular. ver. Sollicitare fœminas, Fagũd. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 4. c. 3. sub n. 31. Bariola in Florib. Inquis. fol. 227. & ex alijs.* Hodie tamen sopita est eiusmodi controuersia per verba præfatæ constitutionis Gregorianæ, vt rectè aduertit *P. Nald. in addit. ad suam sum. ver. Confessio, n. 31. Peirin. in priuileg. minor. to. 2. constit. 4. Gregor. xv. §. 1. n. 14.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana to. 1. tract. 4. resol. 12.* quibus adde, quæ supra cumulauimus *sec. 3. vers. Quæ diximus.* Est tamen verum, quòd eiusmodi casus etiam ante d. Gregorianam editam spectabat

4 ad Inquisitores hæreticæ prauitatis: siquidem Inquisitores ipsi facultatem habent non solùm cognoscendi de hæreticis; verùm etiam de omnibus criminibus, quæ suspicionem habent hæresis, vt sup. adnotauimus *sec. 4.* Sollicitatio autem ad turpia puerorum in sacramentali confessione, non minorem suspicionem hæresis inducit, quàm sollicitatio mulierum, vt sup. ostendimus *d. sec. 3.*

5 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat non solùm in sollicitatione ad venerea per Confessarios in pœnitentes vt supra inter se perpetranda; sed etiam cum alijs, vt constat ex dictis Gregorianæ verbis, *Ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda, &c.* Vndè quamuis ante Gregorianæ constitutionis editionem hæc ampliatio locum sibi non vendicabat; eo quod Piana, & aliæ constitutiones editæ contra sollicitantes loquuntur de Confessarijs pœnitentes in confessione sollicitātibus ad turpia inter se tātùm perpetranda, & propterea cùm sint odiosæ non debent extendi in sollicitantes ad turpia non committenda cum pœnitentibus; sed cum alijs, arg. *tex. in c. odia, de regul. iur. in 6.* & in specie *Acugna in explicatione d. Paulinæ, de Confessar. sollic. q. 17. n. 9.* hodie tamen post Gregorianam nouissimè editam, sub ea comprehenduntur sollicitantes pœnitentes ad turpia perpetrāda tam inter se, quàm cum alijs, & id per verba dictæ constitutionis sup. relatæ, vt habetur ex *P. Naldo* in sup. relatis *add. ad suam sum. sub num. 31. Bonac. tract. var. disput. 6. p. 3. n. 19. Sanc. in select. disput. 11. n. 43. & 44. Sanctarell. de hæresi cap. 44. dub. vnico, nu. 19. & Diana to. 1. tr. 4 resol. 19.* Hinc infertur, quod Confessarius sollicitans, prouocans, ac vrgens pœnitentem ad prostituendam sibi eius filiam, aut aliam eius consanguineam, affinem, vel amicam, proculdubio est denunciandus, & incidit in pœnas in dictis Pontificijs constitutionibus contentas, vt habetur ex *P. Diana*, & alijs Doctoribus supcitatis.

6 Idem dicendum est si Confessarius pœnitentem vrgeat ad inhonesta patranda cum aliquo alio tertio, & sic lenonis ministerium agens. Vel si pœnitentem sollicitet ad lenocinium exercendum pro alijs. Etenim quamuis Confessarius lenonis ministerium in confessione exercens, aut sollicitans pœnitentem ad lenocinium non comprehendatur in terminis antiquarum constitutionum; comprehenditur tamen sub Gregoriana prędicta, & ideò venit denunciandus, & per Inquisitores hæreticæ prauitatis debitis pœnis plectēdus, vt per *Io. Sanc. in select. disp. 11. n. 44. & Sousam in aphor. lib. 1. c. 34. n. 21.* & id non solum per verba illa Gregorianę, *Ad inhonesta siue inter se, siue cũ alijs*; sed etiam ob subsequentia eiusdem constitutionis verba, ibi, *Aut cum pœnitentibus illicitos, & inhonestos sermones, siue tractatus habuerint.* At proculdubiò inhonesti, & illiciti sermones sunt, quibus pęnitens ad lenocinium sollicitatur à Confessario: vel ipse lenonis fungatur munere, sollicitando pœnitentem ad turpia patranda cum alio.

7 Imò *P. Diana* ibidem probabilem putat opinionem *Castri Palai tr. 4. disp. 9. pun 5. n. 2.* existimantis, eiusmodi Confessarium esse denunciandum non modò vi d. Gregorianæ; verum etiam vigore antiquarum constitutionum per rationes ab eo relatas: quam sententiam puto veram; quoniam talis Confessarius contrahit suspicionem hæresis, cùm abutatur sacrosancto pœnitentiæ Sacramento: & propterea huius criminis cognitio pertinet ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, etiam attentis antiquis constitutionibus Pontificijs, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus, *ampl. præcedenti, circa fin.*

8 Tertiò ampliatur, vt conclusio vera sit, siue sollicitatio fiat per Confessarium ad turpia verbis expressis, & claris; siue tacitis, & obscuris, dubijs, signis, nutibus, ac tactibus: etenim taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cum quid, ff. si cert. petat.* & habetur ex *Peyrino de priuil. Minor. to. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 6. n. 21.* Est tamē verum, quòd quādo verba, ac signa sunt dubia, tunc *Sousa Aphor. Inquis. lib. 1. c. 34. & 54.* & *in opusc. de Confessar. sollic. tr. 2. c. 4. n. 16.* quem refert, & sequitur *P. Diana to 4. tr. 5. resol. 25.* volunt, posse Inquisitores, si expediens eis videbitur, interrogare huiusmodi sollicitantes circa factum, aut verbum dubium de eorum intētione. Tacitè autem Confessarius dicitur ad

9 turpia sollicitare pœnitentem in confessione, si laudet eā de pulchritudine, ac venustate, aliasq; eius dotes commendet, vt habetur ex *Peyrino loc. cit. constit. 7. Gregor. XV. §. 6. n. 2. Acugna de Cōfessar. sollic. q. 7. n. 13. Bonac. tract. var. disp 6. pun. 3. n. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana loc. cit.* & rectè limitat id locum sibi vendicare, modò non constet, aut rationabiliter non præsumatur, Confessarium, qui fœminam sic laudauit, protulisse verba eiusmodi alio fine, quàm intentione alliciēdi ad actus inhonestos: siquidem laudare mulierem de pulchritudine, & venustate, de sui natura non est actus inhonestus, neq; peccatum. Tacitè pariter Confessa-

10 sarius dicitur sollicitare, si audiendo confessionem suæ concubinæ ex zelotipia commotus eã arguat, prorumpendo in hæc, & similia verba, discontinuandi nostrum affectum occasionem affers, quoniam cum alijs distraheris in similibus lasciuijs, vt habetur ex *Sanc. in select. disp. 11. n. 32. & Fagund de precep. Eccl. in 2. edit. precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 63.* Tacitè quoq; Confessarius censetur sollicitare pœnitentem, si det ei pœnitentiam, vt nuda à se verberetur, vt per *Sous. opusc. de Confessar. sollic. tr. 1. c. 18. n. 14.* quem refert, & sequitur *Diana d. tr. 5. resol. 47.* qui idem dicendum esse volunt de Confessario, suadente pœnitenti sibi actu confitenti, vt ipsi eo loco vas naturale, quod ipsa in eadem confessione morbo affectum habere dixerat, ostendat, eiusmodi enim suasiones, ac postulationes proculdubio sunt ad turpia tacitæ sollicitationes, atq; ideò tales Confessarij efficiuntur de foro Inquisitorum, ipsisq; veniunt omninò denunciandi, ac Pontificijs subduntur pœnis.

11 Quartò ampliatur ipsa conclusio, vt locum sibi vendicet in Confessario sollicitante ad turpia venerea pœnitentem cum se, vel cum alijs perperranda, vt supra, non modo in actu sacramentalis cõfessionis; verùm etiam ante, vel post confessionem immediatè, vt constat ex eadem Gregoriana d. §. 4. ibi, *Siue antea, vel postea immediatè, &c.* Idem dicendum est, si paulò ante, vel paulò post confessionem fiat sollicitatio: siquidem quæ incontinenti fiunt censentur inesse; hinc *Bald. in c. 1. de pace tenen.* inquit, id factum esse tempore belli, quod paulò ante, vel post bellum est actum; ergò paria sunt aliquid fieri in actu cõfessionis, vel paulò ante, vel post. Ità in specie docent *Scort. in Bull. Pontif. Epitome 77. theor. 197. Bariola in Flor. Inquis. fol. 226. Ortiz in sum c. 14. n. 11. Gipt. de casib. reser. c. 14. n. 3. Coriol. eod. tr. p. 2. casu 9. Bonac. de matrim. q. 4. pun. 16. propos. 5. n. 7. Ricc. in praxi. p. 2. resol. 240. Rodriq. in qq. Regul. to. 2. q. 27. ar. 2. & 3. Molses. p 1. sua sum. tr. 7. c. 24. n. 31.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Diana to 1. tr. 4. resol. 14.* quamuis negatiuam sententiam doceat *Fagund. de precep. Eccl. par. 2. lib. 4 c. 3. sub n. 31. et Portell. in addit. ad dub. Regul ver. sollicitare fœminas, n. 6.* Dicitur autem actus aliquis proximus confessioni, quãdo

12 Confessarius ad extraneos actus non diuertit; atq; ideò si post absolutam mulierem Confessarius ad extraneum actum diuertat, licèt eam statim sollicitet, non comprehenditur sub Pontificijs Bullis, vt habetur ex *Acugna de Confessar. sollic. q. 5. n. 20.* quòd si Confessarius sciens pœnitentem velle confiteri eam sollicitet, incidit in Pontificias pœnas, etiam si confessio non sequatur, vt quia ipsa vel noluit postea confiteri, vel Confessarius noluit eam audire; quoniam talis actus dicitur immediatus ad confessioné, vt habetur ex *Sousa in aphor. inquis. lib. 1. c. 34. sub n. 31. Acugna de Confessar. sollic. q. 14. n. 4. Castr. Palao tract. 4. disp. 9 pun. 7. n. 3. & Diana to. 4. tract. 5. resol. 11.* quam sententiam putat veram, quando fœmina vellet statim confiteri. Idem dicendum putant ibidem de Confessario, qui statim post confessionem ducens puerum in cellam, vt ei chyrographum confessionis traderet, ad turpia sollicitauit; quoniã is dicitur immediatè, vel saltèm paulò post confessionem puerum sollicitasse. Confessarius quoque au-

13 diens in confessione mulierem commisisse aliqua peccata venerea, si insequatur illam mox è confessionario discedentem, & eandem in via sollicitet, vel etiam ad domum suam, aut aliò peruentam, est denunciandus, atq; ideò pœnis Pontificijs efficitur obnoxius; quoniam is immediatè, vel saltem paulò post confessionem, & occasione confessionis censetur mulierem illam sollicitasse. Ità *Peirin. de priuileg. minor. to. 2. constit. 4. Gregor. xv. & Lenzana in sum. qq. Regular. c. 19. n. 34.* quam quidem sententiã puto probabilem maximè si Cõfessarius statim post auditam confessionem eam insequatur, nõ deueniendo ad extraneos actus, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus; quamuis in contrariam sententiam videatur inclinare *P. Diana to. 4. tract. 5. resol. 7.* & infrà latiùs dicemus *ampl. seq.*

14 Quintò ampliatur prædicta conclusio, vt vera sit de quacunq; sollicitatione habita per Cõfessarium ad turpia occasione, ac prætextu confessionis, vt patet ex d. Gregoriana, §. 4. in illis verbis, *Seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiam confessione non sequuta.* Vndè pœnitens si ignoráter accusauit se in confessione habuisse animum peccandi cum Confessario: quapropter Confessarius post confessionem, vel etiam confessione non completa, surgens è confessionario, insequatur eam, & in domo, vel in itinere sollicitet, etiam si deueniat ad extraneos actus, puto, quòd sit denunciandus, & incurrat pœnas à Pontificijs constitutionibus statutas; maximè si pœnitens deuenerit in cognitionem, quòd ob eam causam fuerit sollicitata. Confirmatur ex ijs, quæ diximus *ampliat præced. in fin.* dum ostendimus, Confessarium, statim post confessioné insequentem mulieré, quæ venerea fuerat ipsi confessa, ac sollicitantem, esse denunnunciandum, & nõ effugere Pontificias pœnas: quorum sollicitatio eiusmodi prouenit occasione confessionis. Nec obstare videtur id, quod quidam doctissimi viri responderunt, de quibus *P. Diana d. resol. 7.* dicentes, prætextum con-

15 fessionis, de quo agitur in Bulla Gregoriana, debere esse proximum, non autem remotum à loco, & statu confessionis; quoniam re vera ipsa Gregoriana simpliciter loquitur de sollicitatione facta occasione, vel prætextu cõfessionis, nec distinguit de proximo, aut remoto à loco, ac statu confessionis; atq; ideò dispositio Gregorianæ simpliciter, ac indistinctè est intelligenda: siquidem lex generaliter loqués, generaliter est intelligenda: & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. §. generaliter. ff. de leg. at. præst. l. quod de pretio, ff. de publ. in rem act.* Hac eadem ratione puto denunciandum esse Confessarium, qui prætextu confessionis agendę vocatus, pœnitentem postea in domo sollicitet, vt docet *Sanc. in selec. disp 11. n. 68. in fine,* contra *P. Dianam d. tr. 5. resol. 37.*

16 Sexto ampliatur cõclusio, vt procedat in sollicitatione ad turpia habita per Confessarium, etiam extra confessionis occasionem in confessionario, aut in loco quocumque vbi confessiones audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulando ibidem confessionem audire, vt patet ex verbis eiusdem Gregorianæ, §. 4. ibi,

generis: ergò ficut in primo cafu contrahitur fufpicio hærefis;ita etiam contrahitur in pofteriori cafu,atque ideò eiufmodi cafus Inquifitorum iudicio eft fubiectus. Etenim Inquifitores non folùm de hæreticis cognofcunt;verùm etiā de omnibus criminibus, quæ fufpicionem præbent hærefis,vt *in c.accufatus, de hæretic. in 6.* & fup. adnotauimus *fec.* 4. Imò id non obfcurè videtur colligi ex d.Gregoriana §.4.in illis verbis, *Aut cum eis illicitos, & inhoneftos fermones, fiue tractatus habuerint.* Vbi Confeffarijs non tantùm ad turpia follicitatio in confeffione prohibetur; fed etiam illiciti, & inhonefti fermones execrantur. Confeffarius autem follicitans pęnitentem ad aliquod peccatum, licèt nō carnale, cenfetur proculdubiò cum ea habere fermones illicitos,& inhoneftos.Præterea,peccatum omne eft contra iuftitiam, & contra rectam rationem,iuxtà definitionem *D.Augustini*,relatam à *Grat.§.1.in fine,* 15. *q.*1. qui peccatum definiens fic ait, Peccatum eft voluntas retinendi, vel confequendi, quod iuftitia vetat: atq; ideò omne peccatum eft contra licitum, & honeftum:fiquidem honeftas fecundùm *D.Th.* 2.2.*q.*145.*ar.*2. *in corp.* eft actio hominis benè proportionata, fecundùm fpiritualem rationis claritatem: hinc idem *D.Th.ibidem ar.* 3. *in corp.*honeftum, inquit, eft fecundum rationem ordinatum. Ergò Confeffarius follicitans pęnitentem in confeffione ad alia peccata,quę venerea non fint,fed alterius generis, comprehenditur fub difpofitione Gregorianæ cōftitutionis, qua expreſsè deteftantur inter Confeffarios, & pęnitentes in confeffione non modò follicitatio ad venerea, fed etiam omnia alia peccata,per illa verba, *Aut cū eis illicitos, & inhoneftos fermones, fiue tractatus habuerint*, cum omnia peccata illicita fint, & inhonefta,vt patet ex ijs, quæ fup. diximus. In eandem opinionem inclinat *Seraph.Freitas in addit.ad Rodor.de Acugna de Confeffar.follic.q* 8. *n.*17. cum hac tamen limitatione, nempè quando Confeffarius follicitat pęnitentem ad eadem peccata, quæ confitetur,vt fi fortilegium fateatur,& Confeffarius petat ab illo, vt fe doceat illud facere; quoniam in tali cafu acciperet Confeffarius ipfe occafionem à peccato confeffo,& ità contraheret fufpicionem hærefis.

24 Sed reuera licèt Confeffarius eo cafu fit denunciandus, cùm contrahat fufpicionem hærefis,abfq; huiufmodi limitatione noftra conclufio procederet; quoniam non minorem irreuerentiam inferret Sacramento pęnitentiæ follicitando in confeffione confitentem ad eadem peccata,quæ confitetur,quàm ad alia,ficut non maiorem irreuerentiam infert Sacramēto follicitando mulierem ad venerea,quæ confitetur, quàm ad alterius generis venerea, quæ non cōfitetur,& in vtroque cafu dicitur abuti ipfo Sacramento, pro medicina venenum, pro pane afpidem porrigendo,& ex cęlefti medico infernalis veneficus, & ex patre fpirituali proditor execrabilis animarum redditur, vt verbis Gregor.XV.vtar in d.ipfius conftitutione,atq;ideò fufpicionem hærefis contraheret,iuxtà verba illa Pontificiarum conftitutionum à nobis fæpè fæpius repetita, *Nos animum inducere nequeūtes,quòd qui de fide catholica rectè fentiunt,Sacramentis ab Ecclefia Dei inftitutis abutātur, aut illis iniuriam faciant.* Vndè fi pęnitens confiteatur venerea, & effe ex adulterio, aut ex ftupro grauidam, & Confeffarius follicitet pęnitentem ipfam ad committendum abortum, fanè arbitror, quòd non minus fit hoc cafu denunciandus, quàm fi audito fortilegij peccato pęnitentem follicitet ad fe docendum illud. Ex quibus infertur, nō videri omninò probabilem

25 fententiam *Parami de Orig Inquif.lib.*3.*q.*10. *n.*121. *Bariola in Flor.Inquif. fol.*125. & aliorum,quos refert,& fequitur P.*Diana to.*1.*tr.*4. *refol.*20.qui contrarium docent dicentes,quod verba Pontificiarum conftit.diriguntur ad follicitationem carnalem, quæ communiter accidere folet,& in delictis non fit extenfio, vt *in c. in pœnis,de regul. iur. in 6.* Etenim vltra quod animarum fauore,de quo agitur in cafu noftro, odia ampliantur, & pęnæ extenduntur, vt per *Glof Bart.& Soc.* cōmuniter receptos,in *auth. Sacramenta puberum,C fi aduer. vend.* Et *Nos* adnotauimus in *noftris Commentar. in Bulla Cœnę,lib.*2.*c.*7.*q.*7.*fub n.*1. cafus nofter comprehenditur fub illis Gregorianæ verbis, *Aut cum eis illicitos,& inhoneftos fermones,&c.* Siquidem peccata quoq; quæ venerea non funt, illicita funt, & inhonefta, vt furtum,rapina,falfum teftimonium, & alia eiufmodi. Et dato, ac non conceffo, quòd cafus nofter non comprehenderetur fub d. Gregoriana; quia tamen habet annexam hærefis fufpicionem,vt fup.oftendimus, iudicio Inquifitorum verè fubijcitur, quoniam Inquifitores non folùm de crimine hærefis cognofcunt; fed de quocumq; alio crimine præbente fufpicionem hærefis, vt in *d.c. accufatus, de hæret.lib.*6.

TERTIA CONCLVSIO.

26 Confeffarius follicitans ad turpia aliquam fęminam,vel mafculum in alijs Sacramētis,quàm in facramentali confeffione,non incidit in pęnas in Pontificijs conftitutionibus ftatutas contra follicitantes pęnitentes in confeffione. Hæc conclufio eft *Sanc.in felect.difp.*11. *n.*42. *Acugnę de cōfeffar.follic.q.*16.*n* 6. *Caftr. Palaus tr.*4.*difp.*9.*pun.*1.*n* 4. *Peyrini in priuil. minor.to.*2.*conft.*4.*Gregor.XV.* §. 5.*n.*17. *Peregrin.in commentar.noftr.conftit.p.*1.*c.*5.*lit.M.* & aliorum,quos refert,& fequitur *Diana to.*4. *tr.*5. *refol.*16. Mouentur ex eo, quòd in omnibus conftitutionibus Pontificijs fit mentio tantùm de Sacramento pęnitentiæ: eo magis, quia rariffimè occurrit, vt in alijs Sacramentis Cōfeffarius follicitet ad turpia fęminas. Hæc conclufio licet vera fit,nihilominus fi Sacerdos in

27 adminiftrando Sanctiffimo Euchariftiæ Sacramento alicui fęminæ,v.g.eam follicitet, puto quòd fit denunciandus Inquifitoribus hæreticę prauitatis: is enim non minus abuti dicitur Sacramento Euchariftiæ, illiq; iniuriam inferre, quàm Confeffarius follicitando pęnitentem in actu confeffionis:ergò ficut Confeffarius cōtrahit fufpicionem hærefis; ita etiam Sacerdos, atq; ideò eft Inquifitoribus denunciandus. Etenim, vt fæpè diximus,Inquifitores non tantùm poffunt cognofcere de crimine hærefis, fed de quocunq; alio crimine, quod præbet fufpicionem hærefis,vt in *c.accufatus,de hæret.in* 6. Et

ideò malè reprobatur *Moura opusc.1.de incæt. sec.3.c.3.n.17.per Seraph.Freitam in addit.ad Azugn.de Confessar.sollic.q.16 n.10.*, si *Mour.* intelligat, vt talis Sacerdos non sit denunciandus. Hæc satis dicta sint de Confessarijs sollicitantibus in confessione, & extra confessionis occasionem pœnitentes, reliqua de eisdem Cõfessarijs denunciandis, *seq. sec.* Deo duce, dicemus.

An soli Confessarij deputati, pœnitentes in confessione, & in alijs supra relatis casibus ad turpia sollicitantes comprehendantur sub pœnis in Pontificijs constitutionibus statutis contra sollicitantes; vel etiam aliæ personæ.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Dubium hoc in quibus personis cadere potest.*

2 *Sub Pontificijs Constitutionibus, editis contra Confessarios sollicitantes, an comprehendantur laici, & Clerici, qui ponentes se in loco, confessionibus deputato, fœminam audiunt, eamq; inter confessionem sollicitant, & n. seq.*

3 *Verior est sententia, quod omnes supradicti subijciuntur Inquisitoribus, et pœnis Pontificijs contra sollicitantes ad turpia.*

4 *Confessarij, ad fidelium confessiones audiendas deputati, & ad turpia sollicitãtes pœnitentes in Sacramentali confessione, subijciuntur Inquisitorum iudicio, & sunt denunciandi.*

5 *Idq; ampliatur siue masculi, siue fœminæ sint sollicitata.*

6 *Ampliatur quoq; etiam si Confessarius sollicitando propter paruitatem materiæ leuem culpam committeret intra genus tamen luxuriæ; puta si brachium, aut pedem pœnitentis premat, digitos intorqueat, &c.*

7 *Hæc sententia probabilis est, sed contraria sententia non videtur omninò improbabilis, vbi etiam vide Additionem.*

8 *Locum habet quoq; hæc conclusio in Confessarijs, qui fuerint à pœnitentibus sollicitati, ipsisq; consentiunt.*

9 *Quid si Confessarius consentiens sollicitationi statim desistat de turpi illa materia loqui differendo illius complementum ad aliud tempus.*

10 *Confessarius pro prima sollicitatione punitus, si in secundam incidat, non solùm est denunciandus pro prima, sed etiam pro secunda.*

11 *Confessarius sollicitans, denunciandus est, etiã si mulier ante accusationem sollicitata, nolit postea se accusare, vel etiam compunctus Confessarius ad alterum eam remittat audiendam.*

12 *Confessarius, qui statim post confessionem sollicitauit pœnitentem, & cum ea rem habuit, non solum iudicio subditur Inquisitorum, sed etiam eiusmodi circumstantiam confiteri.*

13 *Confessarius haud subditur Inquisitorum iudicio, nec est denunciandus si fœmina dixerit se velle in crastinum confiteri, illamq; sollicitat, & Confessarium dissuadeat.*

14 *Nec denunciandus est, si appareat, & verè sit de tanto scelere emendatus, maximè si post sollicitationem per multos annos laudabilẽ vitam duxerit.*

15 *Triennio annorum spatio præsumitur quis emendatus.*

16 *Præsumitur quoq; emendatus, si post sollicitationem, consequutus fuerit iubileum. Licet alij id remittant arbitrio boni viri.*

17 *Hæreticos esse emendatos, semper dubitari potest, & quare.*
Multiq; volunt, Confessarios sollicitantes, quantumuis emendatos esse denunciandos.

18 *Ex praxi Curiæ Archiepiscopalis Neap. quomodo recipiendæ sint huiusmodi denunciationes.*

19 *Confessarius erit minimè denunciandus, vbi sollicitationi consenserit ob metum.*

20 *Confessarius si pœnitentem non sollicitauerit ad turpia, sed in actu confessionis immediatè, vel paulò ante, aut paulò post poculum amatorium ei dederit, per quod fuit somno correcta, & sic eam agnouit, denũciandus non est. Si tamen per Confessarij confessionem crimen probetur, exoluet pœnas Pontificiarum Constitutionum.*

21 *Etiam ipsimet Ordinarij sollicitantes sunt denunciandi, & iudicio subduntur Inquisitorum.*

22 *Prohibitos legere libros hæreticorum, prohibetur quoq; illos audire.*

23 *Causa, et præcipuè hæresis Prælatorum, etiam Episcoporum Titularium, & qui solum electi sint, licet non consecrati, à solo Romano Pontifice cognoscuntur.*
Et quid possint agere Inquisitores contra Prælatos supradictos.

24 *Possunt Inquisitores Episcopos tenere, & carcerare, si eorum fuga timeatur, donec eorum delictum ad Sedem Apostolicam deferatur.*
An Eminẽtiss. Cardinales generales Inquisitores sint in tota Rep. Christiana, & possint in Episcopos, et cæteros Prælatos animaduertere

25 *Sacerdotes, ab Ordinario ad confessiones non approbati, fingentes, facultatem habere ad confessiones excipiendas, si pœnitentes sollicitent, subduntur iudicio Inquisitorum, & pœnis Pontificijs, vbi vide etiam Additionem.*

26 *Idq; ampliatur etiam in Sacerdotibus, qui huiusmodi facultatem non habent eo quod excommunicati sint, suspensi, vel degradati.*

27 *Laicus, vel Clericus, occultè se ponens in confessionario, ibiq; simulans se Sacerdotem esse, fœminam ad turpia sollicitet, si absolutionem impendat, incidit in Constitutionem Gregorij.*

28 *Etiam si absolutionem non impendant laici, vel Clerici, licet sub Constitutionibus Pontificijs non comprehendantur, Iudicium tamen Inquisitorum non effugient.*

29 *Hoc fuit statutum à Paulo IV. Fundatore Religionis Theatinorum, & Papa Sanctissimo.*

30 *Idem dicendum est de laico interprete, sollicitante mulierem, cuius est interpres.*

31 *Mandans Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet, licet non comprehendatur sub Pontifi-*

tificijs Constitutionibus, non effugiet tamen Iudicium Inquisitorum. & n. 35.

32 *Pœnitens Confessarium sollicitans in actu cõfessionis, vel ante, vel post immediatè, eandem de hæresi contrahit suspicionem, ac Confessarius. & n. 36.*

33 *Siue mulier eandem animi significationem retineat, siue interrumpat, semper talis Confessarij punitio ad Inquisitores pertinet.*

34 *Laicus, vel Clericus si necessitatis tempore mulieris confessionem audiat, eamq; sollicitet, licet absolutionem illi impendat verbis deprecatiuis, non subijcitur Iudicio Inquisitorum.*

An possit fieri confessio laico tempore necessitatis, & an hic laicus teneatur sub sigillo secreti peccata audita retinere; vbi vide etiã Additionem.

35 *Mandans Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet, tunc subditur Inquisitori, si mãdet, vt in actu confessionis sollicitet, alias secus.*

36 *Mulier sollicitans Confessarium, tunc Iudicio Inquisitionis subijcitur, cum pro medio assumit ipsam confessionem sacramentalem; aliàs secus.*

1 AD tituli quæstionis explicationem est adnot. quòd dubium esse potest de Sacerdotibus, qui non habent facultatem audiendi confessiones, vt quia approbati non sunt ab Ordinario, vel excommunicati, suspensi, aut interdicti, qui simulantes se esse Confessarios confessiones sacramentales audiunt, & confitentes sollicitant. Item dubium esse potest de Clericis, qui Sacerdotes non sunt, ac de laicis simulantibus vt supra se esse Confessarios, & sollicitantibus. Item difficultas quoq; est de interpetre, qui in sacramentali confessione confitentem sollicitauit: & de mandante Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet: & demum de pœnitente ad turpia, ac illicita Confessarium sollicitante, vel etiam Sacerdotes, qui Confessarij nõ sint, Clericos, & laicos, vt supra simulantes Sacerdotes Confessarios esse, & denique interpetrem, an hi omnes subijciantur pœnis per Pontificias Constitutiones statutis contra Confessarios sollicitantes; ita vt Inquisitoribus hæreticæ prauitatis veniant denunciandi.

2 In hac re affirmatiuam sententiam docere videtur *Portell. in addit. ad dubia Regul. ver. Sollicitare fœminas, n.* 14. dicens sub Põtificijs constitutionibus editis contra Confessarios in confessione sollicitantes mulieres, non comprehendi laicos, & Clericos occultè se ponentes in loco confessionibus deputato, & inter confessionem fœminæ, illam sollicitẽt: quoniam prædictæ Pontificiæ constitutiones editæ contra eiusmodi sollicitantes in confessione, videntur loqui de confessione sacramentali vera, reali, ac ordinaria: ergò sub pœnis in dictis Pontificijs constitutionibus statutis Confessarij tantùm comprehenduntur, & non alij, qui Confessarij non sunt. Hac eadem ratione idem *Portell.* ibi *sub n.* 13. inquit, Sacerdotem simplicem non habentem facultatem ab Ordinario audiendi confessiones, si de facto audiat, & in confessione fœminam sollicitet, fingens se talem facultatem habere, non esse denunciandum. In eandem opinionem videtur inclinare *Rodriq. to. 2. qq. Regular. q. 28. ar. 2. & in sum. to. 1. c. 83. n. 3.* dũ ait, non esse denunciandum Clericum, aut laicum, qui simulantes se Sacerdotes esse in confessione sollicitent fœminas, si eas non absoluant. Hanc eandem sententiam videtur sequi *Diana to. 1. tr. 4. resol. 22.* dicens, mandantem Confessario, vt pro se sollicitet in confessione pœnitentem non comprehendi sub dictis Pontificijs constitutionibus contra sollicitãtes editis: quia statutum puniens facientem non comprehendit mandantem. Idem dicendum putat de Interprete sollicitante pœnitentem in actu confessionis, vt probat *to. 4. tr. 5. resol. 9.* Et denique à dictis pœnis excludunt omninò pœnitẽtes, quæ in actu confessionis sollicitarent Confessarios, *Ricc. in praxi p. 3. resol. 67. n. 1. Sanc. in select. disp. 11. n. 24. Bonac. in tr. var. disp. 6. p. 3. n. 20. & Diana d. to. 1. tr. 4. resol. 23.* & non alia ratione, nisi quoniam Pontificiæ constitutiones loquuntur tantùm de Confessarijs: ergò sub eisdem non comprehenduntur, nisi soli Cõfessarij, & non alij. Et multò minus pœnitentes, & interpretes cum se teneant ex parte pœnitentium.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sentẽtiam arbitror de iure veriorem esse, atque ideò non tantùm Confessarios ad audiendas confessiones deputatos, pœnitentes ad turpia vt supra in confessione sollicitantes subijci Inquisitorũ hæreticæ prauitatis iudicio, ac esse denunciandos; sed etiam alias personas, quæ Confessarij non sint, in actu confessionis, aut prætextu confessionis, ad turpia sollicitantes, Pontificijs pœnis, & ipsorum Inquisitorum iurisdictioni subdi. Pro cuius rei explicatione est sciendum, quòd quamuis *sec. praeced.* nonnulla dixerimus de Confessarijs, an & quando incidant in pœnas Pontificias contra sollicitantes in confessione pœnitentes statutas; nihilominus, quoniã plura ad eandem materiam pertinentia, in hac *sec.* pro totius rei complemento reseruauimus explicanda, idcirco ad totius controuersiæ determinationem sit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 COnfessarij deputati ad audiendas Fidelium confessiones, pœnitentes in sacramentali confessione ad turpia sollicitantes subijciuntur Inquisitorum hæreticæ prauitatis iudicio, atq; ideò veniunt denunciandi, ac plectendi pœnis à Pontificijs constitutionibus statutis contra Confessarios sollicitantes. Hæc conclusio est communis, & patet tùm ex Piana, Paulina, ac Gregoriana constitutionibus supra sæpè relatis; tum ex ijs, quæ sup. cumulauimus *sec. praeced. concl.* 1.

5 Ampliatur primò hæc conclusio, vt locum sibi vendicet in Confessarijs ad turpia, vt supra sollicitantibus, siue pœnitentes masculi sint, siue fœminæ: siue turpia venerea sint, siue alterius generis peccata: siue sollicitatio immediatè, siuè paulò ante confessionem fiat, siue in actu cõfessionis, siue immediatè, vel paulò post confessionem: siue fiat occasione, vel prætextu confessionis, siue extra confessionem in confessionario: siue sollicitatio fiat expressè, siue tacitè: siue

bat ad turpia inter Confessarium, & pœnitenté perpetranda, siue cum alijs, vt in *d. sec praced.* late explicauimus, cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

6 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat, etiam si Confessarius sollicitando propter paruitatem materiæ leuem culpam committeret intra genus luxuriæ, vt quia brachium, aut pedem pœnitentis præmat, digitos intorqueat, & alia similia ex leuitate potius quàm ex malitia prouenientia agat: adhuc enim eiusmodi Cōfessarius Inquisitorum iudicio subditur, ac venit denunciandus, vt rectè docent *Sanc. in select. disp.* 11. *n.* 22. *Seraph. Freit. in addit. ad Acugn.* q. 7. *n.* 3. quos refert, & sequitur *Diana to.* 1. *tr.* 4. *resol.* 21. & *to.* 4. *tr.* 5. *resol.* 5. Etenim quamuis prædicti actus, & alij similes sint peccata venialia intra genus luxuriæ, dummodò absit finis mortalis, aut pollutionis periculum, vt habetur ex *Nauar. in Man. c.* 14. *n.* 31. *Sanch. de matr. lib.* 9. *disp.* 46. *n.* 16. & ex alijs relatis ab ipso *Diana d. resol.* 5. nihilominus si fiāt tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè ante, vel post, erunt peccata mortalia ob grauem iniuriam illatam Sacramento, vt inquit *Seraph. loc. cit.* Hæc sententia est probabilis; est tamen verum, quòd contraria sententia mihi nō

7 videtur omninò improbabilis, quam docent *Portell. in addit. ad dubia Regular. ver. Sollicitare fœminas, n.* 4. *Castrus Palaus to.* 1. *tr.* 4. *disp.* 9. *pun.* 3. *n.* 2. & 3. & *Sou. in aphoris. Inquis. lib.* 1. *c.* 33. *n.* 4. & *in tr. de Confessar. sollic. tr.* 1. *c.* 1. *n.* 7. existimantes, quòd vt sollicitans puniatur iuxtà hæc decreta, necesse est, vt actus sollicitationis sit peccatum mortale: quod negāt esse actus, de quibus agitur, quamuis in actu confessionis adhibeantur. Etenim re vera non potest assignari ratio, cur illi actus intra genus luxuriæ peccata venialia adhibiti in confessione efficiantur culpæ mortales: & mendacium ex suo genere mortale, si sit leue, & prolatum in confessione, sit culpa venialis, & nō lethalis, vt sup. ostendimus *to.* 1. §. 1. *disp.* 6. *sec.* 1. *concl.* 1. & 2. eo maximè quoniam in vtroq; casu videtur Sacramento non nisi leuem irreuerentiā inferri, nisi dicamus cum *Fagund. de pracep. Eccles. in nouissima editione pracep.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 52. & *alijs*, in peccato luxuriæ non dari paruitatem materiæ, atq; ideò illos actus intrà genus luxuriæ esse peccata mortalia, contra *Nauar.* & alios sup. relatos Doctores.

† Adde: huic sententiæ videtur assentiri propositio 40. Alexandri VII. Summi Pontificis, quę damnat illam opinionem, esse probabilem, quę dicit esse tantum peccatum veniale osculū habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus vlterioris, & pollutionis: quamobrē si ista propositio est iam damnata, pari modo est damnanda, imò damnata illa huic consimilis; imò magis prouocatoria ad actum venereū, scilicet præmendo bracchium, aut pedem pœnitentis, contorquendo digitos, & alia similia; & sic subiacere pęnis Pontificijs, vt supra; & sic vtraq; opinio, vt consimilis, imò omninò vna, ac eadem, vt damnata amittit omnem probabilitatem.

8 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt locum habeat in Confessarijs quoque, qui à pœnitentibus ad turpia in confessione sollicitati, sollicitationi consentiant, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccl. in* 2. *edit. precep.* 2. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 56. & 57. quem refert, & sequitur *Diana to.* 4. *tr.* 5. *resol.* 42. siquidem Gregoriana constitutio omnes illicitos, & inhonestos sermones, quos Cōfessarij cum pęnitentibus habuerint prohibet, & ipsos Confessarios denunciandos esse statuit.

9 Quam quidem ampliationem putat veram idē *Diana d. tr.* 5. *resol.* 4. etiam si Confessarius cōsentiens sollicitationi, statim desistat de turpi illa materia loqui, differendo illius complemētum ad aliud tempus, & non præbendo pœnitenti absolutionem: nam adhuc in Gregorianā incidit; siquidem vt Confessarius verè dicatur sollicitator, non est opus, vt absolutionem sacramentalem impendat, nec vt de rebus venereis longius cum pęnitente loquatur; sed sufficit sollicitationi pęnitentis acquiescere; quoniā ad sollicitationem consensus non adhibetur mēte; sed verbis, aut nutibus: ergò eo ipso quòd ita sollicitationi consensit, dicitur habere inhonestos sermones cum pęnitente; quod à Gregoriana prohibetur. Plus autem & minus non mutant speciem, *l. fin. ff. de fundo instr.* & *instr. legato, l. humilem, C. de incest. nupt.* & latiùs intrà dicemus *concl.* 3. *ampl.* 3. *vers. Et quas* [illegible]. Idem dicendum est si Confessarius statim postquam sollicitauit se pęnituit, quia iam intulit iniuriam Sacramento.

10 Quartò ampliatur, vt Confessarius pro prima sollicitatione punitus, & secunda vice in huiusmodi crimen incidens, sit denunciandus non solùm pro prima; sed etiam pro secunda sollicitatione: siquidē Inquisitores solent grauiores pęnas infligere recidiuis, vt habetur ex *Seraph. Freit. in addit. ad Acug. de Confessar. sollic. q.* 3. *n.* 34. quem refert, & sequitur *Diana to.* 4. *tr.* 5. *resol.* 21. cōtra *Sanc. in select. disp.* 11. *n.* 53. Non tamen est denunciandus Confessarius, qui pro sollicitatione abiurauit, & in sollicitationem iterum non fuerit lapsus, vt per *Sāc. loc. cit. n.* 52. *Peirin. de priuil. minim. to.* 2. *const.* 4. *Gregor. xv.* §. 9 *n.* 32. *Freitas d. q.* 3. *n.* 34. & *Diana to.* 1. *tr.* 4. *resol.* 26. contra *Bonac. tr. var. disp.* 6. *pun. prop.* 2. *n.* 15. Rationem autem hanc esse volunt, quòd multi putant, quòd quis non tenetur denunciare hæreticum emendatum: at eiusmodi Confessarius propter abiurationem censetur sufficienter emendatus. Quod an verū sit *lim.* 2. infra declarabimus.

11 Quintò ampliatur, vt Confessarius vt supra sollicitans subijciatur Inquisitorum iudicio, & & pęnis, atq; ideò sit quoq; denunciandus, etiā si mulier ante accusationem sollicitata nolit postea se accusare, vel etiam compunctus Confessarius ad alterum Confessarium eam remittat exaudiendam; dummodo sollicitatio fiat prætextu confessionis sacramentalis, ad quam natura sua illi præcedentes actus dirigantur, vt habetur ex *Graff. cons.* 1. *de cognat. spir. à n.* 25. quem refert *Acugna de Confessar. sollic. q.* 14. *n.* 8. quam sententiam approbat *Seraph. Freit. in addit. ad eum, n.* 15. *cum plur. seq.* in multis casibus; quorum primus est, vbi fęmina sub crucis signum velit peccata detegere, & à Confessario interrumpatur ad turpia sollicitante.

Se-

Secundus casus est, si filiam spiritualem ad genua procumbentem ante crucis signum Confessarius sollicitatione præoccupet. Tertius casus est accedens fęmina confessionis causa, à Confessario præueniatur, vt confessio in aliud tempus differatur, vt tunc eam sollicitet. Quartus casus est, vbi audiat confessionem alicuius, v.g. meretricis non animo impendendi absolutionem, vel cum effectu absolutionem ei deneget: & ad turpia eam sollicitet. Adde hic *Dian. to.4. tr.5. resol.30. & 39.*

12 Sextò ampliatur, vt Confessarius si statim post confessionem sollicitauit pœnitentem, & rem habuit cum ea non solùm subijciatur iudicio Dominorum Inquisitorum, & pęnis statutis per Pontificias constitutiones; sed etiam in foro conscientiæ teneatur eiusmodi circumstātiam confiteri: quoniam mutat speciem propter iniuriam, & irreuerentiam contra Sacramentum pęnitentiæ commissas, vt habetur ex *Petro de Ochagauia tr.2. de consess. Sacram. q. 14. n.14.* & *Diana to.4. tr.5. resol.34.* vbi tamen id limitāt cum tale peccatum committitur vnico die post confessionem, quoniam tunc dicūt, quòd non habet specialem deformitatem necessariò confitendam, tum quia non dicitur proximè ad confessionem; tum etiam quoniam volunt ex confessione non contrahi cognationem spiritualem perpetuò duraturam sicut oritur ex Baptismi Sacramento, vt habetur etiam ex *Ludouico de San Iuan in luce confess. q.5. de Sacram. pœnit. ar.2. difficul.5.* & *Hurtado de Sacram. pęnit. disp.9. difficul.4. §. quid, in fine.* Sed nos contrarium ostendimus supra *sec.2. vers. Ex dictis*, probantes inter Confessarium, & pęnitentem contrahi veram cognationem spiritualem; atq; ideò si copula inter eos interueniat, hæc cognationis circumstantia est in confessione aperienda quocumq; tempore fiat post auditam confessionem, vt ibidem diximus.

13 Sic ampliata limitatur primò dicta conclusio, vt Confessarius non subdatur Inquisitorum iudicio, nec sit denunciandus, qui dicente fęmina, se velle in crastinum confiteri, illam sollicitet, & confessionem dissuadeat. Etenim huiusmodi mulier non diceretur sollicitata proximè ante confessionem, cùm tūnc quando fit sollicitatio nolit fęmina confiteri; atq; ideò sollicitatio non est proxima conuentioni de illa agenda. Itā *Sanc. in select. disp.11. n.49* & *Castr. Palaus to.1. tr.4. disp.9. pun 8. n.4.* Quam tamen sententiam puto ueram quando non fiat sollicitatio in loco deputato ad confessiones audiēdas: aut si fiat in confessionario Confessarius non simulet confessionem audire: secus autem si simulet confessionem audire ad circumstantium maximè illusionem, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus *sec. præced. concl.1. limit. vnica.*

14 Limitabant secundò aliqui eandem conclusionem, vt locum non habeat secūdùm aliquos, vbi Confessarius apparet, & sit verè de sollicitationis scelere emendatus, maximè si per multos annos post sollicitationem laudabilem vitam duxerit: tunc enim non est denunciandus, vt habetur ex *Acug. de Confessar. sollic. q.3. n.15.* & in eum *Freit. n.34. Peirino de priuil. minim. to.2. constit.4. Gregor. xv. §.9. n.31. Castro Palao tr.4. disp.9. pun.10. n.1. Sousa de Confess. sollic. tr.2. c.6. concl.4. n.16. Lenza in sum. qq. Regular. c.19. n.34.* & *Sanc. in select. disp.11. n.15.* vbi addit, quòd si plures sint anni elapsi post factam sollicitationem, & credatur verisimiliter emendatum iam esse Confessarium, non erit denunciandus: siquidem id pia conditio pati videtur, vt post longum tempus commissi sceleris non deferatur delinquens ad punitionis tribunal; sed præsumatur emendatus, qui quidem trium annorum spatio præsumitur secun-

15 dum communem Doctorum sententiam; quam à fortiori docerent Doctores, qui volunt, hæreticum emendatum non esse denunciandum, vt colligitur ex *D. Th. 2.2 q.33. ar.7. Soto de Iust. & iure lib.5. q.5. ar.1. & ex alijs.* Hanc eandem sententiā docet idē *Sot. loc. cit. ar.5. Genuen. in praxi Episc. c.18. n.6. Molfes. p.1. sua sum. tr.7. c.24. n.21 Nald. in sum. ver. Accusare, n.1. Victorel. in addit. ad Nauar. in Man. cap.25. n.33. Finel. tr. de casib. reseru. casu 2. n.8. in fine, Zanerd. in director. confessor. p.3. c.31. Megal. 1. p. Inst. Pereg. lib.1. c.5. n.26. & Portel. in Addit. ad dub. Regul. ver. Sollicitare fœminas, n. 18.* Mouentur ex eo, quod finis denunciationis est emendatio proximi; cùm autem fęmina sollicitata intelligit moraliter Confessarium esse emendatum, cessat obligatio denunciandi. Potest autem mulier sollicitata moraliter credere, Confessarium esse emēdatum, si eadem sollicitata ter, vel quater ad ipsum accedens non iterum in eo libidinosum animum, & libidinis signa reperiat, vt habetur ex *Sousa loc. cit.* quem refert *Diana to.4. tr.5. resol.23. in fine.* Item Confessarius potest præsumi emendatus si post

16 sollicitationem consequutus fuerit iubilæum, vt per *Genuen. in praxi c.18. n.6.* Item præsumitur emendatus si per triennium benè vixerit, iuxtà ea, quæ habentur ex *Ricc. p.2. decis.159. n.14. Seraph. Freit. in addit. ad Acugn. de Cōfessar. sollic. q.8. n.32. & Homob. de exam. Eccl. p.1. tr.7. c.7. q.33.* Alij verò totum hoc negotiū remittunt arbitrio boni viri, qui considerata qualitate personarum, hic, & nunc prudenter poterit iudicium ferre, vt de hæreticorum emēdatione iudicandum esse docet *Seraph. Freit. d. loco, q.18. n.39.* quem refert *Diana to.1. tr.4. de denunc. reso.3.* Est tamen verum, quòd hanc sententiam limitat *Fagund. de precep. Eccl. precep.2. lib.6. c.4. n.17.* quoad hæreticum formalem; quoniam semper dubitare possumus, an re vera sit emendatus: & *Genuen. d. c.18. n.6.* & alij comprobant dictam limitationem quoad hæreticum, qui dogmatizando nocuisset Reip. nam in tali casu putant esse denunciandum. Et hanc opinionem sequitur quoq; *Molfes. p.1. sua sum. tr.7. cap.24. n.21.* quem refert, & sequitur *Diana d. tr.4. resol.3.*

† Adde: hæc sententia tū quoad sollicitantes, tùm quoad hæreticos est omninò damnata ab Alex. VII. Pont. Max. Siquidem de hæreticis semper dubitari potest, quod sint emendati: quoniam sunt valdè vafri, & subdoli: & experientia docet, vt conceptam hæresim retinere nequeant, quin alios doceāt. Etsi nō defuere, qui velint nō solùm hæreticos, sed etiam Confessarios in confessione sollicitantes pęnitentes quantumuis emendatos esse denunciandos, vt habetur ex *Sanc. in select. disp.11. n.52. Bonac. tract. var. disp.*

si titulares tantum sint, iuxtà ea, quæ habentur ex *Molina to.6.de iust. & iur.tr.5.disp.28. n.19.& Acug.deConfessar.sollic.q.12.n.7.* Imò si tantùm electi sint, & approbati à S.P. quamuis non sint consecrati, quoniam iam iurisdictionem habent, *c.transmissam de elect. Molina loco citato, & Seraph. Freyt. in addit. ad Acug.d.q.12. n.31.* Et de alijs Prælatis Episcopis Superioribus est, *tex. in c. Inquisitores de hæret.in 6.* ac de Nuncijs, & alijs Officialibus Sedis Apostolicæ extat extrauag. *Cum Matthæus eod. tit.* Quoniam respondetur, quòd licèt Inquisitores hæreticę prauitatis non possint huiusmodi Prælatos punire; possunt tamen dicta testium excipere, & seruare, A. S. denunciandа, vt in *d.c.Inquisitores, Villadiego de hæret. prauit.q.7.n.15. Siman. de Cathol. inst. c. 25.nu.8.& in praxi hæreseos,c.8.n.2.Molina vbi supra, Farinac.de hæresi,qu.186.n.116.& Acug.d.q.12.n.9.* vbi etiam *nu. 10. addit.* posse Inquisitores Episcopos tenere, ac carcerare si

24 horum fuga timeatur, donec eorum delicta ad S. A. deferantur, vt docet etiam *Villadiego loco citato;* quamuis parcissimè debeant ea facultate vti, cùm generaliter eis interdicatur processio in Episcopos, per *Conc. Trid. d. c.5.* Imò refert *Pegna* inter Apostolicas litteras, fol. 128.3.p. *Dir.com.76* extare extrauag. Pij IV. æditam sub anno 1563. qua statuitur, vt Eminentissimi Cardinales in tota Christiana Repub. generales Inquisitores, in Episcopos animaduertere possent, & in alios quoslibet Prælatos, de quibus ibi, eosque moneant, citent, requirant, vt infra certum terminum personaliter compareant, sub pœnis in d.extrauag. contentis: Et cũ processus cõpilatus fuerit S. D. N. referatur, vt debita, ac iusta sententia contra tales promulgetur. Hanc eandem extrauag. refert *Emanuel Rodriq.to.2. Regular.qq.q.1.ar.1.ad fin.& Farin.de hæresi,q.186.n.123.*

TERTIA CONCLVSIO.

25 Sacerdotes non approbati ab Ordinario, atque ideò non deputati ad audiendas confessiones, si audientes eas, & fingentes habere facultatem excipiendi confessiones; pœnitentes sollicitent, subduntur iudicio Inquisitorum hæreticæ prauitatis, Pontificijs pœnis, & veniunt denunciandi. Hæc conclusio est *Acugn. deConfessar.sollic qu.14.n.4. Ioan.Sanc. in select. disp.11.nu.39.& Diana to.1. tr.4. de denunc. resol.17.& to 4.tr 5. de Confessar.sollic. resol. 8.* qui pro hac conclusione adducit etiam *Castr.Palaum tr.4 disp.9 pun.9 nu.1.* Et ex eis aliqui eam ampliant, etiam si mala fides Confessarij, & pœnitentis interueniat, vt quia vterque cognoscit, confessionem inualidam esse: Et procedere non solùm attenta dispositione Gregorianę constitutionis contra sollicitantes editæ; sed etiam attentis alijs antiquis Pontificum Bullis, ac Decretis. Rationem autem hanc esse volunt, præsertim *Castr.Palaus loco citato;* quia Sacerdos quamuis iurisdictione careat, absolutè dicitur Confessarius, cùm ordinis potestatem habeat, & à peccatis venialibus, & mortalibus aliàs confessis possit absoluere; & ab omnibus in articulo mortis. Vndè ex hoc patet responsio ad rationem *Portelli*, & aliorũ, quos pro contraria sententia supra retulimus: & re vera si aliter esset dicendum quilibet Sacerdos simplex sub hoc colore posset eludere decreta Inquisitorum, & constitutiones Pontificum.

† Adde: quod idem docet *Pater Quartus de casibus reseru.sect.1.c.1. difficult. 6.* qui tamen quoad reseruationem factam ab Episcopo ait non eos ligari, nisi Confessarios approbatos ad confessiones audiendas, vt patet ex verbis, quibus fit reseruatio.

26 Ampliatur hæc conclusio, vt quæ diximus de Sacerdote simplici non habente facultatem audiendi confessiones ab Ordinario, vera sint, & locum sibi vendicent in Sacerdotibus, qui eiusmodi facultatem non habent, eo quod excommunicati sint, denunciati, aut publici Clericorum percussores, suspensi, aut degradati, & confessiones audientes confitentes ad turpia sollicitant, vt habetur ex *Acugn. loc. cit.q.14. n.4.cum plur.seq.* quem sequitur *Seraph Freyt. in addit.ad ipsum Acugn.* ibi, *n.13.* qui dicit hanc sententiam esse verissimam, vbi pœnitens bona fide eis confiteatur credens iurisdictionẽ habere: & id non tam ob fraudem, qua vtitur Confessarius in decipiendo pœnitentem; sed quoniam tenetur hoc casu ad sigillum confessionis, vt habetur ex *Henriq. cum communi, lib.6.de pœnis.c.21.§ 4.* & quia valida est confessio, si obtenta iurisdictione absoluat, iuxtà ea, quæ habentur ex *Soto in 4. d.18. q.4. ar.5.* Et in omnem euentum hi non poterunt effugere dispositionem Gregorianæ, in qua excommunicantur omnes Sacerdotes sollicitantes, vt supra ostendimus *concl.præced.* at Sacerdotes excommunicati, depositi, suspensi, &c. & qui non habent facultatem absoluendi, ac audiendi confessiones non desinunt esse Sacerdotes.

QVARTA CONCLVSIO.

27 Laicus, vel Clericus occultè se ponens in loco confessionibus deputato, & simulans Sacerdotem esse ibi fœminam ad turpia sollicitet, licet non comprehendatur sub Pontificijs constitutionibus contra sollicitantes; si tamen absolutionem impendat, incidit in dispositionem constitutionis Gregor. XIII. editæ contra non Præsbyteros audientes confessiones, & absolutionem confitentibus impendentes, atque ideò iudicio Inquisitorum subijcitur, & venit denunciandus. Hæc conclusio est *Rodriq.tom. 2.qq.Regular.q.28.ar.2. & in sum.p.2. c.83.n. 5.* & aliorum, quos refert, & sequitur *P. Diana to.1.tr.4.resol.15.& 16.* Prima pars conclusionis patet, quoniam tam constitutiones antiquæ, quàm nouissima Gregor. XV. latæ contra sollicitantes imponunt pœnas Sacerdotibus sollicitantibus: ergo non videntur comprehendere Laicos, vel Clericos, qui Sacerdotes non sint: quoniam regulariter in pœnalibus non fit extensio de persona ad personam, vt sæpè diximus. Vndè ob id antè Gregorianam Gregor. XV. non nulli Doctores existimarunt, Confessarios sollicitantes in confessione pueros non comprehendi sub constit. Pij IV. Pauli V. & alijs æditis ante d.constitutionem Gregor. XV. Secunda pars conclusionis probatur per supra re-

relatam constitutionem Gregor XIII. relatam à *Rodriq loco citato*, per quam datur facultas Inquisitoribus hæreticæ prauitatis procedendi contra non Præsbyteros excipientes fidelium confessiones, & absoluentes. Vndè ipse *Rodriq.* quem sequitur *Diana d. resol 16.* putat, Clericos, & Laicos prædictos excipientes confessiones, & confitentes sollicitantes, & non absoluentes non subijci Inquisitorum iudicio; sed ab Ordinario esse puniendos: si verò absolutionem impendant, ab ipsis Inquisitoribus.

28 Ego autem arbitror, quod in vtroque casu, etiam si absolutionem non impendant, huiusmodi Laicos, & Clericos, qui Sacerdotes non sunt, & confessiones audiunt, & confitentes sollicitant, quamuis non comprehendantur sub Pontificijs constitutionibus contra Sacerdotes in confessione sollicitantes confitentes editis; non tamen iudicium Inquisitorum effugere, quin debitas pœnas, non exoluant: Siquidem ob simulatum Sacerdotium veluti de hæresi suspecti subduntur Inquisitoribus. Vndè *Acug. de Confessar. follic. q 13. n. 10.* testatur Commbricæ in publico illo, & solemni fidei actu, anno 1610. vidisse, quendam de leui abiurare, qui ad Diaconatum tantùm promotus, præsbiteratum exercebat, iuxtà ea, quæ habentur in *c. 2. de Cler. nō ordin. ministr.* Et Gregor. XIII. eiusmodi crimen audiendi confessiones ab eo, qui Sacerdos non est, tanquam hæresim sapiēs, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis subiecit puniendum, vt suprà diximus, cuius constitutionem de verbo ad verbum refert, *Acugn. loc. cit. n. 17.* Et iam antea statutum fuerat à Paulo IV. nostrę Religionis fundatore, ac Papa Sanctissimo, ac doctissimo per specialem constitutionem, inito Inquisitorum Concilio, quam seruari iussit Clem. VIII. anno 1601. de quo *Quaran. in sum. Bull. ver. Ordo, & Farinac. de hæresi, q 193. n. 39.* & latè *Seraphin. Freyt. in addit. ad ipsum Acugn. d. q. 13 n. 29 cum plur. seq. qui n. 31.* ad hoc vt Laici, & Clerici prædicti confessiones audientes efficiantur de Inquisitorum iurisdictione non exigit, vt absolutionem impendant; quia illa dictio, & in d. constitutione Gregorij XIII. contenta vult poni alternatiuè, non autem coniunctiuè, sic ut sæpè in iure ponitur, vt in *c. 2. de homic.* & propterea ad incurrēdas pœnas in d. constitutione contentas, satis est si confessiones audiat, vel absoluat. Vndè si præfati Laici, & Clerici, qui Sacerdotes non sunt, confessiones audientes, etiam si non absoluant, hæresis suspicionē contrahunt; multò magis eam contrahent, si audientes confessiones mulierum, eas ad turpia sollicitent. Etenim Inquisitores non solùm cognoscunt de hæresi, sed de quolibet alio crimine, quod præbet suspicionem hæresis, vt in *c. accusatus de hæretic. lib. 6. Param. de origine Inquisitorum, qu. 10 n. 97. & alij.*

29 (marginal)

30 Ampliatur hæc conclusio, vt idem dicendū sit de Laico interprete sollicitante in confessione mulierem, cuius est interpres: is enim quamuis non subijciatur Pontificijs constitutionibus contra sollicitantes editis, cùm non sit Sacerdos, nec Confessarius, nec se teneat ex parte Confessarij, sed potius ex parte pœnitentis, vt docent *Ioan. Sanc. in select. disp. 11. n. 10. & 37. Castr. Palaus tr. 4 disp. 9 pun. 9. n 6. Sousa in Aphoris. Inquis. lib. 1. c. 34. n. 14. & de Confess. sollic. tr. 1. c. 10 n. 3 Fagund. de precep. Eccl. in nouissima editione, precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 78.* & nouissimè *P. Diana to. 4. tr. 5 resol. 9.* qui id ampliat etiam si interpres sit Sacerdos, per rationem supra relatam, nempè quòd se teneat ex parte pœnitentis; nihilominus negari non potest, quin talis Interpres abutatur Sacramento pœnitentiæ, & grauem iniuriam illi inferat; atque ideò cùm contrahat hæresis suspicionem iudicio subditur Inquisitorum, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus. Eò magis, quoniam Interpres licèt Laicus participat aliquid de actu clauis, vt habetur ex *D. Th. in addit. ad 3. p q. 11. ar. 3. in corp Suar. de pœnit. disput. 33. sec. 5. n. 4.* Vndè *Seraph Freyt. in addit. ad Acugn. de Confessar sollic. qu. 15. n 27.* inquit, quòd Interpres sub nomine Sacerdotis cōprehenditur, siue extensiuè, siue per participationem. Et quamuis Innoc. III. in nostro *cap.* solū Sacerdotem ad sigilli vinculum declarauerit astrictum; attamen omnes Doctores communiter docent, Interpretem teneri ad sigillum non minus, quàm Sacerdos tenetur, vt habetur ex *Nauar. in Man. c 8 n. 7. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 19. §. 9. in addit. litt. F.* Siquidem de actu clauis participans, participat etiam sigilli rationem, vt habetur ex eodem *D. Th. in 4. d. 21. q. 3. ar. 4. ad 3.* Ex quibus patet præfatum interpretem in omnem euentum esse Inquisitoribus denunciandum, tanquam suspectum de hæresi, propter abusum Sacramenti, maximè si illud assumat, vt medium ad peccandum. Etenim Inquisitores non solùm de hæreticis cognoscunt, sed etiam de suspectis de hæresi, vt supra diximus.

31 Secundò ampliatur, vt conclusionis huius dispositio extendatur quoque in mandantem Confessario, vt pro se pœnitentem sollicitet: atque ideò licèt eiusmodi mandans non comprehendatur sub Pontificijs constitutionibus editis contra Sacerdotes sollicitantes; nihilominus si mandans mandauerit Confessario, vt in confessione pro se sollicitet pœnitentem, non effugiet Inquisitorum iudicium. Etenim quamuis pœna statuta contra agentes, non includat mādantes, licèt mandans dicatur moraliter facere, vt in *l 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi arm.* & de hac re latè egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 1. qu. 48. n. 17.* atque ideò mandans sollicitare, vt supra, non includatur sub constitutionibus Pontificijs, contra Sacerdotes sollicitantes in confessione pœnitentes, latis; vt habetur ex *P. Diana to. 1 tract. 4. de denunc. resol. 22.* nihilominus negari non potest, quin talis mandans dicatur abuti Sacramento pœnitentiæ, & grauem illi inferat iniuriam: & propterea hæresis suspicionem cùm contrahat, eius criminis cognitio ad Inquisitores ipsos pertinet, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus.

32 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt ea, quæ diximus de Laicis, Clericis, Interpetre, ac mandante extendantur quoque ad pœnitentem sollicitantem ad turpia confessarium in actu confessionis, ante vel post, & in alijs casibus supra relatis. Etenim quamuis non compre-

hen-

hendatur sub Pontificijs constitutionibus contra sollicitãtes editis, cùm de Sacerdotibus sollicitantibus dumtaxat loquantur, & cùm sint pœnales non patiantur extensionem, vt contra *Belloth. de casib. reseru. p. 2. q. 9. n. 51. & Param. de Orig. Inquis. lib. 3. q. 10. in fine*, docent *Ricc. in praxi, p. 3. resol. 67. n. 1. Sanctarel. in select. disp. 11. n. 24. Bonac. in tract. var. disp. 6. pun. 3. n. 20. Diana to. 1. tr. 4. resol. 23. & to. 4. tr. 5. resol. 42.* & eo magis, quia constitutiones Pontificiæ in Confessarios diriguntur ad illorum audaciam, & iniquitatem comprimendam, cùm eiusmodi scelus in fœminis raró contingere soleat, & lex adaptetur ad ea, quæ frequentius accidunt, *l. nam ad ea, ff. de legib.* Nihilominus si pœnitens sollicitãs Confessarium pro medio assumat sacramentalem confessionẽ ad eũ alliciẽdum, proculdubio eandem de hæresi contrahit suspicionem, quam contraheret Confessarius, qui pœnitentem sollicitaret: quod apertè colligitur ex Constitutionibus Pij IV. & Pauli V. in illis verbis, *Nos in animum ducere nequeuntes, quòd qui de fide catholica rectè sentiunt Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur.* At omnia crimina de hæresi, vel hæresis suspicionem præbentia, ad Inquisitorum iurisdictionẽ pertinent, vt sup. ostendimus ex *tex. in c. accusatus, in princ. de haret. in 6. Paramo de Orig. Inquis. q. 10. n. 97.* Vndè quamuis in Bullis Põtificijs non fiat mentio de confitentibus ad turpia in confessione sollicitantibus Confessarios; nihilominus Confessarij sollicitati tenẽtur mulieres, & confitentes eos vt sup. sollicitantes denunciare: siquidem vnusquisq; de iure naturali, ac Diuino sub lethali culpa tenetur reuelare crimina, quæ vergunt in damnum publicum, qualia sunt non tantùm hæreses, sed etiam, quæ suspicionem vehementem tribuunt hæresis, vt inferius, Deo duce, agemus de denunciatione tractantes. Nec obstat si dicatur, quòd Confessarius denunciando pœnitentem ipsum in confessione sollicitantem, exponatur periculo reuelandi confessionem, quoniam sollicitatio non pertinet ad sigillum confessionis, cùm mulier non confiteatur peccatum, sed incitet Confessarium ad peccandum: & non dicitur accedere ad Sacramentum pœnitentiæ; sed fictè accedit ad Sacramentum, & eo vtitur ad alliciendum ad turpia ipsum Confessarium. Quæ diximus extendimus etiam si Confessarius sollicitationi consentit, vt sup. ostendimus *concl. 1. ampl. 3.*

33 Et quamuis *Rodor. de Acug. de Confessar. sollic. q. 11. n. 11.* distinguat in hac re, quod aut mulier, quæ Confessarium prius sollicitauit, eandem libidinosi animi significationem semper retinuit: aut interruperit, manseritq; solùm turpibus actibus peragẽdis habitualiter disposita: nam priori modo licèt postea sollicitetur à Confessario putat, eiusmodi scelus non spectare ad Inquisitores; secùs autem secundo modo: nihilominus *Seraph. Freyt. in addit. ad ipsum Acug. d. q. 11. n. 18. cum plur seq.* in vtroq; casu probat talis Confessarij punitionem pertinere ad Inquisitores: siquidem in vtroq; casu grauiter offenditur puritas Sacramenti, & tam mulier sollicitans Confessarium, quàm Confessarius sollicitatus posteà sollicitans redduntur de hæresi suspecti. Imò Confessarius citrà propriã sollicitationem, si ad solam sollicitationem mulieris veniat ad copulam cum ea, non ob id excusatur, quin ab Inquisitoribus puniatur: cùm ipse sui officij, ac status memor id non admittere debebat; sed vafram illam mulierem in confessione, seu sub confessionis prætextu ad turpia allicientem reijcere; insistentem verò deserere, & aufugere; vndè cũ id non egerit cooperari, atq; ideò agere potius dicitur, quàm pati, nisi ob metum, aut ad euitandam infamiã consenserit, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus *concl. 1. limit. 3.*

34 Sic ampliata limitatur primò hæc conclusio, vt licèt laicus, vel Clericus occultè se ponens in loco confessionis, & sollicitet confitentem subdatur Inquisitorum iudicio; nihilominus si Laicus, vel Clericus necessitatis tempore audiat confessionem alicuius mulieris, eidemq; absolutionem impendat verbis deprecatiuis, & sollicitet eam, non subijcitur Inquisitorum iudicio; siquidem non incidit in Bullam Gregor. XIII. latam contra laicos audientes confessiones, & simulantes se Sacerdotes esse, de quibus sup. diximus; nihilominus laicus, vel Clericus, qui necessitatis tempore, nempè naufragij, incendij, vel ruinæ audiuit confessionem mulieris, & immediatè post completam confessionẽ, & post impensam absolutionem deprecatoriã, cessante periculo incendij, ruinæ, aut naufragij, mulierem ipsam sollicitet, non subijcitur iurisdictioni Inquisitorum: eandem non absoluit sacramentaliter, atq; ideò non fuit abusus Sacramento pœnitentiæ, nec Sacerdotem se esse simulauit audiens, & excipiens eiusmodi confessionem, nec vllam iniuriam intulit ipsi Sacramento: & propterea eo casu non contraxit suspicionem hæresis. Et quamuis *tex. in c. quem pœnitet, de pœnit. d. 1.* dicat, pœnitentem in articulo mortis constitutum posse sua peccata laico confiteri, & *in c. sanctum est, de consecr. d. 4.* referatur quendam naufragũ in articulo mortis per laicum reconciliatum; nihilominus estò quod laico fieri possit peccatorum confessio, & ob ruborem pœnitentis fructum afferat ex opere operantis; non tamen illa confessio est sacramentalis: nec laicus confessum absoluere potest sacramentaliter, cùm non habeat clauium potestatem, vt latè ostendimus in nostris *Commẽtar. in Bulla Cœna, lib. 3. §. 2. q. 5.* Tenetur tamẽ eiusmodi laicus confessionem excipiens peccata sub sigillo secreti sub mortali retinere, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 8. n. 7. & c. 18. n. 51. Tolet. lib. 3. sua sum. c. 16. n. 3. ad fin. & Suar. de pœnit. disp. 33. sec. 2. n. 3. & sec. 4. n. 4.*

† Adde ad vberiorem doctrinam id quod ait idem *Pater Quartus, cit. difficul. 6.* nẽpè quoad denunciationem faciẽdam ex vi Bullæ Greg. XV. sub ea comprehendi etiam simplices Sacerdotes, vt constat ex verbis Bullæ; vt docet *Lezana sum. verb. Denunciatio n. 6.* citans *Acugnam, Sanctarellum, Trimarcum*, & alios, vt notat etiam *Diana p. 1. tract. 4. res. 15.* Sed neq; laici, neq; Clerici nondum promoti ad Sacerdotium comprehenduntur nomine personarum, quę denunciari debent ob sollicitationem factam in confessione, vt clarè patet in Bullis Pontificijs hac de re editis; quia hic casus difficiliter contingere possit, vt non Sa-

cerdos fingat se esse Confessarium, & sollicitet aliquẽ in confessione: noluerunt Summi Pontifices, eum comprehendere sub hac lege. Vidè *Lezanam, & Dianam, & alios sup. cit.* Sicuti non incidit in casum reseruatum Episcopalẽ Confessarius simulãdo se excipere confessionem, quam sollicitat, quia hoc non exprimitur, cùm dicat solùm in actu verę confessionis, vel immediatè post. Benè verum, est denunciandus ex vi Bullæ Pontificiæ, in qua id clarè exprimitur; de eo, qui simulat confessiones audire. Sed non est denunciandus is, qui manet in confessionario non simulando confessionem, ità *Lezana cum alijs*.

55 Secundò, limitatur hæc eadem conclusio, quoad secundam ampliationem, vt ità demum mandans Confessario, vt pro se sollicitet eius pœnitentem subdatur iudicio Inquisitorum, quando sollicitationem mandat fieri in confessione, vel occasione confessionis; Secus autem si pœnitentem simpliciter mandet pro se sollicitare, & Confessarius eam sollicitet in confessione: nam tunc non subderetur iurisdictioni Inquisitoris; eo quòd nullam hæresis suspicionem diceretur contrahere: nam licèt Confessarius suspicionem ipsam contrahat vehementem, cùm Sacramento pœnitentiæ fuerit abusus, & grauem illi iniuriam inferat, assumendo illud, vt medium ad eiusmodi scelus committendum; mandans tamen tanti sceleris non potest dici particeps, sed simplicis tantùm lenocinij, & ideò cùm non contrahat suspicionem hæresis, non subditur Inquisitoris iudicio: quod tamen verùm puto, nisi mandans certò sciret, Confessarium sollicitaturam in confessione, aut occasione, seù prætextù confessionis, nec aliter fieri posse; quoniam tunc mandans tacitè consentire dicitur, ac mandare tantum nefas, & ità hæresis præsumptionem contrahere, & Inquisitorum iudicio subditur; siquidem taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cum quid, ff. si cert. petat.*

56 Tertiò, limitatur ipsa conclusio, quoad tertiam ampliationem, vt tũc vera sit, quando mulier sollicitans Confessarium in confessione Sacramentali, pro medio assumat ipsam Sacramentalem confessionem ad alliciendum Confessarium; quoniam tunc contrahit suspicionem hæresis: Secus autem si Sacramentum ipsum non assumat, vt medium, vt supra ad alliciendum Confessarium, cùm supponatur eam paratam illum sollicitare in quolibet alio loco, ità vt sollicitatio illa facta in confessione fuerit habita accidentalitèr non considerando, nec abusum, nec iniuriam tanti Sacramenti: tunc enim fortè talis mulier veniret coercenda ab Ordinario, non autem ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, iuxtà ea, quæ habentur ex *Acugn. de confess. sollic. q. 9.* Sed circa rem hanc aliorum iudicio me submitto: nam quod eo etiam casu sit denuncianda, videtur probabile; quoniam negari non potest, quin re ipsa magnam iniuriam inferat Sacramento; atque ideò quoad forum exterius saltem hæresis contrahat præsumptionem.

An pœnitens si ad turpia per Confessarium in confessione sollicitetur, teneatur in conscientia sub lethali culpa Inquisitoribus, aut Ordinario eum denuuciare. SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Per pœnitentem intelligitur, tam femina, quam masculus. Et quid per confessionem intelligatur. Et an sollicitatus ad turpia teneatur sub mortali denunciare sollicitantẽ.*

2 *Singulis annis per Inquisitores feruntur edicta, vt denuncientur nonnulla crimina, & signanter crimen hæresis, vel quod eius prabeat suspicionem.*

Estq; Decretum Sacræ Vniuersalis Inquisitionis de propalandis suspectis de hæresi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

3 *Obligatio denunciandi sollicitantes est iuris naturalis, ac diuini, & n. 16.*

4 *Sollicitati ad turpia à Confessarijs eos denũciare tenentur, siuè ad peccata venerea sollicitati sint, siuè ad peccata alterius generis.*

5 *Non solùm ad turpia sollicitati sollicitantem denunciare tenentur, sed quilibet alius, qui feminam, vel puerum audierit sollicitatum.*

6 *In Sancto Officio contra Reos admittuntur Testes etiam inhabiles, vt excommunicati, criminosi, infames, & periuri.*

7 *Sententia Homoboni, asserentis, non teneri ad denunciandum, qui sollicitantem audiuit à non fide dignis, & solum teneri denunciare feminam sollicitatam, non admittitur à P. Dian.*

8 *Sollicitati ad turpia per Confessariũ in confessione, vel alterius Sacramenti administrationem illum denunciare tenentur, etiam si crimen probare non possint.*

9 *Quamuis denunciator de iure suam denunciationem probare tenebatur, contrarium tamen seruatur de Consuetudine.*

10 *Fœmina sollicitata, sollicitationem non probans, in crimen non incidit talionis.*

11 *Sollicitati ad turpia tenentur denunciare sollicitantem intra terminum, in Inquisitorum edicto præfixum, vel cum primum poterint.*

12 *Aliquando fœmina sollicitata Confessarium sollicitantem denunciare tenetur etiam ante impletum terminum publicationis edicti Inquisitorum.*

13 *Sollicitati ad turpia, adeò denunciare obligantur sollicitantem, vt nequeant absolui à secundo Confessario, nisi prius denuncient.*

14 *Pœnitens illa, quæ firmiter promittit se denunciaturam, absoluenda est, si adsit causa differendi denunciationem.*

15 *Fœmina in excommunicationem incursa ex eo, quod non denunciauit Confessarium ipsam sollicitantem, an absolui possit vi Bulla Cruciata.*

16 *Licet feminę sollicitatę, & quilibet alij, qui sollicitationem sciunt absolui nequeunt, nulla*

la praeuia denunciatione; Ipse tamen Confessarius qui sollicitauit denunciare se non tenetur.

17 *Mulier sollicitata ad turpia per Confessariũ, denunciare tenetur, quamuis ipsa sollicitationi consenserit.*

18 *Non tamen tenetur proprium consensum manifestare, nec poterit super id ab Inquisitore, vel Episcopo interrogari.*

19 *Adducitur tenor litterarum Card. Mellini ad Card. Carafam Archiepiscopum Neapolitanum rescriptarum.*

20 *Multò magis facienda est complicum denunciatio in crimine haeresis formalis.*

21 *Confessarius, cui sollicitatae aperuerint, sollicitationem ab alio Confessario esse factam, admonere eas tenetur, vt denuncient.*

Quod si admonitionem praetermiserit, vel non teneri denunciare, docuerit, pro modo culpae punietur.

22 *Quamuis determinatio illa Sacr. Congregationis sub die 15. Decembris 1613. localis sit obligans tantum Romae; tamen Gregoriana Constitutio est Vniuersalis, alligans omnes quorumcumque locorum.*

23 *Seclusis praefatis determinationibus, ac Gregoriana Constitutione, adhuc sub lethali culpa tenentur Confessarij, monere poenitentes sollicitatas, easque docere, teneri Confessarios sollicitantes Sancto Officio denũciare.*

24 *Iure naturali, & diuino tenentur Confessarij hanc monitionem facere, nec eos absoluere, donec delictum Sancto Officio denuncient. Nec potest sollicitata ab excommunicatione dissolui, quam forte contraxit ob non factam denunciationem vigore cuiuscumque Iubilei, aut Bullae Cruciatae.*

25 *Ratio assignatur, quarè poenitentes sollicitatae absolui nequeant, nisi praemissa denunciatione.*

26 *Penitens sollicitatus ad turpia, Confessarium sollicitantem denunciare non tenetur, nec potest per aliũ Confessariũ ad id cõpelli, si nouerit, ipsũ esse emẽdatũ, et n. 29. sed tene n. 30.*

27 *Non desunt, qui hanc eandem sententiam ad haereticum extendunt formalẽ, vt denunciari non debeat, si sit emendatus.*

28 *Haereticus dogmatizans, qui priuatim homines à fide auertit, est denunciandus, nulla praeuia correctione.*

29 *Solo iure naturae, & diuino excusatur à denũciatione Confessarij, quem scit esse emendatum mulier sollicitata, sed non stantibus Inquisitorum edictis, quae simpliciter praecipiũt denunciationem absque correctione, praesertim in haeresi formali, sed tene n. 30. & 31.*

30 *Regulariter loquendo sollicitationis crimen, quantumuis occultum omninò denunciandum est, praetermissa secreta admonitione.*

31 *Certum est haereticum esse denunciandum citra monitionem.*

32 *Poenitens sollicitata excusatur à denunciando Confessarium sollicitantem, si ex denunciatione probabiliter timeat aliquod notabile damnum in fama, sed tene n. 37.*

33 *Mulier sollicitata à Confessario, siuè Monialis sit, siuè Secularis, si Inquisitorem adire nequit, satisfaciet, si denunciet per Epistolam ad eum Missam, &c.*

34 *Metus infamiae non cadit in constantem virum. Sed distinguitur Metus de facto à Metu iuris.*

35 *Non obstante metu infamiae mulier sollicitata denunciare tenetur Confessarium sollicitantem.*

36 *Confessarius qui posteà Mulieris sollicitatae confessionem exceperit non debet ad sui libitum confessionem excipere, si illa sollicitationi consenserit sed debet prius Episcopum consulere, vel Inquisitorem.*

An Creditor Magnae quantitatis teneatur debitorem suum haereticum denunciare, si timeat, difficultatem habere recuperandi debitum à fisco.

37 *Mulier sollicitata, haud compelli potest ad denunciandum Sacerdotem, à quo fuit in cõfessione sollicitata, si certè scit illum fuisse ab alio denunciatum.*

38 *Poenitens non tenetur, nec compelli potest ad denunciandum Confessarium, quem scit fuisse sollicitatum à Muliere, & sollicitationi consensisse. Vbi vide etiam additionẽ.*

39 *Sollicitata ad turpia per Confessarium, an illum denunciare teneatur si certo sciat, eum benè sentire de Sacramentis, eamque sollicitasse stimulis tantùm libidinis compulsum.*

40 *Puer sollicitatus ad turpia in confessione, vel etiam foemina sollicitata, extrà Confess. in Gregoriana Constitutione non includitur, sed vide add. praecipuam.*

41 *An praefata Constitutio crimina tantum respiciat in futurum committenda, non autem antè illius editionem commissa.*

1 AD intelligentiam eorum, quae in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd dum quaerimus, an poenitens si per Confessarium ad turpia in confessione sollicitetur in conscientia teneatur, eum denunciare Inquisitoribus, vel Ordinario; per poenitentem intelligimus, tam foeminam, quàm masculum, iuxtà ea, quae suprà adnotauimus *sect. 3. vers. Quae diximus*. Et per turpia intelligimus sollicitationem, tàm ad peccata venerea, quàm ad peccata alterius generis, per ea, quae suprà cumulauimus *sect. 7. concl. 1. & 2.* & denique per confessionem intelligimus de sollicitatione facta, tum in actu confessionis, vel immediatè, vel paulò antè, vel post confessionem, aut occasione, & praetextu confessionis; tum etiam de sollicitatione extra confessionem in confessionario, de quibus latè suprà egimus *d. sect. 7. & 8.* tum denique de sollicitatione in administratione aliorum Sacramentorum, iuxtà tradita per nos *d. sect. 7. concl. 3.* In his igitur casibus quaerimus, an ad turpia sollicitatus teneatur denunciare sollicitantem, itaut si non denunciet, mortaliter peccet.

2 Ad hanc difficultatem respondetur breuiter affirmatiuè. Etenim singulis annis feruntur edicta per Inquisitores haereticae prauitatis, in quibus sub poena excommunicationis praecipitur denunciarij nonnulla crimina, & signanter crimen haeresis, vel quod suspicionem praebeat haeresis. Imò adest decretum sacrae vniuersalis Inquisitionis Romanae de haereticis, seù de he-

resi suspectis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ iudicialiter propalandis, editum die Ianuar. 1613. quod de verbo ad verbum refert *P. Diana tom. 4. tr. 5. resol. 41.* vbi ob id putat, scientes eiusmodi criminosos teneri eos denunciare sub dicta censura, etiam si non publicarentur edicta Inquisitorum: atque ideò certum est peccare mortaliter non denunciantes ad turpia sollicitantes, de quibus agitur, cùm contrahant suspicionem hæresis, vt supra ostẽdimus *sect. 3. & 4.* & excommunicatio non cõtrahatur, nisi propter letalem culpam, vt in *c. nullus 11. q. 3.* Hanc sententiam in specie docent *Acugna de Confessar. sollic. q. 21. n. 6 & seq. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 2. n. 6. in fine, Sanctarel. de hæresi, c. 46. dub. vnico, n. 10. Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q. 27. ar. 1.* quam sententiam communem esse testatur, idem *Diana loc. cit. resol. 3.* & hodiè claram esse patet ex vi Bullæ Gregor. XV. §. 7. in illis verbis: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt suprà sollicitatos,*

3 *moneant de obligatione denunciandi sollicitãtes.* Hanc autem denunciandi obligationem sollicitatas alligantem, non modò humanam, sed etiam naturalem, ac Diuinam esse constat. Siquidem iure naturali, ac diuino tenentur sollicitatæ Confessarios sollicitantes denunciare: quoniam eiusmodi crimen cùm tribuat vehementem de hæresi suspicionem, connumeratur inter crimina publica contra commune bonum, qualia sunt rebellio à proprio Principe, proditio Ciuitatis, falsificatio monetarum, maleficia, ars magica, apostasia à fide, hæresis, & vehemens suspicio hæresis, & alia eiusmodi, de quibus *Nauar. in Man. c. 18. n. 58. sal. 22. in D. Thom. q. 68. ar. 1. contr. 1. Genuen. in praxi Episc. c. 23. aliàs 18. n. 1. & Alphons. Castr. lib. 2. de iusta hæret. punit. c. 25.* Vndè cùm hæc crimina de iure naturali, ac diuino teneatur vnusquisque manifestare, iuxtà ea, quæ habentur ex *Rodriq. to. 1 qq. Regular. q. 26. ar. 4. & D. Tho. 2. 2. q. 27. ar. 1.* consequenter fit, vt prædictæ mulieres sollicitatæ à Confessarijs ad turpia, vt supra, sub mortali teneantur eos denunciare Inquisitoribus, vel Ordinarijs; seruatis tamen ijs, quæ supra adnotauimus, *sect. 4.*

4 Ampliatur primò hæc conclusio, vt ad turpia sollicitati à Confessarijs teneantur eos denunciare, siuè masculi sint, siuè fœminæ, siuè sollicitatio fiat ad peccata venerea, siuè ad peccata alteriùs generis, in confessione, vel in administratione alterius Sacramenti, iuxtà ea, quæ supra diximus in adnot. Etenim sollicitãs in omnibus præfatis casibus contrahit suspicionem hæresis, vt supra ostendimus *sec. 3. ver. Quæ diximus, sec. 7 concl. 1. & 2. & 3. & cõcl. 8.* de peccatis verò alterius generis, vide in *add. præcipua Lezanam, & alios*, contrarium sentientes.

5 Secundò, ampliatur, vt non solùm ad turpia, vt suprà sollicitati teneantur Confessarium sollicitantem denunciare, sed quilibet alius etiam, qui sciat, aut audierit aliquem puerum, aut aliquam mulierem in prædictis casibus fuisse sollicitatam, vel sollicitatam ad turpia: siquidem sollicitans cùm contrahat suspicionẽ hæresis, non solùm à sollicitatis, sed etiam à quibuscumque eiusmodi crimen scientibus debet denunciari. Et quamuis in alijs criminibus regulariter, qui ea tantùm audierint, non teneantur denunciare, maximè si ij, à quibus audierint non sint fide digni; nihilominus vbi agitur de crimine hæresis, vel de suspicione hæresis, etiam qui talia crimina ab alijs audierunt, tenentur denunciare: quoniam edicta Inquisitorum, quibus præcipitur ea reuelari absolutè, & citrà vllam distinctionem loquuntur, præcipiendo sub pœna excommunicationis, vt si quis sciuerit, vel audierit delicta in edicto cõtenta, Inquisitoribus denunciet. Ità *P. Diana to. 4. tr. 5. resol. 28.* qui addit non pertinere ad eum, qui denunciaturus est, discernere, an ille, à quo id audiuit sit bonæ famæ, vel leuis con-

6 ditionis. Etenim in S. Officio contra Reos admittuntur testes aliàs inhabiles, vt excommunicati, criminosi, infames, periuri, &c. vt in *c. in fidei fauore de hæret. in 6.* Et hoc ideò, quia crimen hæresis, vel quod præbet suspicionem hæresis, vt est crimen sollicitationis, de quo agitur, est ità graue, ac perniciosum Reip. vt meritò in eius detestationem tales testes admittantur, vt sic facilius extirpari valeat. Hanc eandem sententiam videtur sequi, *Thom. à Iesu in lib. de visit. tr. 1. c. 15. nu 11.* quem refert *Diana loc. cit. & Octauius Spatharius in praxi de modo corrigendi Regulares, tr. 5. c. 11. n. 4.* dum dicunt, quòd licèt regulariter nemo teneatur denunciare, quod auditu tantùm percepit, maximè si personæ à quibus crimen audiuit, leues sint, & fide minus dignæ; & de peccato dubius sit; nihilominus quando agitur de crimine, quod cõmuni bono affert detrimẽtum, tunc obligatur denunciare crimen eiusmodi Inquisitoribus. Vndè meritò ipse *Diana* ibidem non admittit sententiam *Homoboni in consultat. moralib. tom. 1. p. 4. resp. 51.* asse-

7 rentis, non teneri denunciare Confessarium sollicitantem, si audiuit à non fide dignis: & ad denunciationem faciendam non teneri, nisi fœminam sollicitatam: Id enim non subsistere non modo, *P. Diana*, ibi; verum etiam *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. c. 3. n. 31.* rectè probant, & in praxi ità seruari testantur; vt scilicet teneatur non solùm fœmina sollicitata denunciare Confessarium; sed etiam alij, qui audierunt, saltem à fide dignis. Vndè *Fagund. loc. cit.* inquit, quòd si mulier sollicitata dicat coram multis, se fuisse sollicitatam à tali Confessario in confessione Sacramentali, & illa sit fide digna, iàm talis Confessarius manet infamatus, & qui audiunt, tenentur sub excommunicatione denunciare: secus autem si sit leuiuscula, aut non ità fide digna, vt inquit etiam *Portell. in addit. ad dub. Regul. ver. sollicitare feminas, nu 22.*

8 Tertiò, ampliatur, vt sollicitati ad turpia per Confessarium in confessione, aut in administratione aliorum Sacramentorum teneantur eum denunciare, etiam si crimen eiusmodi non possint probare. Etenim licèt regulariter quãdo delictum probari nequeat non habeat locũ denunciatio, quia quando crimen non potest probari apertè contra iustitiam peccatur, si reueletur, cùm exponatur Reus manifesto periculo infamiæ, vt habetur ex *Less. lib. 2. de iust. & iu-*

& iure, c.29.n.111. & alij communiter, & in specie de delictis in Inquisitorum edicto contentis *Fagund. de precep. Eccl tr.2.lib.4.cap.3. n.31. Reginald. to.2. sue prax. lib.24. c.3. n.50. & 57.* cum alijs relatis à *P. Diana tom.1. tr.4. resol.1.* Nihilominus in casibus pertinentibus ad Sanctum Officium denunciatio est facienda, etiam si delator delictum probare non possit, vt habetur ex *Peirino in priuil. Minim. to. 2. constit.9. Pauli V.§.n.25. Barb. de potest. Episcop. p.3. alleg.96.n.51. Homobon. de exam. Eccles. p.1. tr.7. c.2. q.14. & p.2. tr.11. c.4. q.4. res. 4. Genuen. in praxi Episc. c.23. alias 18. nu.5. Suar. tr. de fide disp. 20. sec.4. nu.7.* ex alijs quamplurimis, quos refert, & sequitur *Diana loco citato.* Etenim quamuis denunciator de iure suam denunciationem probare tenebatur, vt in *l. Diuus, & l. ab accusatore, ff. ad Senatusc. Turpil.* hodiè tamen de consuetudine contrarium seruatur, vt probat *Eymer. in Dir. Inquis. p.3. rub. de secundò modò proced. in causa fid. per denunc. n.68. & Farin. de haresi, qu. 185.§.5.n.71.* & ex alijs, quos refert, & sequitur, idem *Diana* ibidem. Vndè quamuis fœmina sollicitationis crimen probare non possit; denunciare tamen tenetur sollicitantem; etiam si certò sciat se vnicam esse, quæ sollicitata fuerit: siquidem in criminibus hæresis, vel hæresim sapientibus, quale est crimen sollicitationis, etiam si alicui soli notus sit Reus, est omninò reuelandus: quoniam vix emendatur vafer eiusmodi Confessarius, atque ideò *D. Th. quodlib. 11. ar. 12.* sic ait: ***Credo, quòd si esset aliquod peccatum carnale, quod vergeret in detrimentum multitudinis, statim est reuelandū.*** His adde *Acugn. de Confessar. sollic. q.18.n.10. & seq.* & in eum *Seraph. Freyt q.10.n.13.* qui pro hac eadem ampliatione adducunt, *Panor. in c. nouit, n.44. de indic. Rojas in singular. fid. vers. Accusare, nu.21. & de haret. 2.p. asser.3. Turrect. in c. si peccauerit, q.11. concl.6. Tolet. lib.5 sua sum. c.57. Nauar. cons.2. de accusat. n.4.* incipit, an fieri possit denunciatio. Et in specie, quoad sollicitantes citant, *Henriq. lib. 6.c.17.nu.4. in addit. litt. E. Param. lib.3. de Orig. Inquisit. q.10.n.4. & alios.* Siquidem in hoc, & in alijs similibus criminibus vtilitas publica debet præponi delinquentis priuatę famæ, *arg. tex. in l. pen. C. de primipil. lib. 12.* Nec in pœnam tallionis incidit fęmina delictum non probans; quoniam, vt ait *Seraph. loc. cit. n.14.* satis est, si dicat denunciasse zelo fidei, vel timore pœnæ statutæ contra non reuelantes: quibus adde quoque *Farinac. de haresi, q. 185.n.71. Mascard. concl.505.* qui dicūt, quod Denunciator de consuetudine non tenetur probare, quod denunciat.

11 Quartò, ampliatur, vt ad turpia sollicitati, vt suprà non solùm teneantur denunciare sollicitantes, sed ad id obligātur etiam intra terminum præfixum in Inquisitorum edicto: & si sollicitatus sit edicti ignarus tenetur sollicitantem denunciare, cùm primum potuerit, sicut tenetur denunciare præcepto naturali opportunitate adueniente, vt habetur ex *Ioan. Sanc. in select. disput.11. nu.59. & Diana tom.4. tr.5. resol.26.* vbi etiam inquit, quòd si fęmina sollicitata conscia edicti, infra terminum non denunciat, in excommunicationem incidit, à qua absolui non potest per Bullam Cruciatæ, nisi facta sit denunciatio, aut per fęminam non stet, quin fiat, cùm læsæ parti, nempè Inquisitoribus, cuius iustum mandatum non impleuit, satisfieri oporteat. Imò quoniam edicta Inquisitorum durant per totum annum, donec iterum publicentur ad instar Bullæ Cœnæ; nam quāuis videantur præcepta ab homine; tamen quia Tribunal, à quo procedunt est perpetuū, atque ideò per modum legis perpetuò durant. Vndè in quacunque parte anni quis sciat aliquam fuisse à Confessario in confessione sollicitatam, aut aliquem esse hæreticum statim cùm potuerit tenetur Confessarium ipsum, seù hæreticum denunciare, vt habetur per *Fagund. de precep. Eccl. precep.2. lib.4. c.3. n 31. Auil. de censur. p.2. c.5. disp.5. dub.5. concl. 3.* quos refert, & sequitur *Diana loco citato, resolut. 27.*

12 Adde, quòd aliquando fœmina sollicitata tenetur denunciare Confessarium, qui eam in cōfessione sollicitauit, etiam antè impletum terminum publicationis edicti Inquisitorum. Etenim si mulier sollicitata conscia edicti esset ad loca profectura antè terminum publicationis impletum, vbi non esset opportunitas denunciandi, vt quia ibi non adsit Inquisitionis Tribunal, vel ex alia iusta causa sciat fore non esse potentem ad denunciandum, tunc debet præuenire denunciationem, vt contra *Sanc. in select. disp.11.n.60.* docet *Diana loco citato, res. 29.* Siquidem quis tenetur præuenire tempus confessionis si timeat, quòd adueniente tempore obligationis adimplendi confessionem annuam à nostro *cap. praceptam* deficiat copia Confessarij, vt habetur ex *Suar. de pœnit. disp. 36. sect.5. n.5.* idem dicendum est de præcepto communionis, vt nos latè de hac re egimus supra *tom.1. §.1. disp.1. sect.1. concl.5. vers. Sed quicquid sit: & §.2. disp.1. sect.1. concl.2. ampl. 2. vers. Est tamen verum.* Et *Diana loco citato,* vbi notat quoque ex *Sanc. vbi supra, num. 64.* quòd si mulier sollicitata, quæ excommunicationem contraxit ex defectu denunciationis, præceptum denunciationis adimpleat, poterit virtute Bullæ Cruciatæ, aut vigore priuilegiorum Regularium absolui: nec indigebit ipsa mulier fateri Inquisitoribus, se negligentem fuisse in denunciando.

13 Quintò, ampliatur, vt ad turpia sollicitati, vt supra, adeò obligentur denunciare sollicitantem, cùm primum potuerint, vt non possint absolui à Confessario, cui secundò volunt confiteri, nisi eum denuncient, vt habetur ex *Rodriq. tom.1. qq. Regul. q.56. ar.4. Megal. p.1. instit. Peregr. lib.1. cap.5. nu.14. & ex Auila de censur. p.2. c.7. dub.7. in fine*, se habente, quòd in rebus grauibus, si pœnitens præcipuè sit homo ordinarius, curandum est, vt prius denunciet: & id quamuis non dum excommunicationem contraxerit: quoniam si prius obtineat absolutionem facilè denunciatio prætermittitur, & eo maximè, quoniam hoc præcipi solet in edicto Inquisitorum. Est tamen verum, quòd *P. Diana to.1. tr.4. resol.27.* plures affert Doctores hanc ampliationem multipliciter limitantes. Nam in primis *Zanard. in dictor. Theol. p.2. pracep.2. c.11. in fine, & Rodriq. p.2.*

sua

suæ sum.c. 34.*n.*6. eam limitant, nisi necessitas communionis vrgeat, & pœnitens sit timoratæ conscientiæ,& promittat quamcitius denunciare. Et *Peirinus de priuileg. Minim. to.*1. *constit.*5. *Greg.XV.§.*9. *n.* 24. docet esse absoluen-
14 dam illam pœnitentem, quæ firmiter promittit denunciatura Confessarium, qui eam ad turpia sollicitauit, si adsit causa, qua prudenti Confessario videatur, denunciationem esse differendam, *Sanctarel. quoque tr. de hæresi, c.* 9. *dub.vnico,n.*16.*in fine, ex Nauar.* qui testatur de praxi Sacræ Pœnitentiariæ, inquit, satis esse saltem propositum firmum denunciandi, & loquitur de denunciando hæretico. His adde pariter, quæ habentur ex *Sanc.* & alijs relatis à *Diana loco citato*. Et ea, quæ infrà dicemus *ampl.vltima*, de Confessario agentes, qui tenetur monere pœnitentem sollicitatum ad turpia in confessione, vt sollicitantem denunciet. Il-
15 lud autem hoc loco nolui silentio esse prætereundum, quod post alios docet idem, *P.Diana tom.*4.*tr.*5.*resol.*35. qui reprobans sententiã *Lucij in sum.c.*24.*n.*11.*& Seraph.Freyt in addit.ad Acugn.de Confessar.sollic.qu.*21.*nu.*31. existimantium, fœminam excommunicationẽ incursam, ex eo, quòd non denunciauit Confessarium, qui eam sollicitauit, posse absolui vi Bullæ Cruciatæ, aut vi Priuilegiorum Regul.si promittat, eum illico denunciaturam; sicut retinens rem alienam potest absolui bis, & ter cũ proposito restituendi; ait contrariam opinionẽ esse omninò tenendam, quam tuentur *Sanc. in select. disp.*11. *nu.*62. *Auila loc.cit. & Ægid. Trulench.in Bull.Cruciata,lib.*1.*§.*7.*c.*2. *dub.* 9.*n.*11. Etenim in re adeò graui non est de facili adhibenda fides promittenti denunciare: & cùm non sit absoluendus excommunicatus,nisi præuia satisfactione, si satisfacere possit:nec absoluendus concubinarius excommunicatus,nisi prius concubinam expellat,nec satis est,quod proponat expellere, vt inquit *Suar. de censur. disp.*7.*sect.*5.*n.*45.*& alij*,ità quoque dicendum est de fœmina excommunicata ob id,quòd Cõfessarium se sollicitantem non denunciauit, vt non absoluatur, nisi præuia denunciatione, licèt promittat denunciare:siquidem oportet eam primò Inquisitoribus, quorum edictum contempsit, satisfacere; & deindè absolui.

16 Cæterum licet fœminæ sollicitatæ, nec alij, qui sollicitationem sciant, nisi præuia denunciatione Confessarij, vt supra, possint absolui; nihilominus ipse Confessarius sollicitans potest absolui, nulla præuia denunciatione; siquidem nemo tenetur se ipsum denunciare, cùm se ipsũ nemo teneatur prodere, *c.aliquando,de pœn.d.* 1. & habetur ex *Rojas de fauore fid. sing.*3. *nu.* 35.*Simanc.de Cathol.instit.c.*42.*nu.*13. & in specie in casu, de quo agitur, *Rodriq. p.* 1. *sua sum.c.*207.*concl.*1. *Henriq.lib.*3.*de pœnit.cap.* 10.*§.*2.*litt.H.Luc.in sum.c.*24.*n.*11. *Acug. de Confessar. sollic. q.* 21. *n.*2. & in eum *Seraph. Freyt. n.*13. Quod verum puto, nisi Confessarius, qui sollicitauit inciderit in hæresim, eo quòd verè malè senserit de fide: nam tunc non potest à quolibet Confessario absolui,stante reseruatione hæresis facta in Bulla Cœnæ:imò nec quidem ab Episcopo in foro conscientiæ absolui potest, iuxtà ea, quæ adnotauimus in nostris *commentar.in Bull.Cænæ,lib.*3.*§.*2. *q.*11. nam ab hæresi Episcopus non potest absoluere, nisi in foro exteriori tantùm; licèt in eo foro absolutio impensa prosit, etiam in foro interiori, vt latè habetur per *Addent. ibi, litt.A. & B. fol.* 765. vbi etiam probat, *quæst.*12. hanc facultatem habere Inquisitores, in vtroque foro.

17 Sextò, ampliatur, vt mulier sollicitata ad turpia per Confessarium in confessione, aut in administratione aliorum Sacramentorum, teneatur eum denunciare, etiam si ipsa sollicitationi consenserit. Etenim licèt *Portel.in add. ad dub. Regular.vers.Denunciatio,num.*10. *& vers.Sollicitare fœminas, n.*5. & alij nonnulli contrarium doceant,attenta communi regula, quod nemo tenetur denunciare complices, ex vi edicti in quacumque materia fuerit complex; quoniam id esset se ipsum prodere, ad quod nemo tenetur, vt in *c.aliquando, de pœnit.d.*1.*& Suar.tr.de fide disp.*10. *sect.*4. *n.*18. nihilominus in contrarium est vera sententia, quando agitur de crimine hæresis formalis,aut de suspicione hæresis, qualis est sollicitatio:atque ideò mulierem consentientem sollicitationi factæ in confessione teneri Confessarium sollicitantem denunciare, etiam si sit delicti complex, & contraria sententia amisit probabilitatem, eo quia fuit damnata ab Alex. VII. Pont. Max. & docent *Acugn. de Confessar.sollic.qu.* 10.*n.*10.*Bonac.tr.var.disp.*6.*pun.*3.*nu.*10.*Peirin.in Priuil.Minor.to.*2.*q.*4.*Gregor.XV.§.*3. *n.*11. *Sanctarell. tr. de hæresi c.*44.*dub.vnico, n.*12. quos refert, & sequitur *Diana tom.* 1. *tr.* 4 *resol.*9. *& tom.*4. *tr.*5.*resol.*3. Qui tamen dicunt eiusmodi mulierem non teneri proprium
18 consensum manifestare, nec potest super hoc ab Inquisitore, aut Episcopo interrogari: & in casu, quo mulier ipsa vellet consensum manifestare, non debet scribi in actis, tanquam res nõ pertinens ad Tribunal Inquisitionis, vt constat ex quibusdam litteris Cardinalis Mellini ad Federicum Cardinalem Borromæum Archiepiscopum Mediolan. sub die 27. Septembris 1614. quarum tenorem refert de verbo ad verbum, *P. Diana d.resol.*31.& ex alijs litteris eiusdem Cardinalis Mellini ad Cardinalem Carafam Archiepiscopum Neapolitanum, quarum meminit *Nouar.vers.Sollicitare*, ibi: *All'Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor Cardinal Carrafa. Napoli*, quarum tenor ab
19 eo pariter refertur, & est, qui sequitur: *Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor mio Osseruandissimo. Doppò essersi hauuta lunga, e matura consideratione sopra il dubio significato da più bande, se i Penitenti siano obligati à denunciare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luogo, o atto della confessione, quando hanno consentito alla sollecitatione, Nostro Signore, e questi miei Signori Illustrissimi in Cõgregatione tenuta auanti sua Santità à' 25. di Luglio passato doppò hauere anco inteso il parere d'una particular Congregatione deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qualsiuoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, dal quale sarà stato sollicitato nello luoco, ò atto della confessione, ancorche egli habbia cõsentito, e non è tenuto à propalare il proprio cõsenso, nè sopra ciò s'interroghi dal Vescouo, ò In-*

Inquisitore, ò loro Vicarij, auanti de quali deporrà, nè meno il Confessore denuntiato procedendosi contro di lui, nè i Constituti, che se gli faranno s'interroghi sopra detto consenso, & in caso, che egli volesse dirlo da se, non se scriua il suo detto, come in ordine alla persona sollicitata non spettante all'Officio della S. Inquisitione. Le parti dunque di V. S. Illustrissima sono de significare la detta resolutione à i Confessori, et incarcarglili strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi che occorreranno alla giornata, conform'al tenore della Constitutione publicata da Gregor. XV. di S. Memoria contra i Confessori sollecitanti, significhino à i Penitenti l'obligo, che hanno de denuntiare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendoli consentito, e facendo difficultà in scoprire il proprio consenso, conforme alla risolutione, che s'è fatta, si dicono apertamente, che non sono tenuti à propalare detto consenso, e che tanto essi penitenti, quanto i Confessori sollicitanti procedendosi contra di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se, non se scriuerà, nè riceuerà il lor detto, e quando il penitente tuttauia persistesse nella medesima retinenza. N. S. si contenta, che dal Vescouo, ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denũtia, per portarla subito à chi haurà data l'autorità di pigliarla, & oltre le cose sodette se occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denuntiare, vuole sua Santità, che se ne scriua quà, e s'aspetta la risposta, & in tanto se soprasieda nell'assolutione, & tanto se contenterà V. S. Illustrissima di fare osseruare nella sua Diocese, e facendo registrare la presente ne gli atti di cotesta Corte per information sua, e di suoi successori, li quali dourãno hauere mira, che la presente risolutione riguarda solo quei penitenti, che per hauer consẽtito, fanno difficultà in denuntiare, mà quei che non hanno consentito, ò hauendo consentito, nõ sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficultà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, e liberamente sodisfaccian'all'obligo, che hanno di denuntiare conforme alla detta Constitutione. Compiacendosi anco V. S. Illustrissima di mandare copia della presente à i Vesconi suoi suffraganei, acciò da essi ancora sia fatta osseruare la sudetta risolutione. Per fine à V. S. Illustrissima humilissimamente bacio le mani. Di Roma li 27. di Settembre 1624. Di V. S. Illustrissima, e Reuerendissima humilissimo, & affettionatissimo Seruitore. Il Cardinal Mellino. Quod si hæc militant in casu sollicitationis, de qua agitur, quæ hæresim tantum sapiũt, & non formaliter est hæresis, multò ma-

20 gis facienda est denunciatio complicum in crimine hæresis formalis, & in omni alio casu, quo pro bono communi quis tenetur vitã propriam ponere, vt post nonnullos Doctores, inquit *Diana d. tom. 1. tr. 4. resol. 8.* vbi ob id testatur, in quadam nostræ Italiæ nobilissima Ciuitate, Doctissimos Theologos obligasse ad denunciandum quendam hæreticum dogmatizantem, & docentem alios hæresim, quamuis ipsi denunciantes fuerint illius discipuli, & sic complices delicti.

21 Septimò, ampliatur supradicta conclusio, vt non modò pœnitentes ad turpia sollicitati à Confessario in confessione, teneantur eum denunciare Inquisitoribus, aut Episcopo, iuxta ea, quæ supra adnotauimus; verùm etiam si eorum confessio deindè excipiatur ab alio Confessario, cui aperuerint sollicitationem eis factam à priori Confessario, tunc admonendi sunt, vt illum reuelent, quòd si hanc admonitionem prætermiserit, aut non teneri denunciare eos docuerit, pro modo culpæ punietur, vt habetur ex d. Constitutione Gregor. XV §. 7. ità se habente: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra sollicitatos moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu locorũ Ordinarijs prædictis: quòd si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra; ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpa puniare non negligant.* Hoc idem fuerat antè præfatam Gregorianam decretum per Sacram Congregationem Inquisitionis sub die 15. Decembris 1613. his verbis: *Ioannes Garzias, &c. ex mandato speciali S. D. N. significatur, & præcipitur RR. PP. DD. Pœnitentiarijs, & Curatis, alijsque ad confessiones expositis, & admissis huius almæ Ciuitatis, vt in casibus occurrentibus moneant pœnitentes, quòd tenentur denunciare Sancto Officio Confessarios sollicitantes in confessione Sacramentali pœnitentes ad peccatum, & hoc idem præceptum Superiores Religionum notificent Confessarijs sui Ordinis. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Decembr. 1613. Cæsar Fidelis Vicesgerens.* Hæc ipsa denique determinatio colligitur ex verbis dictarum litterarum Cardinalis Mellini ad Cardinalem Carafam, in illis verbis: *Le parti dunque di V. S. Illustrissima sono de significare la detta resolutione à i Confessori, & incarcarglili strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi, che occorreranno alla giornata, conforme al tenore della Constitutione publicata da Gregor. XV. di S. Memoria contra li Confessori sollicitanti, significhino à i penitenti l'obligo che hanno de denuntiare i Confessori, da quali son stati sollecitati.*

22 Est autem adnot. quòd quamuis determinatio illa Sacræ Congregationis die 15. Decembr. 1613. sit localis, cum Romæ tantùm Pœnitentiarios, & Confessarios alliget, & non alios extra Romam commorantes, & admissos, vt patet ex illis verbis: *Et admissis huius Almæ Ciuitatis, &c.* Constitutio tamen Gregoriana est vniuersalis, alligans omnes quorumcunque locorum, vt in §. 3. ibi: *Perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum, &c.* Et licèt supra relatæ litteræ dirigentur ad Cardinalem Carafam, & ad nonnullos alios Archiepiscopos similes fuerint datę; quia tamen earum resolutio fundatur in supradicta Gregoriana; idcircò vniuersalis quoque est, & obligat totum terrarum Orbem. Et cum dispositiones ipsę sint præceptiuæ, vt ex eis clarè colligitur, certum est, Confessarios, de quibus agitur, obligari sub lethali culpa confitentes sollicitatos monere ad

de-

sua sum.c. 34.*n.6.* eam limitant, nisi necessitas communionis vrgeat, & pœnitens sit timoratę conscientię, & promittat quamcitius denunciare. Et *Peirinus de priuileg. Minim. to.*1. *constit.*5. *Greg.XV.§.*9. *n.* 24. docet esse absoluen-
14 dam illam pœnitentem, quæ firmiter promittit denunciatura Confessarium, qui eam ad turpia sollicitauit, si adsit causa, qua prudenti Confessario videatur, denunciationem esse differendam, *Sanctarel. quoque tr. de haresi, c.* 9. *dub.vnico,n.16.in fine, ex Nauar.* qui testatur de praxi Sacræ Pœnitentiariæ, inquit, satis esse saltem propositum firmum denunciandi, & loquitur de denunciando hæretico. His adde pariter, quæ habentur ex *Sanc.* & alijs relatis à *Diana loco citato*. Et ea, quæ infrà dicemus *ampl. vltima*, de Confessario agentes, qui tenetur monere pœnitentem sollicitatum ad turpia in confessione, vt sollicitantem denunciet. Il-
15 lud autem hoc loco nolui silentio esse prætereundum, quod post alios docet idem, *P.Diana tom.4.tr.5.resol.*35. qui reprobans sententiã *Lucij in sum.c.*24.*n.*11.*& Seraph.Freyt.in addit.ad Acugn.de Confessar.sollic.qu.*21.*nu.*31. existimantium, fœminam excommunicationẽ incursam, ex eo, quòd non denunciauit Confessarium, qui eam sollicitauit, posse absolui vi Bullæ Cruciatæ, aut vi Priuilegiorum Regul.si promittat, eum illico denunciaturam; sicut retinens rem alienam potest absolui bis, & ter cũ proposito restituendi; ait contrariam opinionẽ esse omninò tenendam, quam tuentur *Sanc. in select. disp.*11. *nu.*62. *Auila loc.cit. & Ægid. Trulench in Bull.Cruciata,lib.*1.*§.*7.*c.*2. *dub.*9.*n.*11. Etenim in re adeò graui non est de facili adhibenda fides promittenti denunciare: & cùm non sit absoluendus excommunicatus, nisi præuia satisfactione, si satisfacere possit: nec absoluendus concubinarius excommunicatus, nisi prius concubinam expellat, nec satis est, quod proponat expellere, vt inquit *Suar. de censur. disp.*7.*sect.*5.*n.*45.*& alij,* ità quoque dicendum est de fœmina excommunicata ob id, quòd Cõfessarium se sollicitantem non denunciauit, vt non absoluatur, nisi præuia denunciatione, licèt promittat denunciare: siquidem oportet eam primò Inquisitoribus, quorum edictum contempsit, satisfacere; & deindè absolui.

16 Cæterum licet fœminæ sollicitatæ, nec alij, qui sollicitationem sciant, nisi præuia denunciatione Confessarij, vt supra, possint absolui; nihilominus ipse Confessarius sollicitans potest absolui, nulla præuia denunciatione; siquidem nemo tenetur se ipsum denunciare, cùm se ipsũ nemo teneatur prodere, *c.aliquando,de pęn.d.* 1. & habetur ex *Rojas de fauore fid.sing.*3. *nu.*35.*Simanc.de Cathol.instit.c.*42.*nu.*13. & in specie in casu, de quo agitur, *Rodriq. p.* 1. *sua sum.c.*207.*concl.*1. *Henriq.lib.*3.*de pœnit.cap.*10.*§.*2.*litt.H.Luc.in sum.c.*24.*n.*11. *Acug. de Confessar. sollic. q.* 21. *n.*2. & in eum *Seraph. Freyt. n.*13. Quod verum puto, nisi Confessarius, qui sollicitauit inciderit in hæresim, eo quòd verè malè senserit de fide: nam tunc non potest à quolibet Confessario absolui, stante reseruatione hæresis facta in Bulla Cęnæ: imò nec quidem ab Episcopo in foro conscientiæ absolui potest, iuxtà ea, quæ adnotauimus in nostris *commentar.in Bull.Cænæ,lib.*3.*§.*2. *q.*11. nam ab hæresi Episcopus non potest absoluere, nisi in foro exteriori tantùm; licèt in eo foro absolutio impensa prosit, etiam in foro interiori, vt latè habetur per *Addent.* ibi, *litt.A. & B. fol.* 765. vbi etiam probat, *quæst.*12. hanc facultatem habere Inquisitores, in vtroque foro.

17 Sextò, ampliatur, vt mulier sollicitata ad turpia per Confessarium in confessione, aut in administratione aliorum Sacramentorum, teneatur eum denunciare, etiam si ipsa sollicitationi consenserit. Etenim licèt *Portel.in add. ad dub Regular.vers.Denunciatio,num.*10. *& vers.Sollicitare fœminas, n.*5. & alij nonnulli contrarium doceant, attenta communi regula, quod nemo tenetur denunciare complices, ex vi edicti in quacumque materia fuerit complex; quoniam id esset se ipsum prodere, ad quod nemo tenetur, vt in *c.aliquando, de pœnit.d.*1.*& Suar.tr.de fide disp.*10. *sect.*4. *n.*18. nihilominus in contrarium est vera sententia, quando agitur de crimine hæresis formalis, aut de suspicione hæresis, qualis est sollicitatio: atque ideò mulierem consentientem sollicitationi factæ in confessione teneri Confessarium sollicitantem denunciare, etiam si sit delicti complex, & contraria sententia amisit probabilitatem, eo quia fuit damnata ab Alex. VII. Pont. Max. & docent *Acugn. de Confessar.sollic.qu.* 10.*n.*10.*Bonac.tr.var.disp.*6.*pun.*3.*nu.*10.*Peirin.in Priuil.Minor.to* 2.*q.*4.*Gregor.XV.§.*3. *n.*11. *Sanctarell. tr.de hæresi c.*44.*dub.vnico, n.*12. quos refert, & sequitur *Diana tom.* 1. *tr.* 4 *resol.*9. *& tom.*4. *tr.*5.*resol.*3. Qui tamen dicunt eiusmodi mulierem non teneri proprium
18 consensum manifestare, nec potest super hoc ab Inquisitore, aut Episcopo interrogari: & in casu, quo mulier ipsa vellet consensum manifestare, non debet scribi in actis, tanquam res nõ pertinens ad Tribunal Inquisitionis, vt constat ex quibusdam litteris Cardinalis Mellini ad Federicum Cardinalem Borromæum Archiepiscopum Mediolan. sub die 27. Septembris 1614. quarum tenorem refert de verbo ad verbum, *P. Diana d.resol.*31.& ex alijs litteris eiusdem Cardinalis Mellini ad Cardinalem Carafam Archiepiscopum Neapolitanum, quarum meminit *Nouar.vers.Sollicitare*, ibi: *All'Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor Cardinal Carrafa. Napoli*, quarum tenor ab
19 eo pariter refertur, & est, qui sequitur: *Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor mio Osseruandissimo. Doppò essersi hauuta lunga, e matura consideratione sopra il dubio significato da più bande, se i Penitenti siano obligati à denunciare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luogo, o atto della confessione, quando hanno consentito alla sollecitatione, Nostro Signore, e questi miei Signori Illustrissimi in Cõgregatione tenuta auanti sua Santità a' 25. di Luglio passato doppò hauere anco inteso il parere d'vna particular Congregatione deputata per questo effetto, hanno risoluto, che qualsiuoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, dal quale sarà stato sollicitato nello luoco, ò atto della confessione, ancorche egli habbia cõsentito, e non è tenuto à propalare il proprio cõsenso, nè sopra ciò s' interroghi dal Vescouo, ò In-*

Inquisitore, ò loro Vicarij, auanti de quali deporrà, nè meno il Confessore denuntiato procedendosi contro di lui, nè i Constituti, che se gli faranno s'interroghi sopra detto consenso, & in caso, che egli volesse dirlo da se, non se scriua il suo detto, come in ordine alla persona sollicitata non spettante all'Officio della S. Inquisitione. Le parti dunque di V. S. Illustrissima sono de significare la detta resolutione à i Confessori, et incarcarglili strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi che occorreranno alla giornata, conform' al tenore della Constitutione publicata da Gregor. XV. di S. Memoria contra i Confessori sollecitanti, significhino à i Penitenti l'obligo, che hanno de denuntiare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendoli consentito, e facendo difficultà in scoprire il proprio consenso, conforme alla risolutione, che s'è fatta, si dicono apertamente, che non sono tenuti à propalare detto consenso, e che tanto essi penitenti, quanto i Confessori sollicitanti procedendosi contra di loro, non saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se, non se scriuerà, nè riceuerà il lor detto, e quando il penitente tuttauia persistesse nella medesima retinenza. N. S. si contenta, che dal Vescouo, ò dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denūtia, per portarla subito à chi haurà data l'autorità di pigliarla, & oltre le cose sodette se occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denuntiare, vuole sua Santità, che se ne scriua quà, e s'aspetta la risposta, & in tanto se soprasede nell'assolutione, & tanto se contenterà V. S. Illustrissima di fare osseruare nella sua Diocese, e facendo registrare la presente ne gli atti di cotesta Corte per information sua, e di suoi successori, li quali dourãno hauere mira, che la presente risolutione riguarda solo quei penitenti, che per hauer consẽtito, fanno difficultà in denuntiare; mà quei che non hanno consentito, ò hauendo consentito, nõ sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficultà alcuna, ma lasciare, che indifferentemente, e liberamente sodisfaccian' all'obligo, che hanno di denuntiare conforme alla detta Constitutione. Compiacendosi anco V. S. Illustrissima di mandare copia della presente à i Vescoui suoi suffraganei, acciò da essi ancora sia fatta osseruare la sudetta risolutione. Per fine à V. S. Illustrissima humilissimamente bacio le mani. Di Roma li 27. di Settembre 1624. Di V. S. Illustrissima, e Reuerendissima humilissimo, & affettionatissimo Seruitore. Il Cardinal Mellino. Quod si hæc militant in casu sollicitationis, de qua agitur, quæ hæresim tantum sapiũt, & non formaliter est hæresis, multò ma-

20 gis facienda est denunciatio complicum in crimine hæresis formalis, & in omni alio casu, quo pro bono communi quis tenetur vitã propriam ponere, vt post nonnullos Doctores, inquit *Diana d. tom. 1. tr. 4. resol. 8.* vbi ob id testatur, in quadam nostræ Italiæ nobilissima Ciuitate, Doctissimos Theologos obligasse ad denunciandum quendam hæreticum dogmatizantem, & docentem alios hæresim, quamuis ipsi denunciantes fuerint illius discipuli, & sic complices delicti.

21 Septimò, ampliatur supradicta conclusio, vt non modò pœnitentes ad turpia sollicitati à Confessario in confessione, teneantur eum denunciare Inquisitoribus, aut Episcopo, iuxta ea, quæ supra adnotauimus; verùm etiam si eorum confessio deindè excipiatur ab alio Confessario, cui aperuerint sollicitationem eis factam à priori Confessario, tunc admonendi sunt, vt illum reuelent, quòd si hanc admonitionem prætermiserit, aut non teneri denunciare eos docuerit, pro modo culpæ punietur, vt habetur ex d. Constitutione Gregor. XV §. 7. ità se habente: *Mandantes omnibus Confessarijs, vt suos pœnitentes, quos nouerint fuisse ab alijs, vt supra sollicitatos moneant de obligatione denunciandi sollicitantes, seu vt præfertur tractantes, Inquisitoribus, seu locorũ Ordinarijs prædictis: quod si hoc officium prætermiserint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, vt supra; ijdem locorum Ordinarij, & Inquisitores illos pro modo culpa puniri non negligant.* Hoc idem fuerat antè præfatam Gregorianam decretum per Sacram Congregationem Inquisitionis sub die 15. Decembris 1613. his verbis: *Ioannes Garzias, &c. ex mandato speciali S. D. N. significatur, & præcipitur RR. PP. DD. Pœnitentiarijs, & Curatis, alijsque ad confessiones expositis, & admissis huius almæ Ciuitatis, vt in casibus occurrentibus moneant pœnitentes, quòd tenentur denunciare Sancto Officio Confessarios sollicitantes in confessione Sacramentali pœnitentes ad peccatum, & hoc idem præceptum Superiores Religionum notificent Confessarijs sui Ordinis. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Decembr. 1613. Cæsar Fidelis Vicesgerens.* Hæc ipsa denique determinatio colligitur ex verbis dictarum litterarum Cardinalis Mellini ad Cardinalem Carafam, in illis verbis: *Le parti dunque di V. S. Illustrissima sono de significare la detta resolutione à i Confessori, & incarcarglili strettamente l'osseruanza, acciò ne i casi, che occorreranno alla giornata, conforme al tenore della Constitutione publicata da Gregor. XV. di S. Memoria contra li Confessori sollicitanti, significhino à i penitenti l'obligo che hanno de denuntiare i Confessori, da quali son stati sollecitati.*

22 Est autem adnot. quòd quamuis determinatio illa Sacræ Congregationis die 15. Decembr. 1613. sit localis, cum Romæ tantùm Pœnitentiarios, & Confessarios alliget, & non alios extra Romam commorantes, & admissos, vt patet ex illis verbis: *Et admissis huius Almæ Ciuitatis, &c.* Constitutio tamen Gregoriana est vniuersalis, alligans omnes quorumcunque locorum, vt in §. 3. ibi: *Perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum, &c.* Et licèt supra relatæ litteræ dirigentur ad Cardinalem Carafam, & ad nonnullos alios Archiepiscopos similes fuerint datę; quia tamen earum resolutio fundatur in supradicta Gregoriana; idcircò vniuersalis quoque est, & obligat totum terrarum Orbem. Et cum dispositiones ipsę sint præceptiuæ, vt ex eis clarè colligitur, certum est, Confessarios, de quibus agitur, obligari sub lethali culpa confitentes sollicitatos monere ad

de-

denunciandos Confessarios sollicitantes, vt supra; quoniam lex, quæ præceptum continet, etiam si sit pœnalis obligat in conscientia, secundum communem sententiam tùm Theologorum, tum etiam Canonistarum, vt habetur ex *D. Thoma 2.2.q.186.ar.9 ad 1. Castro lib. 1. de legib. pen. c. 8. Medina c. de restit. qu. 12. aliàs 13. & 36. Henriq. quodlib. 3. qu. 22. Soto lib. 1. de iust. & iure, q. 6. ar. 4. & 5. Glosa in c. vt animarum, & c. perpetuò, de constit. in 6. Felin. in c. nam concupiscentiam, n. 1. eod. tit. Couar. in regula peccatum, p. 2. §. 5. nu. 3.* & latè

23 *Suar. lib. 5. de legib. c. 3. n. 6.* Imò, seclusis præfatis determinationibus, & Gregoriana Constitutione, adhuc Confessarij sub lethali culpa tenentur monere pœnitentes sollicitatas & docere, eas teneri Confessarios, qui eas in confessione sollicitare veriti non fuere, Sancto Officio denunciare; nisi ex naturali inaduertentia, aut ex probabili ignorantia excusentur: siquidem Confessarius ex vi muneris sub mortali obligatur iniungere pœnitentibus, vt denuncient Inquisitoribus, aut Ordinarijs loci omnia crimina, quæ vergunt in damnum publicũ, vt habetur ex *D. T. 2. 2. q. 33. ar. 7. & q. 68. ar. 1.* qualia sũt rebellio, maleficia, apostasia à fide, hęresis, & vehemẽs hęresis suspicio, qualis est sollicitatio ad turpia in Sacramentali confessione, iuxtà ea, quæ supra ex *Nauar.* supradiximus in *Man. c. 18. nu. 58. Salon. 2. 2. D. Thom. q. 68. & ex alijs.* Vndè cum sollicitantes ad turpia pę-

24 nitentes in Sacramentali confessione vehemẽtem contrahant de hęresis suspicionem ob maximam iniuriam, quæ Sacramento infertur, cũ illud assumatur ab eiusmodi perditis hominibus, vt medium ad fornicationes exercendas; Confessarij proculdubio de iure naturali, ac Diuino tenentur supradictam monitionem facere pœnitentibus: & regulariter eas non debent absoluere, donec Sancto Officio delictum eiusmodi manifestent, vt supra ostendimus *ampl. 5.* Imò non solùm nõ debent; sed nec quidem possunt illas absoluere, nisi præmissa denunciatione, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 56. ar. 4. & tom. 2, q 27. ar. 10. in princ.* Nec potest sollicitata ab excommunicatione dissolui, quàm fortè contraxit vigore Inquisitorum edicti, virtute cuiuscumque Iubilæi, aut Bullæ etiam Cruciatæ, vt interrogatum *Franc. Suar.* respondisse testatur *Acugn. de Confessar.*

25 *sollic. q. 21. nu. 6. in fine.* Ratio autem cur pœnitentes, vt supra sollicitati absolui nequeant, nisi præmissa denunciatione, hæc est; quoniam sicut Confessarij de iure naturali, ac diuino tenentur pœnitentes sollicitatas monere, vt Confessarios sollicitantes denuncient, vt supra ostẽdimus; ità etiam de iure naturali, ac diuino tenentur sollicitatæ Confessarios sollicitantes denunciare; siquidem eiusmodi crimen, cùm tribuat vehementem de hæresi suspicionem, connumeratur inter crimina publica contra commune bonum, de quibus supra egimus: quæ vnusquisque de iure naturali, ac diuino manifestare cogitur, iuxtà ea, quæ habentur ex *Rodriq. loc. cit.* Dixi: *Et regulariter eas non debent absoluere, &c.* quoniam multi dantur casus, in quibus pœnitentes, vt supra sollicitatæ possunt absolui, non præuia denunciatione, de quibus supra egimus *d. ampl. 5.* & patet quoque ex supra relatis litteris Cardinalis Mellin. quas ad verbum supra retulimus *ampl. 6.*

26 Sic ampliatam limitant conclusionem alij, qui in fine reijciuntur, vt pœnitens sollicitatus ad turpia in confessione; aut in administratione alterius Sacramenti à Confessario; possit eũ tuta conscientia non denunciare, nec per alium Confessarium possit ad id compelli, si nouerit ipsum esse emendatum, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus *sect. 8. concl. 1. lim. 2.* Imò si sollicitatus speret per solam correctionem fraternam sollicitantem esse emendandum, non debet eũdem denunciare, nisi præmissa correctione: siquidem de iure Diuino denunciationem debet procedere correctio fraterna, vt in specie habetur ex *Ioanne de la Crux Dominicano in Direct. consc. p. 1. præcep. 5. q. 2. dub. 5 concl. 2.* ità se habente, Mulier sollicitata in confessione nõ absoluatur, dum non denunciat Inquisitoribus sollicitantem, nisi esset spes, quòd iste secretè correctus emendabitur; quæ spes potest colligi ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi: vndè si mulier sollicitata sciat alicuius idoneitatem ad illam correctionem, posset cum eo id intendere. Idem habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. c. 3. n. 31.* vbi ità pariter inquit; Antequam fiat denunciatio à muliere sollicitata in confessione præmittenda est fraterna correctio si detur spes emendæ: quia præceptum correctionis est de iure naturali, & Diuino, præceptum verò huius denunciationis est humanum, vndè non potest præualere aduersus præceptum iuris naturalis. Vt autem correctio fraterna iudicetur non profutura, non est satis semel fieri, & non prodesse, sed oportet iterum, atque iterum adhiberi, quamdiù iudicio prudentis speretur emenda. Idem docet *Peirin. in priuileg. Minim. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 9. nu. 26. & constit. 9. Pauli V. §. 2. n. 26. & 27 Molfes. p. 1. suæ summ. tr. 7. c. 24. n. 25 Ortiz in sum. c. 21. n. 17 Homobon. de exam. Eccles. p. 1. tr. 7. c. 6. q. 29. Aldrete de Relig. discipl. tuenda, lib. 1. c. 5. § 4. n. 28. Valent. to. 4. disp. 3 q. 10. pun. 5. §. 1. Filliuc. to. 2. qq. moral. tr. 28. c. 8 n. 151. Onuphr. opusc. de sigill. sect. 2. q 2 dub. 4.* quam sententiam putant veram esse in omnibus alijs criminibus sapientium tantum hæresis. His etiam adde *Sousam de Confessar. sollic. tr. 2. c. 6. n. 9. Lezan. in sum. qq. Regular. c. 10 n. 34. Portell. in addit. ad dubit. Regular. ver. Sollicitare fœminas, num. 18. Castr. Palaum tr. 4. disp. 9. pun. 10. n. 2. Rodriq. in comp. qq. Regul. resol. 131. num. 14. Ledes. in sum. tom. 2. tr. 4. c. 4. conc. 24. dub. 2. Acugn de*

27 *Confess. sollic. q. 18.* Hanc ipsam sententiam nõ desunt, qui extendant quoque in hæreticum formalem; atque ideò nec hæreticus quidem formalis sit statim denunciandus si speretur probabiliter eius emẽdatio per fraternam correctionem, iuxtà illud *D. Pauli ad Tit. c. 3 Hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem deuita,* vt habetur ex *D. Thoma 2. 2 q. 33. ar. 7. in corp. Soto lib. 5. de iust. & iure, qu. 5. ar. 1. vers. His tamen non obstantibus, Castr. lib. 2. de iusta hæretic. punit. c. 25. concl. vers. Nisi fortè, Nauar. in Man. c. 18. num. 56. Repertor. Inquisit. vers. Denunciatio, col. 3. ver.*

An

An quando, Tolet.lib.5.c.57.n.2.& Arag.2.2. 28 *q.33.ar.7.§.Dico secundò*, qui testatur hanc esse communem Theologorum opinionem. Est tamen verum, quod *D.Thom.d.ar.7.* excipit ab hac sententia hæreticum dogmatizantem, qui priuatim homines à fide auertit; siquidem huiusmodi hæreticum vult esse denunciandum, nulla præuia correctione, sicut si quis occultè tractaret quomodo Ciuitas tradatur hostibus: quoniam ex dilatione denunciationis talium criminum immineret periculum multitudini, & ità quidam putant intelligendum esse, *Castr.loc. citato, & Syman. de cathol.instit.tit.* Imò si agatur de Hæresiarca, qui dogmatizando grauiter nocuit Reipublicæ, is etiam si emendatus esset, debet denunciari, vt Reip. satisfaciat: & ità in praxi seruari testatur, *Genuens.in praxi Episc.c. 23.dub.4. & Molfes. p.1.sua sum. tr.7.c.24.nu. 21.* Vndè Doctores monent Confessarios, vt in hac re magna discretione, cautela, ac prudentia vtantur: quia non semper possunt cogere pœnitentes ad denunciandos Sacerdotes, qui in actu confessionis sollicitare eas præsumpserint, etiam si sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, id eis præcipiatur: non præuia maximè correctione, vt supra diximus, quibus adde *Panor.& alios in c.nouit, de iudic. Sot.de rat.teg. mem.2.q.1.con.1.& Say.tom.1. Thes.lib.1. c.9. n.34.* sed modo, tàm quoad hæreticos, quàm quoad sollicitantes damnata est ab Alex. VII. vtraque sententia, propter rationis infrà adducendas in add. præcipua.

29 Nàm licet hæc stando in solo iure naturæ, ac Diuino vera sint; nihilominus, quia Inquisitorum edicta in eiusmodi casibus, præsertim in heresi formali reijciunt correctionem, & præcipiunt simpliciter denunciationem, vt post alios testatur, *Seraph. Freyt.in addit.ad Acugn.de Confessar.sollic.q.18.n.31.* idcircò *Sanc. in select.disp.11.nu.56* quem refert, & sequitur, *P. Diana tom.4.tr. 5. resol.* 24. inquit, quòd licèt firmiter credatur, Confessarium per fraternam correctionem esse emendandum; non tamen ob id excusabitur mulier sollicitata ab illius denũciatione: quoniam licet in crimine hæresis, vel hæresis suspicionem præbente, qualis est sollicitatio, de qua agitur, stando in solo iure naturæ à denunciatione poterit quis cessare, si firmiter credat per secretam monitionem fore hæreticũ emendationẽ nacturum; quia tamen Inquisitorũ edictum publicatur de hæretico, siuè sollicitante Confessario deferendo, nulla præmissa monitione, quantumuis firmiter credatur emendationem nacturus, parendum erit præcepto. Etenim, inquit, quòd quando dicitur edictum obligare ad denunciandum, nulla præmissa correctione fraterna, non in eo sensu est intelligendum, quod edictum prohibeat correctionem absolutè; sed solùm obligat, vt denunciatio non omittatur titulo correctionis factæ, vel faciendę: atque ideò edicta eiusmodi non prohibent fraternam correctionem iure naturali, ac Diuino debitam; sed licèt sit facta, non ob id denunciatio omittatur: Siquidem ità expedit bono publico, ac Religionis, quod magis attendi debet, quàm particulare: iudicium enim de spe emendationis Confessarij sollicitantis, aut hæretici, Inquisitores meritò prohibent committi fœminis denunciaturis, sed sibi ipsis reseruant, qui tàquam docti, & in eiusmodi rebus experti sanius rem meditabuntur. Hanc ipsam sententiam docet, *Suar.tr.de fide, disp.20.sec.4. n.11.* qui Inquisitorum edictum, quoad hoc præsertim commendans, rationabile esse probat, ex eo quòd ob periculum communis detrimenti, quod est in peccato hæresis, rarissimè potest per solam monitionem priuatam remedium conueniens adhiberi, cùm magna prudentia necessaria sit ad cognoscendum, an hæreticus verè corrigatur, vel fingat, vt decipiat. Et finem adequatum eiusmodi denunciationis iudicialis inquit non esse solam emendam fratris; sed etiam publicam correctionem, & securitatem aliorum fideliũ; ad quem finem secreta correctio non est satis. Et quoad crimen sollicitationis nonnulli ex Doctoribus prioris sententiæ, qui eam tenent, eiusmodi Inquisitorum edictis fauere videntur: siquidem *Castrus Palaus tr. 4. disp. 9. pun. 10. n.2* inquit, raró emendationem in Confessario sollicitante correctione secreta sperari posse, ac proindè raró cessare obligationem illum denunciandi. *Sousa pariter in Aphor. Inquis. lib.1. c. 34.n. 56.* sic ait, Regulariter loquendo crimen

30 sollicitationis quantumcunque occultum statim denunciandum est, prætermissa secreta admonitione: Et *Henriq lib.6.c.17. n.4. in addit. litt. L.* ità quoque asserit, casus sollicitantis reseruatur censoribus fidei, quia serpit contra bonum commune, & honorem Christi, & vix vafer Confessarius emendari solet correctione. His addit quoque *P. Diana loco citato, Areual. de corect.frater.fol.118.* & verba *Iacobi de Granado in 2.2.D.Thom.contr.3.tr.12.disp.5.sect. 4.n.33.* qui loquens de correctione facienda in criminibus, quæ tendunt in boni publici detrimentum, vt est sollicitatio, de qua agitur, inquit, itaque non sufficit probabilitas, quòd delinquens iste emendabitur correctione priuata: quia cum hac verisimilitudine stare potest prudens timor, quòd delictum perseuerabit, & cõmunitas grauiter lædetur; necessaria ergò est certitudo, quam in re tanti momenti non facile sibi quisque persuadeat, nisi si non sit vir magnę authoritatis, & efficacitatis, non poterit, practicè loquendo certus omninò esse, quòd sua priuata monitio omninò impediat malum imminens communitati. Vndè his sic stantibus, Confessarij in hac re debent magna vti prudentia, habentes Deum tantùm, & bonum commune antè oculos, post posito omni particulari pœnitentium, ac aliorum commodo. His etiam adde, quæ habentur ex eodem *P. Diana, tom.1.tr. 4.resol.2.* & ex *Genuens.in praxi Episc.c.18.nu. 7.* vbi quamplurimos alios allegat, qui loquen-

31 tes de hæretico, censent tutius esse citrà monitionem eum denunciare: tantò magis, quia *Alph. Castr.lib.2. de iusta punit. heret.c.2. Siman.de cath instit.tit.19. & Rojas singul.3.de heret.* dicunt, quòd nulla lege præcipitur hæreticum prius corrigi, & posteà iudicibus denunciari: siquidem licet Matt. 18. legatur, *Si peccauerit in te frater tuus, &c.* hæreticus tamẽ non est frater, sed extraneus, & non peccat in te, sed in Deum. Est tamen verum, quòd *Alph. Castr.loc.cit.* relatus à *Genuen.* vbi supra, docet, quòd si quis sciat, aliquem lapsum esse in hæresim,

sim, sed nescit, an sit pertinax, tenetur illum corripere, priusquam denunciet: quoniam Denunciatorem oportet esse certum de crimine denunciando; nisi esset suspicio violenta; cùm *Sapien. Eccl. c. 11.* dicat: *Priusquam interroges, ne vituperes eum*. Non tamen eiusmodi correctionem, seu monitionem, diù prorogandam esse monet, idem *Genuens.* ne fortè damnum communi bono inferatur, si talis verè hæreticus esset. Sed hæc sententia est modo damnata ab Alex. VII. Pont. Maximo, sicuti infrà longius dicemus.

32 Secundò, limitatur dicta conclusio, vt pœnitens sollicitata excusetur à denunciando Confessarium, qui eam in confessione sollicitauit, si ex tali denunciatione probabiliter timeat notabile damnum in fama, in vita, & bonis proprijs, aut suorum. Hæc conclusio est *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 4. c. 3. n. 3. Sanc. in select. disp. 21. nu. 55. Laz. in summ. qq. Regul. c. 19. num. 34. Acugn. de Confessar. sollic. q. 19. nu. 6. Peyr. de priuil. Minim. tom. 2. const. 4. Gregor. XV. §. 9. n. 28. Sanctarel. in tract. de heresi, c. 9. n. 16. Homobon. tr. de cas. reser. p. 2. c. 1. & P. Diana to. 1. tr. 4. resol. 7. & tom. 4. tr. 5. resol. 19.* qui pro eadē opinione adducit verba, *Sousa in Aphoris. Inquis. lib. 1. c. 34. n. 58.* ità se habentis, Regulariter excusatur fœmina sollicitata à denunciando, si ex denunciatione ei sequatur mors, membri abscissio, vulnera, notabilis famæ, vel honoris iactura, amissio maioris, vel magnæ partis bonorum: aut hæc consanguineis, & affinibus vsque ad quartum gradum probabiliter euentura timeantur: & vt quis sufficienter, censeatur eiusmodi mala metuere, satis est, si probabiliter proximè euentura credantur: eisdemque de facili occurri non possit: Et qui illa minatur, possit, ac solitus sit minas executioni demandare. Est tamen verum, quòd *Acugn.* relatus ab eodē *Diana d. resol. 19.* sublimitat eiusmodi limitationem, quando ex omissione denunciationis bonum fidei periclitaretur, tunc enim ait metu cuiuscumque mali non debet prætermitti denunciatio. Et ità ipse *Diana* in hoc casu inquit admitti posse sententiam *Bonac. tract. var. disp. 6. pun. 1. §. 3. n. 6. in fine, & pun. 3. n. 11.* dum ait, sollicitatam teneri denunciare Confessarium, licet ex illa denunciatione probabiliter timeat notabile damnum: sicut teneretur quis denunciare hæreticum dogmatizantem in magnum Reip. damnum animas seducendo, &c. nàm quilibet pro patria debet exponere vitam, vt habetur ex *Genuens. in praxi Episc. c. 18. nu. 18.* quem refert, & sequitur *Diana tom. 1. tr. 4. resol. 7.*

Ex dictis infertur, quòd si aliqua mulier sollicitata à Confessario, siuè monialis, siuè sæcularis, non possit adire Inquisitorem ad eum de-

33 nunciandum citra infamiam, satisfaciet per Epistolam Missam ad Inquisitorem, vt habetur ex *Portell. in addit. ad dub. Regular. ver. Sollicitare fœminas*, vbi etiam addit satis esse si stet consilio Confessarij: nàm ità faciens facit, quod in se est ob id *Lazar. in tr. de Blasph. q. 12. nu. 60.* relatus à *Diana loco citato*, testatur consuluisse non debere accedere ad Inquisitorem quandam Virginem ex honestis parentibus, ex eo, quòd audierat seruum frequenter blasphemias etiam hæreticales proferentem: nàm ex tali denunciatione probabiliter timebat notabile malum in fama, vel honore sibi euenturum: Siquidem eam videntes ad Tribunal S. Officij accedere, facilè suspicari possent, eam de aliquo delicto inquisitam fore: & propterea consuluit, talem virginem satisfacere, si per litteras, aut per alios maximè suum Confessarium huiusmodi blasphemum denunciet. Hanc eandem sententiam tenent *Acugn. de Confessar. sollic. q. 19. per totam, & Molfes. p. 1. sua sum. tr. 7. c. 24. nu. 24. & Homob. de exam. Eccl. p. 1. tr. 7. c. 7. q. 32.*

34 Sed quoniam de infamiæ metu lis est inter Doctores: nam quidam volunt, metum infamiæ nō esse metum cadentem in constantem virum, vt in *l. nec timorem in princ. ff. de eo, quod met. causa*, ita se habente: *Nec timorem infamiæ hoc edicto contineri Pedius dicit lib. 8.* atque ideò non excusare à legis transgressione, docet *D. Thom. in 4. d. 29. q. vnica, ar. 2. ad 3.* vbi *Dur. q. 2. n. 4. in fine*: siquidem in tantum mulieres in casibus prædictis excusarentur à denunciatione sollicitantium, aut blasphemorum metu infamiæ, in quantum talis metus esset metus cadens in constantem virum, vt in *l. 1. iuncta, l. metum, ff. eod. tit.* Vndè pro solutione huius contrarij quidam intelligunt, *tex. illum in l. nec timorem*, de metu infamiæ de facto, vt quia denunciatus diceret, quòd malam cantilenam cantabit de denunciante, iuxtà ea, quæ dicit *Glosa in d. l. nec timorem, ver. Infamiæ*. Secus autem si infamia talis sit, quæ habeat iuris effectum, vt per *Glos. ibidem*, ad quod allegat *tex. in l. isti quidem, §. fin. ff. eod. Henr. lib. 11. de matr. c. 9. nu. 4. & Sanch. eod. tract. disp. 5. n. 14. lib. 4.* Siquidem eiusmodi infamiæ, & mortis timor æquiparantur, *l. iusta, ff. manumiss. vind.* ibi: *Iusta causa manumissionis est, si periculo vitæ, infamiave Dominum seruus liberauit.* Sed reuera si standum sit præfatæ distinctioni, timor mulieri sollicitatæ, quæ consentit maximè Confessarij libidini, ac sollicitationi, & verisimiliter dubitat ab eo manifestari si denunciet, videtur timor infamiæ de facto potius, quàm infamiæ, quæ habeat iuris ef-

35 fectum: & propterea esset dicendum, quòd non obstante eiusmodi infamiæ periculo, eam teneri ad denunciandum talem Confessarium, vt ostēdimus supra *ampl. 6.* Est tamen verum, quòd eo casu ab Ordinario, aut Inquisitore datur facultas Confessario recipiendi per scripturam, & cū iuramento denunciam, vt eam statim deferat ad ipsum Ordinarium, vel Inquisitorem, vt patet ex litteris S. Congregationis datis ad Archiepiscopum Neapolitanum, quas suprà ad verbum retulimus *d. ampl. 6.* in illis verbis: *Et quando il penitente tutta via persistesse nella medesima renitenza. N. S. se contenta, che dal Vescouo, ò dall'Inquisitore, se dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denuncia per portarla subito à chi haurà data l'autorità di pigliarla: & oltre le cose sudette, se occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denunciare, vuole sua Santità, che ne scriua quà, e s'aspetta la risposta, & in tanto se soprasteda nella assolutione.* Vndè in supradictis casibus, & alijs similibus, non potest Confessarius ad sui libitum recipere pœnitentis denunciam; sed præuia sibi facultate à Superioribus, iuxtà seriem, & tenorem

præ-

prædictarum litterarum.

36 Ex quibus patet, quòd quamuis mulier sollicitata, timore notabilis damni in fama, in vita, in bonis proprijs, aut suorum, nempè Patris, Matris, Mariti, vxoris, fratrum, aut aliorum coniunctissimorum, excusetur à denunciando per se ipsam Confessarium, qui eam ad turpia in confessione sollicitauit; non tamen Confessarius, qui eiusdem confessionem postea excepit, potest ad sui libitum, & ex se recipere denunciationem; sed debet prius consulere Ordinarium, aut Inquisitorem, à quo auctoritatem recipiendi denunciam habeat in casu sollicitationis Confessarij, cui pœnitens consentit, & iuxtà ordinationem dictorum Superiorum, & tenorem dictarum litterarum, tàm in eo casu, quã in alijs consimilibus procedere. Etenim potest dari causa ità vrgens, vt per eam moueantur Superiores ad excusandam mulierem à denunciatione, non modò per se ipsam, sed etiam per Confessarium: siquidem timor notabilis damni in fama, in vita, ac in bonis, tàm proprijs, quàm suorum, est timor cadens in constantem virum, qui regulariter excusat ab obligatione legis, vt in *d.l.1.& l.metum autem.ff quod met. causa*. Nemo enim tenetur cum tanto periculo testificari, vt habetur ex *Felino in c.dilecti, de testib. cogen.Nauar.in Man.c.25. nu.50.* & latè *Say. lib 12.Clau.Reg.c.28.dub.7.propos.3.* Et quamuis in multis casibus timor notabilis damni in persona, fama, ac in bonis temporalibus maximi amici dicatur timor cadens in constantem virum, vt latè *Sanch.lib.4:disp.4.n.9.* nihilominus non excusatur fœmina à denunciatione, si ex ea timeat graue damnum in bonis temporalibus talis amici, vt contra *Sanc. in select.disp. 21.n.55.* docet *Seraph. Freyt.in add. ad Acug. de Confessar.sollic.q.12.n.19.* quem refert, & sequitur *P. Diana tom.4.tr.5.resol.36.* qui addunt tunc ex amissionis bonorum temporalium timore quem excusari à denunciatione, quando statum ex illa mutare cogatur. Vndè ipse *Freyt.* testatur *nu.24.* quòd in facti contingentia consultus, vtrum creditor magnæ quantitatis, debitorem suum hæreticum Inquisitoribus denunciare teneretur cum probabili iactura debiti, propter difficultatem recuperandi illud à Fisco; respondit affirmatiuè, quoniam ob eam causam Denunciator statum non mutabat, cùm esset diues: nec timor ille iustus erat ad excusandum: nàm metus qui excusat debet esse iniustè illatus, & instans, non suspicatus in futuro, vt in *l.metum autem, la 2.ff.de eo, quod met.caus.*

37 Tertiò limitatur eadem conclusio, vt mulier non possit compelli ad denunciandum Sacerdotem à quo fuit in confessione sollicitata, vbi certò scit, dictum Sacerdotem fuisse ab alio denunciatum: nam ex quo Iudex factus est certus, certior fieri non potest, *c.cum qui de regul. iur.in 6.* & habetur ex *Sayro tom.1.Thes.lib.1. c.9.sub nu.34.* qui generaliter loquitur de quocunque crimine: quod quidem multò magis verum est, si Sacerdos denunciatus fuit confessus, vel conuictus de sollicitatione illius pœnitentis, qui non dum denunciauit: siquidem iudicium bis exerceri non debet in id ipsum; semel iudicata, & punita regulariter in iudicium reuocari non solet, vt iterum puniatur: Secus autem si Sacerdos eiusinodi fuit denunciatus ab alio de sollicitatione alterius pœnitentis; nàm tunc pœnitens tenetur eum denunciare, etiam si semel abiurauit; vt habetur ex *Bonac. tr. var. disp.6.pun.3.nu.15.* qui hanc esse rationem ait, quòd tunc non censetur sufficienter punitus, cũ grauiores pœnas pro pluribus delictis, quàm pro vno subire debeat; & eò magis, quoniam absolutus, vel condemnatus in causa hæresis, accedente noua probatione, iterum puniri, ac condemnari debet: ergò idem dicendum est in casu nostro, accedente noua denunciatione puniri debet, atque ideò præfatum Sacerdotem pœnitens compelli potest denunciare. Hanc eandem sententiam docet *P. Diana cõtra Seraph. Freyt. tom.4. tr.5. resol. 49.* quamuis in contrariã videatur inclinare *tom.1.tr.4.resol.26.* post *Freyt. in addit.ad Acugn de Confessar. sollic. q.3.nu. 34.* nam putat, talem Sacerdotem per abiurationem præsumi emendatum: at quis non tenetur denunciare hæreticum emendatum, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus *lim. 1.*

38 Quartò limitatur, vt pœnitens non teneatur, nec compelli possit ad denunciandum Confessarium quem scit fuisse sollicitatum ad turpia in confessione à muliere, & ei consensisse ad actus turpes, & sermones inhonestos, vt habetur ex *Acugn.de Confessar. sollic. q.11.* & in eum *Seraph. Freyt. n.24. Portell.in addit.ad dub.Regul.vers.Sollicitare fœminas,nu.10.* Hanc eandem sententiam tenuisse *Suar.* testatur *Acugn. loco citato.* Et rationem hanc esse volunt; quoniam sollicitatio supponit preces, & postulationes prærequisitas: & propterea Pontifices vtuntur verbis, allicere, vel prouocare: at Confessor prius prouocatus non rogat, non allicit, non prouocat: ergò non est denunciandus. His adde, quæ supra adnotauimus *ampl. 2.* cui nos remittimus ne bis idem repetere videamur.

† Adde, quod contraria opinio est omninò tenenda; nàm vt dicit noster doctissimus, & eruditissimus *P. Quarti sect. 1. cap. 1. de casibus reseruatis in sexto casu difficultat. prima*, quidquid sit de reseruatione, Confessarium esse denunciandum ab consensum præstitum sollicitationi pœnitentis; & probat, quia in Bulla citata Greg. XV. præcipitur, nedum esse denunciandos Confessarios sollicitantes, sed etiam illos, qui habuerunt tractatus inhonestos cum pœnitentibus; sed in casu nostro hoc ipso, quod Confessarius consensit sollicitationibus pœnitẽtis, verè dicitur habere tractatum inhonestum cum illo: tractatus enim perficitur ex assensu vtriusque, altero offerente, & altero acceptante; & affert *Patrem Lezanam*, sibi contrarium *to. 3. verbo denunciatio*; vbi pro hac sententia citat *Fagund.& alios*, & hæc opinio est tenenda, licet alibi antè Bullas editas aliter videatur patruus meus, cùm alijs sensisse: ex dictis etiam colligit ipse *P. Quarti*, quod si Confessarius nedum consẽtiat, sed etiam vicissim alliciat pœnitentem ad turpia ad confirmandam eius voluntatem in turpitudine oblata secundum omnes esse denunciandum, & incidere in casũ ab Episcopo reseruatum; quia verè est sollicitans, è contra si solùm interius consenserit non exprimendo suum consensum exterius, neque incidet in casum reseruatum; neque esse denunciandum,

dum, quia non est sollicitans; atque est particeps tractatus inhonesti humano modo; quia requiritur acceptatio externa.

39 Quintò limitatur ipsa conclusio secundùm aliquos vbi ad turpia sollicitata in confessione per Confessarium certò sciat, ipsum Confessariū benè sentire de catholica fide, ac de Sacramentis, & eam sollicitasse libidinis tantùm stimulis compulsum. Etenim Pontificiæ constitutiones subijcientes iurisdictioni Inquisitorum sollicitantes, ad turpia in confessione Sacramentali fundantur in præsumptione, quòd ità sollicitantes malè sentiant de Sacramentis, vt patet ex illis verbis Constit. Pij IV. & Pauli V. *Nos animum inducere nequeuntes, quòd qui de fide Catholica rectè sentiunt, Sacramentis ab Ecclesia Dei institutis abutantur, aut illis iniuriam faciunt*. At lex fundata in præsumptione, non obligat si præsumptio cessat, vt latè habetur ex *Homobon. in exam. Eccl. p. 1. tr. 5. c. 8 qu. 53.* Et quòd edictum fundatum in præsumptione, si præsumptio cesset, non alliget, docet *Ricc. p. 3. dec. 273 n. 6. & 30. Valerus different. vtriusque fori, verf. Hæresis, differ. 1. n 4.* vbi tractans de denunciationibus faciendis, vel non faciendis vigore edictorum Dominorum Inquisitorum, inquit. Quintò fallit in his, in quibus edictum se fundat in præsumptione, vt in Chiromanticis, Nigromanticis, & alijs, qui ex inspectione rimularum, vel linearum manuum aliqua prædicunt, si aliàs ego certè scio non habere tales pactum vllum cum Dæmone, non teneor denunciare: nàm motus Sixti V. circa hoc editus fundatur in præsumptione, quam quidem sententiam probabilem dicit esse, *Beccan. in summ. Theol. p. 2. tr. 3. c. 6 concl. 4. n. 5. & alij.* At contrariam opinionem docet *Seraph. Freyt. in add. ad Acugn de Confessar. sollic. q. 21. n. 26.* cum qua videtur pertransire *P. Diana tom. 4. tr. 5. resol. 10.* & hanc ego puto probabiliorem; quoniam iudicium discernendi circà suspicionem hæresis, non competit Confessarijs, aut alijs, sed Inquisitoribus, vt supra ostendimus *lim. 2 verf. Ex dictis infertur*, & insuper vide *add.* præcipuam infrà.

40 Sextò limitatur supradicta conclusio, vt puer sollicitatus ad turpia in confessione antè constitutionem Gregor. XV. vel fœmina sollicitata, extra confessionem in confessionario, aut in loco quocunque vbi confessiones Sacramentales audiuntur, vel etiam puer antè eandem constitutionem, non teneantur, nec cogi possint à Cōfessario ad reuelandum Sacerdotem sollicitantem. Hæc limitatio est *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 4. c. 3. sub n. 31. & in addit. nouiss. n. 74. Portell. in addit. ad dub. Regul. verf. Sollicitare fœminas, nu. 7. Anguiani de legib. lib. 5. contr. 1. n. 13. & seq. Mirand. in Man. Prel. to. 2. q. 23. ar. 20. Diana tom. 1. tr. 4. resol. 25 & to. 4. tr. 5. ref. 40.* vbi pro hac re allegat *Souf. in annot. ab Bull. Gregor. XV. nu 3.* ità se habentem, Aduertendum est, hanc Constitutionem, siuè in illis, quæ ex certa scientia confirmat, siue in alijs, quæ de nouo statuit, & obseruari vult, nō extendi ad præteritos lapsus, ad eos scilicet, qui eius sufficientem promulgationem præcesserunt: nullum enim verbum in ea inuenio, quod oppositum suadeat: vndè omnes casus antè huius sufficientem promulgationem puniendi sunt, iuxtà tenorem Constitutionis antiquæ Pauli V. Rationem autem hanc esse volunt, quia nulla lex siue Ciuilis sit, siue Canonica extenditur ad delicta facta de præterito; sed ad facienda tantùm de futuro; nisi lex ipsa apertis verbis exprimat, se velle punire præterita, vt habetur ex *tex. in cognoscentes, & fin. de constit.* Ex quibus infertur, quòd cùm nonnulli velint, sub antiquis

41 Bullis contra sollicitantes editis non comprehendi sollicitantes pueros in confessione, vel etiam fœminas extra occasionem confessionis in loco confessionarij, aut in loco quocunque vbi confessiones audiuntur; quæ tamen crimina comp ecti constitutionem Gregor. XV. satis supra ostendimus; dictam Gregorianam respicere crimina in futurum committenda, non autem ante illius editionem commissa. Et quamuis *P. Diana d. resol. 25. & 40* referat pro cōtraria opinione *Seraph Freyt. in editione nouissima de Confessar sollic q. 3 n. 15. & Hieronym. Rodriq in compend. qq. Regular. resol. 131. n. 1. Acugn de Confessar sollic q. 9 n. 10 Sanctarell. tr. de hæresi c. 44. n. 11. & Bonacc. in var. tr. de hæresi, disp. 6 pun. 3. n. 7.* imò *Suar. & Dalmad.* propter quam vtramque sententiam putat esse probabilem; nihilominus ego pace tantorum virorum puto à priori sententia non esse recedēdum, cùm pro ea relata iura clarissimè probent intentum. Hæc de ista quæstione, & de tota materia sollicitationis ad turpia in Sacramentali confessione.

† Additio præcipua, ac necessaria de sollicitatione post emanata nouissima Decreta Pontificia.

SVMMARIVM.

1 *Commendatur Doctrina* P. D. Pauli Mariæ Quarti C. R. *& præcipuè quàm dilucidè, maturè, & accuratè hanc materiam de sollicitatione expendit.*

2 *Confessarius sollicitatus ad turpia à pœnitente si consentiat eius suggestioni verè est denunciandus.*

3 *Confessarius nè dum si consentiat, verum etiā si vicissim alliciat ad turpia prouocatus à pœnitente est denunciandus.*
Sed non quando consensus est tātùm internus, & nullo signo expressus.

4 *Confessarius audiens confessionem mulieris impudicæ si non sollicitet in actu confessionis, sed mittat ad eam Nuntium, seu lenonem, vel literas, si id fecit immediatè post confessionem, seu tempore non longè distanti est denunciandus.*
Vbi vide sententiam circa hoc damnatam à S. P. Alex. VII.

5 *Similiter est denunciandus Confessarius fungens officio lenonis, siue in confessione, siue immediatè post sollicitans pœnitentem ad peccandum cum alio.*
Quid dicendum si sollicitet ad alia peccata.

6 *Confessarius sollicitans non in confessione, sed manens in confessionario si simulet confessionem*

nem est denunciandus; non verò si non simulet.

7 *Similiter est denunciandus Confessarius si sollicitet ad turpia, licet non sit in confessionario, sed ex occasione confessionis, seu sub velamine, & pratextu confessionis.*

8 *An detur in delicto sollicitationis paruitas materia: alij affirmant, alij negant: & quomodo sint conciliandæ hæ duo opiniones.*

9 *Confessarius si non aperte, sed signis, & verbis ambiguis, & metaphoricis sollicitet est denunciandus.*

Quid dicendum si proferat leue aliquod verbum suspectum, & interpretabile ad malum finem.

10 *Reijciuntur causæ, quæ antè Constitutionem S.P. Alex. VII. pro excusatione denunciandi adducebantur.*

11 *Primò reijcitur, & damnatur opinio si sollicitatus confiteatur cùm Confessario sollicitante.*

12 *Secundò reijcitur excusatio, quod tale facinus probari non possit.*

13 *Tertiò reijcitur prætextus correctionis fraternæ factæ, etiam si resipuit, & facienda etiam cum spe certa emendationis.*

Vide rationes potissimas, quas adducit ipse meus patruus.

14 *Quartò reijcitur limitatio, quæ excusat pœnitentem, nempè imminens periculum mortis, infamia, vel grauis damni.*

15 *Quintò reijcitur excusatio de illis, qui fuerunt complices, vel consensum præbuerunt.*

16 *Postremò datur vnicum, & saluberrimum remedium, vt cesset obligatio à sollicitato, quod est si Confessarius, qui sollicitauit, preueniat, & spontè denunciet se ipsum Inquisitoribus.*

QVia multa Decreta emanarunt, circà hanc materiam sollicitationis in confessione, & præcipuè nouissima, & saluberrima Alex. VII. P. M. operæ pretium duxi ex dictis quamplurima magis explanare, limitare, ac reijcere; & certa ab incertis secernere, ac demum omnia rectè, iuxtà mentem tanti Pontificijs cócludere.

1 Et quia doctissimus noster *Pater D. Paulus Maria Quarti*, fuit verus sectator illius summi ter maximi Pontificis, qui fuit vnus ex quatuor nostris conditoribus, nempè Pauli IV. qui Catholicæ fidei zelo, & ad confusionem hæreticorum vnà cùm præcipuo conditore S. CAIETANO Cl. Reg. Religionem instituit; & ipse *Pater Quarti* Scholasticis, & Moralibus disciplinis apprimè eruditus, eas in Collegio de fide propaganda cum laude docuit. De quo eruditissimus noster *P. Silos* de scriptoribus Cl. Reg. hæc autumat cunctis patefaciendo eius solidas opiniones (præclara licet vi mentis valeat, nunquam ostentando ingenio, in sectandis, tuendisque peregrinis opinionibus frænos laxat: expenditque accuratè quid instituta maiorum moneant, quid probati auctores, quid prudentia, quid ratio. Accidit namque sæpiùs, vt in eiusmodi de Christiano officio materijs, quisquis argutari æquo subtiliùs voluerit, sapientum censura, ac iudicijs vapulet) ideòque in materia tàm graui operæ pretium duxi non debere discedere ab eius præmaturo iudicio, quod, & demostrat in eius libro nuper in lucem edito, cuius ipse titulus, nempè matura discussio casuum Episcopalium præsefert maturitatem, ac sententiarum grauitatem. Quapropter.

2 Primò dico, quòd Confessarius sollicitatus ad turpia à pœnitente, licèt non sit verè sollicitans pœnitentem, sed potius sit ipse sollicitatus à pœnitente, & si sic prouocatus consentiat eius suggestioni, verè est denunciandus, sicuti iam dixi in *add.* post quartò limitatur.

3 Secundò est denunciandus secundùm omnes Confessarius, ne dum si consentiat, verùm etiam si vicissim alliciat ad turpia, ad confirmandam eius voluntatem in turpitudine oblata; & incidere, vt ipse *P. Quartus* ait, in casum Episcopo reseruatum, sicuti dixi in eadem *add.*

4 Tertiò Confessarius audiens confessionem mulieris impudicæ, si eam non sollicitet in actu confessionis, sed amore captus mittat ad illam Nuntium, seù Lenonem, vel litteras, quibus ad turpia sollicitet est denunciandus, si id fecit immediatè post confessionem, moraliter loquendo, seù tempore non longè distanti ab audita confessione; quia præsumitur perpetrasse hoc delictum, & cùm iniuria tanti Sacramenti; Nec obstat, quod nòn per se, sed per alium sollicitauerit, quia iuxtà illud; qui per alium facit per seipsum facere videtur. Et quò ad litteras à Summo Pontif. Alex. VII. fuit damnata hæc propositio, qua asserebatur non esse denunciandum Confessarium, qui in confessione tribuit pœnitenti chartam, posteà legendam in qua ad Venerem incitet. Verùm si Confessarius id fecit post longum tempus ab excepta confessione non videtur denunciandus, quia delictum non inuoluit iniuriam Sacramenti, ità *Lezana in summa qq. Regul. tom. 1. c. 19. num. 34 & tom. 3. verbo denunciatio num. 6. cum Graff. & alijs quos citat.*

5 Quartò similiter est denunciandus Confessarius fùgens officio Lenonis, siue in confessione, siue immediatè sollicitans pœnitentem ad peccandum, cùm alio, & incidit in casum reseruatum, vt constat in tabella casuum, & Bulla citata Greg. XV. & tenent citati Doctores. Sollicitans v. ad alia peccata e. g. ad furtum &c. licet grauiter peccet, non est tamen denunciandus, neque incidit in casum reseruatum, neque subiacet pœnis in tabella, & Bullis Pontificijs contentis, ità *Lezana* cum alijs supra.

6 Quintò si Confessarius sollicitet aliquem nó quidem in confessione, sed manens in confessionario, & simulet excipere confessionem illius, quem sollicitat est denunciandus, ex vi Bullæ Pontificiæ, in qua id clarè exprimitur; si verò non simulet confessionem, quamuis maneat in confessionario non est denunciandus; quia non præcipitur denunciatio, nisi in casu, in quo simulatur confessio, ità *Lezana* locis citatis, cum *Rodriquez, Quaranta*, & alijs, quos allegat.

7 Sextò si Confessarius sollicitet aliquem ad turpia ex occasione confessionis, licet non resideat in confessionario est denunciandus. E. g. si mulier rogaret Confessarium, vt excipiat suam confessionem, ostendens se grauari peccatis obscenis, & ea occasione Confessarius, dilata confessione in aliud tempus: vel si Confessarius sub prætextu, & velamine audiendi confessionem Bertæ, intraret illius domum, & illam sollicitaret

taret ad turpia, & in similibus casibus: sicuti patet ex Bulla Greg. XV. eo quia fit iniuria Sacramento; ità *Lezana* locis citatis, & alios citans.

8 Septimò in delicto sollicitationis, an detur paruitas materiæ excusans à peccato mortali, & à pœnis denunciationis.

Alij affirmant, quia sicut datur in alijs peccatis, ratione cuius peccatum, ex suo genere mortale transit in veniale, sic etiam dari potest in delicto sollicitationis; sicuti esset, si Confessarius non ex prauo animo alliciendi pœnitentem ad turpia dicat aliquod verbum suspectum, vel turpe, vel iocosum, sed ex leuitate, vel ex indiscreta vrbanitate, aut simplici beneuolentia, nullo modo aduertens aliquod graue periculum opinio tenet *Portell. apud Dianam p. 1. tract. 4. resol. 21.*

Alij verò negant posita aduertentia turpitudinis, vel indecentiæ verbi, quod profertur etiam seclusa praua intentione; ratio est, quia in administratione tanti Sacramenti videtur grauis deformitas miscere verba suspecta, & fit grauis iniuria eidem Sacramento, sicuti esset si Confessarius laudando pulchritudinem confitentis: & ità *Diana* suprà cum *Acugna*, & alijs quos citat. Imò dico ego, quod quando adest aduertentia etiam si verbum iocosum, & indecens, & turpe esset ex se peccatum veniale, tamen prolatum in administratione tanti Sacramenti, quæ debet esse seria, & grauis transiret in peccatum mortale, vt etiam ait ipse meus patruus, sed doctissimus *P. Quartus* ait, quod sic conciliandæ sunt hæ duo opiniones.

Si Confessarius deliberatè, & ex prauo animo inducendi ad turpia pœnitentem proferat verbum suspectum, secundùm se leue peccat mortaliter, & est denunciandus: quia prolatio illius verbi est executio prauę intentionis mortalis; ergò est peccatum mortale ratione finis mortalis: ergò subiacet pœnis reseruationis, & denunciationis. Et in hoc casu adhæreo secundæ sententiæ, quàm mordicus tenet etiam ipse meus patruus.

9 Octauò esset denunciandus Confessarius si sollicitaret non apertè, sed signis, & verbis ambiguis, & methaphoricis ex prauo tamen animo; tùm quia taciti, & expressi eadem est ratio; & tùm quia finis, vt dixi, est mortaliter malus, ità *Lezana* locis supra citatis cum *Barbosa*, *Peyrinis*, & alijs, quos allegat.

Si verò Confessarius proferat leue aliquod verbum suspectum, & interpretabile in malum sensum absque tamen praua intentione, vel fine lethali; item absque aduertentia alicuius periculi seductionis pœnitentis, seù lapsus ad turpia; non committeret peccatum lethale, atque adeò neque ligaretur reseruatione, quæ supponit peccatum mortale, neque esset denunciandus. Et ratio est, quia in hoc casu prolatio illa non esset vera sollicitatio, quæ supponit prauam intentionem inducendi aliquem ad turpia Neque aliunde habet malitiam mortalem, præsertim posita inaduertentia periculi, vt supra, & in hoc sensu adhæret primæ sententiæ, ipse *P. Quartus*.

10 Reijciuntur causæ, quæ antè Constitutionē Alexandri VII. pro excusatione denunciandi addocebantur; & standum est prorsùs Constitutioni, quæ incipit (licet aliàs) in qua sub grauibus censuris, & pœnis præcipitur, vt nemo possit aliquem retrahere, vel retardare à denunciādo sub quouis prętextu, vel mendicatis DD. opinionibus, quas breuitèr, & perlucidè recenset, & reijcit ipse noster *P. Quartus*.

11 Primò reijcitur, si sollicitatus confiteatur cū Confessario sollicitante, qui potest eum absoluere absque onere denunciandi: quæ opinio tanquam perniciosa, & scandalosa meritò damnata fuit à Sede Apostolica in Cathalogo opinionum, quas damnauit præfatus Alexander VII. die 24. Septembris 1665. Sic enim delinquentes commodum reportarent ex suo delicto, & daretur eis ansa perseuerandi in facinoribus, tàm perniciosis.

12 Secundò reijcitur excusatio à denunciatione facienda, eò quòd tale facinus probari non possit; quia sine probatione infamaretur inutilitèr denunciatus, qui occultè deliquit. Cum Iudex non possit procedere contra illum, cum præcedentibus probationibus. Cæterùm hæc opinio non habet locum in casibus pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij, in quo denuncians non tàm est accusator, quàm testis; & sic multiplicatis denunciationibus, habentur plures testes probantes delictum, præsertim in hoc crimine sollicitationis, quod alitèr probari non posset; vndè hæc opinio damnata fuit in Cathalogo sup. cit. propositionum damnatarum ab Alexandro VII. quare amplius sustineri non potest, quamuis anteà non defuerint, qui eam docuerint. vt videri potest apud *Dianam par. 1. tract. 4. resol. 1.* & vide fusiùs ipsum meum patruum, vt supra *disp. 3. sect. 10. n. 8.* Tertiò amplìatur.

13 Tertiò reijcitur prætextus correctionis fraternæ factæ, vel faciendæ, & sic cessare obligationem denunciandi Confessarium, qui post sollicitationem resipuit, vel post correctionem fraternam sit spes emendationis: tunc enim facta correctione, & sequuto effectu emendationis, cessat obligatio denūciandi, quia cesset finis, ad quem dirigitur denunciatio, scilicet periculum recidiui, & indigna Sacramenti administratio, vel suspicio de hæresi, &c. reijcitur igitur, vt dixi, hæc excusatio communiter in casibus pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij; quia denunciatio præcipi solet in duplicem finem, vel præcipitur in bonum priuatum pœnitentis, vt corrigatur, & emendetur; & in hoc casu præmitti omninò debet correctio fraterna, iuxtà Euangelium, vel præcipitur in bonum commune, & ad punitionem delinquentis, qua territi alij caueant à similibus delictis, & tunc non est necesse, vt procedat fraterna correctio, sed etiam emendatus est denunciandus: quamobrem hæc opinio de necessitate præmittendæ correctionis antè denunciationem iudicialem in causis fidei serio reijcitur in Constit. supra cit. Alexandri VII. incipiente. Licet aliàs, vndè in posterum non est admittenda. Doctores verò, qui ante prædictam Constitutionem eam admiserunt videri possunt apud *Dianam par. 1. tract. 4. res. 3.* aliàs præclaras, & firmas rationes adducit ipse meus patruus ad defensionem Cōstitutionis præfati Summi Pontificis, licet non suo æuo, sed in posterùm emanatæ, quas tu vide, & hic non est prætereundum, quod ipse meus pa-

patruus in omnibus voluminibus, quæ scripserat ante emanatas bullas, & decreta Pontificia, fuit inuentus nunquam dissonus, sed semper consonus opinionibus, & decretis Pontificijs, & semper Aduersarius ea aduersantibus.

14 Quartò reijcitur limitatio, quæ excusat pœnitentem, nempè imminens periculum mortis, infamiæ, vel grauis damni ex denũciatione Inquisitoribus facienda; quia præcepta positiua non obligant cum tanto periculo; sicut quamplurimi DD. aiunt apud *Dianam loc. cit. res.* 7. e.g. Virgo honesta, quæ est sub cura parentum, vel fratres habens Zelotypos ea fuit sollicitata à Confessario, nec potest adire Inquisitorem absque timore infamiæ, vel etiam mortis à fratribus sibi inferendæ ob suspitionem vehementem contra honorem hæc excusatio limitatur à citatis Auctoribus apud *Dianam*, qui non admittunt eam in casu hæresis formalis hæretici dogmatizantis in graue damnum communitatis; tunc enim teneretur quilibet denunciare etiam cum periculò mortis. Sed in casu nostro hæc causa cessat, quia si quæ mulier non potest accedere ad Inquisitorem, potest, & tenetur denunciare per Confessarium, tradito ei Chirographo sua manu firmato, vel signo crucis signato, si scribere nesciat. Sic enim cessat tale periculum, vt aduertunt nonnulli DD. apud *Dianam* supra. In quo casu tenetur Confessarius hoc onus subire, & denunciare nomine pœnitentis, quoties abest periculum fractionis sigilli Sacramentalis, quod abest posita commissione, & licentia pœnitentis; & ratio est quia non solùm sollicitati in confessione tenentur denunciare sollicitantem, sed etiam omnes conscij talis criminis, ad quos peruenit notitia à fide dignis. Qualiter debeat esse persona fide digna, vide ipsum meum patruum *disp. 3. sect. 10. n. 5. 6. & 7.* Secundò ampliatur.

15 Quintò reijcitur excusatio de illis, qui fuerunt complices delicti, vel consensum præbuerunt; sicuti esset mulier sollicitata à Confessario, & consensit cum illo in actibus turpibus, quia denunciando infamaret seipsam; siquidem Confessarius interrogatus fatebitur se sollicitasse prædictam mulierem, & rem habuisse cum illa; cùm ergò nemo tenetur denunciare, & infamare seipsum, ex *cap. quis aliquando de pœniten. dist.* 1. sequitur, nec teneri denunciare complicem, ità docent, *Pegna, Simancha, Suarez, Portell. apud Dianam par. 1. tract. 4. resol. 9.* ad hæc omnia Respondetur in casu nostro teneri omninò complicem denunciare Confessarium sollicitantem; quia benè id potest facere absque eo, quòd nullo modo prodat seipsum; etenim in Tribunali Sanctæ Inquisitionis sanctè, pièq; cautum fuit, vt denuncians non teneatur, neque permittatur manifestare suum consensum, aut cooperationem aliquam circa delictum Confessarij; nec permittitur Confessario delinquenti, vt manifestet mulierem sollicitatam, vel eius consensum: quod si ille manifestet non scribitur in actis: & sic cesset omnis ratio, & ipsa excusatio, vt notat *Diana res. 9. cit. circa finem.*

16 In vnico dumtaxat casu cessat obligatio à sollicitato, si Confessarius, qui sollicitauit, præueniat, & spontè denunciet seipsum Inquisitoribus, quia cessat finis vlterioris denunciationis eiusdem delicti, ideò enim præcipitur denunciatio, vt delinquens possit capi, & puniri ab Inquisitoribus, & præcaueri damnum, quod sequi posset in posterùm; sed in casu posito iàm seipsum obtulit puniendum, & est sub iudicio Inquisitorum, ergò cessante fine, cessare debet causa, ne sit frustatoria ipsa vlterior denunciatio, circà idem delictum. Vndè posito, quod constet pœnitenti sollicitato de spontanea denunciatione facta à Confessario contra seipsum, liber remanet sollicitatus ab obligatione denunciandi. Et hoc est vnicum remedium ad euadendam ipsam obligationem denunciandi, scilicet, quod sollicitatus procuret prædictam spontaneam denunciationem sollicitantis contra seipsum; & hoc vel per alium Confessarium, cui pœnitens manifestauit delictum prioris Confessarij delinquentis, vel per alium virum prudentia, & auctoritate præditum, qui seriò monere potest delinquentem, melius fore, vt seipsum denunciet, quo minùs, cùm eo agatur: Si enim noluerit, longè maius damnum subiturus, denunciandus infallibiliter à sollicitato, quod si delinquens obtemperet, & constet de spontanea denunciatione iàm facta, liber manebit sollicitatus, vti dicebamus.

Aliter obligatus ad denunciandum, regulariter loquendo, absoluendus non esset à Confessario, nisi post factam denunciationem: nisi vrgens, & grauis necessitas exigat, vt statim idē absoluatur, habens firmum propositum quamprimum denunciandi. Et ratio est, quia semel obtenta absolutione à peccatis, solent quamplurimi eam obligationem negligere, vel per longum tempus differre; & sæpè sæpiùs illius obliuisci, nec eam implere, in graue damnum communis boni, ità *Fagundez de præc. Eccl. præcep. 2. lib. 4. c. 3. n. 31. Auila, Pegna,* & alij apud *Dianam par. 1. tract. 4. resol.* 27. & hæc opinio seruanda est in praxi. Quamuis non desint *Auct.* oppositum sentientes, scilicet sufficere firmum propositum, quàm citius denunciandi, quibus videtur adhærere *Diana loc cit.* Certum est autem secundùm omnes, quando Confessarius dubitat, an pœnitens sit satisfacturus suæ obligationi denunciandi non esse ab eo absoluendum eundem pœnitentem, nisi post factam denunciationem.

Hæc omnia, quæ scripsi in hac præcipua Additione tibi deseruiant (candide Lector) vt cum repereris aliquam opinionem relatam ab ipso meo patruo antiquorum Auctorum aduersantem sanæ, ac firmæ doctrinæ Decretorum S. P. & præsertìm recentiorum Alex. VII. compertum, & ratum habeas emisisse omnem probabilitatem: & quæ supra tibi dixi prosequendo, inoffenso decurres pede; Vale, & iterum vale, vt semper valeat, & firmè consistat tua sententia:

Ibi, *vt more periti Medici, &c.* Cur Confessarius discretus debeat esse, ac cautus, Medici officio fungens in audiendis confessionibus.

SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius in audiendis confessionibus, quare non tantum Iudicis, sed etiam periti Medici munere fungatur.*

2 *Confessarius, sicut timorem incutere non debet quem consolari oportet, ita nec mansuetudine vti debet cum illo, quem acriter conuenit increpare.*

3 *Debet Confessarius super omnia patiens esse, & nunquam desperare de peccatoris salute.*

1 AD hanc rem respondetur, quòd Confessarius in audiendis confessionibus idcirco munere fungitur, non tantùm Iudicis, vt in *c. verbum, de pœnit. d. 1.* Sed etiam periti Medici officio fungi debet; quoniam sicut Medicus in curandis corporalibus morbis à leuioribus incipit medicamentis, & deindè grauiora, si viderit ægroto profutura, aliàs non adhibet; ità Confessarius animarum spiritualis Medicus in audiendis pœnitentium peccatis quantumuis enormibus dulcem erga eos se ostendere debet, & amabilem, nec austeritate vtatur, nisi eam viderit necessariam, & profuturam ad spirituales morbos curandos. Etenim Confessariũ humilem super omnia oportet esse; qui munus eius licèt sit eminentissimum, nec Angelis, nec Beatæ Virgini concessum, vt in *c. noua supra eod. tit. nostro*, nihilominus est Dei Minister, & Christi Domini vices gerens, dicentis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & proptereà debet esse non solùm humilis, sed etiam dulcis, & affabilis: si Deus benignus est, vt quid Sacerdos eius austerus? ait *tex. in c. alligant 26. q. 7.* vbi *D. Chrysost.* insuper Confessario consulens, ità inquit, vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus; circa alienam benignus. Et in *c. 1. §. quibus cognitis, de pœnit. d. 6.* de Cõfessario ipso sic legitur: *Sit beneuolus paratus erigere, & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate: adiuuet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo, semper eum iuuet leniendo, consolando, spem promittendo.* Debet igitur Sacerdos cauere à seueritate: nàm si in principio maximè confessionis seueritatem ostendat, peccatores multotiès scandalizati recedunt, non confitentur, & sanguinem illorum requiret Deus
2 de manibus eius, iuxtà illud *Ezechiel. 3.* Est tamen verum quòd in hac re discretum, & cautum oportet esse Confessarium, vt sicut timorem non incutiat ei, quem consolari oportet, vt præcipuè sunt pusillanimes, timidi, verecundi, qui ob increpationes deficere solent; ità è conuerso mansuetudine non vtatur cum illo, quem acriter cõuenit increpari: siquidem quemadmodum iustitia sine misericordia non est iustitia, sed crudelitas, ità quoque misericordia sine iustitia fatuitas est: & proptereà dum seueritas est necessaria, paterna sit, non tyrannica, vt habetur in *tex. in d. § quibus cognitis*, ibi: *Spem promittendo, & si opus fuerit etiam increpando, &c.* atque ideò exhibeat se Confessarij erga pœnitentes, vt matres fouendo, & vt patres in corrigendo, docet *D. Bonauent. tom. 1. opusc. in suo confessiona-*
3 *li.* Debent super omnia patientes esse, & nunquam desperari de peccatoris conuersione: nam hæc quidem non ab hominis industria; sed à solo Deo procedere, docent *Chrysost. homil. 10. ad Hebreos*, & alij. Si enim corporis vulnera difficiliter; nihil mirum est si difficilius curantur animæ: quapropter patienter, & paulatim disponendus est pœnitens, & à facilioribus incipiendum; & deindè ad ardua medicamenta deueniendum est, si fuerit opus, vt hæc, & aliæ habentur per *Reginal. lib. 1. suæ prax. nu. 56. & seq.* ex *D. Chrysostomo, Basilio*, & alijs. Imò hoc ipsum apertè docemur ex illis nostri §. verbis: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti Medici superinfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati.* Vinum, inquit, & oleum; idest rigorem, & misericordiam, exponit *Hostiens.* ibidem; quasi dicat, nec ex toto rigidus sit, ne peccator terreatur, vel à pœnitentia auertatur: nec ex toto misericors, ne iustitia dissoluatur, sed vtrumque miscendo emplastrum imponat vulneribus sauciati, vt hic, & in *c. à nobis, il 2. §. vt autem, de sent. excom. & c. disciplina 45. d.*

Ibi, *Diligenter inquirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, &c.* Qualiter discretus, & cautus debeat esse Confessarius in inuestigandis peccati, & peccatoris circumstantijs.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius in interrogandis pœnitentibus cautus debet esse, ac discretus, & non descendere ad particularia.*

2 *Pœnitens, maximè si puer sit, vel puella, & peccatum luxuriæ confiteatur, non debet querere Sacerdos, an se proprijs manibus polluerit, sed satis erit talem interrogare de modo, vel cum quibus.*

3 *Confessarius si videat pœnitentem, adeò incapacem, ac rudem, vt probabiliter credat, per se solum non esse satis ad confitendum omnia peccata, adiuuare illum tenetur debitis interrogationibus sub lethali culpa.*

4 *Si quis confiteatur rem sacram surripuisse, necesse non est eum interrogare, an rem de loco sacro subtraxerit.*

5 *Penitens si confiteatur, se esse furatum aliquam quantitatem, sufficientem ad lethalem culpam, & Confessarius sciat, aliquam determinatam quantitatem esse casum reseruatum, debet ipsum monere, vt declaret, alias secus.*

6 *Debet quoque Confessarius esse cautus, ac discre-*

scretus in inuestigandis circumstantijs, quæ peccantis conditionem, & qualitatem denotant.

7 *Confessarii munus, ars artium appellatur: propterea optimo Confessario incumberet, cognitionem habere omnium artium, & negotiationum, si possibile foret.*

1 PRO huius rei explicatione recolenda sunt, quæ suprà latè cumulauimus *tom. 1. §. 1. disp. 3. sect. 3.* de circumstantijs, tum peccati, tũ etiam peccatoris agentes, cui *sect.* nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Est tamen verum, quòd Confessarius in interrogandis pœnitentibus debet esse discretus, & cautus, vt non descendat ad particulares circumstantias, quæ necessaria non sunt, & impertinentes ad augendam, ac minuendam malitiam peccati; quoniã vt inquit *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 17. §. 3.* id est multoties se ipsum in tentationem inducere, & adinuentiones peccatorum docere eos, qui ignorant: & aliquando deinde talia referuntur in plateis in scandalum, ac derisum Sacramentorum, ac Sacerdotum. Hinc ait, quòd si quis confiteatur mulierem polluisse extrà vas, non est vlterius à Confessario inquirendum, in qua parte corporis, & quomodo pollutio facta fuerit; quoniam id esset impertinens ad augendam, aut minuendam malitiam peccati: nàm in qualibet parte corporis mulierem extra vas debitum polluerit, eodem modo peccauit. Et si confiteatur homicidium commisisse, non est interrogandus, an ante, vel post prandium hominem interfecerit; quoniam ridicula est eiusmodi interrogatio, cùm circumstantia illa temporis non augeat, nec minuat malitiam peccati; sed potiùs est interrogandus, an occiderit Laicum, vel Clericum, nam occisio Laici est simplex homicidium, at occisio Clerici est sacrilegium. Imò non statim interrogandus de speciali conditione personæ, circà quam commisit homicidium; sed satis est si primò interrogetur de conditione personæ in genere: nàm si simplicem, ac priuatam personam respondeat occidisse simplex homicidium commisit, *l. 1. ff. ad l. Cornel. de Sicar.* si Principem, vel eiusdem Magistratum occiderit, aut aliquid contra Remp. molitus fuerit, crimen læsæ Maiestatis contraxit, *l. 1. & toto tit. ff. ad l. Iul. Maiest.* Si Patrem, Matrem, Auum, Auiam, &c. paricidij reus efficitur, *l. 1. & l. pœna, ff ad l. Pompeiam de Paricid. & §. alia, in instit. de public. iudic.* Si denique Clericum, aut Monacum, vel Monialem interfecerit, in sacrilegium incidit, vt supra diximus. Et pœnitens, 2 præsertim si puer sit, aut puella, si fateatur, luxuriæ peccatum commisisse, non debet statim quærere Sacerdos, an se proprijs manibus polluerit, quoniam posset edoceri peccatum, quod ignorat; sed satis est talem interrogare de modo, seu cum quibus. Et si aduertat, pœnitentem verecundia agitari, & timeat eum velle culpam occultare, tunc sapienter, & quasi astutè eũ interroget, quod forsitan ignorat, paulatim eundem interrogans, an propter pudorem, aut verecundiam in præcedentibus confessionibus culpam aliquam omiserit: & doceat, nulliter confieri, qui peccatum aliquod in confessione reticet; etiam si alij Sacerdoti velit illud reseruare confitendum: imò & maximum sacrilegium committere, iuxtà illud *D. August. in c. consideret, §. cautus sit pœnitens de pœnit. d. 5.* ità dicentis: *Cautus sit pœnitens, nè verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit diuersis Sacerdotibus manifestare: quædam vni celat, quæ alij manifestanda reseruat; quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frustra totam putat peruenire, &c.* Leniter ipsum pœnitentem admoneat *D. Antonini verbis 3. p. tit. 14. c. 17. §. 5.* vtens, dum inquit: *Non debes erubescere, & propter ruborem omittere confessionem peccatorum, quod bonum est, & honestum.* Referat *D. Bernardi* sententiam ab eodem *D. Anton.* relatam, & se habentem: ***O nimia insania hominum, pudet ablui, & non pudet inquinari: abstergitur caliga, & contemnitur anima.*** Doceat Apostoli veritatem *Hebr. 4.* dicentis: ***Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.***

3 Quod si Confessarius videat pœnitentem, adeò incapacem, & rudem, vt probabiliter credere possit per se solùm, satis non esse ad confitendum omnia peccata, quæ commisit, tunc debitis interrogationibus sub lethali culpa obligatur ipsum adiuuare: quoniam confessionis materialis integritas, quando haberi potest, est de essentia Sacramenti pœnitentiæ, vt sæpè diximus; atque ideò si nouerit pœnitentem non posse integrè confiteri, nisi debitis interrogationibus adiuuetur, tunc tenetur discretè, ac cautè interrogare pœnitentem ipsum, de quibus expedire suæ saluti videbitur. Idem dicendum est, vbi Sacerdos nouerit pœnitentem memoriæ defectum habere: nàm licet putet debitam adhibuisse diligentiam in memorandis culpis; adhuc tamen interrogationibus est adiuuãdus, vt contra *Medin. c. de Confes. iter.* docet *Suar. de pœnit disp. 23. sect. 1.* cum alijs, quos allegat. Quò verò ad circumstantias materiæ peccati, si quis confiteatur furtum commisisse, interrogandus est pœnitens si Confessario videbitur de qualitate rei furto subtractæ, an prophana sit, vel sacra: nàm qui furatur rem prophanam, simplex furtum committit, qui verò 4 rem sacram, sacrilegium. Est tamen verum, quòd si confiteatur rem sacram surripuisse, non est necesse, vt interrogetur, an rem sacram in loco sacro subtraxerit: siquidem circumstantia rei sacræ, & circumstantia loci sacri ad eandem rationem formalem virtutis Religionis spectant, vt supra declarauimus *d. §. 1. disp. 3. sec. 3. vers. Circumstantia quid.* Item interrogandus est pœnitens de quantitate rei; nam qui rem notabilem furatur peccat mortaliter; qui verò rem minimam, peccat tantùm venialiter, vt ibidem adnotauimus. In quibus autem peccatis detur materia parua, quæ excusat à peccato, & in quibus non detur, vide *P. Dianam tom. 5. tr. 5. de paruit. mater. à resol. 1,* vsque ad *resol. 69.* inclusiuè, vbi latissime hanc rem pertractat: & nos etiam diximus supra *sect. 1. vers. Est igitur mortale.* Quòd si pœnitens interrogatus de quantitate furti, respondeat commisisse furtum rei tantæ quantitatis, ac valoris, quæ satis sit ad committendam lethalem culpam; tunc Sacerdos si sciat aliquam determinatam furti quantitatem 5 esse casum reseruatum, replicans moneat pœni-

tentem ipsum, vt declaret, an res furto subtracta ad quantitatem illam, casum reseruatum cõstituentem ascendat: quod si furtum cuiuscumque quantitatis sit non habeat reseruationem annexam; nec quantitas furti fuerit, adeò magna, vt excesserit ordinarium furandi modum; tunc pœnitens respondens se commisisse furtũ rei ascendentis ad peccatum mortale, non est vltra interrogandus: quia *d.§.1.disp.3.sect.3.con-5.& lim.6.* ostendimus probabilem esse sententiam eorum, qui docent, circumstantias aggrauantes nòtabiliter malitiam peccati intra eandẽ speciem non pertinere ad integritatem confessionis, atque ideò pœnitentem non obligari ad eas confitendas: quod tamen quomodo procedat in furto, sufficienter declarauimus *d. limit. 6.* quibus adde, quæ ibidem cumulauimus *conclusione 6. & 7.* dum probabiliorem existimauimus sententiam eorum qui volunt, circumstantias notabiliter aggrauantes malitiam peccati infrà eandem speciem pertinere ad integritatem confessionis; quamuis qui priorem opinionem in praxi seruaret ex rationabili causa nõ peccaret, ex qua sexta conclusione nonnulla deduximus, quæ ad praxim valdè vtilia sunt, atque deseruiunt: & propterea tota *d. sect. 3.* Legenda est, cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

6 Circa denique peccatorũ circumstantias, quæ conditionem, & qualitatem personæ peccantis denotant, Confessarius debet quoque discretus, & cautus esse in illis inuestigandis. Etenim si quis peccatum incontinentiæ confiteatur, consideranda est persona agens, & patiens. Nàm si Laicus solutus cum soluta incontinentiæ culpam contrahit, vnã tantùm fornicationis culpam committit, & insuper peccatum scandali si eam induxit ad peccandum: Sed si vxorem habeat, incidit etiam in adulterij crimen: & si coniugalem castitatem vouerit, efficitur quoque sacrilegij reus: & si denique sit persona publica addit malitiam scandali alterius generis: quoniam quò gradus altior, eò casus est grauior, *c. principium, de pœnit. d. 2. c. homo, 40. d.* & grauiora delicta facit sublimitas peccantium, *c. nulli fas 25. q. 1.* vt late declarauimus *d.§.1.disp.3.sect.3.in 3.not.vers. Denotat autem.* His adde quæ habentur ex *D. Augustino in c. consideret, de pœnit. d. 5.* ità se habente: *Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status, aut officij, &c.* Cęterùm quoad hæc omnia oportet esse Sacerdos discretus, & cautus, vt in ipso actu confessionis non interroget omnes de omnibus, sed vnumquemque, iuxtà proprium statum, & conditionem, vt habetur ex *D. Antonino 3. p. tit. 17. cap. 17. §. 3.* in qua re certa regula assignari non potest; sed totum eiusmodi negotium prudentiæ, ac discretioni Confessarij remittitur.

7 Et quoniam Confessarij munus, cùm versetur circa regimen animarum, ars artium appellatur, vt in *c. cum sit, de ætate, & qualit.* idcircò ad sufficienter inuestigandas tum peccati, tum peccatoris circumstantias, omnium hominum conditionum, qualitatum, graduum, dignitatum, munerum, & quarumcumque artium, & negotiationum cognitionem habere, optimo Confessario, si possibile foret, incumberet: quę quidem omnia cùm vnus, & idem propter naturæ humanę imbecillitatem assequi non valeat, opere pretium me facturum arbitror, si aliqua saltem attingam, quæ viam Confessarijs faciliorem reddant ad eorum munus sufficienter exercendum. Quocircà de nonnullis personarum generibus, tum Ecclesiasticarum, tum Sæcularium, & earum actibus, præsertim, qui culpabiliter effici solent, breuiter agemus: de ijs enim Confessarij pro viribus instructi, in inuestigandis, tum peccati, tum peccatoris circumstantijs qualiter habere se debeant, quale pœnitentibus præbere Consilium, & ad instar periti Medici ad saluandum ægrotum, quale remedium adhibere, prudenter intelligent. Vt igitur a capite incipiamus, videbimus primò de Summo Christi Vicario, & de alijs Ecclesiasticis, si non omnibus simul, saltem de quibusdam: & deindè de Imperatore, & aliquibus alijs Sæcularibus tum in dignitate constitutis, tum etiam artificibus, & negotiatoribus, qualiter Confessarij in eorum confessionibus audiendis discreti, ac cauti esse debeant.

De Summo Pontifice, & qualiter Confessarius in audienda eiusdem confessione discretus, ac cautus esse debeat.

DISP. IV.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex quamuis, vt homo possit in culpam prolabi, non tamen est erroribus, ità subiectus, vt cæteri homines.*
Et quæ pertinent ad fidem, ac ad bonum vniuersalis Ecclesiæ nullo pacto errare potest.

2 *Papa, licet sit Dei Vicarius Generalis, subijcitur, tàm in foro Sacramenti Sacerdoti, quem elegerit.*

3 *Potest culpam contrahere, ex defectu debitæ sollicitudinis, & in pluribus.*

IN excipienda S. Pontificis confessione non est admodum elaborandum: siquidem ad eiusmodi dignitatis culmen, non nisi doctissimi, ac sanctissimi viri regulariter assumuntur. Hinc ait, *tex. in c. 1. 40. d.* quòd S. Apostolica, aut inuenit Sanctum, aut facit Sanctum. Et quamuis, vt homo possit in culpam prolabi; nihilominus, vt homo, non est ità erroribus subiectus, vt alij homines, vt habetur ex *Panorm. in c. significasti, de elect. Felin. in c. 1. de constit.* & alijs relatis per *Viual. in explic. Bullæ Cœnæ can 2.* Imò in ijs, quæ pertinent ad fidem, ad mores, & ad bonum vniuersale totius Ecclesiæ, nullo pacto in errorem potest incurrere: & qui contrarium assereret in hæresim incideret, vt ex communi Theolog. & Canonistar. opinione, probat *Anton. Gabr. lib. 2. commun. opinion. tit. de clauf. §. 2. num. 1. Nauar. in c. placuit, num. 118. de pœnit.*

nit.d.1.& in Man. c.12. nu.89. quos nos retulimus in nostris *commentar. in Bull. Cęna, lib. 2.c.7.q.37 num.14.* vbi id ostendimus ex suppositione Diuinæ prouidentiæ gubernātis Ecclesiam Spiritu Sancto, ne decipiatur, iuxtà illud *Ioan. c.4. Spiritus Sanctus adueniens docebit omnem veritatem*, idest de necessarijs ad salu- 2 tem. Vndè licèt Papa sit Dei Vicarius generalis, ac ratione sui muneris, potestatis, ac dignitatis omnium Sanctissimus, & cunctis Superior. vt latè declarauimus in dictis nostris *Commentar. lib.1.c.4. q.2.* cùm tamen alicuius culpæ ex humana fragilitate se nouerit habere conscientiam, & in Sacramentali foro Sacerdoti, quem elegerit se submittat, tanquam speciali Dei Vicario, vt in *c.absit 11.qu. 3.* in illo actu non vendicat sibi locum Summi Sacerdotis, sed priuatæ personæ, ita vt ipse efficiatur minor; & Sacerdos maior, iuxtà ea, quæ habentur ex *Hostiens. in summ. eod. tit. nostro, num. 15.* atq; ideò subijcitur eiusdem Sacerdotis interrogationibus, ac iudicio, non secus, ac alij fideles. Potest autem Summ. Sacerdos culpam contrahere ex defectu debitæ sollicitudinis in regimine vniuersalis 3 Ecclesiæ: in concedendis dispensationibus, priuilegijs, ac indulgentijs: in promouendis Ecclesiasticis ad Ecclesiæ dignitates, atque officia; in conferendis Ecclesiasticis beneficijs: in donandis Ecclesiæ bonis: & vt temporalis Princeps peccare potest in omnibus, in quibus solent peccare Sęculares Principes, de quibus infrà, Deo duce, dicemus de Imperatore, ac Regibus agentes. Vt igitur Confessarius promptior reddatur ad consulendum Sacerdoti Summo, cuius confessionem excipit, sequentes controuersias discutiendas duximus, quibus instruatur. Debet tamen discretus esse, ac cautus, ne facilis sit in inuestigandis tanti viri peccatorum circumstātijs; nisi in casu, quo non aliter posset rectum ferre iudicium: nec velox ad remedium præbendum, nisi interrogatus: siquidem eius confessionem excipit, quem debet credere non indigere Confessarij adiumento in peccatis, & eorum circumstantijs, inuestigandis, nec etiam remedij cognitione ad præcauendum in futurum.

An Romanus Pontifex peccet, si negligens sit in procuranda, ac conseruanda pace inter Principes Christianos.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex peccat, si negligens sit in procuranda & conseruanda pace inter Principes Christianos.*

2 *Pro bono pacis potest Summus Pontifex Reges, & Principes, si pacem seruare contēnent Iurisdictione priuare, præmissa tamen monitione.*

Ac à fidelitatis iuramento Regis, subditos absoluere, vbi pacis capitulationi stare recusaret.

Et Castrum, vel Ciuitatem vni tollere, & alteri concedere.

3 *Pro bono pacis debet Summus Pontifex fędere copulare Christianos Principes in hostium fidei Catholicæ perniciem.*

AD hanc difficultatem breuiter respondetur affirmatiuè. Etenim Summus Pontifex ex 1 eo se appellat Episcopum, idest speculatorem, & superintendentem; quia, vt ait *Ioann. Monac. in proem 6. Decr.* non in partem sollicitudinis, sed in totam vocatus est, vt speculetur, & prospiciat populorum intrà se mores, ac vitam, vt in *c.Cleros 21. d.* Hæc autem sollicitudo consistit præcipuè in procuranda pace in Christiana Repub. vt legitur in proœmio Bullæ Cęnę Domini, in illis verbis: *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, ac sollicitudo, cùm in omni Christiana Republica pace, & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versetur, &c.* idem colligitur ex *tex. in c. studendum est, 90.d.* dum inquit: *Studendum est Episcopis, vt dissidentes fratres, siuè Clericos, siuè Laicos ad pacem magis, quàm ad iudiciū coerceāt.* Siquidem præcipua, & totius Ecclesiæ vnitas consistit in connexione membrorum inter se per dilectionem, & charitatem, mediante Spiritu Sācto, sub vno, & eodem capite. Ecclesia enim cum sit fidelium congregatio, dicitur mysticum Christi corpus, iuxtà illud Apost. ad *Ephes. c.1. Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Hæc autem membrorum connexio fit præsertim per vinculum pacis, vt habetur ex eodem Apostolo ibidem, *c. 4.* dicente: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnū corpus, & vnus spiritus, &c.* Per pacis conseruationem scandala remouentur, & ipse Summus Sacerdos fidelium pace quiescit, & fouetur in pace, vt in *c.1. de offic. leg. in 6.* Ad pacem scilicet, ac tranquillitatem Christianæ Reip. tuendam, & conseruandam, & ad scandala ex ea remouenda, Gregor. IX. quinque Decr. libros, & Bonifac VIII. sextum compilandos curauerūt: quoniam id Summis Pastoris proprium munus 2 est, vt ex eorum proœmio patet. Pro bono pacis potest Romanus Pontifex Reges, & Principes pacem seruare contemnentes, præmissa monitione, priuare, vt in *c.nouit, de iudic. c.discordes, & c placuit, 90.d.* Potest quoque à iuramēto fidelitatis subditos Regis absoluere, vbi pacis capitulationi stare recusaret, *arg. tex. in c. graui, de excessib. Prælat. &c.* Nos Sanctorū 15.q.6. Item pro bono pacis potest S. Pōtifex remittere omnia damna, & iniurias subditorum, vt per *Angel in l.3. ff. quod quisque iur.* Pro bono pacis etiam potest Ciuitatem, aut Castrum vni tollere, & alteri concedere: Siquidem pax cùm tendat in publicam vtilitatem, ad eam conseruandam potest auferre ius priuati, *Bart. in l. quicunque infirmatur, de fid. instrom. & iure hast. fisc. lib.10. & Bald. in l. rescripta, num.6 C de precib. Imper. offer.* quod verùm est, quando paci consuli aliter non potest, vt putat *Capyc. dec. 61. in fin. & dec.79.* Et denique, quod Romanus 3 Pontifex pro bono pacis debeat fędere copulare Catholicos Principes in perniciem hostium Catholicæ fidei facit, *tex. in c. nimium, 23.q.4.* Cū igitur proprium Rom. Pontificis munus sit, pacem, ac tranquillitatem Christianæ Reip. con-

seruare, & scandala ex ea remouere, si in hoc sit negligens proculdubio mortaliter peccat, cũ Episcopus in suo munere negligens culpam cõtrahat, & canis dicatur impudicus, *C qui nec*, 2. *qu*. 7.

An Summus Pontifex peccet, si negligens sit in dilatanda, ac propaganda Catholica fide, & in hæreticis, & alijs Catholicæ fidei inimicis conterendis. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex culpam contrahit, si in propaganda Catholica fide negligens sit, atque in coercendis alijs Catholicæ fidei inimicis.*

2 *Ad hæreticos coercendos, aliosque Catholicæ fidei inimicos licitum non est Papæ aduocare infideles, nisi quando aliter non posset se, & bona Ecclesiæ tueri.*

AD hanc difficultatem respondetur, S. Pontificem proculdubio culpam contrahere si 1 negligens sit in propaganda Catholica fide, & & in coercendis hæreticis, ac alijs Catholicæ fidei, & Christiani nominis inimicis. Etenim datus est in lumen Gentibus, iuxtà illud *Isaiæ c*.49. *Et constitutus est super omnes Gentes, & Regna, vt euellat, dissipet, ædificet, & plantet*. Vndè cùm proprium S. P. munus sit, plantare propagando fidem, euellere hæreses, dissipare hæreticos, & alios Catholici, & Christiani nominis inimicos, citrà omnem controuersiam si in hoc sit negligens mortaliter peccabit, cùm contra proprium munus faciat. Hinc ait *tex in c. si ea*, 23 *q* 4 *Si ea, de quibus vehementer Deus offenditur, insequi, vel vlcisci differimus, ad iracũdum vtique diuinitatis patientiam prouocamus*. & *in c. sicut ead. causa*, & *q. D. Gregor. Gennadio Patritio, & exarcho Africæ*, ita scribit: *Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ità oportet etiam inimicis Ecclesiæ eius omni viuacitate mentis, & corporis obuiare: quatenus eius ex vtroque triumpho magis, ac magis enitescat opinio: & cum forensibus bellis, aduersarijs Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistis, & Ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere: quatenus hæreseos sua venena ad labefacienda, si valuerins, Christiani corporis membra transfundãt. Cognouimus eos contra Catholicam Ecclesiam, Domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare: sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo recti udinis premat*. 2 Non tamen ad coercendos hæreticos, & alios Christianæ fidei hostes licitum est Summo Pontifici aduocare Infideles, nisi quando aliter non posset se, & bona Ecclesiæ tueri, & impetum hostium repellere non sine magno Catholicæ fidei detrimento: sicut latè egimus de hac materia in nostris commentarijs in *Bull. Cœnæ, lib*. 2. *c*. 7. *q*. 36. tractantes de Principe Christianorum aduocante milites infideles pro sui, suorumque bonorum tutela, aut recuperatione: nàm si talis Princeps ex licentia Rom. Pontificis, & concurrentibus quibusdam conditionibus ibidem relatis, id potest etiam contra alium Principem Christianum, multò magis erit licitum Rom. Pontifici aduocare infideles milites ad coercendos hæreticos, & alios Christiani nominis inimicos in casu prædicto: Siquidem negotium Domini nostri Iesu Christi agitur, cùm infideles impugnantur, vt in extrauag. *Ioann*. 22. quæ incipit, copiosius, & ibi, *Glos. verf. Negotium*. Et S. Pontifex tenetur in omnibus fidelium vltor esse, ac præcipuus adiutor, vt in *c. scire vos*, 23 *q*. 8. vbi *Leo Papa*, sic ait: *Scire vos oportet, quod nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi: sed si necessitas vlla occurrerit, præsentialiter vindicamus; quia nostri gregis in omnibus vltores esse debemus, & præcipui adiutores*.

An Summus Pontifex peccet, si sit negligens in opem ferendo Principibus Christianis pecunia, militibus, aut armis, dum impugnantur ab hæreticis, & alijs Christiani nominis inimicis, & hostibus. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Princeps Christianus si ab inimicis impugnetur Christiani nominis, eique non suppetant vires ad resistendum, nec ab alio adiuuetur, adiuuari debet à Romano Põtifice, militibus, armis, pecunia, &c.*

2 *Princeps quantumuis necessitate compulsus pro arcendis Catholicæ fidei inimicis, vti non potest rebus Ecclesiasticorum, propterea authoritate, impendi Tallias, onera, &c. sed adire debet Sum. Pontif.*

1 AD hanc difficultatem respondetur, quòd Princeps Christianus si impugnatur à Christiani nominis inimicis, & ei non suppetant vires ad resistendum, nec ab alijs adiuuatur, tunc Romanus Pontifex si potest, tenetur eidem opem ferre, mediantibus militibus, armis, pecunia, & quocunque alio modo: & si in hoc sit negligens proculdubio peccat mortaliter. Siquidem Rom. Pontifex non debet permittere gregem suum ab alijs opprimi; etiam si id fieri per propriam personam necessitas exigat, vt habetur ex *Leone Papa IV. in c. scire*, 23. *q* 8. ità dicente: *Nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi; sed si necessitas vlla occurrerit, præsentialiter vindicamus, quia nostris gregis in omnibus vltores esse debemus, & præcipui adiutores*. Idem dicendum est si aliquis Princeps Christianus zelo fidei Catholicæ mo-

motus contra fidei Christianæ, ac Christiani nominis inimicos bellum gesserit, vt eos perderet; & ingruente bello, milites, aut victualia ex aliquo accidenti ipsi defuerint, ità vt nisi adiuuetur, de facili succumbet, nec alium habeat à quo adiuuari valeat; tunc Rom. Pontifex eidem succurrere debet, si possit, etsi negligens existat in adiuuando, à culpa non excusatur. Etenim bella contra Christiani nominis inimicos Ecclesiastica sunt prælia, vt in *c. sicut, 23. qu. 4.* & negotium Domini nostri Iesu Christi agitur cùm Infideles impugnantur, vt in extrauag. *Io: XXII.* copiosius, & ibi, *Glos. vers. Negotium.*

2 Non tamen propria auctoritate Princeps quantumuis necessitate compulsus pro arcendis Catholicæ fidei inimicis vti potest rebus Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum imponendo tallias, & alia onera eiusmodi ipsis Ecclesiasticis ex defectu potestatis; sed si eius terrarum, ac subditorum vires non suppetant debet adire S. Pontificem, vt in *c. non minus, & c. aduersus, de immunit. Eccles.* Et si bello ingruente subita vrgeat necessitas, ità vt ad S. P. recursus haberi non possit; tunc per Episcopum, & Clerum loci onera prædicta Ecclesiasticis imponi possunt, vt latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna. lib. 2. c. 18. qu. 12.* cum alijs ibidem additis, *fol. 678.*

An S. Pontifex peccet dispensando, & priuilegia concedendo citra vllam causam.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex peccat dispensando, vt priuilegia concedendo citra vllam causam.*
Et suprà qua nàm eius extendatur potestas in dispensando.

2 *Celestinus III dispensauit cum Henrico Imperatore, vt duceret Constantiam Monialem, Regis Siciliæ filiam.*
Et aliorum pastorum etiam Parochorum.

3 *Residentia Episcoporum, non tantum est de iure Canonico, sed etiam iure Diuino, & naturali, ideò peccabit lethaliter Summus Pontifex si super ea sine causa dispensauerit.*

4 *Summus Pontifex dispensando sine causa super legem positiuam peccabit solum venialiter, & dispensatus tutus erit in conscientia.*

1 Ad hanc controuersiam respondetur affirmatiuè. Etenim quamuis S. Pontifex plenitudinem habeat potestatis, cui nihil resistere valet, vt in *clem. 1. in fin. vt lit. pend. c. proposuit, de concess. preb. Panorm. in c. vnico, vt Eccl. benef. Bald. in c. 1. de constit. & in l. 2. qu. 43. C. de seruis fugit.* ità vt potestas eius extendatur etiam supra Canones Apostolorum, cùm dispensare valeat, & de facto dispensauit, cùm bigamis, vt ad sacros Ordines promoueri possint, *c. Lector, 34. d.* Imò extenditur circà legem Diuinam, tum veteris, tum noui testamenti, vt habetur ex *Panorm. in c. licet, num. 3. de fer.* atque ideò dispensat in iuramento, *c. constitutus, de rescript. & c. 2. 15. q. 6.* dispensat in voto, *c. 1. de voto & voti redemp.* & hoc etiam si votum sit Religionis, & castitatis; ità vt validare possit matrimonium, tàm à simpliciter, quàm à sollenniter vouente contractum, vt per *Hostiens. in c. rursus circà fin. qui Cler. vel vouen.* & proptereà dispensare potest, vt Religiosi, ac Moniales, non obstante solemne voto castitatis, quod per solemnem professionem emiserunt possint matrimonium contrahere, ne Regium nomen pereat, vt per *Io: Andr. in c actus legitimi, & c. semel Deo, de regul. iur. in 6. Panor. in c. 1. de voto,* & alios, quos refert, & sequitur, *Felin. in c si quando, de rescr. & D. Thom. in 4. sent. d. 28. q. 1. ar. 4.* licèt contrarium doceat *2. 2. q. 88. ar. 1. in fine*; nàm ob id Celestin. III. dispensauit cum Henrico Imperatore, vt in vxorem duceret Constantiam Monialem Regis Siciliæ filiam, vt testatur *Rom. sing 596. & Marta de iurisd. p. 4. c. 79.* & nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 4. q. 7* vbi quoque probauimus ex iusta, ac legitima causa posse Papam secum dispensare in quocunque voto, etiam castitatis, ità vt possit vxorem ducere, & esse quoque Papa: & extendi eiusdem potestatem, adhuc circà eà, quæ sũt iuris naturalis; cùm seruitutem statuat contra eos, qui deferunt arma ad Saracenos, *c. ità quorundam, de Iudæis, & Sarac.* Nihilominus dispensatio iustam, ac rationabilem causam exigit dispensandi: & si sine causa dispensatio concedatur circa ea, quæ sunt iuris Diuini, vel naturalis, Papa non solùm peccat dispensando, sed etiam dispensatus non est tutus in conscientia: quoniam talis dispensatio, non dispensatio, sed dissipatio appellatur, vt habetur ex *Felino in c. qua in Ecclesiarum, num 25 & 26. de constit. Suar. p. 2. de Relig tr. 6. lib. 6. de irrit. & dispẽs. voti, c. 17.* cum alijs, quos allegat, *& Syl. in summ. vers. Dispensatio.*

3 Ex quo infertur, quòd residentia Episcopi, & aliorum Pastorum, etiam Parochorum, cùm non tantùm sit de iure Canonico; sed etiam de iure Diuino, ac naturali, ex quo tenentur pascere gregem sibi commissum, vt in *Concil. Trid. sess. 6 c. 1. de refor. Caiet. 2. 2. q 145. ar. 5. Nauar. in Man. c. 25. num. 121. Zecch. de casibus reser. casu 3. Less. lib. 2. de iustit. & iure, c. 34 n. 153. & seq.* cum alijs quamplurimis quos allegat, & sequitur *Garz. de Benefic. Eccl p. 3. c. 2. sub num. 16. vbi num. 17.* pro hac re affert constitutiones Pij IV. & Pij V. si S. P. super residẽtiam dispenset citrà vllam iustam, ac legitimam causam, proculdubio lethalem culpam contrahet, cùm eiusmodi dispensatio, non dispensatio, sed dissipatio diceretur: atque ideò circa iustam causam dispensatus super residentiam non esset tutus in conscientia. Idem dicendum est de dispensatione super pluralitate beneficiorum curatorum, cùm exigant residentiam iure Diuino, ac naturali debitam: nàm si absque iusta, ac rationabili causa fiat à Rom. Pontifice, ipse Romanus Pontifex culpam contrahet mortalem, & dispensatus non est tutus in conscientia, vt habetur ex *Panorm. & alijs in c. extirpandæ, de praeben.* Beneficia enim, quæ animarum curam habent annexam absque Curati præsentia nequeunt rectè administrari, cùm exactissima adhi-

haberi oporteat diligentia in curandis animabus sibi traditis, & Ecclesiarum necessitatibus, de qua re latius, Deo duce, infrà *sect.7.& disp. seq.* dicemus, de peccatis Eminentissimorum Cardinalium agentes.

4 Non tamen eodem modo dicendum est de Sum.Pont. dispensante, sine causa super legem positiuam humanam: nàm quamuis Princeps & si supremus dispensando in propria lege, & concedendo priuilegia sine causa offendat æqualitatem, quam iustitia erga omnes seruari petit, *c.iustum est, dist.9.* imò violat ius naturæ, quod dictat partem suo toti congruere debere, excipiens aliquem temerè, & impudenter per dispẽsationem, ac priuilegium; nihilominus non peccat plusquam venialiter: & dispensatus est tutus in conscientia, vt habetur ex *Sanch.* cum innumeris ferè Doctoribus, quos allegat *lib. 8. de matrim. disp. 8. n. 3. & 6.* Etenim eius est destruere, cuius est legem condere, & Princeps legibus est solutus, *l. digna vox, C. de legib.*

An S. Pontifex peccet concedendo indulgentias sine causa. SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Causa concedendi indulgentias differt ab opere iniungendo.*

2 *Summus Pontifex peccat, concedendo indulgentias sine causa: Et quarè.*

3 *Papa si citra iustam causam concedet indulgentias, erit nullius momenti concessio*

4 *Opus pium qui ad lucrandas Indulgentias solet iniungi, non est absolute necessarium, sed satis est iusta causa ex parte concedentis.*

1 AD tituli explicationem est adnot. quòd, vt diximus supra *tom. 1. §. 1. disp. 10. sec. 7.* quòd causa concedendi indulgentias differt ab opere. Etenim opus est onus, quod iniungitur ad lucrandas indulgentias, nempè ieiunium, eleemosyna, visitatio Ecclesiarum, & alia eiusmodi. Causa verò concedendi indulgentias est finis, quo Romanus Pontifex mouetur ad eas concedendas, nempè Religionis, & charitatis augmentum; pax Ecclesiæ. & aliæ similes. In hac igitur controuersia discurremus de causa principaliter, & aliqua etiam obiter de opere.

2 Ad hanc difficultatem respondetur affirmatiuè. Hæc conclusio patet ex ijs, quæ supra cumulauimus paulò suprà relata *sec 7. con. 2* Etenim Deus tantùm est Dominus Thesauri Ecclesiæ: S. Pontifex autem non est eiusdem dominus, sed dispensator, iuxtà illud *1. corinth. c. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, &c. & 1 Pet. c. 4. ibi: Sicut boni dispensatores multiformis*

3 *gratiæ Dei.* Ergò S. Pontifex citra culpam non posset concedere indulgentias, si nulla legitima causa subsistat; quoniam id non esset dispensare, sed dissipare Thesaurum Ecclesiæ. Hæc propositio adeò vera est; vt si Papa citra iustam causam indulgentias concedat, talis concessio esset nullius momenti, vt est *tex. in extrau. vnigenitus, de pænit. & remiss.* Imò ostendimus *d. sec. 7. concl. 2.* ad valorem indulgentię non solùm exigi piam, ac iustam causam, sed requiri proportionatam; ità vt minoribus indulgentijs minor causa requiratur, maioribus autem maior, quas conclusiones quoniam ampliauimus, & limitauimus, ne bis idem repetere videamur, ibidem nos remittimus.

4 Quò verò ad opus pium, quod solet iniungi ad lucrandas indulgentias non est absolutè necessarium, sed satis est iusta causa ex parte concedentis, vt probauimus supra *d. §. 1. disp. 10 sec. 8.* qua propter citra omnem culpam potest Sum.Pont. concedere Indulgentias, opere non iniuncto, quando causa est iusta, ac proportionata: nàm opus solet iniungi; quoniam talis modus est magis securus: cùm aliquando suppleat defectum causæ, vt ibidem diximus in *resp. ad primum.*

An Romanus Pontifex peccet imponendo pensiones super Ecclesiasticis beneficijs, iusta, ac rationabili non subsistente causa. SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex in beneficijs plenissimam habet potestatem.*

2 *Papa si sine iusta causa pensionem in beneficio alicui reseruat, peccat, valet tamen ipsa pensio.*

3 *Causæ enumerantur, quæ iustæ sunt ad reseruandas pensiones.*

4 *Pensiones adiudicari non possunt, nisi pro altaris ministerio, vel tanquam merces pro aliquo Ecclesiæ seruitio.*
An iustæ existimantur pensiones, quæ constituuntur Cardinalium famulis, & aliorum Prælatorum, vel vt tribuantur Cardinalibus, alijsque Prælatis non indigentibus, vel Clericis, aut Laicis solo consanguinitatis intuitu.

5 *Ex communi praxi Ecclesiæ pensiones constitui non solent maiores tertia parte fructuum.*
Quæ nàm regia assignetur in beneficijs Curatis circa pensionem imponendam.

6 *Quo nam casu pensio excedere possit tertiam partem fructuum.*

1 IN hac re videtur prima fronte negatiuè respondendum esse: siquidem S. Pontifex in beneficijs plenissimam habet potestatem, vt in *c. 2. de praben. in 6. clem. 1. in fine*, vt lite pend. & latè *Gig. de pens q. 6. num 1. & Coras de benefic. 1. p. c. 4 num. 9* Et quod Papa in reseruandis pẽsionibus non exigat causam, expresè docent *Felin. in c. ad audientiam, 2. de reser. nu. 2. & 4 Gig d q. 6. à num 6. & q. 10 Dec. cons. 436. Rebuff. de pacif. possess. num. 129. aliàs 110. Mandos. de signat. grat. tit. de pensionib. verbo Papa absque alia causa*; & alij quamplurimi, quos refert *Garz. de Benefic. Eccl. p. 1. c. 4. § 2. n. 275. & 276.*

2 His tamen non obstantibus contrariam sententiam puto veriorem esse, quam tenet *Azor.*

p. 2.

p. 2 *instit. moral. lib. 8. c. 5. q. 8.* dicens, peccare Papam, si sine iusta causa pensionem alicui reseruet, valere tamen ipsam pensionem, cùm solùm faciat contra Canones, & iura. Et quòad forum conscientiæ illicitè, ac iniustè reseruetur pensio, docent *Gambar post Felin. de offic. legati lib. 10. num 386. Victor. in relec. de Simon. nu. 50. & 51. Corduba lib. 1. qu. q. 21. pun. 2. Aragon. 22. q. 63. art. 2. vers. De annuis autem pensionibus. Rodriq. p. 2. sua sum. c. 21. Vega in sum. p. 2 c. 65. casu 6. Tolet in sum. lib. 5. c 83. nu. 1. vers. Secunda est, Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 34. num. 204 Sot. lib. 9 de iustit. & iure, q 7 ar. 2. Zecc. p. 2. sua sum. c. 94. sub num. 24. Garz. loco citato, sub num. 277. & alij quos allegat.* Est enim S. Pontifex dispensator, non autem beneficiorum Dominus, & plenissimam habet in eis potestatem, quoad forum exterius, vt valeat pensionum reseruatio citra vllam causam: at verò, quoad Deum, & in foro conscientiæ, peccat Papa irrationabiliter, & absque iusta causa reseruando pensionem; quia non diceretur fidelis dispensator, iuxtà illud *Luca c. 12. ibi: Quis putas est fidelis dispensator, &c.* Et sic patet responsio ad contrarium.

3 Causas autem iustas, ac rationabiles, quæ satis sint ad reseruandas pensiones, enumerat *Zecch. loco supra citato*; quarum prima est, cùm per eam adiumentum tribuitur alicui beneficiato pauperi in exercitio sui muneris, vt si Episcopo, aut Cardinali indigentibus pro conseruatione eorum dignitatum, & pro eorum munere subeundo datur pensio super aliquo Episcopatu, Abbatia, aut alio beneficio pinguioribus. Non enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis, & abundas indigentibus denegare, ait *D. Ambr. in c. sicut 11. 47. d.* Vndè si Ecclesia potest aliquando cogere Diuites ad eleemosynam dandam, vt per *Glos.* ibi: nàm, vt inquit, idem *Ambr loco citato*, Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terra defodis; tantò magis Romanus Pontifex potest constituere pensionem super aliquo beneficio pinguiori, vt prouideat beneficiato inopi in exercitio sui muneris, cum bona Ecclesiæ ad communes ipsius Ecclesiæ, & pauperum necessitates destinata sint. Secunda causa iusta, ac rationabilis reseruandi, ac constituendi pẽsionem super aliquod beneficium, est ad subueniendum alicui beneficiato senio confecto, aut perpetuo aliquo morbo laborãti, qui diù alicui Ecclesiæ inseruiuit, & ad præsens effectus est impotens; atque ideò beneficio renunciauit: quas quidem pensiones præfati *Zecch. & Sot. locis, & alij*, putant esse annexas spiritualibus; & propterea redimi non posse; sicut redimi possunt pensiones titulis Sæcularibus applicatæ; nempè Principibus, ac militibus: quoniam eiusmodi pensiones, ait *Sot.* ibi vendi quoque possunt. Terria causa rationabilis reseruandi, ac constituendi pensiones, vt supra, est seruitium aliquod temporale Ecclesiæ præstitum in bello, aut alibi: quæ, vt diximus temporalis est, atque ideò redimi, ac vendi potest. Quarta causa rationabilis constituendi pẽsiones est litium sedatio, quæ solent oriri in beneficijs. Quinta est pro adequandis fructi sunt in permutationibus beneficiorum: non tamen in eis ratio aliqua habenda est, dignitatis eorũ, vt rectè declarat *Sot.* vbi supra. Sexta est paupertas alicuius honesti Clerici, qui speratur vtilis futurus Ecclesiæ: nàm pro educando eiusmodi Clerico potest rationabiliter pensio constitui super aliquo beneficio.

Extra hos casus ait ibidem *Sot. & lib. 3. q. 6. ar. 2. in fine*, se non videre quomodo possint

4 pensiones constitui, cùm adiudicari non possint, nisi pro altaris ministerio, vel tanquam merces pro aliquo seruitio Ecclesiæ; etiam si non esset spirituale, nempè Duci, Militi, qui pro Ecclesia necessitatis tempore pugnant: quapropter decimarum tertiæ Hispaniarum Regi tributæ sunt. Est tamen verùm, quòd *Zecch. loco citato. in vers. De alijs pensionibus*, putat posse defendi pensiones, quæ constituuntur Cardinalium, & aliorum Prælatorum famulis; quia expedit pro communi bono Ecclesiæ ipsius Prælatos habere bonos, & honestos famulos; atque ideò iusta est pensio, quæ eis constituitur. Sed re vera, nisi famuli boni sint, & intuitu Prælatorum pauperum, qui debitam mercedem dare non valent pensiones ipsis constituantur citra culpam constitui non possunt: quia non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Et multò minus licitum est pensiones constituere super beneficia, vt tribuantur Cardinalibus, & alijs Prelatis diuitibus, & eis non indigentibus; aut Sæcularibus, vel etiam Clericis solius consanguinitatis, aut affinitatis intuitu, & citra omnem iustam, ac rationabilem causam: Siquidem bona Ecclesiæ sunt deputata principaliter pro indigenti-

5 bus, & non vt omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possit. Imò ex communi praxi Ecclesiæ pensiones non solent constitui Sęcularibus, maximè maiores tertia parte fructuum; quoniam contra rectam rationem est, vt Beneficiatus totum beneficij onus absque aliqua vtilitate, vel saltem non maiores, quam fructuum medietas, vt post alios, inquit *Garz. de benefic. Eccl. p. 1. c. 4. §. 3. num. 371. & 396.* qui quidem *Garz. d. num. 371.* inquit, quod quoad beneficia simplicia non potest assignari certa regula, benè tamen assignatur in beneficijs curatis, etenim per *Cõcil. Trid. sess. 24. c. 13.* fuit decretum, vt super Ecclesiam Cathedralem, non possit constitui pensio, nisi reditus excedant summam mille ducatorum: nec super Ecclesiam Parochialem, nisi fructus Ecclesiæ excedant summam centum ducatorum; atque ideò mens Concilij est; vt Episcopo mille; Parocho verò centum semper integri reseruentur, quod declara, iuxtà ea, quæ habentur ex *Garz. d. §. 3 num. 393 cum plur. seq.* Benè verum est, quod idem *Conc. sess.*

6 *7. c. 7. de refor.* in vno tantum casu concedit pensionem tertiam partem fructuum excedentem, quando beneficium, seù Ecclesia perpetuò vnita est alicui Monasterio, & curam habeat animarum: nàm à *Conc.* præcipitur solui alicui Parocho pensionem sufficientem ad honestam ipsius sustentationem, vt gerat Parochiæ curam, etiam si talis pensio tertiam partem fructuum excederet. Cæterum iniquum

est

taret ad turpia, & in similibus casibus: sicuti patet ex Bulla Greg. XV. eo quia fit iniuria Sacramento; ità *Lezana* locis citatis, & alios citans.

8 Septimò in delicto sollicitationis, an detur paruitas materiæ excusans à peccato mortali, & à pœnis denunciationis.

Alij affirmant, quia sicut datur in alijs peccatis, ratione cuius peccatum, ex suo genere mortale transit in veniale, sic etiam dari potest in delicto sollicitationis; sicuti esset, si Confessarius non ex prauo animo alliciendi pœnitentem ad turpia dicat aliquod verbum suspectum, vel turpe, vel iocosum, sed ex leuitate, vel ex indiscreta vrbanitate, aut simplici beneuolentia, nullo modo aduertens aliquod graue periculum opinio tenet *Portell. apud Dianam p. 1. tract. 4. resol. 21.*

Alij verò negant posita aduertentia turpitudinis, vel indecentiæ verbi, quod profertur etiam seclusa praua intentione; ratio est, quia in administratione tanti Sacramenti videtur grauis deformitas miscere verba suspecta, & fit grauis iniuria eidem Sacramento, sicuti esset si Confessarius laudando pulchritudinem confitentis: & ità *Diana* suprà cum *Acugna*, & alijs quos citat. Imò dico ego, quod quando adest aduertentia etiam si verbum iocosum, & indecens, & turpe esset ex se peccatum veniale, tamen prolatum in administratione tanti Sacramenti, quæ debet esse seria, & grauis transiret in peccatum mortale, vt etiam ait ipse meus patruus, sed doctissimus *P. Quartus* ait, quod sic conciliandæ sunt hæ duo opiniones.

Si Confessarius deliberatè, & ex prauo animo inducendi ad turpia pœnitentem proferat verbum suspectum, secundùm se leue peccat mortaliter, & est denunciandus: quia prolatio illius verbi est executio prauæ intentionis mortalis: ergò est peccatum mortale ratione finis mortalis: ergò subiacet pœnis reseruationis, & denunciationis. Et in hoc casu adhæreo secundæ sententiæ, quàm mordicus tenet etiam ipse meus patruus.

9 Octauò esset denunciandus Confessarius si sollicitaret non apertè, sed signis, & verbis ambiguis, & methaphoricis ex prauo tamen animo; tùm quia taciti, & expressi eadem est ratio; & tùm quia finis, vt dixi, est mortaliter malus, ità *Lezana* locis supra citatis cum *Barbosa*, *Peyrinis*, & alijs, quos allegat.

Si verò Confessarius proferat leue aliquod verbum suspectum, & interpretabile in malum sensum absque tamen praua intentione, vel fine lethali; item absque aduertentia alicuius periculi seductionis pœnitentis, seù lapsus ad turpia; non committeret peccatum lethale, atque adeò neque ligaretur reseruatione, quæ supponit peccatum mortale, neque esset denunciandus. Et ratio est, quia in hoc casu prolatio illa non esset vera sollicitatio, quæ supponit prauam intentionem inducendi aliquem ad turpia Neque aliunde habet malitiam mortalem, præsertim posita inaduertentia periculi, vt supra, & in hoc sensu adhæret primæ sententiæ, ipse *P. Quartus*.

10 Reijciuntur causæ, quæ antè Constitutionē Alexandri VII. pro excusatione denunciandi adducebantur; & standum est prorsùs Constitutioni, quæ incipit (licet aliàs) in qua sub grauibus censuris, & pœnis præcipitur, vt nemo possit aliquem retrahere, vel retardare à denunciādo sub quouis prętextu, vel mendicatis DD. opinionibus, quas breuitèr, & perlucidè recenset, & reijcit ipse noster *P. Quartus*.

11 Primò reijcitur, si sollicitatus confiteatur cū Confessario sollicitante, qui potest eum absoluere absque onere denunciandi: quæ opinio tanquam perniciosa, & scandalosa meritò damnata fuit à Sede Apostolica in Cathalogo opinionum, quas damnauit præfatus Alexander VII. die 24. Septembris 1665. Sic enim delinquentes commodum reportarent ex suo delicto, & daretur eis ansa perseuerandi in facinoribus, tàm perniciosis.

12 Secundò reijcitur excusatio à denunciatione facienda, eò quòd tale facinus probari non possit; quia sine probatione infamaretur inutilitèr denunciatus, qui occultè deliquit. Cum Iudex non possit procedere contra illum, cum præcedentibus probationibus. Cæterùm hæc opinio non habet locum in casibus pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij, in quo denuncians non tàm est accusator, quàm testis; & sic multiplicatis denunciationibus, habentur plures testes probantes delictum, præsertim in hoc crimine sollicitationis, quod aliter probari non posset; vndè hæc opinio damnata fuit in Cathalogo sup. cit. propositionum damnatarum ab Alexandro VII. quare amplius sustineri non potest, quamuis anteà non defuerint, qui eam docuerint. vt videri potest apud *Dianam par. 1. tract. 4. resol. 1.* & vide fusiùs ipsum meum patruum, vt supra *disp. 3. sect. 10. n. 8.* Tertiò amplatur.

13 Tertiò reijcitur prætextus correctionis fraternæ factæ, vel faciendæ, & sic cessare obligationem denunciandi Confessarium, qui post sollicitationem resipuit, vel post correctionem fraternam sit spes emendationis: tunc enim facta correctione, & sequuto effectu emendationis, cessat obligatio denūciandi, quia cesset finis, ad quem dirigitur denunciatio, scilicet periculum recidiui, & indigna Sacramenti administratio, vel suspicio de hæresi, &c. reijcitur igitur, vt dixi, hæc excusatio communiter in casibus pertinentibus ad Tribunal Sancti Officij; quia denunciatio præcipi solet in duplicem finem, vel præcipitur in bonum priuatum pœnitentis, vt corrigatur, & emendetur; & in hoc casu præmitti omninò debet correctio fraterna, iuxtà Euangelium, vel præcipitur in bonum commune, & ad punitionem delinquentis, qua territi alij caueant à similibus delictis, & tunc non est necesse, vt procedat fraterna correctio, sed etiam emendatus est denunciandus: quamobrem hæc opinio de necessitate præmittendæ correctionis antè denunciationem iudicialem in causis fidei serio reijcitur in Constit. supra cit. Alexandri VII. incipiente. Licet aliàs, vndè in posterum non est admittenda. Doctores verò, qui ante prædictam Constitutionem eam admiserunt videri possunt apud *Dianam par. 1. tract. 4. res. 3.* aliàs præclaras, & firmas rationes adducit ipse meus patruus ad defensionem Cōstitutionis præfati Summi Pontificis, licet non suo æuo, sed in posterùm emanatæ, quas tu vide, & hic non est prætereundum, quod ipse meus

pa-

patruus in omnibus voluminibus, quæ scripserat ante emanatas bullas, & decreta Pontificia, fuit inuentus nunquam dissonus, sed semper consonus opinionibus, & decretis Pontificijs, & semper Aduersarius ea aduersantibus.

14 Quartò reijcitur limitatio, quæ excusat pœnitentem, nempè imminens periculum mortis, infamiæ, vel grauis damni ex denũciatione Inquisitoribus facienda; quia præcepta positiua non obligant cum tanto periculo; sicut quamplurimi DD. aiunt apud *Dianam loc. cit. res. 7.* e.g. Virgo honesta, quæ est sub cura parentum, vel fratres habens Zelotypos ea fuit sollicitata à Confessario, nec potest adire Inquisitorem absque timore infamiæ, vel etiam mortis à fratribus sibi inferendæ ob suspitionem vehementem contra honorem hæc excusatio limitatur à citatis Auctoribus apud *Dianam*, qui non admittunt eam in casu hæresis formalis hæretici dogmatizantis in graue damnum communitatis; tunc enim teneretur quilibet denunciare etiam cum periculò mortis. Sed in casu nostro hæc causa cessat, quia si quæ mulier non potest accedere ad Inquisitorem, potest, & tenetur denunciare per Confessarium, tradito ei Chirographo sua manu firmato, vel signo crucis signato, si scribere nesciat. Sic enim cessat tale periculum, vt aduertunt nonnulli DD. apud *Dianam* supra. In quo casu tenetur Confessarius hoc onus subire, & denunciare nomine pœnitentis, quoties abest periculum fractionis sigilli Sacramentalis, quod abest posita commissione, & licentia pœnitentis; & ratio est quia non solùm sollicitati in confessione tenentur denunciare sollicitantem, sed etiam omnes conscij talis criminis, ad quos peruenit notitia à fide dignis. Qualiter debeat esse persona fide digna, vide ipsum meum patruum *disp. 3. sect. 10. n. 5. 6. & 7.* Secundò ampliatur.

15 Quintò reijcitur excusatio de illis, qui fuerit complices delicti, vel consensum præbuerunt; sicuti esset mulier sollicitata à Confessario, & consensit cum illo in actibus turpibus, quia denunciando infamaret seipsam; siquidem Confessarius interrogatus fatebitur se sollicitasse prædictam mulierem, & rem habuisse cum illa; cùm ergò nemo tenetur denunciare, & infamare seipsum, ex *cap. quis aliquando de pœnit. dist. 1.* sequitur, nec teneri denunciare complicem, ità docent, *Pegna, Simancha, Suarez, Portell. apud Dianam par. 1. tract. 4. resol. 9.* ad hæc omnia Respondetur in casu nostro teneri omninò complicem denunciare Confessarium sollicitantem; quia benè id potest facere absque eo, quòd nullo modo prodat seipsum; etenim in Tribunali Sanctæ Inquisitionis sanctè, pièq; cautum fuit, vt denuncians non teneatur, neque permittatur manifestare suum consensum, aut cooperationem aliquam circa delictum Confessarij; nec permittitur Confessario delinquenti, vt manifestet mulierem sollicitatam, vel eius consensum: quod si ille manifestet non scribitur in actis: & sic cesset omnis ratio, & ipsa excusatio, vt notat *Diana ref. 9. cit. circa finem.*

16 In vnico dumtaxat casu cessat obligatio à sollicitato, si Confessarius, qui sollicitauit, praeueniat, & sponte denunciet seipsum Inquisitoribus, quia cessat finis vlterioris denunciationis eiusdem delicti, ideò enim præcipitur denunciatio, vt delinquens possit capi, & puniri ab Inquisitoribus, & præcaueri damnum, quod sequi posset in posterùm; sed in casu posito iàm seipsum obtulit puniendum, & est sub iudicio Inquisitorum, ergò cessante fine, cessare debet causa, ne sit frustatoria ipsa vlterior denunciatio, circà idem delictum. Vndè posito, quod constet pœnitenti sollicitato de spontanea denunciatione facta à Confessario contra seipsum, liber remanet sollicitatus ab obligatione denunciandi. Et hoc est vnicum remedium ad euadendam ipsam obligationem denunciandi, scilicet, quod sollicitatus procuret prædictam spontaneam denunciationem sollicitantis contra seipsum; & hoc vel per alium Confessarium, cui pœnitens manifestauit delictum prioris Confessarij delinquentis, vel per alium virum prudentia, & auctoritate præditum, qui seriò monere potest delinquentem, melius fore, vt seipsum denunciet, quo minùs, cùm eo agatur: Si enim noluerit, longè maius damnum subiturus, denunciandus infallibiliter à sollicitato, quod si delinquens obtemperet, & constet de spontanea denunciatione iàm facta, liber manebit sollicitatus, vti dicebamus.

Aliter obligatus ad denunciandum, regulariter loquendo, absoluendus non esset à Confessario, nisi post factam denunciationem: nisi vrgens, & grauis necessitas exigat, vt statim idẽ absoluatur, habens firmum propositum quamprimum denunciandi. Et ratio est, quia semel obtenta absolutione à peccatis, solent quamplurimi eam obligationem negligere, vel per longum tempus differre; & sæpè sæpius illius oblivisci, nec eam implere, in graue damnum communis boni, ità *Fagundez de prae. Eccl. praecep. 2. lib. 4. c. 3. n. 31. Auila, Pegna,* & alij apud *Dianam par. 1. tract. 4. resol. 27.* & hæc opinio seruanda est in praxi. Quamuis non desint *Auct* oppositum sentientes, scilicet sufficere firmum propositum, quàm citius denunciandi, quibus videtur adhærere *Diana loc cit.* Certum est autem secundùm omnes, quando Confessarius dubitat, an pœnitens sit satisfacturus suæ obligationi denunciandi non esse ab eo absoluendum eundem pœnitentem, nisi post factam denunciationem.

Hæc omnia, quæ scripsi in hac præcipua Additione tibi deseruiant (candide Lector) vt cum repereris aliquam opinionem relatam ab ipso meo patruo antiquorum Auctorum aduersantem sanæ, ac firmæ doctrinæ Decretorum S. P. & præsertim recentiorum Alex. VII. compertum, & ratum habeas amisisse omnem probabilitatem: & quæ supra tibi dixi prosequendo, inoffenso decurres pede; Vale, & iterum vale, vt semper valeat, & firmè consistat tua sententia.

Ibi, *vt more periti Medici*, &c. Cur Confessarius discretus debeat esse, ac cautus, Medici officio fungens in audiendis confessionibus.

S E C. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Confessarius in audiendis confessionibus, quare non tantum Iudicis, sed etiam periti Medici munere fungatur.*

2 *Confessarius, sicut timorem incutere non debet quem consolari oportet, ità nec mansuetudine vti debet cum illo, quem acriter conuenit increpare.*

3 *Debet Confessarius super omnia patiens esse, & nunquam desperare de peccatoris salute.*

1 AD hanc rem respondetur, quòd Confessarius in audiendis confessionibus idcirco munere fungitur, non tantùm Iudicis, vt in *c. verbum, de pœnit. d.* 1. Sed etiam periti Medici officio fungi debet; quoniam sicut Medicus in curandis corporalibus morbis à leuioribus incipit medicamentis, & deindè grauiora si viderit ęgroto profutura, aliàs non adhibet; ità Confessarius animarum spiritualis Medicus in audiendis pœnitentium peccatis quantumuis enormibus dulcem erga eos se ostendere debet, & amabilem, nec austeritate vtatur, nisi eam viderit necessariam, & profuturam ad spirituales morbos curandos. Etenim Confessariũ humilem super omnia oportet esse; qui munus eius licèt sit eminentissimum, nec Angelis, nec Beatæ Virgini concessum, vt in *c. noua supra eod. tit. nostro*, nihilominus est Dei Minister, & Christi Domini vices gerens, dicentis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, & proptereà debet esse non solùm humilis, sed etiam dulcis, & affabilis: si Deus benignus est, vt quid Sacerdos eius austerus? ait *tex. in c. alligant* 26. *q.* 7. vbi *D. Chrisost.* insuper Confessario consulens, ità inquit, vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto aùsterus; circa alienam benignus. Et in *c.* 1. §. *quibus cognitis, de pœnit. d.* 6. de Cõfessario ipso sic legitur: *Sit beneuolus paratus erigere, & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate: adiuuet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo, semper eum iuuet leniendo, consolando, spem promittendo.* Debet igitur Sacerdos cauere à seueritate: nàm si in principio maximè confessionis seueritatem ostendat, peccatores multotiès scandalizati recedunt, non confitentur, & sanguinem illorum requiret Deus

2 de manibus eius, iuxtà illud *Ezechiel.* 3. Est tamen verum quòd in hac re discretum, & cautum oportet esse Confessarium, vt sicut timorem non incutiat ei, quem consolari oportet, vt præcipuè sunt pusillanimes, timidi, verecundi, qui ob increpationes deficere solent; ità è conuerso mansuetudine non vtatur cum illo, quem acriter cõuenit increpari: siquidem quemadmodum iustitia sine misericordia non est iustitia, sed crudelitas, ità quoque misericordia sine iustitia fatuitas est: & proptereà dum seueritas est necessaria, paterna sit, non tyrannica, vt habetur in *tex. in d.* § *quibus cognitis*, ibi: *Spem promittendo, & si opus fuerit etiam increpando*, &c. atque ideò exhibeat se Confessarij erga pœnitentes, vt matres fouendo, & vt patres in corrigendo, docet *D. Bonauent. tom.* 1. *opusc. in suo confessionali*.

3 Debent super omnia patientes esse, & nunquam desperari de peccatoris conuersione: nam hæc quidem non ab hominis industria; sed à solo Deo procedere, docent *Chrisost. homil.* 10. *ad Hebreos*, & alij. Si enim corporis vulnera difficiliter; nihil mirum est si difficilius curantur animæ: quapropter patienter, & paulatim disponendus est pœnitens, & à facilioribus incipiendum; & deindè ad acriora medicamenta deuenïendum est, si fuerit opus, vt hæc, & aliæ habentur per *Reginal. lib.* 1. *suæ prax. nu.* 56. & *seq.* ex *D. Chrisostomo*, *Basilio*, & alijs. Imò hoc ipsum apertè docemur ex illis nostri §. verbis: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti Medici super infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati.* Vinum, inquit, & oleum; idest rigorem, & misericordiam, exponit *Hostiens.* ibidem quasi dicat, nec ex toto rigidus sit, ne peccator terreatur, vel à pœnitentia auertatur: nec ex toto misericors, ne iustitia dissoluatur, sed vtrumque miscendo emplastrum imponat vulneribus sauciati, vt hic, & in *c. à nobis, il* 2. §. *vt autem, de sent. excom.* & *c. disciplina* 45. *d.*

Ibi, *Diligenter inquirens*, *& peccatoris circumstantias*, *& peccati*, &c. Qualiter discretus, & cautus debeat esse Confessarius in inuestigandis peccati, & peccatoris circumstantijs.

S E C. XII.

S V M M A R I V M.

1 *Confessarius in interrogandis pœnitentibus cautus debet esse, ac discretus, & non descendere ad particularia.*

2 *Pœnitens, maximè si puer sit, vel puella, & peccatum luxuriæ confiteatur, non debet quærere Sacerdos, an se proprijs manibus polluerit, sed satis erit talem interrogare de modo, vel cum quibus.*

3 *Confessarius si videat pœnitentem, adeò incapacem, ac rudem, vt probabiliter credat, per se solum non esse satis ad confitendum omnia peccata, adiuuare illum tenetur debitis interrogationibus sub lethali culpa.*

4 *Si quis confiteatur rem sacram surripuisse, necesse non est eum interrogare, an rem de loco sacro subtraxerit.*

5 *Penitens si confiteatur, se esse furatum aliquam quantitatem, sufficientem ad lethalem culpam, & Confessarius sciat, aliquam determinatam quantitatem esse casum reseruatum, debet ipsum monere, vt declaret, alias secus.*

6 *Debet quoque Confessarius esse cautus, ac discre-*

scretus in inuestigandis circumstantijs, quæ peccantis conditionem, & qualitatem denotant.

7 *Confessarii munus, ars artium appellatur: propterea optimo Confessario incumberet, cognitionem habere omnium artium, & negotiationum, si possibile foret.*

1 PRO huius rei explicatione recolenda sunt, quæ suprà latè cumulauimus *tom. 1. §. 1. disp. 3. sect. 3.* de circumstantijs, tum peccati, tū etiam peccatoris agentes, cui *sect.* nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Est tamen verum, quòd Confessarius in interrogandis pœnitentibus debet esse discretus, & cautus, vt non descendat ad particulares circumstantias, quæ necessaria non sunt, & impertinentes ad augendam, ac minuendam malitiam peccati; quoniā vt inquit *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 17. §. 3.* id est multoties seipsum in tentationem inducere, & adinuētiones peccatorum docere eos, qui ignorant: & aliquando deindè talia referuntur in plateis in scandalum, ac derisum Sacramentorum, ac Sacerdotum. Hinc ait, quòd si quis confiteatur mulierem polluisse extra vas, non est vlterius à Confessario inquirendum, in qua parte corporis, & quomodo pollutio facta fuerit; quoniam id esset impertinens ad augendam, aut minuendam malitiam peccati: nàm in qualibet parte corporis mulierem extra vas debitum polluerit, eodem modo peccauit. Et si confiteatur homicidium commisisse, non est interrogandus, an ante, vel post prandium hominem interfecerit; quoniam ridicula est eiusmodi interrogatio, cùm circumstantia illa temporis non augeat, nec minuat malitiam peccati; sed potiùs est interrogandus, an occiderit Laicum, vel Clericum, nam occisio Laici est simplex homicidium, at occisio Clerici est sacrilegium. Imò non statim interrogandus de speciali conditione personæ, circà quam commisit homicidium; sed satis est si primò interrogetur de conditione personæ in genere: nàm si simplicem, ac priuatam personam respondeat occidisse simplex homicidium commisit, *l. 1. ff ad l. Cornel. de Sicar.* si Principem, vel eiusdem Magistratum occiderit, aut aliquid contra Remp. molitus fuerit, crimen læsæ Maiestatis contraxit, *l. 1. & toto tit. ff. ad l. Iul. Maiest.* Si Patrem, Matrem, Auum, Auiam, &c. paricidij reus efficitur, *l. 1. & l. pœna, ff. ad l. Pompeiam de Paricid. & §. alia, in instit. de public. iudic.* Si denique Clericum, aut Monacum, vel Monialem interfecerit, in sacrilegium incidit, vt supra diximus. Et pœnitens,

2 præsertim si puer sit, aut puella, si fateatur, luxuriæ peccatum commisisse, non debet statim quærere Sacerdos, an se proprijs manibus polluerit, quoniam posset edoceri peccatum, quod ignorat; sed satis est talem interrogare de modo, seu cum quibus. Et si aduertat, pœnitentem verecundia agitari, & timeat eum velle culpam occultare, tunc sapienter, & quasi astutè eū interroget, quod forsitan ignorat, paulatim eundem interrogans, an propter pudorem, aut verecundiam in præcedentibus confessionibus culpam aliquam omiserit: & doceat, nulliter confiteri, qui peccatum aliquod in confessione reticet; etiam si alij Sacerdoti velit illud reseruare confitendum: imò & maximum sacrilegium committere, iuxtà illud *D. August. in c. consideret, §. cautus sit pœnitens de pœnit. d. 5.* ita dicentis: *Cautus sit pœnitens, nè verecundia ductus diuidat apud se confessionem, vt diuersa velit diuersis Sacerdotibus manifestare: quadam vni celat, quæ alij manifestanda reseruat; quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam per frustra totam putat peruenire, &c.* Leniter ipsum pœnitentem admoneat *D. Antonini verbis 3. p. tit. 14. c. 17. §. 5.* vtens, dum inquit: *Non debes erubescere, & propter ruborem omittere confessionem peccatorum, quod bonum est, & honestum.* Referat *D. Bernardi* sententiam ab eodem *D. Anton.* relatam, & se habentem: *O nimia insania hominum, pudet ablui, & non pudet inquinari: abstergitur caliga, & contemnitur anima.* Doceat Apostoli veritatem *Hebr. 4.* dicentis: *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.*

3 Quod si Confessarius videat pœnitentem, adeò incapacem, & rudem, vt probabiliter credere possit per se solùm, satis non esse ad confitendum omnia peccata, quæ commisit, tunc debitis interrogationibus sub lethali culpa obligatur ipsum adiuuare: quoniam confessionis materialis integritas, quando haberi potest, est de essentia Sacramenti pœnitentiæ, vt sæpè diximus; atque ideò si nouerit pœnitentem non posse integrè confiteri, nisi debitis interrogationibus adiuuetur, tunc tenetur discretè, ac cautè interrogare pœnitentem ipsum, de quibus expedire suæ saluti videbitur. Idem dicendum est, vbi Sacerdos nouerit pœnitentem memoriæ defectum habere: nàm licet putet debitam adhibuisse diligentiam in memorandis culpis; adhuc tamen interrogationibus est adiuuādus, vt contra *Medin. c. de Confes. iter.* docet *Suar. de pœnit disp. 23. sect. 1.* cum alijs, quos allegat. Quò vero ad circumstantias materiæ peccati, si quis confiteatur furtum commisisse, interrogandus est pœnitens si Confessario videbitur de qualitate rei furto subtractæ, an prophana sit, vel sacra: nàm qui furatur rem prophanam, simplex furtum committit, qui verò

4 rem sacram, sacrilegium. Est tamen verum, quòd si confiteatur rem sacram surripuisse, non est necesse, vt interrogetur, an rem sacram in loco sacro subtraxerit: siquidem circumstantia rei sacræ, & circumstantia loci sacri ad eandem rationem formalem virtutis Religionis spectant, vt supra declarauimus *d. §. 1. disp 3. sec. 3. vers. Circumstantia quid.* Item interrogandus est pœnitens de quantitate rei; nam qui rem notabilem furatur peccat mortaliter; qui verò rem minimam, peccat tantùm venialiter, vt ibidem adnotauimus. In quibus autem peccatis detur materia parua, quæ excusat à peccato, & in quibus non detur, vide *P. Dianam tom 5. tr. 5. de paruit. mater. à resol. 1,* vsque ad *resol. 69.* inclusiuè, vbi latissimè hanc rem pertractat: & nos etiam diximus supra *sect. 1. vers. Est igitur mortale.* Quòd si pœnitens interrogatus de quantitate furti, respondeat commisisse furtum rei tantæ quantitatis, ac valoris, quæ satis sit ad committendam lethalem culpam; tunc Sacerdos si sciat aliquam determinatam furti quantitatem

5 esse casum reseruatum, replicans moneat pœni-

tentem ipsum, vt declaret, an res furto subtracta ad quantitatem illam, casum reseruatum cōstituentem ascendat: quod si furtum cuiuscumque quantitatis sit non habeat reseruationem annexam; nec quantitas furti fuerit, adeò magna, vt excesserit ordinarium furandi modum; tunc pœnitens respondens se commisisse furtū rei ascendentis ad peccatum mortale, non est vltra interrogandus: quia *d. §. 1. disp. 3. sect. 3. con. 5. & lim. 6.* ostendimus probabilem esse sententiam eorum, qui docent, circumstantias aggrauantes notabiliter malitiam peccati intra eandē speciem non pertinere ad integritatem confessionis, atque ideò pœnitentem non obligari ad eas confitendas: quod tamen quomodo procedat in furto, sufficienter declarauimus *d. limit. 6.* quibus adde, quæ ibidem cumulauimus *conclusione 6. & 7.* dum probabiliorem existimauimus sententiam eorum qui volunt, circumstantias notabiliter aggrauantes malitiam peccati infrà eandem speciem pertinere ad integritatem confessionis; quamuis qui priorem opinionem in praxi seruaret ex rationabili causa nō peccaret, ex qua sexta conclusione nonnulla deduximus, quæ ad praxim valdè vtilia sunt, atque deseruiunt: & propterea tota *d. sect. 3.* Legenda est, cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

6 Circa denique peccatorū circumstantias, quæ conditionem, & qualitatem personæ peccantis denotant, Confessarius debet quoque discretus, & cautus esse in illis inuestigandis. Etenim si quis peccatum incontinentiæ confiteatur, consideranda est persona agens, & patiens. Nàm si Laicus solutus cum soluta incontinentiæ culpam contrahit, vnā tantùm fornicationis culpam committit, & insuper peccatum scandali si eam induxit ad peccandum: Sed si vxorem habeat, incidit etiam in adulterij crimen: & si coniugalem castitatem vouerit, efficitur quoque sacrilegij reus: & si denique sit persona publica addit malitiam scandali alterius generis: quoniam quò gradus altior, eò casus est grauior, *c. principium, de pœnit. d. 2. c. homo, 40. d.* & grauiora delicta facit sublimitas peccantium, *c. nulli fas 25. q. 1.* vt latè declarauimus *d. §. 1. disp. 3. sect. 3. in 3. not. vers. Denotat autem.* His adde quæ habentur ex *D. Augustino in c. consideret, de pœnit. d. 5.* ità se habente: *Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status, aut officij, &c.* Cęterùm quoad hæc omnia oportet esse Sacerdos discretus, & cautus, vt in ipso actu confessionis non interroget omnes de omnibus, sed vnumquemque, iuxtà proprium statum, & conditionem, vt habetur ex *D. Antonino 3. p. tit. 17. cap 17. §. 3.* in qua re certa regula assignari non potest; sed totum eiusmodi negotium prudentiæ, ac discretioni Confessarij remittitur.

7 Et quoniam Confessarij munus, cùm versetur circa regimen animarum, ars artium appellatur, vt in *c. cum sit, de ætate, & qualit.* idcircò ad sufficienter inuestigandas tum peccati, tum peccatoris circumstantias, omnium hominum conditionum, qualitatum, graduum, dignitatum, munerum, & quarumcumque artium, & negotiationum cognitionem habere, optimo Confessario, si possibile foret, incumberet: quę quidem omnia cùm vnus, & idem propter naturæ humanę imbecillitatem assequi non valeat, opere pretium me facturum arbitror, si aliqua saltem attingam, quæ viam Confessarijs faciliorem reddant ad eorum munus sufficienter exercendum. Quocircà de nonnullis personarum generibus, tum Ecclesiasticarum, tum Sæcularium, & earum actibus, præsertim, qui culpabiliter effici solent, breuiter agemus: de ijs enim Confessarij pro viribus instructi, in inuestigandis, tum peccati, tum peccatoris circumstantijs qualiter habere se debeant, quale pœnitentibus præbere Consilium, & ad instar periti Medici ad saluandum ægrorum, quale remedium adhibere, prudenter intelligent. Vt igitur a capite incipiamus, videbimus primò de Summo Christi Vicario, & de alijs Ecclesiasticis, si non omnibus simul, saltem de quibusdam: & deindè de Imperatore, & aliquibus alijs Sæcularibus tum in dignitate constitutis, tum etiam artificibus, & negotiatoribus, qualiter Confessarij in eorum confessionibus audiendis discreti, ac cauti esse debeant.

De Summo Pontifice, & qualiter Confessarius in audienda eiusdem confessione discretus, ac cautus esse debeat.

DISP. IV.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex quamuis, vt homo possit in culpam prolabi, non tamen est erroribus, ità subiectus, vt cæteri homines.*
Et quæ pertinent ad fidem, ac ad bonum vniuersalis Ecclesiæ nullo pacto errare potest.
2 *Papa, licet sit Dei Vicarius Generalis, subijcitur, tàm in foro Sacramenti Sacerdoti, quem elegerit.*
3 *Potest culpam contrahere, ex defectu debitæ sollicitudinis, & in pluribus.*

IN excipienda S. Pontificis confessione non est admodum elaborandum: siquidem ad eiusmodi dignitatis culmen, non nisi doctissimi, ac sanctissimi viri regulariter assumuntur. Hinc ait, *tex. in c. 1. 40. d.* quòd S. Apostolica, aut inuenit Sanctum, aut facit Sanctum. Et quamuis, vt homo possit in culpam prolabi; nihilominus, vt homo, non est ità erroribus subiectus, vt alij homines, vt habetur ex *Panorm. in c. significasti, de elect. Felin. in c. 1. de constit.* & alijs relatis per *Viual. in explic. Bullæ Cenæ can 2.* Imò in ijs, quæ pertinent ad fidem, ad mores, & ad bonum vniuersale totius Ecclesiæ, nullo pacto in errorem potest incurrere: & qui contrarium assereret in hæresim incideret, vt ex communi Theolog. & Canonistar. opinione, probat *Anton. Gabr. lib. 2. commun. opinion. tit. de clauf. §. 2. num. 1. Nauar. in c. placuit, num. 118. de pœnit.*

nit.d.1.& in Man. c.12.nu.89. quos nos retulimus in nostris *commentar. in Bull. Cęna, lib. 2.c.7.q.37 num.14.* vbi id ostendimus ex suppositione Diuinæ prouidentiæ gubernãtis Ecclesiam Spiritu Sancto, ne decipiatur, iuxtà illud *Ioan. c.4. Spiritus Sanctus adueniens docebit omnem veritatem*, idest de necessarijs ad salu-

2 tem. Vndè licèt Papa sit Dei Vicarius generalis, ac ratione sui muneris, potestatis, ac dignitatis omnium Sanctissimus, & cunctis Superior. vt latè declarauimus in dictis nostris *Commentar. lib.1.c.4. q.2.* cùm tamen alicuius culpæ ex humana fragilitate se nouerit habere conscientiam, & in Sacramentali foro Sacerdoti, quem elegerit se submittat, tanquam speciali Dei Vicario, vt in *c. absit 11. qu. 3.* in illo actu non vendicat sibi locum Summi Sacerdotis, sed priuatæ personæ, ita vt ipse efficiatur minor; & Sacerdos maior, iuxtà ea, quæ habentur ex *Hostiens. in summ. eod. tit. nostro, num. 15.* atq; ideò subijcitur eiusdem Sacerdotis interrogatorijs, ac iudicio, non secus, ac alij fideles. Potest autem Summ. Sacerdos culpam contrahere ex defectu debitæ sollicitudinis in regimine vniuersalis

3 Ecclesiæ: in concedendis dispensationibus, priuilegijs, ac indulgentijs: in promouendis Ecclesiasticis ad Ecclesiæ dignitates, atque officia: in conferendis Ecclesiasticis beneficijs: in donandis Ecclesiæ bonis: & vt temporalis Princeps peccare potest in omnibus, in quibus solent peccare Sęculares Principes, de quibus infrà, Deo duce, dicemus de Imperatore, ac Regibus agentes. Vt igitur Confessarius promptior reddatur ad consulendum Sacerdoti Summo, cuius confessionem excipit, sequentes controuersias discutiendas duximus, quibus instruatur. Debet tamen discretus esse, ac cautus, ne facilis sit in inuestigandis tanti viri peccatorum circumstãtijs; nisi in casu, quo non aliter posset rectum ferre iudicium: nec velox ad remedium præbendum, nisi interrogatus: siquidem eius confessionem excipit, quem debet credere non indigere Confessarij adiumento in peccatis, & eorum circumstantijs, inuestigandis, nec etiam remedij cognitione ad præcauendum in futurum.

An Romanus Pontifex peccet, si negligens sit in procuranda, ac conseruanda pace inter Principes Christianos. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex peccat, si negligens sit in procuranda, & conseruanda pace inter Principes Christianos.*

2 *Pro bono pacis potest Summus Pontifex Reges, & Principes, si pacem seruare contẽnent Iurisdictione priuare, præmissa tamen monitione.*

Ac à fidelitatis iuramento Regis subditos absoluere, vbi pacis capitulationi stare recusaret.

Et Castrum, vel Ciuitatem vni tollere, & alteri concedere.

3 *Pro bono pacis debet Summus Pontifex fœdere copulare Christianos Principes in hostium fidei Catholicæ perniciem.*

AD hanc difficultatem breuiter respondetur affirmatiuè. Etenim Summus Pontifex ex

1 eo se appellat Episcopum, idest speculatorem, & superintendentem; quia, vt ait *Ioann. Monac. in proem 6. Decr.* non in partem sollicitudinis, sed in totam vocatus est, vt speculetur, & prospiciat populorum intrà se mores, ac vitam, vt in *c. Cleros 21. d.* Hæc autem sollicitudo consistit præcipuè in procuranda pace in Christiana Repub. vt legitur in prœmio Bullæ Cęnę Domini, in illis verbis: *Pastoralis Romani Pontificis vigilantia, ac sollicitudo, cùm in omni Christiana Reipublica pace, & tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assiduè versetur, &c.* idem colligitur ex *tex. in c. studendum est, 90 d.* dum inquit: *Studendum est Episcopis, vt dissidentes fratres. siuè Clericos, siuè Laicos ad pacem magis, quàm ad iudiciũ coerceãt.* Siquidem præcipua, & totius Ecclesiæ vnitas consistit in connexione membrorum inter se per dilectionem, & charitatem, mediante Spiritu Sãcto, sub vno, & eodem capite. Ecclesia enim cum sit fidelium congregatio, dicitur mysticum Christi corpus, iuxtà illud Apost. ad *Ephes. c.1. Omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Hæc autem membrorum connexio fit præsertim per vinculum pacis, vt habetur ex eodem Apostolo ibidem, *c. 4.* dicente: *Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis, vnũ corpus, & vnus spiritus, &c.* Per pacis conseruationem scandala remouentur, & ipse Summus Sacerdos fidelium pace quiescit, & fouetur in pace, vt in *c. 1. de offic. leg. in 6.* Ad pacem scilicet, ac tranquillitatem Christianæ Reip. tuendam, & conseruandam, & ad scandala ex ea remouenda, Gregor. IX. quinque Decr. libros, & Bonifac VIII. sextum compilandos curauerũt: quoniam id Summi Pastoris proprium munus

2 est, vt ex eorum prœmio patet. Pro bono pacis potest Romanus Pontifex Reges, & Principes pacem seruare contemnentes, præmissa monitione, priuare, vt in *c. nouit, de iudic. c. discordes, & c placuit, 90. d* Potest quoque à iuramẽto fidelitatis subditos Regis absoluere, vbi pacis capitulationi stare recusaret, *arg. tex. in c. grauẽ, de excessib. Prælat. & c.* Nos Sancto[illegible] 15. *q. 6.* Item pro bono pacis potest S. Põtifex remittere omnia damna, & iniurias subditorum, vt per *Angel in l. 3. ff. quod quisque iur.* Pro bono pacis etiam potest Ciuitatem, aut Castrum vni tollere, & alteri concedere: Siquidem pax cùm tendat in publicam vtilitatem, ad eam conseruandam potest auferre ius priuati, *Bart. in l. quicunque infirmatur, de fid. instrum. & iure hast. fisc. lib. 10. & Bald. in l. rescripta, num. 6 C de precib. Imper. offer.* quod verùm est, quando paci consuli aliter non potest, vt putat *Capyc. dec. 61. in fin. & dec. 79.* Et deniquè, quod Romanus

3 Pontifex pro bono pacis debeat fœdere copulare Catholicos Principes in perniciem hostium Catholicæ fidei facit, *tex. in c. nimium, 23. q. 4.* Cũ igitur proprium Rom. Pontificis munus sit, pacem, ac tranquillitatem Christianæ Reip. con-

seruare, & scandala ex ea remouere, si in hoc sit negligens proculdubio mortaliter peccat, cũ Episcopus in suo munere negligens culpam cõtrahat, & canis dicatur impudicus, *C qui nec*, 2. *qu*. 7.

An Summus Pontifex peccet, si negligens sit in dilatanda, ac propaganda Catholica fide, & in hæreticis, & alijs Catholicæ fidei inimicis conterendis. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex culpam contrahit, si in propaganda Catholica fide negligens sit, atque in coercendis alijs Catholicæ fidei inimicis.*

2 *Ad hæreticos coercendos, aliosque Catholicæ fidei inimicos licitum non est Papæ, aduocare infideles, nisi quando aliter non posset se, & bona Ecclesiæ tueri.*

AD hanc difficultatem respondetur, S. Pontificem proculdubio culpam contrahere si 1 negligens sit in propaganda Catholica fide, & & in coercendis hæreticis, ac alijs Catholicæ fidei, & Christiani nominis inimicis. Etenim datus est in lumen Gentibus, iuxtà illud *Isaiæ c*. 49. *Et constitutus est super omnes Gentes, & Regna, vt euellat, dissipet, ædificet, & plantet*. Vndè cùm proprium S. P. munus sit, plantare propagando fidem, euellere hæreses, dissipare hæreticos, & alios Catholici, & Christiani nominis inimicos, citrà omnem controuersiam si in hoc sit negligens mortaliter peccabit, cùm contra proprium munus faciat. Hinc ait *tex. in c. si ea*, 23 *q* 4 *Si ea, de quibus vehementer Deus offenditur, insequi, vel vlcisci differimus, ad iracũdum vtique diuinitatis patientiam prouocamus*. & *in c sicut ead. causa*, & *q. D. Gregor. Gennadio Patritio*, & *exarcho Africæ*, ita scribit: *Sicut excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ità oportet etiam inimicis Ecclesiæ eius omni viuacitate mentis, & corporis obuiare: quatenus eius ex vtroque triumpho magis, ac magis enitescat opinio: & cum forensibus bellis, aduersarijs Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistis, & Ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere: quatenus hæreseos sua venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundãt. Cognouimus eos contra Catholicam Ecclesiam, Domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare: sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo recti udinis premat*. 2 Non tamen ad coercendos hæreticos, & alios Christianæ fidei hostes licitum est Summo Pontifici aduocare Infideles, nisi quando aliter non posset se, & bona Ecclesiæ tueri, & impetum hostium repellere non sine magno Catholicæ fidei detrimento: sicut latè egimus de hac materia in nostris commentarijs in *Bull. Cœnæ, lib*. 2. *c*. 7. *q*. 36. tractantes de Principe Christianorum aduocante milites infideles pro sui, suorumque bonorum tutela, aut recuperatione: nàm si talis Princeps ex licentia Rom. Pontificis, & concurrentibus quibusdam conditionibus ibidem relatis, id potest etiam contra alium Principem Christianum, multò magis erit licitum Rom. Pontifici aduocare infideles milites ad coercendos hæreticos, & alios Christiani nominis inimicos in casu prædicto: Siquidem negotium Domini nostri Iesu Christi agitur, cùm infideles impugnantur, vt in extrauag. *Ioann*. 22. quæ incipit, copiosius, & ibi, *Glos. vers. Negotium*. Et S Pontifex tenetur in omnibus fidelium vltor esse, ac præcipuus adiutor, vt in *c. scire vos*, 23 *q*. 8. vbi *Leo Papa*, sic ait: *Scire vos oportet, quod nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi: sed si necessitas vlla occurrerit, præsentialiter vindicamus; quia nostri gregis in omnibus vltores esse debemus, & præcipui adiutores*.

An Summus Pontifex peccet, si sit negligens in opem ferendo Principibus Christianis pecunia, militibus, aut armis, dum impugnantur ab hæreticis, & alijs Christiani nominis inimicis, & hostibus. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Princeps Christianus si ab inimicis impugnetur Christiani nominis, eique non suppetant vires ad resistendum, nec ab alio adiuuetur, adiuuari debet à Romano Põtifice, militibus, armis, pecunia, &c.*

2 *Princeps quantumuis necessitate compulsus pro arcendis Catholicæ fidei inimicis, vti non potest rebus Ecclesiasticorum, propterea authoritate, impendi Tallias, onera, &c. sed adire debet Sum. Pontif.*

1 AD hanc difficultatem respondetur, quòd Princeps Christianus si impugnatur à Christiani nominis inimicis, & ei non suppetant vires ad resistendum, nec ab alijs adiuuatur, tunc Romanus Pontifex si potest, tenetur eidem opem ferre, mediantibus militibus, armis, pecunia, & quocunque alio modo: & si in hoc sit negligens proculdubio peccat mortaliter. Siquidem Rom. Pontifex non debet permittere gregem suum ab alijs opprimi; etiam si id fieri per propriam personam necessitas exigat, vt habetur ex *Leone Papa IV. in c. scire*, 23. *q*. 8. ità dicente: *Nunquam ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi; sed si necessitas vlla occurrerit, præsentialiter vindicamus, quia nostris gregis in omnibus vltores esse debemus, & præcipui adiutores*. Idem dicendum est si aliquis Princeps Christianus zelo fidei Catholicæ mo-

motus contra fidei Christianæ, ac Christiani nominis inimicos bellum gesserit, vt eos perderet; & ingruente bello, milites, aut victualia ex aliquo accidenti ipsi defuerint, ità vt nisi adiuuetur, de facili succumbet, nec alium habeat à quo adiuuari valeat; tunc Rom. Pontifex eidem succurrere debet, si possit, etsi negligens existat in adiuuando, à culpa non excusatur. Etenim bella contra Christiani nominis inimicos Ecclesiastica sunt prælia, vt in *c. sicut, 23. qu. 4.* & negotium Domini nostri Iesu Christi agitur cùm Infideles impugnantur, vt in extrauag. *Io: XXII.* copiosius, & ibi, *Glos. vers. Negotium.*

2 Non tamen propria auctoritate Princeps quantumuis necessitate compulsus pro arcendis Catholicæ fidei inimicis vti potest rebus Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum imponendo tallias, & alia onera eiusmodi ipsis Ecclesiasticis ex defectu potestatis; sed si eius terrarum, ac subditorum vires non suppetant debet adire S. Pontificem, vt in *c. non minus, & c. aduersus, de immunit. Eccles.* Et si bello ingruente subita vrgeat necessitas, ità vt ad S. P. recursus haberi non possit; tunc per Episcopum, & Clerum loci onera prædicta Ecclesiasticis imponi possunt, vt latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna. lib. 2. c. 18. qu. 12.* cum alijs ibidem additis, *fol. 678.*

An S. Pontifex peccet dispensando, & priuilegia concedendo citra vllam causam.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex peccat dispensando, vt priuilegia concedendo citra vllam causam.*
Et suprà qua nàm eius extendatur potestas in dispensando.

2 *Celestinus III. dispensauit cum Henrico Imperatore, vt duceret Constantiam Monialem, Regis Siciliæ filiam.*
Et aliorum pastorum etiam Parochorum.

3 *Residentia Episcoporum, non tantum est de iure Canonico, sed etiam iure Diuino, & naturali, ideò peccabit lethaliter Summus Pōtifex si super ea sine causa dispensauerit.*

4 *Summus Pontifex dispensando sine causa super legem positiuam peccabit solum venialiter, & dispensatus tutus erit in conscientia.*

1 AD hanc controuersiam respondetur affirmatiuè. Etenim quamuis S. Pontifex plenitudinem habeat potestatis, cui nihil resistere valet, vt in *clem. 1. in fin. vt lit. pend. c. proposuit, de conceß. præb. Panorm. in c. vnico, vt Eccl. benef. Bald. in c. 1. de constit. & in l. 2. qu. 43. C. de seruis fugit.* ità vt potestas eius extendatur etiam supra Canones Apostolorum, cùm dispensare valeat, & de facto dispensauit, cùm bigamis, vt ad sacros Ordines promoueri possint, *c. Lector, 34. d.* Imò extenditur circà legem Diuinam, tum veteris, tum noui testamenti, vt habetur ex *Panorm. in c. licet, num. 3. de ser.* atque ideò dispensat in iuramento, *c. constitutus, de rescript. & c. 2. 15. q. 6.* dispensat in voto, *c. 1. de voto & voti redemp.* & hoc etiam si votum sit Religionis, & castitatis; ità vt validare possit matrimonium, tàm à simpliciter, quàm à sollenniter vouente contractum, vt per *Hostiens. in c. rursus circà fin. qui Cler. vel vouen.* & proptereà dispensare potest, vt Religiosi, ac Moniales, non obstante solemne voto castitatis, quod per solemnem professionem emiserunt possint matrimonium contrahere, ne Regium nomen pereat, vt per *Io: Andr. in c. actus legitimi, & c. semel Deo, de regul. iur. in 6. Panor. in c. 1. de voto,* & alios, quos refert, & sequitur, *Felin. in c. si quando, de rescr. & D. Thom. in 4. sent. d. 28. q. 1. ar. 4* licèt contrarium doceat *2. 2. q. 88. ar. 1. in fine;* nàm ob id Celestin. III. dispensauit cum Henrico Imperatore, vt in vxorem duceret Constantiam Monialem Regis Siciliæ filiam, vt testatur *Rom. sing 596. & Marta de iurisd. p. 4. c. 79.* & nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 4. q. 7* vbi quoque probauimus ex iusta, ac legitima causa posse Papam secum dispensare in quocunque voto, etiam castitatis, ità vt possit vxorem ducere, & esse quoque Papa: & extendi eiusdem potestatem, adhuc circà eà, quæ sũt iuris naturalis; cùm seruitutem statuat contra eos, qui deferunt arma ad Saracenos, *c. ità quorundam, de Iudæis, & Sarac.* Nihilominus dispensatio iustam, ac rationabilem causam exigit dispensandi: & si sine causa dispensatio concedatur circa ea, quæ sunt iuris Diuini, vel naturalis, Papa non solùm peccat dispensando, sed etiam dispensatus non est tutus in conscientia: quoniam talis dispensatio, non dispensatio, sed dissipatio appellatur, vt habetur ex *Felino in c. qua in Ecclesiarum, num 25 & 26. de constit. Suar. p. 2. de Relig. tr. 6. lib. 6. de irrit. & dispẽs. voti, c. 17.* cum alijs, quos allegat, & *Syl. in summ. vers. Dispensatio.*

3 Ex quo infertur, quòd residentia Episcopi, & aliorum Pastorum, etiam Parochorum, cùm non tantùm sit de iure Canonico; sed etiam de iure Diuino, ac naturali, ex quo tenentur pascere gregem sibi commissum, vt in *Concil. Trid. seß. 6 c. 1. de refor. Caiet. 2. 2. q 145. ar. 5. Nauar. in Man. c. 25. num. 121. Zecch. de casibus reser. casu 3. Leß. lib. 2 de iustit. & iure, c. 34 n. 153. & seq.* cum alijs quamplurimis quos allegat, & sequitur *Garz. de Benefic. Eccl p. 3. c. 2. sub num. 16. vbi num. 17.* pro hac re affert constitutiones Pij IV. & P. j V. si S. P. super residẽtiam dispenset citrà vllam iustam, ac legitimam causam, proculdubio lethalem culpam contrahet, cùm eiusmodi dispensatio, non dispensatio, sed dissipatio diceretur: atque ideò circa iustam causam dispensatus super residentiam non esset tutus in conscientia. Idem dicendum est de dispensatione super pluralitate beneficiorum curatorum, cùm exigant residentiam iure Diuino, ac naturali debitam: nàm si absque iusta, ac rationabili causa fiat à Rom. Pontifice, ipse Romanus Pontifex culpam contrahet mortalem, & dispensatus non est tutus in conscientia, vt habetur ex *Panorm & alijs in c. extirpandæ, de præben.* Beneficia enim, quæ animarum curam habent annexam absque Curati præsentia nequeunt rectè administrari, cùm exactissima ad-

hiberi oporteat diligentia in curandis animabus sibi traditis, & Ecclesiarum necessitatibus, de qua re latius, Deo duce, infrà *sect.7.& disp. seq.* dicemus, de peccatis Eminentissimorum Cardinalium agentes.

4 Non tamen eodem modo dicendum est de Sum.Pont.dispensante, sine causa super legem positiuam humanam: nàm quamuis Princeps & si supremus dispensando in propria lege, & concedendo priuilegia sine causa offendat æqualitatem, quam iustitia erga omnes seruari petit, *c.iustum est,dist.9.* imò violat ius naturæ, quod dictat partem suo toti congruere debere, excipiens aliquem temerè, & impudenter per dispẽsationem,ac priuilegium; nihilominus non peccat plusquam venialiter: & dispensatus est tutus in conscientia, vt habetur ex *Sanch.* cum innumeris ferè Doctoribus, quos allegat *lib. 8. de matrim.disp.8.n.3.& 6.* Etenim eius est destruere,cuius est legem condere,& Princeps legibus est solutus, *l.digna vox, C. de legib.*

An S. Pontifex peccet concedendo indulgentias sine causa. SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Causa concedendi indulgentias differt ab opere iniungendo.*
2 *Summus Pontifex peccat, concedendo indulgentias sine causa: Et quarè.*
3 *Papa si citra iustam causam concedet indulgentias, erit nullius momenti concessio*
4 *Opus pium qui ad lucrandas Indulgentias solet iniungi, non est absolute necessarium, sed satis est iusta causa ex parte concedentis.*

1 AD tituli explicationem est adnot. quòd, vt diximus supra *tom.1.§.1.disp.10.sec.7.* quòd causa concedendi indulgentias differt ab opere. Etenim opus est onus, quod iniungitur ad lucrandas indulgentias,nempè ieiunium, eleemosyna, visitatio Ecclesiarum, & alia eiusmodi. Causa verò concedendi indulgentias est finis, quo Romanus Pontifex mouetur ad eas concedendas, nempè Religionis, & charitatis augmentum; pax Ecclesiæ, & aliæ similes. In hac igitur controuersia discutiemus de causa principaliter, & aliqua etiam obiter de opere.

2 Ad hanc difficultatem respondetur affirmatiuè. Hæc conclusio patet ex ijs, quæ supra cumulauimus paulò suprà relata *sec 7.con.2* Etenim Deus tantùm est Dominus Thesauri Ecclesiæ: S. Pontifex autem non est eiusdem dominus,sed dispensator, iuxtà illud *1. corinth. c. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,&c.& 1 Pet. c. 4. ib:: Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.* Ergò S.Pontifex citra culpam non

3 posset concedere indulgentias, si nulla legitima causa subsistat;quoniam id non esset dispensare, sed dissipare Thesaurum Ecclesiæ. Hæc propositio adeò vera est; vt si Papa citra iustam causam indulgentias concedat, talis concessio esset nullius momenti, vt est *tex.in extrau. vnigenitus, de pænit. & remiss.* Imò ostendimus *d. sec. 7. concl. 2.* ad valorem indulgentię non solùm exigi piam, ac iustam causam, sed requiri proportionatam; ità vt minoribus indulgentijs minor causa requiratur, maioribus autem maior, quas conclusiones quoniam ampliauimus; & limitauimus, ne bis idem repetere videamur, ibidem nos remittimus. Quò verò ad opus pium,

4 quod solet iniungi ad lucrandas indulgentias non est absolutè necessarium, sed satis est iusta causa ex parte concedentis, vt probauimus supra *d.§.1.disp.10 sec.8.* qua propter citra omnem culpam potest Sum.Pont.concedere Indulgentias, opere non iniuncto, quando causa est iusta, ac proportionata: nàm opus solet iniungi; quoniam talis modus est magis securus: cùm aliquando suppleat defectum causæ, vt ibidem diximus in *resp.ad primum.*

An Romanus Pontifex peccet imponendo pensiones super Ecclesiasticis beneficijs, iusta, ac rationabili non subsistente causa. SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex in beneficijs plenissimam habet potestatem.*
2 *Papa si sine iusta causa pensionem in beneficio alicui reseruat, peccat, valet tamen ipsa pensio.*
3 *Causæ enumerantur, quæ iustæ sunt ad reseruandas pensiones.*
4 *Pensiones adiudicari non possunt, nisi pro altaris ministerio,vel tanquam merces pro aliquo Ecclesiæ seruitio.*
An iustæ existimantur pensiones, quæ constituuntur Cardinalium famulis, & aliorum Prælatorum, vel vt tribuantur Cardinalibus, alijsque Prælatis non indigentibus, vel Clericis, aut Laicis solo consanguinitatis intuitu.
5 *Ex communi praxi Ecclesiæ pensiones constitui non solent maiores tertia parte fructuum. Quæ nàm regia assignetur in beneficijs Curatis circa pensionem imponendam.*
6 *Quo nam casu pensio excedere possit tertiam partem fructuum.*

1 IN hac re videtur prima fronte negatiuè respondendum esse: siquidem S. Pontifex in beneficijs plenissimam habet potestatem, vt in *c.2.de praben.in 6. clem.1. in fine,* vt lite pend. & latè *Gig. de pens q.6. num 1. & Coras de benefic.1.p.c.4 num.9* Et quod Papa in reseruandis pẽsionibus non exigat causam, expresse docent *Felin.in c.ad audientiam,2.de rescr.nu.2. & 4 Gig d q.6.à num 6.& q.10 Dec.cons.456. Rebuff.de pacif.possess.num.129 aliàs 110.Mandos.de signat.grat.tit.de pensionib.verbo Papa absque alia causa;* & alij quamplurimi, quos refert *Garz.de Benefic.Eccl.p.1.c.4.§ 2.n.275. & 276.*

2 His tamen non obstantibus contrariam sententiam puto veriorem esse, quam tenet *Azor.* p.2.

p.2 instit.moral.lib.8.c.4.q.8. dicens, peccare Papam, si sine iusta causa pensionem alicui reseruet, valere tamen ipsam pensionem, cùm solùm faciat contra Canones, & iura. Et quòad forum conscientiæ illicitè, ac iniustè reseruetur pensio, docent *Gambar post Felin. de offic. legati lib. 10. num 386. Victor in relec. de Simon. nu. 50. & 51. Corduba lib. 1. qu. q. 21. pun. 2. Aragon. 22. q. 63. art. 2. vers. De annuis autem pensionibus, Rodriq. p. 2. sua sum. c. 21. Vega in sum. p. 2. c. 65. casu 6. Tolet in sum. lib. 5. c. 83. nu. 1. vers. Secunda est, Less. lib. 2 de iust. & iure, cap. 34. num. 204 Sot. lib. 9 de instit. & iure, q 7 ar. 2. Zecc. p. 2. sua sum. c. 94. sub num. 24. Garz. loco citato, sub num. 277. & alij quos allegat.* Est enim S. Pontifex dispensator, non autem beneficiorum Dominus, & plenissimam habet in eis potestatem, quoad forum exterius, vt valeat pensionum reseruatio citra vllam causam: at verò, quoad Deum, & in foro conscientiæ, peccat Papa irrationabiliter, & absque iusta causa reseruando pensionem; quia non diceretur fidelis dispensator, iuxtà illud *Lucæ c. 12. ibi: Quis putas est fidelis dispensator, &c.* Et sic patet responsio ad contrarium.

3 Causas autem iustas, ac rationabiles, quæ satis sint ad reseruandas pensiones, enumerat *Zecch. loco supra citato*; quarum prima est, cùm per eam adiumentum tribuitur alicui beneficiato pauperi in exercitio sui muneris, vt si Episcopo, aut Cardinali indigentibus pro conseruatione eorum dignitatum, & pro eorum munere subeundo datur pensio super aliquo Episcopatu, Abbatia, aut alio beneficio pinguioribus. Non enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis, & abundas indigentibus denegare, ait *D. Ambr. in c. sicut 11. 47. d.* Vndè si Ecclesia potest aliquando cogere Diuites ad eleemosynam dandam, vt per *Glos.* ibi: nàm, vt inquit, idem *Ambr loco citato,* Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est, & absolutio pecunia, quam tu in terra defodis; tantò magis Romanus Pontifex potest constituere pensionem super aliquo beneficio pinguiori, vt prouideat beneficiato inopi in exercitio sui muneris, cum bona Ecclesiæ ad communes ipsius Ecclesiæ, & pauperum necessitates destinata sint. Secunda causa iusta, ac rationabilis reseruandi, ac constituendi pēsionem super aliquod beneficium, est ad subueniendum alicui beneficiato senio confecto, aut perpetuo aliquo morbo laboräti, qui diù alicui Ecclesiæ inseruiuit, & ad præsens effectus est impotens; atque ideò beneficio renunciauit: quas quidem pensiones præfati *Zecch. & Sot. locis, & alij*, putant esse annexas spiritualibus; & propterea redimi non posse; sicut redimi possunt pensiones titulis Sæcularibus applicatæ; nempè Principibus, ac militibus: quoniam eiusmodi pensiones, ait *Sot.* ibi vendi quoque possunt. Tertia causa rationabilis reseruandi, ac constituendi pensiones, vt supra, est seruitium aliquod temporale Ecclesiæ præstitum in bello, aut alibi: quæ, vt diximus temporalis est, atque ideò redimi, ac vendi potest. Quarta causa rationabilis constituendi pēsiones est litium sedatio, quæ solent oriri in beneficijs. Quinta est pro adequandis fructi in permutationibus beneficiorum: non tamen in eis ratio aliqua habenda est, dignitatis eoru, vt rectè declarat *Sot.* vbi supra. Sexta est paupertas alicuius honesti Clerici, qui speratur vtilis futurus Ecclesiæ: nàm pro educando eiusmodi Clerico potest rationabiliter pensio constitui super aliquo beneficio.

Extra hos casus ait ibidem *Sot. & lib. 3. q. 6. ar. 2. in fine*, se non videre quomodo possint

4 pensiones constitui, cùm adiudicari non possint, nisi pro altaris ministerio, vel tanquam merces pro aliquo seruitio Ecclesiæ; etiam si non esset spirituale, nempè Duci, Militi, qui pro Ecclesia necessitatis tempore pugnant: quapropter decimarum tertiæ Hispaniarum Regi tributæ sunt. Est tamen verùm, quòd *Zecch. loco citato. in vers. De alijs pensionibus*, putat posse defendi pensiones, quæ constituuntur Cardinalium, & aliorum Prælatorum famulis; quia expedit pro communi bono Ecclesiæ ipsius Prælatos habere bonos, & honestos famulos; atque ideò iusta est pensio, quæ eis constituitur. Sed re vera, nisi famuli boni sint, & intuitu Prælatorum pauperum, qui debitam mercedem dare non valent pensiones ipsis constituantur citra culpam constitui non possunt: quia non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Et multò minus licitum est pensiones constituere super beneficia, vt tribuantur Cardinalibus, & alijs Prelatis diuitibus, & eis non indigentibus; aut Sæcularibus, vel etiam Clericis solius consanguinitatis, aut affinitatis intuitu, & citra omnem iustam, ac rationabilem causam: Siquidem bona Ecclesiæ sunt deputata principaliter pro indigenti-

5 bus, & non vt omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possit. Imò ex communi praxi Ecclesiæ pensiones non solent constitui Sęcularibus, maximè maiores tertia parte fructuum; quoniam contra rectam rationem est, vt Beneficiatus totum beneficij onus absque aliqua vtilitate, vel saltem non maiores, quam fructuum medietas, vt post alios, inquit *Garz. de benefic. Eccl. p. 1. c. 4. §. 3. num. 371. & 396.* qui quidem *Garz. d. num. 371.* inquit, quod quoad beneficia simplicia non potest assignari certa regula, benè tamen assignatur in beneficijs curatis, etenim per *Cōcil. Trid. sess. 24. c. 13.* fuit decretum, vt super Ecclesiam Cathedralem, non possit constitui pensio, nisi reditus excedant summam mille ducatorum: nec super Ecclesiam Parochialem, nisi fructus Ecclesiæ excedant summam centum ducatorum; atque ideò mens Concilij est; vt Episcopo mille; Parocho verò centum semper integri reseruentur, quod declara, iuxtà ea, quæ habentur ex *Garz. d. §. 3 num. 393 cum plur. seq.* Benè verum est, quod idem *Conc. sess.*

6 *7. c. 7. de refor.* in vno tantum casu concedit pensionem tertiam partem fructuum excedentem, quando beneficium, seù Ecclesia perpetuò vnita est alicui Monasterio, & curam habeat animarum: nàm à *Conc.* præcipitur solui alicui Parocho pensionem sufficientem ad honestam ipsius sustentationem, vt gerat Parochiæ curam, etiam si talis pensio tertiam partem fructuum excederet. Cæterum iniquum

est

à beneficijs habentibus annexum seruitiū actus omnes pro pensione statuere, vt per *Sot. Zecch. locis citatis*. Et Episcopali dignitati non parum detrahitur si Cathedrali magnos reditus habenti ob pensiones desuper constitutas Episcopo vix summa prędicta mille ducatorum reseruatur; cùm ad Episcopi decentiā pertineat, non solùm reditus habere ad decentem sui, & suorum sustentationem; sed etiam ad eleemosynam pauperibus elargiendam, iuxtà ea, quæ habentur in *c. fratrem nostrum, 86. d.* vbi *D. Gregor.* de quodam Episcopo loquēs, inter alia, sic ait, *Necessitatibus patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hoc non habeat, vacuum nomen Episcopi tenet*.

An Summus Pontifex peccet conferendo plura beneficia vni, & eidem personæ dignę, ad sui tamen libitum, & citra aliquam rationabilem causam.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Plura beneficia si conferat Summus Pontifex, an peccet, & qui plura beneficia curata recipit, an sit tutus in conscientia.*

2 *Peccat Summus Pontifex conferendo vni plura beneficia etiam simplicia, quæ requirunt residentiam, nulla tamen subsistente causa.*

3 *Habere plura beneficia simplicia, licet non sit contra iustitiam commutatiuam, potest tamen esse contra iustitiam distributiuam.*

4 *Idem dicendum est de Summo Pontifice conferente sine causa vnam Ecclesiam curatam in titulum, alteramuè in commendam, vt proculdubio peccet.*

5 *Locum non habet conclusio in pluralitate plurium beneficiorum simplicium, quæ residentiam non requirunt.*

6 *Beneficiorum coaceruationes, valdè excedentes sustentationem, secundùm status aci etiam eius. Cui conferuntur, non solùm est iure Canonico prohibita, sed etiam est contra iustitiam distributiuam.*

7 *Romanus Pontifex, & quilibet alius, citra omnem culpam conferre potest vni, eidemque plura beneficia, si modo tenua sint, idque fieri potest etiam citra Ecclesiarum vnionē.*

8 *Quanam ratio sit habenda, circà huiusmodi redditus tenuitatem.*

9 *Summus Pontifex, aliusque ad quem spectat tuta conscientia potest vni, eidemque personæ plura beneficia conferre, si nouerit personam illam per totas Ecclesias officium persoluere posse.*

10 *Sic tuta conscientia, & absque omni scrupulo plures Ecclesias vni, & eidem conferre potest ob Clericorum inopiam.*

1 HAnc difficultatem tetigimus supra *sec. 4. vers. Ex quo infertur;* sed plenè eam nō discussimus, sed hoc loco promisimus sufficienter explicandam. Respondetur igitur partem affirmatiuam esse veram, & quoad beneficia curata, illa obtinens non est tutus in conscientia, vt diximus, *d. sec. 4. vers. Ex quo infertur:* siquidem beneficia, quæ curam animarum habent annexam requirunt residentiam, & exactissimam diligentiam, atque ideò citra curati præsentiam non possunt rectè administrari: & proptereà cum residentia sit de iure Diuino, certum est, quod Rom. Pont. citra rationabilem causam conferendo duo beneficia curata vni, & eidem personæ, quamuis dignæ, peccat, & is cui fit collatio non est tutus in conscientia. Confirmatur ex *tex. in c. Clericus, 21. qu. 1.* vbi Decretum Synodi Constantinopolitanæ prohibens collationem plurium beneficiorum vni, & eidem Clerico fundatur in verbis Domini in Ecclesiæ consuetudine, & in Apostolica voce, ità inquiens: *Clericus ab instanti tempore non connumeretur in duabus Ecclesiis. Negotiationis enim hoc est, & turpis lucri propriū commodum, & ab Ecclesia consuetudine penitus alienum. Audiuimus enim ex ipsa Dominica voce, quod nemo potest duobus Dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Vnusquisq; enim secundum Apostolicam vocem, in quo vocatus est, in hoc debet manere, & in vna locari Ecclesia*. Hoc idem cauetur in *c. Sanctorum 70. d. & c. singula, 89. d.* & habetur ex *D. Thoma quodlib. 9. ar. 15. & Sot. lib. 3. de iust. & iure, q. 6. art. 3.* vbi inquit *Qui non vnum, sed plures est in beneficijs, non vnum, sed plures erit in supplicijs.* Sonat enim beneficiorum pluralitas, si nudè spectetur quasdam ordinis peruersiones: nàm ob id cultus Diuinus detrimentum patitur: & cùm beneficia dicantur Ecclesiarum stipendia, suo proculdubio fraudantur iure: siquidem aggeratis quamplurimis præbendis ad paucas personas, vix vlla remanet Ecclesia, cui pro ratione suarum decimarum dignè seruiatur: & digni quamplurimi contra iustitiam distributiuam exuriunt; alij verò ebrij sunt.

2 Ampliatur primò hæc conclusio, vt locum habeat in omnibus beneficijs requirentibus residentiam personalem, etiam si simplicia sint; atque ideò peccat Sum. Pont. conferendo alicui plura beneficia simplicia requirentia residentiam, nulla legitima subsistente causa. Imò magna beneficiorum simplicium coacernatio, licet residentiam non exigant, vni, & eidem personæ, citra culpam fieri non potest, ita vt tam conferens, quàm acceptans peccent mortaliter: & id ob deformitatem, deordinationem, & scandalum, quæ inde in Ecclesia sequuntur, vt habetur ex *Garz. de Ecclesiast. benefic. p. 11. c. 5. § 3. num. 278.* Licet enim habere plura beneficia simplicia non sit contra iustitiam commutatiuam, per quam Ecclesijs de Ministris prouidendum est, cum residentiam non exigant, & curam animarum annexam non habeant; potest tamen id esse contra iustitiam distributiuam, si irrationabiliter, & absque causa plura vni conferantur beneficia, quamuis simplicia: siquidem bona Ecclesiæ cùm sint eius ministrorum stipendia, non decet, vt vnus esuriat, & alter abundet vltra id, quod sibi sit opus.

opus. Et cùm Ecclesiarum Prælati, & ipse Sũmus Sacerdos dicantur bonorum Ecclesiasticorum dispensatores, fideles debent esse in illis dispensandis, iuxtà illud Domini *Lucæ c.12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, &c.* Imò eiusmodi beneficiorum coaceruationes in damnum Ecclesiarum tendunt, ubi vltra quàm par est accumulantur; & maximè si personis conferantur indignis, à quibus impudentius, quàm sæcularia ambiri solent: & aliquando commutantur, venduntur, hæreditantur, regressantur, profanantur, ac dilapidantur, quibus adde, quæ cumulantur per *Garz. d. §. 3. num. 268. cum plur. seq.*

4 Secundò ampliatur, vt idem dicendum sit de S.P. conferente sine causa vnam Ecclesiam curatam in titulum, & alteram in commendam. Etenim quamuis *tex. in c. qui plures, 21. qu. 1.* concedat vni, & eidem personæ plures Ecclesias, vnam scilicet in titulum, & alteram in cõmendam; id tamen intelligi debet, ait *Sot. lib. 3. de iust. & iure, q.6. ar.3.* iusta, ac legitima subsistente causa; nempè quòd haberi tunc persona non possit, cui legitimè sub titulo conferatur; non autem, vt commendatarius ditetur. Vndè si ad libitum, & non ex iusta causa S.P. concedat vni, & eidem personæ vnam Ecclesiam in titulum, & alteram in commendam, proculdubio peccat, & commendatarius non est tutus in conscientia. Nec talis commendatarius si suppleat per Vicarium excusatur conferens: nàm si Ecclesia commendata residentiam exigit, per Vicarium non suppletur: quia beneficium cùm conferatur intuitu personæ ob suam sufficientiam, ac dignitatem, illa suppleri non potest per pauperem mercenarium, qui vt vt plurimum indignus est: & quamuis dignus esset, vt mercenarius; non tamen secundum rectam rationem videtur, vt ob id solùm commẽdatarius, quòd Vicarium vilius, quàm potuit, sibi substituit, amplitudinem fructuum percipiat, contra Apostoli sententiam, *2.Tim.3.* dicentis: *Qui non laborat, non manducat.* Et si satis est tali Ecclesiæ hunc Vicarium substituere, satis quoque erit hæc quæ illi tribuitur merces: nec iustum est, vt commendatarius reliquos reditus citrà vllum laborem, ac citra vllam rationabilem causam consequatur. Et si dicatur, satis esse ad solutionem ipsius debiti laborare per alium; tunc respondet idem *Sot. loc. cit.* quòd cùm non debeat manducare, nisi qui laborat, non debeat ipse manducare; sed contentus esse, si loco ipsius alius manducet. Hæc *Sot.* loquens de eo, qui plures Parochias vult habere, & residentiam in earum altera supplere per Vicarium: quod quidem citra iustam, ac rationabilem causam fieri non posse, probant *Hostiens. Panorm. & alij in c. extirpanda, de præbend.* Etenim beneficia, quæ in animarum curam instituta sunt, adeò non possunt citra iustam, ac rationabilem causam, & dispensationem coaceruari, ac conferri vni soli Sacerdoti, vt tàm qui ea obtinuerit apud Deum non sit tutus in conscientia; quàm S. P. qui contulit, & sine causa dispensauit: siquidem Papa dispensator est beneficiorum, ac bonorum Ecclesiæ, & non propriè Dominus, vt sæpè diximus. Et quamuis iura plenariam ei tribuant disponendi facultatem; illa tamen intelligenda sunt quoad plenissimam potestatem, quam habet in terris, cùm Superiorem non habeat, à quo iudicetur: at apud Deum si fidelis dispensator nõ inueniatur, exactissimam de mala dispensatione rationem reddet.

5 Sic ampliata limitatur dicta conclusio, vt locum non habeat in pluralitate plurium beneficiorum simplicium, quæ non requirunt residentiam, etiam si aliquantulum excederent sustentationem. Nàm si S. P. vni, & eidem personæ ea conferret, valeret collatio, licet nulla alia subsit causa, vt latè probat *Garz. d. §. 3. nu. 272. cum plur. seq.* qui fundatur in sola consuetudine, quam inquit non esse omninò sine ratione, sed tolerabilem ex traditis per *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q.6. ar.3. Cord. lib. qq. q.20. propo.3. & alios:* eo magis, quia pluralitas beneficiorum animarum curam non habentium non est prohibita de iure Diuino, vt post alios inquit idem *Garz. loco citato, num.27.* Dixi: *Etiã*

6 *si aliquantulum excederent sustentationem, &c.* Quoniam beneficiorum coaceruationes valdè excedentes sustentationem secundùm decentiam status eius, cui conferuntur, non modo prohibentur de iure Canonico, vt in *c. quia in tantum, de præb.* sed etiam est contra iustitiam distributiuam, vt supra ostendimus, *ampl.1.* Quibus adde *Conc. Trid. sess. 24. c. 17.* cuius verba formalia sunt, quæ sequuntur: *Cùm Ecclesiasticus ordo peruertatur, quando vnus plurium officia occupat Clericorum; Sanctè Sacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Ecclesiis conscribi. Verum quoniam multi improba cupiditatis affectu, se ipsos, non Deum decipientes, ea quæ benè constituta sunt, varijs artibus eludere, & plura simul beneficia obtinere non erubescunt: Sancta Synodus debitam regendis Ecclesiis disciplinam restituere cupiens, præsenti decreto, quod in quibuscumque personis, quocunque titulo, etiam si Cardinalatus honore fulgeant, mandat obseruari; statuit, vt in posterum vnum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam eius, cui confertur, honestè sustentandum non sufficiat; licet nihilominus aliud simplex sufficiens; dummodo vtramque personalem residentiam non requirat, eidem conferri, &c.* Quod *Conc.* Decretum, ait *Garz.* vbi supra, *nu. 279. & 280.* tollere supradictam consuetudinẽ, & comprehendit etiam beneficia iuris patronatus, cùm militet eadem ratio: quod tamen quomodo procedat, rectè declarat, ibi *Garz. & n. 281. cum plur. seq.* benè dictum decretum explicat.

7 Secundò limitatur, vt Romanus Pontifex, & quisquis alius, ad quem spectet citra omnem culpam possint conferre vni, & eidem personæ plura beneficia, quando sunt tenua, ita vt eorũ reditus, adeò tenues sint, vt nõ sufficiant singula beneficia ad singulos Sacerdotes sustentandos: tunc enim plura beneficia, etiam si curata sint, possunt vniri, & vni, & eidem personę cõferri, vt in *c. vnico, in fine, 10. qu.3.* imò id fieri potest, etiam citra Ecclesiarum vnionem, vt in *c. illud 21. q.1.* vbi conceditur, vt idem Episcopus Tarraconensis sit etiam Episcopus Fundensis: siquidem S. P. sine vnione potest adiuuare

duas Ecclesias, propter redituum tenuitatem vni Sacerdoti, etiam cum titulo vtriusque: Vt de facto adiudicauit quoque vni, & eidem Episcopo Cathedrales Auellinensem, & Frequentensem: propter, quod inscribitur, Episcopus Auellin. & Frequenten. Idem dicendum est de Ecclesijs Regularium: Vndè licet vnus, & idē non possit esse Abbas in duobus Monasterijs; id tamen poterit concedere S.P. ratione tenuitatis redditus, *c. vnum Abbatem, ead. causa, & q.* Benè verum est, quod circa eiusmodi reditus tenuitatem, *Sotus*, inquit, *loc. cit.* non esse habendam personæ rationem, copiosam familiam supra suam conditionem habentis; sed communem Ecclesiæ vtilitatem; atque ideò, eum, qui ad eximendum sibi scrupulum conscientiæ pluralitate beneficiorum pressus per vnionem procurat omnia in vnum coadunare absque vllo Ecclesiarum emolumento grauius, turpiusq; delinquere, quàm si plurium figuram retineret.

Tertiò limitatur ipsa conclusio, vt Summus Pontifex licitè, & citra omnem culpam possit vni, & eidem personæ plura beneficia conferre, quando personam illam nouit per totas Ecclesias officium persoluere posse, & rebus earum necessariam curam impendere; alias secus, vt in *d. c. vnico, §. sed, & hoc. 10. qu. 3.* & propterea nullus Clericus in Ecclesijs duarum Ciuitatum si residentiam exigant, conscribi debent, vt in *c. Clericum, 21 q. 1.*

Quartò limitatur, vt Summus Pontifex, & alius ad quem spectet tuta conscientia, & absque omni scrupulo possit plures Ecclesias conferre vni, & eidem personæ ob Clericorum inopiam, vt in Villis contingi solet, *c. Clericus, in fine, ead. causa, & q.* vbi ex Synodo Constantinopolitana sic habetur: *Cæterum in Villis, quæ foris sunt, propter inopiam hominum indulgetur, &c.* Paruitas autem Clericorum iudicatur, vbi pauci, ac rari sunt digni, vt rectè aduertit *Sotus* vbi supra. Vbi ob hanc causam inquit etiam se nōn inhibere in Prouincijs probitate, & doctrina Sacerdotum destitutis, vnum pluribus Ecclesijs deputari, etiam cum cura animarum: nàm in Ecclesiæ vtilitatem magis cederet, quàm Sacerdotes minus idoneos Populo Christiano præficere.

An Summus Pontifex peccet promouendo ad Ecclesiarum dignitates, ad munera, & beneficia, dignum, omisso digniori. SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Ad Sacerdotium promouendus, qui nam sit dignior, & præstantior.*
2 *Summus Pontifex promouens ad dignitates Ecclesiasticas, quæ curam animarum habēt annexam dignum, omisso digniore, peccat mortaliter, licet promotio sit valida.*
3 *In conferendis dignitatibus, habentibus maximè curam animarum annexam habetur respectus ad præficiendorum merita.*
4 *Dignitates omnes, omniaque beneficia, & bona Ecclesiastica Dei sunt, & Christi patrimonia, ac in eius dominio.*
5 *Si digni promotio, omisso digniore, esset nulla, ac inualida, in vnaquaque promotione, ac collatione posset calumnia inferri.*
6 *Non modo peccat Summus Pontifex promouendo ad dignitates, curam animarum habentes, dignum, omisso digniore, sed etiam personam promouendo sibi non notam, licet digniorem.*
7 *Etiam peccat patronus Ecclesiasticus præsentando in Ecclesia curata dignum, omisso digniore.*
8 *Multò magis procedit conclusio in beneficijs curatis, quæ conferuntur per concursum, & prauio examine.*
9 *Nihil obstat quæuis consuetudo in contrarium quantumuis præscripta.*
10 *Non tamen peccaret Summus Pontifex si promouerit dignum, qui reperitur in seruitio Ecclesiæ, cuius est dignitas.*
11 *Neque peccabit, si dignum promoueat, omisso digniore, iusta ex causa.*
12 *Nec conclusio procedit, vbi inter dignum, ac digniorem, non est tantus meritorum excessus, vt videatur ad rem multum referre.*
13 *Patronus Ecclesiæ curatæ Laicus, citra culpam dignum præsentare potest, omisso digniore.*
14 *Summus Pontifex si conferat dignitates, ac beneficia, quæ curam animarum non habent annexam, digno, digniori misso, lethaliter, haud peccat, & valet collatio.*
15 *Eligens dignum, digniore omisso, ad dignitates, & beneficia, quæ curam animarum non habent annexam, in re leui violat iustitiam distributiuam.*
16 *Etiam si daremus, Rom. Pontificem peccare saltem venialiter, conferendo huiusmodi beneficia digno, omisso digniore, non tamen teneretur ad vllam restitutionem.*
17 *Multò magis locum habet conclusio quoad dignitates temporales, & munera tēporalia.*
18 *Electores eligentes dignum, omisso digniore, nec peccant mortaliter, nec ad restitutionem tenentur.*
19 *Summus Pontifex si conferat digno, digniore omisso, dignitates, ac beneficia magna, qualis est Cardinalatus, Canonicatus, ac aliæ præbendæ magni momenti violat iustitiam distributiuam in re graui.*
20 *Dignitates, & beneficia, quæ curam animarum, licet non habeant annexam, lege tamen statuto, vel pacto cauetur, vt dignioribus cōferantur, si Summus Pontifex eis præficiat dignum, omisso digniore, mortaliter peccat.*
21 *Patronus successor, qui in beneficio præsentauit dignum, omisso digniore, peccat venialiter si beneficium sit paruum, & mortaliter si sit magni momenti, non tamen patronus fundator.*
22 *Tutior est illorum opinio, dicentium, qui dispensantes dignitates, & beneficia, tam curata, quam simplicia dignis, omissis dignioribus, mortaliter peccent, licet collatio sit valida.*
23 *Obligatio eligendi digniorem non in solo iure positiuo fundatur, sed in dispensationis fidelitate,*

litate, quæ iure Diuino, & naturali obligat.

14 *Multò magis hæc procedunt in promouentibus, eligentibus, ac præsentantibus indignis, omissis dignioribus, ac dignis, & quis nàm dicatur indignus.*

1 AD tituli explicationem est adnot. quòd quamuis ad Sacerdotium eligendus, ac promouendus ille sit dignior, qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sãctior, qui in omni virtute eminentior, vt in *c. licet*, 8. q. 1. nihilominus promouendus ad Ecclesiarum dignitates, & munera, de quo est nostra controuersia, ille est dignior ex *D. Thoma* 2. 2. *q.* 63. *ar.* 2. *ad* 3. & *q* 118. *ad* 3. *Soto lib.* 3. *de iustit. & & iure, q.* 6. & alijs à *Molfes. relatis p.* 1. *sua sum. tr.* 6. *c.* 6. *num.* 58. qui ad officium exercendum ad quod est assumendus, est magis idoneus: in his enim attenditur finis, ad quem eligitur: & propterea contingere potest, quòd quis non sit doctior, aut sanctior; & tamen sit magis idoneus fini, ad quem eligitur; itàque fieri potest, vt doctus sit præferendus sanctiori idiotæ, prudens doctiori imprudenti; nobilis meliori ignobili; senex sanctiori iuueni, &c. De hoc igitur quæritur, an Romanus Pontifex si eo omisso, ad dignitates, & munera Ecclesiastica dignum promoueat, lethalem culpam contrahat.

In hac re quot homines, tot sunt sententiæ; nobis autem quid dicendum sit, per sequentes conclusiones breuiter absoluemus. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

2 SVmmus Pontifex promouens ad dignitates Ecclesiasticas, quæ curam animarum habent annexam, dignum, omisso digniori, peccat mortaliter, licèt promotio sit valida. Hæc conclusio est *D. Thoma* 2. 2 *q* 63. *ar.* 1. & 2. & *q.* 185. *ar.* 3. *Caiet. in D. Thom. locis citatis, & in summ verf. Acceptio personarum, Syl. eod. verf. & verf. Electio*, 1. *q* 16. *Sot. lib.* 3. *de iust. & iure, q.* 6 *ar.* 2. & *lib.* 10 *q.* 2. *ar.* 3. *Tolet. in sum. lib.* 5. *c.* 4. *verf.* 9. & *c.* 78. *Azor. p.* 2. *Instit. moral. lib.* 6. *c.* 15. *q.* 1. 8. & 9. & *c.* 21. *q.* 5. & *c.* 26. *q.* 12. *Couar. in regula peccatum* 2. §. 11. 7. *nu.* 4. & 5. & aliorum qui docent indistinctè, promouentem, eligentem, seu præsentantem dignum, omisso notabiliter digniori, peccare mortaliter, licet promotio, electio, & præsentatio sit valida, & sunt ferè innumeri, tùm Theologi, tùm Canonistæ, quos refert *Garz. de benefic. Eccles p.* 7. *c.* 16. *num.* 1. & hanc conclusionem tenet etiam ipse *Garz. ibidem, num.* 16. Probatur dicta conclusio, quoad primam partem ex *Conc. Trid. sess.* 24 *de refor. c.* 1. quod loquens de Pastoribus Ecclesiasticis præficiendis, ita inquit: *Nihil se ad Dei gloriam, & Populorum salutem vtilius posse facere, quàm si bonos Pastores Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoueri studeant, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint: non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint.* Et c. 18. *eiusdem sess. idem Conc.* in specie agens de Parochianis præficiendis, sic statuit, *Episcopus eũ eligat, quem cæteris magis idoneum iudicauerit.* Et paulò infrà: *Digniorem inter approbatos ab examinatoribus, &c.* Confirmatur hæc conclusio ex *Leone Papa in c. Metropolitano*, 63. *d.* qui loquens de Metropolitano præficiendo in locum Defuncti, itá censuit, *Metropolitano defuncto, cùm in loco eius alius fuerit subrogandus, Prouinciales Episcopi ad Ciuitatem Metropolim conuenire debebunt, vt omnium Clericorum, atque Ciuium voluntate discussa ex præsbiteris eiusdem Ecclesiæ, vel Diaconis optimus ordinetur.* Probatur quoque eadem conclusio ratione: siquidem in conferendis

3 dignitatibus habentibus, maximè curam animarum annexam habetur respectus ad merita præficiendorum, vt in *Conc Trid. d. sess.* 24. *c.* 1. in illis verbis: *Sed eorum exigentibus meritis, &c.* ergò contra iustitiam distributiuam peccat S. Pontifex præficiens dignum, omisso digniori, Ecclesiasticis dignitatibus curam animarum, præsertim habentibus: quia nõ respicit ad merita, sed ad personam præficiendam; atque ideò iniustitiam, quæ acceptio dicitur personarum, committit, quæ opponitur iustitiæ distributiuæ: etenim personarum respectus tunc accidit, cùm nullus respectus meritorum habetur: quod ex suo genere est peccatum mortale, iuxtà ea, quæ habentur ex *Soto lib.* 3. *de iust & iure, q.* 6. *ar.* 1. Imò facta dignitatis, ac beneficij collatione, iustitia commutatiua constituitur inter Ministrum, & suã Ecclesiam; atque ideò ratio distributiuæ iustitiæ se habet materialiter ad rationem commutatiuæ: nàm ideò Electores tenentur secundùm merita personarum Sacerdotia distribuere, non tantùm, quia præmia sint meritorum, sed quoniam Electores tales Ministros debent Ecclesijs præficere: & Ministri talia obsequia exhibere pro stipendio sibi repenso, vt docet idem *Sot loco citato, ar.* 2. *sub concl.* 2. qui ponit exẽplum de Principe, qui certa stipendia perpetua statuit famulis, ac Ministris domus suæ: præcipiens, vt dignioribus, qui haberi possent dispensarentur: id autem plus commutatiuæ iustitiæ subest, quàm distributiuæ. Prætereà

4 omnes dignitates, & omnia beneficia, & bona Ecclesiastica, cùm Deo sint dicata, sunt Dei, Christi patrimonia, & in eius sunt dominio, vt in *c. cùm ex eo, de elect. in* 6. Romanus Pontifex autem, & alij Prælati sunt tantùm dispensatores, vt sæpè diximus: ergò facerent contra fidelitatem, promouendo dignum ad dignitates, & beneficia Ecclesiastica, omisso digniori. Denique cæteris prætermissis, confirmatur exemplo Domini, qui ad curam animarum vniuersalis Ecclesiæ elegit Petrum Apostolum, qui omnium Apostolorum erat optimus, eo quòd suprà omnes Apostolos diligebat ipsum Dominum. Vndè Christus Dominus Petrum non anteà Ecclesiæ suæ præfecit, quàm trina interrogatione examinaret, an se plus cæteris diligeret, vt patet *Io:* 21. Optimũ autem, & meliorem simpliciter sola facit charitas, vt inquit *Sot. lib.* 10. *de iust. & iure. quæst.* 2. *ar.* 3. Probatur modo ipsa conclusio, quoad secundam partem: quoniam si promotio digni, omisso digniori, esset nulla, ac inualida; in vnaquaque

L 2 pro-

promotione, electione, ac collatione posset calumnia inferri: siquidem in foro exteriori non potest meritorum momenta, ità librari, vt constet quisnam sit optimus, vt post *D. Thom.* & alios ait ipse *Sot. lib. 3. de iustit. & iure, q. 6. ar. 2. conclus.* 8. qui ità intelligendum esse, docet *tex. in c. cum olim nobis de elect.* vbi licet electus non esset eminentis litteraturæ probatur electio, & *c. cum dilectus eod. tit.* approbatur electio, licet fuissent in eadem Ecclesia alij digniores: & ità quoque putat intelligendam esse opinionem eorum, qui contrarium videntur sentire, vt scilicet electio digni, omisso digniori, valeat quoad forum exterius: at verò, quoad forum interius peccant Electores eligentes dignum, omisso digniori.

6 Ampliatur primò hæc conclusio, vt Rom. Pontifex non modo peccet promouendo dignum, omisso digniori, ad dignitates habentes curam animarum annexam, & ad quæcunque alia beneficia curata; sed etiam promouendo personam sibi non notam licet digniorem. Etenim ignota persona non est eligenda, vt in *c. bonæ il 2.* ibi: *Cuius plenam notitiam, &c.* & extat totus *tit. de Cler. Peregr.* Hinc ait *Panorm. in d. c. bonæ, sub num.* 15. quòd eligens incognitum non saluat conscientiam suam: & ob id in Romana Curia seruatur, quòd super idoneitate personæ promouendæ testes recipiuntur. Imò hodiè nullus promouetur in Episcopum, nisi præuio examine, quoad scientiam debitam: & capta diligenti informatione quoad vitam, mores, prudentiam, ac sufficientiam. Est tamen verum, quòd adhoc promouens, aut eligens sit tutus in conscientia, satis est si præficiendus sit sibi cognitus per se, vel per alium, vt rectè inquit *Syl. in summ. vers. Electio, 1. q.* 16.

7 Secundò ampliatur ipsa conclusio, vt idem dicendum sit de præsentando à patrono Ecclesiastico alicui Ecclesiæ curatæ: debet enim præsentare digniorem, aliàs mortaliter peccet, vt constat ex *Concil. Trid. sess. 24. c. 18. ver. Si verò ius patronatus Ecclesiastici erit, &c. & Lãbert. de iure patr. 1. p. lib. 2. q. 10. ar. 3. ad fin.* Et ex duobus præsentatis, Episcopus, ad quem pertinet collatio, debet eligere digniorem, vt in *d. c. 18. habetur.* Dixi à patrono Ecclesiastico quia patronus si esset Laicus, posset citrà culpam præsentare dignum, omisso digniori, vt habetur in *d. c. 18. eiusdem Conc. Garz. de benefic. Eccl. p. 7. c. 16. num. 18. & 19.* & infrà dicemus *limit. 4.*

8 Tertiò ampliatur, vt multò magis nostra conclusio procedat in beneficijs curatis, quæ conferuntur per concursum, & præuio examine: tunc enim omninò promouendus debet dignior, omisso digno; quoniam vltra rationes supra relatas, digniori si omittatur iniuria infertur, vt ex eodem *Conc.* ibidem colligitur. Imò in eiusmodi beneficijs, quæ per examen, & concursum obtinentur, & quæ lege, vel statuto præcipiuntur conferri dignioribus, si præferatur dignus digniori, præferens non solum peccat mortaliter, sed etiam tenetur reficere damna ipsi digniori: sicut, & impediens ne dentur dignioribus, vt post *D. Thom.* & alios latè probat *Garz. de benefic. Eccl. p. 7. c. 16. num* 8. 36. 37. 38. & 61.

9 Quartò ampliatur, vt ipsa conclusio locum sibi vendicet, non obstante quacunque consuetudine in contrarium; quantumuis præscripta; atque ideò promouens ad dignitates, & beneficia Ecclesiarũ, quæ curã habent animarum dignos, omissis dignioribus, non potest defendi quacunque consuetudine, quin peccet mortaliter: siquidem, cùm talis promotio sit contra iustitiam distributiuam, ac commutatiuam, & contra ius diuinum, ac naturale, vt probat *Sot. lib. 3. de iust. & iur. q. 6. ar. 2. sub concl. 9.* proculdubio non valet consuetudine iustificari quantumuis diuturna, quoad forum interius; quoniam contra ius naturale, & Diuinum nulla datur consuetudo, vt in *c. quæ contra 8. d.* imò inquit *Sot. loco citato*, quod quò longior fuerit talis abusus, eò delictum sit grauius.

10 Sic ampliata limitatur hæc conclusio, primò vt non procedat vbi S. P. promouet ad dignitatem dignum, qui reperitur in seruitio Ecclesiæ, cuius est dignitas: quoniam tunc non peccaret, etiam si extra dictam Ecclesiam reperiretur dignior. Etenim electio fieri debet ex personis eiusdem Ecclesiæ; dummodò illic dignus inueniatur; etiam si alibi foris reperiatur commodè dignior, vt in *c. nullus, 61. d.* ibi: *Tunc autem alter de altera eligatur Ecclesia, si de Ciuitatis ipsius Clero, cui Episcopus ordinandus nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit reperiri, &c.* idem habetur in *c. obitum ead. dist.* in illis verbis: *Commonemus etiam fraternitatem tuam, vt nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi fortè inter Cleros ipsius Ciuitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod euenire non credimus, potuerit inueniri, &c.* Est enim quis honorandus, & promouendus in eo loco, vbi suam peregit ætatem: neque debet alius obripere stipendia alijs debita; licet hodiè id malè seruari dicat, *Abb. in c. bonæ il 2. sub num 2. de postul. Prælat.* Ad idem facit *tex. in l in Ecclesijs. C. de Episcop. & Cler. & l. 2. in ver. Ciuibus nostris, de ann. Ciuit. lib.* 11. vbi *Bar.* inquit, quòd positi Officiales super dispensandis eleemosynis publicis, non debent illas dispensare extraneis pauperibus, iuxtà *tex. in l. nulli, C. eod. tit. de Episc. & Cler. & §. Si quis autem pro redemptione in auth. de Eccles. tit.* quibus adde cumulata per *Addent ad Abb. in d. c. bonæ, sub nu. 16. litt. A & Rebell. lib. 3. de oblig iust. q 4 con. 1. nn. 2.*

11 Secundò limitatur, vt Summus Pontifex nõ peccet promouendo dignum, omisso digniori, si id agat ex iusta causa, nempè si præuideat, digniorem esse odiosum Clero illius Ecclesiæ, ad quam fuit promotus dignus: siquidem pro bono pacis potest S. P. tollere, ac auferre ius vni, & dare alteri, & non nulla alia, de quibus supra diximus *sec. 1.* Idem dicendum est si ad aliquam curatam fuerit electus dignus, omisso digniori: eo quòd dignior non potuit eligi ob defectum suffragiorum; nam eo casu si confirmatio talis electi pertineat ad S. P. poterit ipse Põtifex citra omnem culpam illum confirmare, quamuis dignior fuerit ab electoribus omissis: etenim quando non potest eligi dignior, satis est, vt eligatur dignus; etiam si intercesserit iuramentum de eligendo digniorem; quoniam, quod

quod sub iuramento promittitur, habet tacitam conditionem, si fieri potest. Ità *Sot. lib. 3. de iust. & iure, q. 6. ar. 2. concl. 9. vers. Sequitur post hac dubium*: ibi, si quis eligendus speratur, &c.

12 Tertiò limitatur ipsa conclusio, vt locum non habeat, vbi inter dignum, & digniorem non est tantus meritorum excessus, vt videatur ad rem multum referre: nàm tunc Summus Pontifex promouens dignùm, omisso digniori; vt suprà lethalem culpam non committeret, quoniã exigua materia excusat à peccato mortali: neque nos Deus cogit tam anxiè personas explorare; sed secundùm prudentiam pro rei qualitate, & conditione, vt habetur ex eodem *Sot. d. conclus. 9. vers. In primis non contendimus*. Vndè hoc casu S. P. promouens ad dignitates habentes animarum curam annexam, & ad beneficia curata dignos, omissis dignioribus ad summum non contraheret plusquam leuem culpam, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *disp. 3. sec. 1. concl. 5. vers. Est igitur mortale, ex suo genere veniale*.

13 Quartò limitatur dicta conclusio in Patrono Ecclesiæ curatæ Laico: is enim citra culpam potest præsentare Ecclesiæ patronatæ dignum, omisso digniori, vt colligitur ex *Concil. Trid. sess. 24. c. 18.* in illis verbis: *Quòd si ius patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui à patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, vt supra, examini, & non nisi idoneus repertus fuerit, admitti*. Et supra diximus *ampl. 2. in fine*. Quod tamen verum est, nisi aliqua lege, pacto, vel cõstitutione statutum fuerit, vt dignior præsentetur: nàm tunc patronus præsentans dignum, omisso digniori peccaret mortaliter, sicut, & conferens, & fortè teneretur digniori damna reficere, iuxtà ea, quæ cumulantur ex *Garz. de benefic. Eccl. p. 7. c. 16. num 43. 45. & 46.*

SECVNDA CONCLVSIO.

14 Summus Pontifex conferens Ecclesiæ dignitates, & beneficia Ecclesiastica, quæ non habent curam animarum annexam, digno, omisso digniori, valet collatio, & lethalem culpam non contrahit. Hæc conclusio est *Gutier. lib. 2. Can. qq. c. 11. num. 12 & 28. Veg. p. 2. sua summ. c. 17. casu 1. Ledes in summ. p. 2. tr. 7. cap. 2. concl. 7. & 9. & 15 difficult. Garz. de benefic. Eccl. p. 7. c. 16. nu. 18 & aliorum*, quos idem *Garz.* refert *d. c. 16 sub num. 1. circa fin.* Patet conclusio, quoad primam partem ex dictis in præcedenti conclusione. Probatur modo, quoad secundam partem: quoniam aliàs omnes Prælati essent in statu damnationis prouidentes beneficia simplicia dignis, omissis dignioribus, vt inquit *Guttier. loco citato*; quàm quidem sentẽtiam acerbissimam esse, ait *Garz. d. c. 16. sub num. 16.* Confirmatur, quoniam

15 eligens dignum, omisso digniori ad dignitates & beneficia, quæ non habent curam animarũ, licèt videatur violare iustitiam distributiuam; violat tamen in re leui, atque ideò ad summum non nisi leuiter peccaret: siquidem in hac re, adeò parum requiritur de dignitate personæ, vt omnes qui sunt digni, sunt ferè æquè digni. Ità *Sot. & Aragon.* quos refert, sed non sequitur, *Garz. loco citato sub num. 8. & 9.* qui gratis eos re vera impugnat, cùm peccatum ex suo genere mortale, ratione paruitatis materiæ fit veniale, vt latè de hac re egimus supra *disp. 3. sec. 1. concl. 5 vers. Est igitur mortale ex suo genere*: Et patet etiam ex adnotatis in præcedenti *conclus. limit. 3.* Nec potest dici materia eiusmodi grauis, ex eo, quod infertur iniuria digniori grauis; etenim dignior omissus, cùm nullum ius habeat ad beneficium tanquam sibi debitum, non potest dici grauem iniuriam pati. Hanc eandem conclusionem docet *Glosa in c. licèt, vers. Qui præstantior, 8. q. 1. in c. Monasterium vers. Ne malus, 16. q. 7 vt in c. 2. de off. custod. in vers. Sanctiores, Franch. & alij*, quos refert *Garz. d. c. 16. num 11* Et ità quoque de consuetudine seruari testatur ipse *Garz. loco citato*, qui ob id inquit, abrogata esse iura antiqua, quæ contrarium videntur disponere: nec de iure diuino esse præceptum, quod beneficia simplicia dentur dignioribus.

16 Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat etiam quoad restitutionem: nàm licet daremus, Romanum Pontificem peccare saltem venialiter conferendo dignitates, & beneficia, quæ curam non habent, digno, omisso digniori; non tamen teneretur ad aliquam restitutionem. Etenim beneficia, & alia munera publica, cùm sint per se primò instituta in bonum, non quidem priuatorum, sed commune, non debentur priuatis, nisi de iustitia distributiua; quod est debitum secundùm quid: & magis æquitati, quàm rigori nixum, ac restitutio debetur ex vi iustitiæ commutatiuæ, cùm sit repositio rei, aut personæ in pristinum statum, vt in *l. 2. §. vlt. ff. Ne quid in loco publ.* ità *Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 6. ar. 3.*

17 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt multò magis locum habeat, quoad dignitates temporales, & munera temporalia; atque ideò Summus Pontifex promouens ad dignitates temporales, & ad munera temporalia dignos, omissis dignioribus, non peccet mortaliter: Etenim Supremus Princeps est dignitatum Dominus, vt latè probat *Zecch. tom. 2. sua summ. de accept. personar. c. 77. num. 7* quamuis contrarium doceat *Rebell* vt dicemus infrà *lim. 1.* dũ ait, quod Principes temporales non sunt Domini munerum temporalium, sed tantùm dispensatores.

18 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt idem dicendum sit de electoribus, vt non peccent mortaliter, nec ad aliquam restitutionem teneantur eligendo dignum, omisso digniori, ad dignitates Ecclesiæ, ac ad beneficia Ecclesiastica simplicia: ad temporales dignitates, & ad temporalia munera, cùm militet eadem ratio; siquidem in re parua violatur iustitia distributiua: & proindè non committitur plusquam peccatum veniale: nec hoc casu habet locum restitutio; quoniam eiusmodi munera publica, siuè Ecclesiastica sint, siuè temporalia, sunt primariò instituta, propter Ecclesiæ, vel Reip. vtilitatem: & propterea si propter electionem digni, omisso digniori, damnificaretur Ecclesia, vel Resp. vt rarò id euenire solet, damnum illis esse reficiendum; non autem digniori omisso; nàm licèt secundariò dignitate, & munera ipsa sint etiam præmia, & honores, quamuis be-

benemeriti ex gratitudine remunerentur, & honorentur; non tamen sunt illis debita ex promissione, vel pacto aliquo, per quod ius iustitiæ commutatiuæ ad ea determinatè habeant ex qua sola restituendi obligatio insurgit. Imò si tanquam seruitiorum pretium darentur, vel reciperentur beneficia Ecclesiastica, simonia committeretur. Ità *Rebell. lib. 3. de oblig. iustit. q. 3. num. 6. vers. Ad secundum*. Est tamen verùm, quod digniori omisso tunc debetur restitutio, si oppositor se cognoscat simpliciter minus dignum: vel beneficium, aut officium exigat, quod sine peccato tribui non potest, vt benè declarat, idem *Rebell p. 1. de oblig. iust. q. 7. n. 6. 7. & 8.*

19 Sic ampliata limitatur dicta conclusio in Summo Pontifice conferente digno, omisso digniori, dignitates, ac beneficia magna, qualis est dignitas Cardinalatus, Canonicatus, & aliæ præbendæ magni momenti: siquidem quamuis curã animarũ non habeant annexã, tamen S. P. violaret iustitiã distributiuam in re graui, imò cõmutatiuã respectu Ecclesiarũ, quibus præficiuntur atque ideò lethalem culpam contraheret: quòd verum est, quando notabilis, & euidens conspicitur excessus inter promotum dignum, & digniorem prætermissum: secus autẽ si excessus non esset notabilis, vt habetur ex *Rebell. 1 p de obligat. iust. lib. 3. q. 4. con. 6 nu. 12. Azor p. 2. inst moral lib 6 c. 16 q 12. Sylu. in sum. vers. Electio. 1 q. 16* qui etiam loquitur de Electoribus, & *Garz. de benefic. Eccles. p. 7. c. 16. sub num 8. circà finem.* Quas autem conditiones habere debeat Cardinalis eligendus, & qualiter facienda sit eiusdem electio, latè habetur ex *Conc. Trid sess. 24. de refor. c 1.* Idem dicendum putat *Rebell. ibidem num. 13.* quoad munera Sæcularia, quæ ad iustitiæ administrationem, & gubernationem instituta sunt; qualia sunt iudicum, & Notariorum, aliorumque Ministrorum officia, quando magni momenti sunt: nàm conferentes ea dignis, omissis dignioribus, peccant mortaliter; licèt ad restitutionẽ non teneantur: & mouetur ex eo, quòd Principes non sunt domini eiusmodi munerum; sed ea ex auctoritate Reip. tanquam dispensatores conferunt, non secus, ac Principes Ecclesiastici, quoad Ecclesiastica munera, iuxtà illud ad *Rom. 13. Ministri enim Christi sunt in hoc ipsum seruientes, &c.* Et ob hanc causam à Rep. tributa recipiunt.

20 Secundò limitatur in dignitatibus, ac beneficijs, quæ curam animarum, licèt non habeant annexam; nihilominus lege, statuto, iuramento, aut pacto statuitur, vt eis dignior tãtum præficiatur: tunc enim si Rom. Pont. præficiat dignum omisso digniori, mortaliter peccat; siquidem violat iustitiam distributiuam, imò, & commutatiuam in re graui, ob non impletam promissionem, vt per *Garz. d. c. 16. nu. 17. 39. & 40. cum plur. seq.* vbi loquitur de Episcopis conferentibus, de Cathedris, & alijs muneribus temporalibus constitutis sub ea lege, vt nulli alij conferantur, quam digniori, maximè si id fieri præuio examine præcipiatur: quoniã tunc digniori prætermisso, inquit, esse reficienda damna, pro qua sententia allegat, *num. 38. et 39. Medin. Lopez, Lud. Carb. et alios.* Idem dicendum est de beneficio Ecclesiastico simplici ab aliquo ex suis bonis patrimonialibus instituto, sub ea lege, vt ex sua tantùm, vel certa familia, aut aliqua personarum conditione beneficiarij assumantur: tunc enim eligendus est dignior ex eorundem habilium numero, quamuis minus dignus sit, quàm plerique alij exclusi, vt habetur ex *Couarr. 2. p. in regula peccatũ, §. 7. num 5. Rebell. p. 1. de oblig. iustit. lib. 3. q. 4. con. 2. num 3.* & alij communiter; quamuis *Sot. lib. 3. de iust. et iure, q. 3. ar. 1. concl. vlt.* in beneficijs curatis putet non esse licitum fundatoris institutum, qui institueret, vt ex aliena familia etiam si dignior esset, nemo eligatur, quod est contra communem sententiam.

21 Tertiò limitatur in patrono successore; nam licet non peccet, qui ex suis bonis beneficium instituit, & ad illud dignum præsentauit, omisso digniori: fundator enim omittendo digniorem, non violat iustitiam distributiuam; cùm quilibet sit moderator, & arbitrer rei suæ, iuxtà illud *Matt. c. 20. An non licet mihi, quod volo facere*, & facit, *tex. in l. in re mandata, C. mand.* Hinc in Deo, qui èst omnium Dominus non datur acceptio personarum. Peccat tamen saltem venialiter patronus successor, si beneficium sit patruum: & mortaliter si sit magni momenti, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *lim. 1.* siquidem licèt ius præsentandi habeat, cùm tamen non sit Dominus, sed dispensator, contra fidelitatem faceret, cùm ad fidelitatem dispensatoris iure naturali, ac Diuino, etiam seclusa ordinatione humana, pertineat digniores eligere; sicut ad Economum spectat, & ad eiusdẽ fidelitatem meliores operarios in vineam Domini sui conducere: imò culpam contrahit violando iustitiam distributiuam, si digniorem, quem haud difficile inuenire poterat prætermittat. Confirmatur ex detrimento, quod Ecclesia solet subire, quando eligitur non malus, omisso digniori. Ità *Rebell. d. q. 4. sub num. 5. cum quatuor seq.* qui respondit ad *Conc. Trid. sess. 24. c. 18.* dicens, quòd ipsum *Conc.* tantùm decernit, ad Episcopum non spectare ex dignis eligere digniorem; sed ad Patronum; Episcopus, ac iure Pontificio tenetur conferre beneficium digno præsentato, licet sit omissus dignior.

TERTIA CONCLVSIO.

22 QVamuis sententia proximæ præcedentis conclusionis sit benignior, & in praxi satisquidem vsitata; nihilominus tutior est illorum opinio, qui docent, quod dispensantes dignitates, & beneficia Ecclesiastica tàm curata, quàm simplicia dignis, omissis dignioribus, peccent mortaliter, quamuis collatio sit valida. Etenim hæc conclusio habet pro se *D. Thom. 2. 2. q 63. ar. 1. et 2. et q 185. ar. 3. et quodlib. 4. ar. 5. quodlib. 6. ar. 9. ac quodlib. 8. art. 6. Caiet. in D. Thom. d q. 63. ar 2. et qu. 185. ar. 3. et in summ. vers. Acceptio personarum:* & alios ferè innumeros, tùm Theologos, tùm etiam Canonistas magni ponderis, quos refert, & sequitur *Sot lib. 3. de iust. & iur. qu. 6. ar. 2. conclus. 9. & Garz. de benefic. Eccles. p. 7. c. 16. num. 1.* licet eos non sequatur, *num. 16.* siquidem, vt ait, *Rebell. d q. 4. sub num. 12. & alij*, secundùm iura anti-

antiqua dignitates, & beneficia, tum curata, tum etiam simplicia dignioribus tribuenda sunt, vt in *c. vnico*, §. *omnibus*, ibi: *Circa carnalitatem animi, quia non ex affectu carnali, sed discreto iudicio debuisti Ecclesiasticum officium. & beneficium in persona magis idonea dispensare, & in c. Metropolitano 63. d. c. 2. de offic. custod. & in alijs similibus*. Nec per con-
23 suetudinem possunt abrogari; quoniam obligatio eligendi digniorem non in solo iure positiuo fundatur, sed in dispensationis fidelitate, quæ iure Diuino, ac naturali obligat: Quapropter si secus agat, dispensator infidelis dicetur, iniustus distributor, & personatum acceptor, vt habetur ex *Rebell. loco citato*: & patet ex supradictis *concl. proxima, lim. 1. & 3.* Et re vera hæc sententia nobis videtur verior ob supradictas, & alias rationes fortissimas, quibus innititur. Vndè Prælati maximè, imò Seculares, & temporales Principes in dispensandis, ac distribuendis dignitatibus, officijs, ac beneficijs, Electores in eligendo, & Patroni in præsentando quàm discreti, ac cauti esse debeant, ità vt ad digniores semper oculos dirigant, ex dictis clarè colligitur.

24 Quòd si hæc dicuntur de conferentibus dignitates, & officia, ac beneficia, & munera dignis, omissis dignioribus, quid quæso dicendum est de promouentibus, & eligentibus, ac præsentantibus ad hæc indignos, omissis dignioribus, ac dignis. Indignus autem dicitur non solùm qui ineptus est ad præcipua beneficij ministeria, & qui potius nocere, quàm prodesse potest, sed etiam qui est in peccato mortali, vt post *Gabr. Panorm. & alios*, inquit, *Rebell. p. 1. de oblig. iust. lib. 3. q. 4. nu. 16* vbi etiam *num. 14.* probat, quod eligens indignum ad Ecclesiæ dignitates, & beneficia, ac ad munera temporalia non tantùm peccat mortaliter, sed etiam tenetur restituere totum interesse Ecclesiæ, aut Reip. lesæ, non minus, quàm Magistratus, qui inepto pupilli tutelam committit, vt patet ex toto titulo de Magistr. conueniend. Etenim præficientes indignos sunt causa futuri damni, atque ideò contra iustitiam commutatiuam peccant, tum quia tenentur ex prima officij obligatione, & quasi ex contractu ad idoneos præficiendos, & ad hoc etiam tam Ecclesia, quàm Resp. ius iustitiæ commutatiuæ habent, cùm ob id stipendia soluant; tum quia agunt contra fidelitatem Ecclesiæ, seù Reip. debitam, cùm sint dispensatores, vt sæpè diximus. His adde, quæ infrà dicemus *disp. 6. sec. 9.* His adde, quæ dicemus infrà *disp. 15. sec. 33. vers. Quartò peccant*.

An Summus Pontifex peccet, si tollat vni citra vllam causam beneficium, & conferat illud alteri.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Papa ex suæ potestatis plenitudine liberam habet, & plenissimam dispositionem beneficiorum Ecclesiasticorum.*
2 *Beneficia, quod sint ius, & titulus perpetuus; solum est de iure positiuo Canonico;*
3 *Peccat tamen mortaliter Papa, adimendo vni beneficium, sine causa, & alteri conferendo.*
4 *Princeps, etsi legibus solutus sit, viuere tamen debet secundùm leges.*

1 AD hanc difficultatem respondetur, quòd licèt Papa ex suæ potestatis plenitudine liberam, ac plenissimam dispositionem habeat beneficiorum Ecclesiasticorum, vt in *c. 2. in princ. de præb. in 6. & clem. 1. in fin. vt lit. pend.* & latè *Hier. Gonzalez ad regul. de mēsib. § 1. proem.* ità vt possit etiam sine causa Clericum suo priuare beneficio, & alteri conferre, & valida erit collatio, vt habetur per *Dec. in c. quæ in Ecclesiarum, num. 111. & alios Doctor. de constit. Iason in l. Barbarius, num. 43. ff. de offic. Prætor. Gig. de pens. q. 10. num. 6. & 7. & q. 37. Garz. de benefic Eccles. p. 5. c. 1. n. 2.* vbi quam-
2 plurimos Doctores allegat. Etenim, quòd beneficia sint ius, & titulus perpetuus, solùm est de iure positiuo Canonico, quod non ligat Papam, qui est Princeps, & super omnia iura, vt in *c. innotuit, de elect. & l. Princeps, ff. de legib,*
3 Nihilominus Papa peccat mortaliter adimendo vni beneficium sine causa, & illud conferēdo alteri, siue in totum adimat, siue pro parte, vt rectè probat *Azor. p. 2. instit. moral. lib. 6. c. 26. q. 1. ad finem:* siquidem Princeps licèt sit solutus legibus debet tamen viuere secundùm
4 leges, *l. digna vox. c. de legib.* Vndè, etsi Papa de potestate absoluta, & quoad validitatem actus possit pensiones super beneficijs etiam quæsitis citra vllam causam imponere, & pro parte beneficium alteri collatum adimere; non tamen citrà lethalem culpam id potest agere: & proptereà regulariter Papa non assignat pensionem sine causa, & sine consensu beneficiati, vt post alios, idem *Garz. p. 1. de benefic. Eccles. c. 5. à num. 275. ad 279.*

An Romanus Pontifex peccet si res Ecclesiæ ad sui libitum donet, atque concedat, quando, & quibus velit.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Romanus Pontifex non dicitur beneficiorum, ac bonorum Ecclesiasticorum Dominus, sed dispensator.*
2 *Ecclesiæ fructus per Sacros Canones sunt destinati, vt de eis fiant quatuor partes, & quæ.*
Et quem modum seruare debeat Summus Pōtifex in dispensandis rebus Ecclesiæ.
3 *Modo prædicto non seruato, irrationabiliter Summus Pontifex elargitur bona Ecclesiæ, & lethalem culpam contrahit, eaque recipientes tuta conscientia retinere non possunt.*
4 *Potest Summus Pontifex sibi coniunctis consanguinitate, vel affinitate aliquid elargiri de bonis Ecclesiæ si eiusdem Ministri, tanquam digniores præficiantur.*
Quod de Episcopis. & Cardinalibus, alijsque beneficiatis, tam Secularibus, quàm Regu-
la-

laribus Sac.Concil.Trident.*constituit.*

5 *Donare res suas histrionibus, vitium est immane, non virtus.*

6 *Qui venatoribus donat, non hominibus, sed arti nequissima donat.*

7 *Qui elargiuntur bona Ecclesiæ qui illa in luxus expendunt, dissipare dicuntur bona Christi, & pauperum.*

1 AD hanc rem respondemus, quòd quamuis ad Romanum Pontificem pertineat libera omnium beneficiorum, ac bonorum Ecclesiæ dispositio, vt suprà ostendimus *sec.præcedenti*; nihilominus non ob id beneficiorum, & bonorum Ecclesiasticorum dicitur Dominus; sed dispensator, iuxtà illud Apostoli 1. *ad Corinth.* 4. *Sic nos existimet homo, vt Ministros Christi, ac dispensatores, &c.* vt rectè de.l rat *Sot. lib.3.de iust.& iur.qu.6.ar.2.in resp.ad 5.* Etenim bona Ecclesiæ sunt bona egentium, vt in *c.2.*& ibi, *Panorm.num.3.de reb Eccl.alien.* Eo quòd deputata sunt principaliter pro indigentibus, siuè Clerici sint, siuè Laici, vt habetur ex eodem *Panorm.in c.1.eod.tit.* atque ideò quoad dominium sunt Christi, seù Ecclesiæ cuius caput est ipse Christus: quoad vsum, & sustentationem sunt pauperum: & quoad administrationem sunt Clericorum, vt colligitur ex *c. res, 12.qu.1. c.indignè, 12.q.2. & c. attendens, 17 q.4.*& latè *Redoan. de alien.rer. Eccles. qu. 51.c.10.num.4.& 5. & q 3. num.33.cum plur. seq.* Hinc ait, *Vrban. Papa, & Mar. Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alijs visibus, quàm Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti; quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum*, hoc idem habetur in *d. c. res, & c.nulli Episcoporum, §.si ergò res, 12.q. 1.*

2 Ob id enim rerum Ecclesiæ fructus per Sacros Canones sunt destinati, vt de eis fiant quatuor partes, vna Episcopo, alia fabricæ Ecclesiæ, tertia pauperibus, & quarta Ministris, *c.quatuor, c.de reditibus, & c.mos, 12.q.2.* Cùm igitur Summus Pontifex non sit Dominus rerum Ecclesiasticarum, sed tantùm dispensator, vt sæpè diximus; sicut, & alij Ecclesiæ Prælati dicuntur procuratores, vt in *c.2.de donat.c.casellas, 10 qu.1.c.si priuatum, 12 qu.1.& c. quòd autem, 23.q.7.* Et cùm quicquid habeant Clerici pauperum sit, vt in *c.quoniam quicquid, 16. q.1.* proculdubio in rebus Ecclesiæ dispensandis modum seruare debet, tùm rerum, tum etiam personarum, iuxtà *tex. in c.fratrem nostrum, 86.d.* vbi ex *D. Gregor.* sic habetur: *In ipsa autem liberalitate modus adhibendus est rerum, & personarum. Rerum, vt non omnia vni, sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possimus, iuxta illud Prophetæ, Dispersit, dedit pauperibus. Personarum, vt primum iustis, deinde peccatoribus: quibus tamen dare prohibemur, non quia homines sunt, sed*

3 *quia peccatores.* Quòd si modo non seruato, irrationabiliter Ecclesiæ bona Summus Pontifex elargiatur, citrà omnem controuersiam lethalem culpam contrahit, & ea recipientes tutâ forte cōsciētia nō video quomodo retinere valeant per ea, quę habentur in *tex in d.c.2 de donat.* Confirmatur, quoniam Prælati bonorum Ecclesiæ, cùm non sint Domini, sed tantùm dispensatores, & procuratores, vt in *d. c. 2.* gesta per procuratorem Cæsaris, qualis est Cælestis Cæsaris Dei Vicarius, & procurator, ità demū valent, & tenent, si diligenter, & non contra commodum Cæsaris sint gesta, vt in *l.1. ff.de offic.procur.Cæsar.*

4 Non tamen negamus, quin Summus Pontifex etiam sibi consanguinitate, vel affinitate coniunctis elargiri aliquid possit de bonis Ecclesiæ, si eiusdem Ministri tanquam digniores præficiantur: aut si pauperes sint, & egeant pro conseruatione status; non tamen, vt thesaurizent; sed ità ipsis elargiri, vt non omnia vni; sed singulis quædam præstentur, vt pluribus prodesse possit, iuxtà ea, quæ suprà diximus: & quæ de Episcopis, S.Romanæ Eccl.Cardinalibus, & alijs beneficiatis, tùm Sæcularibus, tùm etiam Regularibus constituta fuerunt *Concil. Trid.sess.25.c.1.de reform.* in illis verbis: *Cùm & Apostolorum Canones probibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus, distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; imò quàm maximè potest eos Sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vndè multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscumque beneficia Ecclesiastica, tàm secularia, quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione obseruari, sed, & ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem, cum vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos conuertāt.* Super omnia autem, vt à facie colubri caueant Ecclesiastici, ne ea, quæ Dei sunt, collata Ecclesiæ pro remedio peccatorum, pro salute, & requie animarum, & vsu pauperum, vt in *c.indignè 12. q.2.* inordinatè vltra id, quod par est, consanguineis, ac familiaribus elargientur, qui non tam ad eorum necessitatibus consulendum expendant, quàm in vsum histrionum, venatorum, & in alios prophanos vsus, non sine maxima Dei offensa, animarum dispendio, & pau-

5 perum detrimento. Etenim, ait *D. August. in c.donare 86. d. Donare res suas histrionibus vitium est immane, non virtus: & scitis de talibus, quàm sit frequens fama cum laude: quia laudatur peccator in desiderijs animæ suæ: & qui iniquè gerit benedicitur.* Et de donationibus, quæ fiunt venatoribus, & histrionibus, ac meretricibus, idem *D. August.in c.qui venatoribus, cum tribus seq.ead.d.* ità similiter inquit *Qui venatoribus donant, quare donant? dicant mihi, quare dant venatori? hoc in illo amant, in quo nequissimus est: hoc in illo pascunt, hoc in illo vestiunt: ipsam nequitiam publicant spectaculis hominum. Qui dant histrionibus, qui donant meretricibus, quare donant? Numquid non et ipsa hominibus donantur? non tantùm naturam ibi attendunt operis Dei; sed nequi-*

6 *tiam operis humani. Qui venatoribus donant, non hominibus donant, sed arti nequissima:*

Nam

Nàm si homo tantùm esset, & venator non esset, non ei donares: honoras in eo vitium, non naturam. Vident homines venatorem, & delectãtur. Væ miseris si se non correxerint. Qui enim venatorem vident, & delectantur, videbunt Saluatorem, & tristabuntur. Esau venator erat; quoniam peccator erat. Et penitus non inuenimus in scripturis Sanctis Sanctum aliquem venatorem: piscatores inuenimus Sanctos.

9 Quòd si hæc in sacris Canonibus ad perpetuam rei memoriam registrata conspiciuntur de expendentibus res proprias in histrionum, venatorum, & meretricium vsum, quid quæso dicendum erit de dissipantibus bona Christi Domini, & pauperum personis elargiendo, quæ in præfatos luxus expendant, in grauem offensam, contumeliam, & iniuriam omnipotentis Dei, & egenorum dispendium. Ecclesiarum Prælati loco Domini habentur cùm benè administrant; sicut loco Cæsaris se habet procurator Cæsaris, si rem Cæsaris, quasi rem propriam non tradat; sed cum negotium gerens Cæsaris consensu ipsius tradit. vt in *d.l.1.ff.de offic. Procurat. Cæsar.* Locum verò prædonis sibi vendicant, cùm malè administrantes non quæ sunt Cælorum Cęsaris; & pauperum ipsius; sed sua, & suorum quęrunt, vt habetur per *Glos.in c.si priuatum, 12.q.1.* ad quod allegat, *l.qui fundum, §.si tutor, ff pro empt.* de benef. per doctũ volumen prodet Augustini Bozomi olim C. R. Gen. & sẽper in suggestibus, & in omnibus facultatibus admirabilis.

An Summus Pontifex peccet, si Ciuitates, ac terras, & loca R. Ecclesiæ ad sui libitũ concedat in feudũ. SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex concedendo in feudum, Ciuitates, ac Terras Ecclesia ad sui libitum, peccat.*

2 *Modo alienaret, aut in feudum concederet Terras prædictas citra vllam Ecclesia necessitatem.*

3 *Romanus Pontifex alienans, infeudans, aut detrahans, vt suprà periurus non efficitur, nec Cardinales, qui omnibus supradictis consentiunt.*

4 *Prohibentur Cardinales tractare huiusmodi alienationes, seu infeudationes, nisi per Rom. Pontificem fuerint congregati.*

5 *Piana Constitutio eos tantum tractatus prohibet, qui fiunt cum intentione alienandi, infeudandi, &c. Secus tamen vbi tantùm priuatim tractatur, seu discutitur, an expediat Ecclesia alienare, &c.*

6 *Inconsideratio, seu naturalis obliuio excusat à censuris, & pęnis, & quot modis huiusmodi obliuio dicatur.*

7 *Supra relata Pij V. Constitutio quos tractatus comprehendat, & de quibus bonis intelligenda sit.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè, vt patet ex ijs, quæ constituta sunt per Pium IV. *constit.* 104. quæ incipit: *Apostolica seruitutis:* & *Pij V. constit.* 35. incipit, *Admonet nos.* In qua prohibetur alienari, ac infeudari Ciuitates, & loca S.R.E. ac de eorum alienationibus, & infeudationibus tractari, quouis prætextu etiam euidentis vtilitatis, aut necessitatis: quam constitutionem mediante iuramento omnes S.R.E.C. promittunt seruare, etiam, si eorum aliquis in Romanum Pontificem electus fuerit. Imò ipse S. Pontifex post eius assumptionem hoc ipsum cum iuramento promittit, & confirmat, vt habetur ex Gregor. XIII. Sixto V. & alijs successiuè Pontificibus, iuxtà d. Pij V. constitutionis seriem, ac tenorem: quapropter lethalem culpam proculdubio contraheret Sum. Pontifex, cùm contra iuramẽtum faceret, si terras, & loca Ecclesiæ in feudum concederet, aut quouis modo alienaret.

2 Hæc tamen intelligenda sunt, quando Rom. Pontifex alienaret, aut in feudum concederet Terras, & loca Ecclesiæ Rom. citra vllam eiusdem Ecclesiæ necessitatem, aut vtilitatem. Etenim ipse Pontifex non tantùm de absoluta; sed etiam de ordinaria potestate, non obstante iure iurando per eundẽ pręstito de nõ alienandis, vel infeudandis Ciuitatibus, & locis S. R. E. deuolutis, & deuoluendis, iuxta supradictam Pij V. constitutionem, potest ea alienare, ac infeudare, si vrgentis necessitatis, aut euidentis eiusdem vtilitatis causa existat: siquidem quando rei euentus reddit rem iuratam minus bonam, quàm oppositum, non tenetur iurans stare iuramento: quoniam iuramentum non debet esse impeditiuum maioris boni; aliàs respectu illius maioris boni haberet rationem mali, & Deo non placeret, vt rectè post alios declarat *Sayr. lib.5. Clauis Reg. c.7. sub num.4. vers.Prima propositio*: pro qua re facit *tex.in c. peruenit, il 2.* & ibi, *Doctor de iureiur.cap commissum*, vbi *Glosa, de sponsal. cap scriptura, de voto*, & latè *Sylu. in sua summ. vers.Iuramentum, 4. qu.20.* Supposita autem vrgenti Ecclesiæ necessitate, vel eiusdem euidenti vtilitate, proculdubio minus bonum est, bona illa non alienare, aut non infeudare, quàm oppositum; atque ideò alienare, aut infeudare. Sic etiam de decies centenis millibus aureorum in arce S. Angeli, repositis, nullo vnquam tempore, nisi in præscriptis per Sixti V. constitutionem 31. casibus, detrahendis, quæ Constitutio incipit. Ad Clauum Apostolicæ seruitutis, hoc ipsum dicendum fore arbitror: nàm vltrà prædictos casus si detrahendi vrgens necessitas, aut Ecclesiæ, aut Christianæ Reip. vtilitatis euidens causa subsistat, Sum. Pontifex, non obstante iuramento ab eo delato, pecunias illas ex arce detrahere citra omnem culpam posset. Non enim deiurat, qui iuramenti, aut voti implementum in melius commutat, vt in *d.c.peruenit, il 2. de iureiur.* & *c.scripturæ, de voto.*

3 Et cùm in præfatis casibus Rom. Pontifex alienans, infeudans, ac detrahens, vt supra, periurus non efficiatur, consequenter fit, vt nec S.R.E.Cardinales, qui iuramenti vinculo alligantur, si alienationibus, infeudationibus, & detractionibus prædictis, ex constita ipsis vera, reali, ac vrgenti necessitate, aut euidenti vtilitate consentiant, periurij nota afficiuntur: maiori enim bono consensum adhibent, ac coope-

rantur, & cooperantis actio sumit speciem ab actione eius cui cooperatur. Et multò minus sub Pij V. prædicta constitutione comprehenduntur S.R.E.C. qui congregati à Rom. Pontifice, & proposita eis vrgentis necessitatis, aut euidentis vtilitatis causa alienandi, aut infeudādi bona, de quibus agitur, tractatum faciunt, vt videant, an causa sit vera, & an magis expediat, hanc rem potius, quàm illam alienare, quoniam si licitum est prædictis casibus S.R.E.C. alienationibus, & infeudationibus, & detractionibus supradictis consentire, multò magis licitum ipsis erit tractatum habere, cùm minor sit tractatus, quàm consensus; nàm multa tractantur, quæ non concluduntur, nec perficiuntur, *l.contractus, C. de fide instrum.* & in specie, *Tusc. vers. Tractatus, concl.339. in princ.* & cui licet plus, licet vtique, quod est minus, *c.cui licet, de regul.iur.in 6.* Sed ille tractatus per d Pianam constitutionem S.R.E. Cardinalibus prohibetur, quem non à Romano Pontifice congregati,

4 sed per se ipsos facerent, vt ex tenore præfatæ constitutionis apertè colligitur, vbi in §.3 Pius V. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & sub alijs pœnis prohibet omnibus, & quibuscunque personis, etiam S.R.E.C. tractatus fieri de huiusmodi bonis alienandis, vel infeudandis, etiam sub prætextu necessitatis, aut euidentis vtilitatis: siquidem ratio talis prohibitionis, vt ex ipsa Piana constitutione, § 1. cōstat, ea est; quoniam, retroactis temporibus non nulli ambitiosi, ac cupidi sub varijs prætextibus, coloribus, & causis sæpè etiam falsis aliquibus Rom. Pontificibus suggestionibus, & insinuationibus suis conati sunt ostendere, & persuadere magis vtile, & expediens S.R.E. & Sedi Apostolicæ fore, si aliquas ipsius Ciuitates, oppida, & Castra alienaret, aut in feudum daret; atque indè non nullas alienationes, & infeudationes à S. Apost. emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem, non solùm patrimonij, sed etiam æstimationis recepisse dignoscitur, vt *seq disp. latius dicemus.*

5 Imò dicta Piana constitutio eos tantum cōprehendit, qui eiusmodi tractatus habent, cum intentione alienandi, aut infeudandi bona, de quibus agitur; quoniam ipsa constitutio prohibet tractatus, & locutiones de alienandis, aut infeudandis dictis bonis, vt ex eiusdem verbis, §. 3. clarè patet, ibi, *Tractantes, consulentes, aut alia verba facientes de infeudandis, & alienādis, &c.* Vndè secus dicendum erit, vbi tractatus, seù discussio priuatim tantùm fiat, an Ecclesiæ expediat alienare, vel infeudare citra intentionem aliquam, quòd ob talem discussionē bona ipsa alienentur, aut infeudentur: quia licet tractatus non exigat deliberatum cōsensum, sed satis est si contineat discussionem tantùm, & indaginem, circa rem disponendam in futurum, vt habetur ex *Panor in c tua nuper, num.6. de his, qua fiun à maiori par. cap.* vbi ait, esse notandum pro statutis punientibus tractatum super aliqua re; id tamen intelligendum est de ijs, qui formaliter congregantur ad hunc effectum, & vt deueniatur ad alienationem rerū si expediat, in quo primò fit discussio vtrum magis expediat alienare vnam rem potiusquam aliam: & vtrum possit subueniri Ecclesiæ, sine alienatione, vt habetur ex eodem *Panor.* ibi: Secus autem si discussionis causâ priuatim huiusmodi discussiones fiant; quoniam hæ non possunt dici tractatus, nec verba de alienationibus, seu infeudationibus, quæ per d. Pianam prohibentur. Quod quidem multò magis verum est, si tractatus eiusmodi, ac discussiones ex naturali in-

6 consideratione proueniant; quoniam inconsideratio, naturalis obliuio excusat à censuris, & pœnis etiam Doctos, qui aliàs ex capite ignorantiæ non excusarentur, vt rectè declarat *Azor. lib.1. Instit. moral. p.1. c.16. q.3. & 4. & Suar de censur. disp 4. sec.8. num.11.* Etenim talis incōsideratio, seu naturalis obliuio excusat à culpa cùm faciat actum inuoluntarium, tàm directè, quàm indirectè. Directè, quia voluntas nihil potest actu directo velle, nisi quod intellectus actu cogitat; at inconsideratio tollit actualem cogitationem obiecti, & ideò tollit voluntariū. Indirectè verò; quoniam ibi nullum potest esse voluntarium indirectum; nisi ratione causæ, quæ est ipsamet inconsideratio: sed ipsamet inconsideratio est inuoluntaria, vt supponitur, ergo non potest ratione illius actus esse indirectè volitus, seù volitus in causa. Est tamen verum, quod naturalis inconsideratio, seu obliuio potest dici aliquo modo, ex *Azor. loco citato*, crassa, & affectata, vbi culpa, aut vitium concurrit, memoria non retinendo id, quod oportet: & propterea naturalis inconsideratio, seu obliuio coniunctam habens grauem negligentiam non excusat.

7 † Adde, quòd supradicta Pij V. constitutio eos dumtaxàt comprehendit, qui tractatum, cōsilium, & alia verba adhibent pro infeudandis, seu alienandis bonis ad Sedem Apostolicam ità deuolutis, vt sint ad pristinum ipsius dominium absque alia declaratione redacta, vt patet ex §. 2. eiusdem constitutionis in illis verbis, *Ad pristinum dominium absque alia declaratione redijsse censeri.* Siquidem constitutio ipsa hæc tantùm bona Rom. Ecclesiæ deuoluta alienari, ac infeudari prohibet, vt fuit declaratum per constitutionem Gregor. XIII. 65 §. 13. in illis verbis: *Declarantes dominia, Vicariatus, &c.* Quocircà censuris, & pœnis in d. Piana contentis non subijciuntur tractantes, consulentes, & verba facientes de alienandis, seu infeudandis Ciuitatibus, & Terris ad S. Apost. per confiscationem ex delicto deuolutis; quoniam huiusmodi bona non dicuntur redijsse ad pristinum dominium Rom. Ecclesiæ, nec citra declarationem aliquam, cùm confiscatio declarationem exigat, vt rectè declarat *Cherub. in Schol. ad dict. Pianam, Schol. 1.* vbi tamen id limitat, nisi esset delictum tale, propter, quod ex natura feudi deuolutioni locus esset, vt in toto *tit. Quib. mod. feud. amit. & Clar. §. feudum. quæst. 84.* Reliqua verò ad hanc rem pertinentia infrà explicabimus *disp. seq. sec.*

An

An Romanus Pontifex in Ciuitatibus, & locis Romanæ Ecclesię possit gabellas imponere, & eas deindè vendere citra dictæ Pianę periurij incursionem.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio negatiua, & quare.*
2 *Verior tamen sententia est in contrarium, cum per venditionem, ac impositionem gabellarũ, &c. Ciuitates, & loca S. A. deuoluta non alienant.*
3 *Per gabellarum impositionem, ac exactionem non grauatur feudum, nec eius titulus in aliũ transfertur.*
Et quod nam sit tributum, census, vectigal, gabella, Assisia, guidagium, salinarium, & pedagium.
4 *Per huiusmodi gabellarum impositionem, sinè exactionem super Ciuitatibus, & locis Rom. Ecclesia, nec vtile, nec dominium illorum transfertur, non enim dantur in feudum, nec in gubernium.*
5 *Gabella prædicta si iniustè imponantur citra iustas imponendi causas, & imposita, cessantibus imponendi causis, non reuocentur, Principes mortaliter peccant, & ad restitutionem tenentur.*

1 IN hac re videtur negatiuè respondendum esse. Etenim per huiusmodi gabellarum, & exactionum impositionem, earumque venditionem, dominium vtile saltem videtur transferri in emptores dictarum gabellarum, cùm ipsi percipiant ab eisdem Ciuitatibus, & locis omnes vtilitates, quas Romanus Pontifex perciperet si non vendidisset: ergò ipse Pontifex indirectè saltem diceretur dictas Ciuitates, & loca S.R.E. per dictarum gabellarum venditionem alienare, & quasi infeudare, cùm per infeudationem non aliud transferatur in feudatarium, quàm vtile dominium rei infeudatæ.

2 Oppositis tamen non obstantibus contrariã sententiam puto veriorem: siquidem vi dictæ Pianæ constitutionis bona Rom. Ecclesiæ deuoluta prohibentur alienari, vel in feudum, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemuis alium titulum ad vitam, vel in perpetuum; ad longum tempus, vel etiam ad S. A. beneplacitum concedi, vt patet ex illis verbis, §. 3. *In Duces, Vicarios, Gubernatores, &c.* At per impositionem, & venditionem gabellarum, & aliarũ exactionum, de quibus agitur, Ciuitates, & loca S. A. deuoluta non alienantur, non dantur in Vicariatum, in Ducatum, aut in alium titulum, vt supra in perpetuum, nec ad tempus: ergo vi dictæ Pianæ non prohibetur dictas gabellas, & onera imponi, & vendi; atque ideò huiusmodi gabellæ, & exactiones, vt supra impositæ, & vẽditæ non comprehenduntur sub prohibitione d. Pianæ constitutionis. Maior patet: probatur minor; quoniam per huiusmodi gabellarum, &

3 exactionum impositionem non grauatur feudũ, nec eius titulus in alium transfertur. Etenim, aut imponitur tributum, & istud ex fundis, ac prædijs præstatur, *l. 1. ff. si ager, vectig. l. eum, qui, ff. de verb. signif.* Vel imponitur census, & ista est pensio, quæ Principi, aut Reip. soluitur ex ipsis annuis redditibus possessionum, *l. ætatem ff. de censib.* Aut imponitur vectigal, & est pensio, quæ soluitur pro rebus Ciuitati, aut Prouinciæ per Terram inuectis, quæ de iure communi olim octaua pars debebatur, *l. ex præstatione in legatis, C. de vectigal.* Vel imponitur gabella, & est pensio, quæ imponitur super rebus, quæ emuntur, aut venduntur, vel ex loco ad locum transferuntur ad humanos vsus, vt rectè declarat *Azor. p. 3. instit. moral. lib 5. c. 18. tit de furto*, quod committitur in non sol. gabel. vbi etiam agit de Telonio, quod dicitur pensio, quæ soluitur ex mercibus marinis ad littus adductis, aut imponitur assisia, & est pensio, quæ imponitur in vino, oleo, carnibus, & in alijs ad victum pertinentibus, quæ venduntur, vt per *Glos. & alios in c. super quibusdam, de verb. signif.* Vel imponitur salinarium, & est pensio, quæ tribuitur pro sale inuecto, aut euecto. Aut imponitur guidagium, est pensio, quæ datur, vt quis tutò ducatur per terram alicuius, vt per *Gl. in d. c. super quibusdam.* Aut imponitur pedagium, & dicitur pensio, quæ soluitur in locis constitutis a Principe ob transitum per viam, vt per *Glos. loco citato, & in toto tit C. de vectigal. non. instit.* His autem gabellarum, & exa-

4 ctionum speciebus super Ciuitatibus, & locis Romanæ Ecclesiæ impositis, ac venditis, vt supra, dicta loca non alienantur; quoniam eorum non transfertur dominium vtile, nec directum: nec dantur in feudum, gubernium, &c. quoniã his titulis bona illa transferuntur saltem, quoad vtile dominium, cum iurisdictione, & alijs annexis: ergo dictarum gabellarum, & exactionum impositio, ac venditio non comprehenditur sub prohibitione supradictæ Pianę constitutionis. Quod quidem verum est, siuè gabellæ iustè, siuè iniustè imponantur, nec omnia requisita habeant, de quibus *Azor. loco citato.*

5 Est tamen verum, quòd si iniustè imponantur, citra iustas imponendi causas, & impositæ, cessantibus imponendi causis non reuocentur, Principes peccant mortaliter, & ad restitutionẽ tenentur, vt benè declarat *Azor. post alios, loco citato, c. 23. per totum*, vbi in principio dicti capituli enumerans causas, ait, causas iustas esse pro defensione Patriæ, pro bello contra Infideles, nempè Paganos, Saracenos, Turcas, Hæreticos, Schismaticos, pro Regis, ac Principis redemptione, vel eorum filiorum, qui fuerint in bello capti; pro aduentu Regis in Ciuitatem; Pro filia Regis, aut Principis collocanda; pro constructione, ac refectione viarum, pontium, fontium, puteorum communium, murorum; pro custodiendis pascuis communibus; pro custodienda Ciuitate tempore pestis, famis, aut belli, & alijs eiusmodi communibus, ac publicis vtilitatibus. Ex dictis modo patet solutio ad argumentum.

† An Summus Pontifex in suo statu Ecclesiastico possit licitè permittere vsuras, & quid dicendum de magistratibus, & Principibus Sæcularibus. SEC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Adducuntur nonnulla Decreta iuris Canonici damnantia vsuras, & fulminantia excommunicationem contra compellentes debitores ad soluendas vsuras.*
2 *Vsura, vtpotè intrinsecè malum non potest permitti, neque à Summo Pontifice, & multò minùs à Principibus Sæcularibus.*
3 *Vsura permitti aliquandò potest cum iusta, & vrgenti causa, scilicet ad vitanda grauiora mala vergentia in perniciem Reipub.*
4 *Posita iusta causa, vt suprà, & id exigat commune bonum potest Summus Pontifex licitè vsuras permittere, & dispensare in iure Canonico.*

1 RAtio dubitandi oritur ex nonnullis Decretis iuris Canonici: nàm in *cap. post miserabilem de vsuris*, præcipitur Principibus, & potestatibus, vt compellant Iudæos ad remittendas vsuras Christianis: & in *cap. quanto amplius eodem tit.* Innocentius Tertius cum Concilio generali idem præcipit, quando graues vsuras Iudæi extorserint: & in *Clementina vnica de vsuris excommunicantur*, qui statutis, vel sententijs fecerint, quod debitores compellantur ad soluendas vsuras promissas: vel si eis denegetur actio ad repetendas vsuras solutas. Ex quibus 2 textibus, & similibus videtur colligi vsuras, vtpotè intrinsicè malas permitti non posse, neque à Summo Pontifice, & multò minus à Principibus Sæcularibus.

3 Respondeo, & dico primò, Neque à S. Pontifice, neque ab vlla potestate Sæculari permitti possunt vsuræ, saltem absque iusta, & vrgenti causa, videlicet ad vitanda grauiora mala, quæ in perniciem Reipublicæ vergerent, multò magis quàm vsuræ.

Probatur, quia absolutè, & per se loquendo tenentur Principes, & etiam S. Pontifex, tenentur inquam ex officio purgare Rempublicam ab omnibus vitijs, & peccatis, præsertim si sint contra iustitiam: sed vsuræ sunt contra iustitiã: & intrinsecè malæ, ergò non possunt impunè permitti, ex communi *DD.* sententia.

4 Dico secundò posita iusta causa, licitè potest Summus Pontifex vsuras permittere, quando videlicet id exigit commune bonum ad vitanda peiora, & grauiora mala: Cùm enim nemo inueniatur, qui pauperibus, & indigentibus gratis mutuare velit; si excluderentur à Republica, vel punirentur mutuantes sub vsuris, pauperes, & indigentes, vel fame perirent, vel in desperationem acti, se applicarent furtis, & rapinis, vel se adiungerent bannitis, & grassatoribus viarum in grauem perniciem Reipublicæ, & quamuis vsurarum permissio videatur prohibita iure Canonico; potest tamen Summus Pontifex in eo dispensare; atque in prædictis conueniunt communiter *DD.*

Superest tamen duplex quæstio hic examinanda, & in vtraque est diuersitas opinionum inter *DD.*

† An Summus Pontifex, & Magistratus Sæculares possint cogere, & obligare subditos ad soluendas vsuras promissas. Item præcipere iudicibus, vt denegent actionem volentibus repetere, quod titulo vsuræ solutum ab eis fuit. SEC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Prima sententia absolutè negat posse Summũ Pontificem, & Magistratus Sæculares cogere, & obligare subditos ad soluendas vsuras.*
2 *Secunda sententia tenet posse vrgenti causa, & ad euitanda maiora mala; & Summi Pontifices Romæ, Anconæ, & Auinione, & alibi cogunt Christianos ad soluendas Iudæis vsuras promissas absque vlla suspitione erroris in legibus latis à Papa.*
3 *Licet Mutuatarij non teneantur soluere vsuras, tanquam debitas vsurarijs, qui iniustè illas extorquent; tamen à Principibus possunt cogi ad eas soluendas, non vt debitas; sed ad euitandum maius malum.*
4 *Idque non est cooperari vsurarijs, neque vt ipsi ditescant, sed ad euitanda grauiora mala Reipublicæ.*

1 PRima sententia absolutè negat. Id enim videtur intrinsecè malum. Tum quia mutuatarij non tenentur soluere vsuras; ergo cogere eos ad vsuras soluendas est contra iustitiam. Tum quia cooperantes vsurarijs agendo partes eorum; quoad exactionem usurarum peccant eodem genere peccati, quo ijdem usurarij delinquunt: sed obligare mutuatarios ad soluendas usuras est positiuè cooperari usurarijs: ergo &c. hanc sententiam defendit *Castr. Palao in tract. de vsura, disp. 4. pun. 24.* cum alijs, quos tacito nomine, citat *Cardinalis de Lugo tomo 2. de iust disp. 25. num. 219.* qui pro eadem sententia citat *Lessium de iust. cap. 20. num. 279.* immeritò tamen, quia *Lessius* ibi apertè adhæret secundæ sententiæ mox explicandæ.

2 Secunda sententia, & longè probabilior sustinet; Quamuis id absque urgenti causa fieri non possit: nihilominus ad uitanda maiora mala, quæ magis obstarent communi bono licitè fieri posse.

Probatur primò ex praxi: Nàm, ut referunt *Nauar. cons. 33. & Campegius in tract. de dote, quæst. 49.* cum alijs Summi Pontifices Romæ, Anconæ, Auenione, & alibi cogunt Christianos ad soluendas Iudæis usuras promissas: nec esse potest suspitio erroris in legibus latis à Papa, probatur secũdò ratione, quia Principes Supremi

5 premi non tenentur in omni casu administrare iustitiam suis subditis: sed solum, quando id fieri potest absque notabili incommodo Reipublicæ. Sic enim ad vitandam multitudinem litium denegatur in iudicio læsis citra dimidium iusti prætij, denegatur inquam actio in foro externo contra deceptorem. Item in promissionibus simplicibus, & in alijs casibus, in quibus iure naturali ea actio læsis competeret, ergo nil mirum, si ad vitanda mala, quæ in perniciem Reipublicæ sequerentur, deficiente subsidio mutuantium sub vsuris denegetur mutuatarijs actio repetendi vsuras solutas: vel ijdem mutuatarij obligentur ad soluendas vsuras promissas, ità *Cardinalis de Lugo, & Lessius locis supra citatis. Molina, Sales, Azorius, & alij quos illi citant*, ex quibus patet ad argumenta primæ sententiæ.

3 Ad primum enim respondetur. Quamuis mutuatarij, non teneantur soluere vsuras, tanquam debitas vsurarijs, qui iniustè illas extorquent, & tenentur iure naturali in conscientia restituere; possunt tamen à Principibus cogi ad eas soluendas, non vt debitas, sed ad vitandum maius malum, quod sequeretur, si deficerent mutuantes sub vsuris: nec indigentibus posset aliundè succurri.

4 Ad secundum respondetur, id non esset cooperari vsurarijs, neq; fieri in eum finem, vt vsurarij ditescant: sed ad vitanda grauiora damna Reipub. & vt consulatur communi bono. Sicut enim mutuatarij non peccant soluendo vsuras, vt consulant priuato suo commodo, quia aliàs non inuenirent, qui mutuum illis daret, ità possunt à Magistratibus cogi ad soluendum, vt cõsulatur communi bono indigentium, qui famē peterent deficientibus mutuantibus.

† An Magistratus, & Principes Sæculares possint licitè permittere vsuras in suis Regnis, inconsulto Summo Pontifice, & absque eius dispensatione. SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *Vna sententia negat posse Magistratus, & Principes Saeculares permittere vsuras in suis Regnis inconsultò Summo Pontifice, & absque eius dispensatione, stante prohibitione iuris Canonici.*

2 *Quamuis non peccarent contra ius naturale si permissio fieret ad vitandū maius malum.*

3 *Altera sententia sustinet posse, &c. nedum permittere vsuras, sed etiam obligare mutuatarios ad soluendas vsuras promissas ad euitanda grauiora mala, vt supra.*

4 *Probatur ex praxi totius ferè orbis Christiani, vti in Italia, in toto Romano Imperio, in Polonia, &c. tolerantur Iudai cum exercitio vsurarum absque recursu ad Summum Pontificem.*

5 *Probatur insuper à pari, quia de facto vbique gentium permittitur meretricium ad vitanda maiora peccata. Item permittitur deceptio citra dimidium iusti pretij, quæ sunt intrinsecè mala absque recursu ad Summum Pontificem.*

6 *Canones prohibent permissionem vsura, quando non vrget grauis, & euidens necessitas, qua est ad euitanda grauiora damna, vt supra, nec aliter fuerunt vsu recepti.*

7 *Fieri potest, vt hac permissio, seu tolerantia iure naturali non solùm liceat, sed etiam ex pracepto incumbat Magistratibus.*

8 *Verùm hoc intelligitur absque graui tributo, quia idcircò vsurarij vsuras magis accrescerent; & sic pauperes magis opprimerentur.*

9 *Et postremò non possunt licitè permitti vsura, vbi sunt erecti Montes Pietatis ad succurrendum indigentijs pauperum: & tunc cogendi sunt vsurarij abire; sicut egit Carolus V. Imperator; & Sanctissimi viri CAIETANVS Thienaus, & Ioannes Marinonius Neapoli opem dedere.*

1 PRima sententia negat. Quia stante prohibitione iuris Canonici, ex *textibus initio citatis*. Quamuis Principes non peccarent contra ius naturale, si permissio fieret ad vitandum 2 maius malum, vt supra dicebamus; peccarent tamen contra leges Ecclesiasticas, & contra ius Canonicum prohibens huiusmodi permissionē inconsultò Summo Pontifice, & hoc vt eadem permissio maturius fiat, ità *Diana par. 9. tract. 9. resol. 14. Cardinalis de Lugo de iust disput. 25. num. 219. Viggers de iust. tract. 5. cap. 6. dub. 23.* cum alijs, quos citant.

3 Secunda sententia probabilior sustinet posse Magistratus, &c. nedum permittere vsuras, sed etiam obligare mutuatarios ad soluendas vsuras promissas &c. vt supra in præcedenti *quæst.* quãdo id iudicatur necessarium ad vitanda grauiora mala, quæ sequerentur in maiorem perniciem Reipub.

4 Probatur primò ex praxi generali totius ferè Orbis Christiani: Nam, vt testatur *Campegius in tract. de dote quæst. 49.* in Italia, & in toto Imperio Romano, in Polonia, &c. tolerantur Iudæi cum exercitio vsurarum absque recursu ad Summum Pontificem.

5 Probatur secundò à pari, quia de facto vbique gentium permittitur meretricium ad vitanda grauiora peccata. Item permittitur deceptio citra dimidium iusti prætij, & similia, quæ sunt intrinsecè mala absque recursu ad Summum Pontificem: ergò idem dicendum de permissione vsurarum, ità *Nauar. de vsuris cons. 33. & 34. Vuadingus de contract. disp. 15. dub. 13 Cãpegius*, & alij, quos citat.

6 Ad Canones initio citatos respondetur, solū prohiberi permissionem huiusmodi, & cætera quibus diximus *quæst. præcedenti*, quando non vrget grauis, & euidens necessitas eiusdem permissionis ob vitanda grauiora damna Reipublicæ. Nec eosdem Canones fuisse aliter vsu receptos.

Confirmatur, quia, vt benè notant *Malderus Corradus*, & alij apud *Lugum loco cit.* fieri po-7 test, vt hæc permissio, seu tolerantia iure naturali non solum liceat, sed etiam ex præcepto incumbat Magistratibus: nec dici potest per Sacros Canones prohiberi, quod iure naturali præ-

præcipitur ex dictis.

Colligitur primò. Quamuis Magistratus possint permittere usuras Iudæis, uel alijs ex iusta causa, nõ possunt tamẽ absque graui peccato id facere imposito illis ob hanc causam magno tributo: Cum idcircò usurarij usuras augere, 8 pauperes magis opprimere cogantur, ità *Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 7.* & notant etiã *Lessius, Cardinalis de Lugo locis supra citatis*, cum alijs.

9 Colligitur secundò. Non posse licitè permitti usuras in illis locis, in quibus erecti sunt Montes Pietatis ad succurrendum indigentijs pauperum: quia cessat causa permissionis: Vndè, ut ait *Vuadingus supra citatus*, cùm alijs, uel cogendi sunt usurarij abire, uel puniri debent; sicuti factum fuit Neapoli à Carolo V. in omnibus inuictissimo Imperatore expellendo Iudæos, uti perniciosissimos: & Sanctus CAIETANVS una cum Sanctissimo uiro Ioanne Marinonio eius primo Alumno ad confirmandam illius Monarchæ pijssimam uoluntatem, Montem Pietatis erigendum, fundandumque curauit, cuius felicia auspicia Deus, adeò prosperauit, & ad hæc usque tempora prosperat, recognoscendo suos Sanctos conditores.

De Eminentissimis S.R.E. Cardinalibus & culpis, in quas incidere possint, vt eas edoctus Confessarius in audiendis eorum confessionibus discretus valeat esse, ac cautus.

D I S P. V.

S V M M A R I V M.

1 *Eminentissimi Cardinales licet Episcopos officio excedant, non habent tamen maiorem, quàm Episcopi dignitatem.*

2 *Ex Eminentissimis S.R.E Cardinalibus eligendus est Summus Sacerdos.*
Et qualis debeat esse Confessarius in eorum Confessionibus excipiendis.

1 EMinentissimi S. R. E. Cardinales, licet officio Episcopos excedant, cùm Rom. Pontificem eligendi facultatem habeant; tamen nõ habent maiorem, quàm Episcopi dignitatem, ut habetur ex *Bart. in l. 1. §. si quis ff de appell.* & nos latius ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 1. cap 5. q. 1.* Vndè sicut Cardinales, & Episcopi dignitate sunt pares; ita etiam eorum culpæ, cæteris paribus, sunt alijs inferiorum criminibus grauiores. Etenim Cardinalium, & Episcoporum dignitas non laudem, sed laudis occasionem affert: & propterea gradus amplitudo cum summa uitę probitate, & Sanctitate coniungenda est: nam ideò utuntur mantello, & ipsi Cardinales clamide rubei coloris ad denotandum ardentem zelum, & feruentem charitatem in eorum munere. Vtuntur quoque rocheto ex lino, ut ostenderent uitę puritate, ac Sanctitate cunctos debere excellere. 2 Et cùm ex Eminentissimis S.R.E. Cardinalibus Summus Sacerdos sit eligendus, & certũ sit eminentissimos esse ferè omnes non solùm bonitate, ac uitę sanctitate; uerum etiam prudentia, ac scientia; idcircò Confessarius in eorum confessionibus audiendis debet esse discretus, & cautus in eis interrogandis, ut ita demum peccata, & eorum circumstantias exploret, cùm non aliter potest de illis rectum iudicium ferre: quod ut commodè agere ualeant, hoc loco de ijs tantum culpis discutiemus, in quas ipsi Eminentissimi Cardinales, ut tales sunt, incidere possunt; nempè circà electionem S. Pontificis, circa Ciuitates, locorum, & bonorum S.R.E. alienationem, Beneficiorum collationem, qualiter se habere debeant circa usum bonorum Ecclesiæ, tàm quoad ipsos, quàm quoad eorundem familiares. Vndè in primis uidendum est.

An S. R. E. Cardinales peccent eligendo in S. Pontificem dignum, omisso digniori, vel dignissimo.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Romanus Pontifex peccat, promouendo ad dignitates curam animarum annexam habentes, præsertim Cardinalatus, Episcopatus, &c. dignum, digniore omisso.*
Et quare Summus Pontifex se appellet Episcopum.

2 *S.R.E Cardinales eligentes in Summum Pontificem dignum, omisso digniore, ac dignissimo, peccant procul dubio.*

3 *Si in Romana Ecclesia idoneus non inueniatur qui in Summ. Pont. eligatur, assumi debet ex alia.*
Nunquam verò cassatur electio digni, ex eo, quod præpositus fuerit digniori.

4 *Indignus nunquam eligitur citra grauissimam culpam.*

5 *Multò magis peccant S. R. E. Cardinales, si puram intentionem non habeant eligendi in Summ. Pont. dignissimum.*
Et quo casu Simoniam contrahant mentalem vel realem.

1 IN hac re recolenda sunt, quæ supra adnotauimus *disp. præcedenti sec. 8. de Rom. Pontifice agentes*, dum conclusimus peccare Romanum Pontificem promouentem ad dignitates, præsertim Cardinalatus, Episcopatus, & ad alia beneficia Ecclesiastica, curam animarum annexam habentia, dignum, omisso digniori. Quòd si hęc uera sunt de S. Pontifice promouente, quid dicendum erit de eligentibus S. Pontificem, qui est uniuersalis Pastor, & omnium animarum curam in se suscipit. Etenim S. Pontifex proptereà se uocat Episcopum; quia alij Episcopi uocati sunt in partem sollicitudinis; eo quòd unusquisque propriç Diœcesis, ac Prouincię sollicitudinem habeat; ipse tamen S. Pontifex tanquam omnium Patriarcha uocatus est in totam sollicitudinem, atque ideò dicitur omnium Christi ouium uniuersalis Pastor, iuxtà illud *Ioann.*

Ioann. c. vlt. Pasce oues meas, vbi Dominus inter has, & illas non distinguit; sed vniuersas commendat. Vndè in *Conc. Calced.* fuit acclamatus Leo Papa, Sanctissimus, & Oecumenicus, idest vniuersalis Patriarcha; & ità quoque B. Sixtus, & S. Eleutherij, vt testatur *Turrecr. in c. nullus* 99. *d.* & nos in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib.* 1. *c.* 5. *q.* 2. vbi *in add. litt. A.* plura habentur de Rom. Pontificis primatu. Vndè procùldubio peccant S.R.E. Cardinales eligentes in S. Pontificem, omisso digniori, aut di-2 gnissimo. Quod in S. Pontificem omnium dignissimus sit eligendus patet exemplo Domini *Ioann. c.* 21. qui non alium elegit, qui sibi Vicarius succederet, quàm omnium tunc temporis Apostolorum optimum: nec satis duxit eum eligere, quem ipse nouerat omnium esse dignissimum; sed id prius voluit omnibus innotescere. Etenim ipsum Petrum Apostolum ter publicè interrogauit, an se plus cæteris diligeret: & propterea cùm sola Dei charitas sit regula, per quam iudicare licet bonitatis gradus apud Deū, & Petrus Christum tunc plus cæteris Apostolis amabat, vt Christo, cui omnia manifesta sunt, notum erat, clarè constat, Petrum tunc temporis fuisse omnium Apostolorum optimum; atq; ideò in Pontificem illum creauit, & Principem vniuersalis Ecclesiæ, dicens, *Pasce agnos meos, &c.* meritò igitur S.R.E. Cardinales in S. Pontificis electione strictiori præcepto perstringuntur omnium optimum eligere. vt inquit *Sot. lib.* 3. *de iust. & iur. q.* 6. *ar.* 2. *in resp. ad* 5. Vbi ob hanc causam ait etiam, quòd nunquam rumor ille imprimi sibi potuit, quo statutum fuisse fertur, non posse eligi aliquem in S. Pontificem; nisi sit ex gremio Cardinalium: siquidem ab ipsismet Cardinalibus, testatur audiuisse, id esse falsum: quoniam licèt satis rationabiliter Ecclesia facultatem eligendi Pontificem ipsi tantùm Cardinalium Collegio dederit, ne tantus Episcoporum cętus à remotissimis Regionibus Romam se conferre ad eligendum Papam cogeretur, vt in *c. in nomine Domini* 23. *d. & c. licet, de elect. & c. vbi periculum, eod. tit. in* 6. nunquam tamen legitur Collegium restrinxisse ad eligendum vnum dumtaxat de gremio (licèt credibile sit inter eos nunquam defuturum dignum.)

3 Imò in *d. in d. c. in nomine Domini* apertè habetur, quòd si in Romana Ecclesia non inueniatur idoneus, qui in S. Pontificem eligatur, assumatur ex alia. Est tamen verum, quòd nunquam cassatur electio Digni, eo quòd fuerit prępositus digniori, vt in *c. cum dilectus, de elect.* & habetur ex *Soto loco citato*, qui etiam ait, quòd in electione Digni nunquam, aut rarò peccatum mortale committitur, quamuis præferatur Digniori: & quando dignissimus eligi non potest, electores licitè possunt prætermittere dignissimum, vt dignior eligatur. Nun-4 quam tamen citra grauissimam culpam eligitur indignus; qui non solùm satis est in lethali culpa permanens; sed etiam si suffragium petat, cū delictum committat, qui Episcopatum ambiat, vt habetur ex *Soto lib.* 3. *de iust. & iur. q.* 7. *ar* 3. atque ideò redditur eo ipso indignus, per ea, quæ habentur ex *Panorm. in c. quia propter, de elect.* Quocirca Cardinales scienter ei dantes suffragium mortaliter peccarent tanquam concurrentes ad eligendum indignum. Hoc idem docet *D. Thom.* relatus à *Soto loco citato*, de quocunque pro se rogante ad obtinendum Sacerdotium, cui animarum cura sit annexa; quia præsumptuosus esset; atque ideò per suas ipse preces indignus redditur. Quod quidem limitat ipse *Sot.* ibi in eo, qui non se agnoscit idoneum: secus autem si se idoneum se esse facilè credat; quia cura animarum in Parochianis Ecclesijs, non tam excelsum expostulat perfectionis gradum; atque ideò non apparet tanta præsumptio: eo magis si Parochiam Ministris indigere conspiciat: & ipse non vt præsit, sed vt prosit curam illam ambiat.

5 Multò magis peccarent S. R. E. Cardinales si putam intentionem non habeant in eligendo S. Pontificem hunc potius, & non alium, quem omnium dignissimum existimauerint: aut potius hunc elegerint, vt ipsi eligantur, & aliquod commodum à manu, vel à lingua consequantur: siquidem intentionem hanc deprauatam si habuerint, mentalem simoniam contraxerunt: & si promissiones aliquę intercesserint (quod absit) in realem quoque incidisse constat ex ijs, quæ habentur ex *Lelio Zecc. p.* 2. *sua summ. de Simon c.* 94. *num.* 13. Non tamen si eligendus in Papam, aut alius eius nomine promittat Electori se fore sibi gratum; vel non fore ingratum, Simonia committitur; quoniam eiusmodi promissio est antidoralis, & non ciuilis, nec vllam ciuilem obligationem prætio æstimabilem parit: neque aliquid aliud pollicetur, præter id, quod iure naturali est licitum: imò talis promissio tacitè inest concessioni cuiuscunque beneficij, etiam si non exprimatur, vt per eundem *Zeccam loco citato, sub num.* 17.

An S.R.E. Cardinales mortaliter peccent plura beneficia impetrantes, ac retinentes.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *In quibus casibus peccat Summ. Pont. conferendo plura beneficia vni, in eisdem peccant procurantes. & retinentes.*

2 *S. Carolus Borromeus, Nepos Pij IV. beneficia omnia resignauit, & quarè.*

1 PRO determinatione huius difficultatis videnda sunt, quæ supra cumulauimus *disp.* 4. *sec* 7. Etenim in illis casibus, in quibus ostendimus peccare S. Pontificem conferendo plura beneficia vni, & eidem personæ, in eisdem peccant ea procurantes. & retinentes, cùm dantes, & recipientes beneficia sint correlatiui, & in correlatiuis, quod disponitur in vno, disponitur etiam in alio, vt *Euerar.* latè declarat in *loc. com. iur loco à correlatiuis*. Nec ex eo, quod S.R.E. Cardinales sunt, si plura beneficia vltra necessariam, vel saltem commodam alimentationem pro se, ac eorum familiam, iuxtà decentiam status, ac dignitatis, retineant, excusātur, ac tuti sunt in conscientia: & id verum est siue retineant beneficia curata, siuè simplicia, vt 2 latè explicauimus *d. sec.* 7. Hinc meritò S. Carolus

lus Bortomeus Pij IV. Nepos, ac Mediolanensis Archiepiscopus putans fortè beneficiorum cumulum, quod habebat esse sibi superfluum, beneficia omnia resignauit, ijs tantùm retentis, quæ sibi pro sua, ac suæ familiæ frugali mensa, ac pro elargiendis eleemosinis satis erant. Et quoniam S. Rom. Ecclesiæ Cardinales in proprijs Ecclesijs facultatem habent conferendi beneficia; sicut peccant pluritatem beneficiorum citra necessitatem aliquam, aut aliam rationabilem causam; ita quoque peccant plura beneficia, aut plures pensiones vni, & eidem personæ conferentes citra necessitatem, iustam, ac rationabilem causam, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *d. disp. 4. sec. 6. & 7.*

An S.R.E. Cardinales possint ad eorum libitum fructus suorum beneficiorum donare, ac de illis ad libitum disponere. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *In omnibus casibus, & quibus ex causis Sum. Pont. elargiri potest sibi coniunctis consanguinitate, vel affinitate, ac familiaribus possunt in eisdem, & ex eisdem S. R. E. Cardinales.*
An id fieri possit citra graue scandalum.
2 *Cardinales olim dicebantur quoque Consiliarij pracipui, ac Principes Sacrosancta Ecclesia Presides, in ea gubernanda Romano Pontifici assidue assistentes.*
An mortuo Rom. Pont. Pontificia potestas remaneat pœnes Cardinalium Collegium, & num seq.
3 *Pontificia potestas mortuo Rom. Pont. non remanet pœnes Collegium, quoad actualem administrationem.*
4 *Apostoli appellati sunt lux Mundi, propter dignitatis, ac potestatis cultum, vitaque puritatem, ac Sanctitatem: quam etiam habere debent Cardinales, qui sunt Ecclesia Cardinales, quorum vita Sanctitate, morum grauitate Ecclesia ipsa sustentari debet.*
5 *Cardinales adhoc promouentur, vt rectum cōsilium Sum. Pont. prabeant.*
Bonaque Ecclesia vota appellantur fidelium, pretia peccatorum, & pretium pauperum.
6 *Quales Principes sunt, tales subditi esse student.*
7 *Qua dicta sunt de Cardinalibus, ad Episcopos quoque extenduntur.*
8 *Romanus Pontifex omnium Sacerdotum dicitur Summus, & omnium in terra maximus.*

1 HÆC controuersia eodē modo explicatur, quo illā explicauimus *disp. 4. sec. 10.* vbi de S. Pontifice egimus, qualiter, & quibus ex causis possit elargiri sibi consanguinitate, vel affinitate coniunctis, ac suis familiaribus, siquidem idem multò magis dicēdum est de S.R.E. Cardinalibus, Episcopis, ac de alijs Ecclesiæ Prælatis, vt habetur in *Conc. Trid. sess. 25. cap. 1.* cuius verba retulimus *d. sec. 10.* quoniam in specie loquitur de S.R.E.C. & Episcopis, & ideò ibi nos remittimus ne bis idem repetere videamur. Est tamen adnotandum insuper, quòd sicut multiplicatio, ac coaceruatio beneficiorum in vna, & eadem persona, licet Cardinalis sit, nō possit fieri, nec retineri citrà graue scandalum nulla rationabili subsistente causa, vt in *d. disp. 4. sec. 7.* supra ostendimus, & *sec.* proxima confirmamus; ità quoque non sine graui scandalo totius Ecclesiæ, & pauperum detrimento, cùm Ecclesiæ, ac pauperum bona largiri conspiciuntur āb ipsius Ecclesiæ Cardinalibus consanguinitate sibi, ac affinitate coniunctis, propter carnis tantùm affectum; qui multoties solent ea expendere in Ludos, venationes, & in alios vsus profanos, & illicitos. Etenim S. R. E. Cardinales sic appellantur, quòd sicut cardine sustentatur ostium; ità pariter Ecclesia eorum vitæ Sanctitate, morum grauitate, prudentia, consilio, ac scientia sustentatur, vt in *c. Sacrosancta, in fine, 21. d. & Archid. in c. vbi periculum, §.*
2 *Sacro, de elec. in 6.* Ob id Cardinales olim Consiliarij quoque dicebantur præcipui, ac Principes Sacrosanctæ Ecclesiæ, Præsides, in ea gubernanda Romano Pontifici assiduè assistentes, vt in *c. Ecclesiasticis 12. q. 2. c. fundamēta, § decet de elec. in 6.* atque ideò vbi Cardinales aliquò Legati mittuntur, à Latere Legati appellantur: siquidem à Latere Romani Pontificis, cui assistunt, proficiscuntur, vt habetur ex *Glosa in c. 1. in vers. Legati, de offic. Legati in 6.* Horum dignitas, ac potestas, adeò magna est, vt mortuo Romano Pontifice, Pontificia Maiestas in eorum Collegio maneat dupliciter. Primò, quoad radicem proximam, in quantum ad ipsos spectat S. Pontificis electio: Secundò quantum ad materiale in Papatu, cùm per electionem personam determinent. Est tamen verum, quòd Rom. Pontificis potestas non rema-
3 net pœnes Collegium, quòad actualem administrationem; quæ est quid formale in Papa, nisi quatenus statuto, concessione, aut commissione prædecessoris licitum fiat. Vndè Sede vacante, Collegium Cardinalium non potest dispensare super illius leges, ac Constitutiones, vel easdem informare, aut reformare, aut alia agere ad Pōtificiam potestatem spectantia, vt in *Clem. ne Romani, de elect.* & propterea non potest alterare formam eligendi Papam traditam in *c. licèt de elect.* & nouissimè à Gregor. XV. 13. quæ incipit: *Æterni Patris filius.*

3 Apostolos sal terræ, & lucem Mundi appellat Dominus *Matt. c. 5. Vos estis sal terra, lux Mundi, &c.* & id propter eorum dignitatis, & potestatis culmen, puritatem, & vitæ sanctitatem, quàm Ecclesiæ Principes, vt suprà ostendimus esse S. R. E. Cardinales, habere, & boni operis exemplum præstare debent. Si igitur S.R.E.C. sunt eius Cardines, quorum vitæ Sanctitate, morum grauitate, prudentia, & scientia Ecclesia ipsa sustentari debet, quomodo sustentabitur, si Cardines ipsi carnei sint, & carnis affectu, non autem spiritu ducantur in dispensandis fideliter ipsius Ecclesiæ rebus, quibus, &
5 quando oporteat. Et si Cardinales ad hoc promouentur, vt S. Pontifici assistant, eidemque rectum consilium prebeant, quoad dispensationem, rerum, maximè Ecclesiasticarum, quas

Vrban.

Vrban. Papa appellat vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, atque ideò inquit, non debere in alijs vsibus, quàm Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum, vel indigentium conuerti; quale inquam iudicium ferre, & consilium in eiusmodi bonis dispensandis præstare possunt, si carnali coniunctorum affectu, quæ sua, suorum sunt quærant; non autem quæ Iesu Christi? & postquam sal terræ à Domino appellantur, si carnis affectu infatuentur bonorum temporalium, vel copiam sectantes, vel inopiam metuentes, non solùm quoad se, sed etiam quoad suos consanguinitate, vel affinitate coniunctos; quomodo exemplo bonorum operum, vitæ sanctitate, prudentia, ac scientia condientur, quodammodo populi in ipsorum peccatorum putoribus extinguendis invacando bonis, & cauendo à malis, cùm illi errant, quos Deus elegit, vt errorem auferant cæterorum? Et denique si S. R. E. Principes, & Cardinales à Domino vocantur lux Mundi, quonammodo lucis exempla per bona opera fidelibus monstrabunt, si carnis affectum prosequantur in dispensandis Ecclesiæ opibus, & non potius pauperum, quorum patrimonia sunt, indigentijs consulant. Quales enim Principes sunt, tales subditi esse student. Populi Sichimorum videntes Principem eorum Hemor, Hebreorum circumcisionem suscepisse; atque ideò veram tunc temporis Religionem, se ipsos quoque circumcidi passi fuere, vt legitur *Genes. cap.* 34. è conuerso vero *lib.* 1. *Reg. cap.* 31. refertur de Armigero Saulis, qui videns ipsum Regem suum Saulum mortem sibi consciuisse, ipse quoque se ipsum interemit: & hoc ideò, quoniam subditi Dominorum facta imitantur, siuè bona sint, siuè mala. Vndè cæteris paribus, grauiora sũt peccata S.R.E. Cardinalium, quàm aliorum ipsis inferiorum: siquidem quo gradus altior, eò casus grauior, *c. principium, de pœnit d.* 2 *c. homo*, 40. *d.* & grauiora delicta facit sublimitas peccantium, *c. nulli fas*, 25. *q.* 1. Et id nõ ob aliud nisi ratione scandali. Quæ diximus de S. R. E. Cardinalibus extendimus etiam ad Episcopos: nàm licet Cardinales officio Episcopos excedant, cùm Rom. Pontificem eligendi facultatem habeant; non tamen habent maiorem, quàm Episcopi dignitatem, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cænæ, lib.* 1. *c.* 5. *q.* 1. Vndè sicut Cardinales, & Episcopi dignitate sunt pares, ità etiam eorum culpæ, cæteris paribus, sũt alijs Inferiorum criminibus grauiores: quapropter *Conc. Trid. sess.* 25. *c. de reform.* Eodem modo de Episcopis, ac Cardinalibus statuit. Sicut etiam de alijs Prælatis beneficia Ecclesiastica, tùm Sæcularia, tùm Regularia obtinentibus, vt infrà quoque dicemus *disp.* 6. de Episcopis agentes.

8 Quòd si hæc de S.R.E. Cardinalibus, Episcopis, & alijs Prælatis, vt suprà dicuntur, quid, quæso dicendum erit de Summo Sacerdote Rom. Pontifice; qui omnium Sacerdotum dicitur Summus, & omnium in Terra maximus, itaut administratione Apostolo Paulo quoque sit maior, vt in *c. Sacrosancta*, 22. *d.* Etenim sicut in eminentiori aeris regione nubes, fulgura, & coruscationes procul absunt; eo quòd ad eam Terræ vapores non perueniunt: & proindè regio illa est omnium regionum purgatissima; atque ideò perennem tranquillitatem, ac claritatem sibi vendicat; ità S. Pontifex cùm super omnes Principes, ac potestates eminentissimum solium teneat, animum ab omni passionum turbine, ac tempestatum absolutum, & ideò Sanctissimum habere debet, & omnibus virtutibus esse ornatum, vt Christi Vicarius sit omnibus exemplum bonorum operum. Dedit enim eum Deus in lucem gentium, vt dissiper, & ædificet, & pro qua re vide *Molfes. p.* 1. *sua summ. Theol. tr.* 8. *c.* 12. *num.* 9. Et si iudicium durissimum fiet omnibus ijs, qui malè præsunt, vt habetur *Sap. c.* 6. quid, quæso, fiet de eo, qui est super omnes Præsules, Dei Vicarius, omnem potestatem habens in Cœlo, & in Terra; quæ Christo Domino, vt homini tributa fuit, iuxtà illud *Ioann. c. vlt. Data est mihi omnis potestas in Cœlo, & in Terra.* Cùm Episcopi, & Vicarij idem sit auditorium, *c.* 2. *de consuet. in* 6. quod inquam iudicium fiet de Rom. Pontifice, si (quod absit) Sanctissimi nomen non esset ipsius operibus consequens; post quàm quo gradus altior, eò casus grauior: & grauiora delicta facit sublimitas peccantium, vt suprà ostendimus.

An S. R. E. Cardinales peccent ratione tantùm famulatus eorum familiaribus beneficia conferentes, & an famuli sub hac intentione famulantes simoniam committant. SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Sunt quamplurimi, qui Cardinalibus deseruiunt absque stipendio, & quarè.*
Et an Cardinales ipsi huiusmodi famulos recipientes peccent.

2 *Familiares huiusmodi si principaliter inseruiant Cardinali, alijque Prelato. Et intentione, vt prabendam, aut aliam dignitatem assequantur Simoniam, nàm committant, tam ipsi, quàm Domini.*

3 *Intentio minus principalis in Simonia committenda, cùm sit intrinsecè mala, maximè illa, quæ in Sacramentis committitur, excusat quidem à tanto, sed non à toto.*

4 *Simoniam non committit Clericus, qui suo Episcopo donat, aut mutuat, cùm intentione obtinendi ab eo beneficium, sibi spontè dandum.*

5 *Qui dat alicui mutuo, intendens ex eo aliquod lucrum, sed non in pretium vsus rei mutuatæ non excusetur ab vsura.*

6 *Si mutuans excitet mutuatarium ad remunerandum mutui beneficium modo ex liberalitate, gratitudine, & plenè voluntate daturum sibi fore iudicet, non erit vsura damnãdus, nec ad rationem compellendus.*

7 Tex. in cap. consuluit de vsur, & Authoritas Domini in Euang. Lucæ cap. 9. *Intelliguntur quando lucrum intenderetur ex mutuo, tanquam pretium vsus rei mutuatæ.*

1 AD tituli explicationem est adnot. quòd quamplurimi sunt, qui S.R.E. Cardinalibus deseruiunt absque aliquo stipendio; sed sub ea tantùm spe assequendi præbendam aliquam in remunerationem seruitiorum, aut promouendi in Episcopos, vel Cardinales, vel in alias dignitates Ecclesiasticas, si Cardinalis eorum Dominus in S. Pontificem eligatur. Queritur igitur, an Cardinales ipsi eiusmodi familiares recipientes, ac scientes sub hac spe eisdem inseruire, vna cum ipsis familiaribus peccent, & in Simoniam incidant.

2 In hac re *D. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 5. Suar to. 1. de Relig. tr. 3. lib. 4. c. 39. num. 5. Reginal. lib. 23. sua prax. num. 138. cum seq. Molfes. p. 1 sua summ. Theol.* & alij distingunt, quòd aut familiares eiusmodi principaliter inseruiunt Cardinali, aut alij Prælato ea intentione, vt præbendam, aut aliam dignitatem spiritualem, & Ecclesiasticam habeant, & hoc casu Simoniam committerent tàm familiares, quàm Domini eorum intentionem scientes. Aut familiares ipsi seruiant principaliter eorum Dominis ex amore, ac beneuolentia, & minùs principaliter ad assequendam præbendam, aut aliquam dignitatem, vt suprà, atque ideò secundariò, & tunc nullam culpam contraherent, nec in Simoniæ crimen inciderent. Etenim eodem modo dicunt de eo, qui principaliter intendit lucrum ex mutuo, nàm is vsuram committeret: Secus autem si mutuo daret principaliter ad succurrendum mutuatario, & ad consulendum eiusdem indigentijs, & minùs principaliter, ac secundariò lucrum aliquod intenderet, nàm tunc vsuram non contraheret.

3 Sed hæc distinctio re vera nobis non probatur: quoniam intentio minùs principalis, cùm Simonia sit intrinsecè mala, maximè quæ committitur in Sacramentis, excusat à tanto, non autem à toto: & propterea idem dicendum videtur de eo, qui minùs principaliter intendit lucrum ex mutuo: siquidem vsura cùm sit intrinsecè mala, intentio minùs principalis excusat à tanto, non autem à toto vsuræ crimine. Vndè ad hanc difficultatem breuitèr respondeamus, dicentes, iuxtà ea, quæ habentur ex *Molfes. to. 2. de iust. & iur. disp. 303.* quòd dicti familiares excusantur à Simonia si beneficium, aut dignitatem intendant, etiam principaliter non in prætium seruitij, sed spontè danda à Dominis ex causa gratitudinis: ea enim quæ dicti familiares hoc modo intendunt; non appetunt ex vi alicuius obligationis ciuilis, ob quam Simonia cõtrahitur; sed vi obligationis naturalis, quæ omnes naturaliter obligantur ad benefaciendum benefacienti; eò maximè, quia Simonia nunquam committitur, nisi interueniat pactum rei temporalis pro spirituali, vt in *c. quanto de Sim.* Eodem modo excusatur, qui intendit aliquid ex mutuo, quod voluntarium sit ex parte dantis, atque ideò ex gratitudine, & beneuolentia, licèt illud principaliter intendat ex mutuo: quoniam vsura in tantùm est vsura, in quantum inuoluntaria est ex parte dantis, & quod recipitur non tantùm percipitur ex mutuo, sed in prætium mutui, seu vsus rei mutuatæ.

4 Sic etiam simoniam non committit Clericus, qui suo Episcopo donat, aut mutuat cum intentione obtinendi ab eo beneficium aliquod spòtè dandum: siquidem simonia committitur quotiescunque datur res temporalis in prætium rei spiritualis, vt in *c. 1 de sim. & c. de iure, de iure patr.* Secus autem si spontè, & ex alia causa, vt in *c. sicut Episcopum, 1. q. 2. c. dilectus, il 2. eod. tit. de sim. contra Conrad. in suo tract. de contract. q. 29. concl. 2.* tenet *Less lib. 2. de iustit. & iur. c. 20. dub. 5. & 6.* Quod quidem verum est si ità Clericus donet, aut mutuet Episcopo ad beneficium obtinendum, etiam si aliàs ei non fuisset donaturus, aut mutuo daturus; dummodo beneficium intendat ab Episcopo spontè dandum, vt contra *Medin. de reb. per vsur. acquis.* tenent præfati scribentes, & præcipuè *Molf. loc. cit.* quoniam beneficium illud non intendit in prætium rei donatæ, seu in prætium vsus rei mutuatæ. Idem dicendum est de Sacerdote intendente vnum carolenum pro celebratione Missæ, aliàs non celebraturus: nàm si carolenum illud intendat in prætium sacrificij, simoniam committit: Si verò illum intendat, vt ordinatum ad sustentationem Sacerdotum celebrantium licitè intendit. Etenim eodem modo excusatur etiam, qui dat alicui mutuo, & ex eo intendit lucrum aliquod non in pretium vsus rei mutuatæ, sed ex

5 alia causa, puta ex gratitudine, vel à mutuatario spontè dandum ex liberalitate, ità contra *Nauar.* malè reprehendentem *Sotum in suo Man. c. 17. num. 209.* tenet *Molina loco supra relato, disp. 305.* dicens, quod *Nauar.* in hoc non est sibi constans, *Less. lib. 2. de iust. & iure, c. 20. dub. 5. & 6. & Salon. 22 q. 78. ar. 3. contro. 10. num. 2.*

6 Quod quidem adeò verum est, vt si mutuans excitet mutuatarium ad remunerandum mutui beneficium; dummodò ex liberalitate, gratitudine, & plenè voluntariè daturum sibi fore iudicet, vsurarum prauitate non erit damnandus, nec ad restitutionem compellendus, vt rectè notat *Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 1.* quẽ refert, & sequitur *Mol. vbi supra;* addens hunc euentum moraliter non esse impossibilem, si mutuatarius generosus sit, ac liberalis; quamuis periculosum sit, hoc pacto excitare mutuatarium. Vndè reprehendendi sunt meritò huiusmodi excitantes.

7 Nec obstat *tex. in c. consuluit, de vsur.* vbi Summus Pontifex obligat ad restitutionem mutuantem, qui mutuauit cum intentione aliquid percipiendi ex mutuo vltra sortem; etiam nulla conuentione, aut pacto præcedente ex illo *Lucæ c 9.* vbi ait Dominus, *Mutuo date, nihil indè sperantes;* quoniam *tex.* ille cum authoritate Domini, intelligendus est quotiescunque intenditur lucrum ex mutuo tãquàm prætium vsus rei mutuatæ, non autem ex alia causa, puta ex gratitudine spontè dandum à mutuatario. Non nulla quoque circà rem hanc dicemus, de Episcopis agentes.

An

An peccent S.R.E. Cardinales tractatus facientes de infeudandis, aut quocunque alio modo alienandis Ciuitates, Terras, & loca S.R.E.

S E C. V.

S V M M A R I V M.

1 *Responsio adducitur affirmatiua, ex Constitutione Pij V.*

2 *Tractatus huiusmodi prohibiti quoque sunt etiam sub prætextu necessitatis, aut euidentis Ecclesiæ vtilitatis, & num. 7.*

3 *Etiam Consilium de prædictis bonis alienandis, aut infeudandis sub eisdem pœnis, & censuris prohibetur.*

4 *Non modo prohibentur tractatus isti, ac consilia fieri publicè in Consilijs Ciuitatum, & locorum prædictorum, sed etiam priuatim.*

5 *Nec solùm fieri prohibentur à communitatibus, Vrbibus, Ciuitatibus, &c. Sed etiam ab alijs, & quibuscunque personis, tàm Ecclesiasticis quàm Sæcularibus.*

6 *Prohibitæ quoque censentur discussiones, an scilicet expediat, dicta loca infeudari, alienari, &c.*

7 *Tractatus, Consilia, & verba prædicta fieri prohibentur etiam sub prætextu necessitatis, aut euidentis Ecclesiæ vtilitatis, & siuè prætextus contineat fictam, siuè veram causam.*

8 *S.R.E. Cardinales, & cæteri quicunque non modo prohibentur tractatus facere de infeudandis, aut alienandis S. R. E. Ciuitatibus, & locis, sed etiam de distrahendis decies cẽtenis millibus aureorum se positis in Arce S. Angeli, etiam sub prætextu necessitatis.*

9 *S. R. E. nisi in quibusdam casibus, & qui, & num. 12.*
Cardinales promittunt, & iurant seruare prædictam Constitutionem Pij V. & Sixti V. etiamsi eorum aliquis in Summum Pontificem electus fuerit.

10 *Tractatus, loquutiones, ac discussiones tunc prohibentur, quando fiunt cum intentione alienandi, infeudandi, distribuendi, &c. Secus si priuatim fiant, an scilicet expediat Ecclesiæ nec ne.*

11 *Eos tantum comprehendit Pij Constitutio, qui tractant de alienandis rebus ad R. E. deuolutis, ista, vt ad pristinum eius dominium peruenerunt, secus si tractent de alienandis, infeudandis, &c. rebus per confiscationem R. E. acquisitis.*

12 *Nec eos comprehendit Pij Constitutio, qui alienant, infeudant, vel detrahunt ex Arce Sancti Angeli ex vera, & necessaria causa, ac euidenti Ecclesiæ vtilitate.*

13 *Excommunicatio contenta in dicta Piana Constitut. haud comprehendit saltem in foro Constitutionem ignorantes ipsam.*

14 *A præfatis censuris excusat etiam naturalis inconsideratio, ac naturalis oblinio.*

15 *Naturalis inconsideratio seu oblinio potest dici crassa, & affectata, vbi culpa, aut vitium concurrit.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè, vt patet ex Constitutione Pij V. 35. quæ incipit: *Admonet nos*, vbi à Roman. Pontif. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, & alijs pœnis prohibetur omnibus, & quibuscunque personis, etiam S.R.E. Cardinalibus tractatus fieri de huiusmodi bonis infeudandis, aut alienandis.

2 Ampliatur primò hęc conclusio, vt huiusmodi tractatus prohibiti sint, etiam sub prætextu necessitatis, aut euidentis vtilitatis Ecclesiæ, vt patet ex eadem Piana loco citato. Rationem autem talis prohibitionis eam esse constat: siquidem, vt patet ex eiusdem Pianæ proęmio, §. 1. retroactis temporibus non nulli nimium ambitiosi, & dominandi cupidi, sub varijs prætextibus, coloribus, & causis, sæpè etiam falsis, aliquibus Rom. Pontificijs sugestionibus, & insinuationibus suis conati sunt ostendere, & persuadere magis vtile, ac expediens S.R.E. & Sedi Apostolicæ fore, si aliquæ Ciuitates, & Terræ, oppida, Castra, arces, & loca ad ius, & proprietatem eiusdem Sedis pertinentia, in feudũ, gubernium, Vicariatum, Ducatum, aut quemuis alium titulum perpetuum, vel ad tertiam generationem, seu ad vitam, aut ad aliud longum tempus concederentur: vel etiam ex eo, quòd aliàs in feudum data, aut quouis alio titulo huiusmodi alienata fuerint, & propterea tãquam ad Sedem Apostolicam deuoluta, vel deuoluenda, posse, ac debere de iure iterum infeudari, & alienari; atque indè non nullas alienationes, infeudationes, & concessiones à S. A. emanasse, ex quibus illa non mediocrem diminutionem, non solùm in patrimonij, sed etiam æstimationis recepisse dignoscitur. In § 2. eiusdem Pianæ constitutionis ita quoque habetur; Eo quòd omnium Ciuitatum, & locorum prædictorum singularem fidem, & promptam deuotionem eidem Sedi exhibitam omni tempore valdè vtilem, & salutarem fuisse, & esse: idcircò non solum prohibet alienationes, & infeudationes eiusmodi; sed ne ad illas deueniatur, & deinceps Rom. Pont. falsis sugestionibus, §. 3. prohibet omnes de illis alienandis tractatus fieri, etiam prætextu necessitatis, aut euidentis Ecclesiæ vtilitatis, ac propterea de eligendis Oratoribus pro hac re ad Rom. Pontificem pro tẽpore mittendis. Vide infrà, *ampl* 6.

3 Secundò ampliatur, vt non solùm tractatus, sed etiam consilium de prædictis bonis alienandis, ac infeudandis sub eisdem censuris, & pœnis prohibeatur, vt patet ex eodem §. 3. d. Pianæ, in illis verbis: *Tractantes, & Consilium interdicantur*, & quæcunque verba fieri de infeudationibus, & alienationibus prædictis, vt in d. §. 3. ibi: *Aut aliàs verba facientes de infeudationibus, & alienationibus, &c.*

4 Tertiò ampliatur, vt tractatus, consilia, & verba de infeudandis, & alienandis loca S.R.E. prohibeantur fieri, non solùm publicè in Consilijs Ciuitatum, & locorum prædictorum; sed etiam priuatim in omnibus, & quibuscunque locis, vt constat ex illis eiusdem Pianæ verbis: *Tàm publicè in Consilijs Ciuitatum, & locorũ præfatorum, quàm priuatim alibi in quibusuis locis.*

5 Quartò ampliatur, vt huiusmodi tractatus, &c.

prohibeantur fieri, non solùm à communitatibus, Vrbibus, Ciuitatibus, & Incolis Ciuitatū, & locorum S. R. E. Verum etiam alijs quibuscunque personis, tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, vt patet ex eodem § 3. ibi: *Statuimus, & decernimus, quòd omnes, & singula, tàm communitates, & Vniuersitates, quam Ciues, & Incola Ciuitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, aliaque quæcunque personæ tàm Ecclesiasticæ, quàm Sæculares, &c.*

6 Quintò ampliatur eadem conclusio, vt etiam prohibitæ censeantur discussiones, an expediat, dicta loca infeudari, alienari, &c. Siquidem vi dictæ Pianæ Constitutionis prohibentur quæcunque verba fieri de infeudandis, & alienandis huiusmodi locis, vt suprà ostendimus, *amp.* 2. Differunt autem discussiones, seu tractatus, & consilia in hoc; quoniam per discussionem nihil deliberatur, sed tantùm discurritur, an expediat, vel non expediat, hoc, vel illud fieri. Tractatus verò est deliberatio quædam, quæ per discursum rationis fit ab aliquibus insimul congregatis. Consilium denique licet per discursum rationis quoque fiat; nihilominus potest sumi ab vno, vel à pluribus, nec opus est, quòd simul congregentur in vnum, sed sufficit, quòd vnicuique Consultorum proponatur negotium consultationi subiectum, cùm omnibus suis circumstantijs. Ità *Panorm. in cap. nulli, de reb. Eccl. non alien. cap. 1. de his quæ fiunt à Præl. sine cons. cap. c. cum veteri, de elect.* vt rectè declarat *Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 93. nu. 1. vers. Nec contra hoc obstat, & vers. Etsi replicatur,* vbi ex hoc infert, quod tractatus includit consilium; sed non è contra consilium includit tractatum. Vide infrà *lim.* 1.

7 Sextò ampliatur, vt tractatus, consilia, & verba prædicta prohibeantur prætextu necessitatis, aut euidentis vtilitatis Ecclesiæ, siuè prætextus fictam, siuè veram contineat causam. Est enim duplex prætextus: nàm quidam fictam continet causam, & est velamen quoddam, quo moueri se aliquis simulat ad aliquid faciendum, cùm tamen alia causa moueatur, vt declarat *Mantica de tacit. & ambig. conuent. lib. 26 tit. 5. sub num. 11.* Quidam verò prætextus veram causam denotat, vt in *l. sub prætextu, C. de transac.* Vndè tractantes, consiliantes, & verba facientes de alienandis, aut infeudandis prædicta loca sub prætextu necessitatis, aut euidentis vtilitatis Ecclesiæ, subijciuntur censuris, & pœnis in Piana constitutione contentis, siuè prætextus fictam, siuè veram contineat necessitatis, ac vtilitatis causam: siquidem Constitutio illa generaliter loquitur, nec distinguit de prætextu; ergo generaliter, ac indistinctè est intelligenda; quoniam lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. § generaliter, ff. de legat. præst. l. de pretio, ff. de publ. in rem act.* Nec propterea d. Constitutio dicitur malis bonum prohibere; sed prohibet periculum sub tali prætextu alienandi, vel infeudandi bona Ecclesiæ, in grauissimum eiusdem detrimentum, vt sæpè sub prætextu fictam causam continente, & falsis ambitiosorum suggestionibus, tales alienationes, & infeudationes initas fuisse constat, vt patet in proœmio eiusdem Constitutionis: quod periculum est malū. Hinc sequitur, quod quàuis iurans se non futurum Episcopum, temerè iuret, cùm huiusmodi iuramentum excludat maius bonum, atque adeò non teneat, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 2. & qu. 98. ar. 2. ad 2.* nihilominus si iurans non se futurum Episcopum, id fecerit ex consideratione periculi animæ, & ex consideratione suæ insufficientiæ, cui exponitur Episcopus non peccat iurando, vt post alios rectè declarat *Sayr. lib. 5. Clauis Reg. c. 7. sub num. 3. vers. Sin autem.*

8 Septimò ampliatur ipsa conclusio, vt S.R.E. Cardinales, & quicunque alij prohibeantur nō solum tractatus facere, vt supra de infeudandis, ac alienandis S. R. E. Ciuitatibus, & locis; sed etiam de decies centenis millibus aureorum in Arce Sancti Angeli sepositis detrahendis etiam prætextu necessitatis, aut vtilitatis Ecclesiæ, exceptis sequentibus casibus, nempè pro recuperatione Terræ Sanctæ, & generali contra Turcas expeditione bellū si aliquando suscipiendū erit; tuncque etiam postquam Christianus exercitus comparatus erit, ac mare ad ipsorum Turcarum fines traiecerit. Si præterea tanta annona, & rei frumentariæ inopia sit, vt fames populo interitum allatura videatur, aut si pestilentiæ lues grassetur. Si manifestum periculum immineat, ne aliqua ex Christianis prouincijs ab Infidelibus, & Catholicæ Ecclesiæ hostibus occupetur; tuncque subsidij tantùm ferendi causa. Si bellum contra statum S. R. E. in Italia inferetur; tuncque dumtaxàt cum iustus, ac integer exercitus in ipsos etiam Ecclesiasticæ ditionis fines peruaserit, vel propè iàm sit, vt qui loca finitima inuaserunt ad occupandum Ciuitates, & loca ditionis Ecclesiasticæ irrumpat. Si belli sumptus faciēdus erit pro Ciuitatis, quæ ditioni S. R. E. subiecta ab ipsius obedientia (quod Deus auertat) defecerit recuperatione, & conseruatione, aut pro Ciuitate, ac ditione, quę ad S. A. deuolueretur, recuperanda, & conseruanda. Si quando quis in eam se introduceret, aut occuparet, aut occupationis, & intrusionis periculum instaret, atque vrgeret. Vt patet ex Constitutione Sixti V. 31. quæ incipit: *Ad Clauum Apostolicæ seruitutis, edita anno 1586. Vndecimo Kal. Maij, Pontificatus sui anno primo.*

9 Octauò ampliatur dicta conclusio, vt non tantùm prohibeatur tractatus de infeudandis, & alienandis Ciuitatibus, & locis S. R. E. & detrahendis præfatis decies centenis millibus aureorum in totum, vel pro parte, in Arce S. Angeli sepositis; sed etiam S. R. E. Cardinales promittunt, & iurant seruare dictas Constitutiones, tàm Pij V. quàm Sixti V. etiam si eorum aliquis in Rom. Pontificem electus fuerit. Imò, & ipsi Romani Pontifices, qui Constitutiones ipsas ediderunt, cùm iuramento promittunt seruare omnia in dictis constitutionibus contenta: & hoc ipsum hucusque seruarunt eorū successiuè Pontifices, vt supra adnotauimus *disp. præcedenti, sec. 11.* Vndè tàm S. R. E. Cardinales, quàm Rom. Pont. contrauenientes efficiuntur periuri: nunquam tamen Rom. Pontifex subijcitur censuris, & pœnis in dictis Constitutionibus contra S.R.E. Cardinales, & alios, qui cōtrauenerint, latis: siquidem in ferendis censuris

ris

gis, & pœnis exigitur iurisdictio, quæ exigit distinctionem personarum, ità vt alter sit Superior, alter verò inferior, & subditus, *c. cùm inferior*, & ibi *Glosa, vers. Inferior, d. 21.* At cum nemo possit esse sibi ipsi inferior, & superior, nō est mirum si non alligetur censuris, & pœnis: imò nec ab alijs Pontificibus, cum sit supra omnes leges, & Canones, vt latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 1. q. 2. à num. 35 ad 38.*

10 Sic ampliata eadem conclusio limitatur primò, quoad quintam ampliationem, vt locum habeat, quando huiusmodi tractatus, locutiones, & discussiones fiunt, cum intentione alienandi, aut infeudandi bona, & detrahendi pecunias, de quibus agitur: siquidem dictæ constitutiones prohibent tractatus, & locutiones de alienandis, infeudandis dictis bonis, & detrahendis pecunijs ab arce S. Angeli: Secus autem si priuatim discussio tantùm fiat, an Ecclesiæ expediat alienare, infeudare, detrahere, &c. citra intentionem aliquam, quòd ob talem discussionem bona ipsa alienentur, aut pecuniæ detrahantur: quia licèt tractatus non exigat deliberatum consensum; sed satis est si contineat discussionem tantùm, & indaginem circa rem disponendam in futurum, vt habetur ex *Panor. in c. tua nuper, num 6. de his, quæ fiunt à maiori par. cap.* vbi ait id esse notandum pro statutis punientibus tractatum super aliqua re; id tamen intelligendum est de ijs, qui formaliter congregantur ad hunc effectum, & vt deueniatur ad alienationem rerum si expediat, in quo primò fit discussio, vtrum magis expediat alienare vnā rem potiusquàm aliam: & vtrum possit subueniri Ecclesiæ sine alienatione, vt habetur ex eodem *Panor.* ibi: Secus autem si discussionis causa priuatim huiusmodi discussiones fiant; quoniam hæ non possunt dici tractatus de alienationibus, infeudationibus, &c. quæ per relatas Constitutiones prohibentur, vt suprà latiùs declarauimus *disp. 4. sec. 11. vers. Imò dicta Piana.*

11 Secundò limitatur prædicta conclusio, vt cōprehendat eos tantùm, qui tractatum, consiliū, & alia verba adhibeàt pro alienandis, & infeudandis locis S.R.E. ità deuolutis, vt sint ad pristinum ipsius dominium absque alia declaratione redacta: Secus autem si tractatus habeatur pro alienandis, aut infeudandis locis per cōfiscationem Sedi Apostolicæ acquisitis, vt §. ostendimus *d. sec. 11 vers Adde.*

12 Tertiò limitatur, vt Constitutio illa Pij V. nō comprehendat alienantes, ac infeudantes loca S.R.E. & pecunias detrahentes ex arce S. Angeli ex vera, ac necessaria causa, & euidenti vtilitate Ecclesiæ, & tractatum de ijs facientes vt supra declarauimus *d sec. 11. in prin. & in vers. Et cùm in præfatis.*

13 Quartò limitatur, vt excommunicatio in d. Piana contenta non comprehendat saltem in foro conscientiæ probabiliter ignorantes Constitutionem ipsam: siquidem probabilis ignorantia censuræ excusat à qualibet censura, etiam in Bulla Cœnæ reseruata; vt latè probat *Suar. de censur. disp. 4. sec. 9. num. 2. & lib. 5. de legib. cap. 12. Sayr. de censur. lib. 1. c. 18. & lib. 2. cap. 15.* & hanc opinionem communem esse testatur *Couar. in c. Alma mater, p. 1. §. 10. num. 9. de sent. excomm. lib. 6.* Etenim ex ignorantia probabili actus non est volitus in se, nec in causa; & propterea non est peccatum, cùm omne peccatum sit voluntarium; at vbi peccatum mortale non adest, excommunicatio ferri non potest, *c. nullus, 11. q. 1.* Dixi probabiliter ignorantes; quia ignorantia crassa, & improbabilis non excusat, vt patet ex communi Doctorum sententia, quàm refert *Nauar. in Man. c. 27. num. 16. Azor. lib. 1. inst. moral. p. 1. c. 15. q. 6. Sayr. lib. 1. Thes. tom. 1. c. 18. num. 10.* Siquidem huiusmodi ignorantia, aut est affectata, & est directè volita: aut est crassa, & est volita indirectè, & propterea æquiparatur scientiæ, ac dolo, vt in *l. cedere diem, §. vlt. l. latè, & l. magna, ff de ver. signif.* latè *Dyn. in c. ignorantia, de regul. iur. in 6.* & est *tex. in c. vt animarum, de constit. eod. lib.* Ex quibus infertur, quòd ab huiusmodi cēsuris, & pœnis ex capite ignorantiæ probabilis non possunt excusari S.R.E. Cardinales, Episcopi, Canonistæ, & alij sapientes, qui tenentur præfatas Constitutiones scire; quoniam hæc ignorantia esset crassa, & improbabilis.

14 Quintò limitatur, vt à prædictis censuris excuset etiam naturalis inconsideratio, ac naturalis obliuio, quæ excusant etiam Doctos, qui aliàs ignorantia non excusarentur, vt rectè declarat *Azor. lib. 1. inst. moral. p. 1. c. 16 q 3. & 4. & Suar. de censur. disp. 4. sec. 8 num. 11.* Etenim huiusmodi inconsideratio, seù naturalis obliuio excusat à culpa, cùm faciat actum inuoluntarium, tàm directè, quàm indirectè. Directè, quoniam voluntas non potest actu directo velle; nisi quod intellectus actu cogitat; at inconsideratio tollit actualem cognitionem obiecti, & ideò tollit voluntarium. Indirectè verò, quia ibi nullum potest esse voluntarium indirectum, nisi ratione causæ, quæ est ipsamet inconsideratio inuoluntaria, vt supponitur: ergò non potest ratione illius actus esse indirectè volitus,

15 seu volitus in causa. Est tamen verùm, quòd naturalis inconsideratio, seu obliuio potest dici aliquo modo ex *Azor. loco citato*, crassa, & affectata, vbi culpa, aut vitium concurrit, memoria non retinendo id, quod oportet; atque ideò talis inconsideratio, seù obliuio coniunctam habens grauem negligentiam non excusat.

An peccent S. R. E. Cardinales, si frugali mensa non vtantur: & familiares suos non procurent esse benè compositos, atque deuotos.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Datur responsio affirmatiua, & quare. Ponderatur Conc. Trid. sess. 2. in decr. de modo viuendi, &c.*

2 *Concilium Carthaginense non solum iubet, vt Episcopi modesta suppellectili, ac mensa, & frugali victu contenti sint, verùm etiam in toto vitæ genere Dei zelum, & vanitatum contemptum præseferant.*

Ea-

Eademq; extēdit ad S.R.E.Cardinales, aliosque Ecclesiæ beneficiatos.

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè. Etenim S. R. E. Cardinales, & Episcopi maximè dicuntur lumenMundi, propter exemplum bonorum operum, quod præstare tenentur. Fideles enim ad Religionem, & innocentiam facilè inflammantur; si Præpositos suos viderint non ea, quæ Mundi sunt; sed animarum salutem, ac Cœlestem Patriam cogitantes. Vndè sicut Apostolus ad *Timot.c.1.* inquit, Episcopum oportere irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, domui bene præpositum, &c. ità *Conc. Trid. sess.2.* in Decreto de modo viuendi, & in alijs in Concilio seruandis Episcopos ità hortatur: *Vt ante omnia quilibet in mensa seruet sobrietatem, moderationem ciborum*, & paulò infrà: *Familiares verò suos vnusquisque instruat, & erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur, & in vestitu, & cultu, & omnibus actionibus honestatem præseferant, sicut decet Ministros Ministrorum Dei.* Hæc eadem, quæ statuit Concilium, quoad Episcopos, & eorum familiares Concilio præsentes, decreuit, quoad omnes Episcopos in vniuersum, & extendit etiam ad S.R.E. Cardinales, & ad alios Beneficiatos, vt patet ex *sess.25.c.1.* in illis: *Admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes factis etiam ipsis, ac vita actionibus, quod est perpetuum quodammodo prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant. In primis verò, ità mores suos componant, vt reliqui ab eis puritatis, modestiæ, continentiæ, quæ nos tantopere commendat Deo sanctæ humilitatis exēpla petere possit. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Conc. Cartagin. non solum iubet,*

2 *vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant ne quid appareat, quod à Sancto hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.* Extendens demum prædicta ad S. R. E. Cardinales, & ad alios Ecclesiæ Benificiatos in eodem cap. ità inquit: *Quæ verò ad Episcopos dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Ecclesiastica beneficia, tàm Sæcularia, quàm Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari; sed ad S.R.E. Cardinales pertinere decernit, quorum Consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem, cùm vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos conuertant.* Pro hac eadem re faciunt, quæ suprà cumulauimus *sec. 3.* de scandalo à S. R. E. Cardinalibus, & alijs Ecclesiasticis, & præsertim à Romano Pontifice deuitando, agentes, & infrà quoque nonnulla trademus de Episcopis tractantes *disp. 6. sect. 1.*

An S.R.E. Cardinales in Sacro Concistorio conuocati peccent, si metu cadente in constantem virum Consilium aliter impendant, quàm in conscientia sentiant; aut aliter referant, quàm veritas se habeat.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Cardinales S. R. E. debent liberè consulere, circa ea, quæ ad Vniuersalis Ecclesiæ administrationem pertinent, alias lethaliter peccant.*
An mortaliter peccent, si deficiant à recto cōsilio metu Mortis, vel alio metu, cadente in constantem virum.

2 *Iustus timor cadens in constantem virum à legis transgressione excusat, non tantùm humana, sed etiam Diuinæ positiuæ.*

3 *Cardinalis, qui suum consilium refert Romano Pontifici, contrarium suæ conscientiæ, & si relator sit, & taceat defectum eius, procùldubio mentitur.*

4 *Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur.*

5 *Edere panes propositionis, & pugnare in die Sabbati, non erat intrinsecè malum.*

6 *Vir constans metu mortis, potest facere aliqua turpia, modo non sint intrinsecè mala.*

7 *Conculcans infantem baptizatum, dum ab hoste insequitur, non videtur committere homicidium.*

1 OStendimus superiori *sec. ex Conc. Trid.* quòd S.R.E.Cardinalium Consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem vniuersalis Ecclesiæ administratio nititur. Vndè certum est regulariter eos liberè debere consulere circà ea, quæ pertinent ad vniuersalis Ecclesiæ, maximè administrationem, aliàs procùldubio lethalem culpam contraherent secundùm eorūdem conscientiam non consulentes. Difficultas autem consistit, an peccent metu mortis, aut alio metu cadente in constantem virum, deficiētes à recto consilio liberè ferendo. Exemplum dari potest, cùm aliquis Regis filius esset in Cardinalem in Concistorio proponendus, & Cardinalis relator, iuxtà Decretum *Conc.Trid. sess.24.c.1.* metu mortis, amissionis omnium bonorum, vel maioris partis, aut alio iusto metu, de quibus in *l. nec timorem*, & ibi Doctor. *ff. de eo, quod met. causa*, taceat defectum dicti Regis filij in Cardinalem promouendi. Exemplum quoque assignari potest de magno aliquo Principe, qui petierit in feudum sibi tribui Ciuitates aliquas, & Terras Sedis Apostolicæ sub falso prætextu necessitatis, aut euidentis vtilitatis: & aliqui S.R.E. Cardinales metu cadente in cōstantem virum consulant Sum. Pontifici infeudationem, tanquam necessariam, & in euidentem Ecclesiæ vtilitatem, cùm re vera talis non sit. Quæritur igitur, an peccent mortaliter?

In

2 In hac re videtur prima facie negatiuè respondendum esse. Etenim iustus timor cadens in constantem virum à legis transgressione excusat, non tantùm humanæ, sed etiam Diuinæ positiuæ. Vndè metu iusto licitum est vesci carnibus 6. Fer. & Sabbato, communicare cum excommunicato quãtumuis nominatim denunciato, & aliàs humanas leges violare, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull Cœnæ Domini, lib. 1. cap. 2. qu. 2. num. 23.* Sic Dauid vna cum suis fame ne deficeret, panes propositionis comedit, quod lege Diuina Laicis erat omninò prohibitum, vt patet 1 *Reg. c. 21.* & Mathatias necessitate compulsus pugnauit diē Sabbati, *Leuit. c. 24.* quod per legem Diuinam Hæbręis interdicebatur. *Arist.* quoque 3. *Ethic. c. 1.* ait esse aliqua turpia, quæ vir constans metu mortis potest efficere. Et *Eustrat. in Commentar. in Arist.* inquit ob metum mortis incussum à Tiranno, posse aliquando non solùm mentiri, sed etiam rem habere cum fœmina, sibi non nupta, aut cum vxore aliena: quoniam id ait, non esse malum absolutè admittere, sed malum deterius, & grauius deuitare. *Cyn. pariter in l. 1. C. vndè vi*, docet excusari seruum, qui iussu Domini sub comminatione mortis, interficit illius vxorem de adulterio suspectam: siquidem seruus homicidium commisit ad tutelam sui corporis. Excusatur denique qui non valens aliter se defendere ab hoste, quàm fugiendo per angustum iter, vbi baptizatum infantem conculcat, vt diximus post alios in d. nostris *Commentar. lib. 2. can. 7 q. 36. num.* 18. ergò non peccat S.R.E. Cardinalis metu cadente in constantem virum dans consilium, vt suprà contrà eius conscientiam, aut aliter referat, quàm veritas se habeat. Metus autem cadens in constantem virum, seu metus iustus non modo intelliguntur mors, vincula, verbera, dehonestatio, carcer, &c. quæ comminentur alicui; sed etiam si comminentur eius Patri, Matri, fratribus, &c. vt post alios adnotauimus in d. nostris *Commentar. lib. 1. c. 2. q. 2. sub num. 25.*

3 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto veram. Etenim Cardinalis, qui suum consilium Rom. Pontifici defert contrarium suæ conscientiæ; & si relator sit, & taceat defectum eius pro quo fit relatio, reputando eũ idoneum ad Cardinalitiam, aut ad Episcopalem dignitatem proculdubio mentitur: siquidem falsus est, non solùm qui mendacium dicit; sed etiam qui veritatem occultat, vt in *c. 1. de crim. falsi*: at mentiri non licet etiam pro tuenda propria vita, vt in *c. super ea, de vsur.* Non igitur citra culpam potest Cardinalis consilium impēdere contra propriam conscientiam, aut falsum referre quocunque metu compulsus etiam cadente in constantem virum. Confirmatur, quia si consilium contra propriam conscientiam latum nocet Ecclesiæ, aut proximo, profectò causa esset alterius damni: nàm qui causam damni

4 dat, damnum dedisse videtur, vt in *c. qui causam, de regul. iur. in 6.* & si ex falsa relatione promoueatur minus idoneus, Ecclesia magnũ patitur detrimentum. Vndè *Concil. Trid. sess. 24. de reform. c. 1.* formam tribuens promouendi aliquem in Cardinalem, vel in Episcopum, inquit: *Nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam vt Beatissimus Romanus Pontifex, quàm sollicitudinem vniuersæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, vt lectissimos tantùm Cardinales, asciscat, & bonos maximè, atque idoneos Pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eo magis quod ouium Christi sanguinem, quæ ex malo negligētium, & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominus Noster Iesus Christus de manibus eius sit requisiturus.*

5 Ad contraria facilè respondetur: nàm ad facta Dauid, & Mathat. dicitur, quòd edere panes propositionis, & pugnare die Sabbati, non erant intrinsecè, & ex obiecto mala; sed tantùm mala, quia prohibita: & propterea Dauid famis necessitate compulsus citrà culpam comedit panes propositionis: & Mathat. in vitæ discrimine constitutus pugnauit in die Sabbati. Siquidem eadem ratione non peccaret, qui iusto metu vesceretur carnibus 6. Feria, & Sabbato, nisi in contemptum præciperetur Religionis, vt ostendimus in d. nostris *Commentar. lib. 1 c. 2. q. 2. concl. 3.* At dare consilium contra conscientiam, & non referre verum, vt supra sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, cum citrà mendacium hæc non fiant: & intrinsecè mala, nunquam sunt eligibilia, etiam ad euitandum mortem, vt in specie de mendacio, ait *tex. in c. super eo, de vsur.* & nos latè explicauimus in d. nostris *Commentar. d. q. 2. concl. 2.*

Ad illud *Arist. 3. Ethic. c. 1.* dum ait, virum constantem metu mortis posse facere aliqua

6 turpia, respondetur, quòd *Arist.* ibi, per turpia non intelligit intrinsecè mala, sed vilia. Vndè falluntur *Eustratius*, & alij dicentes posse aliquem actum intrinsecè malum licitè agere metu mortis, vt rectè probat *Panor. in c. sacris, de his, quæ vi, met. causa fiun. & Azor. lib. 1. instit. moral. p. 1 c. 10. q. 12.* siquidem in suprà relatis casibus verè committitur homicidium, quod est intrinsecè, & ex obiecto malum, atq; ideò vllo vnquam casu potest esse licitum, vt declarauimus *d. q. 2. concl. 2. sub num 9.*

7 Ad vltimum de conculcante infantem baptizatum dicimus, quòd qui conculcauit infantem, eo casu non commisit homicidium; quoniam quod per se primò intendebat, erat defendere se ab hoste persequente; quòd indè pōsteà sit subsequuta mors illius infantis: id est per accidens: in moralibus autem attenditur, id quod est per se, non autem per accidens; vt ostendimus in d. nostris *Commentar. lib. 2. c. 7. qu. 36. num. 18.* Hæc pauca dicta sint de S R.E. Cardi: nàm reliqua dicemus infrà *disp. 6. de Episcopis agentes.* Siquidem Cardinalium non nulli sunt etiam Episcopi: imò licèt Episcopi non sint, nec Præsbyteri; habent tamen ius conferendi omnia beneficia, quæ sunt in eorum Ecclesijs, quas obtinent in titulum, quasi Episcopalem, vt constat ex Bulla Clem. VII. cuius meminit *Molfes.* post *Reginal. p. 1. suæ summ. tr. 6. c. 6. num. 37.*

De

De Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, seù Primatibus, ac eorum culpis, in quibus explorandis; Confessarius discretus debet esse, ac cautus.

D I S P. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Patriarcha authoritate, & iurisdictione praest Archiepiscopis, & Archiepiscopi Episcopis.*
Vndè dicatur Patriarcha, & Archiepiscopi, & in quo cum Episcopis conueniant.

1 Licet Patriarcha auctoritate, ac iurisdictione præsit Archiepiscopis, & Archiepiscopi Episcopis. Etenim Episcopus vni tantùm præficitur Ciuitati: Archiepiscopus vni Prouinciæ; atque ideò pluribus Ciuitatibus: & Patriarcha pluribus Prouincijs, & sic omnibus supradictis ampliorem habeat potestatem. Vndè Patriarcha dicitur Princeps Patrum, & idem est, quòd Primas, vt per *Glosa in c. vrbes, vers. Patriarchas, d.* 80. Archiepiscopus Episcoporum Princeps, qui alio vocabulo appellatur Metropolitanus, vt in *c. de his, d.* 12. nihilominus in eo conueniunt, quia omnes sunt Episcopi; sicut etiam Romanus Pontifex: nàm Episcopus græcè, latinè, idem est, quod Speculator, seù superintendens, *c. qui Episcopatum*, 8. *q.* 1. eo quòd speculetur, & prospiciat populorum intra se mores, & vitas, criminosos corrigens, indoctos instruens, calumniatores detestans, vt in *c. Cleros*, 21. *d.* & in hoc negligens peccat mortaliter, & canis dicitur impudicus, *c. qui nec*, 2 *q.* 7 Vndè quæ dicuntur de Episcopis applicari possunt Patriarchis, ac Archiepiscopis.

An licitum sit Episcopatum citrà culpam appetere. SEC. I.

S V M M A R I V M.

1 *Episcopatus citra culpam appeti an possit, & num.* 2.
2 *Verior est de iure sententia, quod possit appeti, cum sit nomen operis, non honoris*
3 *Antiquitus Episcopi immediatè post Papam subscribebant, posteà Cardinales Prasbiteri, ac Diaconi.*
4 *Episcopatum appetere, propter solas opes, ac redditus Ecclesiasticos non potest quis citra culpam.*
5 *Episcopi non sunt vocati ad commoda, & diuitias, nec pro sibi applicandis, nec consanguineis, aut familiaribus.*
Quod extenditur etiam ad Cardinales, aliosq; Ecclesiæ beneficiatos.
6 *Exceptis moderata mensa, ac frugali victu Episcoporum, vel Cardinalium, reliqui fructus expendi debent ad Ecclesiæ fabricam, & in pauperum subuentionem.*
7 *Episcopatum appetere ob solius dignitatis culmen, & vt præsit tantum non potest quis citra culpam.*
8 *Qui Episcopatum appetit, vt prosit, & non vt præsit, & labores, desideret, ac sollicitudines, non opes, citra culpam Episcopatum appetit.*
9 *Debet tamen iste prius vires suas metiri.*

1 IN hac re videtur dicendum, quòd citrà culpam Episcopatus appeti non possit. Etenim, quod non licet petere, non licet appetere; sed citrà culpam non licet Episcopatum petere; ergò non licet citrà culpam Episcopatum appetere. Maior patet inductione in omnibus vitijs: nàm ex quo non licet petere, citrà culpam alterius nuptam, non licet quoque citra culpam alterius nuptam appetere, vt patet in præceptis Decalogi: *Non adulterabis, non alterius nuptam, &c.* Vbi etiam dum prohibetur furtum, prohibetur quoque appeti rem alienam, vt in illis verbis: *Non furtum facies, non alterius nuptam, nec rem cupies alienam.* Minor patet ex *Panorm. in c. quia propter, n. de elect. & Sot lib.* 3. *de Iust. & iure, q* 7. *ar.* 3. dum volunt, quòd eo ipso, quòd quis petit in Episcopū eligi, efficitur indignus, & delictum committit; atq; ideò electores sciēter suffragium ei dantes mortaliter peccarent tanquam concurrentes ad eligendum indignum. Non igitur citrà culpam licitum est Episcopatum appetere. Cōfirmatur, quoniam Episcopatus onus est Angelicis humeris formidandum, vt in *Conc. Trid. sess.* 6. *de refor c.* 1. ergò præsumptionis, ac superbiæ peccatum est illum appetere. Hinc ex Apostolo habetur in *c. in scripturis*. 8 *q* 1. *Nec quisquam sibi sumat honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aron, & in c. qui Episcopatum, ead. causa, & q. D. Augustinus*, loquens de Episcopo, sic ait: *Locus verò superior, sine quo regi populus non potest, & ità teneatur, atque administretur, vt decet; tamen non decenter appetitur.*

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror de iure veriorem esse. Pro cuius rei explicatione est aduot. quòd Episcopatus est nomen operis, non honoris: siquidem Episcopus est nomen græcum, & idem significat quod superintendens; eo quòd ille, qui alijs præficitur, eisdem superintendit, curam eorum gerens. Hoc autem opus est magnum, vt in *c. qui Episcopatum*, 8 *q* 1. *in princ.* in illis verbis: *Qui Episcopatum desiderat bonum opus desiderat, & Conc. Trid. loco supra citato*, appellat Episcopatum onus Angelicis humeris formidandum. Est tamen verum, quòd licèt Episcopatus sit nomen operis, atque laboris, nihilominus habet opes, & dignitatem annexas: habet enim Episcopus stipendia pro alimentis sibi ministrandis, & dignitatem qua non datur maior, vt per *Glos. in proem 6 Decur. in vers. Episcopus, & Panor. in c. licet. in 6. not. de elect.* ità vt Cardinalatu sit maior: siquidem Cardinalatus non est dignitas, sed officium. Vndè Episcopi antiquitus immediatè post Papam subscri-
3 bebant, deindè Præsbyteri, & posteà Diaconi Cardinales: quod quidem seruatum est, vsque ad

ad Bonifacij VIII. tempora, vt testatur *Ioann. in c. cum aliquibus, de rescr. lib. 6. & in c. cum Apostolus, de censib.* Hodiè verò, quoniam ad Cardinales dumtaxat pertinet Rom. Pontificis electio, ideò Cardinales reputantur Episcopis digniores. Et quamuis Episcopi ratione ordinis sint Papæ æquales; in administratione tamen Papa est omnium maximus, vt per *Glos. in c. in nouo, 21. d.* & nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnę, lib. 1. c. 5. q. 2 à num 8. ad 14.* Potest igitur appeti Episcopatus triplici ex causa, nempè, vt quis opes habeat pro se, & suis: vel vt dignitatis culmen habeat; atque ideò, vt præsit: vel denique, vt laboret, ac vigilet pro fidelium bono, ac commissi sibi gregis vtilitate, & proinde, vt prosit. Vndè fit

PRIMA CONCLVSIO.

4 Citrà culpam non potest quis Episcopatum appetere, propter solas opes, & ad finem assequendi redditus Ecclesiasticos: siquidem talis finis est peccatum auaritiæ, & contra finem, per quem aliquis ad Episcopatum vocatur: finis enim eiusmodi non sunt diuitiæ, & commoda, sed est labor, & animarum commissarum cura, ac sollicitudo, & spiritualis salus, ac vtilitas: quæ quidem assequi nequeunt, nisi rerum humanarum habeatur contemptus, non solùm à subditis; sed etiam multò magis ab ipsorum Episcopis, vt habetur ex *Conc. Trid. sess. 25. de reformat. c. 1.* ità se habente: *Optandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes agnoscant: ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, ac sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque faciliùs inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ Mundi sunt; sed animarum salutem, ac Cœlestem Patriam cogitantes. Hæc cùm ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse Sancta Synodus animaduertat, admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est perpetuum quodammodo prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant. Imprimis verò ità mores suos componant, vt reliqui ab eis puritatis modestiæ, continentiæ ac, quæ nos tantopere commendat Deo, Sanctæ humilitatis exempla petere possint.* Imò tantùm abest, vt quis licitè Episcopatum appetat, propter opes, vt Episcopus quàuis multas opes, ac introitus ex Ecclesia percipiat; nihilominus ad luxum, & ad sui libitum irrationabiliter non potest citrà culpam expendere; sed modesta supellectili, ac mensa, & frugali vitu debet esse contentus; tàm pro se, quàm pro sua familia; quàm procurare tenetur, vt quoad mores, maximè, & vitæ bonitatem sit benè composita, vt colligitur ex eodem *Conc. loco citato*, in illis verbis: *Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Conc. Cartagin. non solù iubet, vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eorum domo caueant, ne quid appareat, quod à Sancto hoc instituto sit alienum; quodue non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.* His adde, quæ diximus suprà *disp. 5. sec. 6.*

5 Et dùm suprà ostendimus ex eodem *Conc.* ibidem, Episcopos non esse vocatos ad commoda, ac diuitias; per diuitias intelligit ipsum *Conc.* non solùm pro se, & sibi applicandas; sed etiam suis consanguineis, ac familiaribus: id extendens etiam ad S. R. E. Cardinales, & ad alios Ecclesiæ Beneficiatos, ac ità inquiens: *Omninò verò eis interdicit, vt ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant: eas autē nō distrahant nec dissipent illorum causa: imò quàm maximè potest, eos Sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vndè multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque Ecclesiastica beneficia tàm Sæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari; sed ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit, quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem, cùm vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiā virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos conuertant.* Vndè exceptis redditibus pro moderata mensa, ac frugali victu Episcoporum, Cardinalium, & aliorum Beneficiatorum, reliqui expendi debent in fabricam Ecclesiæ, & in subuentionem pauperum: Etenim quicquid habent Clerici, pauperum est, & de bonis, seù redditibus Ecclesię, & de oblationibus fidelium quatuor portiones sunt faciendæ, quarum vna est Episcopi, altera Clericorum, tertia pauperum, & quarta fabricæ applicanda, vt in *c. quatuor autem, cum plur. seq. 12. q. 2.* quibus adde, quæ suprà diximus *disp. 4. sec. 10* Non tamen negamus, quin secundariò quis possit appetere opes cum Episcopatu ad expendendas eas in eleemosinas pauperum, in fabricam Ecclesiæ in moderatum, & frugalem victum pro se, & sua familia, & in stipendium Clericorum, iuxtà ea, quæ suprà diximus.

SECVNDA CONCLVSIO.

7 Citrà culpam appetere quis non potest Episcopatum ob solius dignitatis culmen, atque ideò vt præsit tantùm; non autem vt prosit: siquidem eiusmodi finis est ambitiosus, & charitatem in se non continet, & contra finem, ob quem quis ad Episcopatum vocatur. Hinc *D. August.* de quo in *c. qui Episcopatum, 8 q. 1.* inquit: Non intelligat se Episcopum esse, qui vult præesse, & non prodesse. Qui namque talis est cùm Episcopatum ambiat, vt præsit, & non vt prosit, innumerum malorum causa est: nàm cum subditi vident caput eleuatum, ipsi quoque eleuantur: & proindè non emulantur, vt alter alteri proficiat; sed potius emulantur, vt alter alteri præficiatur. Et sic laqueum ruinæ populo Dei, iuxtà illud *Osea, c 9.* & offendiculum

lum iniquitatis domui Israel, iuxtà *Ezec. cap. 44.* Is enim non erit Pastor, sed percussor; quia non sequitur vestigia eius, qui dorsum posuit ad flagella contra ea, quæ habentur ex *D. Gregor.* de quo in *c.1.2.3.& 4.45.d.& Conc.Trid. sess. 23. de refor. c.1.* & sic non potest dici de Prælatis profectò paucis, qui vtiliter, & de paucioribus, qui humiliter præsint; sed inter quamplurimos connumerantur, qui sicut minus humiliter; ità quoque inutiliter præsunt, iuxtà *D. Bernar.* sententiam *ser.23.super Cant. Cantic.*

TERTIA CONCLVSIO.

1 QVI Episcopatum appetit, vt prosit, & non vt præsit; & labores, ac sollicitudines, & non opes desiderat, is citrà culpam Episcopatum appetit. Etenim ad illum finem Episcopatum intendit, ad quem Episcopus vocatur. Hinc ait *D. Augustinus*, de quo in *c. qui Episcopatum 8 q.1.* quòd qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat; siquidem Episcopatus est nomē operis, non honoris: est enim nomen græcum, inde deductum, quòd ille qui præficitur, eis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens: qui igitur Episcopatum desiderat, vt prosit, & non vt præsit, inquit ibi idem *D. Augustinus*, quòd bonum opus desiderat, opus scilicet charitatis, ac sollicitudinis ad gloriam Dei, & vtilitatem fidelium: ergò hoc casu non solùm non peccat appetendo Episcopatum; sed potius meretur. Est tamen verum, 2 quòd iste talis debet prius suas vires metiri: nàm ex *D.Gregor. in c.non est putanda, 1.q.1.* circà finem, ità legitur: *Quisquis ergò Sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc, quod est subiturus, one e metiatur, vt si impar est, abstineat, & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat.* Imò ad eiusmodi episcopale fastigium nemo debet accedere, qui per singulos gradus non sit probatus. Hinc *Zosimus Papa*, de quo in *c. si officia, d. 59.* ità inquit: *Quis ille tam arrogans, tam impudens inuenitur, vt in cælesti militia, quæ propensius ponderanda est, & sicut aurum, repetitis ignibus exploranda, statim dux esse desideret, cùm Tiro ante non fuerit; & prius velit docere, quā discere? Assuescat in Domini castris in Lectorum primitus gradu diuini rudimenta seruitij, nec illi vile sit exorcistam, acolytum, subdiaconum, Diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus. Iàm verò ad Presbyterij fastigium talis accedat, vt & nomen ætas impleat, & meritum probitatis stipendia antè acta testentur. Iure indè Summi Pontificis locum sperare debebit.*

Ad contraria igitur patet responsio ex dictis.

An Episcopi electi peccent si quamprimum possint, non procurent consecrari.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur affirmatiua responsio, & quarè.*
2 *Episcopi, ac Archiepiscopi electi intrà tres menses munus recipere debēt consecrationis.*
3 *Consecratio Episcoporum, extrà Rom. Curiā facienda, quo in loco fieri debeat.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè: nàm, vt ait *Conc. Trid. sess.23. de reform. cap.1.* præcepto Diuino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab ijs præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, & multò minùs si consecrati non 2 sunt. Vndè idem *Conc.d. sess.23. c.2.* decreuit vt Episcopi, Archiepiscopi, &c. electi intrà tres menses consecrari se faciant, his verbis: *Ecclesiis Cathedralibus, seu Superioribus quocunque nomine, ac titulo præfecti, etiā si S.R.E. Cardinales sint, si munus consecrationis intrà tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intrà totidem menses posteà id facere neglexerint, Ecclesiis ipso iure sint priuati.* 3 *Consecratio verò si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint, aut in Prouincia, si commodè fieri poterit, celebretur.*

Quando Episcopi peccent in ordinibus conferendis.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Ordinantes sibi non subditos absque literis dimissorijs proprij Episcopi peccant, & ab exequutione Pontificalium, eo ipso sunt suspensi, & ab ingressu Ecclesiæ interdicti, suntque etiam suspensi ordinati.*
2 *Attenta Constitutione Pij II. ac Concilij Tridentini. Illi tantùm Clerici censentur, eo ipso suspensi, qui à non proprio Episcopo ordinantur ad ordines maiores, hique tantùm temerè administrantes efficiuntur irregulares.*
3 *Episcopi ordinantes quoscumque de iure prohibitos, peccant, puta bigamos, qui nec ad primam tonsuram promoueri possunt.*
Quot modis dicatur bigamus.
4 *Causæ irregularitatis bigami tres assignantur & quæ.*
5 *Episcopi ordines conferendo non habentibus legitimam ætatem peccant.*
Quæ nàm dicatur ætas legitima in ordinando Episc. vel promouendo ad primam Tonsuram, ac ordines minores.
6 *Annus correctionis Calendarij, cui per Sixtum V. decem dies fuerunt adempti, habetur pro anno legitimo in ætate ordinandorum. Et quid de anno bissexto, & nu.seq.*

Iure

7 *Iure Canonico posset quis licitè promoueri ad Subdiaconatum in anno 18. ad Diaconatum, in 20. Et ad Præsbyteratum in anno 25. Secus tamen est iure Tridentini, & quæ nam ætas ex hoc iure requiritur.*

8 *Constitutio Sixti V. contra male promotos ante legitimam ætatem moderata fuit per Clementem VIII. & redacta ad terminos iuris Canonici.*

Quæ nàm pœna sit in conferente primam tonsuram infanti.

9 *Suspensio quàm contrahit ordinans de iure prohibitos, non est ipso iure.*

10 *Episcopi illitteratos ordinantes non habentes sufficientem litteraturam peccant.*

Quid scire debeant promouendi ad primam tonsuram, & ordines minores.

11 *Ordinandi ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Præsbyteratum, quid scire debeant.*

12 *Ordinandus in Episcopū, ei satis est hodiè, vt sit Magister, seù licentiatus in Theologia, aut Doctor ad minus in iure Canonico.*

Quid exigatur in Regularibus promouendis ad Episcopatum.

13 *Episcopus, qui antè cęptam ordinationem non inhibuerit, ne quis ad ordinationem accedat non examinatus, nec approbatus sub pœna excommunicationis culpam contrahit proculdubio.*

14 *Episcopi conferentes tonsuram coniugato, peccant, nisi de consensu vxoris Religionem ingrederetur.*

15 *Episcopi cōferentes vni, et eidem personæ vna, ac eadem die, citrà Papæ dispensationem minores ordines, & Subdiaconatum, peccant, cùm id iure prohibeatur.*

Hodiè nequit quis promoueri ad ordines sacros, nisi post annum à die suscepto postremò gradu minorum.

An etiam peccent Episcopi, si ordines conferant per saltum?

16 *Episcopi ordinantes in aliena Diœcesi, citrà facultatem expressam ordinarij loci, peccant sic etiam ordinantes non sibi subditos absque licentia Episcopi.*

17 *Peccant quoque ordinantes aliquos, beneficia Ecclesiastica non habentes, ad victum necessaria, vel absque tit. patrimonij.*

18 *Etiam peccant Episcopi ordinantes indignos, & minùs idoneos in Sacerdotes.*

19 *Episcopi recipiendo aliquid in pretium collationis ordinis, peccant, & sunt excommunicati ob simoniam, secus si ob reuerentiam Sacramentorum, aut ad Ministrorum sustentationem, & num. seq.*

20 *Iure* Concil. Trid. *nihil possunt percipere Episcopi ob Ordinum collationem, etiam spontè oblatum.*

Referuntur verba Concilij.

21 *Consuetudo relinquendi candelas ab ordinatis post ordinationem, tobaleas, &c. vim legis habet, nec est contra ius naturale, neque Diuinum, nec res ipsa accipiuntur in pretium.*

22 *Episcopi Ordinis Prædicatorum peccant, & à Pontificalibus suspenduntur, si antequàm resignent libros Ordinis, consecrentur.*

1 AD hanc rem respondetur, quòd in multis casibus peccare possunt Episcopi in ordinibus conferendis. Primò, peccant ordinantes sibi non subditos absque litteris dimissorijs proprij Episcopi: Etenim exponunt se periculo ordinandi indignos, vt patet ex Bulla Sixti V. 91. quæ incipit, Sanctum, & salutare, quæ ob id contrauenientibus suspensionis pœnam statuit, his verbis, §. 2. ibi: *A quorumcunque ordinum, atque adeò ipsius tonsuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium, eo ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existat, &c.* Quæ tamen constitutio locum habet, nisi Episcopus probabili ignorantia, aut naturali inaduertentia excusetur, vt ex dicta constitutione constat, & ex ijs patet, quæ adnotauimus in nostris *Commentarijs in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 2. q. 5.* vbi ostendimus, ignorantiam probabilem excusare à censuris, etiam in Bulla Cœnæ contentis, ac reseruatis. Imò, & Clerici, qui citrà litteras dimissorias proprij Episcopi passi sunt ordinari, ac promoueri ad minores, vel maiores ordines ab Episcopo non suo ab ministerio, & exercitio susceptorum ordinum sunt suspensi, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad Superiores ordines: & si in eis ministrare præsumpserint, irregulares efficiuntur, vt patet ex eadem Sixti V. constitutione, §. 3. quæ quidem constitutio fuit deindè moderata, & redacta ad terminos iuris communis Bullæ Pij II. & *Conc. Trid. sess. 23. de reformat. cap. 8.* per alteram Constitutionem Clem. VIII. 40. quæ incipit, Romanum decet Pontificem. Vndè, attenta d. Constitutione Pij II. 6. quæ incipit, cùm ex sacrorum: & dispositione *Conc. Trid. loco citato*, illi tantùm Clerici contrauenientes suspensi censentur ipso facto, qui maiores ordines susceperunt: & hi tantùm temerè 2 ministrantes efficiuntur irregulares, vt latè declarat *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 8. à num. 9. vsque ad 13. vbi num. 10.* addit, quòd minores ordines suscipientes ab Episcopo non suo, citrà litteras dimissorias proprij, executionem ordinum non habet, donec ordinatio à proprio Episcopo rata fuerit habita, vt per *Gl. in c. eos, vers. Statuunt, de tempor. ordin. in 6. & num. 13. & 14.* probat, prædictos Clericos, vt supra suspensos, vt ordinatos absque licentia proprij Episcopi esse inhabiles ad beneficia consequenda: nàm omnis à iure suspensus ab officio, ac beneficio, nequit beneficia consequi; sed illorum efficitur incapax, & prouisio de illis ei facta est nullius momenti, vt in *cap. cùm dilectus, vers. Quia nobis, de consuet.* cum alijs ab ipso *Barbosa ibidem allegatis*, vbi etiam *num. 15* probat, eiusmodi Clericos malè promotos, & suspensos non spoliari beneficijs impetratis antè suspensionem, nisi voluntariè steterit saltem per annum in ea suspensione, vt in *c. cum bona*, & ibi, *Anan. num. 5. de ætate, & qualit.* Et cùm Constitutio Sixti V. supra relata sit redacta ad terminos per alteram Clem. VIII. contra Episcopum ordinantem Clericum sibi non subditum citrà litteras dimissorias proprij est de iure constituta pœna, vt à reliquorum seiunctus suæ tantummodo plebis communione sit contentus, vt in *c. fin. 58. dist. & Barb.* ibi, *sub num.* 17. His adde, quod nec

Archiepiscopus tempore visitationis potest ordinare, nec litteras dimissorias concedere suffraganeorum subditis, vt habetur ex *Barb.p.1. tit.4. num.49. de Archiep. potest.* Imò peccant Episcopi familiares suos non subditos ordinantes, nisi per triennium, & beneficium quacunque fraude cessante, statim re ipsa illis contulerint, vt in *Conc.Trid. sess.23. de refor.c.9.* vbi etiam ordinati suspensionis pœna plectuntur, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, vt *c.8.* Decernitur

3 Secundò peccant Episcopi ordinantes quoscunque alios, qui de iure prohibentur. Vt si ordines conferant Bigamis: hi enim nec ad primam tonsuram quidem promoueri possunt citrà dispensationem Rom. Pontificis. Est tamen verum, quòd collatio ordinis valet; non tamen collatio beneficij, vt fuisse declaratum per Sacram Congregationem, testatur *Garz. de Benefic.p.7.cap.6.à num.6.ad* 14. vbi etiam refert nonnullos Doctores docentes, Episcopum posse dispensare cùm bigamo in minoribus si consuetudo adsit, pro qua re vide omninò *Barb.de de officio,& potest.Episc.alleg.* 49 *à num.*21.*vsque in fin.* Dicitur autem quis Bigamus multipliciter, secundùm *D.Thom.in 4.d 27. Syl.in summ. vers. Bigamiam sub num.* 1. *& ex alijs.* Primò cùm quis habet plures vxores de iure, nempè successiuè: Secundò cùm simul habet plures vxores, vnam de iure, & aliam de facto. Tertiò cùm plures habet successiuè, vnam de iure, & alteram de facto. Quartò cùm quis viduam duxit, si copula intercessit. Vndè non erit Bigamus, qui primò accipit virginem, sed non cognoscit,& ea mortua contrahit cum alia virgine, & eam cognoscit: vel è conuerso si cognouit primam, & non secundam, cùm ad cõtrahendam Bigamiam exigatur copula, vt in *c. debitum, de bigam.* Eadem ratione non est bigamus, qui duxit virginem ab alio ductam,seù viduam,sed non cognitam, *c.fin.30.d. & Sylu. loco citato, q 3. sub num.* 4. Quintò quis dicitur bigamus quando quis contrahit, & consumat matrimonium, cùm corrupta ab alio, siuè id sciat, siuè non, vt per eundem *Syl.* ibi. Sextò bigamus appellatur, qui post sollemne votum continentiæ, existens in sacris, vel professus religionem matrimonium contrahit de facto. Etenim tres causæ assignantur irregularitatis bigami. Vna est dignitas ordinis, vt in *c. vna,& c.vlt.*26.*d.*alia est incontinentiæ signũ, *c.proposuisti* 82.*d.* & tertia, quæ est principalis est defectus Sacramenti in significando matrimonium Christi, quod est inter vnum, & vnã: ex quo iste diuisit carnem suam in duas, *c. cautius de bigam. Nauar.in Man.c.*27 *num.*191. *& Syl. loco citato, num.* 6. His adde ea, quæ habentur ex *Barb.de offic. & potest.Episc.d.allegat.*49. vbi latè hanc materiam pertractat, & inter alia, *num.* 19. probat, quòd Episcopus si scienter bigamum ordinat, incurrit suspensionem annalem à collatione eiusdem ordinis, quem contulit bigamo, nec non à celebratione, vt per *Nauar consil.3.num.* 2.*sub tit.de bigam.* Non tamen *Barb.* inquit, talem Episcopum esse suspensum ipso iure:nec incurrere pœnas statutas per supra relatam Constitutionem Sixti V. cùm per Constitutionem Clem. VIII. sit moderata, & redacta ad terminos iuris, vt supra adnotauimus.

5 Tertiò peccant Episcopi ordines conferentes non habentibus legitimam ætatem, iuxtà ea, quæ habentur in *c. indecorum, de ætate, & qualit.& Conc.Trid.sess.*23 *de reform.c.*6 *sess.*24.*c.*12.*& sess* 25 *de refor.c.*15. latè *Molfes.in sua summ.tr.*2.*q.*17.*num.*6 *& tract.*6.*c.*7.*à nu.*41.*ad* 51. Dicitur autem ætas legitima in Episcopo ordinando trigesimus annus completus, vt in *c. cùm in cunctis, de elect.* In eo, qui initiandus est prima tonsura, & promouendus ad ordines minores septennium completum, *cap. fin.* & ibi *Glosa, de tempor. ordinat. in* 6. Est

6 tamen verùm, quod annus correctionis Calendarij, cui per Sixti V. Constitutionem decem dies fuerunt adempti, habetur pro anno legitimo in ætate ordinandorum,vt habetur ex *Henriq lib.*10.*sua summ.c.*19.*num.*2. *Rodr.tom.*3. *qq.Regular.q.*15.*ar.*5. §. *Ex qua resolutione.* Idem dicendum est de anno bissexto,in quo ex iuris dispositione duo dies computantur pro vno: siquidem anni computandi sunt, iuxtà ritum, & vsum *Ecclesiæ*, vt in simili dicitur de interstitijs, vt per *Henriq. loco citato, Ricc in praxi fori Ecclesiastici post resol.*276. *in notabilibus de materia Sacramenti ordinis, versic. Quòd interstitia in* 2. *edit. Abb. in c.querenti, de offic. D.leg. & alios*; quamuis contrarium videatur docere *Barb. de offic. & potest. Episc. allegat.*16.*sub num.*3.*& Molfes p.*1.*sua summ. tr.*2.*c.*12.*num.*8. siquidem iura illa exigunt annos completos, completus autem annus est dierum 365. Sed re vera non videtur recedendum à priori sententia; quoniam annus bissextus, & secundùm rei veritatem, secundùm *Astrol.* & communem æstimationem est etiam completus annus: vndè *Rodriq.loco citato*, idem dicendum putat in professione emittenda, vt in ea non attendatur verus annus,qui est 365. dierum; sed satis est annus bissextus, licèt *Concil. Trid.*in profitente exigat annum completum: his quoque fauent *Addentes ad Tolet. in fine*

7 *additionum*. Et quamuis de iure Canonico posset quis licitè in decimo octauo anno ad Subdiaconatus ordinem promoueri, in vigesimo ad Diaconatum, & vigesimoquinto ad Præsbyteratum; nouissimo tamen iure *Conc. Trid.sess.*23.*de refor.cap.*12. decernitur,vt nullus Subdiaconatus ordinem suscipiat ante 22. annum: ad Diaconatus ante 23. & ad Præsbyteratum ante 25. Et in his tribus maioribus ordinibus non exigitur, vt annus sit completus, sed satis est, quòd sit inceptus,vt est communis opinio, quam refert *Sayr. lib.*6. *de censur.cap.*12.*num.*4. *Molfes.d.c.*12. & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur, *Barb. loco citato, sub num.*1. vbi dictum *Conc.* Decretum probat cõprehendere etiam Regulares,non obstante quo-

8 cunque priuilegio. Non tamen contrauenientes subijciuntur pœnis in præfata Constitutione Sixti V. contentis; quoniam per Constitutionem Clem. VIII. fuit moderata, & redacta ad terminos iuris: vndè de iure promotus antè legitimam ætatem est ipso iure suspensus, & si in susceptis ordinibus ministret fit irregularis. Fit autem suspensio ab executione ordinum vsque ad legitimam ætatem, vt in *c. vel non est com-*

compos, de tempor. ordinat. & patet ex Bulla Pij II. quam suprà retulimus, & latè *Barb. d. alleg.16. num.*10. vbi etiam *num.* 7. ponit pœnam, quam de iure contrahit Episcopus ordinans aliquem antè legitimam ætatem, & dicit esse suspensionis in conferente tonsuram infanti, ne scilicet per annum tonsuram alteri conferre valeat, vt in *c fin. de tempor. ordinat. lib.6.* si verò infantem ordinet in Diaconum, cæterorũ ordinum suspensione dignum esse decernitur, vt in *d c. vel non est compos,* & ibi, *Panor. nu.*4.

9 Non tamen suspensio hæc, quam contrahit ordinans est ipso iure, vt habetur ex *Maiolo de irregul. lib.1. cap.30. nu.9.* & ex alijs: & proptereà contraueniens celebrando, seù ministrando non incurrit irregularitatem de iure pendẽte suspensionis sententia, vt inquit *Barb. d. alleg.16. num.8. & 9.* vbi etiam *num.* 10. notat, quòd licèt promoti antè legitimam ætatem sint suspensi ipso iure; per Bullam tamen Pij quam supra retulimus excipiuntur prima tonsura initiati, & promoti ad minores ordines, atque ideò comprehenduntur sub ea ij tantùm, qui promouentur ad maiores ordines, vt habetur ex eodem *Barb. ibidem, allegat.*11. *num.*3. Imò *num.* 16. probat, quòd qui non completo 24. anno in Præsbyterum ordinatur, statim efficitur irregularis: sicut, & is qui Præsbyteratum suscipit tempore interdicto. vel sine titulo, siuè ab alieno Episcopo, aut sine dimissorijs, vel extrà tempus statutum, & *num.* 17 excusat ab eiusmodi censuris omnes probabili ignorantia laborantes: ac etiam contrauenientes ignorantia culpabili, cum censura supradicta exigat temeritatem, dolum, ac scientiam, vt idem *Barb.* ibi *num* 18. & 19.

10 Quartò peccant Episcopi ordinantes illitteratos non habentes sufficientem litteraturam, vt quia ignorant concernentia ad suum ordinem, vt in *c. illitteratos.35. d. Sayr. de cẽsur. lib.6. c.13. num.4. Suar. eod. tr. disp.51. sec.1. numer.8. Vasq.3. p. tomo 3. disp.246. c.6. Ricc. in sua praxi decis.39.* Est tamen verum, quod initiandus prima tonsura, quamuis de iure communi debeat esse litteratus, *cap. vlt. de tempor. ordin. in 6.* hodiè tamen ex *Conc. Trid. sess.23. de refor. cap* 4. satis est si sciat legere, & scribere, ac fidei rudimenta. Promouendi verò ad minores ordines ex eodem *Concilio* ibi, *c.5. &* 11. debent ad minus linguam latinam intelligere, ita vt de gradu in gradum in eisdem meritum vitæ, & maior doctrina accrescat. Ordinandi ad Subdiaconatum, & ad Diaconatum præter linguam

11 latinam debent quoque scire omnia concernẽtia ad eorum officium, vt habetur ex eodem *Conc. ibidem c.*13. Ordinandi ad Præsbyteratum, præter supradicta debent etiam scire mysterium Sacramenti, quod conficere, percipere, tractare, & administrare debent, & sciant taliter legere, vt intelligant idioma, in quo Missam sunt celebraturi, & sciant quæ necessaria sint ad salutem, vt valeant populum docere, vt per *Conc. Trid loco citato, c.*14. quod vltimum pertinet propriè ad Parochum, vt habetur ex *Sayr. de censur. lib.6. c.13. num.6.* Ordinandi

12 denique in Episcopos satis est hodiè, vt Magister, seù licentiatus in Theologia, aut Doctor ad minùs in iure Canonico, vel in eo licentiatus, aut saltem publico testimonio alicuius Academiæ, seù studij æstimetur idoneus ad docendum alios, vt habetur in *Conc. Trid sessio.* 22. *c.*2. vbi etiam agens de Regulari promouẽdo in Episcopum, ità decreuit: *Quòd si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat? Prædicti autem omnes, vndè instructio, seù testificatio erit sumenda hæc fideliter, & gratis referre teneantur; alioquin eorum conscientias grauiter oneratas esse sciat, ac Deum, & Superiores suos habebunt vltores.* Adde hic pariter *Molfes. post alios p 1. sua sum. tr.2. cap.13. per totum,* vbi etiam probat, quòd

13 super irregularitatem ex capite ignorantiæ solus Papa potest dispensare, & non alius. Sed quid dicendum est de Episcopo, qui antè inceptam ordinationem non inhibuerit, vt solet, ne quis ad ordinationem accedat, non examinatus, nec approbatus sub pœna excommunicationis? is proculdubio culpam contrahet, cùm munus Episcoporum sit, ordinationi faciendæ diligens scrutinium ordinandorum proponere; ità vt Episcopi per se, vel per deputatos ab ipsis, ordinandi genus, natalitia, personam, institutionem, patriam, vitam, mores, doctrinam, & fidem scrutentur, vt habetur ex *Conc. Trid. sess.23. de refor. c.5 & 7. c. quando 24 d.* Hoc autem examen rigorosè constitui debet, *c. constitutus, de purgat. Canonica, c. cùm in cunctis de elect.* Vndè si Episcopi in hoc sint negligentes, ipsi tenentur de culpa examinatorum, *c. ad hæc,* iuncta *Glosa vers. Examinatus, de offic. Archid.* & latè *Carol. de Graffiis de effectib. Clerical. in præludi. à num* 343. *cum plur. seq. & Barb. de offic. & potest. Episcopi alleg.*10. *per totam,* vbi hanc materiam sufficienter explicat. Quibus adde, quod Episcopus illitteratum ordinans ad primam tonsuram per annum suspẽditur, licet talis suspensio non sit in vsu, vt idẽ *Barb. ibi alleg.*111. *num* 5.

14 Quintò peccant Episcopi conferentes tonsurã coniugato, nisi de consensu vxoris Religionem ingrederetur, iuxtà ea, quæ habentur in extrauag. antiqua, de voto, latè *Suarez de censur. disp* 31. *sec.1. num.54. & sec.5. num.2. Molfes. p.1 sua summ. tr.2. c.16 num.17. & c.13. nu.7.* & non minus peccant Episcopi ordinantes inuitos, & insuper per annum sunt suspensi à celebratione Missæ, & possunt ab officio deponi, *c.1. & 2. d.74. Azor. p.2. instit. moral. lib.3. cap.48. qu.19. Barb. de offic. & potest. Episc. allegat.*111. *num* 3. & *Molfes. loco citato, c.17. nu.*10. qui tamen docent, posse Episcopum cogere aliquem habentem beneficium, vt dimittat illud, vel sumat ordinem, quem expostulat beneficiũ, *c.1. de ætate, & qualit.*

15 Sextò peccant Episcopi conferentes vni, & eidem personæ, vna, & eadem die citrà Rom. Pontificis dispensationem minores ordines, ac Subdiaconatum: id enim de iure prohibetur, vt in *c.2. de eo, qui ordin. furtiuè suscepit.* Imò hodiè non modò simul conferri non possunt, sed nec quidem infra annum, cùm non nisi post annum à suscepto postremo gradu minorum ordinum ad sacros quis promoueri possit; nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas aliud expostulet, vt in *Conc. Trid. sess.23. de reformat. c.*11. cuius *Conc.* Decretum arbitrio Episcopi remittit

tit facultatem abbreuiãdi interstitia, non autem promouendi, vel dispensandi, vt promoueantur vna die ad duos sacros ordines, vel ad Subdiaconatum cum minoribus: vt rectè post alios declarat *Barb. de offic. & potest. Episc. allegat. 14. num. 4. & 5.* vbi addit, quòd non ob id *Concilium* ibi aufert consuetudinem, quæ permitteret, vt possint simùl minores dari cum Subdiaconatu; nàm vbi talis consuetudo vigeret, posset Episcopus licitè simul eos conferre contra *Maiol. & alios*, quorum sententia non est spernenda. De iure autem Episcopi conferentes vni, & eidem eodem die duos maiores ordines, atque adeò sacros, etiam si necessaria aliqua subsisteret causa, non solùm peccant mortaliter, cùm præceptum Ecclesiæ transgrediantur in re graui; sed insuper in suspensionem incidunt, vt in *c. dilectus filius, de tempor. ordin. & Barb. vbi supra alleg. 111. num. 12.* Idem dicendum est si per saltum conferant ordines, nã mortaliter peccant, licèt irregulares non efficiantur, cùm non reperiatur de iure cautum, vt contra *Maiol.* docet *Suar. de censur. disput. 42. sec. 5. num. 9. & Molfes d. c. 17 num. 18.*

16 Septimò peccant Episcopi ordinantes in aliena Diœcesi citra facultatem expressam ordinarij loci, aut ordinantes de licentia Episcopi sibi non subditos: & insuper à Pontificalibus suspenduntur, quæ suspensio est Papæ reseruata, vt in *Conc. Trid. sess. 6. c. 5.* Idem dicendum est de quocunque Episcopo prætextu cuiuscunque priuilegij exercente Pontificalia in alterius Diœcesi, præter ipsi ordinario subiectos, vt patet ex eodem *Concil. session. 14. de reformat. cap. 2.* & latè habetur ex *Barb. d. alleg. 111 nu. 9. 13. & 14.* vbi etiam *num. 17.* agit de pœna Episcopi ordinantis Monachum exemptum citrà licentiam proprij Superioris: siquidem efficitur alienus à communione aliorum Episcoporum vltra culpam, quam contrahit: quæ quidem pœna videtur ipsi *Barb.* species quædam suspensionis, vt in *c. vlt. 58. d.*

17 Octauò peccant Episcopi ordinantes aliquos ad sacros ordines non habentes beneficia Ecclesiastica ad victum sufficientia, vel si non dispensauerint, vt ordinari possint ad titulum patrimonij, vt habetur ex *Conc. Trid. sess. 21 c. 2.* etiam si ordinati sint Religiosi non professi: vel qui intra Claustra Monasteriorum, siuè domorum more Regularium in communi viuentes nunquam, seu non nisi ad certum tempus professionem emittunt, & ex Claustro exire, vel dimitti ad Sæculum liberè, ac licitè possunt: & insuper suspenduntur per annum à collatione illorum ordinum, quos huiusmodi personis cõtulit, vt patet ex Bulla Pij V. 74. in ordine, quæ incipit, Romanus Pontifex, *Barb. d. alleg. 111. num. 16.* cum alijs quos allegat: vbi addit, sub dict. Bulla non comprehendi Clericos, & Religiosos Societatis Iesu, si ordinentur ad titulum sufficientis litteraturæ: præfati verò Religiosi, qui de Societate Iesu non sunt, & prætextu Religionis se faciunt promoueri ad Ordines sacros absque titulo beneficij, seù patrimonij iuxtà *d. Decretum Sacri Conc. Trid.* sunt suspensi ipso iure ab executione ordinum, & si in illis ministrauerint, eo ipso irregularitatem incurrunt, vt habetur in supra relata Constitutione Pij V. 74. quam refert post alios, idem *Barb. alleg. 20. sub num. 33. & 34.*

18 Nonò peccant Episcopi ordinantes indignos & minus idoneos in Sacerdotes, & insuper suspenduntur à collatione ordinis Sacerdotalis, *c. si quis Episcopi, 1. q. 1. Sayr. lib. 4. de censur. c. 12. num. 17. Suar. eod. tr. disp. 31. sec. 5 num. 2.* & alij apud *Barb. d. alleg. 111. num. 11.* Sic etiã peccant Episcopi, & suspenduntur per annum à celebratione, qui ordinant eos, quos sciunt sollemnes pœnitentias subijsse: hi namque sunt infames, vt per *Barb. ibid. num. 15.*

19 Decimò peccant Episcopi aliquid recipiendo in pretium collationis ordinis, & insuper est excommunicatus, cùm simoniam contrahat. Dixi, in pretium; quia si non in pretium recipiatur temporale aliquod pro spirituale, sed ob reuerentiam Sacramentorum, vel ad seruãdam piam, & laudabilem consuetudinem, aut ad substentationem Ministrorum, nullo pretio pacto, simonia non committitur, vt in *c. quam pio, 1. q. 2. Syl. in sum. vers. Simonia, q. 5. & alij.* Quod quidem licet verum sit de iure; nihilominus hodiè ex *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 1.* non possunt aliquid percipere Episcopi, & alij ordinum collatores ab ordinatis, etiam spontè oblatum, non obstante quacunque con-

20 suetudine, vt patet ex sequentibus *Concilij* verbis: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam spontè oblatum Episcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum Ministri quouis prætextu accipiant. Notarij verò in ijs tantùm locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissorijs, aut testimonialibus decimam tantùm vnius auri partem accipere possint; dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex Notarij commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directè, vel indirectè procurare possit: tunc enim gratis operam suam eos præstare omninò teneri decernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, etiam immemorabiles quorumcumque locorum; quæ potius abusus, & corruptela simoniacæ prauitati fauentes, nũcupari possunt, penitus cassando, & interdicendo: & qui secus fecerit, tam dantes, quàm accipientes vltra Diuinam vltionem pœnas à iure inflictas ipso facto incurrant.* Sed quoniam *d.*

21 *Concilij* Decreto, non obstante, adhuc inoleuit consuetudo relinquendi ab ordinatis post ordinationem candelas, quas deferunt in processione, & à tonsuris tobalias, forbices, ac pectinem, quæ res tribuuntur Episcopo, qui eos ordinauit, consuetudo ipsa vim habet, cùm nõ sit contra ius naturale, nec contra ius Diuinum cùm dicta res non recipiantur in pretium ordinis sed à spontè dantibus, nullo præuio pacto, vt patet ex *tex. in c. 4. 1. q. 2.* tenoris sequentis: *Sicut Episcopum non decet manum, quam imponit vendere; ità Minister, & Notarius non debet in ordinatione eius vocem suam, vel talamum venundare. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque*

peti-

petitus post acceptas cartas, & pallium, aliquid cuilibet ex Clero, gratia tantummodò causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus: quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ non ex ambientis petitione processit. Sic etiam Episcopi peccant non modò quādo pretio, vt supra ordines conferunt, cum in simoniam incidant, verùm etiam cum ab ordinatis exigitur iuramentum, vel promissio de non inferendis molestijs super eorum prouisionibus per triennium: Et insuper sunt suspensi à collatione ordinum, vt in *c. si quis ordinauerit de simon.* Et extat Bulla Sixti V. quæ incipit Sanctum, & salutare, quæ huiusmodi Episcopos, & quosque alios ordinantes, vel etiam solam primam tonsuram conferentes simoniacè accepta pecunia, pretio, vel præmio suspendit quoque à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ: & quoad hoc dicta Bulla non est reuocata à Bulla Clem. VIII. quàm suprà sæpè retulimus vt rectè post alios aduertit *Barb. d. alleg.* 111. *num.* 18.

21 Vndecimò peccant Episcopi Ordinis Prædicatorum, & suspenduntur à Pontificalibus, si consecrentur antequam resignent Ordinis libros, & alia, quæ habēt tempore promotionis ad Episcopatum, vel alias Prælaturas, vt ex Constitutione Clem. IV. inquit, *D. Anton. p.* 3. *tit.* 17. *de susp. c.* 4. *num.* 20. & alij apud *Barb. d. alleg.* 111. *num.* 42.

Quando Episcopi peccent in alijs Sacramentis ministrandis.
S E C. IV.

SVMMARIVM.

1 *Ad Episcopum pertinet omnium Sacramentorum administratio; Ordinis tamen, & Cōfirmationis soli Episcopo conuenit.*

2 *Episcopi confirmantes veteri Chrismate peccant. Et quotuplex sit oleum sanctum.*

3 *Sancto Chrismate, qui nam vngantur. An de necessitate præcepti teneantur Episcopi singulis annis Chrisma, & oleum sanctum consecrare in Cœna Domini.*

4 *Episcopi confirmantes in sua Diœcesi subditos alterius Episcopi peccant, & secundum aliquos suspensionem incurrunt.*

5 *Peccant quoque si Sacramentum hoc extra Ecclesiam conferant.*

6 *Peccant etiam Episcopi, si multò tempore negligentes sint in conferendo hoc Sacramēto.*

7 *Peccat tandem Episcopus si vni, & eidem bis conferat confirmationis Sacramentum.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd quamuis ad Episcopum pertineat omnium Sacramentorum ministratio; duorum tamen, Ordinis scilicet, & Confirmationis soli Episcopo conuenit. Etenim aliorum Sacramentorum ministratio ad Parochos peculiariter spectat, & ad alios Sacerdotes ex delegatione Apostolica, Episcopi, ac Parochorum. Vndè peccarent proculdubio Episcopi si negligentes essent, & non attenderent, vt reliqua Sacramenta à Ministris idoneis cum debita forma, ac ritu, & materia, tempore etiam legitimo, ac personis dignis, & habilibus ministrentur; idque cum omni reuerentia, ac debito honore fiat: & in specie Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum honorificè, ac decenter conseruetur, *c. sanè, de celebr. Missar.* & seruentur Decreta circà matrimonia contrahenda in *Conc. Trid.* ædita *sess.* 24. *de refor matrim. c.* 1. *& per totam*, ac demum, cæteris prætermissis, vt vis, ac virtus omnium Sacramentorum à Parochis suis populis exponatur, vt *d. sess.* 24. *de refor. c.* 1. Cùm igitur peculiare Episcoporum munus sit ministrare Sacramentum Ordinis, & Sacramentum Confirmationis, tractauimus in præcedenti *sec.* de peccatis, quæ contrahere possunt Episcopi in collatione ordinum; restat modo, vt in hac *sec.* videamus de peccatis, quæ committere possunt in collatione Sacramenti confirmationis.

2 Primò peccant Episcopi confirmantes, seu confirmationis Sacramentum conferentes veteri Chrismate, atque ideò non huius, sed alterius anni. Ad cuius rei explicationem est adnot. quòd oleum sāctum est triplex: nam quoddam dicitur oleum Cathecumenorum, quod fit ex oleo oliuarum dumtaxàt, & eò vnguntur baptizandi in pectore, & scapulis, & manus Præsbyterorum, cùm ad Sacerdotium promouentur: & deseruit etiam antè consecrationem Ecclesiæ. Adhibetur etiam ad vnctionem Regum, & Principum. Aliud dicitur oleum infirmorum, quo vnguntur infirmi cùm Sacramentum extremæ vnctionis eis ministratur ab initio nascentis Ecclesiæ, vt patet ex Epistola Canonica S. Iacobi Apostoli, in illis verbis: *Infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo, &c.* & fit quoque ex oleo oliuarum dumtaxàt, estque materia remota d. Sacramenti extremæ vnctionis, vt in *Conc. Trid. sess.* 14. *de extrema vnct. c.* 1. Tertium denique oleum sanctum appellatur Chrisma, quod fit ex oleo oliuarum, & balsamo, cuius mixturæ misterium explicat, *Tex. in c. vnico, de Sacra vnct.* Hoc sancto oleo vnguntur baptizati in vertice, & fronte, Ecclesiæ, altaria, calix, patena, fons baptis-

3 malis, Episcopus dum consecratur in capite, & in manibus, ac Sum. Pont. & hoc eodem oleo vnguntur confirmandi, atque ideò est materia Sacramenti confirmationis. De necessitate autem præcepti est, vt Episcopi singulis annis Chrisma, & oleum sanctum consecrent in Cœna Domini, vetus comburentes, vt in *c. litteris, de consecr. d.* 3. atque ideò peccabunt Episcopi si confirment ex veteri Chrismate, vt rectè post alios declarat *Molfes. p.* 1. *suæ summ. tr.* 8. *c.* 12. *num.* 26. *&* 27. & latè *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg.* 31. cùm alijs, quos allegat. Valet tamen collatio Sacramenti confirmationis, ita vt non veniat iterandum, licèt confirmatio fiat ex veteri Chrismate. Sicut etiam peccant Episcopi Chrisma conficientes cum oleo solo, & non cum balzomo; & cum eiusmodi oleo confirmantes; non tamen confirmationis Sacramētum efficitur irritum; quoniam oleum oliuarū est essentiale huic Sacramento; balsamum verò est accidentarium, vt in *c. pastoralis, de Sacr. non iter. & Barb d. alleg.* 31. *num.* 3.

Se-

4 Secundò Episcopi peccant confirmantes in sua Diœcesi subditos alterius Episcopi; quoniam secundùm aliquos suspensionem incurrunt, vt habetur ex *Vival. de confir. c. 4. num. 8. Ledes. in sum. p. 1. de Sacram. confirm.* & ex alijs; Sed probabilior nobis videtur *Barb.* sententia loco citato *alleg.* 30 *sub num.* 14. excusantis huiusmodi Episcopos à suspensione, & culpa, cùm præsumendum sit hoc ratum, & gratum fore proprio Episcopo, præcipuè quando est absens. Est tamen verum, quòd in aliena Diœcesi non potest Episcopus suos subditos confirmare, aut alios Pontificales actus exercere citra licentiam proprij Episcopi, in cuius Diœcesi reperitur sub pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium, vt in *Conc. Trid. sess. 6. de reform. c. 5.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Barb.* vbi supra, *num.* 15. vbi quoque *num.* 16. addit, posse Episcopum in alterius Diœcesi sine proprij Episcopi licentia dare subditis suis tonsuram, benedictionem solemnem, & celebrare Missam de Pontificali; quoniam huiusmodi actus non pertinent ad iurisdictionem contensiosam, cum strepitu iudicij: quod tamen quoad Clericalem tonsuram dumtaxat nō admittit *Barb. d. alleg.* 30. *num.* 16. *& alleg.* 6. *num.* 15.

5 Tertiò peccant Episcopi Sacramentum confirmationis conferentes extra Ecclesiam. Etenim in Ecclesia huiusmodi Sacramentum est conferendum; aliàs fieret contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in re graui, quod citra lethalem culpam fieri nequit, vt habet ex *Nugn. in 3 p. D. Thomæ, q. 72. ar. 12. circa fin. vers. Secundus ritus.* Est tamen verùm, quòd contrariam sententiam tenet *Henriq. lib. 3. c. 6. §. 7 in fine, & Chamer. & Bonac.* quos referet, & sequi videtur *Barb. d. alleg. 30. num.* 13. dum volunt, Episcopum non teneri in Ecclesia confirmare; quin potiùs extrà illam in loco honesto, vel in Palatio Episcopali confirmationem conferre posse: nec existimant, præfatam consuetudinem fuisse, cum tanto onere receptam, vt cōtraueniens lethalem culpam contrahat.

6 Quartò peccant Episcopi si multo tempore negligenter se haberent in conferendo confirmationis Sacramento, vt habetur ex *Tolet. lib. 5 suæ summ. c. 4. Suar. & Gen.* quos refert, & sequitur *Barb. loco citato, num. 9. vbi nu.* 10. *cum plur. alijs seq.* addit etiam Episcopum teneri ad loca suæ Diœcesis accedere ad conferendum eiusmodi Sacramentum: & tunc Laici, vel Ecclesiastici Rectores ad illius expensas non obligantur. Et quamuis cum stola, & baculo Pastorali dictum Sacramentum sit conferendum; nihilominus etiam in die feriali, ac post meridiem conferri potest, nec opus est, vt suscipiēs illud sit ieiunus, cùm id nulla lege reperiatur cautum, sed tantùm consulitur, vt in *c. vt ieiuni, de consecr. d. 5. Henriq. d. c. 6. §. 7. & c. 5. §. 6.* & alij.

7 Quintò peccat Episcopus vni, & eidem bis confirmationis Sacramentum conferens: imò irregularis efficitur, vt rectè declarat idem *Barb. d. alleg. 30. nu. 28. & 29.* quamuis quamplurimi Doctores contrariam sententiam dicāt esse veriorem, *num.* 30. in quam videtur inclinare ipse *Barb.*

Quando peccent Episcopi circa dispensationes concedendas.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio large sumpta, significat quamlibet rei distributionem. In materia tamen nostra designat legis, vel iuris alicuius relaxationem per legitimum Superiorem factam.*

2 *Episcopi dispensantes super Canones Pontificios, & super leges, ac Constitutiones aliorum ipsis Superiorum peccant, & dispensationes nullius sunt momenti.*

3 *An, & quibus in casibus possit Episcopus dispensare in iure Canonico.*

4 *Episcopis, vt dispensare valeant cum Sacerdotibus, qui de facto nuptias contraxerunt, post tamen peractam pœnitentiam expresśè conceditur facultas.*

5 *Sic quoque dispensare possunt cum illegitimè natis, vt promoueri valeant ad minores ordines, & beneficia simplicia; Secus ad maiores, vel beneficia curata.*

Quando tacitè, seu virtualiter concessa videatur facultas Episcopis dispensandi super Sacros Canones.

6 *Episcopus non modo dispensare nequit super legem Canonicam scriptam, sed neque super legem Canonicam non scriptam, atque ideò super quinque vota, quæ de stylo Curiæ Papæ sunt reseruata.*

7 *In voto Terræ Sanctæ non solùm nequit Episcopus dispensare, si emittatur in subsidium viuentis, sed neque si id emittat deuotionis tantummodò causa.*

8 *In multis casibus potest Episcopus dispensare in huiusmodi votis, atque iuramentis.*

9 *Episcopi, quibus facultas tribuitur dispensandi super Canones, & Pontificias Constitutiones, peccant, si citra iustam causam dispensent.*

10 *Non tamen peccat Episcopus si citra iustam causam dispenset in lege à se condita.*

11 *Episcopus si suam legem iuramento firmauerit, citra periurij culpam, non valet super eam dispensare, & cur.*

Nisi concurrat necessitas, vel magna dispensandi vtilitas.

12 *Episcopi Constitutio si transierit in contractū in commodum alterius, regulariter non potest super eam dispensare, nisi legitima ex causa.*

An valide dispenset Episcopus super suam Constitut. per Summum Pontificem confirmatam.

13 *Episcopi recusantes dispensare in casibus, in quibus dispensandi habent facultatem iusta, & legitima subsistente causa, peccant. Et quare.*

1 AD euidentiam eorum, quę in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd licèt dispēsatio latè sumpta significet quamlibet rei distributionem, siue temporalis sit, siue spiritualis, iuxtà illud *Lucæ cap. 12. Quis putas est fidelis dispen-*

dispensator, &c. Apostoli Pauli ad *Corinth. cap. 4. Sic nos existimet homo, &c. Et cap. 9. Dispensatio mihi credita est*. Ad quod etiam facit *tex. in l. dispensatori, & l. dispensationem, ff. de solut.* Nihilominus in hac controuersia per dispensationem intelligimus legis, seu iuris alicuius per legitimum Superiorem relaxationem factam. Vndè tribus modis circà dispensationes possunt Episcopi culpam contrahere, primò dispensando citrà dispensandi facultatem. Secundò si dispensandi facultatem habeant; sed dispensent legitima causa non subsistente. Et tertiò non dispensando cùm possint, ac debeāt dispensare. Quoad primum igitur sit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 Peccant Episcopi dispensantes super Canones Pontificios, & super leges, ac Constitutiones aliorum ipsis Superiorum: & insuper dispensationes sunt nullius momenti. Etenim inferiores non possunt tollere ius Superiorum, vt in *c. cùm inferior, de maior. & obed. Clem. ne Romani, de elect.* & in specie est *tex. in c. dilectus, de tempor. ordin.* Vndè Episcopi ità demum in lege Canonica dispensare possunt, quādo eisdem expresè, vel tacitè conceditur facultas, vt patet ex *d. c. dilectus, de tempor. ordinat.* in illis verbis: *Cùm illi huiusmodi dispensatio à Canone minimè sit permissa, &c. Glosa in c. cupientes, vers. Suspensus, de elect. in 6. Rebuff. in praxi tit. de dispens. ad plura, num. 27. Mādos. regula 13. Cancell. q. 6. num. 6.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Barb de offic. & potest. Episc. alleg. 32. num. 18. & 19.* vbi testatur hanc sententiam hodiè esse magis communem, & longè veriorem sententia eorum,
3 qui volunt, Episcopum posse dispensare in iure Canonico, in omnibus casibus, nisi per Sacros Canones, aut per Summum Pontificem prohibeatur: putant enim Episcopum in his, quæ sunt de genere permissorum: posse ex rei natura, & de iure Diuino intrà propriam Diœcesim ea omnia, quæ Romanus Pontifex potest in Ecclesia vniuersali, super omnem orbem Christianum; nisi de iure, aut ab ipso Romano Pōtifice reperiatur ei prohibitum: & fundantur in *tex. in c. nuper, §. in secundò*, iuncta *Glosa in vers. Retinuit de sent. excomm.* in quo Innoc. III. ità decreuit: *Quia tamen conditor Canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi*. Non enim satis est non prohiberi dispensationem per Papam, & Sacros Canones, vt Episcopus valeat super ius Canonicum dispensare; sed insuper exigitur, vt ei dispensatio à Canone, vel à Summo Pontifice permittatur, vt suprà diximus ex *d. c. dilectus, de tempor. ordin.* Nec obstat *tex. in d. c. nuper, §. in secundò*: quoniam *tex.* ille loquitur de absolutione, ab excommunicatione, quæ à dispensatione differt: siquidem facilius concedi solet absolutio ab excommunicatione, quàm iuris relaxatio, & sic dispensatio: multum enim interest, nequis excommunicatus decedat ob periculum animæ, *arg. tex. in c. cùm illorum*, vbi *Glos. vers. Ignorare de sent. excomm.* quod in dispensationibus non contingit, vt per *Glos. in d. c. cupientes, vers. Suspensus, de elect. in 6.* quibus adde, quæ habentur per *Couar. in c. Alma mater, p. 1. §. 12. num. 5. & 6. de sent. excomm. in 6.* Vndè his sic stantibus, certum est non posse Episcopum dispensare super legem Canonicam, nisi à iure, vel Romano Pontifice expresè, vel tacitè fuerit ei permissum.

4 Expresè autem conceditur facultas dispensandi in lege Canonica Episcopis, cum Sacerdotibus, qui de facto nuptias contraxerunt, vt post peractam pœnitentiam officio suo restituātur, vt in *c. sanè il 2. de Cler. coniug.* ità se habēte: *Sanè Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed conturbenia sunt potius nuncupanda, post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem continentes, officio suo restitui poterunt: & ex indulgentia sui Episcopi eius executionem habere.* Sic etiam beneficium per simoniam ignoranter adeptus, si illud liberè resignauerit ex expressa facultate dispensandi Episcopo concessa, potest ad illud pro illa vice per ipsum Episcopum promoueri, vt in *c. penul. de elect.* Expresè pariter conceditur Episcopis dispensandi potestas cum habentibus Parochiales Ecclesias sibi subiectas, quòd vsque ad septennium studendo non teneantur ad Sacerdotium promoueri; sed ad Subdiaconatum dumtaxàt infrà annum sub priuationis pœna, vt in *c. cum ex eo, de elect. in 6.* Expresè
5 quoque conceditur facultas Episcopis dispēsandi cum illegitimè natis, vt promoueri possint ad minores ordines, & ad beneficia simplicia; Secus autem ad maiores ordines, ac beneficia curata, vt in *c. 1. de filijs presbyt. in 6.* Item Episcopis expresè conceditur, vt cum maiore 20. annis in dignitatibus, & personatibus non curatis valeant dispensare, *c. 1. de ætate, & qualit. in 6.* Denique, cæteris prætermissis, expresè datur potestas Episcopis dispensandi cū adulteris, & in alijs inferioribus criminibus post peractam pœnitentiam, vt in *c. at si Clerici, §. de adulterijs*, vbi *Glos.* quæ plures alios casus recenset, *de iudic.* Tacitè verò, seu virtualiter censetur concessa dispensandi facultas Episcopis super Sacros Canones, quando lex impersonaliter potestatem dispensandi concedit, vt cùm dicit, possit dispensare, non adijciendo per Sedem Apostolicam, vel Romanum Pontificem, vt est *tex. in c. 2. de eo, qui cognouit, &c. & cap. postulasti*, vbi *Glos. & Doctor. de Cler. excomm. ministr.* & latè *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 33. num. 22. cum pluribus seq.* vbi id limitat non procedere in Cōstitutionibus Conciliaribus; quoniam Episcopus conciliarem Constitutionem tollere, & in ea dispensare non potest citrà Concilij expressam derogationem, vt habetur ex *Reginaldo in praxi fori pœnit. lib. 31. c. 27. num. 202. in princ.* & ex alijs relatis ab eodem *Barb. loco citato, num. 24. & 25.* vbi tamen *num. 26.* probat, posse Episcopum ex magna necessitatis causa dispensare super Conciliarem Constitutionem, quando permittit dispensare, vel loquitur impersonaliter, vt supra, non permittendo, nec vetando, nec aliquam pœnam imponendo.

6 Hæc conclusio ampliatur, vt Episcopus non modo nequeat dispensare super Canones, & sic super legem Canonicam scriptam, citrà Cano-

nis, aut Rom. Pontificis facultatem; sed nec quidem super legem Canonicam non scriptam, atque ideò super Consuetudinem ex stylo Romanæ Curiæ introductam: siquidem consuetudo non minorem vim habet, quàm lex Canonica, cùm sit ius non scriptum moribus introductum, vt in *§. ex non scripto, in inst. de iure nat. gent. & ciuili*. Hinc sequitur, quòd licèt vota, ac iuramenta intrandi Religionem; de perpetua castitate seruanda: de peregrinatione in Terram Sanctam: de visitando limina Apostolorum Petri, & Pauli: & de peregrinatione in D. Iacobum Compostellæ, nullo Canone reperiantur S. Apostolicæ reseruata; nihilominus, quia ex antiquissimo Curiæ stylo eorum dispẽsatio est Papæ reseruata; non potest Episcopus super illis dispensare citra culpam, & actus nullitatem, vt habetur ex *Soto lib. 7. de iust. & iur. q. 4. ar. 3. Nauar. in Man. c. 12. num. 75. Azor. p. 1. instit. moral. lib. 11. c. 18. q. 4. vers. Mihi videtur, & c. 19. q. 3. Sayr. lib. 5. Clau. Regia, c. 8. num. 9. Suar. de Relig. tom. 2. tr. de iuram. lib. 2. c. 40. num. 4. & seq. & tract. de voto, lib. 6. c. 21. num. 2. & seq. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 46. dub. 13. num. 104.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 37. num. 1. & 2.* qui *num. 3.* dicit tamen dispensationem voti peregrinationis in Templum B. Virginis Lauretanæ, esse Rom. Pontifici expressè reseruatam in Bulla Leon. X. Imò *num. 4.* ait in voto Terræ Sanctæ Episcopum non posse dispensare, non modo quando emittitur in subsidium, seu in redemptionem illius; verũ etiam si causa deuotionis ad visitandum Sanctum Domini sepulchrum, & loca illa pia iuramentum, seu votum fiat; quamuis non desint qui velint, illud tantùm Terræ Sanctæ esse Sedi Apost. reseruatum, quod fit in illius subsidium, quibus ipse *Barb.* adhæret, & eorum sẽtentiam de iuris rigore probat esse veriorem; licet, attento stylo, & praxi hodierna à priori opinione non sit recedendum, vt constat ex ijs, quos ipse refert. Idem dicendum est in votis cõditionalibus de materia reseruata, in quibus nec pendente conditione potest dispensare Episcopus, vt per *Sot. lib. 7. de iust. & iure, q. 2. ar. 1. ad 4. & q. 4. ar. 3. Nauar. in Man. c. 12. num. 43.* & alios apud *Barb. loco citato, num. 5.* qui *num. 6* hanc esse rationem ait; quoniam votum, seu iuramentum conditionale statim, ac fit, est perfectum, quoad vinculum voti, seu iuramenti, cùm omnis dispositio conditionalis in sui essentia à principio est perfecta, vt in *l. vsusfructus ad fin. ff. de stipul. seruor.* Et hanc opinionem in puncto iuris, inquit esse veriorem, quãuis contrariam sequantur omnes ferè Theologi, nempè *Suar. Tolet. Less. Sayr. Sanch.* & alij apud eundem *Sanch. de matr. lib. 8. disput. 10. num. 12. cum seq.*

8 Est tamen verum, quòd in multis casibus super præfatis iuramentis, & votis potest dispensare Episcopus. Primus casus est, si fiant in pœnam, vt si quis dicat, iuro, uel uoueo, me non lusurum tali ludo; quòd si secus fecero, ingrediar Religionem, aut ibo ad Terram Sanctam: siquidem illa tantùm iuramenta, ac uota sunt Papæ reseruata, quæ simpliciter fiunt. Ità *Aragon. 22. q. 88. ar. 12. Tolet. lib. 4. sua summ. c. 18. in fine, Henriq. lib. 7. de indulgent. c. 30. §. 6.* & alij quamplurimi apud *Barb.* ubi supra, *sub num. 7.* qui dicit, hanc sententiam esse communem. Secundus casus est si fiat uotum continentiæ, & detur urgens causa, seu grauis necessitas, quæ suadeat, necessariam esse dispensationem in tali uoto, ut quia sit probabile periculum incontinentiæ, & concurrat simul impotentia moralis, aut graue impedimentum adeundi Romanum Pontificem; tunc enim super eiusmodi uoto potest dispensare Episcopus, ut in *c. veniens, qui Cler. vel vouent. Syl. verf. Votum, 4. q. 4. & verf. Dispensatio §. 6. Nauar. in Man. c. 12. num. 76. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 9. num. 22.* cum alijs, quos allegat *Barb. d. alleg. 37. num. 8.* ubi etiam *num. 9.* probat, posse Episcopum dispensare cum eo, qui post uotum simplex castitatis contraxerit matrimonium ratum, ad effectum, ut possit petere debitum, licèt peccauerit contrahendo, iuxtà ea, quæ habentur in *c. meminimus, & c. rursus,* & ibi *Doctor. qui Cler. vel vouent.* & adhuc uotum posset implere ingrediendo Religionem, etiam uiuente uxore, ut in *c. 2. c. ex publico, & c. ex parte, de conuers. coniugat.* Potest quoque Episcopus dispensare, ut possit petere debitum ille coniux, qui post matrimonium consumatum fecit uotum castitatis, ut habetur ex *Diu. Anton. 3. p. tit. 1. c. 22. § 2. & 3.* Est tamen uerũ, quòd ità uouens, mortua uxore, non potest matrimonium licitè contrahere; quoniam Episcopus non dispensauit in castitate perpetua, sed tantùm, ut possit petere debitum. Et id ob periculum incontinentiæ. Tertius casus est, quãdo post matrimonium coniuges mutuo consensu emittunt simplex uotum castitatis, & sit periculum incontinentiæ, & ad Summum Pontificem non sit facilis aditus, super eiusmodi uoto poterit Episcopus dispensare, ut habetur ex *Azor. p. 1. inst. moral. lib. 11. c. 19. q. 8. Henriq. in summ. lib. 11. c. 15. Nauar. in Man. c. 12. sub num. 59. verf. 32. & num. 76. verf. 15. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 11. num. 10.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Barb. d. alleg. 37. num. 11.* qui *num. 12.* cum communi contra non nullos probat, posse quoque Episcopum dispensare, ut incestuosus petat debitum ab uxore sua iam eidem effecta affine, ut per *Sanch. d. lib. 8. de matrim. disp. 22.* Quartus casus est, ut Episcopus dispensare possit in uoto castitatis facto ad tempus; quoniam uotum castitatis perpetuum dumtaxàt est Papæ reseruatum. Idem dicendum est de uoto certæ castitatis, nempè in non committendo adulterium, uel aliud certum libidinis genus; quia eiusmodi uotum non est perpetuæ castitatis. Ità *Sanch. de matrim. d. lib. 8. disp. 9. num. 6. Azor. d. lib. 11. c. 19. qu. 6. Nauar. in Man. c. 12. num. 76. verf. 5.* & alij apud *Barb. loco citato, sub num. 15.* qui eadem ratione inquit *nu. 16. cum plur. seq.* Episcopum uotum peregrinationis faciendæ tali tempore posse prorogare, si iusta causa adsit, nempè quoniam uouens morbo impeditur: nec non dispẽsare in uoto de non contrahendo matrimoniũ; quia istud non est uotum simpliciter castitatis, neque illud uiolatur, si uouens cum alia fornicetur: & in uoto uirginitatis, si uouens intendat solùm seruare corporis integritatem fugiẽdo

do primum actum venereum: nàm si illam semèl ammittat, voti obligatio euanescit; atque ideò cùm non sit perpetuę castitatis potest Episcopus in eo dispensare. Quintus casus est, vt Episcopus dispensare valeat in voto suscipiendi Sacros Ordines, cùm non sit votum castitatis, sed assumendi statum, cui castitas annexa est, vt habetur ex *Nauar. conf. 32. in antiquis, aliàs 18. in nouis, de voto, Azor. p. 1. inst. moral. lib. 11. c. 19. q. 9. Sanch. d. disp. 9. num. 13.* & alij dicentes, huiusmodi vouentem vouere castitatem futuram, non præsentem, nempè postquàm fuerit ordinatus; atque ideò si antequam ordinetur, peccet cum aliqua, non proindè facit contra votum. Sextus casus est, vt Episcopus non modo in voto castitatis, sed etiam in omnibus alijs prædictis quatuor, & in quibuscumque casibus etiā impediētibus, ac dirimētibus matrimoniū possit dispēsare, data graui, & vrgēte necessitate, & interueniēte simul difficultate adeūdi Pontificem: & quamuis eiusmodi vota cùm sint affirmatiua, non possit dari necessitas, quæ suadeat illorum dispensationem, sed dilationē; nihilominus in illis poterit Episcopus dispensare, data necessitatis causa, & difficultate adeundi Romanum Pontificem. Vndè si aliquis intrà annum voueat fieri Religiosus, vel facere peregrinationem reseruatam, poterit Episcopus cum illo dispensare, vt per alium annum differat. Ità *Barb. post alios d. alleg. 37. numer. 13.* iunctis ijs, quæ cumulauit, *alleg 35. num. 5.*

SECVNDA CONCLVSIO.

9 PEccant Episcopi, quibus tribuitur facultas dispensandi super Canones, & Pontificias Constitutiones si dispensent citra iustam causam: & insuper irrita est dispensatio. Hæc conclusio est communis, quàm docent *Conar. de sponsal. p. 2. c. 6. §. 9. nu. 11. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 17. num. 4. Guttier. qq. Canon. lib 1. c. 9. num. 5. Nauar in Man. prælud. 9 num. 15. Miran. in Man. Prælat. tom. 2. q. 30. ar. 4. conc. & Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 34. nu. 1.* cum alijs, quos allegant. Patet conclusio, quoad primam partem; quoniam dispensatio sine causa non dispensatio, sed dissipatio dicitur, vt patet ex his, quæ suprà ostendimus *disp. 4. sec. 4. vers. Ex quo infertur*. Quoad secundam partem probatur conclusio; quia secundum omnium opinionem dispensatio inferiorum in lege superiorum est irrita si causa legitima desit: siquidem quoties inferiori committitur potestas dispensandi in lege Superioris, intelligitur iusta causa sūbsistente, cum Principis mandatum ad ius inferri debeat, *c. multa, de preb.* Hinc residentia cùm præcepta sit de iure Diuino, si Papa super eam citra iustam causam dispenset, nulla est dispensatio, & dispensatus non est tutus in conscientia; quoniam Summus Pontifex licèt dispensandi facultatem habeat etiam super ius Diuinum, nihilominus cum dispensando super ius Diuinum dicatur dispensare in lege Superioris, si iusta causa desit, nulla est dispensatio, vt probauimus *d. sec. 4. vers. Ex quo infer-*

10 *tur*. Non tamen ità dicendum est, si Episcopus citra legitimam causam dispenset in lege à se condita; quoniam valebit dispensatio: sicut valida est dispensatio sine causa facta in lege positiua à Rom. Pontifice; quia eius est legem destruere, cuius est condere: peccabit tamen saltem venialiter; siquidem dispensando quis citra legitimam causam in propria lege offendit æqualitatem, quam iustitia erga omnes seruari præcipit, *c. iustum est d. 9.* Imò violat ius naturæ, quod dictat partem suo toti congruere debere, excipiens aliquem temerè, & impudenter per dispensationem, vt in *d. sec. 4.* diximus, & facit *tex. in c. cùm omnes, de constit. Nauar. in Man prælud 9. num. 15. Azor p 1. Instit. moral lib 5. c. 15 q 3. in fin Sanch lib. 8. de matrim. disp. 17. nu. 27. & Barb de offic. & potest. Episc. alleg. 34. sub num. 4.* vbi tamen inquit, quòd non dato scandalo, nec notabili aliorum damno sic dispensans peccabit venialiter: alias dato scandalo, aut notabili aliorum damno, tacitè videtur fateri, eum peccare mortaliter.

11 Imò Episcopus si suam legem iuramento firmauerit, citra periurij culpam super eam dispensare non valet, quoniam non potest secum in iuramento dispensare, vt habetur ex *Sayro lib. 6. de censur. c. 11. num. 11. Azor. loco citato, q. 7 vers. In præsenti*, cum alijs, quos allegant. Quod quidem verum est, quando citra rationabilem causam dispensaret: Secus autem si necessitas, aut magna, & euidens dispensandi vtilitas concurreret; quoniam tunc dispensando non peccaret: nàm quando rei euentus reddit rem iuratam minus bonam, quàm oppositum, non tenetur iurans stare iuramento, quia iuramentum non debet esse impedituum maioris boni: aliàs respectu illius maioris boni haberet rationem mali, & Deo non placeret, vt benè post alios declarat *Sayro lib. 5. Clauis Reg. c. 7. sub num. 4. ver. Prima propositio*, & nos latè suprà adnotauimus *disp. 4. sec. 11. vers. Hæc tamen*. Et hac ratione sustineri fortè posset opinio *Sanch. d. disp. 17. num. 31.* Quod adeò

12 verum est, vt quamuis illa Episcopi Constitutio transierit in contractum in commodum alterius, propter quod regulariter super eam non posset dispensare; nihilominus posset contrauenire legitima superuenienti causa, vt inquit idē *Sanchez loco citato num. 29.* Non tamen validè, nec iustè dispensaret Episcopus super propriam Constitutionem confirmatam à Romano Pontifice, quia ex tali confirmatione perindè se habet, ac si ab ipso Pontifice condita esset: & propterea se habet ad talem Constitutionem, ac ad ius commune, super quod non potest dispensare, vt habetur ex *Sanch. d. num. 31.* & ex alijs apud *Barb. d. alleg. 34 num. 7.* quibus adde quæ idem *Barb. cumulat. alleg. 35.* vbi tractat, an, & quando Episcopus dispensare valeat in casibus, tum impedientibus, tum etiam impedientibus, ac dirimentibus matrimonium.

TERTIA CONCLVSIO.

13 PEccant Episcopi recusantes dispensare in casibus, in quibus dispensandi facultatem habent, si legitima, iusta, ac rationabilis dispensandi causa subsistat. Hæc conclusio patet; quoniam tunc agerent contra charitatis legem; per quam vnicuique mandauit Deus de proximo

 suo.

suo. Item possent etiam peccare contra iustitiam, si ex negata dispensatione damnum aliquod in bonis spiritualibus, aut temporalibus iustè petenti dispensationem proueniret: nàm qui causam damni dat, damnum dedisse videtur: Et denique si Episcopus vni dispensaret ex iusta causa, & alteri dispensationem denegaret, qui iustam causam dispensandi similiter haberet, proculdubio acceptor esset personarum: at acceptio personarum peccatum est, vt nos supra ostendimus *disp 4 sec.8.* & facit *tex. in c.in iudicijs,de regul.iur in 6.*

Quando Episcopi pecent circa iurisdictionem exercendam.
SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi si aliquem excommunicent, non praeuia trina monitione peccant, & per mensem suspenduntur ab ingressu Ecclesiae, nisi excommunicatio feratur à iure.*
2 *Suspensionem hanc incurrit Episcopus etiam si iustam habeat causam excommunicandi.*
3 *Peccant etiam Episcopi, si in ferendis censuris ordinem non obseruant* à Concil. Trid. *praescriptum.*
Additio decr. Trid.
4 *Episcopi excommunicationē ferentes in die festo per viam sententiae peccant, & cur.*
5 *Sic quoque peccant, si ferant sententiam excommunicationis contra eum, quem probabiliter nouerint à contumacia non recessurum, & quare.*
An debeant excommunicatum absoluere si videant cor excommunicati potius indurandū, quam à contumacia recedere.
6 *Episcopi non absoluentes ab excommunicatione excommunicatos, qui recesserunt à contumacia, peccant.*
7 *Peccant quoque si excommunicatos absoluant in casibus à iure non permissis.*
An reddatur nulla absolutio, ab excommunicatione, si fiat non praemisso iuramento, neque satisfactione.
8 *Episcopi interdictum ferentes pro re non multum graue, peccant.*
An ob vnius interdictum possit interdici tota Ciuitas, Populus, Prouincia vel Regnum.
9 *Episcopi non prohibentes notoriè criminosos altari ministrare, peccant.*
10 *Grauissimè peccant Episcopi negligentes in defendenda immunitate Ecclesiastica.*
11 *Peccant etiam Episcopi non seruantes, nec seruare facientes Sacros Canones, praecipuè cōmutantes vltimas voluntates sine causa.*
12 *Hodiè per Bullam Vrbani VIII. facultas moderandi Missarum onera est sublata Episcopis, & ordinum Generalibus, & solùm reseruata Rom. Pontifici.*

1 PEccant Episcopi circa iurisdictionem exercendam, primò si excommunicent aliquem non praeuia trina monitione: & insuper per mensem suspenduntur ab ingressu Ecclesiae, vt in *c. Sacro*, & ibi *Doctor. de sentent. excomm.* Valet tamen sententia, trina monitione non praecedente; quia *tex.* ille non procedit vltra annullando actum: Secus autem si nulla monitio praecesserit; quoniam tunc excōmunicatus cùm non possit dici contumax, excommunicatio contra ipsum lata est nullius momenti, vt per *Glos. in d. c. Sacro*. Imò si sententia fulminata fuerit contra participantes cū excommunicato, vna, vel altera monitione praecedente, & non trina, adhuc est inualida: quoniam multoties Iudices calore iracundiae indiscretè, ac praecipitanter solent participantes cum excommunicatis excommunicare, vt in *c. statuimus de sent. excomm. in 6.* Quod quidem intelligendum est de excommunicatione, quae fertur ab homine: Secus autem si feratur à iure, vt benè declarat *Suarez de censur. disput. 3. sec 8*

2 Hanc autem suspensionem incurrit Episcopus etiam si iustam habuerit excommunicādi causam, eandemque contrahit ipso facto, & multis alijs poenis plectitur, de quibus per *Glo. d. c. Sacro, vers. Per mensem*, vbi etiam addit, quòd hodiè qui excommunicare vult debet in scriptis ferre sententiam, & causam excommunicationis expressè conscribere: aliàs contra faciens per mensem ab ingressu Ecclesię, & Diuinis officijs est suspensus: & si suspensus diuina praesumpserit officia celebrare, irregularis efficitur, super quo per Papam tantum potest dispensari, vt in *c. cùm medicinalis de sent. excom. in 6.* Est tamen verum, quod ad contrahendam huiusmodi suspensionem exigitur praesumptio, vt in *d. c. Sacro*, & ibi etiam *Glos.* & propterea Episcopus contrauenens excusaretur ex capite ignorantiae etiam crassae, & affectatae, iuxta ea, quae nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Coena, lib. 2. cap. 1. quaest 36. 37. & 38.*

3 Secundò peccant Episcopi circa iurisdictionem exercendam, quando in ferendis censuris temerè, ac praecipitanter se habeant, & non seruant ordinem praescriptum à *Conc. Trid. sess. 25. c. 3. de reform.* ità se habente: *Quamuis excommunicationis gladius neruus sit Ecclesiastica disciplina, & ad continendos in officio populos valdè salutaris; sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est: cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari; & perniciē potius parare, quam salutem. Quapropter excommunicationes illas, qua monitionibus pramissis ad finem reuelationis, vt aiunt, aut pro deperditis, seù subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, praeterquam ab Episcopo decernantur, & tunc non aliàs, quam ex re non vulgari causam diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata, qua eius animum moueat, nec ad eas concedendas cuiusuis Secularis, etiam magistratus auctoritate adducatur: sed totum hoc in eius arbitrio, & conscientia sit positum: quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse iudicauerit. In causis verò iudicialibus mandatur omnibus iudicibus Ecclesiasticis, cuiuscunque dignitatis existant: vt quandocunque executio realis, vel personalis in qualibet parte iudicij propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, tàm in procedendo, quam definiendo à censuris Ecclesiasticis, seu interdicto: sed liceat eis*

eis si expedire videbitur, in causis ciuilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus contra quoscunque etiam Laicos per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs ibi existentibus, eo ipso, quòd exactæ fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam, siuè etiam per priuationem beneficiorum, aliaquè iuris remedia procedere, & causas definire. Quòd si executio realis, vel personalis aduersus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga Iudicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, præter aliàs pœnas ferire poterit. In causis quoque criminalibus vbi executio realis, vel personalis, vt supra fieri poterit, erit à censuris abstinendum. Sed si dictæ executioni facilè locum esse non possit, licebit Iudici hoc spirituali gladio in delinquentes vti; si tamen delicti qualitas, præcedente bina saltem monitione, etiam per edictum id postulet. Nefas autem Sæculari sit cuilibet magistratui prohiberi Ecclesiastico Iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet, sub prætextu, quòd contenta in præsenti decreto non sint seruata, cùm non ad Sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat, &c.

4 Tertiò peccant Episcopi excommunicationem ferentes die festo per viam sententiæ; quoniam eiusmodi excommunicatio causæ cognitionem exigit: quod in die festo fieri non potest, vt in *d. c. Sacro, & c. nemo 2. q. 1.* iuncto *tex. in c. fin. de fer.* Dixi, per viam sententiæ: quoniã secus dicendum esset si excommunicationem ferant die festo per viam legis, ac statuti; quoniam leges, & statuta condi possunt, nulla prçuia causæ cognitione, vt latè probat *Sayr. lib. 1. Thes. c. 7 num. 17 tom. 1.* & nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cçnæ, lib. 1. cap. 2. q. 5 num. 42.* vbi ostendimus ritè, ac rectè ferri Bullam Cœnæ in die Cœnæ Domini, etiam si in illa die concurrat festum Annunciationis Beatæ Mariç Virginis; quoniam dicta Bulla hodiè maximè habet vim legis.

5 Quartò peccant Episcopi ferendo excommunicationem contra eum, quem probabiliter nouerint à contumacia non recessurum: siquidem excommunicatio non est purè pœna; sed est pœna medicinalis, vt in *c. 1. de sent. excom. in 6* Et propterea si post latam censuram videant cor excommunicati potius indurandum, quam à contumacia recedere, debent eum absoluere, etiam durante contumacia, ad instar optimi Medici, qui si viderit, medicinam infirmo non prodesse, eam omninò subtrahit. Ita *Panor in c. ab excommunicato, num. 20. de resor. & Sayr. tomo 1. Thesauri lib. 1. c. 3. num. 3. in fin.* quod quidem intelligendum est, vbi discretè, & citra schandalum fieri potest: aliàs nõ est absoluendus donec perseuerat in contumacia, quia tunc licèt excommunicatio respectu talis excommunicati non habeat rationem medicinæ. Est tamen medicina respectu aliorum Ecclesiæ membrorum, dum eius exemplo, & pœna, à peccatis cauent, & corriguntur: siquidem resecandum est membrum putridum, ne totum corpus putrescat, *c. resecando, & c. corripiantur, 24. q. 3.*

6 Quintò peccant Episcopi circa iurisdictionem exercendam, non absoluentes ab excommunicatione excommunicatos, qui recesserunt à contumacia, & parati sunt obedire; quoniam excommunicatio est medicina, vt supra diximus.

7 Sextò peccant absoluentes excommunicatos in casibus à iure non permissis, aut in casibus permissis; non tamen præuia satisfactione, & iuramento præstito de parendo mandatis Ecclesiæ. Est tamen verum, quòd si quis ab excommunicatione absoluatur non præmissis iuramento, ac satisfactione supradictis, non ob id absolutio redditur nulla, vt post alios ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 17. num. 8.* vbi etiam *num. 9.* probauimus, quòd quando quis est absoluendus ab excommunicatione, propter hæresim, debet quoque præmitti abiuratio, vt in *c. ad abolendam, de hæret. & c. Ego Berengarius de consecr. d. 2.* Quç quidem abiuratio remittitur arbitrio Episcopi, vel Inquisitoris in foro exteriori.

8 Septimò peccant Episcopi ferentes interdictum pro re non multum graui. Etenim interdictum cùm extensiuè sit pœna excommunicatione maior, eo quòd ferri potest in totam aliquam communitatem, Ciuitatem, Prouinciam, ac Regnum, & afficiat etiam innocentes, idcircò exigit peccatum grauius, quam sit inobedientiæ peccatum, ob quod ferri potest excommunicatio: & graue dicitur in hac materia nõ solùm illud, quod est peccatum mortale; sed etiam illud, quod pluribus nocet, quamuis non grauiter singulis noceat, vt post *Henr.* & alios inquit *Sayr. tom. 1. Thes. lib. 5. c. 11. nu. 2. & 3.* vbi etiam *num. 7.* ait esse obseruandum, ad ferẽdum interdictum generale loci, personæ, aut multorum non satis esse culpam cuiuscunque; quia ob vnius delictum non conuenit totam Ciuitatem, Populum, Prouinciam, aut Regnũ, interdici, nisi id fiat cum speciali licentia Rom. Pontificis, quæ citra magnam difficultatem cõcedi non solet.

9 Octauò peccant Episcopi non prohibentes notoriè criminosos Sancto Altari ministrare, aut sacris interesse, aut in oratorijs priuatis sacrificio Missæ incompositè, & non deuotè à fidelibus adesse: si in Ecclesijs musicas cum cantu lasciuo non interdicant; si in eisdem Ecclesijs Sæculares omnes actiones, vana, & profana colloquia, deambulationes, strepitus, & clamores non arceant: si permittant Sacerdotes, & alios alijs, quam debitis horis celebrare, & alia, de quibus *Conc. Trid. sess. 22.* in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ. Peccant quoque Episcopi non corrigentes subditorum excessus, iuxtà Decretum *Conc. Trid. sess. 6. cap. 3. de reform.* & negligenter se habentes in curandis omnibus, & quibuscumque vitijs commissarum sibi ouium; præsertim in corrigendis concubinarijs, iuxtà ea, quæ statuta sunt in *Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 8. & sess. 25 de reform. cap. 14.* Hinc Diuus *Chrisost. homil. 7.* in imperfecto, ità inquit: *Nos, qui sumus vnius Regionis Pastores, etsi Regiones circumire opus non habeamus; tamen singulas species passionum populi circumire, & considerare debemus, idest diligenter attendere, qui*

qui

qui sunt in populo, qui auaritia morbo laborẽt, vt aliquem sermonem de auaritia malo faciamus ad medicamentum sanitatis illius, qui auaritia stimulis agitatur. Et illis prouidere debemus, qui in populo ardentibus libidinis febribus valdè laborant. Quemadmodum enim pater familias studiosus scit in domo sua, quid vnusquisque necessarium habeat, ità, & Sacerdos singulorum mores, & actus, & conuersationem debet discere, vt quale quibusque medicamentum necessarium fuerit, subministret.

10 Nonò peccant grauissimè Episcopi negligẽtes in defendenda immunitate Ecclesiastica, cùm pro ea tue da, & pro suis ouibus in eorũ consecratione iurent animam ponere, vt latè habetur in *Speculo Episcop. sing.* 39. Et è conuerso possunt de facili peccare, & causa esse nonnullorum scandalorum vsurpantes sibi iurisdictionem Sæcularem, aut Regularium, & aliorum exemptorum: Scriptum est enim, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Id multoties prouenit non tam ex malitia, quàm ex negligentia studendi, ac ediscendi, quæ pertinent ad iurisdictionem vtriusque fori: aut ex eo, quòd non habeant apud se doctos, & idoneos Vicarios, qui sciant, & possint iustè Ecclesiasticam immunitatem, & iurisdictionẽ tueri, & cunctis debitam iustitiam administrare: & propterea vltra peccata, quæ contrahunt, tenentur quoque reficere omnia damna, expensas, & interesse, quæ occasione prædicta, & ex iustitia indebitè administrata fidelibus, tàm Ecclesiasticis, quam Sæcularibus prouenerunt: quoniam qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, vulgata iuris regula. Vndè circa rem hanc Episcopi debent esse satis cauti; quia possunt in varias culpas incidere, & in multis restitutioni fieri obnoxij, quæ difficile postea restituuntur.

11 Decimò peccant Episcopi circa iurisdictionem non seruantes, nec seruare facientes Sacros Canones, iuxtà ea, quæ habentur ex *Concil. Trid. sess.* 25 *de reform. cap.* 18. & præcipuè sine causa commutantes vltimas voluntates contra dispositionem Clem. quia contingit, *de Relig. dom. & Conc Trid. sess.* 22. *de reform. cap.* 6. & *sess.* 25 *de refor c* 4 in dicto *cap* 6. ità legitur: *In commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non nisi ex iusta, & necessaria causa fieri debent, Episcopi, tanquam delegati Sedis Apostolicæ, summariè, & extra iudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate, vel sugesta falsitate fuisse narratum priusquam commutationes prædictæ executioni demandentur.* In dicto verò *cap.* 4. *sess.* 25. ità statuitur, dum de reductione, & commutatione circa Missas celebrandas fit mentio: *Contingit sæpè in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varijs defunctorum relictis impositum esse, vt illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam huiusmodi, pro illis celebrandis, adeò tenuem esse, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, vndè depereunt piæ testantium voluntates & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus cupiens hæc ad pios vsus relicta, quo plenius, & vtilius potest, impleri; facultatem dat Episcopis, vt in Synodo Diœcesana, itemque Abbatibus, & Generalibus Ordinum, vt in suis Capitulis Generalibus, reditigenter perspecta, possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac prouisione indigere cognouerint, statuere circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderint expedire; ità tamen, vt eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad*

12 *pios vsus reliquerunt.* Est tamen verum, quòd hodiè per Constitutionem Sanctissimi D. N D. Vrbani Papæ VIII. præfata facultas moderandi Missarum onera fuit sublata Episcopis, ac Generalibus Ordinum, & reseruata Romano tantùm Pontifici, vt patet ex Constit. 43. § 1. quæ incipit, cùm sæpè contingat, vbi quamplurima circa Missarum celebrandarum onera statuuntur.

Qualiter Episcopi peccent circa proprias Ecclesias, ac Diœceses visitandas.

S E C. VII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi negligentes in proprijs Diœcesibus visitandis, peccant.*
Et quando illas visitare teneantur.
2 *Episcopi peccant in visitatione, si immoderatis sumptibus Diœceses grauent.*
3 *Itemque peccant non visitando Monialium Monasteria, etiam exempta.*
Adducitur Decr. Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 8.
4 *Peccare possunt Episcopi, in visitando Monasteria Monialium, si ea ingrediantur citra necessitatem.*

1 PEccant primò Episcopi negligentes in visitandis proprijs Diœcesibus. Tenentur enim eas singulis annis, vel ad summum per spatium biennij visitare, vt fuit Decretum per *Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 3. his verbis: *Patriarchæ, Primates, Metropolitani, & Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos, aut si legitimè impediti fuerint per suum Generalem Vicarium, aut visitatorem, si quot annis totam, propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem; ità tamen, vt totâ biennio per se, vel visitatores suos compleatur, visitare non prætermittat. A Metropolitanis verò, etiam post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses [illegible] comprouincialium, nisi causa cognita, [illegible] Prouinciali, &c.*

2 Secundò [illegible] immoder[illegible] aut muner[illegible] tur ex eode[illegible] facilius, [illegible] dicti omne[illegible] flat, vt pat[illegible]

omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant, quam celerrime, debita tamen cum diligentia visitationem ipsam absoluere. Interimque caueant, ne inutilibus sumptibus, cuique graues, onerosiue sint, neue ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios vsus, prater id, quod ex relictis pijs iure debetur, aut alio quouis nomine; nec pecuniam, nec munus, quodcunque sit, etiā qualitercunque offeratur, accipiant, &c.

3 Tertiò peccant Episcopi non visitando Monasteria Monialium, etiam exemptarum, iuxtà dispositionem *Conc. Trid. sess. 25. c. 5. & sess. 22. cap. 8. de reform.* Imò ad Episcopos quoque pertinet visitatio omnium Monasteriorum cōmendatorum, etiam exemptorum, vt constat ex *d. cap. 8. Conc. Trid.* ità decernente: *Quacunque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab ordinario diligenter curari, atque ijs vbi oportet, prouideri aquum est: propterea commendata Monasteria, etiam Abbatia, Prioratus, & Prapositura nuncupata, in quibus non viget Regularis Obseruantia, necnon beneficia tam curata, quam non curata, Sacularia, & Regularia qualitercumque commendata; etiam exēpta, ab Episcopis, etiam tanquam Apostolica Sedis delegatis, annis singulis visitentur: curentque ijdem Episcopi congruentibus remedijs, etiam per sequestrationem fructuum, vt qua renouatione indigent, aut restauratione reficiantur, & cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia rectè exerceantur, appellationibus quibuscunque, priuilegijs, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore prascriptis, conseruatorijs iudicum deputationibus, & eorum inhibitionibus non obstantibus. Et si in eis vigeret obseruantia Regularis, prouideant Episcopi paternis admonitionibus: vt eorum Regularium Superiores, iuxtà eorum regularia instituta debitam viuēdi rationem obseruent, & obseruari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderentur. Quòd si admoniti intrà sex menses eos non visitauerint, vel correxerint, tunc ijdem Episcopi, etiam vt delegati S. A. eos visitare possint, & corrigere, prout ipsi Superiores possent, iuxtà eorum instituta, quibuscumque appellationibus, priuilegijs, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.*

4 Quartò peccare possunt Episcopi in visitando Monasteria Monialium, ea ingredientes citra necessitatem aliquam: id enim est prohibitum per Constitut. Greg. XIII. editam sub die 30. Decembr. 1582. quam refert *Steph. Quaran. in summ. Bullar. vers. Monasteria Monialium*, vt supra etiam diximus *sect. praced. versic. Vndecimò peccant Episcopi.*

An Episcopi peccent si prædicationis munere non fungantur, vel saltem idoneos Prędicatores deputēt in Cathedralibus, & in totius Dięcesis Ecclesijs.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Proprium Episcoporum munus est verbum Dei pradicare.*
Adnotatur Decr. Concil. Trid. sess. 24. de refor. cap. 4.

2 *Peccant Episcopi, si pradicandi facultatem gratis non concedant.*

3 *Episcopi videntes, Pradicatores errores disseminare, & scandala, peccant si eis pradicationem non interdicant.*

4 *Peccant etiam Episcopi, non prohibentes prędicare Regulares, extrà Claustra viuentes, vel Presbyteros Saculares, sibi non notos, an sint moribus, & doctrina probati.*

5 *Peccant Episcopi, qui Pradicatores in suis Diœcesibus discretione vti contendunt, & ipsi quoque non vtuntur.*
Et dicuntur huiusmodi Pradicatores Canes muti, non valentes latrare.

6 *Pradicatores ea docere debent, qua ab Auditoribus valeat intelligi, vitiumque est secreta mysteria reuelare indignis.*

7 *Pradicatoris stipendium, & expensa à quibus debeantur, remissiuè.*

1 AD hanc rem respondetur affirmatiuè: nam cum proprium Episcoporum munus sit Dei verbi prædicatio, id expresè præcipitur per *Conc. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 4.* his verbis: *Pradicationis munus, quod Episcoporum pracipuum est, cupiens Sancta Synodus, quò frequentius possit ad fidelium salutem exerceri, Canones alias super hoc editos, sub felici recor. Pauli III. aptius prasentium temporum vsui accomodando, mandat, vt in Ecclesia sua ipsi per se, aut legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad pradicationis munus assument: in alijs autem Ecclesiis per Parochos, siue ijs impeditis per alios ab Episcopo impensis eorum qui eas prastare, vel tenentur, vel solent, deputandos in Ciuitate, aut in quacunque parte Diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem ieiuniorum Quadragesima, & Aduentus Domini quotidiè, vel saltem tribus in hebdomoda diebus, si ità oportere duxerint, Sacras Scripturas, Diuinamque legem annuncient, & aliàs quotiescunque id opportunè fieri posse iudicauerint. Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri, vnumquemque Parochia sua interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum eorum verbum Dei.* Id quoque ab eodem *Conc.* fuit decretum *sess. 5. de reform. c. 2.* Vbi quoque interdicitur Regularibus cuiuscunque Ordinis prædicatio, etiam in proprij Ordinis Ecclesijs, citra Episcopi ordinarij expressam licentiam; & nisi

& nisi à suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia. Quibus adde ea, quæ circa rem hanc latè habentur per *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 75. per tot.*

2 Peccant tamen Episcopi si prædicandi facultatem gratis non concedant, quoniam id per dictum *Conc. d. sess. 5. c. 2.* expressè cauetur, in illis verbis: *Ipsam tamen licentiam gratis Episcopi concedant.* Quæ verba cùm sint præceptiua proculdubio obligant sub lethali culpa, vt latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 8. q. 2. sub num. 29. vers. Secundò probatur.*

3 Item peccant Episcopi si videntes Prædicatores errores, aut scandala disseminare in Populum, prædicationem eis non interdicant: & si hæreses prædicauerint, contra eos secundùm iuris dispositionem, aut loci consuetudinem nō procedant; etiam si Prædicatores exempti sint; quoniam tunc Episcopi contra eos procedere possunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, vt habetur in *d. sess. 5 c. 2.* vbi è contra præcipit, vt Episcopi curent, ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliàs calumniosè vexetur.

4 Item peccant Episcopi non prohibentes prædicare Regulares extra claustra viuentes; vel Præsbyteros Sæculares, nisi ipsi noti sint, & moribus, atque doctrina probati; etiam quorumlibet Priuilegiorum prætextu, donec ab ipsis Episcopis super ea re Sancta Sedes Apostolica consulatur, vt in *d. c. 2. Conc. Trid.* vbi etiam decernitur, ne Quæstores eleemosynarij, seù quæstuarij cuiuscunque conditionis existant, nec per se, nec per alios prædicare præsumant: aliàs ab Episcopis arceantur, priuilegijs quibuscunque non obstantibus.

5 Rursus peccant Episcopi, qui Prædicatores in suis Diœcesibus discretione vti contendunt, & ipsi quoque non vtuntur contra ea, quæ habentur ex *D. Gregorio p. 2. sui Pastoralis c. 4.* de quo in *c. 1. d. 43.* ità se habente: *Sit Rector discretus in silentio, vtilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ità indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpè nanque Rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta veritatis vocem nequaquam iam gregis custodia, pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt: quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc nanque eos per Prophetam Dominus increpat, dicens, Canes muti non valentes latrare, &c.* Sunt enim verba prædicationis etiam persecutoribus conferenda, vt habetur ex *Anacleto*, de quo in *c. 3. 43. d.* his verbis: *Scimus autem multos ob id infestare Doctores, vt eos perdant, & placita propria voluntatis adimpleant. Non propterea tamen Doctores (iniquitatum vires suppetunt) à recta æmulatione, & bona intentione recedere debent scientes, quia Beati, qui persecutionem patiuntur, propter iustitiam.* Etenim æternæ damnationis pœnam incurrit Prædicator, qui semen Diuini Verbi non spargit, vt inquit *tex. in cap. dispensatio d. dist. 43.* ità decernens: *Dispensatio est nobis cœlestis seminis iniuncta, va si non sparserimus. Quod cùm electionis vas formidet, & clamet, quantò magis cuilibet exiguo metuendum est. Proindè sicut non leue discrimen incūbit Pontificibus siluisse pro diuinitatis cultu, & Ecclesiæ correctione, quod cōgruit; ita his (quod absit) non mediocre periculum est, qui cum debeant parere, despiciunt.*

6 Illud autem valdè aduertere debent Prædicatores, qui prædicationis munere funguntur, quod habetur ex *Diu. Ambr. ser. 2. in Psal. 118. vers. Abscōdi eloquia tua;* dum ait, Pariter quoque obseruare debet Sacerdos, vt indignis, & non intelligentibus secreta mysteria sua prædicatione referare incipiat. Qui enim ea docet, quæ ab Auditoribus nō valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, sed ad sui ostentationem facit. Vndè in expositione, *Beati immaculati,* dicitur, vitium est secreta mysteria vulgare indignis: quod fit, vel loquacitate incauta dum sine iudicio volat irreuocabile verbum, vel adulatione, vt ei placeat, cui secreta reuelat, vel iactatione scientiæ, vt plura scire videatur. In quibus omnibus profectò datur intelligi, quanta debeat esse discretio in prædicatione Sacerdotis: qua si fortè caruerit, tanquam torto naso Sacerdotalis officij iudicatur indignus.

7 Quo verò ad stipendium, & expensas Prædicatoris à quibus debeantur vltra ea, quæ suprà adnotauimus ex *Conc. Trid.* vide omninò *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 75. nu. 10. cum plurib. seq.* vbi *num. 20.* circa Prædicatores Regulares, inquit etiam, quòd decretum *Conc. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 4.* vbi habetur ne Regulares etiam in Ecclesijs suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumant, intelligendum esse de illo tempore, & hora, qua Episcopus prædicare voluerit, aut coram se facere solemniter prædicare, non autem aliàs, ne sibi ipsi contrarie videatur, dum primò scilicèt *sess. 5. de reformat. cap. 2.* concedit, Prædicatores Regulares prædictos in Ecclesijs suorum Ordinum cum sola Episcoporum benedictione posse prædicare; etiam non habita expressa licentia.

Episcopi qualiter peccent in beneficijs conferendis.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1. *Quibus modis Episcopi peccare possint.*
2. *Si ex indigni promotione aliquod damnum proueniat Ecclesiæ veniet ei restituendum ab erectoribus ex debito iustitiæ.*
3. *Potest prætermitti electio dignissimi, vt dignior eligatur, omisso digno, si aliter electio non fieret.*
4. *In beneficiorum collatione peccant Episcopi, si ea conferant illegitimis, quamuis aliàs dignis, & idoneis.*
5. *Non potest Episcopus dispensare cum illegitimis, vt in Ecclesia eorum patris beneficium obtinere possint.*
6. *Peccant etiam Episcopi, si beneficium conferant excommunicato, suspenso, siue interdicto antè absolutionem.*

An

An sit valida prouisio facta à Papa, vel eius legato in fauorem excommunicati, cum clausula absolutionis à censuris, ad effectum gratia dumtaxat consequendum.

7 *Plura beneficia præsertim Curata, si vni, & eidem conferant Episcopi, peccant.*

An peccent si ratione tantum consanguinitatis alicui conferant beneficium.

8 *Clericis coniugatis si Episcopi beneficia conferant, peccant, incapaces enim sunt beneficiorum Ecclesiasticorum tales Clerici.*

1 IN hac re recolenda sunt, quæ supra adnotauimus *disp.4.sec.7. & 8. & disp.5 sec.2. 3. & 4.* Possunt igitur Episcopi peccare, primò in collatione beneficiorum conferendo illa, vel indignis, vel dignis, omissis dignioribus, iuxta ea, quæ cumulauimus *d. disp. 4. sec. 8.* Quibus adde *Conc.Trid.sess 24 c.18.de reform.& c.1.* ità se habens: *Omnes verò, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcunque ius quacunque ratione à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in ijs pro præsenti temporum ratione innouando hortatur, & monet: vt in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem vtilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promouere studeãt, eosque alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare; nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium sugestionibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint, &c.* Ex quibus *Concilij* verbis colligitur primò, quòd eligere bonos Pastores cedit in maximam vtilitatem Ecclesiæ, & Dei gloriam. Secundò, quòd eligentes, seu præficientes indignos, dicuntur alienis peccatis cõmunicare. Tertiò, quod mortaliter peccat non solùm, qui præficit indignum; sed etiam qui præficit dignum, omisso digniori. Quartò, quòd beneficia non sunt conferenda precibus, humano affectu, vel sugestionibus ambientium. Quintò, vt in ipsis beneficijs cõferendis habeatur ratio meritorum eorum, qui sunt præficiendi: aliàs conferens mortaliter peccat; quia beneficia instituta sunt, vt præmia præficiendorũ: & propterea ex iustitia debentur dignioribus, vt ostendimus *d.sec 8.* Quibus adde, quæ dicemus infra, *disp.15.sec.33 vers. Quartò peccant.*

2 Imò si ex electione, seu promotione indigni aliquod damnum proueniat Ecclesiæ ex debito iustitiæ venit ei reficiendum ab Electoribus, seu præficientibus; quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur: secus autem dicendum est, si ex electione digni, omisso digniori, detrimentum aliquod patiatur Ecclesia; quoniam tunc Electores non obligantur illud reficere, vt habetur ex *Couar. in regula peccatum, p.2. §.7 num 2. Reginal.lib.30. sua prax. num.196* quos refert, & sequitur *Molfes.par.1. suæ summ.tr.6.cap.6.num.64.* Est tamen verum, quòd ipse *Molfes. num 65. & seq.* ex communi putat *Concil.Trid.* loqui de beneficijs curatis: & propterea, id quod diximus locum sibi vendicare in beneficijs animarum curam annexam habentibus dumtaxat; nisi beneficium simplex ex sua institutione fundatum esset, cum speciali pacto, vt non conferatur, nisi dignioribus: aut beneficium conferatur per concursum: vel denique tractaretur de electione Prælatorum Regularium; quia his casibus non potest citra lethalem culpam præferri dignus digniori. Potest tamen prætermitti electio dignissimi, vt eligatur dignior, omisso digno, si aliter non fieret

3 electio, vt suprà adnotauimus *d. sec.8.* & habetur ex *Molfes. loco citato*, post *Vasq. & alios, num.72. & 73.* vbi *num.74.75. & plur.seq.* id limitat in electionibus ad beneficia simplicia, vel etiam curata faciendis de ijs, qui sunt de gremio Ecclesiæ; quoniam tunc satis est si eligatur dignus: quod quidem procedit præcipuè vbi beneficium est fundatum, vt detur aliquibus de tali familia: vel quando dignitas melioris parum excederet, aut cum minus digno cõcurrerent aliquæ circumstantiæ publicæ vtilitatis, pietatis, vel misericordiæ; vel quia non potest haberi dignior. Quis autem dicatur dignior declarauimus supra *d sec.8.*

4 Secundò Episcopi peccant in collatione beneficiorum, si illegitimis ea conferant, quamuis aliàs digni, ac idonei sint: & hoc etiam si legitimati sint per rescriptum Principis: siquidem legitimati per rescriptum Principis non sunt legitimi ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, cũ ad beneficia Ecclesiastica solus Romanus Pontifex legitimandi facultatem sibi reseruauerit, vt habetur ex *Azor.p.2 instit. moral.lib.6.c.3. q.21. & seq. Garz. p.7 de benefic.c 2. Vasq.eod. tr.c.3.§.1.dub.3. & Molfes.p.1.suæ summ.tr.6. c.7.num.17.* vbi *num.18* id limitat, si eiusmodi illegitimi sint probatæ vitæ: nam tunc potest Episcopus cum illis dispensare, vt promoueantur ad minores ordines, & vnum possint habere beneficium simplex, cui annexa non sit cura animarum; nisi adesset statutum in contrarium in aliqua Ecclesia iuratum, & approbatum à

5 Romano Pontifice. Idem dicendum est de filijs illegitimis volentibus obtinere beneficium in Ecclesia patris eorum: nam cum ijs non potest Episcopus dispensare, vt est *tex in c.cum decorem, de fil.presbyt. Garz.d.p 7.c.3.numer.6. & Molfes.loco citato, num.19. & 20.* contra *Angel. Sylu.* & alios contrarium sentientes, post mortem patris. Quod verum esse putat, idem *Garz.* ibi, vt non solùm immediatè, sed etiam mediatè excludatur filius illegitimus à beneficio paterno: aut in eadem Ecclesia, in qua pater beneficium habet: item à pensione, quam in eodem beneficio, vel in eadem Ecclesia obtinebat pater, etiam si filij illegitimi procreati fuerint antequam pater eorum esset Clericus. Imò hoc idem dicendum esset, si dispensati fuerint ad ordines: quoniam legitimatus ad ordines nõ censetur dispensatus ad beneficia; sicut dispensatus ad vnum beneficium nominatim, non cẽsetur dispensatus ad aliud; nisi dispensatus esset à Romano Pontifice ad obtinendum beneficiũ vagum, vt rectè docet *Vasq. d. §.1. dub.5.& Molfes.vbi supra, num.21.*

6 Tertiò peccant Episcopi in collatione beneficiorum, si ea conferant excommunicato, suspenso, aut interdicto antè absolutionem: nam quamuis eiusmodi personæ essent, aliàs idoneæ, ac dignæ; nihilominus donec censura sunt alligatæ, sunt indignæ, & collatio eis facta est irrita,

ta, vt habetur ex *Garz. loco citato num.* 14. sufficit tamen absolutio ad effectum consequendi beneficium dumtaxat, nisi excommunicatio esset reseruata, à qua nō possent absoluere Episcopi, vt habetur ex eodem *Garz. p. 7. c. 13. nu. 71. & seq. tom. 2.* Prouisio autem facta in fauorem excommunicati à Papa, vel Legato cum clausula absolutionis à censuris ad effectum gratiæ, dumtaxat consequendum, in litteris Apostolicis apponi solita, per illa verba, teque à quibusuis, &c. est simpliciter valida, cum facultatem habeant absoluendi à quibuscunque censuris: verum huiusmodi clausula non prodest Insordescentibus: nec sic absolutus poterit celebrare, nec Diuinis interesse, nec alia facere: nec facit fructus suos beneficij collati, vt latè *Garz. loco citato, num. 59. cum plur. seq.* vbi etiam *nu. 79.* inquit, quod eiusmodi absolutio non prodest excommunicato, si Episcopus scienter eo modo absolutionem impenderit. Quod tamen quomodo procedat, latissimè ipse *Garz.* declarat, clausulam illam sufficienter explicans.

7 Quartò peccant Episcopi, si plura beneficia, præsertim curata, ac incompatibilia vni, & eidem personæ conferant, vt in *Conc. Trid. sess. 24. cap. 17.* Quibus adde, quæ supra cumulauimus *disp. 4. sec. 7.* vbi de hac re latè tractauimus, etiam quoad alia beneficia, quæ curata non sunt, & exigunt residentiam.

Quintò peccant Episcopi, si ratione consanguinitatis tantùm alicui beneficium conferant, iuxtà ea, quæ habentur in *Conc. Trid. sess. 25. cap. 1.*

8 Sextò peccant Episcopi in conferendis beneficijs Clericis, qui vxorem duxerunt: siquidem Clerici coniugati sunt incapaces beneficiorum Ecclesiasticorum, & non nisi stipendiū habere possunt in aliqua Ecclesia sine titulo, vt in *cap. 1. de Cler. coniug.* Et quamuis aliqui velint, posse cum illis dispensare Episcopum ad obtinendum beneficium simplex, quando beneficium exigit tantùm exercitium minorum ordinum, nec adsit Clericus, qui eo fungi possit officio, iuxta ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. c. 17.* nihilominus *Molfes. post alios p. 1. sua summ. tr. 6. c. 7. num. 27.* tutius esse ait in omni casu obtinere dispensationem à Summo Pontifice.

An Episcopi peccent testamenta condentes.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Multipliciter disputari potest hac cōtrouersia.*

2 *Episcopi, ex Clericis regularibus creati, aut ex Monachis citra culpam testamentum condere non possunt.*

An eximatur ab obligatione trium votorum Episcopus ex regularibus, & Monachis factus.

3 *Episcopus Religiosus, licet in morte disponere non valeat de bonis, quocunque titulo acquisitis, in vita tamen disponere potest, sicut quilibet Episcopus, aut beneficiarius Sacularis.*

4 *Episcopus Religiosus, & quilibet Regularis quamuis testamentum condere non possunt, testamentum tamen ante professionem conditum, valent reuocare.*

5 *De licentia Sum. Pontificis potest Episcopus Religiosus testari, & in morte disponere.*

6 *Non est necesse, vt Episcopus Religiosus pro obtinenda dispensatione testandi exprimat duplex impedimentum, Religionis scilicet, & Episcopatus, & quando.*

An expiret licentia testandi Episcopis concessa morte Pontificis.

7 *In concessionibus gratiosis non finiuntur morte concedentis.*

8 *Testamētum tunc dicitur cum effectu celebratum, quando morte confirmatur.*

9 *Episcopi creati ex Clericis Sacularibus, de bonis intuitu suarum Ecclesiarum testari nequeunt absque Rom. Pontificis licentia.*

10 *Contraria consuetudo in hoc omnino improbatur.*

11 *Episcopi de bonis, intuitu Ecclesia acquisitis disponere nequeunt, siuè quasita sint verè, siue præsumptiuè.*

12 *Omnes alij beneficiarij de bonis, intuitu Ecclesia acquisitis disponere nequeunt.*

13 *Beneficiarij, & si nequeant de his bonis testamentum condere, possunt tamen per viam eleemosyna aliquam moderatam donationem facere.*

14 *Beneficiarij Sacu lares, qui Episcopi non sunt, possunt de bonis intuitu Ecclesia quasitis testari, & quomodocunque disponere, vbi laudabilis, & rationabilis extaret consuetudo testandi à beneficiarijs de huiusmodi rebus. Qua consuetudo vigit in Hyspania.*

15 *Hac testandi consuetudo, licet in Episcopis improbetur, si tamen noua proponatur causa, ex qua rationabilis fiat, etiam in Episcopis induci poterit.*

16 *Episcopi, ex Clericis Sacularibus creati, ex bonis aliunde quasitis, quam Ecclesia intuitu, ad libitum disponere possunt, tam in vita, quam in morte.*

17 *Non solum si bona patrimonialia sint, et aliàs donata, sed etiam si sint suo labore, & industria quasita, licet ratione Ordinis, non tamen pratextu Episcopatus, vel bonorum Ecclesia possunt Episcopi, alijque beneficiati ad libitum disponere.*

18 *Episcopi, & cateri beneficiarij, & si de pradictis bonis ad libitum possint disponère, nequeant tamen citra culpam prædicta bona conseruata, & quesita intuitu Ecclesia in vsus profanos expendere.*

19 *Nemo cogitur proprijs militare stipendijs.*

1 AD tituli explicationem est adnot. quòd hęc controuersia potest disputari multipliciter, primò de Episcopis ex Clericis Sæcularibus creatis: Secundò de Episcopis, ex Clericis Regularibus, seu ex Monachis factis: Tertiò disputari potest de bonis, de quibus volunt Episcopi testari, an patrimonialia sint, an eis donata, aut quouis alio modo comparata, an ex fructibus eorum Ecclesiarum acquisita, vel tandem mixta. De his omnibus in hac sectione breuiter agemus, rem ipsam totam per sequentes conclusiones determinantes. Pro eiusdem rei determinatione sit igitur.

PRI-

PRIMA CONCLVSIO.

2 Episcopi ex Clericis Regularibus, aut ex Monachis creati non possunt citra culpam testamentum condere, siue velint disponere de bonis patrimonialibus, donatis, aut quocunque alio titulo sibi prouentis; siue velint disponere de bonis ex fructibus earum Ecclesiarum acquisitis. Hæc conclusio est communis, quam post alios probat *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg.* 114. *num.* 29. Etenim Episcopus ex Regularibus, & Monachis factus non eximitur ab obligatione trium votorum: & propterea non potest habere proprium, cùm arbitrium proprium subiugarint alterius ditioni, vt in *c. quorundam de elect. in 6.* Vndè quicquid acquirit, suæ Ecclesiæ acquirit cum sola administratione, vt in *cap. statum*, 18. *q.* 1. *in fine, c. cùm olim, il* 2. *de priuil. Glosa in cap. quia tua*, 12. *q.* 1. *in princ. Imola in c.* 1. *col.* 7. *de testam. Graff. p.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 58. *num.* 10. 11. & 12. *Azor. to.* 1. *instit. moral. lib.* 12. *cap.* 10. *q.* 6. *Nauar. com.* 4. *de Regular. nu.* 6. *Eman. tom* 2. *q.* 58. *ar.* 6. & *tom.* 3. *q.* 69. *ar.* 4. & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Barb. loco citato*, & *num.* 20. vbi id ampliat, etiam si in dubio essemus: & limitat, nisi constet alteri voluisse acquirere, pro qua re allegat *Roc. in vna Vercellen. donat.* 28. *Iunij* 1610. coram Cardinali Ludouisio, posteà Sum. Pontifice. Administratio autem morte finitur, ex qua testamentum incipit valere: ergò tali Episcopo non est integrum disponere post mortem, quod fit per testamentum, vt habetur ex eodem *Barb. ibidem, num.* 21.

3 Limitatur tamen hæc conclusio, vt Episcopus Religiosus, licet non possit disponere in morte de bonis quocunque titulo acquisitis; nihilominus in vita potest de illis disponere, sicut quilibet Episcopus, aut beneficiarius Sæcularis. Ità *Cardin in Clem.* 2. *vers. Sed, & tales, not.* 1. *de vit. & honest. Cler. Nauar. de red. Eccles. q.* 1. *num.* 81. *in* 1. *edit. monitu* 8. & *cons.* 70. *num.* 4. *sub tit. de Regular. in antiq. Rot. dec.* 216. *num.* 13. *p* 2. *in nouiss. Graff. p.* 1. *Suar. dec. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 43. & alij apud *Barb. loc. cit. num.* 21.

4 Secundò limitatur, vt quamuis Episcopus Religiosus, sicut, & Religiosus beneficiatius non possint disponere, nec testamentum condere in morte, vt supra ostendimus; possunt tamen testamentum conditum ante professionem reuocare, vt habetur ex *Genuen. in pract. Eccl. q.* 263. *num.* 4. quem refert, idem *Barb. loco cit.* paulò suprà relato.

5 Tertiò limitatur, vt Episcopus Religiosus de licentia Rom. Pontificis possit testari, & in morte disponere. Ita in praxi seruari testatur, *Nauar.* cum alijs, quos allegat in *c. non dicatis, à num.* 57. 12. *q.* 1. *Azor. p.* 1. *inst. moral lib.* 12 *c.* 9 *q vltima, Sanch. de precep. Dial. lib.* 7. *cap.* 8. *à num* 4. *tom.* 2. & alij apud *Barb. vbi supra* 23. Non tamen arbitror posse Romanum Pontificem concedere eiusmodi licentiam, citra culpam, si nulla adsit rationabilis causa concedendi eiusmodi licentiam, cum non valeat citra culpam absque iusta, ac rationabili causa dispensare, prætertim in iure Diuino, quo iure est obseruantia voti, vt patet ex ijs, quæ suprà adnotauimus *disp.* 4. *sec.* 4. Non enim Episcopi, & beneficiarij Religiosi liberi efficiuntur à tribus votis substantialibus, vt supra diximus. Imò peccant, si non deferant habitum Religionis; quoniam per supradictam rationem Episcopus, & beneficiarius ex Religiosis promoti, adhuc remanent Religiosi, qui tales dicuntur, maximè per tria vota substantialia, quæ emittunt.

6 Non tamen puto necesse esse, vt Episcopus Religiosus pro obtinenda dispensatione testandi, exprimat duplex impedimentum, dicens se esse Religiosum, & Episcopum; nisi in casu, quo talis Episcopus vellet testari de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ; atque ideò si vellet de omnibus patrimonialibus, vel propria industria acquisitis per testamentum disponere, satis erit explicare, se esse Religiosum; siquidem huic testandi facultati non Episcopalis status, sed solus Religiosus obstat, vt rectè docet *Sanch. lib.* 6. *Decal. cap.* 6. *num.* 11. *Couar. in cap. cum ex officij, num.* 8. *de testam.* & *Barb. d. alleg.* 114. *num.* 24. vbi etiam *num.* 25. contra non nullos defendit, quòd licentia testandi à Rom. Pontifice Prælatis concessa, morte Pontificis, re integra non expirat, vt habetur etiã ex *Sanch. lib.* 8. *de matr. disp.* 28 *num.* 82. & ita fuit decisum in *Rot. Rom.* in vna Placentina facultatis testandi 24. Ianuar 1578. coram R.P.D. de Rub. & testatur *Aloys. Ricc. in praxi aurea resol.* 386. Et idem dicendum putant de Episcopo, qui vigo-

7 re facultatis testandi vellet primum testamentum reuocare, & condere secundum. Etenim in concessionibus gratiosis, prout distinguuntur à litteris iustitiæ, regula est, vt non finiantur morte concedentis, vt in *l. vlt. ff. de constit. Princ.* & *cap. super gratia, de offic. deleg.* Vndè concludunt, vt licet concedens facultatem testãdi huiusmodi Episcopis moriatur, adeò dicta facultas non expirat, vt testamentum semel factum possit eius vigore reuocare, & nouum cõdere toties, quoties, voluerint. Horum fundamentum illud potissimum esse ait, idem *Barb. loco citato, num.* 26. quòd verba cuiuscunque dispositionis, licèt maximè odiosæ in dubio cũ effectu sunt intelligenda, *arg. tex in c. relatum,* 4. *ver. Cùm igitur. de Cler. non resid.* iunctis ijs, quæ habentur ex *Felino in c. inter cæteras, nu.* 8. *de rescr.* & *Hyppolito in l. qui falsam, nu* 84 *ff. de fals.* At testamentum tunc dicitur cum ef-

8 fectu celebratum, quando morte confirmatur, et immobile perseuerat, vt in *c. cùm Martha, de celebr. Miss.* atque ideò non primum, sed secundum, cum quo testator moritur, dicitur cum effectu testamentum. Plura alia cumulat *Barb. ibidem, num.* 27. *cum plur. seq.* qui probat idem dicendum esse in donatione causa mortis: & quæ de Episcopis Religiosis egimus, extendit etiam ad beneficiarios Religiosos, hi enim non possunt, nisi viuentes aliquid moderatè donare: aliàs si immoderatas donationes facerent in egritudine maximè, etiam sub prætextu eleemosynæ, tales donationes non essent citra suspicionem fraudis.

SECVNDA CONCLVSIO.

9 EPiscopi ex Clericis Sæcularibus creati, de bonis intuitu earum Ecclesiarum acquisitis citra culpam non possunt testari absque Romani Pontificis facultate. Hæc conclusio est communis, & patet ex *tex.in c.præsenti de offic. ordin.in 6.de elect.in 6 c.quia sæpe,c.Episcopus 12.q.1.& Clem.statutum,de elect.* cùm alijs relatis à *Barb de offic.et potest.Episc.allegat.*114. *num.* 5. qui ait, id esse interdictum supradictis Episcopis non ex eo, quòd non comparent dominium bonorum intuitu Ecclesiarum comparatorum; quoniam d.ctorum bonorum dominium comparant; sed ex pura dispositione iuris Canonici. Nec valet argumentum, non potest testari, vel non potest alienare; ergo non est dominus, vt in *l. non ideò minus, ff. de retinend.l. penul.& per totum, Cod.qui testam facere poss. & in inst. quib.non est permissum facere testam. per totum*.

10 Ampliatur hæc conclusio primò, vt adeò Episcopi de bonis acquisitis intuitu Ecclesiarum non possint testari, vt cõtraria consuetudo omninò improbetur, vt in *d. c. quia sæpè, & in d. Clem. statutum*.

11 Secundò ampliatur, vt Episcopi de bonis intuitu Episcopatus quæsitis non possint disponere, siuè quæsita sint verè, siuè præsumptiuè, vt per *Barb.d.alleg.*114.*num.9.cum plur.seq* vbi latè declarat, quando censeantur bona intuitu Ecclesiæ acquisita. Et distinguit, quòd aut constat, Episcopum bona tempore suæ promotionis: aut constat, non habuisse: aut sumus in dubio. Primò casu non præsumuntur quæsita intuitu Ecclesiæ, cùm præsumatur pro possessore. Secundò verò casu, præsumuntur quæsita intuitu Ecclesiæ. Et idem dicendum esse probat tertiò casu; nisi constet de tenuitate beneficij, & diuitijs Clerici in Episcopum promoti.

12 Tertiò ampliatur eadem conclusio, vt locum habeat in omnibus alijs beneficiarijs, vt patet ex iuribus supra relatis, & rectè declarat *Barb. d. alleg.*114. *num.*8. & infrà latius dicemus *limit.* 2.

13 Sic ampliata, limitatur dicta conclusio, vt quamuis Beneficiarij non possint de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testamenta condere; possunt tamen aliquam moderatam donationẽ de illis facere, non per viam vltimæ voluntatis, ac donationis causæ mortis; sed per viam eleemosynæ. vt in *cap adhac, vers.Viuentes, de testam.* dixi, *Moderatam donationem,* quia immoderatas donationes de dictis bonis facere non valent, citra præsumptionem fraudis, vt in *d.cap.adhac*,& latè *Barb.loc.cit.num.*35.

14 Secundò limitatur, vt licet Episcopi, de quibus agitur, non possint de bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis testari, non obstante quacumque consuetudine; nihilominus beneficiarij Sæculares, qui Episcopi non sunt, possunt testari, & causa mortis disponere quocumque modo, etiam de bonis quæsitis intuitu Ecclesiarum, si alicubi extaret laudabilis, ac rationabilis consuetudo testandi à beneficiarijs de eiusmodi rebus. Etenim, quamuis in Episcopis talis consuetudo reprobetur, vt supra ostendimus *ampl.*1.in beneficiarijs autem, Episcopis inferioribus expresse approbatur, vt in *d.c præsenti,de offic.ordinar.* Et hanc consuetudinem testandi habere beneficiarios Episcopis inferiores in Hispania: & illis ab intestato consanguineis succedendi, etiam bonis intuitu Ecclesiarum acquisitis, testatur *Couar.in cap.cum ex officij,num 9.de testam.Nauar.in Man cap* 25.*num.*129. *Aloys. Ricc. in collect. decis.p.*5 *collect.*1718.& alij, quos refert *Barb. d. alleg.*114. *num.*6.7.*&* 8. vbi *d.num.*6. id limitat, nisi dicta bona comparata sint sub nomine, & ad opus Ecclesiæ. Est

15 tamen verum, quòd licet in Episcopis talis consuetudo improbetur; si tamen noua causa proponatur, ex qua rationabilis fiat consuetudo, etiam in Episcopis, tunc consuetudo testandi posset induci, etiam quoad Episcopos: nam, etsi valdè sit controuersum inter Doctores, an noua consuetudo, valeat introduci, quando per legem aliquam in specie reprobata reperitur, verior, ac magis recepta est sententia eorum, qui tenent partem negatiuam regulariter; nisi noua causa proponatur, ex qua rationabilis reddatur: in casu autem nostro talis noua testandi consuetudo, quoad Episcopos de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, non est adhuc introducta, nec introducetur; quoniam numquam extitit, nec extare potest rationabilis causa eam introducendi. Ita *Barb.loco citato, num.*8. vbi *n* 16. quæ dixit de supradictis Episcopis extendit ad Episcopos translatos.

TERTIA CONCLVSIO.

16 EPiscopi ex Sæcularibus Clericis creati de bonis aliunde acquisitis, quàm intuitu Episcopatus, possunt ad libitum testari, atque ideò ad libitum disponere, tam in vita, quàm in morte, itaut de illis possit etiam maioratum facere, citra omnem Rom.Pontificis licentiam. Hæc conclusio est communis, quam tenent *Mart.de iurisd.p* 4.*casu* 24.*num.*3.*Cardoso in praxi iudic.vers.Episcopus,num.*55. *Barb.de potest.Episc.alleg* 114.*num* 9.& alij. Probatur, quoniam Episcopi ex Clericis Sæcularibus creati habent dominium dictorum bonorum, & nullo iure eis prohibetur disponere de eiusmodi bonis in vita, nec in morte: ergo cum nulla lege prohibeantur, possunt citra omnem culpã disponere, & de ipsis testari. Tantò fortiùs, quoniam Episcopi Sæculares acquirunt dominium fructuum bonorum, quos acquirunt etiã intuitu Ecclesiarum, sicut omnes alij beneficiarij, itaut si beneficiarij vanè, ac malè consumentes fructus beneficiorum, non teneantur ad restitutionem, quamuis peccent mortaliter, non contra iustitiam, sed contra charitatem, seu misericordiam, si in notabili quantitate id facerẽt, & excessus esset magnus, vt post alios probat, idem *Barb. loco citato, sub num.* 4. vbi *num.*5. addit quoque, quòd Episcopi, & beneficiarij Sæculares in tantum prohibentur testari de bonis intuitu Ecclesiæ quæsitis, in quantum ipsis est ex lege Canonica inhibitum: alias, vt Episcopi, & beneficiarij Sæculares possent etiam de huiusmodi bonis ad libitum disponere.

17 Ampliatur hæc conclusio, vt Episcopi, & beneficia-

neficiarij ad eorum libitum testari, & disponere valeant de supradictis bonis aliundè quæsitis, quam intuitu Ecclesiarum, non solum si patrimonialia sint, & aliàs donata; verum etiam acquisita suo labore, & industria, licèt ratione ordinis, non tamen prætextu Episcopatus, vel bonorum Ecclesiæ; qualia sunt, quæ Episcopus acquisiuit, vt Vice Rex, vel ab illis capit, qui ad ordines promouentur, stipendium, & illud, quod Cardinalés accipiunt à Rom. Pontifice ratione Cardinalitij galeri, vt per *Doctor.* communiter in *auth. licentiam, C. de Episc. & Cler. Conar. in cap. 1. de testam. num. 11. Nauar. de redit. q. 1. monito 19 num. 1. Clar. §. testamentū, q. 27. num. 3. Molina lib. 2. cap. 10 num. 27* & alios, quos refert, & sequitur, idem *Barb. dict. alleg. 114. sub num. 10.* vbi *num 11.* quoque *cum plurib. seq.* latè declarat, quando bona censeantur intuitu Ecclesiæ acquisita: & tandem monet, vt in ea re omnis dubietas tollatur, vt debeat Episcopus tempore, quo Episcopatum consequitur, inuentarium illarum rerum facere, quas ipse ex patrimonio, vel alio titulo cōparauit, vt in *c. de Syracusana, 28. d.* aliàs præsumptio est contra illum.

18 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt quāuis Episcopi, & beneficiarij possint testari, & ad libitum disponere de supra relatis bonis, nō intuitu Ecclesiarum acquisitis; nihilominus ea habentes etiam si patrimonialia sint non possunt citra culpam conseruare, & redditus Ecclesiasticos in vsus profanos expendere, vt habetur ex *Dec. in c. Episcopus, num. 6.* vbi etiam *Barbat. de praben. Conar. in c. 1. num. 2. de testam Syl. in summ. ver. Simonia, q. 16. Adrian. in 4. tit. de restit. q. 23. Palud. ibidem, d. 34 q 3. Maiore d. 24 q 21.* & ex alijs, & id per *tex in c. Clericos, 1 q. 2.* ex *D. Hieronymo*, ità se habēte: *Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum, & opibus suis sustentari possunt si quod pauperum est accipiunt. sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium. iudicium sibi manducant, & bibunt.* At hoc facit etiam *tex in cap. illi, qui 12. q 1.* Sed illa iura intelligit, *Glossa in d. cap. Cleros*, quando bona illa Ecclesiastica in malos vsus conuertunt: vel loqui, attento tempore antiquo, quo bona Ecclesiæ erant solùm destinata ad alendos pauperes Christianos, & Clericos egenos, vt post alios probat *Barb. d. alleg. 114. num 36. & 37.* qui properea contrariam sententiam putat esse probabiliorem, nempè quod beneficiarij possint bona, quæ non intuitu Ecclesiæ compararunt conseruare, & redditus Ecclesiast cos in vsus profanos expendere; dummodò in vsus malos non conuertant. Et hanc sententiam tenent *Innoc. Panor. & alij in d. cap Episcopus de præb. Menoch. de arbitr. casu 145. num. 5.* & alij, quos refert, & sequitur *Barb. loco citato*. Etenim illud licitè expenditur, quod licitè percipitur: redditus autem Ecclesiæ licitè percipiuntur à beneficiarijs, ergò licitè expenduntur. Ait enim *D. Paul. 1. ad Timoth. 5. Dignus est operarius mercede sua. Et Matth. 10. Dignus est*

19 *operarius cibo suo*. Adde, quòd nemo cogitur proprijs stipendijs militare, *cap. charitatem, in fine, 12. q. 2.* nec de proprio facere beneficiū, *cap. præcari, prope finem, ead. causa, & q.* Sed re vera prior sententia nobis videtur probabilior, pro qua vide, quæ infrà dicemus *disp. 11. sec. 3.*

Qualiter peccent Episcopi, circa vigilātiam, ac sollicitudinem adhibendam super oues sibi cōmissas. SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi negligentes in proprijs reformandis defectibus, peccant, circa vigilantiam adhibendam super oues sibi commissas.*
Et quare dicatur Episcopus.
2 *Non intelligat se esse Episcopum, qui vult præesse, & non prodesse.*
3 *Circa eandem vigilantiam peccant Episcopi si eorum familiarium mores negligant reformare.*
Referuntur verba Concil. Trid. *circa Episcopos, eorumque familiares.*
4 *Peccant quoque contra vigilantiam Episcopi si negligentes sint in malis extirpandis, maximè si notorij sint criminosi.*
5 *Verborum correptione, non verberibus Episcopus timeri debet.*
6 *Episcopi circa sollicitudinem peccant, ac vigilantiam super oues sibi commissas in proprijs Ecclesijs si non resideant.*
7 *Episcopi peccant si solliciti, & vigilantes non sint in ordinibus conferendis, & in multis alijs peccant, circa iurisdictionem exercendam.*

1 PEccant primò Episcopi circà vigilantiam, ac sollicitudinem adhibendam super oues sibi commissas, cùm negligentes sunt in reformandis proprijs defectibus. Siquidem integritas præsidentium, salus est subditorum, vt in *Conc. Trid. sess. 6. de reformat cap 1.* Dicitur enim Episcopatus Speculator, seu super intendens morum, ac vitæ aliorum, criminosos corrigens, indoctos instruens, calumniatores detestans, vt in *cap qui Episcopatum 8 q. 1. & c. Cleros, 21. d.* Vt igitur Episcopi eorum munus rectè adimpleant, oportet, vt morum reformationem à se ipsis in primis incipiant, si ea indigere conspexerint. Etenim, ait *Isidor lib. 3. de summ bon. cap 23.* Quod non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus seruit: impium est, enim arguere quidquam in alio, quod deprehendit in semetipso. Siquidem Episcopus non eligitur ad honores, & opes; sed ad opus, atque ideò, vt prosit, non autem, vt præsit. Hinc ait, *D. August.* de quo in *d. c. qui*

2 *Episcopatum 8 q 1.* Non intelligat se Episcopū esse, qui vult præesse, & non prodesse. Quomodo ergò talis Episcopus humilitatem docebit subditos: & Mundi contemptum si locum eminentem appetat, vt præsit, non autem, vt prosit? quin potius subditi videntes caput eleuatum, ipsi quoque eleuantur: & propterea non emulantur, vt alter alteri proficiat, sed vt alter alteri se se præficiat. Ob id *D. Gregor. Papa homil. 17.* in

in Luca 10.sic ait: *Tunc verè alijs rectè prædicamus, si dicta rebus, & exemplis ostendimus. Nullum puto, fratres carissimi, ab alijs maius præiudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionē posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad nostra quotidiè studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo cæteris prælati sumus ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum: Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* His adde, quæ paulò infra dicemus: & diximus suprà *sec.1.& disp.5.sec.6.*

3 Secundò peccant Episcopi circa vigilantiam, & sollicitudinem adhibendam super oues sibi commissas, si eorum familiarium mores negligant reformare: caueant eorum seruitio vti qui Dei serui non sunt: quia non potest homini esse fidelis, qui Deo infidelis existit: quocirca meritò *Concil.Trid.de reform.sess.25 cap.1.*de Episcopis, & eorum familiaribus loquens, sic ait: *Optandum est, vt ij, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sunt partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria versatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ Mundi sunt, sed animarum salutem, ac Cœlestem patriam cogitantes. Hæc cum ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse Sancta Synodus animaduertat, admonet Episcopos omnes, vt secum ea sæpè meditantes, factis etiā ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuū quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformes ostendant: in primis verò ita mores suos omnes componant, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concil. Carthaginensi non solùm iubet, vt Episcopi modesto supellectili & mensa, ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat quod à Sancto hoc instituto sit alienum: quodque nō simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.* His adde, quæ suprà adnotauimus *disp.5.sec.6* de peccatis Cardinalium agentes.

4 Tertiò peccant Episcopi si non inuigilent, & solliciti sint in corrigendis, ac extirpandis malis, maximè si notorij sint criminosi, quales sunt publici concubinarij, publici vsurarij, & his similes, iuxta ea, quæ decreta fuerunt ex *Conc.Trid.sess.6 de reform.cap.3.& sess.25 de reform. cap.* 14. & nos latius de hac re suprà egimus *sec.6. vers. Octauò peccant.* Etenim publicè interest, vt delicta puniantur, vt vnius pœna sit aliorum exemplum, vt in *l. ità vulneratus ff ad l. Aquil.* Et multò magis inuigilare debent Episcopi, ne qui publicè, & notoriè criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse, vt patet ex eodem *Conc. Trid. sess.22 in decreto de obs. & euit.in celebr. Missæ.* Est tamen verum, quòd Episcopi in corrigendis subditis se Pastores esse, non autem percussores considerent, vt illos tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque, vt prius hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint debitis eos pœnis coercere cogantur, vt habetur in ipso *Conc.Trid.sess.13.de re-*

5 *form cap.1.* Hinc *D.Gregor.* de quo in *cap.1.* verborum correptione, non verberibus timeri debere Episcopum, docens, ità inquit: *Quid autem de Episcopis, qui verberibus timeri volunt, dicant, benè fraternitas vestra nouit. Pastores enim facti sumus non percussores: & egregius prædicator dicit. Argue, obsecra, increpa in omni patiētia, & doctrina. Noua verò, ac inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Et alibi, non Prælatorum seueritatem, sed beneuolentiam erga subditos, maximè commendans, ait: *Licet plerumque accidat Sacerdotibus, quæ sunt reprehendenda; plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quàm seueritas: plus cohortatio, quàm comminatio: plus charitas, quàm potestas, cùm nemo nostrum sine reprehensione, aut sine peccato viuat. Nam si Dominus statim post trinam negationem Beatum Petrum Apostolum Præceptorem nostrum iudicasset, non tantùm ex eo fructum, sicut fecit recepisset: expectandi ergò, atque corrigendi magis Rectores Ecclesiæ, quàm statim iudicādi.*

6 Quartò peccant Episcopi, circa sollicitudinem, ac vigilantiam super oues sibi commissas si in proprijs Ecclesijs non resideant. Ait enim *Conc.Trid sess.6.de refor. cap.1.* monens Episcopos, Archiepiscopos, Primates, ac Patriarchas, vt attendentes sibi, & vniuerso gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, vigilent; sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant; atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à Supremo Iudice requirēdus, custodiæ minimè succumbant: cùm certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si Lupus oues comedit, & pastor nescit. His adde, quæ suprà adnotauimus *sec 7.disp.4.*

7 Quintò peccant Episcopi, si solliciti, ac vigilantes non sint in ordinibus conferendis, vt si non subditos ordinent citra litteras dimissorias proprij Episcopi, cùm exponant se periculo ordinandi indignos: si ordinent, qui de iure prohibentur, quales sunt bigami, legitimam ætatem non habentes, aut sufficienti litteratura carentes, & alij eiusmodi, de quibus supra, tractauimus *sec. 3. & 4.* Item Episcopi in multis peccant circa iurisdictionem exercendam, de quibus supra egimus, *sess.6.* peccant quoque si solliciti non sint, ac vigilantes in visitandis proprijs Diœcesibus, vt supra adnotauimus *sec. 7.* Item peccant si solliciti non sint in prædicationis munere exercendo, vt diximus supra *sec. 8.* In multis etiam peccant in beneficijs conferendis si vigilantes non sint in promouendis dignis, vel in præficiendo dignos dignioribus, vt sup. latè de hac re egimus *sec. 9.* & in alijs eiusmodi.

An

An Archiepiscopi, Primates, seu Patriarchæ peculiares aliquas culpas, vt tales sunt, contrahere possint; non autem, vt Episcopi sunt.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus vni Ciuitati præfertur, Archiepiscopus vni Prouinciæ, & Patriarcha, siue Primas pluribus Prouincijs.*
An differant inter se Primates, & Patriarchæ & quot verè, & propriè sint Patriarchæ.
2 *Archiepiscopi, vt tales sunt, peccare possunt multipliciter, & primò si in matrimonium coniungerent subditos suffraganeorum, aut licentiā darent illos coniungendi, & quare.*
Quid si in actu visitationis hanc expenderent licentiam.
3 *Peccant Archiepiscopi, si in causis subditorum suffraganeorum se intromittant in prima instantia.*
4 *Quamuis Archiepiscopus iurisdictionem non habeat in causis subditorum suffraganeorum prætextu cuiuscunque negligentiæ, potest tamen appellari ad Archiepiscopum ex huiusmodi capite.*
5 *Archiepiscopi si dispensent in votis, vt iuramentis subditorum suffraganeorum, peccant, & quare.*
6 *Archiepiscopus dum actu visitat, potest cum subditis suffraganeorum dispensare in irregularitate occulta vigore Tridentini eosque absoluere à censuris latis à suffraganeis, potestque etiam dispensare cum ipsis suffraganeis.*
7 *Potest Archiepiscopus punire deuiantes à consuetudine Ecclesiæ Metropolitanæ.*
8 *Peccant Archiepiscopi si dispensent cum subditis suffraganeorum, vt matrimonium contrahant, non præmissis renunciationibus.*
9 *Peccant Archiepiscopi, si cognoscunt de causis criminalibus suorum Episcoporum suffraganeorum.*
10 *Peccant Archiepiscopi visitantes suffraganeorum Diœceses, causa non cognita in Concilio Prouinciali.*
11 *Visitando Diœceses suffraganeorum potest cum subditis dispensare in foro conscientiæ in pœnitentialibus.*
Quid si dispensatio sit debita ratione causæ, ac personæ.
12 *Peccant Archiepiscopi, si dispensent sine causa in decretis Synodi Prouincialis, & nulla est dispensatio: Et an Concilium Prouinciale sit supra Archiepiscopum.*
13 *Valida est dispensatio Archiepiscopi, vel Episcopi in Constitutionibus suæ Synodi Diœcesanæ.*
Et quid si Constitutiones prædictas iuramento firmauerint.
14 *Quæ dicta sunt de Archiepiscopis, dici quoque debent de Primatibus, & Patriarchis respectu suorum suffraganeorum, eorumdemque subditorum.*
15 *Papa est Summus Patriarcha, Princeps, & Pater omnium Patriarcharum.*

1 PRO determinatione huius difficultatis recolenda sunt, quæ suprà diximus in hac eadem *disp. ante sec.* 1. nempè, quòd Episcopus vni tantum præficitur Ciuitati: Archiepiscopus vni Prouinciæ; atque ideò pluribus Ciuitatibus: & Patriarcha pluribus Prouincijs, qui secundum *Glos. in c. vrbes, vers. Patriarchas*, 80. *d.* idem est, quod Primas, ità vt inter Primates, & Patriarchas vocalis tantum detur differentia; non autem realis, vt post alios *Barbos. de potest. Episcop. par.* 1. *de Episcopatuum diuis. tit.* 1 *cap.* 6. *num.* 7. quamuis idem *Barb.* ibidem, *num.* 8. arbitretur, quòd licet Primates quodammodo Patriarchæ possint appellari; nihilominus non omnes Primates verè sunt Patriarchæ, nec idem habent officium, eandemue auctoritatem: sed Patriarchæ verè, & propriè, ac principaliter sunt quatuor dumtaxat, nempè Antiochenus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, & Hierosolymitanus, vt in *c. antiqua, de priuileg.* siquidem repræsentant quatuor Euangelistas in Ecclesia Dei. Patriarchæ verò minus principales non dicuntur propriè Patriarchæ, sed verè, ac propriè appellantur Primates, quales sunt in Italia, Aquileiensis; in Anglia Cantuariensis, Bituricensis; in Gallia, Gādensis, & Lugdunensis; in Hispania, Toletanus, & Bracharensis: & hanc sententiam tanquam veriorem amplexi fuimus in nostris *Comment. in Bull. Cœna, lib.* 1. *cap* 5 *q.* 2. *num.* 4. Et licet *Barb.* ibidem velit, Patriarchas, & Primates non habere idem officium, ac auctoritatem; tamen in hoc cōueniūt, quod tam Patriarcha, quā Primates cognoscunt de Episcoporum negotijs, salua in omnibus Apostolica auctoritate, vt colligitur ex *d. c. Vrbes, d.* 80. in illis verbis: *In ipsis verò Vrbibus post Christi Aduentum, Apostoli, & successores eorum, Patriarchas, vel Primates posuerunt, ad quos Episcoporum negotia (salua in omnibus Apostolica auctoritate) & maiores causæ post Apostolicam Sedem sunt referendæ.*

2 His adnotatis, respondetur ad hanc difficultatem affirmatiuè. Etenim Archiepiscopi, vt tales sunt, peccare possunt primò si coniungerent in matrimonium subditos suorum suffraganeorum, aut licentiam darēt illos coniungēdi. Etenim hanc facultatem ordinarij tantùm locorum habent, & eorum Parochi, vt in *Concil. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 1. At Archiepiscopus non est ordinarius, nec officio Parochi fungi potest in territorijs suffraganeorum: sed tantum est Iudex in causa appellationis, quando per appellationem deuoluitur ad ipsū, vt *cap. Pastoralis, de offic. ordin.* Est tamen verùm, quòd tempore visitationis Prouinciæ potest hanc licentiam Archiepiscopus concedere in terris suffraganeorum, vt habetur ex *Henriq. lib.* 10. *cap.* 3 *num.* 3. *Sanch. lib.* 3 *de matr. disp* 28 *num.* 7. & ex alijs, quos refert, & sequitur *Barb. de potest. Episcop alleg.* 32 *sub nu.* 125. vbi etiam ait, quòd ex quo Archiepiscopus est Iudex appellationis, vt supra diximus, casu quo nollet Episcopus licentiam concedere aliquibus ipsius subditis coniungendi in matrimonium;

monium; Archiepiscopus per appellationem ad eumdem deuoluta causa, potest dictam licentiam concedere, vt per *Sanch. loco citato*, & alios, quos ipse *Barb.* allegat.

3 Secundò peccant Archiepiscopi intromittentes se in prima instantia in causis subditorũ suffraganeorum. Non enim in prima instantia per viam simplicis querelæ potest adiri Archiepiscopũ, etiam propter negligentiam Episcopi: nec ad eum fit causarum deuolutio ex capite talis negligentiæ, nisi in casibus in iure expressis, cùm non ex rei natura proueniat, sed tantùm ex dispositione iuris Canonici. Siue agatur de Prælatorum negligentia in ijs, quæ pertinent ad iurisdictionem contentiosam; siue de negligentia Prælatorum in ijs, quæ pertinent ad iurisdictionem voluntariam, siue de negligentia Prælatorum, circa beneficiorum prouisionem, vt latè probat *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg.* 126. *à num.* 6. *& per totam*. Est tamen verum, quòd licet Archiepiscopus non habeat iurisdictionem cuiuscunque negligentię prętextu, circa causas pertinentes ad subditos suffraganeorum, vt supra diximus, & facit

4 *tex in cap. nullus Primas*, 9. *q.* 3. *cap.* 1. *de offic. legat. c. Pastoralis, de offic. ordin.* latè *Sanchez de matrim. lib.* 3. *disp.* 28. *num.* 4. *& Barb. loco citato*, vbi *num.* 8 *cum plurib. seq.* id ampliat, etiam si Episcopus ob excommunicationem in se latam impediatur vti Episcopali iurisdictione, vt in *cap.* 1. *de suppl. negl. Prælat. lib.* 6. Nihilominus ex capite eiusmodi negligentiæ appellari potest ad Archiepiscopum, atque ideò ad eum causa deuoluetur; sicque parti per negligentiam Episcopi lęsę iustitia per Archiepiscopum ministrari poterit, vt benè declarat, idem *Barb. d. alleg.* 126. *sub num.* 14.

5 Tertiò peccant Archiepiscopi dispensantes in votis, ac iuramentis suffraganeorum subditorum, cum nec ex vi muneris, nec iure speciali, nec ex consuetudine in eos habeant potestatem; licèt in foro contentioso sit ordinarius Iudex appellationum, vt supra diximus, & habetur ex *Soto lib.* 6. *de iust. & iure, q.* 4. *ar.* 3. *Sayro lib* 6. *Clau. Reg. cap* 11. *nu* 79. & ex alijs apud *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg.* 36. *num.* 20.

6 Verum tamen est, quod Archiepiscopus dum actu visitat Prouinciam potest in irregularitate occulta, vigore *Conc. Trid.* dispensare, cum subditis suffraganeorum, & absoluere à censuris, & suspensionibus occultis etiam Rom. Pôtifici reseruatis, & à censuris latis à suffraganeis, vel à Sede Apostolica, quando malitiosè, aut negligenter differunt absolutionem: vel quando ad illum fuit appellatum, & vocatæ fuerint partes. Item in actu visitationis non solùm potest dispensare cum subditis Episcoporum suffraganeorum, verum etiam cum ipsismet Episcopis suffraganeis dispensat in votis, & iuramentis, vt rectè declarat post alios *Barb. de potest. Episc. p.* 1. *tit.* 4 *num* 29. & contra *Suar.* tenet *Henriq.* & alij apud *Barb. ipsum alleg.* 39. *num.* 19 *eod. tract. de offic. & potest. Episc.* Imò Archiepiscopus cùm in Prouincia suam iurisdictionem exequitur, potest punire subditos suffraganei notorios iniuriantes sibi, nunciis, & familiæ suę, etiam si ob id sua iurisdictio non impediatur, in *cap. de pœn. in* 6. *Quar. in versic. Archiepiscopi auctoritas, vers.* 21. & ibi, *Prosper de August.* & alij apud *Barb. de potestat. Episc. p.* 1. *tit.* 4. *num.* 32. vbi etiam *num.* 33. *cum*

7 *plur seq.* addit, quòd Archiepiscopus potest punire deuiantes à Consuetudine Metropolitanæ Ecclesiæ in Diuinis officijs, vt in *cap. de ijs*, 12. *d. & Quar. vers. Archiepiscopi auctoritas*, qui ait, hodiè de hac re attendendas esse Constitutiones Pij V. super recitatione Romani Breuiarij, & Missalis. *Et num.* 35. probat, quod quando crimina sunt notoria potest Archiepiscopus punire subditos suffraganeos in tota Prouincia, vt in *c.* 1. §. *notoria, de censib. in* 6. *Quar. d. vers. Episcopi auctoritas, vers* 24. & alij: nec non id procedere etiam extra visitationem, vt per *Panor. in c. ex frequentibus, num.* 10. *de instit.* quod tamen verum esse, inquit *Genuen. in praxi Episc. c.* 70. *num.* 11. dummodò Episcopus non præuenerit in puniendo: sed fuerit negligens, vt per *Syl. vers. Archiepiscopus, nu.* 3. *in fine*.

8 Quartò peccant Archiepiscopi dispensantes cum subditis suorum suffraganeorum, vt possint matrimonium contrahere non præuijs denunciationibus, etiam si iusta causa sit dispensandi: quoniam nisi in causis appellationum, & alijs paucis à iure expressis, iurisdictionem in suffraganeos non habent, vt in *c. Pastoralis, de offic. ordin.* & nos sæpè diximus. Quibus adde, quæ habentur ex *Barb. d. alleg.* 32. *num* 34. *vbi num.* 35. *cum plur. seq.* latè tractat, an, & quando Episcopus vnius contrahentis possit, cum vtroque, etiam si sint diuersæ Diœcesis in denunciationibus dispensare, & enumerat iustas dispensandi causas.

9 Quintò peccant Archiepiscopi cognoscentes de causis criminalibus suorum Episcoporũ suffraganeorum: non enim hodiè causæ criminales Episcoporum ab alio cognosci possunt, quàm à Rom. Pontifice; nisi ob crimen, pro quo venit imponenda pœna depositionis, vt habetur in *Conc. Trid. sess.* 13. *de refor. cap.* 6. quo casu eorum causæ, etiam à Rom. Pontifice determinantur, vt colligitur ex *d. c.* 6. *&* 7. *& sess.* 24. *de reform. cap* 5. dixi, *De causis criminalibus*, quoniam de causis ciuilibus tantum suffraganeorum cognoscit indifferenter Archiepiscopus, etiam si subditus Episcopi conueniat Episcopum: siquidem conuenire eum debet coram Archiepiscopo, à quo appellatur ad Patriarcham: Secus autem dicendum si Episcopus ageret contra suum subditum; quoniam non conuenit, vt Episcopus conueniat eum coram Archiepiscopo, cùm Archiepiscopus non sit Iudex subditorum Episcopi: neque Episcopus debet esse Iudex in causa propria: & propterea eligendi sunt arbitri auctoritate iuris, & à sententia arbitrorum appellatur ad Papam, omisso medio, vt habetur ex *Gemin. in c. Romana*, 3 §. *ab Archidiaconis, sub num.* 4. *vers. Quare quare*, vbi etiam *Franch. sub num.* 4. *lim.* 4. *de appellat. in* 6. & ex alijs, quos refert, & sequitur *Barbos. de Archiepiscopali prast. tit.* 4 *nu.* 28.

10 Sextò peccant Archiepiscopi visitantes Diœceses suffraganeorum causa nō cognita, & probata in Concilio Prouinciali: id enim eis est prohibitũ, ex *Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 3. in illis verbis: *A Metropolitanis verò etiam*

post

post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur Cathedrales Ecclesiæ, neque Diœceses suorum Comprouincialium; nisi causa cognita, & probata in Conc. Prouinciali. Est tamen verum, quòd Archiepiscopi visitantes eorum Prouincias causa cognita, & probata, vt supra, habebunt easdem facultates, quas ante *Conc. Trid.* de iure habebant: & alia, quæ à Concilio Prouinciali in specie eis committerẽtur, vt habetur ex *Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. num. 9 in textu, & in commento, litt. Z. Sanch. in præcepta Decalogi, tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 6. in fin.* Et tunc visitando Diœceses suffraganeorum possunt dispensare in foro conscientiæ

11 in pœnitentialibus. Est tamen verum, quòd quando dispensatio est debita ratione causæ, ac personę, Archiepiscopus debet remittere ad suffraganeum eius subditum, vt dispenset cum eo, quo recusante, vel negligente ipse Archiepiscopus dispensabit, vt rectè declarat *Barb. de offic. & potest. Episc. par. 1. tit. 4. num. 50. & 51.* vbi etiam *num. 52.* probat, quod Archiepiscopus dum visitat, vt supra subditos suffraganei potest absoluere ab hæresi, & casibus concessis Episcopo in *Conc. Trid. sess. 24. c. 6.* siquidem tempore, quo visitat censetur illa Diœcesis tanquam sua, & habet in ea iurisdictionem Episcopalem Episcopo Superiorem. Quod tamen verum est, quoad forum pœnitentiæ, & quoad absolutionem à reseruatis, iuxtà ea, quæ habentur ex *Suar. de pœnit. disp. 30. sec. 2. num. 4. & de censur. disp. 41. sec. 2. num. 12.*

12 Septimò, peccant Archiepiscopi dispensantes in decretis Synodi Prouincialis sine causa: & nulla est dispensatio; quia licet aliter sit dicendum de dispensatione Sum. Pontificis in decretis Concilij Generalis; nihilominus nulliter dispensat Archiepiscopus in Decretis Synodi Prouincialis. Ratio autem diuersitatis hæc est, quia Conc. Generale non est supra Papam, & ad illud non appellatur à S. P. at Concilium Prouinciale est supra Archiepiscopum, & ab eo appellatur ad Conc. Prouinciale, tanquam ab inferiori ad Superiorem, vt docet *Card. in Clem. 1. §. quod etiam in interdictis, num. 1. not. 1.* vbi etiam *Anchr. numer. 5. not. 5. de sentent. excomm. & Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 34. num. 8. & 9.* cum alijs, quos allegat, vbi tamen *num. 3 & 4.* validam esse censet dispensationem Archiepiscopi in suæ Diœcesanæ

13 Synodi Constitutionibus, aut Episcopi in suæ Diœcesis statutis absque causa factam: quoniam hoc casu dicuntur dispensare in re propria mutando propriam voluntatem, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 25. num. 74. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 17. num. 33.* & ex alijs. Peccabunt tamen sine causa dispensantes, cùm faciant contra ius commune, ac Diuinum naturale, dictás, neminem à lege generali esse citra iustam causam eximendum, *c. cùm omnes, de constit. Nauar. in Man. prælud. 9. num. 15. Azor. p. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 15. q. 3. in fine.* Benè verum est, quod non dato scandalo, nec notabili aliorum damno, aut legis grauitate, ipse *Barbos.* post alios *d. num. 4.* putat, id esse culpam venialem dumtaxat. Quod tamen verum est, nisi Archiepiscopus, & Episcopus eorum constitutiones iureiurando firmauerint, cum secum dispensare nequeant in iuramento, vt per *Sayr. de censur. lib. 6. cap. 11. num. 11. Sanch. d. disp. 17. num. 31. & Barb. loco citato, num. 5.* vbi *num. 6. & 7.* idem dicendum putat, vbi constitutiones trãsierint in contractum in commodum alterius, aut auctoritate Pontificia fuerint confirmatæ; quoniam ex ea confirmatione gaudent auctoritate Papæ, ac reputantur illius leges, vt habetur ex *Sayr. loco citato, Azor. vbi supra, & Sanch. d. disp. 17. num. 31.*

14 Quæ diximus de Archiepiscopis, idem dicendum est de Primatibus, & Patriarchis respectu suorum suffraganeorum eorundemque subditorum, cùm militet eadem ratio: nam sicut Archiepiscopus habet suos Episcopos suffraganeos ita quoque Primates, & Patriarchæ. Est tamen verum, quòd Patriarcharum iurisdictio in omnes Archiepiscopos, & Episcopos suos ordinaria est, & suprema, qui considerant quæ Archiepiscopi, & Episcopi eorum in Prouincijs suis faciũt, & si quid reperiant secus, quã oporteat, factũ mutare possunt, ac disponere, vt sibi videbitur: siquidẽ Patriarcha est pater omnium, & illi filij eius; atque ideò præest Patriarcha his omnibus, qui sub eius potestate sunt; sicut Papa est; qui est Sũmus Patriarcha, caput, ac Prin-

15 ceps omnium Patriarcharum, vt declarat *Barbos. de offic. & potest. Episc. p. 1. tit. 2. c. 1. nu. 34.* vbi etiam *num. 35. & 36.* prætextu huius ordinariæ iurisdictionis inquit, quòd Patriarchæ prætextu huius ordinariæ iurisdictionis dispẽsare possunt cum Episcopo, vel alio beneficiorum collatore sibi subiecto, qui ob malam beneficiorum collationem fuerat à Concilio suspensus, *c. graue ad fin. de preben.* Item excommunicatos à suffraganeis suis absoluunt, licèt eis suffraganei absolutionẽ impendere nolint, vt in *c. ad reprimendam de offic. ordinar.*

De Vicarijs Generalibus Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, seu Primatuum, ac eorum culpis; vt facilius Confessarius discretus, & cautus esse debeat in audiendis eorum confessionibus.

DISPVT. VII.

SVMMARIVM.

1 *Vicarij Episcoporum alij sunt generales, alij verò specialiter dicuntur deputati.*
2 *Vicarius generalis, licet habeat ab Episcopo commissionem, multa tamen exercere nequit absque speciali commissione, & quæ.*
3 *Vicarij specialiter Deputati, qui nam dicantur.*
4 *Vicarij magistratuum, qui nam sint; Et in quibus peccare possunt Vicarij generales.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd supradictorum Prælatorum, de quibus agitur, Vicarij sunt in duplici differentia: quidam enim dicuntur Vicarij Generales, & quidam specialiter deputati. Generales Vicarij eo ipso, quod creantur

tur ordinariam habent iurisdictionem, non autem delegatam secundum veriorem, & magis receptam sententiam, ità vt eadem iurisdictio sit Vicarij, & Episcopi, & idem tribunal, atque ideò à Vicario non appellatur ad Episcopum, vt in *cap. 2. de consuet. in 6. Rebuff. in praxi Benefic. de Vicar. Episcop. Marta de iurisd. par. 2. cap. 8. num.* 4. & nos diximus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap 4. q. 2. num. 5. & 6.* quibus adde, quæ latè habentur ex *Barb. de offic. & potest. Episc. allegat. 54. à num 26. vsque ad num.* 47. vbi etiam, *num.* 48. *cum plurib. seq.* id ampliat, & limitat in multis casibus. Vi-
2 carius generalis licet generalem commissionē habeat ab Episcopo, tàm quoad temporalia, quam spiritualia, vt patet ex forma commissionis Vicarij prædicti, tradita per *Barb. loco citato, sub num.* 56. nihilominus multa ei interdicuntur exercere, nisi specialem habeat commissionem, vt ostendimus in dictis nostris *Commentarijs, lib. 3. § 2. q. 9 num. 5.* vbi tamen *nu 6.* id limitauimus, ni Episcopus in commissione Vicarij generalis expresserit aliquod ex his, quæ requirunt speciale mandatum, puta facultatem conferendi beneficia: & deindè fuerit subsecuta clausula generalis, nempè, & omnia alia faciendi, quæ per nos possumus; etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent speciale, vt per *Glos in cap. 2. verf. Committantur, de offic. Vicar.* Vicarij verò specialiter deputati di-
3 cuntur, qui ad hunc, vel illum actum tantùm specialiter constituti ab Episcopo in certa parte Diœcesis, vel ad certos actus: & isti non habēt iurisdictionem ordinariam; sed delegatam, nec faciunt idem Tribunal cum Episcopo, sed ab eis appellatur ad Episcopum, cùm à Delegato interponatur appellatio ad Delegantem, vt in *cap. penult.* & ibi *Doctores, de offic. Deleg. in 6.*
4 Dantur dèniqueVicarij Magistratuum, qui alio vocabulo appellantur vicegerentes, & sunt ordinarij, quales sunt Correctorum in Hispania, de quibus *Barb. d. alleg. 54. num.* 27. vbi etiam *num.* 126. probat qualiter Episcopus possit constituere duos Vicarios Generales. Possunt autem Vicarij Generales, vt tales sunt multipliciter peccare, nempè, circà iurisdictionem exercendam, circa dispensationes concedendas, circa visitationem faciendam, circa onera imponenda, & in multis alijs casibus, de quibus sigillatim per suas *sec.* breuiter agemus.

Vicarij Generales qualiter peccent, circa iurisdictionem exercendam. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Vicarij Episcoporum generales peccant, si cognoscant, quæ specialiter Episcopis commissa sunt.*

2 *Vicarius generalis Episcopi, haud dispensare potest in irregularitatibus, & absoluere à suspensionibus, ac casibus reseruatis occultis, vigore Tridentini absque speciali commissione Episcopi.*

3 *Vicarius Generalis Episcopi ex Generali commissione inquirere nō potest, vel corrigere, nec deponere, vel punire subditorum excessus.*

4 *Multò minus potest Vicarius Generalis de hæresis crimine cognoscere, citra peculiarem Episcopi facultatem.*
An hæc facultas hodiè sit etiam sublata Episcopis, & Prælatis Regularibus.

5 *Peccant Vicarij Generales, si se intromittant in omnibus casibus, qui speciale propriorum Episcoporum mandatum exigunt.*

6 *Haud valent represalias concedere, citra specialem Episcopi facultatem.*

7 *Nec possunt imponere, aut exigere charitatiuū subsidium absque speciali facultate.*
Quid si in commissione aliqui ex casibus, speciale mandatum requirentibus sint expressi, & cum clausula (& ad omnia alia, &c.)

8 *Quæ dicimus de Vicarijs generalibus, extendimus quoque ad vicesgerentes.*

9 *Peccare possunt quoque Vicarij generales in omnibus alijs casibus, in quibus Episcopos culpam contrahere contingit.*
An Vicarij, & Episcopi vnum, & idem sit Tribunal; Et propterea peccent Vicarij excommunicando in omnibus casibus, in quibus excommunicando peccant Episcopi.

10 *Peccare possunt Vicarij generales si publicas imponant pœnitentias, vel publicè pœnitentes reconcilient.*

11 *Vicarij licentiam concedere non possunt Monachis, volentibus causa studij proficisci.*
Nec causas matrimoniales cognoscere.
Nec litteras dimissorias Clericis concedere sua Diœcesis ad ordinationes suscipiendas.
Multaque alia nequeunt citra speciale mandatum.

1 AD hanc rem respondetur breuiter, quod Antistitum Vicarij generales, circa iurisdictionem exercendam possunt peccare, primò si cognoscant, quæ specialiter commissa, & delegata sunt Episcopis: in his enim non potest se intromittere Vicarius generalis: siquidē Vicarius Episcopi ex vi generalis commissionis, non potest suo Antistiti delegata exequi, nisi fuissent in rescripto addita verba illa: *Siuè eius generali Vicario, &c.* Quamuis in generali commissione Vicariatus adesset clausula generalis, vt habetur ex *Campan. in diuers. iuris Canonici, rub. 11. cap. 13. num.* 148. *Panor. in cap quoniam, num.* 15. *de offic delegati,* & ex alijs relatis per *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat.* 54. *num.* 111. Imo nec Vicarius gene-
2 ralis potest dispensare in irregularitatibus, & absoluere à suspensionibus, & casibus reseruatis occultis, iuxtà ea, quæ habentur ex *Concil. Trid. sess. 24. cap. 6.* per quod id conceditur Episcopis, ac Episcopali eorum dignitati, atque ideò hæc potestas non est delegata, sed ordinaria, vt adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 3 §. 2. qu. 11. num. 35.* Etenim quamuis huiusmodi potestas Episcopis concessa sit ordinaria; nihilominus hanc facultatem Vicarius generalis ex vi generalis commissionis non habet, nisi specialiter sit illi tributa àb Episcopo facultas, tùm quia *Concilium Trid. loco citato,* id expressè expostulat: tum etiam, quoniam in generali concessione hæc non veniunt, vt habetur ex *Rebuffo in praxi benefic.* tit-

tit. de forma Vicariatus, nu. 179. cum seq. Suar. de censur. disp 42. sec. 2. num. 8. Campanil. loco citato, num. 148. & Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 39. num. 10. vbi etiam *num. 11. cum plurib. seq.* latè tractat, an, & quando Episcopus possit hanc facultatem committere aliis: quibus adde quoque, quæ nos cumulauimus in dictis *Commentar. in Bull. Cœnæ loco citat.*

3 Adde, quòd Vicarius generalis ex generali cōmissione non potest inquirere, corrigere, deponere, & punire subditorum excessus, vt in *cap. 2. de offic. Vicar. in 6.* vbi Bonifac. VIII. ità decreuit: *Licet in officialem Episcopi per commissionem officij generaliter sibi factam causarũ cognitio transferatur: potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus transferri nolumus in eundem, &c.*

4 Et multò minus potest Vicarius generalis de hæresis crimine citra peculiarem Episcopi facultatem cognoscere, vt habetur ex *Deciano tr. de crimin. tom. 1. lib. 5. cap. 21. nu. 7. & Barb. de potest. Episcop. alleg. 54. num.* 8. cum alijs, quos allegat, vbi *num. 86.* probat etiam, quòd nec quidem de licentia Episcopi potest subditos à crimine hæresis absoluere; Sicut benè potest Episcopus, vt patet ex *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6.* Est tamen verum, quòd hæc facultas hodiè est etiam sublata Episcopis, vt latè ostendimus in dictis nostris *Commentar. d. q. 11. & in eiusdem addit. litt. A. fol. 761.* vbi probatur quoque eandem facultatem non solũ Episcopis; verum etiam Prælatis Regularibus fuisse ademptam, ita vt suos subditos ab hęresi occulta absoluere nequeant, vt habetur ex *P. Diana*, & ex alijs ab eo relatis, *de absol. ab heresi, resol. 6.* Vndè quamuis ex Priuilegio Pij V. cuius meminit *Suar. de pœnit. disp. 30. sec. 2. num. 7. Sanch de matrim. tom. 2. lib. 8. disput. 2. num. 3.* & alij, tribuatur Prioribus Dominicanis, atque idcò alijs Regularibus, erga suos subditos in foro conscientiæ, & per se ipsos tantùm omnis facultas absoluendi, ac dispensandi, quã habent Episcopi vigore *Conc. Trid.* nihilominus, quia per Bull. Cœnæ facultas hæc sublata est Episcopis, censetur etiam sublata prædictis Regularibus, vt per *Suar de Relig. tom. 4. tr. 9. lib. 2. cap. 20 num. 11.* & de hac opinione, ait *Diana loco citato*, amplius hodiè non est dubitandum. Est tamen verum, quod hæc, quæ diximus de Episcopis locum sibi vendicant, quoad forum conscientiæ: secus autem, quoad forum exterius; nam in illo foro possunt Episcopi hæreticos absoluere, cum sint ordinarij Inquisitores, vt patet ex *Farin. de heresi, q. 192. num 61.* & ex ijs quæ adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 2. q. 12. num. 12 & in addit. ad eam, litt. B. fol. 765.*

5 Secundò peccant Vicarij generales intromittentes se in omnibus alijs casibus exigentibus speciale propriorum Episcoporum mandatum. Vndè citrà specialem facultatem non possunt cognoscere de causis feudalibus, vt per *Cardin. in Clem. 1. num. 19. de officio vicar. & Barb. d. alleg. 54. num. 112.* vbi etiam, *nu. 113. cum plur. seq.* probat, quod ex vi generalis commissionis non potest Vicarius auctorare exemplum ex originali sumptum, vt eandem vim, & auctoritatem cum originali habeat, *c. fin. de fid. instr. & Decian. resp. 24. num. 44. volum. 1.*

6 Nec Vicarij valent represalias citra specialem facultatem concedere: nec decernere absque speciali mandato excommunicationes ad finẽ reuelandi pro rebus deperditis, seu ablatis: nec absoluere à casibus reseruatis, *cap. penult. de pœnit. in 6.* nec condemnatum inquisitum absoluere, vt habetur ex *Ripa in l. qui condemnare, num. 9. vers. Sed certè, de re iud.* quod tamen verum putat, *Barb. ibi, num.* 118. si Vicarius velit inquisitos à crimine absoluere; secus autẽ quando ab inquisitione, si eos immunes, & innocentes inuenerit, velit absoluere, vt per *Menoch. de arbitr. lib. 1. q. 43. num. 28.* & alios. Nec Vicarij generales citra specialem licentiam valent Clericorum bona confiscare, vt per *Bald. in l. Imperatores in fine ff. de offic. Prefecti, Virgil. Alex. in l. 1. num. 75 ff. de offic. eius, & Fräcisc. Marc decis. 613. num. 1. par. 2.* Nec possunt pœnas corporales in pecuniarias commutare, *Rebuff. tit. de for. Vicar num. 153. cum seq. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 3. c. 45. q. 6.* Nec

7 possunt imponere, aut exigere charitatiuum subsidium, nisi specialiter sit ab Episcopo demandatum, vt habetur ex eodem *Azor. ibi, tom. 2. lib. 9 cap. 14. qu. 5. vers. Vicarius.* Nec citra specialem facultatem possunt exigere quartam decimarum mortuariorum, & Synodaticum, vt ex *Sbroz. lib. 2 q. 48.* docet idem *Barbos. d. allegat. 54. nu.* 123. Alios quamplures casus enumerabimus, infrà, *vers. Quartò peccare possunt Vicarij. Est* tamen verum, quòd si in Vicarij commissione aliqui ex casibus requirentibus specialem facultatem exprimantur: & deindè clausula generalis subsequatur: *Et ad omnia alia, etiamsi exigant speciale mandatum, tunc satis est, vt Vicarius generalis possit cognoscere, & exequi omnia prædicta, & alia huiusmodi, quæ exigunt specialem facultatem, vt in c. qui ad agendum, § sed si aliquis, de procur. lib. 6.* cũ alijs, quos allegat, *Barb.* vbi supra, *num.* 124 & nos latè quoque de hac re egimus in nostris *Comment. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 2. qu. 10. num. 5. & 6.*

8 Quæ diximus de Vicarijs generalibus extẽdimus quoque ad vicesgerentes, nam his pariter nonnulla prohibentur fieri, nisi speciale habeant mandatum: qua propter peccant si cognoscant causas, citra specialem facultatem: quamuis sint ordinarij Iudices, de quibus *Barbos. d. alleg. 54. num. 7.* Hi enim cum potestatẽ, quam non habent exercent, proculdubio peccant, & nulliter agunt: eo quod falcem immittunt in messem alienam.

9 Tertiò Vicarij generales peccare possunt, circa iurisdictionem exercendam in omnibus alijs casibus, in quibus Episcopos culpam contrahere contingit. Etenim Vicarij, & Episcopi idem Tribunal, vt sæpè diximus; atque ideò sicut Episcopi peccãt excommunicantes aliquos non præuia trina monitione; ita quoque eorum Vicarij si citra trinam monitionem excommunicationem ferant, & excommunicatio est nullius momenti, vt supra declarauimus *disput. 6. sec. 6. de Episcopis agentes in princ. sec.* Sic etiã quoniam Episcopi peccant non seruantes ordinem in ferendis censuris à *Conc. Trid.* præscriptum, vt in *d. sec. 6. vers. Secundò peccant.*

Probauimus, idcircò idem dicendum est de Episcoporum Vicarijs generalibus, si talem ordinem non seruent, quoniam militat eadem ratio: & *Concil. Trid. Decretum, sess. 25. de refor. cap. 3.* loquitur generaliter de omnibus iudicibus, quibus præcipitur, vt præfatum ordinem seruent. Præterea peccant Episcopi excommunicationem ferentes die festo per viam sententiæ, vt ostendimus *d. sec. 6. vers. Tertiò peccant.* Ergo, & eorum Vicarij à culpa non erunt immunes, si sententiam excommunicationis fulminent die festo: quoniam omnibus iudicibus interdicitur iudicium exercere diebus festiuis, vt in *cap. fin. de fer.* Idem dicendum est si Vicarij excommunicent aliquem, quem certò sciant à contumacia non recessurum: siquidem Episcopos hoc casu excommunicantes peccare diximus *d. sec. 6. vers. Quartò peccant*; eo quod militat eadem ratio, *arg. tex in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Et quemadmodum peccant Episcopi nō absoluentes ab excommunicatione excommunicatos, qui à contumacia recesserunt, & parati sunt obedire, vt ibidem adnotauimus, *versic. Quintò peccant*; ità quoque dicendum videtur de eorum Vicarijs, & id ex identitate rationis. Peccant pariter Vicarij absoluentes excommunicatos in casibus à iure non permissis; siquidem, & Episcopos in eiusmodi casibus absoluentes peccare ostendimus loco citato, *versic. Sextò peccant*. Rursus peccant Episcopi ferentes interdictum pro re non multum graui, vt in *d. sec. 6.* probauimus, *vers. Septimò peccant*: ergo, & eorum Vicarij, etiam si specialem habeant facultatem ferendi interdictum, prout exigitur, sicut requiritur, vt possit illud relaxare, vt post alios habetur ex *Barb de potest. Epis. alleg. 54. num. 96.* Denique sicut peccant Episcopi negligentes corrigere criminosos, & defendere immunitatem Ecclesiasticam, & seruari Sacros Canones, vt supra ostendimus *d. sec. 6. vers. Octauò peccant: vers. Nonò peccant, & vers. Decimò peccant.* ità pariter peccant Vicarij generales in his negligentes, maximè si specialem habeant ab ipsorum Episcopis facultatem.

10 Quartò peccare possunt Vicarij generales, si imponant publicas pœnitentias, aut publicè pœnitentes reconcilient: siquidem Vicarijs hęc non licent, vt habetur ex *Gemin. in cap. 2. num. 8. de offic. Vicar. in 6.* & ex alijs apud *Barb. d. allegat. 54. num 87.* vbi etiam *num. 88.* probat, Vicarium non posse explorare voluntatem puellę habitum regularem suscipere, aut professionis votum emittere volentis, vt experiatur, an coacta, seducta sit, & an sciat quid agat, &c. id enim soli Episcopo conceditur, nisi sit impeditus, vel absens; quoniam tunc poterit eam explorare ipsius Vicarius, vt in *Conc. Trid sess. 25. de Regular & Monial cap. 17.* Non possūt pariter Vicarij ædificationi Monasterij per testatorem relicti assensum, & auctoritatem interponere, vt per *Calder. cons. 3. de offic. Vicar.* nec prætextu generalis commissionis potestaté habent concedendi indulgentias, *Azor. p. 2. instit. moral. lib. 3. cap 45. qu. 13.* Nec ex vi generalis commissionis licentiam confessionis audiendæ impertiri, vt ex *Barb. ibidem, num. 91.* quamuis contrariam sententiam putet esse probabiliorem, *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 29. num. 14.* Nec Vicarii possunt licentiam concedere Monachis volentibus causa studii proficisci, in locis, in quibus Episcopus est loco Ab-

11 batis, vt probat *Barb. d. alleg. 54. num. 95.* Non possunt causas matrimoniales cognoscere, nec monitiones relaxare, etiam iusta causa interueniente. Non valent litteras commendatitias, & dimissorias concedere Clericis suæ Diœcesis ad ordines suscipiendos, nisi Episcopo in remotis degente: nec possunt Vicarium sibi substituere, quamuis possit vnam, vel plures causas delegare: non possunt Diœceses visitare, nec Synodū congregare, citra speciale mandatum: nec etiā pias Defunctorum voluntates exequi: nec in alienationibus, seu transactionibus rerum Ecclesiasticarum decretum interponere: nec res Ecclesiæ alienare in casibus, in quibus possunt Episcopi: nec de causa restitutionis in integrum disceptare: nec ipsis Vicariis potest iuramentū purgationis Canonicæ deferri: nec consentire possunt, vt Metropolitani cognoscant in principali negotio, omisso appellationis, articulo, vt latè habetur ex eodem *Barb. d. allegat. 54. à nu. 87. vsque ad num. 112.* vbi hos omnes casus rectè declarat, & citrà speciale Episcopi mandatum Vicarium nihil agere, latè probat. Quibus adde quoque alios casus, quos supra retulimus, *vers. Secundò peccant*.

Vicarij generales qualiter peccare possint circa beneficiorum collationem.

S E C. II.

S V M M A R I V M.

1 *Vicarij generales beneficia, si conferant, Ecclesiastica citrà mandatum speciale suorum Episcoporum, peccant, & quare.*

2 *Data Vicario speciali facultate conferendi beneficia, non comprehenduntur beneficia illa, quæ iure speciali, aut priuilegio Episcopus conferre potest.*

3 *Episcopus cum concedit Vicario specialem facultatem conferendi beneficia, facultas illa est latè interpretanda.*
An possit Episcopus, qui talem facultatem suo Vicario concessit, adhuc ipse conferre, antequam Vicarius conferat, & quid dicendum si ambo conferant vna, & eadem die.

4 *Peccant Vicarij generales admittentes beneficiorum resignationes, citrà speciale mandatum. Nec data facultate admittendi resignationes, data intelligitur facultas conferendi.*

5 *Peccant Vicarij, si præsentatum à patrono, citra specialem facultatem instituant.*
An possit beneficia supprimere, eaque vnire, reuocare vniones, & Ecclesias diuidere.

6 *Non potest Vicarius iuspatronatus alicui reseruare ex causa dotationis, fundationis, &c. Nec decretum, seu auctoritatem interponere donationi iuris patronatus absque speciali concessione.*

7 *Peccare possunt Vicarij in conferendis beneficijs, in omnibus casibus, in quibus possunt Episcopi peccatum committere.*

Pec-

1 PEccare possunt primò Vicarii generales cōferentes beneficia Ecclesiastica, citrà suorum Episcoporum speciale mandatum. Id enim est eis de iure prohibitum: siquidem in generali Vicariatus commissione non comprehenditur potestas beneficia conferendi, vt in *cap. vlt. de offic. Vicar. lib. 6.* vbi latè *Doctor. Azor. p. 2. inst. moral. lib. 3. cap. 44. q. 1.* & alii, quos refert, & sequitur *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 54. num. 60.* vbi etiam, & *num. 61. & seq.* id ampliat, vt Vicarius generalis sine speciali mandato non possit, nec quidem Vicariam perpetuam conferre, nec collationi consentire, vt per *Azor. loco citato, q. 3. & Grat. discept. forens. c.* 2 *303. num. 1.* Imò data Vicario speciali facultate conferendi beneficia, non intelligitur concessa facultas conferendi illa beneficia, quæ Episcopus iure speciali, aut priuilegio conferre potest, vt habetur ex eodem *Azor. ibidem, q. 2. & Barb. d. allegat. 54. num. 62.* qui post alios addunt tamen censeri datam facultatem conferendi beneficia, quæ iure deuoluto ad Episcopum pertinent ob negligentiam, vel delictum inferiorum, quorum erat ius conferendi, nisi beneficia sint deuoluta ad Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum, nempè ob negligentiam Regularium, vt in *Clem. 1. de suppl. neglig. Prel.* Est tamen verum, quòd quando 3 Episcopus Vicario concedit specialem facultatem conferendi beneficia, illa potestas est latè interpretanda, itaut comprehendat quælibet beneficia, & illa quoque, quæ in Ecclesia Cathedrali, aut curam habent animarum, vt habetur ex *Azor. loco citato, q. 8.* vbi *q. 7.* idem dicendum putat de dignitatibus: quod tamen verum esse, inquit *Barb. vbi supra, nu. 63.* & idem *Azor. d. q. 8. de beneficijs existentibus*; non autem de illis, quæ post commissionem erecta, & instituta fuerunt. Imò idem *Barb. ibi num. 64. Azor. d. cap. 44. q. 9. & 10.* inquiunt, quòd data Vicario speciali facultate conferendi beneficia, censetur eidem pariter data facultas comendādi: & poterit Vicarius etiam extra Diœcesim conferre eiusmodi beneficia. Poterit tamen Episcopus quamuis talem facultatem suo Vicario concesserit per se ipsum beneficia conferre antequam Vicarius conferat: & si vna, & eadē die conferant, quid sit dicendum, declarat *Azor. d. c. 44. q. 12. & 13.* vbi etiam inquit, quod per specialem facultatem concessam Vicario conferendi beneficia, non censetur ei concessa potestas priuandi Clericum beneficio.

4 Secundò peccant Vicarii generales, citra speciale mandatum admittentes beneficiorum resignationes: siquidem id eis est de iure prohibitum, vt est *tex in c. quæsitum, de rerum perm. Azor. p. 2. inst. moral. lib. 7. cap. 29 q 4. Garz. de benefic. p 1. cap. 4. num. 74. Barb. d. alleg. 54. nu. 66.* cum alijs, quos allegat, vbi etiam addit, *nu. 67. & 68.* quod data ab Episcopo Vicario facultate admittendi resignationes absolutè, ac simpliciter, non intelligitur ei data facultas beneficia resignata conferendi; sic nec Vicarius habens facultatem approbandi resignationes factas causa permutationis, poterit resignata beneficia permutantibus conferre.

5 Tertiò peccant Vicarii citra specialem facultatem Episcopi præsentatum à Patrono instituentes. Non enim id valent, vt habetur ex *Rolan. cons. 47. num. 45. vol. 1 & Rebuff. in praxi benefic. tit. in forma Vicar. à num. 126. & in addit. ad regul. 13. Cancel. vers. Aut Vicarios perpetuos, vers. Item Vicarius generalis.* Est tamen verum, quòd contraria sententia est communior, probabilior, vt post *Azor. d. cap. 44. q. 5.* & alios probat *Barb. d. alleg. 54. num. 70.* vbi *num. 71. cum plurib. seq.* probat etiam, quòd Vicarius generalis, citrà speciale mandatum non potest beneficium supprimere, nec beneficia vnire, nec reuocare vniones, & Ecclesias diuidere: nec coadiutores Vicarios imperitis Rectoribus Ecclesiarum, secundum formam *Sacri Concilij Trid. sess. 21. de reform. cap. 6.* si- 6 ne speciali concessione deputare, nec ius patronatus ex causa dotationis, fundationis, vel constructionis alicui reseruare: nec etiam donationi iuris patronatus decretum, seu auctoritatem interponere: nec nouas erigere Parochias: nec imponere pensionem super beneficijs: nec œconomum Ecclesiæ constituere: nec à suis beneficijs, officijs, vel administrationibus, aut ab ordine aliquos amouere, seu deponere: nec valet interponere auctoritatem creationi dignitatis à Canonicis factæ, aut nouum beneficium in Ecclesia creare: nec Ecclesias vetustate collapsas, quæ ob earum, vel Parochianorum inopiam nequeunt instaurari, vocatis his, quorum interest, in Matrices, vel alias Ecclesias viciniores, citra speciale mandatum transferre potest: nec præsentare potest ad beneficium iuris patronatus ad Episcopi præsentationem pertinens.

7 Quartò peccant Vicarij in beneficijs conferendis in omnibus casibus, in quibus peccare possunt Episcopi, supposita facultate ab eis concessa in conferendis, de quibus latè supra egimus *disp. 6. sec. 9.*

An Vicarij generales peccare possint in Sacramentis conferendis.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Vicarij generales si committant alicui Episcopo facultatem exercendi ea, quæ sunt Ordinis, citra specialem propriorum Episcoporum facultatem.*
An si Vicarius Episcopus sit, ex vi generalis cōmissionis possit ea, quæ sunt Ordinis exercere, citra speciale Episcopi mandatum.

2 *Peccare possunt Vicarij in Sacramentis conferendis in omnibus casibus, in quibus peccare possunt ipsimet Episcopi.*

3 *Peccant Vicarij conferentes Sacramentum confirmationis veteri Chrismate, licet specialem habeant facultatem.*

1 PEccant Vicarij generales, qui Episcopalem dignitatem non habent, committentes alicui Episcopo facultatem exercendi ea, quæ ordinis Episcopalis sunt, citra specialem propriorum Episcoporum facultatem, vt habetur ex *Rebuff. de benefic. tit. de Vicar. num. 171.* Imò Vicarius generalis, etiam si Episcopus sit ex vi gene-

generalis commissionis non potest ea, quæ sunt ordinis Episcopalis exercere, citrà speciale sui Episcopi mandatum; atque ideò non potest Ecclesias, Cappellas, Oratoria, vel Cæmeteria reconciliare, Ordines conferre, Chrisma conficere, oleum infirmorum sacrare, Sacramentum confirmationis ministrare, & alia eiusmodi, *Rebuff. loco citato, num.* 33. *& num.* 168. *Azor. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 45. *qu.* 9. *& cap.* 46. *vers. Confirmationes, & Barbos. d. alleg.* 54. *num.* 83. *&* 84. cum alijs, quos allegat.

2 Secundò peccare possunt Vicarij generales in Sacramentis conferendis, etiam si speciale mandatum habeant, aut in illis committendis, vt per alium conferantur multis alijs modis, de quibus supra egimus *disp.* 6. *sec.* 3. *&* 4. *de Episcopis agentes*. Vndè peccant si sibi non subditos absque litteris dimissorijs proprij Episcopi ordinent, aut ordinãdos committant: si ordinẽt, aut ordinari committant, qui de iure prohibentur; vt quia non habent legitimam ætatem, sint illiterati, ignorantes concernentia ad suum ordinem: si conferant tonsuram coniugato, nisi de vxoris consensu Religionem ingrediatur: si ordines conferant in aliena Diœcesi, citra illius Diœcesis Episcopi facultatem: si ordinent non habentes beneficia Ecclesiastica, vel cum eis nõ fuerit dispensatum, vt ordinari possint ad titulũ patrimonij: si ordinent indignos, & minus idoneos in Sacerdotes: si aliquid recipiant in pretium collationis ordinis, vt latè declarauimus

3 *d. disp.* 6. *sec.* 3. Item peccant Vicarij generales Episcoporũ, licet specialem facultatem habeãt, confirmationis Sacramentum conferentes veteri Chrismate aut alterius Episcopi subditos in sua Diœcesi: si eiusmodi Sacramentum conferant extra Ecclesiam: aut si multò tempore negligenter se habeant in præfato Sacramento cõferendo: aut vni, & eidem bis eiusmodi Sacramentum conferant, vt de his latè tractauimus *d. disp.* 6. *sec.* 4.

An Vicarij generales culpam aliquam contrahere possint in dispensando.

S E C. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Vicarius ex vi generalis commissionis facultatem non habet dispensandi.*
An possit dispẽsare matrimonij monitionibus.
2 *Peccant Vicarij dispensantes in casibus, in quibus neque ipsi Episcopi dispensare valent.*

1 AD hanc difficultatem respondetur breuiter affirmatiuè. Etenim Vicarius ex vi generalis commissionis non habet facultatem dispensandi, vt habetur ex *Azor p.* 2. *inst. moral. lib.* 3 *cap.* 45 *q.* 6. *Barb. de potest. Episc. alleg.* 54. & alij, quos ipse refert. Vndè matrimonij monitionibus dispensare non potest, etiam si iusta causa dispensandi interueniat, vt habetur ex *Menoch. de arbitr. casu* 453. *num.* 5. & ex alijs. Est tamen verum, quòd contrariam sententiam putat esse veriorem, *Narbona de appellat. à Vicario ad Episcopum, par.* 1. *nu.* 216. *Ricc. in praxi fori Eccles. decis.* 259. *in* 1. *edit. Sanch. lib.* 3. *de matrim. disp.* 7 *num* 9. vbi etiã *num.* 21. inquit, quòd Vicarius huiusmodi facultatem potest alteri delegare, & alij, quos refert, & sequitur *Barb. de potest. Episc. alleg.* 32. *num.* 29. vbi etiam, *num.* 30. *cum plur. seq.* id ampliat in omnibus habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem, vt sunt Abbates, etiam titulares sint, & commendatarij: & Magister Scholæ Salmanticen. respectu Scholasticorum, qui in matricula descripti sunt: hos enim omnes posse denũciationes remittere sufficienter, probat *Barb. loco citato.*

2 Item peccant Vicarij dispensantes in casibus, in quibus proprij Episcopi citra culpam dispensare non valent, vt latè de his egimus supra *disp.* 6. *sec.* 5. Quæ diximus de Vicarijs Episcoporum, extendimus ad Vicarios Archiepiscoporum, Primatuum, & Patriarcharum: nam hi omnes Episcopi sunt, vt supra ostendimus *disp.* 6 *in princ.*

De Cathedralium Archidiaconis, Decanis, Præsbyteris; ac eorum culpis, vt in eis explorandis facilius Confessarius discretus, & cautus esse valeat in audiendis eorundem confessionibus.

D I S P. VIII.

SEC. VNICA.

S V M M A R I V M.

1 *De iure prima dignitas post Episcopum, eiusq; Vicarium generalem est Archidiaconatus, sed in multis locis est Decanatus.*
Quid sit Archipresbyter, & in quo sit maior Archidiacono.
2 *Archipræsbyter cum in ordine sit maior Archidiacono, ipse præfertur in functionibus Sacerdotalibus, absente Episcopo.*
Sed quid si Archidiaconus sit quoque in Præsbyteratus ordine constitutus.
3 *Archidiaconus de iure dicitur oculus Episcopi, & habet administrationem, quam non habet Archipræsbyter, siuè Decanus.*
4 *Archipræsbyter non habet administrationem, nec iurisdictionem, sed dicitur Præsbyterorum Princeps, & duplex est, ruralis scilicet & vrbanus. Et quænam spectent ad Archipræsbyterum.*
5 *In aliquibus Cathedralibus, in quibus non adest Archidiaconus, sed Archipræsbyter, seu Decanus, aut Præpositus, ad talem Archipræsbyterum, seu Præpositum spectant, quę ad Archidiaconum pertinerent.*
6 *Tam Archidiaconi, quam Archipræsbyteri, seu Decani, vt tales sunt possunt peccare grauiter, si in eorum munere negligentes sint.*

Ad

1 **A**D euidentiam eorum, quæ in hac re dicẽda erunt, est adnot. quòd quamuis de iure prima dignitas post Episcopum, & eius Vicarium generalem in Cathedralibus sit Archidiaconatus, nihilominus in multis locis est Decanatus, vt in Lusitania, & ferè in tota Hispania, testatur *Barb. de offic. & potest. Episc. allegat. 57. num. 95. & 96.* Siquidem Decanus in Cathedralibus alio nomine appellatur Archipręsbyter, vt in *c. adhac, de offic. Archid.* Est autem Archipręsbyter, Pręsbyterorum Princeps in ordine Archidiacono maior: in administratione verò Archidiaconus est Archipręsbytero maior, ita vt Archipręsbyter Archidiaconi præceptis teneatur obedire, vt in *cap. 1.* & ibi *Glosa, de offic. Archiep.* Quod tamen verum est, nisi aliter esset consuetudo in Prouincijs, & Ecclesiis: nam ad cognoscendas dignitates maiores post Episcopum, ac eius Vicarium generalem in Cathedralibus Ecclesijs, & Principales in collegiatis attendenda est consuetudo Prouinciarum, & Ecclesiarum, vt per *Glos. in cap. deliberatione, de offic. legati, lib. 6. Azor. p. 2. instit. moral. lib. 6 cap. 34. q. 10. vers. Per tertiam regulam, & Barb d. allegat. 57. num. 95.*

2 Vndè cum Achipręsbyter sit maior in ordine Archidiacono, absente Episcopo in celebratione Missarum in diebus solemnibus, in delatione Sanctissimi Sacramenti in eius festo, in benedictione candelarum, cinerum, Palmarum, & in alijs actibus, & functionibus Sacerdotalibus præfertur Archipræsbyter, seù Decanus Archidiacono, cùm Archidiaconus non est Sacerdos: quoniam hæc munera, absente Episcopo, ad Archipræsbyterum de iure pertinent, vt in *cap. officium, de offic. Archipresb.* dixi: *Cùm Archidiaconus non est Sacerdos*, quoniam Archidiaconus est in Præsbyteratus ordine constitutus, eo casu cùm sit par in ordine, & maior in administratione, debet præcedere Archipræsbyterum in prædictis functionibus, nisi in contrarium extaret consuetudo, vt habetur ex *Hostien. in d. cap. 1. de offic. Archipresb.* vbi etiã *Ioann. Andr. Panor.* & alij. Et hanc esse communem opinionem à Sacra Congregatione approbatam, testatur *Genuen. in praxi Archiep. cap. 72.*

3 Habet igitur Archidiaconus administrationem, quam non habet Archipræsbyter, seu Decanus: Etenim Archidiaconus de iure dicitur oculus Episcopi: eo quod, loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigit, & emendat: nisi adeo fuerint ardua negotia, quæ citra sui Episcopi interuentum, nequeant terminari: imperat non solum Subdiaconis, ac leuitis, sed etiam Archipræsbytero, audit iurgia singulorum, & Parochiarum sollicitudo, & earum ordinatio ad ipsum pertinet, vt in *d. c. adhac, & § 1. & 2. de offic. Archid.*

4 Archipræsbyter vero, seu Decanus de iure non habet administrationem, ac iurisdictionem; sed est aliorum Præsbyterorum Princeps, & est duplex ruralis scilicet, qui præest solummodo plebi, qui alio vocabulo appellatur plebanus: & vrbanus, seu Ciuitatensis, seu Ecclesiæ Cathedralis, vt in *cap. fin. de offic. Archipresbyt.* Ad cuius officium pertinet in absentiam Episcopi vice eius officium inchoare: benedictiones Præsbyterales in Ecclesia dare: Missam quando voluerit cantare, aut cui ex Sacerdotibus præceperit: vbi autem Episcopus Missam cantat, debet præcipere Sacerdotibus, vt induant se vestimentis Sacris, & qualiter ad Missam procedant. Ad eundem quoque pertinet præcipere custodi Ecclesiæ, vt in Sacrario Ecclesiæ Eucharistia Christi, propter infirmos non desit: debet infirmis prouidere, & prouidendo præcipere Sacerdotibus, ne fortè sine confessione, vel perceptione corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi moriantur: confessiones eorum, qui à foris veniunt, tenetur excipere cum omnibus Sacerdotibus: & ex inde per prouisionem Pontificis magnam debet illis adhibere curam. Ad ipsum Archipræsbyterum spectat pariter curare, vt baptizentur infantes, & alij, qui Christi fidem velint suscipere, vt habetur in *cap. officium, de offic. Archipresbyt.* vbi etiam *Glos. in vers. Benedictiones:* inquit, quòd ad eundem pertinent benedictiones in matutinis, quando legi debent lectiones. Ruralis autem Archipræsbyteri officium quale sit, habetur in *d. c. fin. eod. tit.* ità se habente: *Vt singula plebes Archipresbyterum habeant, propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solùm imperiti vulgi sollicitudinem gerat; verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circumspectione custodiant: & qua vnusquisque industria diuinum opus exerceat, Episcopo suo renunciet. Nec contendat Episcopus, non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia, etsi valdè idoneus sit; decet tamen, vt sua onera partiatur: & sicut ipse Matrici Ecclesia praest: ità Archipresbyteri prasint plebibus, vt in nullo titubet Ecclesiastica sollicitudo: cuncta tamen referant ad Episcopum, nec aliquid contra eius decretum ordinare prasumant.*

5 Est tamen verum, quòd in aliquibus Cathedralibus, vbi non est Archidiaconus, sed Archipræsbyter, seu Decanus, aut Præpositus tantùm loco Archipræsbyteri, ad talem Archipræsbyterum, vel Præpositum, vltra ea, quæ sunt proprij officii pertinent ad eum, quæ de Archidiacono dicuntur; iuxtà tamen loci consuetudinem, quæ in huiusmodi dat iurisdictionem, vt rectè docet *Syl. in summ. vers. Archipresbyter, sub num. 1.* Imò si ipsa ius dicendi potestas, & iurisdictio, quæ Archidiacono à iure tribuitur post Episcopum in Clericos suę Ecclesiæ, esset in Archipræsbytero ex consuetudine, illum Doctorem esse, sicut, & Archidiaconus debet, probat *Garz. de benefic. par. 7. cap. 7. num. 42.* vbi *num. 41.* etiam ait, quod in aliquibus locis, & Ecclesijs dantur aliqui Archidiaconi carentes cura, ac iurisdictione: & qui præter primum locum in Choro, & stallum in Capitulo sunt, sicut cæteri Canonici, & portionarii: & ita sunt Decani in Hispania, qui sunt caput Capituli in Ecclesiis Sęcularium; non tamen iurisdictionem habent, vt colligitur ex iis, quæ habentur ex eodem *Garz. ibidem. nu. 38.* qui etiam addit, quòd in Regularibus Ecclesiis huiusmodi Prælati appellantur Priores, & in Gallia, vt plurimum Præpositi, sicut in nostra Congregatione, in qua habent iurisdictionem, & potestatem non modo in spiritualibus; sed

sed etiam in temporalibus. His breuiter sic adnotatis, deueniendum est modo ad inquirendũ qualiter Archidiaconi, ac Archipræsbyteri, seù Decani in eorum munere subeundo peccare possint?

6 Ad hanc rem breuiter respondetur, quòd tàm Archidiaconi, quàm Archipræsbyteri, seu Decani, vt tales sunt possunt peccare grauiter, si negligentes sint in eorum munere subeundo; atque ideò si deficiant in illis, quæ ad eorum officium pertinent, & præcipuè circà sollicitudinem animarum, si quis moriatur, eorum culpa, sine confessione, rei erunt animæ illius, vt in *cap si Presbyter, & c. seq. 26. q. 6.* Archidiaconus, & alij similes qualiter peccent non residentes, *disp. seq. sec. 1.* explicabimus.

De Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum collegiatarum, Canonicis, & culpis, in quas incidere possunt, vt in eis explorandis, Confessarius discretus, & cautus esse valeat.

DISPVT. IX.

SVMMARIVM.

1 *Canonici propriè dicuntur, qui de Capitulo sunt; Et quo nomine appellentur, Cæteri, qui non sunt de Capitulo.*

2 *Canonici non solum proprio Episcopo celebrãti assistere tenentur; sed etiam eius coadiutori.*
Et coadiutor tenetur, etiam facere confessionem, cum Sacerdote celebrante, sicut Episcopus.

3 *Ad Canonicatus dignitatem, & portionem is recipiendus est, qui ordine sacro initiatus est, qua dignitas, aut portio requirit.*

1 Canonici illi propriè dicuntur, qui de Capitulo sunt; Cæteri autem communi nomine beneficiarij, vel Cappellani, assisij, & mãsionarij, quasi assidui, & perpetuò manentes in Choro, nuncupantur, vt per *Glos. in cap. penul. vers. Assisios, de Cler. non resid.* & alios apud *Barbos. de offic. & potest. Episc. par. 1. tit. 1. c. 3. num. 17. & Genuens. in praxi Arch. cap. 69. nu. 17.* qui etiam probat, solos Canonicos posse recipere Episcopum ad osculum. Nos autem Ecclesiæ Senatum appellat, *Conc. Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12.* Quod propterea decernit, vt Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inseruire debeant: per se, & non per substitutos diuina obire officia, atq; in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, ac deuotè laudare. Vestitu prætereà decenti, tàm in Ecclesijs, quàm extrà assiduè vti, & ab illicitis venationibus aucupijs, choreis, tabernis, lusibusque abstinere, atque ea morum integritate pollere, vt meritò Ecclesiæ Senatus dici possint.

2 Adde, quòd Canonici non solùm proprio Episcopo celebranti tenentur assistere; sed etiam eius Coadiutori: aliàs indecorum esset, si Episcopus citrà Canonicorum assistentiam celebraret, solemniter, aut Pontificalia exerceret, vt habetur ex *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 118. num. 11.* vbi etiam *num. 13. & 15.* inquit, quòd circà confessionem faciendam, cum celebrante solemniter, decet, vt Coadiutor Episcopus confessionem faciat, cum Sacerdote Canonico celebrante, & vt idem pariter benedicat in fine Missæ, ne populus præsens diuinis benedictione Episcopali defraudetur. Imò ait maximè decere, vt Canonici prodeant obuiam Coadiutori Episcopo ad Ecclesiam Pontificaliter accedenti ad ostium Ecclesiæ, eumque discedentem ad idem ostium deducere: & valdè esset commendandum; si non nulli Canonici officij, & vrbanitatis gratia ad ipsius Coadiutoris ædes se cõferrent. Denique in *d. cap. 12 Conc. Trid.* decernitur, vt nemo ad Canonicatum, dignitatem,

3 aut portionem recipiatur, nisi, qui eo ordine sacro, aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, vt infrà tempus à iure, & à *Conc. Trid. statutum sess. 22. cap. 4.* initiari valeat. Et insuper *d. c. 12.* decernit, vt nemo promoueri possit ad dignitates, quibus animarum cura nulla subest, ante 22. annum.

An Canonici peccent in eorum Ecclesijs non residentes.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Canonici peccant, si in eorum Ecclesiis non resideant,*

2 *Non tantum Canonici peccant non residendo, verum etiam qui alias dignitates obtinent præbendas, aut portiones in Cathedralibus, vel collegiatis.*
An ad hanc residentiam obligentur Abbates, & alij Ecclesiarum Superiores, possintque ad id compelli per Episcopum.

3 *Episcopus licet non teneatur Canere in Choro, tenetur tamen interesse in diebus festiuis. Cuius ætatis debeat esse habens principalem dignitatem in collegiata.*

4 *Canonici tenentur ad residentiam, etiam si quis Canonicatum habet, & Monasterium in commendam, ab animarum cura liberũ.*

5 *Monasterium habens in commendam, cum cura animarum, & Canonicatum, potius tenetur residere in Monasterio, quam in Canonica.*

6 *Canonici, cæterique dignitates obtinentes, ad residentiam tenentur, quamuis adsint mansionarij in Choro, ac Diuinis officijs continuò assistentes.*

7 *Canonici, & dignitates obtinentes tenentur assistere in Choro, licet inter eos statutum extet, vt possint seruire per substitutũ, vel vnus pro alio. Esset enim contra Concilium tale statutum, & vid. num 18.*

8 *Canonici, ac dignitates obtinentes præbendas, ac portiones, ad residentiam tenentur, quacunque consuetudine, etiam immemorabili non obstante, & vid. num 18.*

9 *Canonici, aliique obtinentes supradicta beneficia in Cathedralibus, obligantur assistere in*

in Choro personaliter, non modo ad canendas, & recitandas horas, sed etiam ad inseruiendum Episcopo celebranti, & Pontificalia exercenti.

10 *Ad residentiam multò magis obligantur Episcopi, caeterique curam animarum habentes.*

11 *Ad residentiam non tenentur Canonici, caeterique similia beneficia obtinentes, volentes vacare studijs Theologiae, & Canonum, cum licentia tamen proprij Praelati: & per quinquennium.*

Et possunt quoque percipere fructus praebendarum.

12 *Priuilegium hoc absentandi causa studij extenditur, etiam ad Clericos, qui absunt causa studij in iure Ciuili per quinquennium.*

Quibus sit prohibitum audire leges Ciuiles, vel Physicam, & sub qua poena.

An hoc priuilegium solum habeant, cum tamen in publicis studijs scientias praedictas audiunt, & litteris summa diligentia incumbunt.

13 *Canonici, alijque, qui ad residentiam tenentur. Si absint causa studiorum, quamuis percipiant fructus praebendarum, non tamen lucrari possunt distributiones quotidianas, licet de licentia Sum. Pontificis absint.*

14 *Parochi volentes studere, aut docere, omninò licentiam habere debent Ordinarij: Et quae requirantur, vt fructus Parochiae percipere possint.*

15 *Auditores Rotae Romanae, si absint à residentia, consequuntur fructus praebendarum, ac etiam distributiones quotidianas ex Bull. Clem. VIII.*

Idemque Priuilegium habent Inquisitores, Collector generalis Camerae Apostolicae, Subcollectores, Aduocati, & Procuratores fiscales in causis spoliorum.

16 *Poenitentiarius, dùm confessiones audit, censetur praesens, & lucratur quoque distributiotiones quotidianas.*

An eodem priuilegio fruantur examinatores beneficiorum.

17 *Canonici Senes, alijque infirmi, qui personaliter interesse nequeunt Choro, tanquam praesentes habentur.*

Et qui absentes, tunc pro vtilitate Ecclesiae, excusantur à residentia, & lucrantur etiam distributiones.

Tolerari potest statutum, vel consuetudo, quibus cauetur, seruitium 40. annorum liberare à residentia beneficiatum, & quod possit lucrari, etiam distributiones.

19 *Canonici, alijque beneficia obtinentes in Cathedralibus, & collegiatis, abesse possunt ab Ecclesiis ipsorum per spatium trium mensium citra omnem culpam.*

20 *Et non solùm per tres menses interpellatos, sed etiam continuos.*

21 *Pro hac absentia trium mensium, assignare non oportet causam absentiae.*

22 *Hoc beneficio, vt tribus mensibus abesse possit gaudet tam coadiutus, quam Coadiutor Canonicorum, & beneficiatorum.*

23 *Quando Ecclesia ex vi suarum Constitutionũ exigit seruitium totius anni, Canonici, caeterique abesse non poterunt tribus illis mensibus.*

24 *Episcopi curare debent, ne Canonici absint ab eorum Ecclesiis in die Natiuitatis Domini, Pascha, & in alijs maximis festiuitatibus.*

25 *Quamuis Canonicis permittatur absentia pro tribus mensibus anni, non tamen omnes abesse debent simul.*

26 *In hac absentia trium mensium Canonici, aliique licet lucrentur fructus praebendae, tamen lucrari non possunt distributiones quotidianas.*

27 *Indulgentia concessa Canonicis aliisque beneficiatis, vt abesse possint tribus mensibus in quolibet anno, haud extenditur ad Parochos, caeterosque animarum curam habentes.*

An possint abesse per bimestre, obtenta licentia in scriptis ab eorum Episcopo.

28 *Sicut Episcopi ex repentina necessitate abesse possunt, citrà licentiam ex indulgentia Concilij, ità pariter Parochi abesse poterunt per paucos dies absque licentia Episcopi.*

29 *Canonici aliique dignitates obtinentes in Cathedralibus, & collegiatis si vltra tres menses absint, culpam proculdubio contrahunt.*

30 *Canonici, aliique, &c. vltra tres menses abesse nequeunt, etiam si in Ciuitate praesentes sint.*

Referuntur declarationes Sacr. Congr. super Decretum Concil. Trid.

31 *Multis alijs modis declaratur conclusio, & an mansionarij, aliique ad residentiam teneantur.*

32 *Canonici, aliique abesse possunt ab eorum Ecclesijs vltra tres menses, propter superuenientes inimicitias.*

33 *Propter legitimam causam potest Episcopus concedere licentiam Canonicis aliisque beneficiatis, vt abesse possint per quatuor mẽses.*

Afferuntur declarationes Sacr. Congr. ac Cõcilium Mediolanense.

34 *Canonici, aliique dignitates obtinentes in Cathedralibus, &c. si absint vltra tres menses vltra culpam, quam contrahunt, varijs plectuntur poenis, & quibus.*

An priuentur distributionibus quotidianis, & quibus debeantur.

35 *Poenis praefatis plectuntur non residentes, etiã si in Ciuitate praesentes sint.*

36 *Canonici, qui maiori seruitio sunt adstricti, quam nouem mensium si non resederint, subiacent eisdem poenis in Concilio, & iuribus contentis.*

37 *Et priuantur beneficiorum fructibus, nulla praemissa monitione, vt resideant.*

38 *Poena contra non residentes, haud remitti potest ab Episcopo.*

An possit Episcopus antè sententiam poenam praedictã diminuere, vel tacitè remittere, puta tacendo, dissimulando, &c.

39 *Fructus, quibus Canonici priuantur ob absentiam, veniunt applicandi fabricae propriarũ Ecclesiarum, quatenus indigeant, alias alteri pio loco arbitrio ordinarij.*

Sed quid de distributionibus quotidianis, & num. seq.

40 *Distributiones extraordinariae, & impropriae, applicantur interessentibus, non autem distributiones ordinariae.*

S Et

Et conciliantur Decreta Concil. Trid. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. cap. 3.

41 *Si Canonicatus, vel prabenda nullos habeat fructus, potest Canonicus ob absentiam puniri pœna arbitraria.*

42 *Pœna* Concilij Trid. sess. 24. de reformat. cap. 12. *locum non habet in Canonico simplici, carente prebenda.*

43 *Canonici, cateriquе beneficiati non residentes, licet, vt priuentur fructibus, non indigent monitione, tamen, vt priuentur beneficijs ob non residentiam, debent personaliter citari, quamuis extra Regnum, & in partibus Indiarum existant.*

An sint citandi per edictum, si nesciatur, vbi sint absentes.

44 *In casibus, in quibus Canonici excusantur à residentia, lucrantur fructus, & etiam distributiones quotidianas.*

HAnc difficultatem per subsequentes conclusiones breuiter absoluemus: qua propter ad eiusdem determinationem sit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 CAnonici peccant in eorum Ecclesijs non residentes. Hæc patet ex *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. §. Præterea*, vbi apertè decernitur, non licere Canonicis, tàm in Ecclesijs Cathedralibus, quàm collegiatis ab eis abesse, & pœnam imponit contrauenientibus: ergò in eisdem non residentes peccant, tum quia prædictum decretum *Conc.* non solũ est lex pœnalis, sed etiam præceptiua, vel saltem prohibens, ergò obligat non solum ad pœnam, sed etiam ad culpam, iuxtà ea, quæ nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 8 q. 2. à num 28. vsque in finem.*

2 Ampliatur primò hæc conclusio, vt non tãtùm Canonici peccent non residentes in eorum Ecclesijs; sed etiam, qui in Ecclesijs Cathedralibus, aut in collegiatis obtinent dignitates, præbendas, aut portiones: siquidem hi eodem modo per *Concil.* obligantur ad residentiam, & sub eisdem pœnis, vt patet ex illis *Conc.* verbis: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus prebendas, aut portiones, &c.* Imò sub præfato Concilij decreto comprehenduntur quoque Mansionarij, & Cappellani obtinentes alia beneficia perpetua, & habent annexum seruitium in Choro, vt declarauit Sacra Congregatio relata à *Garz. de benefic. Ecclesi. par. 3. cap. 2. num. 475.* Item comprehenduntur dignitates principales, & capita Ecclesiarum collegiatarum, vt decreuit Sacra Congregatio Concilij, relata à *Garz. d. cap. 2. num. 181.* qui ob id ait ad eiusmodi residentiam obligari etiam Abbates, & alios Superiores Ecclesiarum collegiatarum, licèt habeant iurisdictionem in Canonicos: & ad id compelli possunt ab Episcopis, sub quorum Diœcesi sunt: & comprehendi illas quoque dignitates, quæ capita sunt Ecclesiarum collegiatarum, & exemptæ à iurisdictione ordinarij; & habent tantùm iurisdictionem in Canonicos: quoniam si haberent territorium, & iurisdictionem quasi Episcopalem non tenerentur ad residentiam Chori, & horarum; quamuis obligarentur ad residentiam, sicut Episcopi sunt obnoxij, de qua habetur in eodem *Conc. Trident. sess. 23. de reform. cap. 1.* & latè *Suar. tom. 2. de Relig. tract. 4. lib. 4. cap. 10. num 13. & 18. &*

3 *Garz. loco citato*, vbi addit, quòd licèt Episcopus non teneatur canere in Choro; tenetur tamen interesse diebus festiuis, & Dominicis cũ Canonicis. Adde his etiam, quæ habentur ex *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 53. num. 107 cum plur. seq.* vbi *num. 109.* addit pariter, quòd dignitas principalis in collegiata, cùm regulariter habeat animarum curam annexam in foro interiori, aut exteriori, exigit ętatem 25. annorum inceptorum, vt per eundem *Garz. ibi p. 7. cap. 4. num. 65.*

4 Secundò ampliatur, vt Canonici teneantur ad residentiam, etiam si quis Canonicatum habeat, & Monasterium in commendam; quoniã tunc si Monasterium est ab animarum cura liberum, tenetur in Canonica residere, vt habetur ex *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat. 53 num. 110. & Garz. loco supra relato, numer. 183.* qui ad id probandum adducit declarationem Sacr. Congr. Concilij; ità inter alia se habentem: *Imò absolutè videtur dicendum, & conformiis prædictæ declarationi, quòd obtinens Canonicatum, & Monasterium in commendã, debet in Canonicatu residere; nisi Monasteriũ habeat aliàs curam animarum: nàm Sacularis habens in commendam Monasterium, non habet curam Conuentus, nec Monacorum, quæ non residet penès commendatarium Clericum Sacularem non habentem intra Claustra Conuentus, sed extra; sed tota est penès Priorem Cõuentualem, qui habet curam Conuentus, & Monachorum, Rota decis. Farin. 112. num. 10. Et sic non tenetur in Monasterio residere; atque ità videtur practicari: nàm Clerici Saculares habentes Monasteria in commendam, nunquã, vt existimo, in eis resident. Et caret difficultate: nam Sacra Congregatio Concilij censuit, non teneri residere, nec promoueri ad Sacros Ordines, si Monasteria habent tantum iurisdictionem temporalem. Et 19. Decembris 1596. censuit, commendatarios Abbatia curam iurisdictionalem tantum, non autem Sacramentalem habentes, nullo Concil. decreto ad residendum astringi, neque si non resideant, pœnis ab eo in non residentes constitutis, arceri.*

5 Dixi *Si Monasterium est ab animarum cura liberum*, quoniam si habeat animarum curam annexam, tunc obtinens Canonicatum, & Monasterium in commendam, obligatur residere in Monasterio, non autem in Canonica: siquidem habens Canonicatum, & Parochialem Ecclesiam, tenetur residere in Parochiali, vt cõstat ex Bull. Pij V. 64. quoniam residentia in Ecclesiis curam animarum annexam habentibus est de iure Diuino, vt in *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 3.* & de hac re latè suprà egimus *disp. 4 sec. 7 ampl. 1. & disp. 6 sec. 11. ver. Quartò peccant.* Confirmatur, quoniam habens ex dispensatione duo beneficia residentiam requirentia, debet in eo residere, quod maiorem necessitatem sibi vendicat residendi, vel quæ dignior est, vt rectè declarat *Garz. d. c. 2. nu. 186.* at clarum est, quòd maior residendi necessitas

vrget

vrget in Parochiali, quàm in Canonica. Est tamen verum, quòd habens Canonicatum, & Parochialem in duabus Diœcesibus, & non residens in Parochiali ex permissione Episcopi, vt tenetur, iuxtà dict. Bullam Pii V. 64. cogendus est ad residentiam in Canonicatu, vt habetur ex *Garz. loco citato, num.* 184. *& Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg.* 53. *num.* 113. Quòd si quis duas dignitates æquales ex dispensatione obtineat, & ambæ residentiam exigant, poterit vbi voluerit, residere, vt per *Garz. d. num.* 186.

6 Tertiò ampliatur eadem conclusio, vt Canonici, & dignitates obtinentes obligentur ad residentiam, etiam si adsint mansionarij Choro, ac diuinis officijs continuò assistentes. Imò, & ipsi mansionarii, & obtinentes beneficia perpetua, vt infrà dicemus *concl.* 3 *ampl.* 2. Siquidem Canonici, & qui dignitates habent in Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis, tenentur, iusto impedimento cessante, psallere in Choro, atque ideò in eo cantare Psalmos, & Hymnos, & cetera eiusmodi, quæ alternatim in Choro cantantur, vt habetur ex *Azor. p.* 1 *instit. moral. p.* 1. *lib.* 10. *cap.* 11. *q.* 5. *cum seq. Bera par.* 1 *resp cas.* 55. & ex aliis relatis per *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg* 53. *sub num.* 131. qui ob id probat, Canonicos, & alios supra nominatos, cùm sint adstricti in Choro debere ibi recitare diuinas laudes, aliàs non excusantur à culpa. Imò non dicuntur formaliter residere in eorum Ecclesiis, licet habitent in Ciuitate, in qua sitæ sūt nisi præsentes sint in ipsis Ecclesiis, vt per eundem *Barbos. loco citato, num.* 122. vbi etiam *num.* 132. domi recitantes diuinas laudes, aut assistentes Choro non recitantes, nec cantantes, & frequenter confabulantes, Canonicos inquit teneri restituere distributiones quasi totas, ad quod allegat *Eman. Rodriq. in summ. tom* 2. *cap.* 145 *num.* 5. *Ludouic. Lopez in instr. consc. tom.* 1. *cap.* 246. *& Vegam in summ. p.* 1. *c.* 128. *casu* 10.

7 Quartò ampliatur, vt Canonici, & dignitates supra relatas obtinētes teneātur Choro assistere, cātare, & residere, etiam si inter eos extaret statutum quantumvis iuratum, vt possint inseruire per substitutum, vel alternati vnus pro alio: debent enim per se, & non per alios, non obstante huiusmodi statuto: eo quod esset contra *Concil Trid. sess.* 24 *de reform. cap.* 12. §. *Prætereà*, in illis verbis: *Non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus: omnes verò per se, & non per substitutos compellātur obire officia.* Et ita fuisse declaratum per Sacram Congregationem, testatur *Garz. d. cap.* 2. *num.* 498. post *Zerol. in praxi Episcop.* 2 *p. vers. Canonicus*, §. 5. Vndè inquit ibidem, idem *Garz. num.* 500. quod qui in hoc notabiliter defuerint, seu negligentes fuerint, peccabunt mortaliter, quamuis multi, præsertim dignitates obtinentes, id non seruent. Non enim excusantur, nisi Pontificio Priuilegio iuuentur, aut statuta auctoritate Apostolica fuerint confirmata, vt post alios, ait etiam *Barbos. d. alleg.* 53. *sub num.* 136. *&* 135.

8 Quintò ampliatur, vt Canonici, & dignitates præfatas obtinentes, præbendas, ac portiones, teneantur ad residentiam, nō obstante quacunque consuetudine in contrarium, quantumuis immemorabili, vt patet ex *Conc. Trid.* *loco citato*, ibi: *Non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus, Garz. d. c.* 2. *num.* 197. *& Barbos. d. allegat.* 53. *num.* 115. *&* 116. vbi id tamen verum esse inquiunt in obtinentibus Canonicatus, & beneficia supradicta in Cathedralibus, seu collegiatis insignibus, vt colligitur ex *Conc. Trid.* Secus autem si Ecclesiæ sint rurales penitus destitutæ, aut in quibus nūquam antea supra hominum memoriam solitū fuerit residere: vel in eis esset redditus, adeò tenues, vt Canonici non habentes aliunde, vndè viuant, non possint ex eis alimentari: Siquidē his casibus immemorabilis consuetudo à residentia excusaret: & ità fuit decisum per *Rot. Roman. in vna Papien. residentia*, 10. *Martij* 1613. vbi fuit decisum, consuetudinem immemorabilem non excusare à residentia in collegiatis insignibus, quod tamen locum sibi vendicat, nisi talis consuetudo esset à Papa confirmata, quoniam hæc consuetudo non est per *Conc.* reuocata, sicut etiam dicitur de statuto auctoritate Pontificia confirmato, vt per *Garz. & Barb. locis citatis*, cum aliis quos allegat.

9 Sextò ampliatur, vt Canonici, & obtinentes alia supra relata beneficia in Cathedralibus obligentur personaliter assistere in Choro, non solùm ad cantandas, ac recitandas horas Canonicas; sed etiam tenentur Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, ac inseruire, vt fuit decretum in *Conc. Trid. d. sess.* 24. *de reform. cap.* 12. § *Prætereà*, in illis verbis: *Omnes verò Diuina per se, & non per substitutos compellantur obire officia: & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, & inseruire, atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, distinctè, deuotèque, laudare, &c.* Item tenentur Canonici, & alii supra relati prodere obuiam Episcopo ad Ecclesiam Pontificaliter accedenti: & idem dicendum est de Episcopo Coadiutore, vt supra adnotauimus in hac etiam *disp.* supra præsentem *sec.* quæ prima est in ordine. Quibus adde, quæ habentur ex *Barbos. d. alleg.* 53. *num* 131.

10 Septimo ampliatur dicta conclusio, vt multò magis obligentur ad residentiam Episcopi, & curam animarum habentes, cum talis residentia debeatur de iure Diuino, vt habetur ex *Concil. Trid sess.* 23. *de reform. cap.* 1. & nos latè de hac re supra hac ead. *sec. amp* 2. *vers Dixi, disp.* 4. *sec.* 7. *ampl.* 1. *& disp.* 6. *sec.* 11. *vers. Quartò peccant.*

11 Sic ampliata limitatur hæc eadem conclusio, vt locum non habeat in Canonicis, & in aliis obtinentibus beneficia, quæ residentiam exigunt, & volentibus studiis Theologiæ, aut Canonum vacare, aut in publicis studiis præfatas scientias legere: tunc enim remittitur residentia studentibus per quinquennium: & Lectoribus, durante eorum Lectura, vt in *c. fin. de Magistr.* Est tamen verum, quòd nulli studendi gratia licitum est abesse, nisi de licentia proprii Prælati, vt colligitur ex *tex in cap. cùm ex eo, de elec. in* 6. *& in cap. tua fraternitatis, de Cler. non resid.* in illis verbis: *Canonici, quibus studiorum gratia est indultum, vt in absentia sua fructus percipiant præbendarum, &c.* iuxtà *Glos.* ibi, *vers. Indultum*: & id non immeritò, ne indo-

ciles, & inepti se conferrent ad studia contra mentem iurium id permittentium: & ne multitudo nimia in detrimentum seruitij Ecclesiæ tenderet, vt latè habetur ex *Garz. de benefic. Eccl. par. 3. cap. 2. num. 88 cum plur. seq.* & extat Cōstitutio Pij IV. quam refert *Garz. loco citato, & Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 56. sub num. 28. & 29.* qui *num. 26.* hoc priuilegium ex-
12 tendit etiam ad lericos, qui absunt causa studij in iure Ciuili: nam his etiam remittitur residentia per quinquennium, & percipiunt eorum beneficiorum fructus; nisi Clerici sint Sacerdotes, Archidiaconi, Decani, Cantores, Præpositi, vel personatum habentes: nam eisdem prohibitum est sub pœna excommunicationis ipso facto leges, & physicam audire, vt in *cap fin. ne Cler. vel Monachi.* Non tamen præfato priuilegio gaudent studentes, nisi in publicis studijs audiant, & litteris summa diligentia incumbāt, vt idem *Barbos.* post alios *d. alleg. 56. à nu. 21. ad 26.* qui etiam *num. 27* quoad docentes, seu Lectores ait præfatum priuilegium esse intelligendum de ijs, qui docent cōducti, seu salariati, aut ratione stipendij, seu Cathedræ, quam habent; non autem de iis, qui sponte legunt sine stipendio, & Cathedra, nisi legant cum licentia Vniuersitatis, seu Collegij Doctorum, vt in *d. cap. fin. de Magistr. & in Conc. Trid. sess. de reform. cap. 1.* Nec in docentibus exigitur licentia Episcopi, sicut exigitur in studentibus, & ità fuisse decisum, testatur *Garz. d cap. 2. num. 559. ad quartum, & Barbos. loco citato, nu. 33.*

13 Est tamen verum, quòd licèt Canonici, & alij, qui beneficia obtinent residentiam exigentia, cum sola eorum ordinarij licentia, & docentes, vt supra citra eiusmodi licentiam possint abesse ab ipsorum Ecclesijs studiorum causa, & percipere beneficiorum fructus, nihilominus distributiones ordinarias, ac quotidianas, non lucrantur, vt habetur ex *c. licet de præben.* & ibi *Panor. & alij*, in illis verbis: *Nolumus tamen, vt quotidianas distributiones, quæ tantùm residentibus in Ecclesiis, & his, qui intersunt horis Canonicis exhibentur, &c.* Etenim qui studiorum causa quacunque facultate absunt, nec distributiones quotidianas, eo ipso absentiæ tempore, nec illam præbendæ partem tertiam, vigore *Conc. Trid.* in distributiones conuersam capere possunt, vt habetur ex *Aloys. Ricc. resol. 386. num.* & ex alijs apud *Barbos. d. alleg. 56. nu. 19.* vbi id ampliat, etiam si cum licentia Sum. Pontificis absint, quam licentiam omninò exigunt Parochi volentes studere, aut docere, nec satis est licentia ordinarij: siquidem eiusmodi facultatem non possunt impertiri ob-
14 tinentibus Parochiales Ecclesias ordinarij, atq; ideò inferiores Papæ, & ità fuisse decisum, testatur *Aloys. Ricc. in collect. decis par. 3. collect. 563 in med. & in praxi fori Ecclesiast. dec. 502. in fine, in 1. edit. Prosp de August in addit. ad Quarant. vers. Residentia, vers. item lim. Farin. decis. 29. in nouiss. Barbos. d. alleg 56. num. 30. & Garz. de benefic. Eccles. par. 3. cap. 2. nu. 80. & 81.* vbi addit, quod quando alicui Parocho conceditur in Curia studendi facultas, vt fructus ex Parochiali Ecclesia percipere valeat, hęc omnia requiruntur; nempè primò, vt studeat Theologiæ, aut iuri Canonico in celebri aliqua Vniuersitate. Secundò, quòd non dum peruenerit ad trigesimum suæ ætatis annum; nisi studia incepisset, & vellet absoluere. Tertiò ad quinquennium dumtaxat à principio studij cōputandum. Quartò, vt infra annum ad Subdiaconatum promoueatur. Quintò, quòd interim cura animarum per idoneum Vicarium ab ordinario eligendum, assignata illi congrua portione fructuum, exerceatur, vt rectè declarat idem *Garz.* ibidem, vbi plura alia cumulat, circa modum licentiæ concedendæ. Quæ quidem licentia, quoad Parochiales Ecclesias non datur, cum hodiè per *Conc. Trid.* non admittantur supplicationes, quæ dantur à Parochis, vt abesse possint causa studij, & eorum Ecclesiarum fructus percipere, vt latè *Garz. vbi supra à nu. 81. vsque ad num. 85.*

15 Secundò limitatur hęc ipsa conclusio, in Auditoribus *Rotæ Rom.* Nam hi consequuntur fructus suarum præbendarum: imò, & distributiones, ac si actualiter residerent, vt patet ex Bulla Clem. VII. 13. quæ incipit, conuenit ęquitati, §. 6. *& Barbos. de offic. & potest. Episc alleg. 53. num. 155.* vbi etiam *num. 156. cum plur. seq.* idem priuilegium habere testatur post alios Inquisitores hæreticæ prauitatis, etiam quoad beneficia curata; licet contrarium, & verius doceat *Cenal. commun. contra commun. q. 585. nu. 12.* quem sequi ibi *Barbos. & supra num. 87.* pro qua re facit Bulla Pij IV. 91. & *Conc. Trid. supra relatum.* Idem priuilegium habent Collector generalis Cameræ Apostolicæ, subCollectores, Aduocati, Procuratores Fiscales, ac Notarij in causis spoliorum, & iurium Cameræ, eorum officio durante, & id ex Bulla Sixti V. ædita die 8. Maij 1590. Eodem gaudent priuilegio interessentes Concilio generali, vt habetur ex *Rebuff. in praxi par. 3 tit. de dispensatione de non resid. num. 34. & Barbos d. alleg. 53. n. 158.* vbi etiam *num. 159.* ex Bulla Sixti V. idem priuilegium competere probat Canonicis missis ab eorum Episcopo, aut comitantibus eorum
16 Episcopum ad limina Apostolorum. Pœnitentiarius quoque interim, dum audit confessiones censetur præsens, & lucratur distributiones quotidianas. Imò non desunt qui velint, examinatores beneficiorum eodem potiri priuilegio: quod quomodo procedat, declarat idem *Barbos. loco citato, num. 161.* vbi etiam *num. 127. 129. & 161.* addit, quòd animarum curam exercentes, quæ illi Ecclesiæ, vbi sunt Canonici imminet, dum sunt in actu ministrādi Sacramenta, vel alia ad ipsam curam pertinentia exercendi, eodem priuilegio potiuntur, ita vt tanquam Choro interessentes habeantur ad effectum lucrandi distributiones quotidianas. Hoc ipsum priuilegium habet visitans Ecclesiam, iura, vel redditus suæ præbendæ, vt ex eodem *Barbos. ibi num. 126. 163. & allegat. 126.* Item eodem priuilegio gaudet obses datus ab Ecclesia, aut repræsaliarum causa captus, & detentus: is enim habetur, ac si præsens Choro esset, *Barbos. ibidem num. 165.*

17 Tertiò limitatur prædicta conclusio, vt locū non habeat in Canonicis senibus, & alijs beneficiarijs eiusmodi: & infirmis, qui personaliter Choro interesse commodè non possunt: nam isti habentur, tanquam præsentes, si aliàs reside-
re

ae erant soliti, & quotidianas distributiones lucrantur, vt habetur ex *Menoch. de arbitr. casu 60. num. 10. Aloys. Ricc. resol. 389. num. 7. Nauar. cons. 2. num. 3. de Cler. non resid. Rota in vna Hispalen. distributionum Veneris, 2. May 1603. coram Reuerendissimo D. Coccino Rota Decano.* Et *Barbos. loco citato, num.* 164. 166. 167. & 168. vbi id ampliat, etiam si beneficiarij eorum culpa in morbum inciderunt. Non tamen id extendit *num.* 170. in absentes pestis causa, nisi legitima consuetudine iuuentur. Excusantur pariter à residentia, & lucrantur distributiones absentes pro vtilitate Ecclesiæ, aut pro defensione iurium ipsius: et multò magis si eiusdem causa, & pro defensione suorum iurium fuerint excommunicati, suspensi, interdicti, aut aut iniustè incarcerati, vt latè declarat, idem *Barbos. vbi supra à num.* 171. *ad* 179. inclusiuè, cum alijs, quos allegat.

18 Quartò limitatur ipsa conclusio, quoad quartam, & quintam ampliationem, statutum, vel consuetudinem, qua cauetur seruitium quadraginta annorum Ecclesiæ præstitum, liberare beneficiatum à residentia, ac lucrari distributiones quotidianas in absentia, quamuis ipse nõ interfit diuinis, tolerari posse, vt habetur ex *Ce ned. p. 3. collect. 1. in fine, Moneta de distrib. quotid. p. 2. q. 7. num.* 21. & ex alijs apud *Barb. d. alleg.* 53. *num.* 117.

SECVNDA CONCLVSIO.

19 Canonici, & alii obtinentes in Cathedralibus Ecclesiis, aut collegiatis dignitates, præbendas, aut portiones, possunt abesse ab eorum Ecclesiis, & in eis non residere per spatium trium mensium quolibet anno, citra omnem culpam. Hæc conclusio est communis, & patet ex *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap.* 12. *versic. Præterea*, ità se habente: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus, prabendas, aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis, vltra tres menses ab eisdem Ecclesiis abesse, &c.* Si igitur prohibet Concilium vltra tres menses abesse; ergò censetur permittere tribus mensibus quolibet anno abesse: siquidem argumentum à contrario sensu in iure est validissimum, vt in *l.* 1. & ibi, *Doctor. de offic. eius, &c.* latè *Euerard. loco, à contrario sensu.*

20 Ampliatur hæc conclusio primò, vt licitum sit Canonicis, & aliis beneficiatis supra relatis abesse ab eorum Ecclesiis tres menses quolibet anno non solum interpellatos, sed etiam continuos, vt declarasse Sacram Congregationem, testatur *Garz. de benefic. Eccles. p. 3. §. 1. cap. 2. num.* 180. & *Barbos. d. alleg.* 53. *num* 120. cum aliis, quos allegat.

21 Secundò ampliatur eadem conclusio ad absentiam trium mensium à Concilio concessam Canonicis, & aliis beneficiatis, de quibus agitur, non oportere assignari absentiæ causam: nec petere proprii Prælati licentiam; dummodo Canonici eodem tempore non absint, ne Ecclesia suo seruitio defraudetur. Etenim Concilium absolutè permittit talem absentiam, vt præbendati possint potiri recreatione aliqua, nec exigit causam, nec licentiam. Vndè satis est, eam quotam partem Canonicorum remanere, quæ videbitur arbitrio Episcopi, & Capituli, vt Sacram Cõgregationem declarasse formalia eiusdem Congreg. referens verba, testatur *Garz. d. cap. 2. num.* 245. quibus adde, *prax Episc verbo priuatio*, §. 2. *dub.* 4. & alios apud *Barbos. d. alleg.* 53. *num* 118.

22 Tertiò ampliatur, vt Coadiutus, & Coadiutor Canonicorum, & beneficiatorum, de quibus agitur, gaudeant eodem beneficio, ita vt abesse possint ab eorum Ecclesiis tribus mensibus, vt habetur ex *Nauar. cons. 1. num. 6. de Cler. egrot. Rota Rom. in vna Salamantina integra portionis*, 18. *Octobris* 1584. *corã R. P. D. Penia, Moneta de optione, cap. 4 q 8. num.* 172. & *Barbos. d. alleg. 53. num.* 125. qui præterea addunt, legitimè impeditum Coadiutorem posse percipere distributiones, vt per *Monet. de optione, cap. 4. q 8. num.* 172.

23 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat, quando Ecclesia ex vi constitutionum exigit maius seruitium. Vndè si Ecclesiæ constitutiones seruitium totius anni expostulent, Canonici, & alii eiusmodi non possunt abesse ab eorum Ecclesiis tribus illis mensibus, vt fuit decretum ex *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap.* 12. in illis verbis: *Saluis nihilominus earum Ecclesiis constitutionibus, quæ longius seruitij tempus requirunt. Garz. de benefic. Eccl. par. 3. §. 1. cap. 2. num.* 312. *Barbos. d. alleg. 53. num.* 121.

24 Secundò limitatur, vt quamuis Canonicis, & supradictis beneficiatis Concilium indulgeat, vt possint abesse ab eorum Ecclesiis tribus mensibus quolibet anno; nihilominus Episcopi curare debent, ne Canonici absint ab eorum Ecclesiis in die Natiuitatis Domini, in Pascha, & in aliis maximis festiuitatibus, vt habetur ex *Garz. d. cap. 2. num.* 316. & *Barbos. loco citato, num.* 119. & extat declaratio Sacræ Congregationis à dictis *Garz.* & *Barb. relata.*

25 Tertiò limitatur ipsa conclusio, vt licet Canonicis permittatur absentia trium mensium ab eorum Ecclesiis; non tamen debent abesse omnes simul, ne Ecclesiæ suo seruitio destituantur; sed illa Canonicorum pars debet remanere, quę Episcopo, ac Capitulo conueniens, ac sufficiens videbitur, vt supra adnotauimus *ampl.* 2. ex *Garz.* qui pro hac re affert declarationem Sacræ Congregationis.

26 Quartò limitatur, vt etsi Canonici, & alii, qui beneficia obtinent residentiam requirentia, possint per tres menses quolibet anno ab eorum Ecclesiis abesse, & beneficiorum fructus lucrentur; distributiones tamen quotidianas non lucrantur, vt supra adnotauimus *concl. 1. limit. 1. vers. Est tamen verum*: quoniam distributiones quotidianæ tantùm residentibus debentur, vt in *cap. licèt, & ibi, Doctor. de praben.* Quibus adde, quæ habentur ex *Barbos. d. alleg. 53. nu.* 124. vbi id verum esse putat, quando distributiones sunt distinctæ à præbendis; secus si succedant loco præbendæ, & tanquam fructus habeãtur, quoniã tunc absentes, ex quauis legitima causa illas lucrantur, idest duas illarum partes, omissa tertia, quæ accrescit interessentibus.

27 Quintò limitatur præfata conclusio, vt indul-

dulgentia concessa Canonicis, & aliis supra relatis beneficiatis, vt possint abesse ab eorum Ecclesijs per tres menses quolibet anno, non extendatur ad Parochos, & ad alios animarum curam habentes. Etenim animarum curam habentes eiusmodi priuilegio non potiuntur, siue Parochi sint, siue Episcopi, aut maiores Antistites; sed obligantur assiduè residere in proprijs Ecclesijs, nec abesse possunt, nisi cum Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, & Reip. vtilitas abesse eos exigant: quas legitimas causas probare coguntur Episcopi, coram Sum. Pontifice, aut Metropolitano, & ab eis licentiam in scriptis obtinere. Et curati, seu Parochi legitimam absentiæ causam debent afferre, & probare coram eorum Episcopo, & ab eo licentiam obtinere in scriptis, quæ non excedat bimestre; sicut Antistitum absentia non debet excedere duos, vel ad summum tres menses, singulis annis: & id ex æqua causa fiat, & absque vllo gregis detrimento. Et Parochi, & alij curati, cùm abesse contingerit, debent relinquere Vicarium idoneum ab eorum ordinario approbandum, cùm debita mercedis assignatione, vt patet ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 1.*

28 Est tamen verum, quod sicut citrà licentiam possunt abesse Episcopi ex indulgentia *Concil. Trid. loco citato*, cùm repentina vrgeat discessio; ita quoque Parochi, & alij curati ex communi consuetudine, si vrgens sit causa, quæ nō patiatur dilationem, nec habeant, quem mittāt ad Episcopum pro licentia, possunt per paucos dies abesse, citra licentiam, relicto Vicario; licèt non fuerit ab ordinario approbatus, vt rectè post alios declarat *Barbos. alleg. 53. sub numer. 105.* vbi etiam addit, quòd si curatus rationabiliter iudicauerit, vt quia nullus infirmatur, potest abesse per duos, vel tres dies non festos, etiā si nullum substituat: & si aliquis interim decedat absque Sacramentis, non peccabit, quia rationabiliter abfuit: Secus autem si adsit infirmus, & non habeat Parochus, quem substituat ad conferenda ei Sacramenta; quoniam non potest illum derelinquere, ex quauis causa quantumuis vrgenti, sed debet subire quodcunque periculum potius, quàm deserere talem infirmum. His adde, quæ infrà dicemus *disp. seq. sec. 1. limit. 4.*

TERTIA CONCLVSIO.

29 CAnonici, & alij obtinentes in Ecclesijs Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, præbendas, aut portiones licèt citra culpam per tres menses possint ab ipsis Ecclesijs abesse; vltra tamen dictos tres menses si absint, proculdubio culpam contraherent. Prima pars huius conclusionis patet ex conclusione præcedenti. Secunda verò pars probatur ex *Conc Trid. d sess. 24. de reform. cap. 12.* in illis verbis: *Non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, &c.* Cùm igitur contrauenientes, cōtra *Conc.* decretum faciant, citra omnem controuersiam peccatum committunt, iuxtà ea, quę supra adnotauimus, *concl. 1.*

30 Ampliatur primò hæc conclusio, vt Canonici, ac obtinentes dignitates, præbendas, ac portiones in Cathedralibus Ecclesijs, ac collegiatis non possint ab eis vltra tres menses abesse, etiam si in Ciuitate, vbi ipsorum Ecclesiæ existunt, sint præsentes: aliàs peccant mortaliter, nec satisfaciunt, si vltra tres menses notabiliter abfuerint, vt per Sacram Congregationem fuisse declaratum, testatur *Garz. de benefic. Eccl. p. 3. cap. 2. num. 323.* Cuius declarationis verba super *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 12.* sunt quæ sequuntur: Etenim declaratur primò in prima declaratione: *Decretum Concilij intelligendum est, vt Canonici non possint abesse ab Ecclesiæ suæ seruitio vltra tres menses, singulis annis, nihilque eis prodesse, quòd in Ciuitate maneant, nisi Ecclesiæ debitis horis inseruiant: intelligendumque est omnes in contrarium cōsuetudines per hoc decretum esse sublatas.* Secundò declaratur in secunda declaratione: *Si vltra tres menses absunt, licèt in Ciuitate sint, incidunt in d. decreti pœnam, per quod est sublata omnis consuetudo in contrarium.* Tertiò declaratur in tertia declaratione: *Canonicus, qui abest à seruitio suæ Ecclesiæ vltra tres menses licet sit, & maneat in Ciuitate, vel in loco, in quo Ecclesia ipsa consistit, mulctari potest, prout à Conc. statuitur.* Quartò ità declaratur in quarta declaratione. *Puniendi sunt, qui à seruitio Ecclesiæ absunt, licèt in Ciuitate locorum, in quibus ipsa Ecclesia consistit, sint præsentes tantùm.* His adde quoque *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 53. num 122.*

31 Secundò ampliatur eadem conclusio multis alijs modis, quibus ampliauimus supra primam conclusionem huius sectionis. Quibus adde, quòd ad residentiam, non tantùm teneantur Canonici, sed etiam Mansionarij, Cappellani, & obtinentes alia beneficia, quæ sunt perpetua in Eccles. Cathedr. & collegiatis, vt habetur ex *Garz. d. cap. 2. num. 475.*

32 Sic ampliata limitatur primò ipsa conclusio, vt Canonici, & alij supra relati beneficiati possint abesse vltra tres menses ab eorum Ecclesijs, propter superuenientes inimicitias post obtenta beneficia: aut si in Parochiali Ecclesia residerent, vt fuit declaratum per Sacr. Congr. super *d. cap. 12 Conc.* his verbis in quinta declaratione, cuius meminit *Garz. loco citato circa fin. Non licet vltra tres menses abesse, nisi ob causam inimicitiarum si post obtentum Canonicatum inimicitię superuenerunt, vel nisi in Parochiali Ecclesia resideret; etiam si steterit, &c.* His adde, quæ habentur ex *Barbos. de offic. & potest. Episc alleg 53. num. 130.*

33 Secundò limitatur, vt possit Episcopus ob legitimam causam præstare Canonicis suis licentiam, vt possint abesse per quatuor menses, vt testatur fuisse declaratum *Barbosa* post alios *d. alleg 53 num 123 & 145. & Garz. d. c. 2. numer. 408.* vbi affert Sacr. Congregationis declarationem, ità se habentem, & legitimam causam exprimentem: *Episcopus potest ob legitimam causam dare licentiam Canonicis, vt absint à suæ Ecclesiæ seruitio. Legitima enim causa dicitur, quæ est à lege approbata, & in iure expressa.* Vnde ex hac declaratione colligit ipse *Garz. num. 109* non habere facultatem ordinarium dispensandi in residentia ex omni causa: ad quod allegat aliam Sacr. Congregationis declaration-

cla-

clarationem, dicentem: *Per hoc non datur facultas ordinarijs dispensandi in residentia ex quauis ratione.* Et *Concilium Mediolanense 5. p. 3. tit. de residentia,* hoc ipsum decreuit, inquiens: *Ne Episcopus propterea, quod sibi liberum, integrumque est facultatem permittere, qua liceat aliquem ab Ecclesia commissa, beneficioue personalis residentię abesse ea potestate, facultateue deinceps ob cuiusuis generis causã, vtatur, sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat à Conc. Trid. praescriptas.* Vide *Garz. d. cap. 2. num. 411. cum pluribus seq.* vbi rem hanc latè pertractat, & à *num. 415.* declarat quoque, an Capitulum eiusmodi facultatem habeat ex vi consuetudinis: & infrà nos latius dicemus, *sec. 3.*

Tertiò limitatur dicta conclusio omnibus alijs modis, de quibus supra *concl. 1. lim. 1. 2. & seq.*

QVARTA CONCLVSIO.

34 Canonici, & qui obtinent in Ecclesijs Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, præbendas, aut portiones, si ab eorum Ecclesijs absint vltra tres menses, singulis annis, vltra culpam, quam contrahunt, varijs quoque plectuntur pœnis. Hæc conclusio patet, quoad primam partem ex *1. & 3. conclus. sectionis huius.* Probatur modo conclusio ipsa, quoad secundam partem ex *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12. vers. Praterea.* Vbi contrauenientes anno primo priuantur dimidia parte fructuum, quos ratione præbendarum, ac residentiæ fecerunt suos. Quòd si iterum eadem vsi fuerint negligentia priuantur omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint. Crescente verò cõtumacia, contra eos, iuxtà Sacrorum Canonũ constitutiones proceditur: quæ quidem Canonum constitutiones continentur in *cap. 2. cap. conquirente, cap. ex parte il 1. cap ex tua, & c. fin. de Cler. non resid.* vbi Clerici non residentes priuantur beneficijs, si moniti non redeant, nec excusationem allegent. Et denique priuãtur distributionibus quotidianis, quas inquit *Concilium loco citato,* illis tantum deberi, qui statutis horis interfuerint exclusis nõ interessẽtibus, quauis collusione, aut remissione non obstante, iuxtà Bonifacij VIII. decretum, de quo habetur in *cap. vnico de Cler. non resid. in 6.* cuius tenor est, qui sequitur. *Consuetudinem, qua in quibusdam partibus inoleuit, qua Canonici, & alij beneficiati, seu Clerici Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum collegiatarum, distributiones quotidianas, qua aliàs manualia beneficia, seu victualia nuncupantur, & tãtùm residentibus tribuuntur, qualitercumque in Ciuitatibus, seu alijs locis, in quibus ipsa cõsistunt Ecclesia, sint prasentes, licet diuinis officijs non intersint, ex integro percipiunt, ac si continuè ipsis Ecclesiis in eisdem officijs deseruirent, penitus improbantes: statuimus, vt distributiones ipsa quotidiana in quibuscumque rebus consistant, Canonicis, ac alijs beneficiatis, & Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdẽ officijs in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur iuxta Ecclesia cuiuslibet ordinationem rationabilem iam factam, seu etiam faciendam: Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta, ac rationabilis corporalis necessitas, aut euidens Ecclesia vtilitas excusarent, rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas: imò ad omnium restitutionem, qua contra huiusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniuersarijs largiendis, idem decernimus obseruandum.*

35 Ampliatur primò hæc conclusio, vt Canonici, & alij beneficiati supra relati non residentes præfatis pœnis plectantur, etiam si in Ciuitate vbi ipsorum Ecclesiæ existunt, sint præsentes, vt latè supra ostendimus *concl 3. ampl. 1.*

36 Secundò ampliatur, vt Canonici, qui maiori seruitio Ecclesiæ, quàm nouem mensiũ sunt adstricti, eisdem pœnis, in Concilio, & iuribus contentis subiaceant si non resederint, vt declarauit Sacra Congregatio, de qua *Garz. d. cap. 2. num. 144. & Barbos. d. alleg. 53. nu. 146.*

37 Tertiò ampliatur, vt Canonici, & alij, vt supra beneficiati priuentur beneficiorum fructibus nulla præuia monitione; vt resideant, vt censuit Sacra Congregatio, quam refert *Garz. loco citato, num. 145.* & ità se habet. *Congregatio censuit, Canonicos non esse citandos, aut monendos ad residentiam, nec opus esse intimatione, vt deseruiant iuxtà formam huius decreti; sed si adfuerint vltra tres menses, citandos esse ad allegandum, quare non debent puniri secundum hoc decretum: & oportere censuit Congregatio, bonum Iudicem arbitrari quanto tempore debeat vltra tempus permissum absentes expectare, antequam contra eos pœnas exequatur.* Non sic autem dicendum est de pœna priuationis beneficii, crescente contumacia, vt infrà dicemus *lim. 2.*

38 Quartò ampliatur, vt prædicta pœna contra non residentes non possit remitti ab Episcopo; quoniam Episcopus non potest dispensare contra Concilium, vt habetur ex *Nauar. conf 3. de Cler. non resid. nu. 1. & Garz. vbi supra, num. 149.* vbi tamen *num. 150.* probat posse Episcopum eiusmodi pœnam antè sententiam ex causa minuere, vel augere: pro qua re allegat Sacram Congregationem Concilii; ità se habentem: *Censuit Sacra Congregatio fructus prabenda, in quibus Canonici absentes vltra tres menses mulctantur, sunt applicandi Ecclesia ad vtilitatem ipsius: potest tamen Episcopus hanc pœnam ante sententiam minuere, vel augere; sed non in totum tollere.* Quòd si Episcopus taceat, & dissimulet, & non priuet Canonicos ipsos non residentes, non tenentur ipsi Canonici fructus illos, quos aliàs fecit suos restituere in foro conscientiæ, in quo nemo tenetur soluere pœnam ante sententiam, præsertim quando nõ est imposita ipso iure, vt est ista. Ità *Garz. d. c. 2. num. 151.* vbi tamen addit, peccare Episcopum si citra iustam causam dissimulet.

39 Quintò ampliatur, vt fructus, quibus Canonici veniunt priuandi ob absentiam ab eorum Ecclesiis vltra tres menses veniant applicandi fabricæ propriarum Ecclesiarum, quatenus indigeant; aliàs alteri pio loco arbitrio ordinarii, non excludendo fabricam ipsarum Ecclesiarum, cùm Ecclesia sit etiam pius locus, & possit

possit in dies indigere, vt habetur ex *Conc. Trident. sess. 22. de reform. cap. 3. & Garz. d. cap. 2. num. 146. &* 147. Est tamen aduer. quod *Concilium loco citato* non videtur loqui de fructibus beneficiorum, quibus veniunt priuandi nō residentes, sed de distributionibus quotidianis; atque ideò *Concilium* videtur corrigere, quod prius decreuit *sess. 21. de reform. cap. 3.* vbi distributiones ipsas, quas ammittunt non residentes, applicat interessentibus propotionabiliter; non autem fabricæ.

40 Sed circa rem hanc *Nauar. miscell. 59 de orat. num. 9.* Vtramque Concilii decisionem cōcilians respondet, quod *tex. in d. cap. 3. sess. 22.* loquitur de distributionibus extraordinariis, & impropriis dūtaxat, quæ de redditibus particularibus dignitatum, personatuum, & officiorū constituuntur, lucrifaciendæ ab illis solis, qui huiusmodi beneficia habent, implendo officia, & seruitia diuina eis ab Episcopo præscribenda, ac designanda. Decretum verò *d. sess. 21 cap. 3.* ait debere intelligi de distributionibus ordinariis, & propriis, quæ constituuntur de fructibus communibus, lucrifaciendæ ab obeuntibus communiter officia diuina; atque ideò subdit ipse *Nauar.* illas distributiones extraordinarias aliis non accrescere, quibus ordinariæ accrescunt: Siquidem hæ de communibus fructibus constituuntur pro officiis communiter ab omnibus obeundis: illæ verò de fructibus particularibus præfatatum dignitatum, personatuum, & officiorum, pro officiis, ac seruitiis à solis ea obtinentibus, faciendis, & obeundis. Hanc conciliationem sequitur *Moneta de distrib. quotid. par. 3. q. 6. num. 29.* & alii, quos refert, sed non sequitur *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 53. sub num. 154.* vbi melius putās dicendum inquit, quòd *Conc. sess. 22. de reform. cap. 3.* loquitur de dignitatibus, à quibus ordinarius tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas conuertendo separare potest, & dato, quòd distributiones quotidianæ non sint tenues, & in odium obtinentium dignitates, & negligentium residere, & quando illa tertia pars ità subtracta per non seruientes amittitur, locis piis est applicanda. At verò *sess. 21. de reform. cap. 3.* intelligitur, quando distributiones sunt tenues, ita vt negligantur: tunc enim tertia fructuum pars ita separata, & in distributiones ab ordinario conuersa, si per non seruientes amittatur, proportionaliter seruientibus accrescit, Hāc interpretationem ait *Garz. loco citato, num. 465.* esse satis conformem mēti, & verbis dictorum Concilii decretorum: & probat ex pluribus declarationibus Sacrę Congregationis super *d. Conc.* de quibus infra *sec. 4.* & facit *decis. Rotæ Rom. 325. par. 2. Diuers. in vna Gadicen distributionum.*

41 Sextò ampliatur, vt si Canonicatus, seu præbenda nullos habeat fructus in absentia, sed omnes residendo lucrifierent, tunc qui nunquā resedisset pro primo, & secundo anno, atque ideò non haberet tunc fructus, quibus priuari posset, iuxtà *Conc.* decretum, eo casu puniendus esset pœna arbitraria, vt per eundem *Garz. loco citato, num. 153.*

42 Sic ampliata limitatur primò prædicta conclusio, vt decretum *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12.* quoad pœnam contra obtinentes Canonicatus, & non residentes non habeat locum in Canonico simplici carente prębenda, aut ipsa præbenda fructus habeat tenues, vt probat *Ricc. in praxi fori Ecclesiastici decis. 11. in 1. edit. & resol 624. in 2. edit* quem refert, & sequitur *Barb. d. alleg. 53. num. 147. & Garz. de benefic. Eccl. par. 3. cap. 2. num. 482. & 483.*

43 Secundò limitatur, quoad tertiam ampliationem, vt licet Canonici, & alij supra relati beneficiati non residentes in eorum Ecclesijs, vt priuentur beneficiorum fructibus non indigeant aliqua præmonitione, seu citatione; nihilominus, crescente ipsorum contumacia, ad hoc, vt valeant beneficijs priuari ob non residentiam debent personaliter citari, si sciatur vbi sint absentes, etiam si sint extra Regnum, aut in partibus Indiarum, iuxta ea, quæ habentur ex *Ceual. q. 809. à num. 17.* non tamen requiritur trina monitio, sed satis est vna, nec debet expectari per sex menses; sed tempus erit arbitrariū, ità quòd bonus Iudex arbitrabitur, quanto tempore valeat vltra tempus permissum expectare, antequam contra eos pœnas exequatur, vt probat *Garz. d. cap. 2. num. 145 & 155.* Quòd si nesciantur in quo loco sint absentes, tunc citandi sunt per edictum publicum, mediante trina citatione; nec satis esset vna citatio pro tribus, & lapsi sint sex menses, atque ideò absentia debet esse semestris, iuxtà *tex. in cap. ex tuæ, de Cler non resid.* latè *Garz. loco citato, num. 154. cum plur seq. & Barb d. alleg. 53. à nu 146. ad 150.* vbi etiam dicunt quòd si quoad priuationem beneficiorum prædictæ citationes non præmittantur, & pœnarum gradus per *Conc.* præscripti non seruentur, nulla erit beneficiorum priuatio: pro qua re ipse *Garz. vbi supra à num. 156 cum pluribus seq.* affert nonnullas decisiones *Rotæ Romanæ, & nu. 167.* adducit quoque plures declarationes Sacræ Congregat. Imò arbitror, quòd ad priuandos Canonicos, & alios beneficiatos obligatos ad residentiam, & non residentes, fructibus beneficiorum, satis non esse paucos dies absentiæ vltra tres menses; quoniam de minimis non curat Prætor; *l. quod si Ephesi, ff. de eo, quod cer. loco.* Etenim ob id arbitrio boni Iudicis remittitur, quanto tempore valeat vltra tempus permissum absentes expectare antequam contra illos pœnas exequatur, vt supra diximus ex *Garz. d. nu. 145 & Barbos. d num. 146.*

44 Tertiò limitatur in omnibus casibus excusātibus à residentia, quos supra enumerauimus *concl. 1. lim. 1. 2. & 3.* Siquidem absentes in dictis casibus non solùm non plectuntur pœnis in *Concil. Trid.* & in alijs iuribus contentis; verum etiam lucrantur fructus beneficiorum, & quotidianas distributiones. Etenim adhoc vt absens à seruitio suæ Ecclesiæ lucretur fructus, ac distributiones, duo debent copulatiuè concurrere, nempè iusta causa absentiæ, & licentia ordinarij, si beneficia non sint curata; alias exigetetur licentia Rom. Pontif. vt diximus supra *concl. 2. lim. 5. & concl. 3. lim. 2.* & infra latius, Deo duce agemus de Parochis agentes.

An

An Canonici, & alij obtinentes beneficia requirentia residentiam, & absentes vltra tres menses contra formã Constitut. Bonif. VIII. *in c. vnico de Cler. non resid. in 6. & Concil. Trid.* lucrentur vestuarium.
SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Vestuarium quodnam sit.*
2 *Vestuarium, seu grossa propriè non possunt dici distributiones quotidianæ.*
3 *In Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis, vbi Canonici non habent alias præbendas, quàm vestuarium, ipsum vestuarium est præbenda.*
An Canonici absentes pro primo anno priuari possint dimidia parte fructuũ, & crescente eorũ cõtumacia possit etiã procedi ad priuationem præbendarum, Canonicatuum, dignitatum, & portionum.
4 *Canonici, si præter præbendas habeant quoque vestuarium, si vltra tres menses absint, priuantur fructibus præbendæ, non autem vestuario.*

1 AD tituli explicationem est adnot. quòd vestuarium est species quædam distributionum, quæ alio vocabulo dicuntur grossa, & distribuuntur certis anni diebus. Vnde *Garz. de benefic. Eccl. p. 3. cap. 2. num.* 441. affert quandam decisionem *Rot. Rom. in causa Conchen. fructuum 1. Iunij* 1538. *coram D. Rubeis*, in qua supponebatur, quòd in Ecclesia Conchen. ratione Decanatus, & Canonicatus vestuarium non distribuebatur quotidiè, sed certis anni diebus, ac quolibet semestri interessentibus per 120. dies in vna ex septem horis Canonicis, etiam si per 60. dies se absentent. De his distributionibus, seu vestiario quæritur, an comprehendantur sub dispositione d. Constit. Bonifac. VIII. ac sub decreti *Conc. Trid. sess. 21. de reform. cap. 3. & sess. 24. de reform. c. 12.* itavt Canonici, & alij habentes præbendas, dignitates, aut portiones in Ecclesijs Cathedralibus, vel collegiatis non residentes, ac vltra tres menses absentes ab ipsis Ecclesijs priuentur ipso vestuario, seu grossis.

2 Ad hanc difficultatem negatiuè; quoniam vestuarium, seu grossa non possunt dici propriè, ac simpliciter distributiones quotidianæ: nam distributiones quotidianæ verè, & simplicitèr nuncupantur, quæ per singulas horas diuiduntur, ac distribuuntur quotidiè, etiam si solutio non fiat dietim, sed post longum tempus: at illæ distributiones, quæ dicuntur grossa, seu vestuarium non habent respectum ad singulas horas; quoniam possunt etiam in vna hora lucrifieri: & requirunt eam residentiam in Ecclesijs, quæ ipsæ Ecclesiæ constituerunt, cùm igitur vestuarium, seu grossa non dicantur propriè distributiones non comprehenduntur sub dictis Concilij decretis: quoniam decreta ipsa cùm sint penalia sunt strictè interpretanda, vt in odia, & ibi *Dottor. de regul. iur. in 6.* & leges in pœnalibus interpretandæ sunt potius in fauorem rei, quàm accusatoris, aut Fisci: quoniam leges magis tendunt ad soluendum, quàm ad ligandum, vt in *l. Arrianus, ff de action. & obligat. l. non puto, ff. de iure Fisci.* Et ita fuisse decisum per d. *Rotam Romanam*, testatur *Garz. loco citato*, his verbis: *Fuit dubitatum, an Constitutio Bonifacij de Cler. non resid. in 6. comprehenderet dictum vestuarium? & resolutum est non comprehendere vestuarium; quia non est propriè, nec comprehenditur inter distributiones quotidianas. Glosa ibi vers. Receperint, vbi omnes, & in extrauag. Ioann. 22 cùm non nulla, de præben. Abb. in cap. olim, de verb. signif. Paris. cons. 32. num 8. & 15. lib. 4. & maximè, quia in Ecclesia Conchen. Canonicatus non habent præbendas distinctas à vestuario, vndè necesse est dicere, quòd sit diuersum à distributionibus; aliàs esset Canonicatus sine præbenda: & cùm materia d. cap. sit correctoria, non est extendenda, etiam ex identitate rationis, vt iuribus vulgatis.*

3 Est tamen verum, quòd in Cathedralibus Ecclesiis, & in collegiatis, vbi Canonici non habent alias præbendas, quàm vestuarium, ipsum vestuarium est præbenda, seu succedit loco præbendæ, vt habetur ex *d. Rota decis. & Garz. vbi supra, num.* 440. Vndè si absint vltra tres menses singulis annis, puto comprehendẽdi sub dispositione *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12 vers. Præterea*, vbi decernitur, vt obtinentibus in Cathedralibus, aut collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut cõsuetudinis vltra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: alioquin anno primo priuatur vnusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, ac residentiæ fecit suos. Et si iterum eadem fuerit vsus negligentia; priuatur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit. Crescente verò contumacia potest procedi etiam ad priuationem præbendarum, Canonicatuum, dignitatum, & portionum, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus *sec. 1. concl. 4. per totam.* Quòd si Canonici præter vestuarium 4 habeant etiam præbendas, tunc licèt absint vltra tres menses, si tamen intersint certis anni diebus, iuxtà ea, quæ supra diximus ad tituli huius sectionis explicationem, dominium ipsius vestuarij acquirunt, nec tenentur illud restituere, cùm eiusmodi vestuarium non sit præbenda, nec formaliter distributiones: & propterea non comprehenditur sub decreto *Conc. Trid. in d. cap. 12.* contento, nec sub dispositione præfatæ Constitutionis Bonifac. VIII. de qua in *c. vnico, de Cler. non resid. in 6.*

An Episcopus, aut Capitulum Cathedralis, aut collegiatæ Ecclesiæ citra culpam possint alicui Canonico concedere, vt valeat vltra tres menses per aliquot tempus abesse, & quotidianas distributiones percipere.
SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Nec Episcopus, nec Capitulum potest simpliciter*

ter concedere Canonicis Cathedralis, siue Collegiatæ, vt vltra tres menses abesse possint per aliquod tempus, & distributiones quotidianas percipere.

2 *Nec ad breue tempus potest Episcopus, vel Capitulum hanc facultatem Canonicis concedere, & dilucidatur Declar. Sacr. Congr Episcopi Caurien.*

3 *Episcopus, seu Capitulum dispensare non potest in residentia ex quauis causa quantumuis iusta, & rationabili.*

4 *Episcopus, & Capitulum vltra tres menses cōcedere non potest Canonicis, & beneficiatis, vt absint ab eorum Ecclesiis, non obstantibus quibusuis consuetudinibus, & statutis.*

5 *Si de facto Episcopus, & Capitulum hanc licentiam concedant, non solum talis licentia erit nulla, ac inualida, sed etiam non residētes, vigore talis licentiæ priuari possunt fructibus beneficiorum.*

6 *Idque locum habet, eo fortius in distributionibus quotidianis, quæ tantum interessentibus debentur.*

7 *Non licitum est Capitulo prætextu aliquo distributiones donare, relinquere, aut quauis collusione remittere.*

8 *Potest Episcopus Canonicis, ac præbendatis, vt possint abesse vltra tres menses ex causis à iure permissis, & quæ.*

9 *An possit Capitulum dare huiusmodi licentiā ex causis à iure permissis.*

10 *Seruitium, seu obsequium Episcopi, quoad duos Canonicos est causa in iure expressa, excusans eos à residentia.*
Et habentur, quoad fructuum perceptionem, tanquam præsentes.
Quam partem habere debeant isti Canonici si Ecclesia non habeat distributiones distinctas sed omnes fructus consistant in distributionibus. Et an hodiè possit Episcopus Canonicos extrahere pro suo seruitio.

11 *Stante statuto, vel consuetudine, qui familiares Episcopi non habeantur pro præsentibus, nisi ad quatuor menses, & quod assumi debeant in familiares antè diem Natiuitatis Domini, an Capitulum possit facere gratiam contra prædictum statutum, & consuetudinem.*

1 AD hanc difficultatem respondentes constituimus regulam negatiuam; atque ideò dicimus non posse Episcopum, nec Capitulum facultatem concedere simpliciter Canonicis Cathedralis, aut collegiatæ Ecclesiæ, vt possint abesse vltra tres menses per aliquot tempus, & quotidianas distributiones percipere. Hæc conclusio est contra *Zerol. in praxi Episcop. 2. p. vers. Priuatio, § 4 2 d pœnitentiali, & Zecch. de rep. Eccl. tit. de beneficiat. nu. 9. vers. Quod si beneficia*, dum volunt, posse Episcopum dare licentiam Canonicis, & præbendatis se absentandi, vsque ad quatuor menses. Est etiam contra aliquos viros, inter quos sunt *M. Palat. & D. Ioann. Guttier. Canonici*, relati à *Garz. de benefic. Eccl. par. 3. cap. 2. num.* 403. qui scripto responderunt, Capitulum posse per viam gratię, nemine contradicente, dare Canonicis, & præbendatis licentiam absentiæ, & eos habere pro præsentibus vltra tempus à Concilio permissū, saltem ad breue tempus ex iusta, ac rationabili causa, licèt non comprehensa in iure. Probatur modo nostra conclusio, tum auctoritate quamplurimorum virorum magni ponderis, nempè *Nauar. cons. 3. de Cler. non resid. Rutilij Benzon. in spec. Episc. de fuga, lib. 1. disp 1. q. 7. ad fin. Moscon. de maiest. Eccl milit. lib. 1. p. 1 cap. 15. Torre de Relig. tom. 1. tract. de her can. controu. 10. disp. 6. num 5. Garz. loco citato num.* 417. *Couar.* & aliorum: tum etiam ratione, quoniam per *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 12.* prohibetur Canonicis, & præbendatis absentia ab eorum Ecclesijs vltra tres menses, & extat totus titulus de *Cler. non resid.* ergò non potest Episcopus, aut Capitulum dictam licentiam citra culpam Canonicis, & præbendatis tribuere, quoniam inferior non potest dispensare, seu facere gratiam in lege superioris, vt latè supra de hac re egimus *disp. 6. sec. 5. concl.* 1. Etenim eius est soluere, cuius est ligare, *cap. quod autem, de pœnit. & remiss.* & eius est nolle, cuius est velle, *l. eius ff. de regul. iur.*

2 Ampliatur primò hæc conclusio, vt Episcopus, seu Capitulum non possint concedere Canonicis, & alijs præbendatis, vt ab eorum Ecclesijs possint abesse vltra tres menses, etiam per breue tempus, quoniam inferior non potest dispensare in lege superioris, etiam per breue tēpus: & id ex defectu iurisdictionis. Nec obstat declaratio Sacræ Congregationis Episcopo Caurien. relata à *Garz. loco citato, num.* 411. inquiens, posse Episcopum dare licentiam Canonicis, vt ab eorum Canonicatibus per quatuor menses abesse possint, atque ideò ad breue tempus vltra tres menses à Concilio indultos; quoniam, vt benè aduertit, idem *Garz. ibi nu.* 412. illa Sacræ Congregationis declaratio non est generalis; sed specialis facta Episcopo Caurien. ex causis particularibus, nempè maximi caloris illius Ciuitatis.

3 Secundò ampliatur, vt Episcopus, & Capitulum non possint dispensare in residentia, de qua agitur, etiam ex causa quantumuis iusta, ac rationabili, non tamen in iure expressa, vt declarauit Sacr. Congr. super *cap. 2. Conc. Trident. sess. 6 de reform.* relata ab eodem *Garz. ibidem, num* 409. ità se habens: *Per hoc non datur facultas ordinarijs dispensandi in residentia ex quauis ratione.* Cui consonat etiam *Cōcilium Mediolan. 5 p 3. tit de resident.* in illis verbis: *Ne Episcopus propterea, quod sibi liberum, integrumque est facultatem permittere, qua liceat aliquem ab Ecclesia commissa, beneficioue personalis residentiæ abesse ea potestate, facultateue deinceps ob cuiusuis generis causam, vtatur, sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat Concilij Trid. sanctione præscriptas.*

4 Tertiò ampliatur, vt Episcopus, & Capitulum non possint huiusmodi Canonicis ac beneficiatis dare facultatem, vt possint ab eorum Ecclesijs abesse vltra tres menses, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, ac statutis, vt patet ex *Conc. Trid. sess 24 de refor. c. 12.* ibi: *Non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis vltra tres menses abesse.* Et latè *Garz. d. cap. 2. num* 417. vbi reprobat contrariam

riam Hispaniarum consuetudinem; quamuis *num.*415.& 416. conetur eam defendere. Etenim consuetudo illa abusus potius dicitur, quã consuetudo, vt inquit *Couar. lib.3.var.resol.c.*13.*sub num.*9. & id etiam si iusta causa adesset, & in iure non expressa, vt declarat ibidem *Garz.num.*418.*cum plur.seq.*

5 Quartò ampliatur, vt Episcopus, & Capitulum adeò non possint concedere facultatem Canonicis, & præbendatis personalis residentię qua valeant abesse ab eorum Ecclesijs vltra tres menses, vt si de facto concedant, licentia non modo est inualida, sed etiam non residentes vi talis facultatis sunt priuandi beneficiorũ fructibus, iuxtà decretum *Conc. Trid. sess.* 24. *de reform cap.* 12. Et distributiones quotidianas non faciunt suas, vt constat ex declaratione Sacr.Congreg. relata ab eodem *Garz. vbi sup. num.*416.qui etiam *num.*427.*& seq.* addit præfatos Canonicos, & præbendatos non residentes, vigore supradictæ licentiæ non posse percipere, aut retinere fructus præbendæ sub prætextu, & titulo, quod alij præbendati videantur eis donare, seu remittere partem, quæ sibi erat obuentura: Siquidem ob hanc rationem non possunt donare partem illam, cùm Capitulum, seu eiusdem personæ domini non sint bonorum, & redditũum mensæ capitularis, donec eis sint applicat., & distributi, sed antè applicationem, ac distributionem sunt tantùm administratores, & Ecclesia tantum est domina. Vndè fructus annorum præcedentium qui hoc anno diuiduntur, debentur Canonicis, qui nũc sunt, non autem qui erant illius anni, quoniam cùm tunc non fuerint diuisi, & distributi, non debentur illis, sed Capitulo, quod semper est idem, *l.proponebatur, ff de indic.* Quod quidem multò magis locum sibi vendicat, quoad distributiones quotidianas, quæ debentur tantum interessentibus, & ab absentibus perceptæ quouis colore veniunt restituendæ, non obstante quocumque statuto, & qualibet consuetudine quantumuis immemorabili, vt in *cap.vnico, de Cler.non resid.in 6.* innouato per *Conc. Trid. d.sess.*24.*de reform cap* 12. Nec possunt à Capitulo, aut à singulis de Capitulo aliquo prætextu donari, aut remitti, vt in *d. cap.vnico de Cler.non resid.in 6. Nauar.de orat.miscell.*59. *aliàs* 14.*& cons.*7. *de Cler.non resid. Menoch. de arbitr.lib.*2.*casu* 429.*in addit.num.*6.& alij apud eundem *Garz.d.cap.*2 *num.*431. & 432. vbi pro hac refert plures Sacr. Congregationis

6 declarationes; quarum prima est, vt non liceat Capitulo aliquo prætextu distributiones donare, relinquere, aut quauis collusione remittere alicui, qui vel à seruitio Ecclesiæ absfuerit, vel alio quouis modo distributiones legitimè debeat amittere: nec fas sit cuipiam eas accipere, si acceperit, suas non faciat, sed restituere cogatur illicò fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pro loco Episcopi arbitrio. Secunda est, quamcumque collusionem ex *Conc.* decreto esse prohibitam respectu distributionum, atque ideò si de ea legitimè constiterit, debere Episcopum iure agere in reos: & respectu fructuum præbendæ non esse in facultate Canonicorum illos remittere, cùm illi applicandi sint Ecclesiæ. Tertia Episcopo Placentino, quoad remissionem, quàm faciunt in Cœna Domini, seu alio die portionibus alijs accrescentibus ob non residentiam, non fiat, & facta reuocetur.

8 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt Episcopus possit dare licentiam Canonicis, ac præbendatis, vt possint abesse ab eorum Ecclesijs vltra tres menses ex vna ex causis à iure permissis, de quibus in *cap. fin. de magistr. c. ad audientiam, de Cler.non resid & cap vnico, de Cler.non resid. in 6.* quod *Conc.Trid.sess.*24. *de reform.cap.*12. innouat, quæ quidem causæ ad tres reducuntur, & sunt infirmitas, iusta, ac rationabilis corporalis necessitas: & euidens Ecclesiæ vtilitas, vt rem hanc explicauimus latè supra *sec.*1.*concl.*1. *lim.*1.2.3. & 4. Idem dicendum est de Capitulo ex vi alicuius consuetudinis, aut statuti, quibus facultas ei tribuitur vt dispensare valeat, cum Canonicis, vt liceat eis abesse vltra tres menses ex causis prædictis à iure permissis; quoniam eiusmodi statuta, & consuetudines non reprobantur à *Conc. Trid.* & ab alijs supra relatis iuribus.

9 Est tamen verum, quòd dubium est inter Doctores, an Capitulum possit dare licentiam non residendi vltra tres menses ex causis aliàs in iure expressis; alteratis tamen, seu modificatis per statuta, seu consuetudines Ecclesiæ? Exemplum dari potest de causa infirmitatis expressa in iure, & excusante à residentia, vt supra diximus per *tex in cap.vnico, de Cler.non resid. in* 6. Supponamus modò eiusmodi causam fuisse per statutum, aut consuetudinem Ecclesiæ, ita modificatam, vt qui numeratur, seu habetur pro præsenti vt infirmus; non possit de domo exire: aut quòd non habetur pro præsenti absens à Ciuitate ex causa infirmitatis: vel qui pernoctauit extra Ciuitatem, donec præsentetur in Ecclesia. Præterea seruitium, seu obsequium Episcopi, quoad duos Canonicos est causa in iure expressa excusans eos à residentia, ita vt habeantur tanquam præsentes, vt habetur ex *Garz.d.cap.*2 *num.*433. & est *tex.in cap.ad audientiam, de Cler.non resid* qui quidem Canonici habentur tanquam præsentes, quoad perceptionem distributionum quotidianarum, vt in *cap.de cætero.eod.tit.* at si Ecclesia non habeat distributiones quotidianas distinctas, sed fructus omnes consistunt in distributionibus, Canonici eiusmodi possunt percipere duas illarum partes, omissa tertia, vt latè *Barb. de offic. & potest.Episc.alleg* 53 *num.*124. 141.142. & 143. cum alijs, quos allegat. Vbi etiam addit, quòd hodiè non poterit Episcopus Canonicos ab Ecclesia extrahere pro suo seruitio, inspecta vbertate redditũum Episcopatuum, & multitudine peritorum. Supponamus modò, quòd sit statutũ, quòd familiares Episcopi non habeantur pro præsentibus, nisi ad quatuor menses, & quod assumi debeant in familiares antè diem Natiuitatis Domini, vt eiusmodi statutum extat in Ecclesia Abulen.

11 Ad hanc difficultatem respondetur, quòd cũ in exemplis propositis modificatio causę in iure expressa facta per Ecclesiæ statutum, aut cõsuetudinem, sit contra ius, & non obliget, nisi ratione iuramenti, seu consuetudinis præscriptæ, iuxtà ea, quæ habentur in *cap.fin. de con-*

suetudine; stante statuto, vel consuetudine, quòd Capitulum possit facere gratiam contra præfatum statutum, & dictam consuetudinem, quod infirmi non possint exire de domo, & quod familiares Episcopi non habeantur pro præsentibus, nisi ad certum tempus, & assumpti certo tempore; tunc si Capitulum concedat facultatem, vt infirmi possint exire de domo: & familiares Episcopi possint in suo seruitio perseuerare octo, decem, & etiam plures menses, proculdubio hæc gratia est valida; quoniam talis gratia solum est contra Ecclesiæ statuta, & non contra ius. Ità *Garz. d. cap. 2. num.* 438. vbi tamen *num.* 435. putat secus esse dicendum, quando statutum, seu consuetudo modificans causam in iure, non potest dici contra ius; sed potius veluti declarans, & limitans ex causa rationabili ius, vt est statutum, quod infirmus possit liberè, & ad sui libitum è domo exire: aut quod absens à Ciuitate non habeatur pro præsenti ratione infirmitatis, quod non videtur contra ius, sed ex causa rationabili limitare, & declarare ius ad tollendas fraudes: nam si numeratus, vt infirmus posset liberè ad sui libitum è domo exire, non eundo ad Ecclesiam, multi simularent, se esse infirmos, aut ex leuissima causa facerent se, vt tales numerari: & si absentes à Ciuitate ratione infirmitatis possent se facere numerari, posset in hoc esse fraus: atq; ideò non valeret Capitulum contra huiusmodi statuta dare Canonicis facultatem, vt possint abesse; quoniam tunc gratia diceretur contra ius, & non ex causa in iure expressa: eo quòd illa sic declarata est per statutum; licèt videretur posse dare licentiam numerato, vt infirmo, vt possit domum egredi non liberè, sed ad audiendam Missam: & in morbis perpetuis notorijs, vt podagræ, paralysis, & similibus videtur posse haberi pro præsente infirmus ratione talis infirmitatis, etiam non seruata clausura statuti: siquidem valde durum foret in eiusmodi infirmitatibus perpetuis arctare infirmum ad numquam exeundum è domo, & in eis cessat ratio statuti. Hæc *Garz. loco citato*.

Cuinam applicentur prębendarum fructus, & distributiones quotidianę, quos, & quas amiserunt Canonici, & alij prębendati non residentes.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1. *Referuntur quinque declarationes Sacr. Congregat. circa materiam hanc.*
2. *Portiones absentium, an, & quando proportionabiliter seruientibus accrescant.*
3. *Et an, & quando erunt fabricæ Ecclesiæ applicandæ.*
4. *Quando Episcopus vsus est remedio* cap. 3. sess. 21. Concil. Trid. *in detrahenda tertia parte ex dignitatibus, non potest vti remedio*, cap. 3. sess. 22. *eiusd. Concilij in detrahenda alia tertia parte.*
5. *Detractio, iuxtà decretum* Sacr. Concil. sess. 21. cap. 3. *locum habet non solùm contra obtinentes dignitates, sed etiam Cappellanias, aliaque beneficia, residentiam exigentia.*

1 IN hac re patet, quid dicendum sit ex ijs, quę supra adnotauimus, *sec. 1. concl.* 4. *ampliat.* 5. *vers. Sed circa rem hanc*. Quibus adde sequentes Sacræ Congregationis declarationes relatas à *Garz. de benefic. Ecclesiast. par.* 3. §. 2. *cap.* 2. *num.* 465. & ità se habentes. Prima declaratio hæc est: *Hoc decreto, sess. 21. cap. 3. agitur de Canonicatibus, & portionibus, & fit de necessitate hac detractio, quando sunt nullæ distributiones, vel ita tenues, quæ distribuuntur interessentibus tantum: sed in sess. 22. cap. 3. deducitur hæc tertia pars ex dignitatibus, etiam non ex necessitate, sed in odium non residentiũ: & pars absentium, non præsentibus; sed alicui pio loco est applicanda.* Secunda declaratio est eiusmodi: *Portiones absentium accrescunt deseruientibus, si ex decreto Conc. sess. 21. cap. 3. separatæ sint; secus vero si ex decreto cap. 3. sess. 22. tunc enim fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, vel alteri pio loco arbitrio ordinarij applicabuntur, nec obstat aliqua consuetudo, qua cauetur, vt deseruientibus portiones non deseruientium accrescant.* Tertia declaratio est: *Differentia inter cap. 3. sess. 21. & aliud cap. 3. sess. 22 est, quòd hoc Capitulum sess. 22. loquitur tãtum de dignitatibus, à quibus ordinarius tertiam partem fructuum in distributiones quotidianas conuertendam sperare potest, dato etiam quòd distributiones quotidianæ non sint tenues, & hoc in odium obtinentium dignitates, & residere negligentium, & quando ista tertia pars subtracta per non seruientes amittitur, locis pijs est applicanda, cap verò 3. sess. 21. loquitur solùm, quando distributiones sunt ità tenues, vt negligantur, & hoc casu tertia pars sic separata, & in distributiones ab Episcopo conuersa, si per non seruientes amittitur, proportionabiliter seruientibus accrescit.* Quarta: *Super d. cap. 3. sess. 21. fit iusta deductio ex illis dignitatibus, quarum fructus sunt illius Ecclesiæ, in cuius Choro hæ dignitates sedem habẽt; secus verò si nullos fructus perciperent ex illis Ecclesijs; sed haberent proprios, & distinctos à mensa capitulari.* Quinta: *Congregatio Conc. censuit, si præpositura Cathedralis, à qua post Concilium tertia pars fructuum detracta, & in distributiones quotidianas conuersa proponitur non sit de corpore capituli, id quod ex dicta tertia parte præpositus non inseruiens amiserit, fabricæ Ecclesiæ si indigeat, vel alteri pio loco arbitrio Episcopi esse applicandum, iuxtà decretum, c. 3. sess. 22. 10. Aprilis* 1598.

2 Ex dictis igitur declarationibus patet, quid respõdendum sit ad propositam controuersiam. Siquidem quando in Ecclesijs Cathedralibus, aut collegiatis nullæ erant distributiones quotidianæ, vel ità tenues, vt verisimiliter negligerentur: propter quòd tertia pars fructuum cõmunium mensæ capitularis oportuit deduci, & conuerti in distributiones quotidianas, quæ inter diuinis interessentes proportionabiliter diuiderentur, tunc portiones absentium proportionabiliter seruientibus accrescunt, atque ideò non applicantur fabricæ, aut alteri pio loco, sed in-

intereſſentibus tantùm, vt habetur ex *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 3.* Hæc autem detractio fit de neceſſitate ex fructibus communibus menſæ capitularis, vt conſtat ex ſupra relata prima declaratione. Quòd ſi diſtributiones proueniant ex tertia parte fructuum, dignitatum, perſonatuum, & officiorum in Eccleſijs Cathedralibus, vel collegiatis exiſtentium: & non ex fructibus communibus menſæ capitularis: quam partem fructuum ſolent Epiſcopi detrahere citra neceſſitatem aliquam: & eſtò, quòd diſtributiones quotidianæ detractæ ex tertia parte fructuum communium menſæ capitularis non ſint tenues; tunc portiones abſentium non accreſcunt intereſſentibus, ac ſeruientibus; ſed fabricæ Eccleſiæ ſunt applicandæ, vel alteri pio loco arbitrio Epiſcopi, vt patet ex vltima Sacr. Congreg. declaratione, quam ſupra retulimus. Et ità intelligitur decretum *Concil. Trid. de reform. ſeſſ. 22. cap. 3.* vt latè *Garz. d. cap. 2. num 465.* vbi *nu. 452.* idem dicendum putat de diſtributionibus malè perceptis per eũ qui fuit habitus pro præſenti à Capitulo, vel cui ab eo fuerunt donatæ, aut remiſſæ, iuxtà ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 3.* nam tunc debẽt reſtitui Capitulo, ſeu Capitularibus, qui facto ſuo ſibi præiudicium intulerunt. Item idem *Garz. ibidem, num. 472.* probat, quòd quando ex Dignitatibus detracta eſt tertia pars in vim decreti *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de refor. cap. 3.* non poteſt detrahi alia tertia vigore decreti eiuſdem *Conc. ſeſſ. 22. de refor. cap. 3.* pro qua re allegat 4 declarationem Sacræ Congregat. ità ſe habentem: *Quando Epiſcopus vſus eſt remedio, cap. 3. ſeſſ. 21. in detrahenda tertia parte ex dignitatibus, non poteſt vti remedio, cap. 3. ſeſſ. 22. in detrahenda alia tertia parte ex Dignitatibus, & nihil dandum eſt his, qui nihil contulerunt.* Imò idem *Garz. vbi ſupra, num. 470.* putat, quòd non eſt locus detractioni tertiæ partis pro diſtributionibus ex decreto *d. cap. 3. ſeſſ. 21.* quando diſtributiones ſunt tolerabiles, itavt veriſimiliter non negligantur, vt patet ex prima, & tertia delaratione ſupra relatis: & aliàs Sacra Congregatio reſpondit Cardinali Borromeo. Cæterum *num. 473.* ipſe *Garz.* probat, detra-5 ctionem, iuxtà decretum *Conc. d. ſeſſ. 21. cap. 3.* habere locum contra obtinentes non ſolum dignitates, Canonicatus, & portiones, ſed etiam Cappellanias, & alia beneficia reſidentiam expoſcentia in Eccleſijs Cathedralibus, & collegiatis, non tamen extra Eccleſiam Cathedralẽ, & collegiatam, ad quod allegat plures Sacræ Congregat. declarationes, quæ per ipſum ad verbum referuntur. Et id non immeritò, quoniam eiuſmodi perſonæ, etiam ad reſidentiam tenentur, vt habetur ex eodem *Garz. ibidem, num. 475.* & adnotauimus ſupra *ſec. 1. concl. 1. ampl. 3. & concl. 3. ampl. 2.*

An Canonicus Choro deſeruiens, altari, & omnibus Diuinis, peccet ſi abſit à Capitulo, ſeu Congregationibus Capitularibus.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Aſſertur diſtinctio, & ſubdiſtinctio pro huius rei explicatione.*

2 *Canonicus ſi ità abſit à Capitulo, ſeu Congregationibus Capitularibus, vt velit ordinariè abeſſe, culpam certò contrahit.*
Additur declaratio Sacr. Congr.

3 *Canonicus, licet intentionem non habeat, nec velit abeſſe ordinariè, ſed tantum aliquibus vicibus, an, & quando vllam culpam contrahat.*

4 *Canonicus vbi velit aliquando à Capitulo, ſeu Congregationibus Capitularibus abeſſe, & certò, vel ſaltem probabiliter ſit, ob id eſſe alteri nocumentum allaturum, non poterit citra culpam à Capitulo abeſſe.*

5 *Canonicus volens aliquando ſe abdicare, dubitans probabiliter, per ſuam abſentiam dãnum alicui, vel communitati iniuſtè proueniendum, citra culpam à Capitulo ſe abdicare non poteſt.*

1 PRO huius rei explicatione eſt diſtinguendum, quòd aut Canonicus ordinariè vult abeſſe à Capitulo, & nunquam intereſſe Congregationibus Capitularibus: aut non ordinariè vult abeſſe; ſed aliquando abeſt: & tunc ſubdiſtinguendum eſt, quòd aut cùm abeſt, certò nouit nulli obeſſe, nec alteri poſſe iuſtè prodeſſe: aut certò nouit, alteri iniuſtè obeſſe, vel iniuſtè non prodeſſe: aut de vtroque rationabiliter dubitauit. His prælibatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 CAnonicus ſi ità abſit à Capitulo, ſeu Congregationibus Capitularibus, vt velit ordinariè abeſſe, certum eſt hoc caſu culpam contrahere. Probatur, quia Canonicus ſuſcipiendo Canonicatum, cum eo ſuſcipit vocalis munus in Capitulo, ergò non poteſt ordinariè à Congregationibus Capitularibus abeſſe citra culpam, cùm ſuo munere fungi nolit, ad quod de iuſtitia tenetur, vt patet ex ijs, quæ habentur ex *Molfeſ. par. 1. ſua ſumm. tr. 6. cap. 16. nu. 116. & 117.* Et in ſpecie extat declaratio Sacræ Congreg. quam refert *Garz. de benefic. Eccleſ. par. 3. cap. 2. num. 224.* vbi conſulta per eum Sacra Congregatio, an Canonicus ſuæ obligationi ſatisfaciens, quod attinet ad reſidentiam, & ſeruitium Chori, & altaris, poſſit licitè, & tuta conſcientia abeſſe à Capitulo, ſeu Congregationibus Capitularibus: & reſpondit ipſa Concilij Congregatio, non poſſe.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 CAnonicus, licet intentionem non habeat, nec velit ordinariè abeſſe à Capitulo, ſeu à Ca-

à Capitularibus Congregationibus, sed aliquibus tantùm vicibus, si illa vice, qua vult abesse nemini probabiliter, aut certò nouit iniustè detrimentum, aut lucrum iniustè se allaturum, si tunc velit abesse nullam culpam contrahit. Probatur hæc conclusio, quoniam licet Canonici, & alij vocales de iustitia teneantur interesse Capitulo; nihilominus id verum est, quando sciunt saltem probabiliter per eorum præsentiam posse prodesse, aut per eorum absentiam obesse, vt seq. concl. dicemus. Cæterum non astringuntur ordinariè, ità Capitulo præsentes esse, vt aliquando non possint abesse citra alterius detrimentum. Imò cùm Canonicus probabiliter nouit, per suam absentiam nemini damnum, aut lucrum iniustè allaturum, & à Capitulo absit, licet alteri officiat, aut alteri iniustè vtilitatem afferat; non tamen culpam contrahit; quoniam id prouenit per accidens: in moralibus autem attenditur, id quod est per se, nõ autẽ per accidens, vt ostẽdimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 1. quæst. 29. num. 8.*

TERTIA CONCLVSIO.

4 CAnonicus vbi aliquando vult à Capitulo, seu à Congregationibus Capitularibus abesse, si certò, vel saltem probabiliter sciat alteri per suam absentiam nocumentum iniustè illaturum, & eundem debitam vtilitatem non consequuturum, tunc citra culpam non potest à Capitulo abesse. Etenim vocales Capitulares, licet aliquando possint à Capitulo se abdicare, vt præcedenti conclusione ostendimus; nihilominus si viderint abdicationem eiusmodi tendere in præiudicium communitatis, aut alterius tertij, cùm ob id fortè non reciperetur dignus ad ordinem, non ad confessiones: vel è contra indignus reciperetur, aut exponeretur ad audiendas confessiones, citra culpam non possunt se abdicare; etiam si id vergeret in damnum proprium: quoniam dum vocalis munus susceperunt ex iustitia tenentur procurare bonum communitatis ratione officij, vt habetur ex *Molfes. par. 1. suę summ. tr. 6. cap. 16. num. 116. & 117.* vbi etiam *num. 118.* addit, quòd si quis ex vocalibus inueniretur in loco electionis, & certò sciret, vocales certam personam electuros aut non electuros contra iustitiam, & bonum commune; adhuc tamen non debet se abdicare; sed obligatur aperire veritatem alijs: nam multoties euenit, vt trahantur alij in sententiam vnius.

QVARTA CONCLVSIO.

5 CAnonicus volens aliquando à Capitulo se abdicare, si probabiliter dubitet, per suã absentiam alicui, aut communitati damnum iniustè prouentendum, aut iniustè commodũ, tunc non poterit citra culpam Capitulo se abdicare: Etenim in dubijs præsertim facti, & vbi sumus in odiosis, tutior pars est eligenda, vt in *cap. ad audientiam, & cap. significasti, de homicidio*, & nos latè in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. c. 9. q. 12. num. 4.*

An valeat statutum, seu ordinatio, vel cõsuetudo, qua Canonici mulctantur non interessentes Capitulo, etiã si intersint Choro, & alijs diuinis officijs.
SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio affirmatiua, esset enim rationabile hoc statutum, vel consuetudo, & pro bono communi.*
Refertur decretum Sacr. Congreg. & decretum Congregat. Theatinorum.
2 *Canonicus si ex iusta, & rationabili causa à Capitulo se abdicauerit, excusatur à mulcta.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè; quoniam eiusmodi statutum esset rationabile latum pro bono communi, sicut, & consuetudo introducta, per ea, quæ habentur ex *Panorm. & alijs in cap. fin. de consuet.* & in terminis nostris extat declaratio Sacræ Congregat. super *Conc. Trid.* facta ad preces *Nicol. Garz. Ecclesiæ Abulensis Canonici*, vt ipse testatur in suo *tract. de benefic. Ecclesiast. par. 3. §. 2. cap. 2. nu. 424.* qui quidem dum consuluisset ipsam Sacram Congregationem. An valeat ordinatio, seu statutum, vel consuetudo Capituli, qua mulctantur non interessentes Capitulo, etiam si intersint in Choro, & officijs diuinis? respondet, valere. Et in nostra Congregatione extat decretum *par. 3. cap. 7. num. 18.* quo præcipitur, vt ad Capitulum cuiusque domus omnes prorsus eius domus vocales conueniant; qui pro suo libito per tres continuas vices abfuerit, per trimestre actiuo, & passiuo suffragio puniatur.

2 Est tamen verum, quòd si Canonicus ex iusta, ac rationabili causa à Capitulo se abdicauerit, puto eum excusari à mulcta: quoniam vbi non est culpa, non potest esse pœna; eò quòd pœna dicit essentialem ordinem ad culpam. Ob hanc rem præfatum decretum nostræ Congregationis inter alia fuit declaratum habere locũ, quando vocalis pro suo libito, idest citra legitimam causam abdicat se à Capitulo, vt rectè declarat *P. Alex. Pell. in Commentar. ad nostras Constit. par. 3. cap. 9. litt. T. §. 13.*

An Canonici interessentes Capitulo, seu Capitularibus Congregationibus, possint culpas aliquas contrahere.
SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Canonici, Capitulo interessentes multis modis possunt incidere in culpas. An, & quando peccent vocales Congregationis Theatinorum.*
2 *Multò magis peccant Canonici, Capitulo interes-*

tereſſentes, ſi ferant ſuffragia de rebus Eccleſiæ alienandis contra formam Paulinæ: Ambitioſæ, &c.

3 *Locutio rei Eccleſiæ, facta vltra triennium, an vitietur in totum, vel ſuſtineatur in triennio, à iure permiſſo.*

Et explicatur cuius vis ſit dicti (omninò.)

4 *Si tempus licitum, ſiuè vtile poſſit ab illicito, ſiue inutili ſeparari, ſaltem ex præſumpta contrahentium voluntate valet contractus pro tempore vtili.*

5 *Peccant Canonici ſuffragia ferentes in Capitulo contra propriam conſcientiam, etiam ſi eligant dignum, vel ob id non ſequatur electio indigni.*

Et an peccent agentes contra conſcientiam erroneam.

6 *Vicarius electus per Capitulum, ſi non ſit Doctor, poteſt Capitulum in ipſo actu deputationis dare ei conſultorem.*

7 *Electio Vicarij Capitularis Sede vacante infra octo dies eſt facienda, à morte Epiſcopi computandos.*

Quid ſi vacauerit Eccleſia Metropolitana.

8 *Peccant Canonici ſuffragia ferentes pro digno, omiſſo digniore.*

9 *Peccant Canonici non ſuffragantes pro præſtando Epiſcopo Charitatiuum ſubſidium, in caſibus, in quibus ad id tenentur.*

Qui nam hoc charitatiuum ſubſidium petere poſſint, & quomodo.

10 *Generales ordinum poſſunt à Monaſterijs ſuorum ordinum Charitatiuum ſubſidium petere: Multique alij.*

11 *Peccare poſſunt Canonici cogentes, vel minantes Concapitularibus, vt ſuis votis inhereãt.*

1 Ad hanc rem affirmatiuè reſpondentes dicimus, quòd Canonici Capitulo intereſſentes multis modis poſſunt in culpas incidere, Nàm peccant primò Canonici ſuffragia ferentes pro grauanda Eccleſia ęre alieno citra neceſſitatem aliquam, aut euidentem vtilitatem, vel charitate id ſuadente, maximè ſi agatur de cenſu perpetuò ſuper Eccleſiæ bonis imponendo, iuxtà ea, quæ habentur in *cap. conſtitutus, de Relig. domib.* cum alijs traditis per *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcop. alleg. 35. num 5. & ſeq.* Hinc peccant vocales noſtræ Congregationis, qui ſuffragia ferunt pro grauandis domibus ęre alieno extra caſus permiſſos à noſtra Conſtitutione, de qua *3. p. noſtrar. Conſtitution cap 9. verſ. Nulla,* & ità ſe habet: *Nulla ex noſtris domibus poſſit ære alieno grauari, etiam de cõſenſu vocalium; niſi pro neceſſario victu, atque veſtitu, & pro neceſſaria fabricæ reſtauratione, vel tandem pro euidenti vtilitate in re, quæ differri minimè poſſet, vt puta pro emendis contiguis noſtræ domui locis.*

2 Secundò multò magis peccant Canonici, ſi Capitulo intereſſentes ſuffragia ferant pro alienandis rebus Eccleſię contra formam *Paul. ambitioſæ, de reb. Eccl. nõ alienan.* vel contra eiuſdem diſpoſitionem, ſi ſuffragentur pro locandis bonis Eccleſiaſticis vltra triennium, hypothecandis, infeudandis, ac concedendis ad emphyteuſim; Etenim per d. extrauag. ambitioſæ omnis alienandi modus, etiam in caſu licito, & ſeruatis iuris ſolemnitatibus, inconſulto Roman. Pontifice, hodiè regulariter prohibetur, exceptis tribus caſibus in ea expreſſis. Eſt tamen verum, quod huiuſmodi triennium, infrà quod permittitur per ipſam extrauag. Eccleſiæ bona locari, eſt computandum ex tribus fructuum collectionibus, atque ideò ſi ex quolibet triennio vnus tantum fructus percipiatur, tunc triẽnium pro vno anno computari debet, & locatio fieri poteſt vſque ad nouennium, vt habetur ex *Guttier. in qq. Canon. lib. 1. cap. 8 num. 12. Azor. par. 2. inſtit. moral. lib. 7. cap. 10. qu. 8. & lib. 9 cap. 2 qu. 2. Mantica de tacit. & ambig. conuent. tom. 1. lib. 5 tit. 3. num. 22. & Barb. de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat. 95. num. 4.* qui

3 *num. 5.* quærit etiam, an locatio facta vltra triennium, in totum vitietur, vel quoad triennium ſuſtineatur: in qua re licet pugnantes referat ſententias; nihilominus eas conciliat diſtinguens, quod aut tempus licitum in his contractibus ab illicito ſeparari non poteſt, vt quãdo conſtat contrahentes ad minus tempus non eſſe contracturos: & tunc locationis contractus vltra triennium in totum vitiatur, quoniam tunc vtile ab inutili inſeparabile eſt, vt in regula, vtile, & ibi, *Dyn. & alij, de regul. iur. in 6.* & intelligitur ſententia, *Bart. in auth. qui rẽ, num. 7.* vbi etiam *Iaſ. num. 21.* & aliorum allegentium contractum eiuſmodi eſſe totum nullũ, pro qua re facit *tex. in d. extrauag. ambitioſæ,* ibi: *Nullius omninò ſit roboris,* vbi dictio illa omninò indiſtinctè omnes annos comprehendit, ac omni ex parte locationem annullat, pro eadem ſententia videtur quoque *tex. in Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* dum in eo habetur, quòd nec recipienti ius aliquod acquiritur: Siquidem quando negatiua adiungitur cum dictione aliquid, etiam in qualibet minima parte verificatur, vt per *Gloſ. in Clem. 1. verſ. Aut earum, de for. compet.* Quòd ſi tempus licitum ab illicito, & ſic vtile ab inutili ſeparari poteſt, ex præſumpta ſaltem contrahentium voluntate, cùm tunc pars inutilis non tollat conſenſum à parte vtili, ſuſtinetur contractus pro tempore permiſſo, & ſolum vitiatur reſpectu temporis prohibiti: & ità procedit opinio *Bal. in auth. ſi quas ruinas, C de Sacr. Eccleſ.* & aliorum cõtrariam partem ſuſtinentium. Etenim donatio facta citra inſinuationem vltra quingentos aureos, in exceſſu tantum vitiatur, & firma remanet, quoad ſummam à iure permiſſam, vt in *l. ſancimus in princ. verſ. Si quid autem, C. de donat.* & emphyteuſis conceſſa in quartam, vel quintam generationem, valida eſt, quoad tertiam permiſſam, vt in *auth. de non alien § quod autem, Ricc. in praxi fori Eccleſ. deciſ. 117. nu. 2. in 1. edit.* & alij apud *Barboſ. d alleg. 95. nu. 9. & per totam,* vbi plura pro declaratione d. ct. extrauag. ambitioſæ cumulat: quibus adde ea, quæ *Steph. Quaranta docet in explic. eiuſdem extrauag.*

5 Tertiò peccant Canonici ſuffragia ferentes in Capitulo contra propriam conſcientiam etiã ſi eligant dignum, aut ob id non ſequatur electio indigni. Siquidem agentes contra conſcientiam erroneam peccatum committunt, vt latè habetur ex *Sayr. lib. 1. Clau. Reg. cap. 4. nu. 14. cum plur. ſeq.* Hinc Canonici eligentes Vicarium,

rium, Sede vacante, vt dignum citra culpam dicantur eligere, debent eligere personam qualificatam, circumspectam, bonæ, & approbatæ vitæ, timentem Deum, veridicam, liberalem, temperatam, fortem, magnanimam, mansuetã, iustam, Doctorem, vel saltem Clericum, qui sit Licentiatus, aut alium quantum fieri poterit idoneum, iuxta ea, quæ decreta fuerunt in *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 16. Sbroz. de Vicar. Episc. lib. 1. q. 33. & q. 34. & q. 36. Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 54. num. 1. & 168.* vbi addit, quòd in casu, quo Vicarius electus non esset Doctor, potest Capitulum in ipso actu deputationis dare ei Consultorem Doctorem; aliàs poterit ipse Vicarius eligere sibi Consultorem benè visum, partibus non suspectum, in casibus, in quibus eo opus erit. Est tamen verum, quòd licet Capitulum, Sede vacante, non teneatur eligere Vicarium de gremio Capituli; si tamen adesset idoneus, cæteris paribus, erit præferendus, & ità fuisse decisum, testatur *Ricc. in praxi fori Ecclesiastici, decis. 475 in prima edit. & resolut. 499. in 2. edit. Quarant. vers. Sede vacante, vers. Sextò dubitatur, & Barbos. d. alleg. 54. sub num. 165.* Debet autem fieri electio huiusmodi Vicarij, Sede vacante, vel constituti confirmatio infrà octo dies à die mortis Episcopi numerandos, aliàs electio ad Metropolitanum deuoluitur: & si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, & propinquior in exempta Vicarium constituere potest, nec non & Aeconomum, vt habetur ex *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 16.* & latè *Barbos. d. alleg. 54. num. 158. cum plur. seq.* vbi plura de potestate, auctoritate, duratione, ac Sindicatu eiusmodi Vicarij tractat.

8 Quartò peccant Canonici interessentes Capitulo, si suffragia ferant pro digno, omisso digniori: quod quidem quomodo verum sit, vide ea, quæ supra adnotauimus *disp. 4. sec. 8. per totam: & disp. 6. sec. 9.* vbi latè egimus, an, & quando culpa contrahatur in promouendo digno, omisso digniori. Et multò magis peccant ferentes suffragia pro indigno, vt in *d. sec. 8. & 9. declarauimus.*

9 Quintò peccant Canonici non suffragantes pro præstando Episcopo charitatiuum subsidiũ in casibus, in quibus ad id tenentur. Etenim Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, seu Primates in Ciuitatibus, & Diœcesibus suis possunt, data manifesta, ac rationabili causa licitè subditos cogere (cum charitate tamen, & debito moderamine) ad charitatiuum subsidium soluendum, quo suis consulant necessitatibus, vt in *cap. conquerente in fine, de offic. ordinar. & cap. Apostolus, §. prohibemus, de censib.* vbi *Hostiens. Io: Andr. Butr. & Panor. & Lap. allegat. 20.* quæ incipit, si vacante, vbi addit, posse Episcopum ob id Clericos excommunicare: quod fieri non posset, si reluctantes iniustè culpam mortalem non contraherent; quoniam excommunicatio non incurritur citra lethalem culpã, *cap. nemo, & cap. nullus. 11. q. 3.* Hoc idem charitatiuum subsidium possunt petere Cardinales in Ecclesijs suorum titulorum, vt per *Azor. p. 2. instit. moral. cap. 14 q. 5. vers. Quares*, vbi etiã *vers. Item Collegium*, hoc ipsum probat posse petere Capitulum, Sede vacante, & *vers. Quid dicendum*, Legatum Papæ, cui commissum est plenè legationis officium in sua Prouincia, cũ omnia liberè, & immediatè possit, quæ quilibet ordinarius de iure, seu consuetudine potest. Imò eiusmodi charitatiuum subsidium potest petere Administrator, seu Coadiutor datus Episcopo per Papam, vel Ecclesiæ Cathedrali vacanti, vt in *cap. is cui, de elect. lib. 6. & cap. vlt. in fin. de supplen. neglig. Prælat.* Et perpetuus Ecclesiæ Cathedralis Commendatarius, vt per *Archid. in cap. nemo deinceps, de elect. lib. 6 Innoc. in cap. si constiterit, de accusat.* Et denique charitatiuum subsidium possunt petere iusta, ac rationabili subsistente causa; Generales Ordi-

10 num Regularium à Monasterijs suorum Ordinum, pro sumptibus maximè necessarijs ad gubernationem, si aliundè non habeant bona, quę ad hoc onus sustentandum destinata sufficiant, vt habetur ex *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 87. à nu. 8. vsque in fin.* vbi latè hanc materiam pertractat, & excludit à charitatiuo subsidio Episcopo inferiores, Abbates, & Priores vt probat *num. 17. cum plur. seq. & num. 22.* non dubitat de Romano Pontifice, quin poterit petere charitatiuum subsidium, cùm habeat administrationem omnium beneficiorum sit quoque Episcopus Vniuersalis Ecclesiæ, & ordinarius ordinariorum, & *num. 25.* ostendit adeò subditos teneri ad charitatiuum subsidium; vt non possint præscribere, vt tale subsidium præstare non teneantur. Et tandem à *num. 26.* agit de causis, ex quibus charitatiuum subsidium exigi possit, & de personis, quæ ad illud soluendum compelli possunt.

11 Sextò peccare possunt Canonici Capitulo interessentes, sollicitantes, rogantes, promittentes, minantes concapitulares, vt suis votis adhæreant, vt infra Deo duce agemus de Capitulo generali Religionum agentes.

De Parochis, & eorum culpis, à discreto, ac cauto Confessario, cùm sibi videbitur, explorandis in eorundẽ confessionibus excipiendis.

D I S P. X.

S V M M A R I V M.

1 *Parochus dictus est quasi incola, seu habitator in loco quasi gręcè parecus.*

1 PArochus dicitur quasi parecus gręcè, idest incola, seu habitator in loco. Hinc *Pomponius Iurisc. in l. pupillus, ff. de verb. signific.* inquit, quod incola est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem gręci parecon appellant: quapropter Parochus ex eo dicitur incola, & habitator loci, quia in eo continuò residere debet, vt in *cap. quia non nulli, cap. cõquirente*, vbi *Glosa, cap. relatum, & cap. tua fraternitatis, de Cler. non resid.* Videndum est igitur, in quibus possint peccare Parochi, vt tales sunt, ad hoc, vt Confessarius debitis interroga-

gatio-

gationibus valeat eos iuuare in audiendis eorundem confessionibus.

An Parochi non residentes in proprijs Ecclesijs mortaliter peccent. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Parochi non residentes in eorum Parochijs, mortaliter peccant, cum sit eis praecepta residentia iure Diuino.*

2 *Peccant Parochi non residentes, etiam si eorum beneficia sint modici commodi.*

3 *Peccant Parochi non residentes, etiam si tres, aut quatuor incolae sint in eorum Parochia.*

4 *Parochi ad continuam tenentur residentiam, quamuis Parochia distet à Ciuitate tribus, aut quatuor milliarijs.*

5 *Presbyter Parochialem obtinens, à Ciuitate non distantem vltra duo milliaria deputari non potest Magister Grammaticae.*

6 *Parochus residere tenetur in Parochiali, quāuis Canonicatum quoque obtineat.*

7 *Parochi adeò residere tenentur in eorum Parochijs, vt minimè excusentur ob aeris intemperiem.*

8 *Parochum à residentia, nec senectus quidem excusat.*

9 *Parochus residere tenetur cum effectu, nempè, quod per se ipsum curam exerceat, & non per alium.*

10 *Parochi adeò ad residentiam obligantur, vt nequeat Episcopus illis vti pro suo seruitio, nec pro secretario, &c.*

11 *Parochi si absint ab eorum Ecclesiis per vnū, aut duos menses, citra ordinarij licentiam ac iustam causam, peccant, & pro tempore absentiae fructus suos non faciunt.*

12 *Bona Parochi absentis extra suam Parochiā morientis, ex benefitio quaesita ad Cameram Apostolicam spectant, tanquam spolia.*

13 *Parochus absens ex causa rationabili, licentia non obtenta, licet peccet ob inobedientiam, non tamen tenetur ad fructus restituendos, secus si per mendacium licentiam obtineat.*
An satisfaciat Parochus iurando, se grauem habere necessitatem, quam manifestare non expediat.

14 *Ad residentiam non solum tenentur Parochi, sed etiam Cappellani, & Parochorum Coadiutores, Apostolica auctoritate instituti.*
An teneantur residere, qui habent Vicarium perpetuum, & qui solam habent Ecclesiam baptismalem.

15 *Non peccat Parochus, saltem mortaliter si vno, vel altero die citra ordinarij licentiam absit à Parochiali Ecclesia, relicto tamen Cappellano pro casibus occurrentibus.*

16 *Consuetudine introductum est, vt possit Parochus abesse per sex, vel octo dies, sibique Cappellanum substituere, inconsulto Episcopo.*
Referuntur tres Sacr. Congregationis declarationes.

17 *Tunc tenetur Parochus ad residentiam, quādo beneficium est actu curatum, secus si habitu, vt quia Populus est destructus.*

18 *Parochus habens duas Parochiales Ecclesias aequales, residere poterit, cui voluerit.*

19 *Quae nam causae Parochum excusent à residentia.*

20 *Legitima discedendi causa, debet prius ab ordinario cognosci, & approbari; & cum eius licentia deindè abesse, relicto idoneo Vicario.*

21 *Quamuis Parochis absentibus, citra ordinarij licentiam, ne fructus suos faciant pro rata absentiae, non requirantur interualla, de quibus in* Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. *Crescente tamen eorum contumacia, si Episcopus velit ad priuationem beneficiorum procedere, debet eos personaliter citare.*

1 IN hac re regulam ponimus affirmatiuam, eandem multipliciter ampliantes, ac limitātes. Sit igitur conclusio, quòd Parochi non residentes in eorum Parochijs peccant mortaliter. Est enim iure Diuino praecepta omnibus, quibus animarum cura commissa est, residentia in proprijs Ecclesijs, vt in *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 1. & sess. 6. de reform. cap. 1.* in illis verbis: *Vigilent, sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant: implere autem illud se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ouium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo Iudice requirendus custodiae minimè incumbant; cùm certissimum sit, non admitti pastoris excusationem, si lupus oues comedit, & pastor nescit, &c.*

2 Ampliatur primò haec conclusio, vt Parochi peccent non residentes, etiam si eorum beneficia sint modici commodi, vt in *cap. conquerente, de Cler. non resid.* Etenim dum pastoris onus in se suscipiunt, ad onus Angelicis humeris formidandum debent intendere per se primò, non autem ad stipendium; aliàs non pastores, sed mercenarij appellarentur, vt in *d. cap. 1. Conc. Trid de reform. sess. 6.* Et cùm consenserint susceptioni tanti oneris, non possunt deinde dissentire, etiam si paupertate laborent, vt in *cap. Clericus, 91. d.* non enim proprio lucro, sed cōmunitati, & vtilitati debent prospicere curam animarum suscipientes, *arg. tex. in cap. dilectissimi, 8. q. 2.*

3 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt peccent Parochi non residentes, etiam si tres, aut quatuor tantùm incolae, atque adeò Parochiani in Parochia essent: siquidem ouium sibi cōmissarum sanguis de eorum est manibus à supremo Iudice requirendus si custodiae non incumbant, nec excusatur pastor si lupus vnam, vel alteram ouem sibi commissam rapiat, & ipse nesciat. Ob id autem cogendi sunt Parochi in proprijs Ecclesiarum domibus habitare; quae si non sint, in propinquioribus intra Porochiarū limites, vt patet ex declaratione Sacrae Congregat. relata à *Garz. de benefic. Eccles. par. 3. cap. 2. sub num. 179. declar. 21. & 22. & Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 53. num. 71. & 72.* vbi testantur per eandem Sacr. Congreg. fuisse decisum *declar. 20.* quod licet Ecclesia Parochialis sit in loco, vbi minor pars Parochianorum inhabitat, & maior pars habitat longè in oppidis;

V nihi-

nihilominus Parochus tenetur propè Ecclesiam habitare, & succurrendum est eis, qui longè habitant, iuxtà loci antiquam consuetudinem.

4 Tertiò ampliatur, vt Parochi teneantur ad continuam residentiam in eorum Ecclesijs, vt habetur ex *Barbos. d. alleg.* 53. *num.* 105. atque ideò quamuis Parochia distet à Ciuitate tribus, aut quatuor milliaribus; tamen potest Parochus diebus feriatis habitare in Ciuitate, & diebus festiuis, ac Dominicis in Ecclesia Parochiali, vt decisum fuisse per Sacram Congregationem, testatur *Garz. d. cap.* 2. *num.* 179. *in declar.* 17.

5 vbi etiam adducit eiusdem Sacræ Congregat. declarationem 19. se habentem, quod Præsbyter obtinens Parochiales, etiam à Ciuitate vltra duo milliaria non distantes, non potest deputari Magister Grammaticæ, & ob id à residentia excusari, etiam si velit singulis diebus festiuis Parochiali interesse. Imò deficiente Magistro Grammaticæ in Ciuitate, nec quidem Parochus poterit in ea habitare, relicto idoneo Vicario, & approbato cum congrua mercede in Parochiali, quamuis diebus festiuis intersit, vt testatur fuisse decisum, *Ricc. in praxi, decis.* 502. *in* 1. *edit. & resolut.* 395. *num.* 2. *in* 2. *edit.* quem refert *Barbos. d. alleg* 53. *num.* 76. vbi ampliat adeò Parochos teneri ad residentiam, vt cogi possint ab Episcopo, non obstante consuetudine residendi in loco distanti à Parochia per sex milliaria, vt refert *Garz. loco citato*, fuisse declaratum per eandem Sacram Congregationem declar. 18. his verbis: *Canchen Episcopus potest compellere Rectores ad residendum, non obstante consuetudine residendi in loco distanti à Parochia per sex milliaria*. Qualiter autem Parochi ex causa studij, aut ex causa docendi abesse possint à Parochialibus Ecclesijs, & ad quæ teneantur, latè supra adnotauimus *disp. proxima, sec.* 1 *concl.* 1. *lim.* 1.

5 Quartò ampliatur, vt Parochus teneatur residere in Parochiali, licet Canonicatum quoque obtineat: nam licet distributiones perdat, non tamen venit Canonicatu priuandus. Est tamen verum, quod residens in Parochiali, quæ non longè distat à collegiata, in qua Canonicatum habet, diebus feriatis ad Ecclesiam collegiatam accedere, & in ea in diuinis inseruire potest; dummodò in omnibus diebus, & horis suis debitis, & congruis Parochiali inseruiat, & nihil prorsus dimittat ex debito ipsius Parochialis seruitio, vt post alios *Barbos. d. alleg.* 53. *num.* 83. & 84.

7 Quintò ampliatur, vt Parochi adeò teneantur residere in eorum Parochialibus Ecclesijs, vt non excusentur, propter aeris intemperiem: & non possunt alibi habitare, etiam si in Ecclesia relinquant Vicarium approbatum, vt habetur ex *Gallec. in suo tract. de Paroch. oblig. tempore pest.* Est tamen verum, quòd Parochus si infirmus sit, & in loco Parochialis Ecclesiæ curari non valeat medicorum, ac medicinarum defectu, tunc potest ei ab ordinario dari dilatio trium, aut quatuor mensium, vt in locis vicinioribus maneat sanitatis causa: & interim ab ipso ordinario in Parochiali constituatur idoneus Vicarius, congrua portione ex redditibus Parochialis eidem designata. Et ità per Sacram Congregationem fuisse definitum, testatur *Garz. d. cap.* 2. *num.* 179. *declar.* 4. & *Barbos. d. alleg.* 53. *num.* 90. cum alijs, quos allegat, vbi etiam addit *num.* 9. de Episcoporum residentia agens, Episcopo non licere à sua Ecclesia abesse, etiam propter perpetuum morbum: siquidem tempore pestis, si Parochi moriantur, aut aufugerint, tenetur ipse Sacramenta ministrare.

8 Sextò ampliatur, vt nec senectus quidem excuset Parochū à residentia: nam si propter senectutem efficiatur impotens datur ei Vicarius idoneus, cum assignatione congrua portionis ex ipsius Parochi redditibus, vt in *Conc. Trid. sess.* 21 *de reform. cap.* 1. itavt Parochus resideat in loco, vbi sita est Ecclesia Parochialis, etiam si ei datus esset Coadiutor ratione infirmitatis, vt per Sacram Congregationem decisum fuisse, testatur *Garz. d. c.* 2. *num* 178.

9 Septimò ampliatur, vt Parochi adeò obligentur ad residentiam, vt teneantur residere, cum effectu, nempè, quòd, per se ipsum Parochus curam exerceat, & oneri suo satisfaciat, & non per alium. Vndè peccat Parochus, qui residet in Parochiali, & per se non exercet officiū Parochiale, nec administrat Sacramenta, sed per substitutum, seu Vicarium: Siquidem residere formaliter, & effectiuè est Ecclesiæ deseruire per se ipsum, curam exercere, vt in *cap. extirpanda, §. qui verò de praeben. Vgol. de officio Episcop. cap.* 4. & alij, quos refert, & sequitur, *Garz. de benefic. Eccles. par.* 3. *cap.* 2. *num.* 52. & 53. vbi tamen addit, non teneri eiusmodi Parochum ad fructuum restitutionem, quoniam *Conc. Trid. sess.* 23 *de reform. cap.* 1. ponit pœnam amissionis fructuum contra absentes, & nō residentes, iste autem non potest dici abesse.

10 Octauò ampliatur, vt Parochi ità ad residentiam obligentur, vt nec Episcopo liceat pro Cathedralis Ecclesiæ seruitio, aut suo, aliquem ex Parochis suæ Diœcesis ex eius Ecclesia assumere, etiam constituto illi idoneo Vicario: Siquidem talis Parochus dum in eiusmodi est seruitio dicitur à propria Ecclesia abesse, vt habetur ex *Steph. Quarant. in summ. Bullar. verb. residentia*. Vndè Episcopus non potest vti opera Parochi pro Secretario, nec pro visitatione suæ Diœcesis, aut alio eiusdem seruitio, nisi pro tēpore duorum mensium, & tunc relicto in Parochiali idoneo Vicario, vt per Sacr. Congregat. decisum fuisse, testatur *Garz. loco citato, num.* 42. per plures declarationes, quarum prima ità se habet: *Episcopus non potest vti opera Parochi in visitatione, vel alio seruitio sua Diœcesis, nisi pro tempore duorum mensium à Concilio permisso, & idoneus Vicarius reputetur*. Secunda verò declaratio est tenoris sequentis: *Congregatio Concilij respondit, non licere Episcopo suorum, vel etiam Cathedralis Ecclesia negotiorū causa permittere, vt curati extra ipsorum curā maneant, etiam constituto Vicario idoneo*. Vndè per primam illam declarationem fuisse derogatū alteri eiusdem Congr. declarationi putat, idem *Garz. ibi, num.* 43. se habenti, Episcopum posse pro visitatione vel opera Parochi ad quatuor menses. Imò à residentia non excusat Parochos Inquisitoris officium, aut subcollectoris, vt patet ex tertia declaratione eiusdem Sacræ Congregationis, relata ex ipso *Garz. d. nu.* 42. & concordat Concilium Prouinciale Mediolanens.

nenf. 5.p.3.tit.de residentia, in illis verbis: *Neque ad seminarij quidem curam, vel ad Vicarij munus, vel ad sanctæ etiam inquisitionis officiũ, nec verò ad aliud quicquam opera Sacerdotis curam animarum gerentis Episcopus ità vtatur, vt ab Ecclesia, beneficione in eius curam tradito diutius absit, ac muneri debitæ residentiæ personalis desit.* Quibus adde *Ricc. resolut.* 393. & alios apud *Barbos. d.alleg.*53. *num.* 85. 86. & 87.

11 Nonò ampliatur, vt si Parochi absint ab eorum Ecclesijs per duos, aut vnum mensem citra ordinarij licentiam, ac iustam causam, non modò peccent; sed etiam pro tempore absentiæ fructus suos non faciunt, sed eos tenentur restituere; quoniam faciunt contra *Concilij Trid. decretum, sess.*23.*de reform.cap.*1. *vers. Si quis autem*, in illis verbis: *Vltra peccati reatum, quē incurrit, eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse: sed teneri, aut ipso cessante, per Superiorem Ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, &c.* Et quamuis Concilium ibi loquatur de Episcopis non residentibus; nihilominus eandem pœnam extendit in Parochos, vt patet ex eodem *Conc. d. cap.*1. ibi: *Eadem omninò, etiam quoad culpā, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & alijs quibuscunque, qui beneficiũ aliquod Ecclesiasticum curam animarum habens, obtinent, Sacra Synodus declarat, & decernit; ità tamen, vt quandocunque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam vltra bimestre temporis, nisi ex graui causa non obtineant, &c.* Et ità fuit declaratum per Sacr. Congregat. quam refert *Garz. d. cap.*2. *num.* 26. cuius declarationis verba sunt, quæ sequuntur: *Fructus amittuntur dumtaxat pro rata illius temporis, quo quis abest sine licentia, nec potest componi restitutio debita fructuum malè perceptorum cũ obtinentibus Bullam Cruciatā, vel vigore aliorum priuilegiorum, & facultatum obtentarum per Concilium.*

12 Adde, quòd bona acquisita ex beneficio Parochi absentis, & extra suam Parochiam morientis, tanquam spolia ad Cameram Apostolicam pertinent, vt post alios, inquit *Barbos. d.alleg.*53.*num.*93. & 94. & nos latius infrà dicemus *lim.*4.

13 Est tamen verum, quod Parochus absens ex causa rationabili, non obtenta licentia, licet peccet ob inobedientiam in non petendo licentiam; non tamen tenetur ad fructuum restitutionem, vt habetur ex *Zecch. de casib. reser. casu* 3. *num.*3. quem refert, & sequitur *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg.*53. *num.* 100. vbi tamē *num.*98. & 99. ait non satisfacere Parochum si petat licentiam iurans se grauem habere causā, quam non expediat manifestare: & multò minus si per mendacium licentiam obtineat; atq; ideò tenetur ad fructuum restitutionem pro rata temporis absentiæ: Siquidem ad iustitiam absentiæ Concilium duo exigit; nempè causam iustam, & eius approbationem: vndè cùm sit falsa prima, erit etiam inutilis secunda, eò magis, quoniam tota ratio fructuum acquirendorum pendeat à causa iusta, vt per *Azor. p.*2.*instit. moral. lib.*6.*c.*10.*q.*3.

14 Decimò ampliatur dicta conclusio, vt ad residentiam teneantur non solùm Parochi, sed etiam Cappellani, & Parochorum Coadiutores Apostolica auctoritate instituti, vt Parochi ipsi, vt post alios inquit, *Barbos. d. alleg.*53.*num.*78. vbi tamen addit, quòd habens Parochialem, in qua Vicarium perpetuum legitimè institui obtinuit, eo viuente residere non tenetur, & *num.* 79. probat, quòd habens Ecclesiam baptismalem, cui incūbit sola cura baptizandi omnes infantes oppidi, & existentes sub cura Archipræsbyteri tenetur quoque ad residentiam personalem tanquam Ecclesiæ Parochialis Coadiutor, supposito, quòd in Ecclesia Archipræsbyter, præter baptismum, cætera Sacramenta administret.

15 Sic ampliata limitatur eadem conclusio primò, vt non peccet Parochus saltem mortaliter, si vno, vel altero die absit à Parochiali Ecclesia citra ordinarij licentiam; relicto tamen Cappellano ad occurrentes casus; quoniam abesse non dicitur, qui statim est reuersurus, *l. post liminium.* §. *captiuus,* & *l. nihil, ff. de capt.* & *post lim. reuers.* & patet ex *Conc. Trid. sess.*23.*c.*1. ibi: *Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reuersuri sunt, &c.* Vndè Parochus ruralis, qui singulis quibuscũque hebdomadibus in vrbē venit causa visendi parentes, & cum illis vno tantùm die moratur, relicto, vt supra Cappellano, non est iudicandus lethalis culpæ reus, nec tenetur ad fructuum restitutionem pro rata temporis absentiæ. Ità *Beia resp. cas. consc. par.*4.*casu* 21. quem refert, & sequitur *Barbos. d. alleg.*53. *num.* 92.

16 qui etiam *sub num.* 105. *vers. Ab Ecclesiis suis* addit, quod consuetudine introductum est, vt Parochus possit abesse sex, vel octo dies, & sibi Cappellanum, vt supra substituere inconsulto Episcopo; nisi per Episcopū id fuerit per specialem constitutionem inhibitum: Etenim valet Episcopi constitutio, ne Parochi possint abesse vltra duos dies sine licentia, & imponere pœnā pecuniariam contrauenientibus arbitrariam; non tamen pœnam excommunicationis, & ità fuisse decisum per Sacram Congregationem, testatur *Garz. de benefic. Eccl. par.*3.*cap.*2. *num.* 23. per plures declarationes quarum prima est: *Vltra bimestre tempus, imò nec per bimestre tempus possunt abesse Parochi sine licentia Episcopi: & valet constitutio Episcopi, ne Parochi possint abesse vltra dies duos sine licentia.* Secunda declaratio ità se habet: *Episcopus potest prohibere Parochis sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidium non excedat, ne vltra biduum à sua Ecclesia possint abesse, non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.* Tertia denique declarationis verba hęc sunt: *Nec potest per hebdomadam abesse non petita, vel non obtenta licentia, etiam relicto Vicario idoneo ab ipso ordinario approbato.*

17 Secundò limitatur, vt ità demum Parochus ad personalem residentiam in Ecclesia Parochia-

chiali, vt supra obligetur, quando beneficium est actu curatum; secus autem si curatum sit tãtùm habitu, vt quia populus sit destructus, & omnes Parochiani mortui sint, ac esse desierint; estò, quòd Parochialis Ecclesia firma remaneat, vt habetur ex *Mascard. de probat. concl.* 589. *num.* 5. *Azor. par.* 2. *instit. moral. lib.* 6. *cap.* 8. *q.* 9. *& Barbos. d. allegat.* 53. *num.* 68. vbi ob id dicunt, quòd si quis ad talem Ecclesiam promoueatur, non tenetur intra annum ad Sacerdotium ascendere, iuxtà *tex in cap.* 11. *qui, de aetate, & qualit.* & decret. *Concil. Trid sess.* 22. *de reform. cap.* 4. Benè verum est, quod si Parochiani redierint, vt quia captiui extiterint, tunc Parochialis Ecclesia quasi iure postliminij ad sua iura, & bona reducitur; atque ideò beneficiatus tenetur intra annum computandum ab eo tempore, quo Ecclesia cæpit Parochianos habere ad Sacerdotium ascendere, & in Parochia residere, vt post alios, idem *Barbos. loc. cit.*

18 Tertiò limitatur in Parocho habente duas Parochiales Ecclesias æquales: nam potest personaliter residere cui voluerit; dummodò altera non sit dignior altera: & vna non accedat alteri, quoniam tunc teneretur digniori residere, ac principali, non autem accessoriæ, vt habetur ex *Garz. de benefic. Eccles par.* 4 *cap.* 2 *num.* 179. vbi ita decisum fuisse per Sacram Congregationem, testatur in 16. declar. ità se habente: *Habens duas Parochiales vnitas perpetuò in vicẽ æquè principaliter, & non vnam alteri accessoriè, ambasque pares ità, vt vna non sit dignior, & principalior altera, potest in qua maluerit residere.* Non sic autem dicendum est de obtinente Canonicatum, & Parochialem; quoniam in quocunque loco sit, obligatur ad personalem residentiam in Parochiali; nec ob id Canonicatu venit priuandus; sed quotidianas tantùm amittit distributiones. Verum tamen est, quòd residens in Parochiali, quæ non longè abest à collegiata, in qua Canonicatum obtinet, diebus feriatis ad collegiatam potest se conferre, & in diuinis inseruire; dummodò in omnibus diebus, & horis suis debitis, & congruis Parochiali inseruiat, & nihil prorsus dimittat ex debito seruitio Parochialis Ecclesiæ. Ità *Armendariz in addit ad recop. legum, Nauar. l.* 1 *tit.* 18. *l.* 7. *de Episcop. num* 144. 195. *&* 197. quem refert, & sequitur *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg.* 53. *num.* 82. 83. *&* 84.

19 Quartò limitatur ipsa conclusio, vt vna ex quatuor causis in *Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. contentis, satis sit ad excusandum Parochos à residentia, nempè Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, vel euidẽs Ecclesiæ, vel Reip. vtilitas. Dixi: *Christiana Charitas*, idest proximorum vtilitas, vt si aliqua Ecclesia versaretur in magno hæresis discrimine, & Parochi prædicatione possit eidem succurri: aut pax componi inter Magnatos dissentientes; dummodò in propria Ecclesia non sequatur notabile detrimentum; nàm id esset contra ordinem charitatis, vt habetur ex *Tolet. lib.* 5. *sua summ cap.* 4. *& Barbos. d. alleg.* 53. *num.* 6. qui quamuis loquatur de Episcopo, idem tamen dicendum putat de Parocho, *num.* 105. *vers. Ab Ecclesijs suis.* Dixi: *Vrgens necessitas*, vt cum Parochus graui morbo reperiatur affectus non sine maximo eiusdem vitæ periculo, nisi locum mutet; dummodò Ecclesia Parochialis detrimentum aliquod spirituale non patiatur aliàs mori potius debet eligere, vt habetur ex *Toleto loco citato*, & ex alijs apud *Barb. ibidẽ, num.* 7. vbi *num.* 8. ex *Caranza in tract. de resid. Episcop cap.* 12. *vers. Secundò*, inquit, quòd occurrente temporali persecutione personæ, & non Ecclesiæ, vel aliarum ouium suarum, iustè potest abesse ab Ecclesia, durante persecutione; quoniam Paulus Apostolus missus est in sporta, vt Damasci Iudæorum persecutionem effugeret; quamuis sentiat *Armendariz loco citato, num.* 4 *&* 5. etiam si Episcopus perpetuò morbo laboraret, in cuius sententiam videtur inclinare, idem *Barbos. ibi, num.* 9. Dixi: *Debita obedientia*, nempè ex Rom. Pontificis iussu ad tempus pro Ecclesiæ bono, aut Reip. Christianæ vtilitate, vt ibidem *Caranza, vers. Quintò, & Barb. d. alleg.* 53 *num.* 11. qui *num.* 12. ex *Caiet. Soto*, & alijs, non putat esse iustam causam excusationis à residentia Episcopi ex consensu Sum. Pontificis, si sit Curiæ Romanæ Camerarius, aut Vicecancellarius, vel Sum. Pœnitentiarius, Cameræ Apostolicæ Thesaurarius, Auditor Rotæ, à secretis, aut Papæ Confessarius; si adsint alij idonei ad supradicta munera obeunda: siquidẽ, personalis residentia animarum curam habentium, est de iure diuino, vt sæpè diximus ex *Conc. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 1. & Papa citra rationabilem causam, & suo arbitratu non potest super Diuinam legem dispensare; & dispensatus non est tutus in conscientia, vt ostendimus in nostris *Commentarijs in Bull. Cœnæ, lib.* 2. *can* 7. *q.* 37. *num* 4. Dixi denique *euidens vtilitas Ecclesiæ, vel Reip* quando Parochus abesset pro defensione iurium propriæ Ecclesiæ, vel vt intersit Concilio Generali, vel Prouinciali: aut Reip. euidenti exigente vtilitate Orator fiat, aut Legatus fiat alicuius Principis, vt probat *Barbos. d. alleg.* 53. *num.* 15. *&* 16. quibus adde, quæ suprà adnotauimus *disp. proxima sec.* 1. *concl.* 1. *lim.* 1. 2. *&* 3. Est tamen verum,

20 quòd legitima discedendi causa debet prius ab ordinario cognosci, & probari, & cum eius licentia deindè abesse relicto idoneo Vicario, iuxtà ea, quæ supra diximus *ampl.* 9. *& limit.* 1. Imò Parochus citra ordinarij licentiam non potest abesse, etiam si iustam, ac necessariam discedendi causam notoriam habeat; nisi talis necessitas se offerat, quæ non patiatur dilationem, sed sit periculum in mora petendi licentiam, & tunc quamprimum debet certiorare ordinarium ipsum de discessu, & necessitate occurrente, vt de causa cognoscat, & det licentiã, nisi in breui sit reuersurus, vt habetur ex *Panorm in cap. relatum, de Cler. non resid. num.* 6. *Azor. par.* 1. *instit. moral. lib.* 7 *cap.* 4. *q.* 10. & ità fuisse declaratum per Sacram Congregationem, testatur *Garz. de benefic. Eccl. p.* 3. *cap* 2. *sub num.* 34. quæ declaratio ità se habet: *Congregatio censuit, solam distantiam loci, etiam cum necessitate ab eo discedendi, non excusare Parochum, vt possit abesse à sua Ecclesia sine licentia in scriptis obtenta; nisi talis necessitas repentè se offerat, quæ non patiatur dilationem: quo casu quamprimum de discessu, ac necessitate ordinarium certiorem faciendum esse, vt de causa*

causa cognoscere possit. Nec est liber à culpa, & à pœna amissionis fructuum, qui veluti per quatuor mensium spatium ex ingenti admodum causa ad curandam suam valetudinem, morbo graui instante, pro huiusmodi absentia non petit licentiam ab Episcopo, qui bona fide putauit euidentiam causa satis esse; nisi periculum esset in mora petendi licentiam, vt supra dictum est.

11 Quintò limitatur præfata conclusio, vt quamuis Parochi non residentes, vt non faciant fructus suos pro rata absentiæ ab eorum Ecclesijs citra ordinarij licentiam, non sint seruanda interualla, de quibus in *cap. 1. Conc. Trid. sess. 6.* vt per Sacram Congregationem fuisse decisum, refert *Garz. d. cap. 2. num. 32.* nihilominus, quando crescente contumacia Parochorum, Episcopus vult procedere ad priuationem eorũ beneficiorum tenetur eos citare, dato termino competenti ad redeundum, habito respectu ad personas, & tempora, vt in *cap. inter, de Cler. non resid.* & si non redierint, lata excommunicationis, aut suspensionis sententia, tunc possunt beneficijs priuari, vt rectè declarat *Barb. d. alleg. 53. sub num. 105.* quibus adde, quæ supra adnotauimus *disput. proxima, sec. 1. conclus. 4. lim. 2.*

An Clericus in minoribus constitutus Parochialem Ecclesiam, seu curatum beneficium suscipiens, citra intentionem suscipiendi Sacerdotium intra annum, sed illud renunciandi, peccet, & ad fructus restitutionem teneatur.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Clerico non Sacerdoti si conferatur beneficium curatum, cum tacito pacto conferri solet, vt infra annum teneatur Sacerdotiũ suscipere. An teneatur ad fructuum perceptos restituendos, si Sacerdotium non suscipiat.*

2 *Qui dubius est, an Sacerdotium velit suscipere intra annum, tenetur quoque ad fructuum perceptorum restitutionẽ, nisi animum mutet.*

3 *In susceptione beneficij curati, vel etiam simplicis necessarium non est propositum omninò absolutum, ac determinatum, in statu Clericali permanendi, & sacrum ordinem suscipiendi suo tempore, sed sat erit voluntas conditionalis.*

4 *Suscipiens beneficium simplex habens annexam obligationem Sacri Ordinis, si intentionem non habeat suscipiendi Sacerdotium infra statuta tempora, ad fructus perceptos restituendos, an teneatur, & peccet mortaliter.*

5 *Beneficij curati collator, aut alterius habentis obligationem Sacri Ordinis, si sciat, suscipientem non habere intentionem suscipiendi Sacrum Ordinem, culpam contrahit. Et Ecclesiam tenetur seruare indemnem, cum refectione damnorum, &c.*

6 *Clericus, qui fraudulenta intentione beneficiũ curatum accipit, non suscipiendi scilicet Sacerdotium, licet peccet mortaliter, & fructus restituat, nihilominus interim titulum beneficiarij acquirit, ac fructuum dominium.*

7 *Qui à principio, hoc est à tempore suscepti beneficij curati intendebat promoueri ad Sacerdotium, si deindè voluntatem mutat, non tenetur ad fructus restituendum, ante mutatam voluntatem perceptos.*
An teneatur ad restituendos fructus post mutatam voluntatem perceptos.

8 *Qui ab initio suscepti beneficij non intendebat promoueri in Sacerdotem, sed intra annum mutauit voluntatem, omnes fructus lucratur.*

9 *Clericus, qui tempore suscepti beneficij curati propositum non habebat absolutum, ac determinatum suscipiendi Sacerdotium non peccat, nec ad fructus tenetur; Secus si sit dubius.*

10 *Sic etiam si beneficium recipiat curatum, sed habitu tantum, non actu.*

11 *Clericus suscipiens beneficium, cui non est annexa ordinis sacri obligatio, citra omnem culpam beneficium suscipit, si intentionem non habeat suscipiendi ordinem sacrum.*
Quid si vrgente necessitate præcipiatur huiusmodi beneficiato, vt ad maiores ordines ascendat.

1 AD hanc difficultatem breuiter affirmatiuè respondetur, vt est *tex. in cap. commissa, §. Cæterum, de elect. in 6. Laym. in summ. Theol. lib. 4. tr. 2. cap. 14. num. 10.* & alij, qui hanc esse rationem volunt: siquidem Ecclesia beneficium curatum Clerico non Sacerdoti, cũ hoc onere, & tacito pacto conferre solet, vt is obligatus sit infra annum Sacerdotium suscipere, alioquin fructus interea perceptos restituere debeat.

2 Ampliatur primò hæc conclusio, vt non solùm locum habeat in eo, qui Parochiale beneficium suscipit non habens animum suscipiẽdi Sacerdotium intra annum; sed etiam in eo, qui dubius est, an Sacerdotium velit suscipere intra annum, vt habetur ex *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 45. num. 10.* quem sequitur *Laym. loco citato*, siquidem *tex. in d. cap. commissa*, tãquam conditionem exigit in prouiso, vt habeat intentionem intra annum post diem prouisionis Sacerdotium suscipiendi, at qui dubius est, & anceps huiusmodi intentionem non habet ad Sacerdotium ascendendi: ergo nisi animum postea mutet, fructus perceptos restituere tenetur; deductis tamen ijs, qui Vicario Ecclesiam ministranti dati fuerunt: nam hæc deductio in hac restituendi obligatione semper intelligitur, vt per *Rodriq. tom. 1. sua summ. cap. 30. conclus. 6.*

3 Verum tamen est, quod in susceptione beneficij curati, ac etiam simplicis non est necessariũ propositum omninò absolutum, ac determinatum in Clericali statu permanendi, & Sacrum Ordinem suo tempore suscipiendi; sed satis est voluntas conditionalis perseuerandi, & ad ordines ascendendi, nisi noua causa mutandi voluntatem superuenerit, vt si Clericalis status posteà minus conuenire videatur: aut si primogenitus, & vnicus frater moriatur sine liberis, aut matrimonium opportunum si offerat ad extin-

tinguendas lites, vel ad familiam subleuandam, vt contra *Sot.* & alios tenet *Garz. de benefic. Eccles. par. 3. cap. 4. num. 46. Nauar. in Man. cap. 25. num. 118. Sanch. loco citato, Laym. vbi supra num. 9. & vers. Quæres,* vbi ait, longè aliã rationem esse de eo, qui intendit intra annum à die prouisionis ad Sacerdotium promoueri, sed cum tacita, & non improbata conditione mutandi voluntatem in casibus prædictis, & alijs similibus: nam talis sincerè agit, & ideò non peccat: secus autem dicendum de eo, qui est dubius, vt supra per rationem supra allatam.

4 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat nõ solũ in obtinẽte Parochiale beneficiũ; sed etiam in suscipiente beneficiũ simplex habẽs annexam obligationem Sacri Ordinis; nempè Cappellaniam Sacerdotalem: quapropter si Clericus Cappellaniam Sacerdotalem obtineat, & intentionem non habeat suscipiendi Sacerdotium infra statuta tempora mortaliter peccat: quoniam suscipiens officium, cui obligatio aliqua annexa est, omni iure se habilem efficere tenetur, *arg. tex. in cap. non putanda,* 1 *q.* 1. Benè verum est, quòd quamuis *Panorm. in cap. relatum, de Cler. non resid.* & alijs, quos refert, & sequitur *Garz. loco citato, num* 37. putent, eiusmodi Clericum non solùm peccare mortaliter; sed etiam teneri ad fructuum perceptorum restitutionem, moti ex eo, quod ratio illa expressa in *d. §. Caterùm,* ibi: *Cum eis receptis fraudulenter,* militat, tàm in suscipiente beneficium curatum, quam simplex annexum habens onus Sacri Ordinis: nihilominus, quoad fructus restitutionem, contrarium docent *Sot. lib. 10 de iust. & iure, qu. 5. ar. 6. Nauar. in Man. cap. 25. num. 118. Sà vers. Beneficium, num. 38. Rodriq. in summ. cap. 30. concl. 3. Tolet. in suo instr. cap. 8 6, Alter qui in minoribus:* & alij, quos refert, & sequitur *Laym. in sua summ. Theol. lib. 4 tr. 2. cap 14. num. 11.* quod probant ex eo, quia neque ius Ecclesiasticum talem fructuum restitutionem præcipit; cùm tantùm de curatis beneficijs, id decretum conspiciatur. Sed re vera prior sententia nobis videtur probabilior: nam ex ratione legis expressa colligitur eius mens, vt in *Clem. 1. de elect.* atque ideò licet in pœnalibus regulariter non fiat extensio; nihilominus quando identitas rationis est in lege expressa, tunc habet locum extensio etiam in pœnalibus, vt habetur ex *Panor. in cap quia in insulis, de stat. monac. Alex. in l. cum mulier, 1.* per illum *tex. ff. sol. matr. Dec. in regula factum cuique, §. in pœnalibus, num. 15. ff. de regul. iur.* & ex alijs relatis à *Garz. loco citato, num* 39. & per *Addent. ad nostra Commentaria in Bull. Cœn. Domini, lib. 2. can. 1. q. 48. litt. A fol. 185. in secunda editione.*

5 Tertiò ampliatur, vt eandem culpam contrahat collator beneficij curati, aut alterius beneficij habentis obligationem Sacri Ordinis, si sciat suscipientem beneficium eiusmodi, non suscepturum Ordinem Sacrum: & insuper tenetur Ecclesiam seruare indemnem, cum refectione damnorum, ac interesse, vt constat ex *d. cap. cõmissa, § Caterum, de elect.* in illis verbis: *Illum autem, qui eam tibi contulit, cùm te non crederet ad huiusmodi Ordinem promouendum, prater Diuinam, quam ex inde incurrit offensam, ad seruandam indemnem eamdem Ecclesiam decreuimus obligari.*

6 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt licèt Clericus, qui fraudulenta intentione beneficium curatum accipit, percipiendi ex eo fructus, & deindè dimittendi, atque ideò non suscipiendi ordinem Sacerdotij, peccet mortaliter, & ad fructuum perceptorum restitutionem obligetur; nihilominus interim beneficij titulũ, & perceptorum fructuum dominium acquirit; cum onere tamen etiam ante omnem Iudicis sententiam fructus post anni lapsum restituendi vt contra *D. Anton.* & alios docet *Nauar. in Man. cap. 25. num 118. Sanch. lib. 7. de matr. disp. 45. num. 5. Laym. d. cap. 14. sub numer. 10. vers. Quadam tamen,* dicentes id colligi, ex *d. cap. commissa.*

7 Secundò limitatur, vt conclusio ipsa locum non habeat in eo, qui à principio, atque ideò tempore suscepti beneficij curati, intendebat promoueri ad Sacerdotium; sed posteà, mutata voluntate promotus non fuerit: tunc enim non tenetur ad restitutionem fructuum, quos percepit antè mutatam volontatem. Ità *Glosa in d. cap. commissa, vers. Intendens:* de perceptis verò fructibus post mutatam voluntatem aliter est dicendum, ita vt non solùm peccet, sed etiam fructuum prædictorum restitutioni efficiatur obnoxius, quoniam Ecclesia Parochialis sub tali conditione conferri censetur Clerico non Sacerdoti, vt si noluerit Sacerdos fieri intra annũ, ex eo tempore perceptos fructus restituere teneatur, vt per *Sot. lib. 10. de iust. & iure, q. 5. ar. 6. Guttier. lib. 2. Canon qq. cap. 5 num. 23.* Est tamen verum, quòd *Nauar. in Man. cap. 25. nu. 118 Sanch lib. 7. de matr. disp. 45. nu. 11. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 34. num. 134 & Laym. d. cap. 14. sub num. 10. vers. Alterum,* probabiliter putant, eiusmodi Clericum ad fructuum restitutionem, eo casu non obligari; quoniam in *tex in d. cap. commissa,* tantùm fit mentio de eo, qui ab initio non intendens Sacerdotium intra annum suscipere, Parochialem Ecclesiam suscipit: & propterea cùm illius dispositio sit odiosa, non debet ad casum diuersum, & præsertim minus culpabilem extendi, *arg. tex. in cap. odia, de regul. iur. in 6.* Non tamen videtur recedendum à priori sententia, cum in vtroque casu eadem ratio fraudis in *tex.* expressa militet in vtroque casu, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus.

8 Tertiò limitatur, vt conclusio non procedat in eo, qui ab initio non intendebat promoueri in Sacerdotem, sed intra annum voluntatem mutauit, aut dispensationem impetrauit; quoniam tunc lucratur omnes fructus. Etenim collatio beneficij ab initio valida fuit, vt supra ostendimus *lim. 1.* quamuis facta censeatur sub modo, seu obligatione, vt prouisus intra annum Sacerdotium suscipere velit, nisi dispensationẽ impetret, iuxtà *tex. in cap licèt Canon, de elect. in 6.* Quod quidem non obscurè colligitur, ex *tex. in d. cap. commissa,* in illis verbis: *Nisi voluntate mutata promotus fuerit,* vbi *Glosa* notat, quòd fraus purgatur, sicut & mora interdum. Et hanc sententiam communem esse, testatur *Laym. vbi supra, vers. Tertium.*

Quartò

9 Quartò limitatur probabiliter in Clerico, qui tempore suscepti beneficij curati non habebat propositum absolutum, & omninò determinatum suscipiendi Sacerdotium; quoniam is nō peccat, nec ad fructus restitutionem obligatur, secus autem si fuerat dubius, vt supra *ampl. 1.* ostendimus.

10 Quintò limitatur, vt conclusio locum sibi vendicet in suscipiente beneficium actu curatum, & non habente intentionem suscipiendi Sacerdotium; secus autem si curatum sit habitu tantùm, vt supra declarauimus *sec. 1. lim. 2.*

11 Sextò limitatur ipsa conclusio in Clerico suscipiente beneficium, cui Sacri Ordinis obligatio annexa nō est, nempè Cappellaniam, quę per Vicarium administrari potest; Siquidem eiusmodi Clericus citra culpam beneficium suscipit citra intentionem Sacri Ordinis, vt habetur ex *Sanch. d. disp. 45. num. 17. & Laym. loco citato sub num. 11. vers. Dico quarto*: qui tamen cum *Nauar.* id limitat, nisi exigente necessitate, vel magna vtilitate Ecclesiæ præcipiatur beneficiato, qui ex beneficij redditibus aliquamdiu fuerit sustentatus, vt ad maiores ordines ascendat. Cæterum, qui beneficium simplex obtinet, cui nullus ordo sacer annexus est, eo tantum animo, vt fructus lucretur post aliquod temporis spatium dimissurus, & ad statum Sæcularem reuersurus, peccati mortalis reus dici non potest, si interim dum beneficium obtinet, officio suo satisfaciat, vt habetur ex *Sanch. d. disp. 45. num. 18. Garz. de benefic. Eccl. par. 3. cap. 4. num. 45. & Laym. vbi supra sub num. 12.* & nos latè in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 18. q. 7.* vna cum ad eam additis, *litt. A. & B. in 2. edit. fol. 672.* Etenim iura eiusmodi beneficiato liberam permittunt licentiam ad statum Sæcularem transeundi, & matrimonium contrahendi, vt in *cap. Ioannes, & cap. diuersis, de Cler. coniug.* Ergò si id ab initio intendat, culpa caret, cùm fraudem non dicatur committere, nec iniuriam Ecclesiæ inferre. Non tamen negari potest, quin susceptio beneficij cum proposito non permanendi in Clericatu, aliquam auersionem contineat: nam quodammodò beneficiorum naturæ videtur repugnare, cùm instituta sint pro ijs, qui perpetuò Diuino cultui se penitùs dicarunt: atque ideò talem Clericum venialem culpam contrahere vult, *Laym. vbi supra*, quamuis ab omni culpa eum excuset, *Garz. loco citato*.

Quibus casibus peccent Parochi, quoad Sacramentorum administrationem.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Parochi, si confessiones suorum Parochianorum non excipiant quotiescunque iustam confitendi causam habent, & loco, & tempore oportuno petunt.*

2 *Ad necessaria Sacramenta ministranda tempore necessitatis obligantur Parochi, etiam cum periculo mortis.*

3 *Potest Episcopus tempore pestis præcipere Presbyteris, nè ex Vrbe discedant.*

4 *Non tantum Curati ex vi muneris, sed etiam quælibet priuata persona proximo prospicere, & succurrere tenetur in extrema necessitate spirituali constituto.*

5 *Parochus, qui ex vi muneris etiam cum periculo vitæ suis Parochianis subuenire tenetur, excusatur à culpa saltem mortali, si munus suum æquè idoneo, cum licentia ordinarij committat.*

An si Parochus solus sit in oppido teneatur, cū periculo vitæ ea ministrare Sacramenta, quę non multum necessaria sunt, vt extremæ vnctionis, &c.

6 *Parochus, auditurus confessionem eorum, qui peste, aut simili contagioso morbo infecti sunt curare debet, si fieri possit, vt in loco non infecto constituti sint.*

7 *Si infirmus è loco suo egredi, nec moueri valeat, tenetur Parochus ad ipsum accedere, eumque secreto audire.*

An audito vno, vel altero peccato, si conspiciat infirmum habere contritionem omnium peccatorum, vel saltem attritionem possit illum absoluere.

Et an idem possit Confessarius, vbi periculum adesset, quod alij sine confessione decederent.

8 *Posset infectus, & cum alijs in Xenodochio, lecto affixus sua peccata, quæ scandalosa non sunt, nec ad peccandum allicientia, confiteri, alijs audientibus, ne Sacerdos periculo exponatur.*

9 *Peccant Parochi, si absolutionem Sacramentalem impendant his, quos vident non esse capaces.*

Quando teneatur Confessarius pœnitentem monere.

10 *Prudens Confessarius circa monendum pœnitentem multa considerare debet, & quæ*

11 *Si agatur de matrimonio contrahendo nulliter à pœnitente, probabiliter impedimentum ignorante, an, & quando Confessarius debeat ei impedimentum significare.*

12 *Pœnitens dubitans de matrimonij valore, iure petendi debitum, reddendi, &c. & à Confessario quærat, obligatur ipse Confessarius veritatem ei aperire.*

13 *Peccant Parochi denegantes licentiam confitendi Sacerdoti alieno, si sciant aliquem Subditum iustam habere causam illi confitendi.*

An si Parochus iniustè hanc licentiam deneget subdito, eam subditus consequatur ipso iure.

14 *Peccare possunt Parochi circa Sacramenta ministranda, si eorum matrimonijs intersint, qui vagantur, & incertas habent sedes non præmissa diligenti inquisitione.*

15 *Denunciationes in matrimonio non sunt de substantia matrimonij, quamuis si omittantur culpa contrahitur lethalis, matrimonium tamen est validum.*

16 *Peccat mortaliter Parochus, si denunciationes omittat, quamuis sciat nullum adesse impedimentum.*

17 *Denunciationes in matrimonio possunt ab Episcopo remitti, legitima subsistente causa.*

Et

Et quanam sint legitima causa.

18 *Nulla legitima subsistente causa à Parocho citra culpam remitti non possunt. Et vt validè fiant, ab ipso Parocho, vel alio de eius licentia fieri debent.*

An fieri possint tribus diebus festiuis continuis, & immediatè succedentibus.

19 *Denunciationes huiusmodi fieri non possunt diebus feriatis, sed festiuis, & inter missarum solemnia in Ecclesia, vel etiam extra, vbi adsit Magnus populi concursus.*

Qua pœna puniatur Parochus, si citra causam legitimam, omissis denunciationibus sponsũ, & sponsam indebitè coniuxerit.

20 *Peccant Parochi in ministrando Baptismo, si eos non interrogent, ad quos pertinet, quem, aut quos elegerint ad suscipiendum Baptizatum de Sacro Fonte, aut non deberent suscipientibus, quàm cognationem contraxerint.*

Adducitur Decr. Sacr. Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 2. *Et quarè hoc per Concilium fuit introductum.*

21 *Peccant quoque Parochi in ministrando Baptismo, si debita non vtantur materia, vel forma.*

22 *Peccant Parochi ministrantes Sanctissimum Eucharistia Sacramentum infirmis non ieiunis, in quibus nullum adest periculum mortis, vel superuenientis diuturna phrenesis.*

An possit pluries ministrari infirmis hoc Sacramentum per modum Viatici, si extat necessitas.

23 *Peccant Parochi ministrantes Sacramentum Eucharistia publicis peccatoribus, & quarè.*

24 *Peccant Parochi negligentes in ministrando hoc Eucharistia Sacramento suis Parochianis nonsolum necessitatis tempore, sed etiam extra tempus.*

Sic si ea ministranda committant Diaconis extra necessariam, ac rationabilem causam.

25 Peccant *Parochi, aliique Sacerdotes, ac Diaconi ministrantes hoc Sacramentum Eucharistia, cum conscientia peccati mortalis.*

Quid si periculum sit in mora, & contritionem tàm cito elicere non possit.

1 AD hanc rem respondetur, quòd Parochi possunt primò peccare, circa Sacramentorum administrationem, si illa Parochianis non ministrent, seu ministrare renuerint quoties debitè petierint. Vndè peccant Parochi si confessiones suorum Parochianorum non excipiant, quotiescumque iustam confitendi causam habent, & opportuno loco, ac tempore petunt, vt habetur ex *Gabr. in 4. d. 13. q. 1. ar. 3. dub. 5. Nauar. in Man. cap. 25. num. 131. & in cap. placuit, num. 152. de pœnit. d. 6. Henriq. lib. 6. sua summ. cap. 17. num. 3.* Etenim Parochus ratione Pastoralis officij debet suis subditis prouidere, & nusquam subtrahere, quæ ad spirituale ipsorum commodum, & profectum spectant: at ex frequentatione confessionis, ac communionis magnum spirituale commodum, ac propriæ salutis emolumentum consequuntur. Vndè falsa proculdubio videtur sententia, *Syl. in sum. vers. Confessor 1. q. 18. Armil. vers. Absolutio, num. 27.* existimantium, Parochum obligari tantùm ad audiendos subditos, quando illi ex præcepto confiteri tenentur, vt habetur ex *Laym. in sua summ. Theol. lib. 5. tr. 6. cap. 13. sub num. 2.* Imò

2 ad necessaria Sacramenta ministranda necessitatis tempore obligantur, etiam cum periculo mortis; nempè tempore pestis, famis, incendij, aut naufragij; & id etiam si necessitas sit tantũ grauis, & non extrema; quoniam curati ratione officij obligantur ad prospiciendum spirituali eorum saluti. Qua propter tempore pestis Parochus fugere non potest, ac populum deserere: Siquidem bonus Pastor animam suam dat

3 pro ouibus suis, vt legitur *Ioann. cap. 3.* Non enim excusantur Curati si metu mortis greges sibi commissas destituant, vt per *Azor. par. 1. instit. moral. lib. 1. cap. 11. q. 2.* Imò Episcopus tempore pestis potest Præsbyteris, etiam cum periculo mortis præcipere, ne ex vrbe discedãt, & quod necessaria Sacramenta petentibus subministrent; sicut Princeps quoque, aut Resp. Ciuibus imperare potest, vt arma sumant contra irruentes hostes, & Medicis ne durante peste à Ciuitate proficiscantur, quamuis id fieri non possit, citra mortis periculum, vt per *Azor. loco citato*, & nos diximus in *Commentar. nostris in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 2 q. 2. sub num.*

4 *28. & 35.* Adde insuper, quòd non tantùm Curati ex vi muneris, sed etiam quælibet alia priuata persona tenentur prospicere, ac succurrere proximo in extrema necessitate spirituali constituto, etiam cum periculo propriæ vitæ; dummodò spes æque certa proximum iuuandi adsit, & nullum grauius damnum inde futurum putetur, iuxtà illud *Ioann. Epist. 1. cap. 4. Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Vndè si infans absque Baptismo moriturus sit, nisi à me ministretur, teneor illum Baptizare, etiam cum vitæ periculo; licèt non sim Parochus, sed priuata tantum persona. Ità *Nauarr. in Man. cap. 24. num. 9. Valen. disp. 3 q. 4. par. 3. asser. 5.* & alij, quos refert, & sequitur, *Laym. in sua summ. lib. 2. tr. 3. cap. 3. num. 3.*

5 Est tamen verum, quod Parochus, qui ex vi muneris in necessitate, tum extrema, tum etiam graui spirituali tenetur, etiam cum periculo vitæ suis Parochianis subuenire, vt supra diximus, à culpa saltem lethali excusatur, si munus suum alteri æquè idoneo cum ordinarij consensu committat, aut resignet, vt ex *Valent. loco citato, Ioann. Chapeauille de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 1. qu. 4.* Dummodò si per substitutum exerceat, licet sit absens, animo tamen, & prouidentia efficiatur præsens; ita vt nihil necessarium ad salutem ouibus suis desit, vt per *Laym. loco citato, vers. His adde*, vbi etiam *vers. Cauere*, ait, cauendum esse à Parocho, ne dum pestis tempore vnius non grauiter indigentis spirituali vtilitati volens cõsulere, plures alij ex ipsius accubitu grauiorem iacturam spiritualem patiantur. Vndè si Parochus solus sit aliquo oppido, non facilè ministrare debet, cum vitæ suæ periculo Sacramenta, quæ non multum necessaria sunt, vel secundum se considerata, quale est Sacramentum extremæ vnctionis: vel respectu personarum, quarum bonum statum Confessarius probabiliter nouit; vt quia nuper eorum confessiones excepit. Sic etiam si personam aliquam verisimili-

milibus coniecturis Parochus cognouerit non habere conscientiam peccati mortalis, aut per contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, tunc ad euitandum probabilissimum contagionis periculum, maius bonum publicæ necessitatis præferendum est alicuius priuatæ vtilitati. Hæc post alios *Laym. loco supra relato.*

6 Imò Parochus auditurus confessiones eorum, qui peste, aut simili morbo contagioso infecti sunt, curare debet, vt si fieri possit, in loco non infecto sit constitutus; atque ideò infirmi quoque tenentur è cubiculo, aut è domo egredi, aut ad fenestram se conferre, Parocho foris stante, itavt eorum confessiones tutius audiat, si sine graui eorum incommodo id fieri possit. Ità *Maior in 4. d. 23 1. q. 1. Capeauille de modo ministrandi Sacramenta tempore pestis, cap. 1. qu. 9. & cap. 3. q. 29. & Laym. lib. 5. suæ summ. tr. 6. cap. 13. num. 4.* vbi in fine quoque addit, satis vtile esse, si pestis tempore fideles per concionē moneantur, vt qui sani sunt, ad confessionem maturè veniant in Ecclesia audiendi. Quòd si

7 infirmus è loco suo egredi, nec moueri valeat: nec etiam, tam alta voce confiteri, vt à loco distanti audiri possit, tunc Parochus ad infirmum accedere tenetur, & ipsum secretò audire. Et si timeat periculum contagionis, itavt non audeat cum infirmo morari, poterit eum rogare, vt statim confiteatur quædam grauiora peccata, cæteris prætermissis; siquidem propter impossibilitatem moralem audiendi integram cōfessionem materialiter, confessio ipsa erit integra formaliter: nam sicut pœnitens excusatur à materiali confessionis integritate, propter instans mortis periculum; ità quoque, ac ob eandem causam excusatur Parochus, quo minus audire integram confessionem materialiter omniū peccatorum teneatur. Vndè audito vno, aut altero peccato, si conspiciat infirmum probabiliter habere omnium peccatorum contritionem, aut saltem probabiliter attritionem, potest illi absolutionis formam impendere. Ità *Zambr. cap. 4. dub. 6. num. 12. Capeauille loco supra citato, quæst. 26. in fine, & Laym. d. cap. 13. sub num. 4. vers. Dico secundò.* Vbi idem dicendum putat, vbi Confessarius in audienda confessione vnius, si omnia peccata excipiat, periculum sit, vt alij sine confessione decedant; atque ideò etiam in bello antè conflictum, ac etiam post, cùm multi vulnerati in mortis periculo constituti afferuntur, potest hoc idem seruare Confessarius, vt habetur ex *Zambr. loco citato, nu. 11. Henriq. lib. 9. suæ summ. cap. 30. num. 3. Capeauille vbi supra, & Laym. d. cap. 13. sub num. 4.* vbi *vers. Dico tertiò,* citra omnem controuersiam quoque docet, posse peste infectum, & cū

8 alijs in Xenodochio lecto affixum sua peccata, quæ scandalosa, & ad peccandum allicientia non sunt, alijs audientibus confiteri, ne Sacerdos cōtagionis periculo exponatur; & ad id posse pariter à Cōfessario hortari, maximè si vnicus sit, & pluribus alijs sit necessarius. Etenim in articulo mortis constitutus, si aliter non possit ex lege charitatis erga se ipsum tenetur eo modo, clara voce, & coram alijs confiteri, vt per *Suar. de pœnit. disp. 36. sec. 6. Zambr. d. dub. 6. num. 15. & Laym.* rectè probat *loco citato, & vers. Dico quartò,* addendo insuper in casu necessitatis pestis, naufragij, &c. posse Confessarium, imò debere plures simul absoluere, si periculum sit in mora decedendi, citra Sacramentalem absolutionem, & absoluere eos sub hac forma: *Ego vos absoluo à peccatis vestris.*

9 Secundò peccant Parochi in administrando pœnitentiæ Sacramentum suis Parochianis, si eos videant non esse capaces absolutionis, & absolutionem Sacramentalem eisdem impendant, vt si Parochus aduertat pœnitentem laborare ignorātia culpabili alicuius rei scitu necessariæ, tenetur illum monere: siquidem pœnitens à Confessario monitus, vel retractare conabitur suam culpam, vt absolutionem mereatur, aut si non retractet, causam nouerit, cur Confessarius absolutionem ei denegauerit, & conscientiæ stimulis actus tandem fortè corrigetur. Dixi, *Laborare ignorantia culpabili,* quoniam si intelligat pœnitentem laborare ignorantia inculpabili, ac inuincibili, vel saltem lethaliter non culpabili, & putet ex admonitione nihil proficere; sed potius ex ea prouentura scandala, & perturbationes, tunc debet dissimulare, iuxta illud *D. August. homil. 41. inter 50. Si scirem non tibi prodesse, non te admonerem, non terrerem:* Siquidem ratio mediorum à fine desumitur, finis autem correptionis est bonum correcti. Ità *Nauar. in cap. si quis autem, num. 73. de pœnit. d. 7. & in Man. cap. 22. num. 83. Andr. de Confess. q. 5. dub. 7.* & alij, quos refert, & sequitur *Laym. d. cap. 13. sub num. 5.* vbi tamen addit, quòd si Confessarius aduertat, pœnitentem in his casibus laborare inculpabili, ac inuincibili ignorantia; Verum si moneretur veritate detecta, maius commodum, quàm incommodum prouenturum, hoc casu ex lege charitatis, & iustitiæ, si Parochus præsertim existat, debet illum monere, eidemque veritatem aperire: nā cùm eiusmodi error per se malum quodam sit, & aliquando alia incommoda secum trahat, ab eo liberari pœnitens debet. Vndè prudens Confessarius, circa rem hanc multa considerare de-

10 bet, nempè qualis, & quantus sit error, facti, an iuris? naturalis, Diuini, vel humani? Vtrum annexam habeat irreuerentiam Sacramenti, saltem materialem, vt si matrimonium inualidè contrahendum sit. An cum discrimine proprij detrimenti: vt si defectus matrimonij, vel obligatio debiti coniugalis non petendi posteà cognoscatur; aut ignorantia nunc inculpata, postea culpabilis fiat. Et an de detrimento tertiæ personæ tractetur, vt si res aliena restituenda sit. Ex alia parte prudentem Confessarium considerare oportet quantum, & quàm diuturnum incommodum ex monitione timeatur: Etenim aliquando accidit, vt pœnitens turbatus animo admonitionem non excipiat; posteà verò, sedato animo, salubriter recipiat, & pareat. E contra autem aliquando euenit, ut quamuis pœnitens Confessarij consilio, uel præcepto sit parere paratus; attamen grauiora incommoda futura formidentur. Vt si Confessarius u. g. ex confessione pœnitentis excipiat matrimonium illius esse inualidum, & sciat pœnitentem eiusmodi inualiditatis probabili ignorantia ignorare, & si sciret inualidum esse matrimonium, dispensationem se petiturum, uerum timet de eiusmodi coniugis incontinentia, parentum, aut filiorum

infamia; de familiæ quærimonijs, ac litibus, tunc ait *Laym. vbi supra, vers. Quamobrem*, quòd in tali casu Confessarius interdum dissimulare debet, & dimittere pœnitentem in eius probabili ignorantia permanentem.

11 Quòd si non agatur de matrimonio inualido iàm contracto; sed de matrimonio nulliter contrahendo à pœnitente impedimentum probabiliter ignorante; tunc si Confessarius præuideat, quòd pœnitens si sciret eiusmodi impedimentum dirimens, se ab illo matrimonio contrahendo recessurum, aut dispensationem petiturum, tunc debet illi impedimentum ipsum significare, tum propter Sacramenti reuerentiam, ne inualidè suscipiatur; tum etiam ob nonnulla alia incommoda, quæ ex inualido coniugio cõsequi solent, vt per *Syl. vers. Confessio, 3. qu. 12. Sanch. lib. 7. de matr. disp 38 nu. 6. Finell. casu reser. 10. num 12 & Laym. loco citato, sub num. 6. vers. Speciatim verò*, vbi etiam ait, quòd licèt agatur de contracti matrimonij impedimento, vel obligatione debiti non petendi; nihilominus si Confessarius ipse dispensandi facultatem habeat, plerumque dissimulare non debet; quoniam etsi nunc coniux inuincibili laboret ignorantia; ea tamen processu temporis

12 remoueri potest. Imò si pœnitens dubitans de matrimonij valore, iure debiti petendi, restituendi, &c. ex Confessario quærat, vt veritatem ipsi aperiat; tunc Confessarius ipse obligatur veritatem eundem palàm edocere: nàm sicut pœnitens dubitans tenebatur peritos consulere; ità Confessarius consultus tenetur veritatem aperire. Cæterùm caueat Confessarius, si fructū Sæcularem non speret, ne plus respondeat, quã à pœnitente interrogatur. Vt si agatur de matrimonio contracto ab eo, qui votum simplex habebat castitatis, & consulat Confessarium, an sit validum, ipse Confessarius licet teneatur respondere, validum esse, vt in re est; non tamen debet vlteriùs progredi, quòd non possit petere debitum coniugale, si probabiliter dubitet nihil profuturum, circa dispensationem petendã à pœnitente. Adde, quòd etsi matrimonium ob latens impedimentum irritum sit; nihilominus Confessarius potest suadere, & præcipere pœnitenti, inuincibili ignorantia laboranti, vt cõiugi petenti debitum reddat: quoniam stante probabili vtriusque ignorantia ad id obligatus est, vt habetur ex *Sanch. d. disp. 38. num. 8. Henriq. lib. 9. sua summ cap. 30 num. 5.* quos refert, & sequitur *Laym. sub d num. 6. vers. Cæterum*, contra *Sot. in 4 d. 18. q. 2. ar. 4 ad 2.* Reliqua demum ad hanc materiam pertinentia trademus infrà, de Confessariorum peccatis agentes.

13 Tertiò peccant Parochi si probabiliter sciant aliquem subditum habere iustam causam confitendi Sacerdoti alieno, & illi petenti licentiã denegant, vt cum communi Doctorum sententia, docet *Laym. loco citato, sub num 3.* Est tamen verum, quòd si Parochus eiusmodi licentiam iniustè deneget subdito, qui ab alio Superiori, nec valeat eam obtinere, tunc probabilem putet sententiam *Henrici Gandauen. quodlib. 9. q. 24. Richar. in 4. d. 17. ar. 3. q. 7. Palud. eadẽ d q. 3 ar. 3. casu 1. Syl. vers. Confessor 1. q. 6. Tolet. lib. 3. sua summ cap. 13. Nauar. in cap. placuit, num. 144. de pænit. d. 6.* & aliorum dicentiũ in eo casu, subditum ipso iure facultatem cõsequi confitendi Sacerdoti alieno, cùm iste talis se habeat, ac si Cõfessarij copia sit destitutus; Contrariam tamen opinionem probabiliorem putant *Alens. par. 4. qu. 78. memb. 1. ar. 2. Sot. d. 17. q. 4. ar. 2. Medina q. 30. Llamas par. 1. cap. 6. § 1. Philiar. tom. 1. par. 2. lib. 2. cap. 24. Suar. de pænit. disp. 27. sec. 4. concl. 2 Petr. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 4. num. 269. supplem. 5. D. Thom. qu. 8. ar. 4. ad 5.* quos refert, & sequitur *Laym.* vbi supra. Probant hanc sententiam ex nostro Canone, in illis verbis: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit, iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, obtineat: cùm aliter ipse illum non possit absoluere.* Confirmãt quia in Ecclesia vnicus tantùm datur casus, & est mortis periculum, in quo alteri Sacerdoti confiteri fas est, si proprius non adsit, vel eius copia haberi non possit. Denique, cæteris prætermissis, quamuis Episcopus pœnitentem à peccatis reseruatis iniquè absoluere nolit; neque alteri absoluendi licentiam tribuere; ob id tamen iurisdictio extra mortis articulum ad Sacerdotem inferiorem non deuoluitur, vt habetur per *Rodriq. tom. 1 qq. Regular. q. 20 ar. 30.*

14 Quartò peccare Parochi possunt, circa Sacramenta ministranda, si illorum matrimonijs intersint, qui vagantur, & incertas habent sedes, non præuia diligenti inquisitione: & nisi re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint: siquidem id eis expressè præcipitur per *Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matr. cap. 7.* Non tamen si in his negligens sit Parochus, & matrimonio coniungat eiusmodi vagantes, non adhibita supradicta diligentia, nec ab ordinario obtenta licentia, vt supra, puto matrimonium esse inualidum, si cætera concurrant, quæ ab eodem *Concilio* præcipiuntur, dicta *sess. 24. cap. 1.* cuius verba inter alia sunt, quæ sequuntur: *Idcircò Sacro Lateran. Concilio sub Innocentio III. celebrato, vestigijs inherendo præcipit, vt in posterum antequam matrimonium contrahatur ter à proprio contrahentium, Parocho, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncietur, inter quos matrimoniũ sit cõtrahendum, quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur: vbi* Parochus, *viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: ego vos in matrimonium coniungo in nomine* Patris, *& Filij, & Spiritus Sancti: vel alijs vtatur verbis, iuxtà receptum vniuscuiusque Prouinciæ ritum.*

15 Est tamen verum, quod non omnia supradicta, per *Concil.* imperata in matrimonio contrahendo quidam volunt esse de matrimonij substantia: nàm licèt si citra legitimam causam omittantur præuiæ denunciationes, culpa contrahatur lethalis, sicut supra diximus de coniũgente in matrimonium personas vagantes, & incertas sedes habentes, dicta diligentia non adhibita, nec licentia ab ordinario obtenta, iuxtà eiusdem *Concilij decretum, d. sess. 24. de reform. matrim. cap. 7.* eum peccare posse, & nunc diximus peccare mortaliter, cum materia præcepti in vtroq; casu grauis sit; nihilominus matri-

trimonium in vtroque etiam casu videtur esse validum; quoniam nullo *Concilij* verbo significatur, præfatam diligentiam, ordinarij licentiam, ac denunciationes illas ad matrimonij substantiam pertinere, ita vt si omittantur irritum matrimonium censeri debeat: & quoad prætermissas denunciationes communem esse sententiam, docet *Sanch. lib. 3. de matr. disp. 5. num. 3. Laym. in summ. lib. 5. tr. 10. cap. 4. nu. 9.* & latè *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg 32. num. 1. cum plur. seq.* vbi pro hac re innumeros ferè Doctores allegat, & quamplures rationes

16 affert. Vult tamen idem *Barbos.* ibi post alios, *num. 4.* peccare mortaliter Parochum omittentem denunciationes eiusmodi, etiã si sciat nullum esse impedimentum, cum ex earum omissione subsequi possent multa mala, contra *Sot. in 4. d. 28. q. 1. ar. 2. ad 1.* & alios dicentes, eo casu non esse lethalem culpam, quando Parochus adhibuit sufficientem diligentiam ad inquirendum, an aliquod esset impedimentum. Quod tamen verum puto, quando ipse Parochus vnam tantùm denunciationem omitteret, & moraliter certus esset nullum subesse impedimentum: tunc enim ratione paruitatis materiæ non peccaret plusquam venialiter, cùm reprehensione sit dignus, vt habetur ex *Syl. verf. Matrimonium 6. q. 7. Sanch. lib. 3. de matr. disp. 5. num. 7. Petr. Ledes. de matr. q. 45 ar. 5.* & ex alijs apud *Barb. ibi, num 5.* Et si timore mortis denunciationes ipsas prætermittat, ab omni culpa excusatur, nisi metus illi incutiatur in contemptum clauium, vt per eundem *Barbos. post Sanch. loc. cit. num 6.*

17 Imò legitima subsistente causa eiusmodi denunciationes possunt ab Episcopo remitti ne fiant, vt patet ex *Conc. Trid. d. sess 24. de refor. matr. cap. 1.* Et si ad Episcopum accedi non possit, & periculum sit in mora, etiam Parochus dictas denunciationes remittere potest, ac debet, atque ideò absque denunciationibus citra culpam sponsos matrimonio iungit, vel ad summum vti potest vnica denunciatione pro tribus, vt communiter docet *Sanch. loc. cit. n. 27.* & alij apud *Laym. d. cap. 4. num. 11.* vbi enumerans causas, ex quibus remitti possunt tales denunciationes, inquit, quòd iusta de causa remitti possunt, si Magnates contrahant, quorum matrimonia ignota esse non solent: Item si inter senes, aut inter conditione dispares matrimoniũ contrahatur, propter, quod denunciationes citra sponsorum pudorem, aut familiæ infamiam non fierent. Possunt quoque remitti, si ex eiusmodi denunciationibus timeatur scandalum publicum; infamia, corporis, aut animæ detrimentum: si timeatur matrimonium impediri à consanguineis sponsorum, vel ab alijs malitiosè: si timeatur, ne quis sponsæ sterilitatem veneficio inferant: ne concubinarij, qui publicè æstimantur legitimi coniuges vna cum prole infamiam contrahant: si timeatur sponsorum incontinentia: si immineat tempus Aduentus, aut Quadragesimæ, & nuptiæ diutius differri nequeant: & aliæ causæ similes, quæ arbitrio ordinarij per *Conc.* remittuntur *d. cap. 1.* vbi etiam decernitur, quòd quando denunciationes ante nuptias factæ non fuerunt, vt post nuptias ante consumationem matrimonij fiant, vt si fortè impedimentum dirimens subsit, ante copulam fornicariam detegatur; nisi Episcopo consultius videatur eas penitus remitti.

18 Cęterùm quando nulla causa legitima remittendi præfatas denunciationes adest, tunc eas Parochus citra culpam remittere non potest, iuxtà ea, quæ suprà diximus: sed vt validè fiant faciendæ sunt à Parocho, vel ab alio de licentia ipsius Parochi, vt habetur per *Rodriq. par. 1. sua summ. cap. 217. num. 6. Sanch lib. 3. de matrim. disp 6. num. 4. cum plur. seq. Coninch. disp. 27. dub. 5 num. 50. Reginald. lib. 31. sua prax. num 225. & Barbos. d alleg. 32. num. 9.* vbi etiam *num. 10. cum plur. seq.* probat illas fieri debere in vtraque sponsi, ac sponsæ Parochia, quando sponsus, & sponsa sunt diuersarũ Parochiarum: & si plura habuerint domicilia, seu Parochias, faciendæ sunt in loco vbi diutius habitant, vel potius in loco, in quo facilius est sciri impedimenta, vt habetur ex *Sanch & Reginald. locis citatis.* & ex alijs. Et quamuis *Sanch. vbi supra num. 8. & Reginald. d. num. 225.* & non nulli alij velint, denunciationes ipsas fieri debere tribus diebus festiuis continuis etiam si sibi succedant, secundùm *Pontium de matrim. cap. 26. §. 4. in princ.* nihilominus alij putant *Concilium Tridentinum* intelligendum esse de festis, quæ sibi non succedunt immediatè, vt per *Ricc. in praxi rerum fori Eccles. resol. 224 num. 4. in 2. impres Coninch tom. 2. disp. 28. num. 4 in 2. impres. & Barbos. d. alleg. 32. sub num. 12.* qui tamen *num. 13 14. 15. cum plurib. alijs seq* putat ratione paruitatis materiæ non peccare Parochum si vno, vel altero die festo omittat denunciationes, dummodò inter vnam,

19 & alteram multos dies festos non interponat: & ex hoc infert denunciationes non posse fieri diebus feriatis; sed fieri debent diebus festiuis, siue fiant intra Ecclesiam infra Missarũ sollemnia, siuè extra vbi adest magnus populi concursus; quoniam adhoc, vt matrimonium dicatur celebrari in facie Ecclesiæ, non est opus, vt in ipsa materiali Ecclesia, aut in ipsius limine celebretur, sed satis est si coram aliqua fidelium hominum multitudine fiat, quæ tanquam Catholicorum Congregatio censeri potest Ecclesia, iuxtà *tex in cap. Ecclesia, de consecr. d. 1.* Quòd si Parochus citra legitimam causam omisisse eiusmodi denunciationibus sponsum, & sponsam matrimonio indebitè cõiunxerit, vltra lethalem culpam, quam contrahit, suspendendus est ab officio per triennium, vt in *cap. cum inhibitio, de Clandest. de spons. Henr. lib 11. cap. 5 num 6 & Bonac.* quos refert, idem *Barb. d. alleg 32. num. 7. & 8.* Siquidem quando illicite dictæ denunciationes omittuntur, matrimonium censetur Clandestinum ad incurrendas pœnas pro Clandestinis ma[tri]monijs inflictas, etiam si fiat coram Parocho, & testibus, vt habetur ex *Coninch. d. to. 2. disp. 18 num 203 & disp 27. num. 83. Alph. Castr. de iusta haret. punit. lib. 2. cap. 18.* cum alijs ab eodem *Barbos relatis, loco citato.* Reliqua ad rem pertinentia vide tradita per plura *Barbos. cumulata, d. alleg. 32 per totum,* & quę habentur ex *Laym. lib. 5 sua sum. tr. 10. par. 2. cap. 4 per totum,* vbi latè quoque rem hanc pertractat, & ex eorum dictis colliguntur quam-

plurimi alij casus, quibus Parochi peccare possint circà administrationem Sacramenti matrimonij.

20 Quintò peccant Parochi in ministrando Baptismi Sacramento, si antequam eiusmodi Sacramentum conferant nó interrogent eos, ad quos pertinet, quem, aut quos elegerint ad suscipiendum baptizatum de fonte baptismaris, & alios quam illos admittantiaur non leuantibus baptizatos non declarent, quam cognationem contraxerint: siquidem hæc omnia, & alia per Parochos fieri per *Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim cap. 2.* decernitur his verbis: *Parochus antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab ijs, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat; doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia vlla excusari valeant. Quòd si alij vltra designatos baptizatos tetigerint, cognationem spiritualem, nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia, secùs factũ fuerit, arbitrio ordinarij puniatur.* Vndè Parochus contrauenìens, proculdubio peccat mortaliter, cum faciat contra *Concilij* præceptum in re graui. Etenim hoc ideò per *Concilium* decretum fuit; quoniam, vt ipsum *Concilium in d. cap. 2.* inquit, docet experientia, propter multitudinem prohibitionũ múltotiès casibus prohibitis igno ranter contrahuntur matrimonia. Vndè volens S. Synodus huic incommodo occurrere statuit, vt vnus tantum isque mas si puer baptizandus sit, & fœmina vna, si puella sit baptizanda, vt in *cap. non plures, de consecr. d. 4. cap. quamuis, de cognat. spir.* vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, & baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm spiritualis cognatio contraharur; sicut cognatio ex confirmatione, confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur. Quæ quidem nisi aperiantur à Parocho contrahentibus eiusmodi cognationem spiritualem, & prædictæ personæ adnotentur, de facili possunt supradicta incommoda oriri, circa matrimonia contrahenda.

21 Peccant pariter Parochi, si in collatione Sacramenti Baptismi, non solùm deficiant in materia, vel in forma, vt quia non baptizent aqua naturali, ac elementari, sed aqua rosacea, aut aliquo alio liquore; aut non proferant verba illa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, ac Spiritus Sancti.* Verum etiam si deficiant in cæremonijs omittentes, aut mutantes cæremonias, ac ritus, ab Ecclesia institutos, vt latè declarat *Laym. lib. 5. suæ summ. tr. 2. cap. 8. num. 3. 4. & 5.* Imò Parochi si deficiant in forma, aut materia, non solùm peccant, sed etiam Sacramentum Baptismi non conferunt, vt idem *Laym. vbi supra, cap. 3. & 4.* & alij, quamplurimos casus, circa rem hanc resoluentes.

22 Sextò peccant Parochi in ministrando Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento infirmis non ieiunis, in quibus nullum adest periculum mortis, vel superuenientis diuturnæ phrenesis: quoniam illicitum est non ieiuno Sacram Eucharestiam ministrare extra casum necessitatis. vt latè nos supra ostendimus *tom. 1. §. 2. disput. 2. sec. 1.* Quòd si necessitas extet, non solùm semel, sed pluries infirmo, tàm de die, quàm de nocte Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum Parochus ministrare potest per modum viatici, vt adnotauimus supra *d. tom. 1. disp. 2. sec. 1. concl. 2. vers. Concluditur igitur*, vbi plura de obligatione communicandi per modum viatici cumulauimus, & præsertim probauimus, quòd quãnis Parochus teneatur magnam adhibere diligentiam, vt in pixide decenter conseruentur particulæ; nihilominus, si contingat Parochum aliquem non habere hostias in pixide asseruatas pro communicandis infirmis, non potest celebrare, vt illas ministret Parochianis in articulo, seu periculo mortis constitutis, nisi saluis Ecclesiæ præceptis, nempè, quòd sit ieiunus, non excommunicatus, cũ vestibus sacris, & in vtraque specie, & azimo; quoniam hæc omnia conducunt ad debitam reuerentiam tanti Sacramẽti. Imò Parochis incumbit obligatio inuestigandi, an sint aliqui infirmi constituti in periculo mortis, quos inuisere, & spiritualiter pascere oporteat, & si Sanctissimam Eucharistiam possunt infirmis ministrare de die, non ministrent de nocte, quia non debet deferri per plateas de nocte, nisi suadeat necessitas, & periculum sit in mora, vt habetur ex *Suar. 3. p. tom. 3. disp. 66. sec. 5. Laym lib. 5. suæ sum. tr. 4. cap. 5. num. 6.*

23 Septimò peccant Parochi ministrantes Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum publicis peccatoribus: debent enim eiusmodi peccatores repelli à perceptione tanti Sacramenti, etiam si petant, vt ad Sanctissimam Eucharestiam admittantur pro implendo pręcepto nostri Canonis communicandi in Pascha: siquidem dispensatio tanti Sacramenti indignis, ac publicis peccatoribus cedit in magnam ipsius irreuerẽtiam, iuxtà illud *Matt. cap. 7. Nolite Sanctum dare canibus.* Confirmatur, quoniam ex tali dispensatione scandalum subsequeretur in populo; tũ Diuinæ Maiestati, & Euangelicæ disciplinæ nõ sit congruum, vt pudor, & honor Ecclesiæ turpi publicorum peccatorum contagione fedetur, vt de publicis histrionibus. ait *tex. in can. pro dilectione tua, de consecr. d. 2.* Vndè à susceptione Sanctissimæ Eucharestiæ repellendi sunt publici histriones, qui ex officio turpes comœdias exercent: secus si turpes non exerceãt, sed modestas ad populi recreationem, Item publici parasiti, qui cum aliorum præiudicio vtuntur mordacibus dictis, de quibus habetur in *cap. tres sunt de pœnit. d. 1.* dum agit de peccatis, de quibus inquit *Apostol. ad Galat. cap. 5 Quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Sunt quoque repellendi à Sanctissima communione publici vsurarij: Exercentes torneamenta prohibita: exercentes cum notorio periculo choreas cum fœminis, & puellas humeris gestantes: habentes ludendi consuetudinem, ac officium aleis, ac taxillis notabilem quantitatem: hi enim omnes, & alij similes inter publicos peccatores connumerantur; quos tamen limita, ac declara, prout declarant, & limitant

mitant *Nauar. in d. cap. tres sunt, num. 16. de pœnit. d. 1. & in Man. cap. 23. num. 123.* quibus adde ea, quæ nos latè supra cumulauimus, *tomo 1. §. 2. disp. 5. sec. 10. per totam, & sec. 11.* vbi rem hanc facilius explicauimus, ampliauimus, ac limitauimus.

24 Octauò peccant Parochi negligentes in ministrando Sanctissimum Eucharestię Sacramentum suis Parochianis non solùm necessitatis tempore; sed etiam extra tempus necessitatis, si rationabiliter petant. Etenim Parochi ex obligatione iustitiæ tenentur Sanctissimam Eucharestiam illis ministrare, etiam tempore pestis, & cum periculo propriæ vitæ, sicut, & alia Sacramenta, vt de Sacramento pœnitentiæ supra diximus, circa principium huius sectionis: & in specie de obligatione Parochi circa administrationem Sanctissimi Eucharestiæ Sacramenti, egimus supra *d. tomo 1. §. 2. disp. 5. sec. 7.* Item peccant Parochi negligentes per se ipsos ministrare Sanctissimam Eucharestiam, eandemque ministrandam committentes Diaconis, nulla rationabili, ac necessaria subsistente causa. Etenim quamuis spectato iure Diuino non sit necesse, vt Sacerdos per se ipsum Sanctissimam Eucharestiam ministret, sed potest alteri inferiori committere eam populo dispensandam, vt olim Diacono committebatur, iuxtà illud D. Laurentij ad Sixtum Romanum Pontificem: *Experire, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem,* hodiè tamen, cùm qui Sacerdos non est, non communicet sub vtraque specie, sed sub specie panis, dumtaxat, hæc commissio citra necessitatem non datur Diacono, vt habetur in *Conc. Carthagin. 4. can. 38.* in illis verbis: *Vt Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam corporis Christi, si necessitas cogat, iussus eroget.* Vndè proculdubio peccat Parochus si citra iustam, ac necessariam causam committat Diacono Dominici corporis dispensationem, vt de hac re latè suprà egimus *tom. 1. §. 2. disp. 5. sec. 1. & 2.* quibus adde, quæ tradita fuerunt per *Layman. lib. 5. sua summ. tr. 4. cap. 7.*

25 Nonò peccant Parochi, sicut, & alij Sacerdotes, ac Diaconi ministrantes, ac dispensantes Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum, cum conscientia peccati mortalis: siquidem mortaliter peccat minister in peccato mortali existens, si non solùm Sanctissimam Eucharestiam dispenset, sed etiam quodcunque aliud Sacramentum ministret, vt habetur ex *Nauar. in cap. 1. §. Sacerdos, de pœnit. d. 6. Vittor. de Baptis. num. 28.* & facit *tex. in cap. vlt. de cohab. Cler. & mulier, & cap. omnia, 1. q. 1.* Etenim Sacerdos est publicus Ecclesiæ minister à Christo institutus, vt Sacramenta fidelibus sanctè ministret, atque ideò id ei ex officio incumbit, hinc ait *D. August.* relatus in *d. cap. omnia*: *Omnia Sacramenta, cum obsint indignè tractantibus; prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* His adde, quæ traduntur per *Laym. in sua sum. lib. 5. tr. 1. cap. 5. num. 7. cum plurib. seq.* vbi id ampliat etiam in Diacono ex commissione Sacerdotis, necessaria existente causa, dispensante Sanctissimam Eucharestiam, aut baptizante, cum conscientia peccati mortalis, nisi periculũ sit in mora, & contritionis actus, tam cito elicere se non posse arbitretur: nam hoc casu excusatur etiam Sacerdos, vt habetur ex eodem *Layman. loco citato, num. 8.* vbi etiam *num. 10.* rectè explicat controuersiam illam, in qua quæritur, an Diaconus, & Subdiaconus mortaliter peccent, si conscientiam peccati mortalis habeant, & in suo ordine ministrent. His adde, quæ supra adnotauimus *disp. 1. sec. 1.*

An Parochi peccent, si non curent eorum Parochianos rudes, & pueros fidei rudimenta edocendos.

S E C. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Ad Parochos magis, quàm ad parentes pertinet fidei rudimenta Parochianos edocere.*

1 AD hanc difficultatem respondetur breuiter affirmatiuè. Etenim ad Parochos magis, quàm ad alios, etiam parentes eiusmodi rudimenta edocere spectat, cùm ad Parochos, & alios curatos ex vi muneris pertineat, vt plebem sibi commissam in doctrina Christiana erudiant, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 11. sub num. 22. vers. Septimò peccat, Rodriq par. 1. sua summ. cap. 88. num. 2. Laym. lib. 2. summ. Theol tr. 1. cap. 9. in fine,* & nos latè supra, *disp. 2 sec. 2. vers. Quod si pœnitentem, & vers. Ea verò*: vbi latè egimus de ijs, quæ tenentur fideles explicitè credere: Quibus adde quoque, quæ tradita sunt per *Laym. loco citato, & Concil. sess. 24. de reform cap. 4.*

An Parochi peccent, si negligentes sint in reparandis eorum Ecclesijs, ac ædificijs: ac in prouidendis eas de paramentis, ac vasibus ad Diuinum cultum institutis.

S E C. V.

S V M M A R I V M.

1 *Parochi sub lethali culpa Ecclesias reparare tenentur. Easdemque prouidere de vasibus, ac paramentis, ad Diuinum cultum necessarijs.*

Quam partem fructuum in Ecclesia reparationem conuertere tenentur, & quando.

1 AD hanc rem respondetur affirmatiuè, atque ideò teneri Parochos sub lethali culpa reparare eorum Ecclesias, easdemq; prouidere de vasibus, ac paramentis ad Diuinum cultum institutis, & curare, vt paramenta ipsa lacera, & vasa consumpta reficiantur, & munda seruentur. Etenim Parochi quartam saltem partem fructuum beneficiorum conuertere in reparationem Ecclesiæ, vt in *cap. quatuor, cap. de redditibus, & cap. mos, 12. q. 2.* Est tamen verum, quòd id intelligendum est, quando redditus beneficij sunt sufficientes ad præfatas iuriũ portiones: secus autem si vix suppetāt ad necessarium

sarium victum Curatorum; quoniam tunc non Curati, sed Parochiani tenentur ad refectionem Ecclesiæ, ad eiusdem paramentorum emptionem, ac refectionem, & alia ad diuinum cultum pertinentia, cùm percipiant Sacramenta: & ad impossibile nemo teneatur, *l. impossibilium, ff. de regul. iur.* Ad id etiam facit decretum *Concil. Trid. sess. 21. de reform. cap. 4. cum seq.* quibus Parochorum paupertati succurritur.

An Parochi peccent si in proprijs Ecclesijs negligentes sint in verbi Diuini prædicatione. SEC. VI.

SVMMARIVM.

1. *Peccant Parochi proculdubio si negligentes sint in prædicatione verbi Dei, cum id sit proprium curam animarum habentium. Idque diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus peragere debent.*
2. *Munus hoc, an, & quando satis fructuosè adimplebit Parochus.*

1 Respondetur, Parochos proculdubio peccare, si negligentes sint in prædicatione verbi Dei ouibus sibi commissis: siquidem id est proprium animarum curam habentium, quibus iure Diuino id præcipitur, ut patet ex *Concil. Trid. sess. 23 de reform. cap. 1.* in illis verbis: *Cùm præcepto Diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, &c.* Hoc ipsum decernitur ab ipso *Conc. sess. 5. de reform. cap. 2.* per hæc formalia verba: *Archipræsbyteri quoque Plebani, & quicunque Parochiales, vel aliàs curam animarum habẽtes quocunque modo obtinent, per se; vel alios idoneos si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascãt salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: annunciandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Id verò si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi iurisdictione quauis ratione exemptum se esse prætenderet, etiam si Ecclesiæ quouis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extrà Diœcesim existenti forsan annexæ, vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint; prouida pastoralis sollicitudo non desit, ne illud impleatur, &c.* His adde idem *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 4.*

2 Hoc autem munus satisquidem fructuosè adimplebit Parochus, si pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerens, & in cætera munera pastoralia incumbẽs, oues suas exemplo omnium bonorum operum super omnia pascat, iuxtà ea, quæ habentur in *d. cap. 1. Conc. Trid.* & ex eodem *Conc. sess. 22. de reform. cap. 1.* ità se habente: *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se diuino ministerio dedicarunt; cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciãtur, in eos tanquam speculum reliqui oculos cõijciunt, ex ijsque sumunt, quod imitentur, &c.*

De alijs culpis, in quas solent incidere Parochi. SEC. VII.

SVMMARIVM.

1. *Peccant Parochi, & fructus non faciunt suos, si intra duos menses à die captæ possessionis beneficij, fidei professionem non emiserint. Debentque saltem attingere 25. annum.*
2. *Archidiaconi, qui dicuntur oculi Episcopi sint Magistri in Theologia, vel Doctores, aut licentiati in iure Canonico.*

1 Peccant Parochi, nisi intra duos menses à die adeptæ possessionis beneficij fidei professionem emiserint, & fructus beneficij suos non faciunt; cùm in *Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 12.* id expresse eis præcipiatur: sicut etiam per idem *Concil.* ibi prohibetur, ne quis promoueri se faciat ad dignitates curam animarum habentes annexam, nisi saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, & doctrinam sufficientem habeat, ac morum probitatem, his verbis: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordine versatus doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur iuxtà Cõstit. Alex. III. in Conc. Lateran. promulgatam, quæ incipit, cũ*
2 *in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit Magistri in Theologia, seu Doctores, aut licentiati in iure Canonico. Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & 22. non minores asciscantur. Prouisi etiam de beneficijs quibuscunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu officiali Orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, &c.*

An Parochi peccent si eorum beneficiorum redditus coruindem consanguineis, ac affinibus largiantur. SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1. *Parochorum consanguinei, propinqui, & affines si pauperes non sunt non possunt ipsi Parochi suorum beneficiorum redditus illis elargiri.*
2. *Multò magis prohibentur beneficiati suorum beneficiorum redditus in ludos, Choreas, venationes, aliosque luxus, & usus inhonestos expendere.*

Be-

3 *Beneficiati impendentes fructus beneficij in luxus, & vsus inhonestos ad restitutionem non tenentur.*

1 AD hanc controuersiam respondetur, quòd si Parochorum consanguinei, propinqui & affines pauperes non sunt, non possunt ipsi Parochi illis suorũ beneficiorum redditus elargiri; quoniam quicquid habent Clerici pauperum est, vt in *cap. quoniam, 16. q. 1.* quod adeò verum est, vt nec Clerici possint se ipsos alere de redditibus Ecclesiasticis, si parentum, & propinquorum bonis sustentari possunt, vt habetur in *d. cap. quoniam in fine*, in illis verbis: *Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parentum, & propinquorum nulla suffragantur. Qui autem bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectè committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt.* Vndè Parochi ijs tantum consanguineis, & propinquis aliqua valent de redditibus eorum beneficiorum elargiri, qui pauperes sunt, & egent pro conseruatione status, aut eorum ministri tanquam digniores præficiuntur, sicut supra diximus de Sum. Pontifice *disp. 4. sec. 10.* non autem thesaurizẽt, sed ità ipsis elargiri, vt non omnia vni; sed singulis quædam præstentur. Ad quod etiam facit *Conc. Trid. decretum, sess. 25. de reform. cap. 1.* ità se habens: *Omnino eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant: cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa: imò quàm maximè potest, eos Sancta Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vndè multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant.* Quæ verba licet dicantur Episcopis; ea tamen *Concilium* extendit ad quoscusque beneficia Ecclesiastica obtinentes, ità immediatè subdens: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiastica, tàm Secularia, quàm Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione obseruari, sed & ad S. R. E. Cardinales pertinere decernit, &c.* Etenim, vt ex eodem *Conc.* habetur loco proximè citato. Qui curam animarum suscipiunt, quæ suæ sint partes debent agnoscere, ità vt non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum, sed ad labores ac sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Hæc dubitandum est, fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque faciliùs inflammandos, si Præpositos suos videant, non ea, quæ mundi sunt, sed animarum salutem, ac Cœlestem patriam cogitantes.

2 Quòd si hæc Canones Sacri, ac Concilia decernunt de elargientibus bona Ecclesiæ consanguineis, ac propinquis; multò plura meritò decernunt contra beneficiatos redditus suorum beneficiorum expendentes in ludos, choreas, venationes, & alios luxus, & vsus inhonestos. Vndè *Concilium Trid. sess. 22. de reform. c. 1.* renouant, quæ per Sacros Canones constituta fuerunt, circà vitam, & honestatem Clericorum ità decernit: *Quapropter sic decet omninò Clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus, nil, nisi graue, moderatum, ac Religione plenum præseferant: leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cùm igitur quo maiore in Ecclesia Dei, & vtilitate, & ornamento hæc sunt, ità etiam diligentiùs sint obseruanda, statuit Sancta Synodus, vt quæ aliàs à Sum. Pontificibus, & à Sacris Concilijs de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, cõmessationibus, choreis, aleis lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non Sæcularibus negotijs fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerint, eadem in posterum, ijsdẽ, vel maioribus arbitrio ordinarij imponendis, obseruentur: nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat.*

3 Non tamen impendentes fructus beneficiorum ad luxum, ludos, & ad alios etiam inhonestos tenentur ad restitutionem, vt post alios probat *Anton. in Cathec. Neap. lib. 2. cap. 48.* Hæc satis dicta sint de Parochis hoc loco: nam reliqua dicemus de beneficiatis, vt sic, & de alijs Clericis, ac Sacerdotibus simplicibus discutientes, de quibus infra suo loco latius, Deo duce, tractabimus.

De peccatis, quæ committi aliquando solent à quibuscunque beneficia Ecclesiastica habentibus, siue curata sint, siuè simplicia, à cauto, ac discreto Confessario, cùm sibi videbitur, explorandis.

DISP. XI.

SVMMARIVM.

1 *Omne beneficium est quoddam gaudium, & beneficiati dicuntur gaudentes, & quatuplex est beneficium.*

2 *Beneficium Ecclesiasticum est pariter gaudiũ; tribuens accipienti Ecclesiasticum redditum & quatuplex sit.*

3 *Cappellaniæ non dicuntur propriè beneficia, sed mera stipendia Cappellanorum, & alio vocabulo dicuntur manualia.*
Omniaque beneficia regularia impropriè, & largo modo præsumuntur beneficia.

4 *Beneficium Ecclesiasticum stricto modo sumptum subdiuiditur in simplex, & duplex, & quodnam sit simplex.*
Et quæ nam præstimonia dicantur beneficia.

5 *Præstimonia, quæ interdum Clericis à Prælato conferuntur, non ratione alicuius spiritualis officij, sed ob aliam causam, beneficia Ecclesiastica non sunt.*

6 *Inter beneficia Ecclesiastica simplicia connumeratur pensio, quæ alicui Clerico super aliquo beneficio reseruatur.*

7 *Beneficium duplex quodnam, & quotuplex sit.*

8 *Dignitas quæ nã sit, quiuè dicantur dignitatẽ obtinere.*

Offi-

9 *Officium quid sit, & qui dicantur habere officium.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd sicut omne beneficium est gaudium quodam, vt in *cap. 1. ex quibus cauſ. feud. amittit in lib. feudor. Panorm. in cap. vnico, de commod. & in cap. ad audientiam, de praſcrip.* ità etiam Beneficiati dicuntur gaudentes: eo quòd beneficium est actio gaudium tribuens accipienti, vt in *d. cap. 1.* Vndè quemadmodum partiuntur beneficia, sic quoque, ac eodem modo partiuntur beneficiati. Diuiditur autem beneficium in temporale, seu Laicale, & in Ecclesiasticum. Temporale beneficium est feudum, nempè Comitatus, Ducatus, & alia, de quibus in *cap. felicis, § Si qua verò feuda, de pen. in 6.* atque ideò Comites, Duces, Marchiones, &c. appellantur beneficiati tempotales, & de his hoc loco nõ loquimur; sed inferius tractabimus de peccatis Dominorum, & Principum temporalium agentes.

2 Beneficium verò Ecclesiasticum, à quo deriuantur beneficiati Ecclesiastici est pariter gaudium tribuens accipienti Ecclesiasticum redditum, propter officium tributum, vt in *cap. cùm secundùm, de praben. & cap. si quis amodo, 18. d.* Huiusmodi beneficium diuiditur in Sæculare, quod Clericis Sæcularibus competit, & in Regulare, quod est addictum Regularibus. Vtrumque autem beneficium, tam Sæculare, quam Regulare partitur in beneficium largo modo sumptum, & in beneficium strictè, ac propriè consideratum. Beneficium largo modo sumptum dicitur, quod non datur in titulum, vt sunt Cappellani ad nutum amouibiles, quorum Cappellaniæ non sunt collatiuæ, & citra Episcopi auctoritatem institutæ sunt, vt ab earum fundatore, eiusque hæredibus conferantur, cui ipsi voluerint, licet in perpetuum institutæ sint, vt per *Azor. tomo 1. instit. moral. lib. 10. c. 4. q. 2. & Suar. tomo 2. de Relig. lib. 4. de orat.*

3 *cap. 21. num. 11.* huiusmodi enim Cappellaniæ Sæcularia beneficia propriè non sunt, sed mera stipendia Cappellanorum, & alio vocabulo nũcupãtur manualia; sicut & manualia, & impropriè, ac largo modo præsumuntur omnia beneficia Regularia, quæ non sunt curata, nec electiua, vt Prioratus, officium custodis, Sacrista, Thesaurarij, ac Vicarij. Etenim hi omnes sunt sub obedientia Abbatis ab eo ad nutum amouibiles, vt in *cap. cùm ad Monasterium,* & ibi; *Doctor. § Sed alicui. de statu Monac. Garz. de benefic. Eccleſ. par. 1. cap 2. § 1. numer. 67. & Laym. lib. 4. ſua ſumm. Theol. tr 2. cap 4. ſub num. 5.* vbi id limitat in Priore Conuentuali, qui per electionem Capituli fuit creatus; nam is perpetuam dignitatem obtinet, & sine causa amoueri non potest.

4 Beneficium autem Ecclesiasticum stricto modo consideratum subdiuiditur in simplex, & in beneficium duplex. Beneficium simplex dicitur, quod neque specialem praeminentiam, neque iurisdictionem, neque administrationem habet, vt Canonicatus, tàm Sæcularis, quàm Regularis, & simplex deriuatur ex eo, quòd sit simpliciter titulare, quod in titulum perpetuum confertur, ità vt eiusmodi beneficij beneficiatus citra iustam causam ab eo amoueri non potest. Benè verum est, quòd licèt beneficia Sæcularia ordinariè in titulum perpetuum conferantur, & sine graui causa tolli nequeant, vt in *cap. pracepta, 55. d. cap. ſatis peruerſum, 56. d. & cap. Sanctorum, d. 71.* tamen nihil obstat, quominus etiam Sæcularia beneficia speciali statuto, vel fundatione ad tempus, & ad nutum amouibilia instituantur, vt habetur ex *Garz. loco citato, num. 70.* cum alijs, quos allegat, & *Laym. d. cap. 4. ſub num. 5. verſ. Beneficia autem Saecularia, & num. 70.* vbi post alios non tollit à ratione veri beneficij Ecclesiastici Cappellaniam auctoritate Episcopi institutam ad eiusdem, vel patroni nutum amouibilem; sicut nec à ratione beneficij tolluntur præstimonia, & portiones præstimoniales, quoniam verè sunt beneficia simplicia, vt latè probat *Garz. d. cap. 2. numer. 117. cum plur. ſeq.* quod verum puto de illis præstimonijs, quæ dantur Clericis in titulum perpetuum, & habent annexum aliquod obsequium spirituale, saltem horarum præcum, quod per Laicum expediri non possit: secus autem dicendum est de præstimonijs, quæ inter-

5 dum Clericis ab Ecclesiastico Prælato conferuntur, non ratione alicuius spiritualis officij, sed ob aliam causam, qua cessante ipsis auferuntur, nam ista non sunt beneficia Ecclesiastica, sed mera stipendia, vt sunt præstimonia, quæ conceduntur Clericis, dum in litterarum studijs versantur, vel vsque dum Sacerdotes fiant, aut donec beneficium aliquod acquirant, aut pro subsidio contra infideles, vt adnotauimus in dictis nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 17. q. 9. ſub num. 6. verſ. Denique,* & rectè post alios probat *Laym. lib. 4. ſua ſumm. tr. 2.*

6 *cap. 5. num. 6.* Inter beneficia Ecclesiastica simplicia connumeratur quoque pensio, quæ reseruatur Clerico super aliquo beneficio: siquidem eiusmodi pensio est quid spirituali annexum, cum habeat onus recitandi officium Beatę Mariæ, iuxtà Constitutionem Pij V. 135. atque ideò datur, propter officium sicut beneficium, vt inquit *Suar tract. 3. de Relig. lib. 4. cap. 26. num. 8. & vlt.* & alij, quos refert, & sequitur, *Garz. de benefic. par. 1. cap. 3. num. 19. cum plurib. ſeq.* quam sententiam limitat tamen in pensione, quæ titulo Sæculari, & vti Laico assignatur in stipendium pro seruitio temporali, nempè pro patrocinio, pro pulsandis campanis, aut pro aperiendo fores Ecclesiæ, aut pro alijs operibus pro remuneratione laborum: siquidem ista pensio est omninò profana, quæ in Laicum cadere potest. Denique inter beneficia simplicia recensentur, etiam hospitalia, auctoritate Episcopi fundata, vt ex *Alter.* ostendimus in eisdem nostris *Commentarijs loco citato*: quod tamen verum esse putat *Garz. de benefic. par. 1. cap. 3. ſub num. 1. in fine, & num. 2.* quando eiusmodi hospitalia sunt beneficio Ecclesiastico vnita, aliàs secus.

7 Beneficium verò duplex, est, quod aliquam eminentiam, iurisdictionem, vel administrationem habet: & diuiditur in maximum, maius, & medium. Beneficium omnium maximum, est Papatus, cum Papa sit vniuersalis Ecclesiæ Pastor, iuxtà illud *Ioann. cap. vlt. Paſce oues meas,* siquidem ob id appellatur Papa, quoniam

Papa

Papa græcè idem significat, quod pater, quasi Romanus Pontifex omnium sit communis pater: dicitur quoque Papa, quasi pater patrum: eo quòd est omnium Episcoporum, Primatuum, & Patriarcharum, honore, dignitate, auctoritate, ac iurisdictione primus, vt nos declarauimus in præfatis nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap. 4. q. 7. num. 1. & 2.* Vndè in *Conc. Calcedon.* fuit acclamatus Leo Papa Sanctissimus, & Oecumenicus, idest vniuersalis Patriarcha; sicut, & B. Sixtus, S. Victor, & S. Eleuterius, vt testatur *Turrecr. in cap nullus, 99. d.* Beneficium autem maius, seu sublime est Cardinalatus: Etenim Cardinales S.R.E. cùm in præcellenti Ecclesiasticę dignitatis, ac officij gradu sint constituti, & consultores, fratres, ac coadiutores Romani Pontificis, vt in *cap. fundamenta, §. decet, de elect. in 6.* Episcopi quoque dicuntur habere maiora, ac sublimia beneficia, vt in *cap. felicis, §. quòd si quis, de pœnit. in 6.* Horum ordo est quadripartitus: sunt enim Patriarchæ, Primates, Metropolitani, seu Archiepiscopi, & Episcopi, vt in *cap. 21. d.* vt supra declarauimus *disp. 6.* & in d. nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap 5. q. 2. sub nu. 4.* Est tamen verum, quòd Papatus, & Episcopatus non comprehenduntur in pœnalibus sub communi appellatione beneficiorum, cum in pœnalibus fiat stricta interpretatio, *cap. odia, de regul. iur. in 6.* & in specie, *Laym. lib. 4. sua summ. tract. 2. cap. 4. sub num 4.* Media denique beneficia duplicia sunt reliquæ dignitates, vt habetur ex *Panorm. in cap. maioribus, de prab.* item personatus, & officia.

8 Dignitas autem est præeminentia, fermè cũ iurisdictione fori externi coniuncta, vt per *Panorm. & Innoc. in c. de multa, de praben. Petr. Rebuff. in sua praxi benefic. cap. beneficium Sæculare quotuplex, num. 7.* Huiusmodi beneficia obtinent Abbates, & alij Prælati, tum Sæculares, tum etiam Regulares. Item Archidiaconus, qui post Episcopum, tanquam Vicarius eius in omnes Diœcesis Clericos iurisdictionem obtinet, *cap. 1. de offic. Archid.* Sed hodiè in multis Ecclesijs Vicarius generalis dicitur, qui hanc potestatem exercet, vt habetur ex *Laym. loco citato, vers. Alia verò, circa finem.* Personatus verò est præeminentia in Ecclesia, citra iurisdictionem fori exterioris, vt qui aliis Præpositus est in Choro, in processione, & in suffragijs: Benè verum est, quòd aliquando dignitas, & personatus pro eodem accipiuntur, vt in *cap. accessissent, de constit. & Panorm. in d. cap. de multa, num. 10. de praben.* Officium demum

9 est administratio sine iurisdictione fori exterioris. Hoc autem habet custos, thesaurarius, Primicerius, Archipræsbyter, qui omnes Archidiacono subiecti sunt, ipse verò Primicerius Diaconis, & Archipræsbyter, tanquam Decanus Præsbyteris præsit, citra tamen iurisdictionem in foro externo, vt in *cap. vlt. de offic. Archipræsbyteri, & cap. vnico, de offic. Primic.* Nō tamen obstat, quin officium Archipræsbyteri, seu Decani possit in Ecclesia iurisdictionem, vel præeminentiam habere, atque ideò inter dignitates, aut personatus connumerari, vt habetur ex *Laym. vbi supra, vers. Officium dicitur,* vbi in fine connumerat Parochum quoque seu plebanum inter habentes officium, & beneficium duplex, quasi duplici cura, & onere constrictum. His adde, quæ habentur ex *Syl. vers. Beneficium, 1. & vers. Dignitas.* His igitur sic adnotatis, videbimus, in quibus culpam contrahere contingat præfatos omnes beneficiatos, ad hoc, vt Confessarius prudens, & cautus se habeat in explorandis eorum peccatis.

An peccent beneficiati Ecclesiastici non recitantes Canonicas preces.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiati Ecclesiastici non recitantes horas Canonicas, peccant.*

2 *Beneficiati Ecclesiastici ad recitandum officium sub lethali culpa obligantur, non solũ post adeptam beneficij possessionem, sed etiam post eius acceptatam collationem.*
Adducitur probabilior sententia in contrarium.

3 *Tunc aliquis beneficium plenè, & perfectè cẽsetur consequutus, cum eius pacificam possessionem acceperit.*
An sit expectandus semestris à die adepta possessionis.

4 *Beneficiati officium diuinum non recitantes non solum peccant mortaliter, sed etiam beneficiorum fructus non faciunt suos, & restituere tenentur.*
Quam partem fructuum teneantur restituere, qui Matutinum tantum intermiserint, vel aliquam aliam horam.

5 *Beneficiati etiam si recitent Diuinum officiũ, sed non cum debita attentione, & deuotione, adhuc peccant mortaliter, & tenentur ad fructuum restitutionem, & num. 7.*

6 *Attentio debita est modus essentialis orationis.*

7 *Nimis rigorosa videtur hac opinio, quoad fructuum restitutionem, licet sit valdè probabilis, ac tuta.*

8 *Fructuum restitutio in non recitante diuinum officium est pœna, iure Canonico tantum constituta, & propterea ad recitantem non attentè, haud extendi debet.*

9 *Beneficiatus officium recitans, cum debita attentione, absque tamen intentione satisfaciẽdi obligationi, & pracepto, an adhuc satisfaciat pracepto, & obligationi.*

10 *An debeat explicitè, vel implicitè intendere obedire, & satisfacere pracepto per hoc, vel aliud opus, alias peccabit ob internum contemptum.*

11 *Non recitantes diuinum officium, peccant mortaliter, omnesque fructus tenentur restituere interim perceptos, etiam si beneficium curatum habeant, & num seq.*

12 *Probabilior est sentẽtia, quod beneficiatus hoc casu tenetur tantum restituere partem fructuum correspondentem obligationi recitandi horas Canonicas.*

13 *Indefinita, an, & quando aquipolleat vniuersali.*

14 *Beneficiarij non recitantes diuinum officium,*

peccant, & ad fructuum restitutionem tenentur pro rata omissionis, & temporis statim post transgressionem nulla expectata Iudicis sententia. Vbi vide Add. quinque propositionum damnatarum ab Alex. VII. Pont. Maxim.

15 *Omnes beneficiati Ecclesiastici non recitantes officium, peccant mortaliter, & ad fructuum suorum beneficiorum obligantur restitutionem, quamuis commendatarij sint, & commendam habeant ad vtilitatem ipsorum.*

16 *Commendam si habeant ad vtilitatem Ecclesiæ, non tenentur ad Diuini officij recitationem.*

17 *Dicta de commendatarijs extenduntur quoque ad Vicarios.*
Quotuplices sint Vicarij, & quibus ex causis instituantur.

18 *Vicarij temporales, qui nam sint, & an, & quando ad diuini officij teneantur recitationem.*

19 *Coadiutores perpetui, qui cum pleno iure administrandi, & futura successione à Romano Pontifice instituuntur, si officium non recitēt, peccant, & ad fructus tenentur restituendos.*
An teneantur ad restitutionem coadiutores, qui instituuntur cum futura successione, sed sine administratione.

20 *Manualia beneficia habentes, si Diuinum officium non recitent, peccant, & fructus restituere tenentur.*
Idem dicendum est de habentibus præstimonia in titulum perpetuum. Et de habentibus hospitalia, beneficio Ecclesiastico vnita.

21 *Pensiones, vt Clerici, obtinentes, aut fructus siue alias res Ecclesiasticas, tanquam Clerici percipientes, non recitantes officium Beatæ Mariæ Virginis, similiter peccant, & fructus in fabricas Ecclesiæ, vel in pauperum eleemosynas tenentur erogare.*
Quotuplex sit pensio, & an habentes pensionē pro seruitio temporali, nempè pro patrocinio, pro pulsandis Campanis, &c. teneatur ad recitandum officium Beatæ Mariæ Virginis.

22 *Habentes beneficia duplicia, siue media sint, siue maiora, siue maximum, vt est Papatus, non recitantes Diuinum officium, peccant, & tenentur ad fructus restituendos.*
An Romanus Pontifex teneatur ad fructuum restitutionem, si Diuinum officium non recitauerit.

23 *Beneficiati omnes, diuinum officium non recitantes, peccant, etiam si beneficia, adeò exigua possideant, quæ non sufficiant ad eorum sustentationem, & num. seq & 25.*

24 *Contrariam tamen sententiam multi sequuntur præcipuè* Nauar. *qui testatur multos viros doctos excusare eos à diuini officij recitatione & quare.*

25 *Hæc opinio benignior est, & potest citra culpam seruari in praxi.*
Sed quid extante consuetudine Ecclesiæ vbi tenuia beneficia sunt, ea conferendi cum obligatione recitandi horas Canonicas, an peccent non recitantes.

26 *Noui Canonici, seu præbendati non recitantes diuinum officium, peccant, etiam pro primo anno, in quo ex statuto, vel consuetudine Ecclesiæ fructus non lucrantur.*
An Canonici noui, nullos recipientes fructus teneantur diuinum officium recitare.

27 Peccant *beneficiati, qui diuinum non recitant officium, etiam si titulum beneficij tantum habeant reseruatis alteri omnibus fructibus loco pensioni, & num. 31.*
Quid si fructus reseruati sint ex consensu prædecessoris.

28 *Beneficiati Ecclesiastici, qui celebrant, secundum Breuiarium Romanum, non solum peccant, & fructus restituere tenentur, si non recitent, verum etiam si recitent secundum diuersum à Rom.*

29 *Hodiè attenta Bulla* Pij *V. si beneficiatus inaduertenter dicat officium de Sancto, cum esset dicendum de feria, vt è conuerso, tenetur denuò recitare si tempus suppetat.*

30 *Qui inaduertenter in recitando officio non seruaret formulas, modum, & regulas, ac rubricas Breuiarij non est de facili reus culpæ lethalis habendus, sed vix culpæ venialis.*
Et recitantur DD. magni ponderis, id docentes.
Quid si esset parua differentia inter vnum, & alterum officium, an sufficeret repetere particularia. Et an sit benignior sententia, quod non teneatur denuò recitare.

31 Peccant *beneficiati diuinum officium non recitantes, etiam si beneficium possideant sine iusto titulo.*

32 *Beneficiati nullos ex beneficio recipientes fructus, non peccant, si diuinum officium non recitent.*

33 *Beneficiatus, qui diuinum officium bona fidē non recitauit, puta ex inuincibili ignorantia, inaduertentia, &c. non peccauit mortaliter, nec fructus restituere tenetur.*

34 *Beneficiatus non recitando officium, non committit tot peccata, quot horas non recitat vna die, sed vnum. Sic, & qui habet plura beneficia, & officium omittit.*

35 *Beneficiati non recitantes officium ex impotētia non solum excusantur à culpa, sed etiam à restitutione fructuum.*
Quid si non valeant per se solos recitare officium, possint tamen cum socio, an, & quando teneantur cum socio recitare.

36 *Qui minis parentum coguntur ad statum Ecclesiasticum amplectendum, ipsique parentes fructus beneficiorum auferant, si officium non recitent, eorum parentes teneātur ad fructuū restitutionem, ipsisque mortuis, eorum heredes pro rata.*

1 AD hanc controuersiam respondetur affirmatiuè. Probatur, tum ex Decreto *Concil. Lateran.* sub Leone X. *sess. 9. in Bulla reform.* quod Constitutio Pij V. 135. renouat, atque declarat; tum ex *cap. fin. 92. d. cap. 3. & c. diuersis fallacijs, de Cler. coniug.* tum ex communi *Doctor.* placito in *cap. 1. de celebr. Miss. Nauar. de orat. cap. 7. num. 3. Durand. de ritib. Eccles. Cathol. lib. 3. cap. 22 num. 7. & 8. Card. Bellar. 3. tomo, controuersia vlt. 3. controuersia, lib. 1. cap. 19. Valent. 3 tom. in 22. disp. 6. qu 2. pun. 10. circa secundum, concl. 2. Less. lib. 2. de iust. 0. cap. 34. num. 166. & cap. 37. nu. 48. Suar. de*

de Relig. tom.2. tr.4. lib.4. cap.18. & hanc opinionem communem esse, testatur *Garz. de benefic. Eccles. par.3. cap.1. in princ.* tum denique ratione, quoniam beneficium datur, propter officium: hic beneficium definitur, quòd sit ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico, propter Diuinum officium competens, quam definitionem rectè declarat, idem *Garz. par.1. cap.2. num.2.*

2 Ampliatur hæc conclusio primò, vt beneficiati Ecclesiastici sub lethali culpa obligentur ad recitandum officium non solùm post adeptam possessionem beneficij; sed etiam post eius collationem acceptatam, etiam si non possessionem fuerit adeptus, nec per eum steterit quominus accipiat: siquidem per solam collationem acceptatam acquiritur ius in beneficio, & fit beneficium eius, cui collatum est, vt in *cap. si tibi absenti, & cap. pen.* & ibi *Glosa, de preben. in 6. Mand. reg.3. Cancell. q.13. num.1. & qu. 39. regula 16. num.2.* quam sententiam probabiliorem esse putat, *Garz. d. par.3. cap.1. num. 92. & seq.* dummodo prouisio sit certa, quamuis contrariam, quæ se habet, quòd satis non sit ad obligationem officij sola beneficij collati acceptatio, nisi subsequatur possessio, non censeat improbabilem, vt habetur etiam ex *Less. lib.2. de iustit. & iure, cap.34. dub.30. nu. 167.* dum ait, sententiam *Nauar. de orat. cap.7. num.19. & in Man. cap.25. num.102.* dicentis, solam beneficij collationem acceptatã sufficere ad obligationem officij, esse rationi, ac iuri valdè consonam; alteram tamen, quòd non teneatur beneficiatus recitare Diuinum officium antè captam possessionem esse probabilem Ego autem arbitror hanc posteriorem opinionem esse veriorem, quam docent *Flamin. Paris. de resignat. benefic. lib.1. q.9. num.15. Rodriq. in sua summ. par.1. cap.146. num.1. Azor. tom.1. instit. moral. lib.10. cap.4. q.7. Suar. lib.4. de hor. can. cap.19.* & alij, quos refert, & sequitur, *Laym. lib.4. sua summ. tr.2 cap.5. nu.3.* & alij,

3 dicentes, hanc sententiam, & in Scholis, & in praxi receptiorem esse. Etenim non antè aliquis censetur plenè, ac perfectè beneficium cõsecutus, quam eius pacificam possessionem acceperit, vel si per eum stet, quominus accipiat: siquidem paria sunt habere possessionem, & per aliquem stare quominus habeat, *arg. tex in c. licèt Episcopus, de preben. in 6.* Confirmatur; quoniam multa impedimenta occurrere possũt vt prouisus beneficij possessionem nunquam acquirat, aut saltem illius temporis fructus non percipiat, vel quia non debentur, vel aliquo colorato quæsito titulo, denegantur. Vndè, retenta hac opinione, dicimus, quòd prouisus statim post adeptam beneficij possessionem tenetur recitare officium, sub lethali culpa, nisi ex rationabili causa excusetur, nec expectandus est lapsus semestris à die adeptæ possessionis, vt patet ex d. Constitutione Pij V. §. 1. in illis verbis: *Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse.*

4 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt beneficiati officium diuinum, citra omne impedimentum elapso semestre post adeptam beneficij possessionem, non recitantes non solùm peccent mortaliter; sed etiam beneficiorum fructus non faciunt suos; sed eos tanquam iniustè perceptos tenentur restituere, in fabricas suorum beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogantes, vt patet ex supra relato decreto *Concil. Lateran.* à supradicta Constitutione Pij V. relato, in illis verbis; *Quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus non faciat suos pro rata omissionis officij, & temporis, sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas Ecclesiarum huiusmodi beneficiorum, vel pauperũ eleemosynas erogare teneatur.* Quæ quidem decreti verba declarans Pius V in dicta Constitutione ità statuit: *Vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidiè diuiderentur, qui verò Matutinum tantùm, dimidiam; qui certas omnes horas, aliam dimidiã; qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat, &c.*

5 Tertiò ampliatur, vt beneficiati non modò peccent mortaliter, & teneantur ad fructus restitutionem, vt suprà, si diuinum officium non recitent; Verum etiam si recitent, sed non recitent, cum debita attentione, ac deuotione, iuxtà *tex. in cap. dolentes, de celebrat. Missar.* Siquidem præceptum *d. cap. concernit modum substantialem recitandi officium*, atque ideò recitantem diuinum officium, citra debitam attentionem ex industria, seu proposito saltem virtuali ob notabilem negligentiam non satisfacere, sed teneri antè lapsum diei repetere sub lethali culpa, vt habetur ex *Soto lib.10. de iustit. & iure, q.5. ar.5. Nauar. de orat. cap.13. nu.18. & cap.20 num 31. Angeles in Florib. de orat. q. 5. diffinitione 4 Petr. Nauarr. de restit. lib.2. c. 2. num.240. Valent. 3. tom. disp 6. par.1. pun.10. Arag 22. q.83. ar.13. vers. Est aliud dubium, Henriq. in summ. lib.5 cap.15 §.2. Rodriq par. 1. sua summ. cap.143. num.1. Vega par 1. summ. cap.128. casu 20. Azor. tom.2. instit. moral. lib. 10. cap.12. q.6. Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 37. à num.64 Suar. de Relig. tr.4. lib.4. cap 14. & cap.26. à num 3. 13. & 25.* & ex alijs. Cùm

6 igitur attentio debita sit modus essentialis orationis; & non satisfaciat, qui diuinum officium citra debitam attentionem recitat, sed antè lapsum diei teneatur repetere, videtur omninò dicendum, quòd officium absque debita attentione recitans, peccat mortaliter, ac tenetur ad fructuum perceptorum restitutionem, iuxtà ea, quæ suprà diximus, non secus, ac is, qui officium omninò non recitauit. Et hanc sententiam in specie docent *Nauar. de orat. cap.20. nu. 32. Petr. Nauar. loco citato, Rodriq. d. cap.143. Suar. de censur. disp.4. sec.2. num.27. & de Relig. tr.4. lib.4. cap.26. num.25. & 28. & cap.30. num.15. & Garz. de benefic. Eccles. par.3. cap. 1. num.186. qui num.184. & 185.* soluit contraria eorum, qui contrariam docent sententiam.

7 Cæterùm licet dicta opinio sit valdè probabilis, ac tuta; nihilominus; quoad obligationem restitutionis fructuum ab ijs, faciendę, qui cum

debita attentione non recitant officium, videtur nobis rigorosa: & propterea, qui benigniorem sententiam in praxi sequeretur, quæ à restitutione fructuum in proposito casu excusat, & nō à peccato, non peccaret; Etenim eam tenent *Ioann. Medina de orat.qu.16.vers.de 2. Cord. lib.4.q.13.ad fin. Castr. de lege pen.lib.2.cap.5. Enriq.lib.9.cap.25.§.5. Tolet.lib.2.sua summ. cap.12.4.d* eandemque probabilem putat *Less. lib.2. de iust & iur.cap.37.num.68. Azor p.2. instit.moral.lib.10.cap.12.q.6. Vasq to.2.disp. 160.num.30.& 31. Ludouic.Lopez tom.1. cap. 246.& 2.tom cap.103. & Sot.lib.10. de iust.& iur. q.5. ar.5. & 6.* Horum quidam mouentur 8 ex eo, quod restitutio fructuum est pœna iure Canonico tantum constituta, qui diuinum officium omittunt, & illi soli iubentur restituere: & propterea non est extendenda in recitantem officium, sed non attentè quia in pœnalibus interpretatio est strictè facienda, *cap. odia, de regul. iur. in 6.* Alij verò putant, præceptum dicendi officium distinctum esse à præcepto dicendum illud attentè: siquidem præceptum de recitando officium absolutè prius fuit latum: Et deindè in *d cap. dolentes*, fuit præcepta attentio, seu deuotio, quæ est circumstantia quędam, vt opus conuenienti modo fiat: quapropter recitans officium absque debita attentione, licèt peccet mortaliter, non tamen tenetur ad fructus restitutionem, quoniam satisfecit priori præcepto de recitando officio, nec tenetur illud repetere, atq; ideò cum pœna restitutionis fuerit lata contra non recitantes officium omninò, non comprehendit recitantes illud, citra debitam attentionem. Quæ quidem sententia eo magis confirmatur, quia opinio magis recepta est, vt pœna restitutionis fructuum contra non recitantes horas Canonicas sit de iure tantùm Ecclesiastico; non autem de iure naturali, ac diuino, vt probat *Garz. de benefic.par.3.cap.1. num.7.cum plur.seq.* quibus adde, quæ habentur ex *Laym.lib.4.sua summ. tract.2. cap.5.sub num 1.*

9 Est tamen verum, quod non desunt, qui velint, non satisfacere obligationi recitandi officium, beneficiarium, qui illud recitat cum debita attentione, absque tamen intentione satisfaciendi obligationi, ac præcepto; sed animo postea repetendi, vt docet *Nauar. de orat.cap. 13.num 16.27.& 28.& cap.16.num.73.& 74. & cap.20 num.30.* & alij, qui mouentur ex eo, quod actus agentium non operantur vltra intentionem, *l non omnis, ff. si cert. petat* & à simili dicunt, quòd si debeo Titio decem, & do illi decem animo donandi, non debitum soluēdi, non liberor à priori debito. Nobis autem contraria sententia videtur verior, quam docet *Valent. tom 3. disp.6. q.2. pun.10 ad fin. Less. lib.2 de iustit.& iure, cap.37.num.59. & c.46. num 42* & alij, quos refert, & sequitur *Garz. loco citato, num.198.cum plur.seq.* dicentes absolutè, recitantem officium, seu audientem Missam, cum debita attentione, citra intentionem, ac animum satisfaciendi obligationi, & præcepto, satisfacere per iustum actum: siquidem præceptum solum obligat ad substantiam actus nempè ad recitandum, seu audiendam Missam; non autem adhoc, vt peculiari alio actu voluntatis velit etiam satisfacere præcepto; atque ideò qui cum debita attentione recitat officium, vel audit Missam, quantumuis nolens satisfacere; verè recitat, & audit Missam, ac verè satisfacit præcepto: nec est in potestate alicuius præcepto non satisfacere, posito, quod velit officium 10 recitare. Verum tamen est, quòd ne videatur beneficiatius eo casu præceptum ipsum in animo contemnere, debet explicitè, vel implicitè intendere, ei obedire, & satisfacere per hoc opus, vel per aliud: qua propter si expressè intendat non satisfacere per hoc opus, debet habere intentionem satisfaciendi per aliud; aliàs peccat contra præceptum, non quidem omissione operis externi, sed interno contemptu, & affectu nolendi obedire præcepto, licèt re ipsa obediat, vt rectè declarat *Less. loco citato, & Garz.d.num.198.cum plur.seq.* qui contraria soluit, & inquit, quòd actus agentium non operantur vltra eorum intentionem, in casu, quo exigeretur intentio satisfaciendi præcepto, quā ostendimus in casu nostro non requiri. Nec exemplum supra allatum obstat, quia in eo casu interuenit obligatio iustitiæ, cui non satisfacit, qui dat ex liberalitate. Reliqua argumenta, vide apud eundem *Garz. ibi, & solue.*

11 Quartò ampliatur ipsa conclusio, vt non recitantes Diuinum officium, vt supra peccent mortaliter, & teneantur restituere omnes fructus interim perceptos, etiam si beneficium, quod habent, sit curatum; vt patet ex *Conc. Lateran.* relato, & innouato à Pio V. Constitut. 135. in illis verbis: *Quicunque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quàm illud obtinuerit, diuinū officium, legitimo cessante impedimento non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos non faciat; sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Nota verba illa: *Beneficiorum suorum fructus, &c.* quoniam sunt indefinita; at indefinita æquipollet vniuersali, vt habetur ex *Glosa in cap vt circa, in ver. Aliorū, de elect.in 6 Panor. & Anton. Franc in cap.in Genesi, sub num.1.eod. titulo;* atque ideò dum d.Concil.& Rom. Pontifex decernunt, beneficiarium curatum, aut simplicem non recitantes officium, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij non facere suos, intelligi debent de omnibus beneficiorum fructibus, siuè simplicia sint, siuè curata, quæ habeant alia onera annexa, præter recitationem diuini officij, nempè collationem Sacramentorum, prædicationem, & alia eiusmodi. Vndè habens beneficium curatum non recitans horas Canonicas non solùm tenetur restituere partem fructus correspondentem obligationi recitandi officium, verum etiam omnes fructus pro rata omissionis officij, & temporis, vt supra. Et hanc sententiam docet *Nauar. de orat. cap. 12. num.117.* & eandem mordicus contra nonnullos, defendit *Garz. de benefic. Ecclesiast. par.3. cap.1. sub num.29* cum alijs, quos ipse allegat; eo quod fundantur in *d. Concil. Lateran.* & Constitut. Pij V. quæ loquuntur etiam de beneficio cum cura.

12 Hæc sententia licèt re vera sit probabilis; nihilo-

hilominus opposita nobis videtur probabilior, quam docent *Sot. lib. 10. de iustit. & iur. ar. 6. Medina in instr. confess. cap. 14. §. 11. Zecch de benefic. & pens. cap. 3. Ioann. Bapt. Conrad in respons. cas. consc. q. 240 in addit. Tolet. lib. 2. sua summ. cap. 12. Henriq. lib. 3. sua summ c 13. num. 2. Sà vers. Beneficium, num. 58. Rodriq. in summ. cap. 146. num. 4. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 32. n. 177. Ludouicus Lopez instruct. consc. tom. 1. cap. 245. Vega in summ. par. 1. cap. 36. casu* 1. & alij, dicentes, Beneficiatum non teneri restituere, nisi partem correspondentem obligationi recitandi horas Canonicas, atque ideò si beneficiarius alia munera rectè peragat, vt si sit Parochus, qui Sacramenta ministrat, aut Cappellanus, qui Missas celebret, & diuinum officium non recitet, non tenetur ad restitutionem omnium fructuum, qui debentur, propter alia spiritualia munera vltra officium, sed illam tantum fructuum partem, quæ correspondet obligationi recitandi officium. Hanc eandem opinionem sequitur *Laym. lib. 4. sua summ tr. 2. cap. 5. sub num. 1. vers. Verum*: qui insuper ait eam esse probabilem, benignam, & in praxi tutam, & contrariam esse valdè pœnalem, & proptereà non interpretandum Concilium ità rigorosè, cùm in pœnis stricta fiat interpretatio, vulgato *tex. in cap. odia, de regul. iur. in 6.* Nec quod Concil. & Rom. Pontifex vniuersaliter loquantur de omnibus fructibus, cùm indefinitè de illis loquantur; quoniam, vt ostendimus in nostris *Commentarijs in Bull. Cœna, lib. 2. can. 16. q. 5. num. 11. cum plur. seq.* tunc in-

13 definita æquipollet vniuersali, quando agitur de materia necessaria: Vt homo est animal; ergò omnis homo est animal, vel tractatur de materia impossibili negatiuè sumpta, & omnium particularium est eadem ratio. Secus autem si agatur de materia contingenti, vt in casu nostro: & propterea si legetur indefinitè marmor, sub tali legato non comprehenduntur statuæ, & cætetæ species ex marmore factæ, sed rudis tantum materia marmoris, vt in *l. quæsitum, §. illud fortasse, ff. de legat. 3.* Sic etiam si lana indefinitè legetur, sub tali legato non continetur lana tincta, vt in *l. si cui in princ. ff. eod.* Denique quando indefinita est multum præiudicialis, vt in casu, de quo agitur, non æquipollet vniuersali. Hinc fit, quòd si lego argentum meum, intelligitur argentum, quod erat meum tempore testamenti, *l. si ità, ff. de auro, & argent. legato.*

14 Quintò ampliatur, vt beneficiarij non recitantes diuinum officium peccent, & teneantur ad fructus restitutionem pro rata omissionis officij, & temporis, vt supra, statim post transgressionem, nulla expectata Iudicis sententia; nam quamuis dispositio *d. Conc. Lateran.* & Rom. Pontificis sit pœnalis; nihilominus cũ impediat acquisitionem fructuum, ex quo dicit illos non facere suos, obligat antè Iudicis sententiam, vt habetur ex *Nauar. de orat. cap. 21. num. 207. Suar. lib. 4 de Relig. num. 2 cum plur. seq. & de legib. lib. 5 cap. 7. à num. 9.* & alijs, quos refert, & sequitur, *Garz. de benefic. Eccl. p. 3. c. 1. n 22 & p. 11. c. 10. n. 21.*

† Hic addo (amice Lector) quatuor propositiones, imò quinque damnatas à Pontifice Maximo Alex. VII. vt inoffenso decurras pede in hac materia. Nempè

Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis, nõ recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eo quod sit pœna.

Habens Cappellaniam collatiuam, aut quoduis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

Non est contra iustitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumẽto temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

Restitutio fructuum ob omissionem horarũ suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas anteà beneficiarius de fructibus sui beneficij fecerit.

Ad vberiorem doctrinam, & maiorem intelligentiam, & scientiam. Addo, vt dixi, aliam propositionem etiam à præfato Pontifice damnatam, quæ est sequens.

Qui beneficium curatum habent, possunt eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab ordinario.

15 Sextò ampliatur, vt beneficiati Ecclesiastici omnes peccent mortaliter, & teneantur ad fructuum suorum beneficiorum restitutionem pro rata omissionis officij, & temporis, vt suprà, si post sex menses, quàm beneficia obtinuerint, officium diuinum non recitauerint, vt patet ex supra relata Constitutione 155. Pij V. cũ inserta forma Decreti *Concilij Lateran.* in illis verbis: *Vt quicunque habens beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses, &c.* Nota dictionem illam *quicunque* quoniam generalis est nihil excipiens, vt in *cap. solitæ, vers. Nibil excipiens, de maior. & obed. & Panor. in cap. super quæstione, in Glosa, in ver. Quicunque, de offic. deleg.* Vndè sub dispositione decreti *d. Conc. Lateran.* & Constitutionis Pij V non solum comprehenduntur Clerici, ac Sacerdotes, tùm Sæculares, tùm Regulares, habentes beneficia, tàm simplicia, quàm curata; sed etiam habentes beneficia non solum in titulum, vt supra adnotauimus, verum etiam in commendam; atque ideò commendatarij: si quidem si commenda est ad vtilitatem ipsius commendatarij, cùm sit perpetua, ac habeat vim & effectum tituli, & talis commendatarius possit sibi fructus percipere, proculdubio tenetur ad officij diuini recitationem, vt habetur ex *Medin. de orat. q. 7. Nauar. eod. tr cap. 20. num. num. 16. Corduba in summ. q. 186 pun. 3. Arag. 22. q. 83 ar. 12. Graff. lib. 2. cap. 50. num. 22. Rodriq. in sua summ. par. 1. cap. 140. num. 8. Vega par. 1. cap. 12. casu 13. Azor. tom. 2. inst. moral. lib. 10. cap 3. q 6. Ledes. tr. 9 cap. 4. can. 6. diffi cul. 6. Suar. de Relig. tr. 4. lib. 4 cap. 22. à num. 13. & Garz. de benefic. Eccles. par. 3. cap. 1. sub*

16 *num.* 105. Dixi: *Si commenda est ad vtilitatẽ ipsius commendatarij, &c.* quia si commenda sit ad vtilitatem Ecclesiæ, per quam non datur licentia commendatario disponendi liberè de fructibus, sicut verus beneficiarius, illosque cõuertendi in proprios vsus; tunc commendatarius non teneretur ratione illius recitare officiũ diui-

diuinum; quoniam eiusmodi commenda non censetur titulus, nec habet vim, & effectum tituli, sed fit causa custodiæ tantùm, vt habetur ex eodem *Garz. loco citato, num.* 106. *& par.* 4. *cap.* 4. *num.* 20. *& seq. & ex Laym. lib.* 4. *sua summ. tr.* 2. *cap.* 5. *sub num.* 7. *& vers. His positis*. Commendatarij denique, qui sunt ordinis militaris tenentur recitare orationes Dominicas, & Angelicas, à Religione præscriptas, quę sunt loco horarum Canonicarum, vt per *Garz. de benefic. Eccl. par.* 3. *cap.* 1. *num.* 117. *&* 118.

17 Quæ diximus de commendatarijs extendimus ad Vicarios, sunt autem Vicarij in duplici differentia: nam quidam dicuntur perpetui, & quidam temporales. Perpetui sunt, qui ab Episcopo inuestiuntur, congrua illis reddituum portione constituta, itaut amoueri non possint, nisi per priuationem, vel depositionem ob causam iure expressam, vt in *cap. adhac*, iuncta *Glosa, vers. Remouere, & cap. vlt.* vbi *Glosa*, *vers. Perpetuos, de offic. Vicar. cap. extirpandæ, §. qui vero*, & ibi, *Panor. num.* 5. *de præbend. Azor. tom.* 2. *instit. moral. lib.* 3. *cap.* 6. *Zecch. de benefic. & pens. cap.* 7. *num.* 9. & alij, quos refert, & sequitur *Laym. loco citato, sub num.* 8. vbi declarat, quibus ex causis eiusmodi Vicarij instituantur, & inquit, quòd instituendi sũt primò, quando dignitati, vel Canonicatui Ecclesiæ Cathedralis annexa sit Ecclesia Parochialis: tunc enim beneficiatum oportet in maiori Ecclesia deseruire, & in Parochiali idoneum, & perpetuum Vicarium habere canonicè institutum. Secundò, vbi Ecclesia Parochialis annexa, seu vnita sit Monasterio: nam tunc Clericus Sæcularis illius curæ præficitur: cuius institutio, ac depositio ad loci Episcopum pertinet, cum consilio tamen Monasterij, vt declarat *Panorm. in cap.* 1. *de Cappell. Monac. & Concil. Trid. sess.* 7. *cap.* 7. *de reform.* vbi permittitur Episcopo, si ipsi ità expedire visum fuerit, illis casibus constituere Vicarios manuales, ad nutum amouibiles, vt est Parochus nostræ Ecclesiæ S. Siri Ianuæ; licet enim vocetur à nobis Parochus, re vera est Vicarius. Imò in multis locis consuetudine introductum est, quòd Monachi, & multò magis Canonici Regulares cùm ab Episcopo approbati sunt, eiusmodi Ecclesijs præficiuntur, & pro voluntate Abbatis, aut alterius Regularis Præpositi reuocentur. Hi namque Vicarij, cùm beneficiati verè dicantur, non recitantes officium diuinum peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem fructuum, iuxtà

18 ea, quæ supra diximus. Vicarij verò temporales sunt, qui ad tempus constituuntur, nempè ob absentiam, infirmitatem, graues occupationes, suspensionem beneficiati, ob Religionis ingressum, durante tempore nouitiatus, de quibus *Azor. & Zecch locis citatis*, & isti ratione Vicariæ ad diuinum officium non obligantur, cùm nullum ius, seu titulum beneficij habeant; sed solam administrationem, & custodiam ad tempus, sicut supra dictum fuit de commenda temporali. Ità *Laym.* vbi supra sub *numer.* 8. *vers. Temporales autem Vicarij*. Qui tamen id limitat, nisi aliquis speciatim deputatus sit ad recitandum diuinum officium vice alterius. Secundò limitat, si Vicario plena administratio beneficij, cum consensu, & auctoritate Episcopi, licet ad tempus, vel cum potestate amouendi, committatur. Tertiò, si Parocho, qui ob incurabilem infirmitatem beneficio præesse nullo modo potest, Vicarius ab Episcopo constituatur qui administrationem, etiam in temporalibus habeat, relicta congrua portione ipsi Parocho infirmo. Quartò, si beneficium Monasterio vnitum, auctoritate Episcopi cõmittatur alicui Vicario ad nutum amouibili.

19 Coadiutores pariter, qui vt perpetui, cum pleno iure administrandi, & futura successione à Rom. Pontifice constituuntur, propter beneficiati amentiam, aut aliam infirmitatem, non recitantes officium diuinum, peccant, & fructuum restitutioni efficiuntur obnoxij, vt suprà. Etenim eiusmodi coadiutores, cùm instituantur cum omnibus obligationibus, quæ beneficio incumbunt, si Diuinum officium non recitant, proculdubio peccant, ac ad fructuum restitutionem, vt supra obligantur, vt habetur ex *Medina de orat. q.* 7. quem refert, & sequitur *Laym. d. cap.* 5. *q.* 10. *in fine*. Cæterum alij coadiutores, qui à S. Pontifice instituuntur cum futura successione, si diuinum officium non recitent, ad restitutionem aliquam non obligantur, etiam si portionem aliquam fructuum beneficij ob suos labores consequantur. Siquidē principalis, cui incumbit beneficij administratio, cum teneatur ad Diuini officij recitationem, eius coadiutor à diuini officij recitatione fit exemptus: quoniam ratione vnius beneficij non sunt obligandi duo ad dictum officium recitãdum: possunt igitur præfati coadiutores peccare, si ordinem sacrum habeant, & officium diuinum non recitent; non tamen tenentur ad fructuum perceptorum restitutionem, vt habetur ex *Nauar. de orat. cap.* 20. *num.* 18. *Suar. lib.* 4. *de horis can. cap.* 22. *num.* 9. *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 10. *cap.* 4. *q.* 1. *& Laym. d. q.* 5. His adde, quæ habentur ex *Garz. de benefic. Eccl. p.* 3. *c.* 1. *num.* 109.

20 Manualia quoque beneficia habentes, si diuinum officium non recitent, peccant mortaliter, & ad fructuum restitutionem tenentur: siquidem manualia beneficia, quæ Episcopi auctoritate constituuntur sunt verè, ac propriè beneficia, vt habetur ex *Azor. tom.* 1 *instit. moral. lib.* 10 *cap.* 4. *q.* 2. & ex alijs apud *Laym. d. c.* 5. *q.* 7. & nos supra adnotauimus in hac *disp.* supra præsentem *sec.* vbi idem diximus de habentibus præstimonia, & portiones præstimoniales, quæ dantur in titulum perpetuum, & habēt annexum obsequium aliquod spirituale. Vndè hi non recitantes diuinum officium peccant, & fructuum restitutioni efficiuntur item obnoxij, vt rectè quoque declarat *Laym. d. c.* 5. *q.* 6 Idem dicendum est de obtinentibus hospitalia beneficio Ecclesiastico vnita, quoniam eiusmodi hospitalia inter beneficia Ecclesiastica connumerantur, vt adnotauimus in hac eadem *disp.* supra hanc *sectionem*: qua propter eiusmodi hospitalia obtinentes, si diuinum officium non recitãt, peccant mortaliter, & fructus non faciunt suos pro rata omissionis officij, ac tẽporis, iuxtà supra relatum decretum *Conc. Lateran.* & Constitutionem Pij V. 135.

21 Pensiones præterea, vt Clerici obtinentes, aut fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clerici

rici percipientes, si non recitant officium paruũ Beatæ Mariæ Virginis, peccant similiter, & fructus in Eccles. vel in eleemosynas pauperum tenentur erogare, vt patet ex d. Constit. Pij V. 135. in illis verbis: *At quicunque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit cum modo praedictum ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium*. Nota verba illa, *vt Clericus percipit, &c.* quoniam datur duplex pensio: altera scilicet, quæ loco beneficij Clerico, vt Clerico assignatur, vt commodius sustentari valeat, vel ex causa resignationis, seu cessionis, ne ex ea nimium dispendium patiatur, quæ pensio loco beneficij subrogatur, & est quid spirituale, seu spirituali annexum ad instar beneficij; quia sicut beneficium prærequirit, & præsupponit Clericatum; ita etiam ista pensio prærequirit Clericatum; vt rectè declarat *Garz. de benefic. Eccl p. 1. c. 5 n. 8. & seq.* & de hac pensione, & de Clerico pensionario loquitur supradicta Piana Constitutio. Altera pensio datur, quæ titulo Sæculari, & vti Laico assignatur in stipendium pro seruitio temporali, nempè pro patrocinio, pro pulsandis campanis, pro aperiendo fores Ecclesiæ, pro remuneratione laborum, &c. quæ pensio cum sit merè profana, habentes eiusmodi pensiones non tenentur recitare officium paruum Beatæ Mariæ, atque ideò illud non recitantes, non ob id amittunt pensionis fructus; quoniam de talibus pensionibus non loquitur prædicta Piana Constitutio, vt habetur per *Gigant. de pension. qu. 67. num. 2.* & ex alijs apud *Garz. loco citato.*

22 Peccant denique habẽtes beneficia duplicia, si Diuinum officium non recitent, & ad fructus restitutionem obligantur, siuè beneficia duplicia sint media, vt sunt dignitates, personatus, & officia, de quibus suprà diximus in hac eadẽ *disp.* supra præsentem *sec.* siuè sint maiora, vt sunt Episcopatus, & Cardinalatus. Siuè beneficium duplex sit omnium maximum, quale est Papatus, si volumus sequi sententiam eorum, qui volunt restitutionem fructuum ob non recitationem diuini officij non tantũ in esse de iure Ecclesiast co, sed etiam de iure naturali, ac Diuino, cùm beneficium detur, propter officium, vt in *cap fin de rescrip in 6.* quam sententiam docent *Decius in cap omnes. de constit. in 2. Lect. num. 16. Ripa in l. fin. C. de reuoc. donat. q. 66.* & alij quamplurimi, quos refert, sed non sequitur *Garz. de benefic Eccl. par. 3. cap. 1. nu. 10. cum plur. seq.* siquidem iuri Diuino, ac naturali subijcitur etiam Romanus Pontifex, sicut, & omnes alij homines, vt sæpè diximus. Quòd si restitutio fructuum prædicta non sit de iure Diuino, ac naturali, sed solùm de iure Ecclesiastico, vt tenet *Garz. loco citato. num. 7. & seq.* & contraria soluit, tunc ad eorum restitutionem non tenetur Romanus Pontifex, si officium diuinum non recitet, cùm sit super omnia iura humana, & omnibus superior, vt in *cap. cùm inferior*, & ibi, *Glosa in vers. Inferior 21. d. & cap. cùm inferior, de maior. & obed.* Vndè retenta hac opinione, omnes alij beneficiati non recitantes diuinum officium essent fructuum restitutioni obnoxij pro rata omissionis officij, ac temporis, excepto Romano Pontifice, etiam si citra omnem legitimam causam, ac citra omne impedimentum illud omittat.

23 Septimò ampliatur ipsa conclusio, vt beneficiati omnes non recitantes diuinum officium peccent, etiam si beneficia adeò exigua possideant, quæ non sufficiant ad eorum sustentationem. Etenim hi obligantur ad recitandas horas Canonicas, vt per *Glos. in cap. Clericus victum*, quam Doctores sequuntur, *91. d. & in c. 1. de celebr. Missar. Cardin. in Clem. 1. num. 6. eod. tit. Nauar. de orat. cap. 7. num. 27. & in Man. cap. 25. num. 102.* qui dicit hanc sententiam esse communem; sicut & communem esse testantur *Azor. tom. 1 instit. moral. lib. 10. cap. 3 q. 3. & Suar. tom. 2. de Relig. tr. 4. lib. 4. c. 21.* qui addit in praxi esse seruandam, ac indubitatum esse in omni sententia, quòd habens plura beneficia tenuia, quæ simul reddent competentes fructus obligatur ad recitandas horas Canonicas. Hanc eandem opinionem sequitur *Garz.* qui quamplurimos alios allegat, *de benefic. Eccles. par. 3. cap. 1. num. 39. & 40.* vbi eam probat ex eo, quòd ob quodlibet beneficium quãtumuis simplex, & exiguum, deputatur quis ad laudandum, & rogandum Deum, eique inseruiendum pro populo, seu Ecclesia ab ea recipiens aliquem prouentum, licèt sibi sustentando imparem: & sibi imputet, qui tale beneficiũ acceptauit: eo magis, quòd nullus Canon eum excusat, & pro hac ipsa opinione adducit quoq; supradictam Pianam Constitutionem *vers. Declarantes*, in illis verbis: *Qualiacunque alia beneficia, &c.* atque ideò iura omnibus beneficiatis recitandi diuinum officium obligationem imponunt.

24 Est tamen verum, quòd contrariam sententiam, docent *Sot lib. 10. de iust. & iur. q. 5. ar. 3. Aragon. 22. q. 83. ar. 12. dub. 3. concl. 2. §. in secundo casu*, dicens, quòd *Sotum* communiter sequuntur recentiores Theologi, nempè *Emman. Rodriq. tom. 1. sua summ. cap. 140 nu. 3. Vega, par. 1 cap 128. casu 13. Ledes. 2. par. tr. 9. c. 45. concl. 6. difficul. 4. Sãdaual. de offic. Ecclesiast. par. 5. cap. 5.* dicens, *Soti* sententiam non esse extra rationem: & nouissimè *Less. de iustit. & iure, lib. 2. cap. 34. dub 31. num. 169. & Torr. controu. 6. disp. 5. à num. 5. & controuer. 7. num. 16.* Imò *Nauar. loco citato*, licèt eiusmodi beneficiatos quantumuis tenuia beneficia habentes obliget ad recitandum diuinum officium; nihilominus testatur, multos viros doctos, & pios eos excusare à diuini officij recitatione. Etenim causa obligandi ad horas Canonicas ex iustitia ortum habet, quia dantur ei redditus, tanquam stipendium vitæ: si ergo stipendium nimis tenue, ac insufficiens sit, non videtur parere obligationem recitandi officium; maximè quando est adeò tenue, quod saltem non præbeat Clerico mediocrem sustentationis partem; quoniam istud pro nihilo reputari, inquit *Sot.*

25 *loco citato*. Quæ quidem opinio cum sit benignior, & auctoritate virorum tanti ponderis foueatur, in praxi citra culpam seruari potest excusando eiusmodi beneficiatos à lethali culpa, ac restitutione; maximè si talia modica beneficia aliud seruitium exigant; quoniam tunc

præsu-

præsumi potest, tenues illos redditus fundatos esse, tanquam stipendium in compensationem huius seruitij dumtaxàt: aut consuetudo sit in Ecclesia, in qua sunt eiusmodi beneficia, non recitandi horas Canonicas, nec Prælatus in eorum collatione officij recitationem præcipere soleat, vt rectè docet *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 2. cap. 5. num. 5.* vbi soluendo contrarium, inquit, quòd lex Ecclesiastica de omnibus beneficiatis indistinctè lata, non videtur comprehendere beneficiatos, de quibus agitur; quoniam hoc casu alicubi non est accepta, vel per contrariam consuetudinem, aut priuilegium sublata. Quòd si consuetudo Ecclesiæ vbi tenuia beneficia sunt, extet ea conferendi, cum obligatione recitandi horas Canonicas, tunc si præfati beneficiati illas non recitent, proculdubio peccant, & ad fructuum restitutionem pro rata omissionis officij, & temporis tenentur: quoniam, vt ait *Laym. loco citato, vers. Si verò mos Ecclesiæ*, quòd cùm lex, & consuetudo Ecclesiastica obtinuerit, vt omnes maioribus ordinibus initiati, licèt nullos redditus ab Ecclesia recipiant; diuinum officium sub lethali culpa recitare teneantur, cur non multò magis obtinere possit, vt Clerici quicunque, & qualitercunque beneficiati recitare teneantur; cùm hi non minus quàm illi beneficio fori, & Canonis gaudeant.

26 Octauò ampliatur conclusio, vt noui Canonici, seu præbendati peccent non recitando diuinum officium, etiam primo anno, in quo ex statuto, vel consuetudine Ecclesiæ fructus non lucrantur. Etenim per *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 14.* & per Constitutionem 64. Pij V. huiusmodi statuta, & consuetudines abolentur tanquam praua; etiam si Consuetudines, & constitutiones eiusmodi fuerint ab immemorabili tempore obseruatæ, & auctoritate Apostolica confirmatæ, quando fructus omissi per nouos Canonicos cedunt antiquis, & non conuertuntur in pios vsus: sed vbi prædicti fructus vltra semestre in pios vsus reperiuntur cōcessi, dimidia pars tribuitur nouis Canonicis per præfatam Pij V. Constitutionem: qua propter ipsi noui Canonici, cùm fructus percipiant, obligantur ad diuini officij recitationem, non obstantibus dictis statutis, & consuetudinibus; nisi quando intra semestre fructus omnes in pios vsus reperiuntur concessi. Ità *Garz. de benefic. Ecclesiast. par. 3. cap. 1. num. 74.* qui contra *Nauar.* putat, id verum etiam si dictum Cōcilij decretum, & Pij V. Constitutionem aliquæ Ecclesiæ non receperint; quoniam consuetudines prædictæ, ac Constitutiones abolitæ fuerunt, tanquam prauæ, ac scandalosæ, atque ideò contra ius naturale. Et quamuis Canonici noui nullos fructus percipiant; obligantur tamen ad diuini officij recitationem, quoniam eo tempore obligantur ad residentiam, atque ideò ad assistendum horis Canonicis. His adde quæ latè habentur ex *Laym. lib. 4. sua sum. tr. 2. cap. 5. sub num. 4. vers. Sed graue dubium.*

27 Nonò ampliatur, vt peccent beneficiati non recitantes diuinum officium, etiam si titulum tantum beneficij habeant, reseruatis alteri omnibus fructibus loco pensionis, & beneficium residentiam exigat, ac seruitium: siquidem eiusmodi beneficiati tenentur ad officij diuini recitationem, siuè fructus reseruati sint eius consensu, siuè ex consensu prædecessoris: tunc enim qui habet titulum posset per se seruiendo beneficio, aliquos fructus percipere ratione seruitij, prò quo tenetur satisfacere is, cui sunt reseruati omnes fructus, qui intelliguntur, deductis oneribus: quod verum est, nisi reseruati sint fructus cum seruitio, & tota administratione, quoniam tunc habens titulum, etiam si ex eius consensu sit facta reseruatio, non tenetur ad officij recitationem, sed is in cuius fauorem facta est reseruatio, cum nihil censeatur in resignatarium trāstulisse, nisi nudum titulum. Ità post alios *Garz. de benefic. Eccl. par. 3. cap. 1. num. 53. cum plur. seq.* qui tamen *num. 58.* loquens de beneficijs non habentibus residentiam, qualia sunt præstimonia, inquit; quod habens titulum tenetur ad horas Canonicas, si ex eius consensu fructus fuerint reseruati: siquidem beneficium cum tali onere censetur acceptasse: & cum Sum. Pontifex de ipsius consensu reseruet, non præsumitur velle illum eximere ab onere recitandi officiū. Secus autem si fructus reseruati sint ex prædecessoris consensu; nam tunc habens titulum, qui successit in tali beneficio, non tenetur ad officij recitationem; quoniam per ipsum non stat, nec stetit quominus fructus percipiat: nec etiam tenetur ad officium maius is, in cuius fauorem facta est reseruatio, quoniam est tantùm pensionarius, seu loco pensionarij, atque ideò tenetur solùm recitare officium paruum Beatæ Mariæ Virginis, iuxtà d. Constitutionem 135. Pij V.

28 Decimò ampliatur, vt beneficiati Ecclesiastici, qui celebrant secundum Breuiarium Romanum, non solùm peccent, & ad fructus restitutionem, vt supra teneantur, si Diuinum officium non recitent; sed etiam si recitent per aliud Breuiarium à Romano, nempè Breuiarium Cistercien. seu S. Dominici: aut dicant officium de Sancto, cùm sit dicendum de feria, vt post alios probat *Garz. de benefic. Ecclesiast. par. 3. cap. 1. num. 150.* qui id ampliat contra *Nauar. de orat. cap. 21. num. 23. & Rodriq. in summ. par. 1. cap. 141. num. 3. & cap. 144 ac tom. 1 qq. Regul. qu. 42. ar. 8.* non solùm, qui crebrò, & frequenter id ageret, sed etiam vno, vel altero die; quoniam is obligationi non satisfaceret. Mouetur ex Bulla Pij V. posita in principio sui Breuiarij, in illis verbis: *Statuentes, Breuiarium ipsum nullo vnquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omninò detrahendum esse, ac quoscunque qui horas Canonicas ex more, & ritu ipsius Rom. Ecclesiæ iure, vel consuetudine dicere, vel psallere debēt, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis in eos, qui diuinum officium quotidiè non dixerint, ad dicendum, & psallendum post hac in perpetuum horas ipsas diurnas, & nocturnas ex huius Romani Breuiarij præscripto, & ratione omninò teneri, neminemque ex ijs, quibus hoc dicendi, psallendique munus necessariò positum est, nisi hac sola formula satisfacere posse.* Ex qua Bulla clarè constat, quòd non recitantes officium per eiusmodi Breuiarium, & secundum eius præscriptum, rationem, & formulam, ac secundum ipsius regulas, ac rubricas, siuè beneficiati Clerici Sæculares sint, siuè Regula-

res, qui eodem vti præcipiuntur, obligationi recitandi horas Canonicas non satisfaciunt, sed incidere in pœnas statutas in non recitantes, atque ideò vltra lethalem culpam, quam contrahunt, tenentur ad suorum beneficiorum fructus restituendos. Vndè cùm in dicta Bulla expresè præcipiatur qualitas, & modus horarum, ab ijs non est recedendum: & propterea hodiè cessat opinio, ac ratio *Caiet. in summ. vers. Hora Canonica*, §. 2. & sequacium existimantium, non esse peccatum mortale mutare Breuiarium, nec recitare de Sancto, quando esset recitandū officium de feria; sed solùm veniale, quando ad libitum, & citra rationabilem causam fieret; atque ideò dicentium substantiam præcepti consistere in hoc, quòd Canonicæ horæ dicantur; nō autem in qualitate horarum.

29 Imò hodiè, stante dispositione dictæ Bullæ, si beneficiatus inaduertenter dicat officium de Sancto, cùm sit dicendum de feria, vel è conuerso, si aduertat, & tempus suppetat, tenetur denuò recitare, iuxtà ordinem in ipso Breuiario præscriptum; aliàs non satisfaceret, vt habetur ex *Corrado in resp. casuum conscientiæ*, q. 243. *ad prin. & Sum. Corona. par. 1. cap. 1. num* 100. Etenim in præfata Bulla Pij V. non tantùm præcipitur, vt Canonicæ horæ dicantur; sed etiam formula, ac modus recitandi: vt constat ex illis Bullæ verbis: *Nisi hac sola formula*, & ibi: *Ex huius Breuiarij præscripto, & ratione*, in qua præcipitur omnibus, ad quos Breuiarium Romanum pertinet, recitare officium secundum formulam illius: constat autem in formula talis Breuiarij contineri, vt in feria dicatur de feria; & in festo, de festo. Nec obstat si dicatur, illa verba: *Nisi hac sola formula, &c.* referenda esse ad formulas aliorum Breuiariorum, quas potissimum nolebat Pius V. explodere, ità vt sensus sit, secundum formulam huius Breuiarij, non alterius: quod fiet, licèt in festo dicatur de feria per hoc Breuiarium; quoniam respondetur, prædicta Bullæ verba clarè significare, recitandum esse officium non solum per istud Breuiarium; sed etiam secundum modum, regulas, & rubricas illius.

30 Est tamen verum, quòd qui inaduertenter in recitando officio non seruaret formulas, modum, regulas, & rubricas dicti Breuiarij, si denuò illud non recitet, etiam si tēpus suppetat, non est de facili faciendus reus lethalis culpæ; quoniam extat opinio Doctorum magni ponderis, dicentium non peccare plusquam venialiter, qui etiam ex proposito, vno, aut altero die recitaret officium de festo, cum sit dicendum de feria, vt habetur ex *Nauar. de orat. cap. 21. num. 23. Rodriq. in summ. tom. 1. cap. 141. num. 3. & cap. 144 Azor. par. 1 instit. moral. lib. 10. cap. 10. q. 2. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 37. num. 73. cum plur. seq Fusc. de visit. lib. 1. cap. 20. num. 15. & 19. Suar de Relig. tr. 4. lib. 4. cap. 11. à num. 3.* & præcipuè *cap. 23. à num. 1.* & ex alijs; quoniam sic recitans vno, vel altero die tantùm excludit contemptum; quem non excluderet, qui non vno, vel altero die, sed sæpè recitaret officium contra formulā, regulas, & rubricas Breuiarij Romani. Et propterea non obstat argumentum *Veg. in sua sum. par. 1. cap. 128. casu 17.* quod refert *Garz.* pro corroboratione suæ sententię *d. cap. 1. nu. 165.* Imò idem *Garz. ibi, num. 176.* probabile putat, quòd qui recitauit de Sancto, cùm officium esset recitandum de feria, vel è contra, quia fortè Calendarium, quod vidit erat erratum, aut sequendo sententiam Peritorum, quæ posteà apparet falsa, satisfacit, ex quo adhibuit debitam diligentiam, nec tenetur iterum recitare, etiam si intra eundem diem constaret de errore: ergò idem dicendum videtur de eo, qui ex inaduertentia recitauit vnum officium pro alio. Et in omnem euentum, inquit *Tolet. lib. 2. sua sum. cap. 13. vers. Tamen notandum est*, quòd qui recitaret de vno Sancto, cùm esset recitandum de alio, si est parua differentia inter vnum, & alterum officium, sufficit repetere particularia illius officij, vt Hymnum, Antiphonas, & lectiones. Et re vera, quòd inaduertentia, & alij duo præcedentes casus excusent à recitando denuò diuinum officium, benignior sententia, & eam in praxi pluries vidi seruari.

31 Vndecimò ampliatur, vt peccent beneficiati diuinum officium non recitantes, etiam si beneficium sine titulo iusto possideant; Etenim hi dum beneficium administrant, & fructus percipiunt, tenentur officium diuinum recitare; quoniam non debet esse melioris conditionis stultus, quam sapiens: & inuasor eo, qui iustè ingreditur priuilegio gaudeat potiori. Ità contra *Nauar. lib. 1. cons. 3. de ætate, & qualit. edit. 2. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 4. qu. 9. Garz. de benefic. Eccl. par. 3. cap. 1. num. 90. & Laym. lib. 4. sua summ. tr. 2 cap. 5. sub num. 3. q. 3.* & alij, quos ipsi allegant: siquidem beneficiatus cùm commodo, & fructus sibi vsurpat, iustitia exposcit, vt officium, & onera quoque subeat, *arg tex in cap. cum qui, de præben. in 6.*

32 Sic ampliata limitatur primò eadem conclusio, vt beneficiati non recitantes diuinum officium non peccēt, si nullos ex beneficijs fructus percipiant: Siquidem qui nullos omninò redditus ex beneficio percipit, non obligatur ad horas Canonicas; quoniam tunc cessat ratio obligationis, cùm nullum stipendium ab Ecclesia recipiat, vt habetur ex *Nauar. de orat. c. 7 num. 27. & cap. 21. num. 11. & in Man. cap. 25. num. 102. & Garz. d. cap. 1. num. 41.* contra non nullos, quos allegat. Quam tamen limitationem declarat, iuxtà ea, quę supra adnotauimus *ampl. 9.* & iuxtà tradita per eundem *Garz. ibidem, num. 42. cum plur. seq.* vbi id ampliat, etiam in beneficio, quod ab initio, & tempore fundationis habuit redditus, sed temporum calamitate perierunt: Siquidem licèt beneficium illud sit in potentia, & habitu; tamen non est beneficium actu: & qui habet beneficium sine fructibus, non censetur absolutè, & propriè habere beneficium. Imò, & si beneficium habeat redditus, verum illud habens, neque per se, neque per alium percipit aliquos fructus, saltem distributiones, nec per eum stat, quominus illos percipiat, nec in posterum percepturus est, seu sperat percipere pro eo tempore, ratione belli, vel ob aliam causam, non tenetur ratione illius beneficij recitare diuinum officium: quoniam in tantum beneficiatus ad officium diuinum tenetur, in quantum stipendium consequitur, vt habetur ex *Caiet. in summ. vers. Hora Canonica*, §. 1. & ex alijs apud eundem *Garz. ibi, nu. 45.* Qui-

45. Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 2. cap. 5. sub num. 3. q. 4. & nu. 4.*

33 Secundò limitatur, vt beneficiatus, qui bona fide, nempè ex inuincibili ignorantia, inaduertia, &c. officium diuinum non recitauit, non peccet mortaliter, nec ad fructus restitutionem obligatur, etiam post sex menses, vt per *Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 14. q. 7. Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 34. num. 181. vers. 5. & num. 183. vers. 2. Suar. de Relig. lib. 4. cap. 30. num. 17. & Garz. d. cap. 1. num. 26.* Etenim fructuum restitutio datur in pœnam, propter culpam; at inuincibilis ignorantia excusat à culpa, cùm omne peccatum sit voluntarium, & inuincibilis ignorantia antecedit omnem actum voluntatis; ergo beneficiatus in casu nostro excusatur non solùm à culpa, verùm etiam à pœna restitutionis fructuum.

34 Tertiò limitatur, vt quamuis beneficiatus peccatum mortale committat si horas Canonicas non recitet; non tamen committit tot peccata, quot horas non recitat vna die: sed vnum tantùm peccatum, quoniam omnes horæ sunt vna oratio, seu vnum officium cadens sub vno præcepto, licèt peccatum tantò sit grauius, quantò plures horæ omittuntur, vt per *Nauar. de orat. cap. 7. num 7. Syl. ver. Hora, num. 15. vers. Sextò, & num. 16.* & alios apud *Garz. d. cap. 1. num. 132.* vbi etiam *num. 133. & seq.* declarat, quando omittens plures horas, plura quoque committit peccata. Sic etiam habens plura beneficia, non recitans diuinum officium vna die, non committit tot peccata, quot habet beneficia: quoniam habens plura beneficia ad vnum tantùm tenetur officium singulis diebus recitandũ, vt post alios, *Garz. loco citato, nu. 124.* vbi *nu. 125* id ampliat verum esse, etiam si cum beneficijs haberet ordinem sacrum: nam adhuc non committeret, nisi vnum peccatum. Etenim obligatio recitandi officium diuinum, quam habent beneficiati, & in Sacris Constituti, non est iustitiæ, sed Religionis, aliàs si iustitiæ esset, habens beneficium cum sacro ordine, duplicem culpam contraheret, nempè contra iustitiam ratione beneficij, & contra Religionem ratione sacri ordinis, licet *Sanch. de matr. lib. 9. disp. 15. num. 6.* aliter sentiat, sed malè inquit *Garz. d. cap. 1. n um. 126.*

35 Quartò limitatur ipsa conclusio, vt beneficiati non recitantes diuinum officium ex capite impotentiæ, excusentur non solùm à culpa, sed etiam à restitutione fructuum: Etenim ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium, ff. de regul. iur.* Vndè senes, qui pro senectute non vident sufficienter, infirmi, & alij eiusmodi excusantur, sicut eos excusari quoque à personali residentia in Choro, ità vt habeantur tanquam præsentes, & lucrari etiam distributiones quotidianas, ostendimus suprà *disp. 9. sec. 1. concl. 1. lim. 3.* Verum tamen est, quòd supradicti beneficiati non valentes per se solos officium diuinum recitare, possent cum socio, tenentur cũ socio illud recitare, si commodè possint eum habere, vel habeant, & redditus beneficiorum, vel facultates patrimonij suppetant ad satisfaciendum socio, qui stipendium petat, vt habetur ex *Vega in sua summ. 1. par. cap. 128. cap. 16. Rodriq. par. 1. sua summ. cap. 144. num. 1. Suar. de Relig. tr. 4. lib. 4. cap. 28. num. 13. cum plur. seq.* & ex alijs apud *Garz. d. cap. 1. nu. 213.* contra *Tolet. lib. 2. sua summ. cap. 14. causa 1. Syl. vers. Hora, num. 5. Nauar. de orat. cap. 11. num. 6. & 7.* dicentes, Beneficiatum eo casu non teneri recitare officium, cum socio, licet eum habeat. Quas tamen opiniones conciliat *Garz. loco citato, num. 215.* vt prior sententia locum sibi vendicet, quando beneficiatus sanus existens erat solitus recitare horas Canonicas cum socio. Posterior verò procedit, quando beneficiatus valens, & non impeditus soleb.r per se, sine socio eas recitare. Nobis autem videtur satis rationabilis, & tutior opinio, *Suar. d. cap. 28. nu. 13. 14. & 15.* se habentis, quòd qui non potest recitare solus, si potest recitare cum socio, & sine magno onere, ac difficultate, vel magno sũptu, iuxtà personæ qualitatem possit illum habere, non excusatur à recitando; licèt in simplici Clerico, vel Religioso velit eos non obligari ad alendum socium, cum quo possint diuinum officium dicere; quòd si absque sumptibus possint illum habere per modum amicabilis societatis, non excusatur. An autem, qui non potest recitare totum diuinum officium, sed tantùm partem, teneatur ad recitandam illam partem, vide eundem *Garz. vbi supra num. 216. cum plur. seq.* qui post multa, *num. 226.* cum *Rodriq. d. cap. 144.* inquit, quod cum infirmis non agẽdum tanto rigore, nisi clarè constet, eos commodè posse maiorem partem officij, aut dimidiam eius partem recitare; atque ideò raró infirmi tenentur aliquid recitare.

36 Quintò limitatur dicta conclusio, vt quamuis beneficiati peccent non recitãtes horas Canonicas, & ad restitutionem fructuum, vt supra teneantur; nihilominus, qui minis parentum coguntur ad statum Ecclesiasticum amplectendum, & ipsi parentes beneficiorum redditus auferant, tunc filij eiusmodi, si officium non recitent ad fructuum restitutionem non tenentur, sed eorum parentes, & ipsis mortuis eorum hęredes pro rata: nec culpam aliquam contrahunt, quoniam hi non obligantur ad officium recitãdum, cum fructus à beneficijs non percipiant, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus *limit. 1.* Quod si filij parentum imperio coacti ad statum Ecclesiasticum amplectendum fructus ex beneficijs consequantur, tunc teneantur officium diuinum recitare, aliàs peccent, & fructuum restitutioni efficiuntur obnoxii, vt habetur ex *Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 34. dub. 31. num. 174.* quem refert, & sequitur *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 2. cap. 5. sub num. 2. q. 1.* siquidem obligatio recitandi officium diuinum prouenit ex perceptione fructuum beneficii, *arg. tex. in cap. eum, qui, de præb. in 6* & patet ex iis, quę supra adnotauimus, *ampl. 11.*

Cui facienda sit restitutio fructuum beneficiorum ob non recitationem diuini officij à beneficiatis.

S E C. II.

S V M M A R I V M.

1 *Diuinum officium nõ recitantes, tenentur fructus beneficiorum restituere fabricæ Ecclesiæ,* aut

aut pauperibus pro rata officij omissionis, & temporis.
An distributiones quotidianæ, quas amittunt Canonici Choro non interessentes sint fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus restituendæ.
Vbi declaratur Constitutio Pij V.

1 AD hanc controuersiam respondetur breuiter, quòd non recitantes diuinum officium, tenentur eorum beneficiorum fructus pro rata eius omissionis, & temporis fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus, vt patet ex *Concil. Lateran.* relato, & innouato à Pio V. Constit. 135. in illis verbis: *Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & temporis suos non faciat; sed eos tanquam iniustè perceptos in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.* Quàm qui fructuum restitutionem obligantur subire etiam pensionarij, si pensionem obtineant, vt Clerici, & officium paruum Beatæ Mariæ, legitimo cessante impedimento, non recitent, vt habetur in d. Cōstit. Pij V. Et suprà latè declarauimus *sec. 1. ampl. 6. vers. Pensiones præterea.* Imò, & distributiones quotidianæ, quas Canonici Choro non interessentes amittunt ob non recitationem horarum Canonicarum sunt restituendæ quoque fabricæ, vel pauperibus, non autem alijs Canonicis, seù mensç capitulari: siquidem licèt distributiones amissæ per aliquem Canonicum, soleant alijs Canonicis accrescere, vel remanere in mensa, vt aliàs diximus; attamen secus dicēdum est de distributionibus omissis ob non recitationem officij ab illis, qui aliàs lucrifacerēt ob præsentiam in Choro: quod tamen declara, iuxtà ea, quæ habentur per *Garz.* post alios, *de benefic Eccl. par. 3. cap. 1. sub nu. 25. cum plur. seq.* Quibus adde, quæ suprà adnotauimus *sec. 1. ampl. 5.* vbi diximus, quòd beneficiati non recitantes diuinum officium tenentur ad dictam fructuum restitutionem statim post transgressionem nulla expectata Iudicis sententia, quia non recitantes officium diuinum per *Cōc. Lateran.* & præfatam Pij V. Constitutionēm non faciunt fructus suos. Et idem dicendum videtur de pensionarijs non recitantibus officium paruum Beatæ Mariæ, cùm nec hi vigore dict. Constitutionis Pij V. faciant pensiones suas, vt constat ex illis Pianæ verbis: *At quicunque pēsionem, fructus, ac alias res Ecclesiasticas, vt Clericus percipit, cum modo prædictum ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.* Sed re vera verba illa dictæ Constitutionis non videntur impedire pensionum, & fructuum dominij translationem, sed tantùm ad amissionem illorum pensionarios condemnat: & propterea arbitror non teneri ad restitutionem fructuum, & pensionum pensionarium, nisi post Iudicis sententiam, cum simus in pœnalibus, iuxtà ea, quæ suprà diximus *sec. 1. ampl. 5.*

An Beneficiati ità domini sint fructuum beneficiorum suorum, vt de illis citra omnem culpam liberè disponere possint, tàm in vita, quàm in morte.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Romanus Pontifex non est Dominus beneficiorum, nec bonorum Ecclesiæ, sed dispensator.*
2 *Clerici, si quod pauperum est, accipiant, Sacrilegium committunt.*
3 *Secundum* Nauar. *Quicunque beneficiarij dicuntur fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum censuarij, non verò Domini.*
4 *Adducuntur DD. tenentes, beneficiatos esse Dominos fructuum, & posse de illis testari, & si in malos vsus expendant, peccare mortaliter solùm contra charitatem.*
5 *Postquam Romani Pontifices, censuerunt, bona Ecclesiæ esse in quatuor partes diuidenda omnes, quibus partes prædictæ fuerunt assignatæ dominium acquirunt, & num 8.*
6 *Sententia hæc magis communis est, maximè inter Theologos Hispanos, & praxi, ac Cōsuetudini Ecclesiæ conformi.*
Sed de rigore iuris contraria sententia est verior.
7 *Ex* Conc. Trid. *interdicitur omnibus beneficiatis suos consanguineos familiaresque ditare ex Ecclesiæ redditibus.*
8 *Etiam post factam supradictam diuisionem rerum Ecclesiasticarum beneficiati non acquirunt eorum redditum liberum dominium. Et quarè.*
9 *Pronomen (suum) æquiuocum est, & multotiès denotat id, quod sub cura, & administratione est.*
10 *Quando facultas conceditur Episcopis per Romanum Pontificem testandi, vel alij beneficiati eam assequūtur est vi consuetudinis, hac facultate vti non possunt, quoad bona intuitu Ecclesiæ acquisita, nisi in pauperum beneficium.*
An excludantur ab his beneficiatorum consāguinei pauperes.

1 PRO explicatione huius difficultatis recolēda sūt, quæ suprà adnotauimus *dis. 4. sec. 10.* vbi ostendimus, quòd licèt ad Romanum Pontificem pertineat libera omnium beneficiorum, ac rerum Ecclesiasticarum dispositio; nihilominus non ob id beneficiorum, & bonorum Ecclesiæ est Dominus, sed tantùm dispensator: siquidem bona Ecclesiæ sunt pauperum, siuè Clerici sint, siuè Laici, vt habetur ex *Panor. in c. 1. & 2. de reb Eccl. alien.* Et sic quoad dominium sunt Christi, seu Ecclesiæ, cuius caput est ipse Christus: quoad vsum, & substentationem sunt pauperum, & quoad administrationem sunt Clericorum, vt in *cap res, 12. q. 1. cap. indignè, 12. q. 2. & cap. attendens, 17 q 4.* His etiam adde, quæ adnotauimus suprà *disp. 6. sec. 10.* dùm disputauimus, an, & quando Episcopi,

 & alij

& alij beneficiati possint testari, & conclusimus *concl.* 2. quod Episcopi, & alij beneficiarij non possunt testari de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ: & *concl.* 3. *limit.* 1. ostendimus, quòd quāuis Episcopi, & alij beneficiarij possint testari, & ad libitum disponere de bonis non intuitu Ecclesiarum acquisitis; nihilominus ea habentes, etiam si patrimonialia sint, non possunt citra culpam conseruare, & redditus Ecclesiasticos in vsus profanos expendere, vt habetur in *tex. in cap. Clericos*, 1. q. 2. ex *D. Hieronymo*, ità se habente: *Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, quibus parentum, &*

2 *opibus suis sustentari non possunt; si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium iudicium sibi manducant, & bibunt*. Et ex eodem *D. Hieronymo in cap. quoniam quicquid*, 16. q. 1. ita legitur: *Quoniam quicquid habent Clerici, pauperum est*. Si igitur omnia, quæ habent Clerici, pauperum sunt; ergò beneficiati non possunt de fructibus eorum beneficiorum ad libitum disponere, sed omnia debent expendere in egētium subuentionem; detractis tamen ijs, quæ ipsis necessaria sunt pro alimentis, si aliunde nō habeant, vndè sustententur, quia illos tantùm Clericos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari quibus parentum, & opibus suis sustentari non possunt, vt in *d. cap. Clericos, & cap. quoniam quicquid, circà finē*. Hinc *Nauar. de reddit. Eccles. q. 1. num. 20. cum seq.* mordicus defendit, & probare nititur, beneficiarios quoscunque solū

3 esse censuarios, non autem dominos fructuum beneficiorum Ecclesiasticorum, ità vt necessaria sibi, & familiæ suæ habeant, reliqua in pauperes dispensent. Hanc eandem sententiam sequitur *Menoch. cons. 66. num. 32. de arbitr. casu 433. num. 35. Paul. Comitol. respons. moral. lib. 1. q. 70. Eman. Rodriq. qq. Regular. tom. 3. q. 74. ar. 4. vers. Quinta ratio, Valasc. de partit. cap. 36. num. 4. Cald. Pereira de resol. emphyt. c. 15. num. 43. & de empt. cap. 16. num. 2. Aloys. Ricc. in prax. fori Eccles. decis. 601. num. 2. in 1. edit. & resol. 526. num. 2. in 2. edit.* Vndè iuxtà hanc opinionem beneficiati vanè, ac malè consumentes fructus eorum beneficiorum vltra necessitatem pro ipsis, & eorundem familijs sustentandis, non solùm peccant mortaliter, sed etiam pretium fructuum, quos vanè, ac malè consūpserunt tenentur restituere, ac in pauperes dispensare.

4 Alij verò Doctores qui putant, Beneficiatos acquirere dominium fructuum eorum beneficiorum, cùm redditus beneficiorum assignentur in stipendium laboris, non autem in stipendium sustentationis; atque de illis posse liberè disponere non solum in vita, sed etiam ex consuetudine testari; imò si beneficiati fructus ipsos malè expendant, volunt eos peccare tantùm mortaliter contra charitatem, non autem contra iustitiam, atque ideò ad nullam restitutionē teneri. Ità *Molina de primogen. lib. 2. cap. 10. num. 46. & 52. Prax. Episc. par. 1. vers. Cler. §. 10. Paul. Comit. d. lib. 1. q. 71.* Et hanc sententiā hodiè communem esse, testantur *Couar. in cap. cum in officijs, num. 4. de testam. Molina loco citato, num. 34. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 4. num. 43. Garz. de benefic. cap. 1. num. 5.* & alij apud *Garz.* ipsum, & *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 113. sub num. 4.* Mouentur ex eo,

5 quòd postquam Romani Pontifices censuerunt bona Ecclesiæ in quatuor partes esse diuidenda, nempè in vnam, quæ datur Episcopo, in alteram Clericis, in tertiam pauperibus, & in quartam fabricæ, vt in *cap. quatuor, & in cap. de redditibus cum seq.* omnes, quibus portiones illæ fuerunt assignatæ, earum dominium liberum ab omni onere sibi acquirunt: Vndè pauperes, licet ex sua parte aliquid eis superfluat, nemo dicet, teneri id alijs pauperibus erogare: idem videtur dicendum de fabrica; Ergò idem quoq; concedendum de fructibus beneficiorum: siquidem ille diuisionis titulus, cùm sit à lege, ac Principe, est sufficiens ad transferendum dominium, *l. 1. C. commun. vtriusque, &c.* Pro hac eadem sententia adducunt *tex. in cap. vnico, de Cler. non resid. circà finem*, in illis verbis: *Rerū sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, &c.* Et tamen *tex.* loquitur de beneficijs manualibus, seu distributionibus quotidianis. Adducunt etiam non nulla alia iura, in quibus beneficiati fructus suos facere non dicuntur, quasi in eis dominium acquirant, vt in *Conc. Trid. sess. 23. de refor. cap. 12.* ibi: *Quos ratione etiam prabēda, ac residentia facit suos.* Et ibidem in illis verbis: *Fructus non faciant suos, & sess. 23. de reform. cap. 1.* ibi: *Tum pro rata temporis absentia fructus suos non facere.* Hoc ipsum probant ex *Conc. Lateran.* de quo in Constit. 135. Pij V. ibi: *Beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij, & tēporis suos non faciant.*

6 Hæc sententia citra omnem controuersiam est magis communis, maximè inter Theologos Hispanos: & praxi, ac consuetudini Ecclesiæ conformis, vt testatur *Garz. loco citato, num. 7.* atque ideò, quā ea vtitur in praxi tutus est in cōscientia, eò magis, quoniam est priori benignior & in materia restitutionis benignior opinio præfertur. Nihilominus prior sententia non solùm iuxtà tempus antiquum, & antè diuisionem prædictam bonorum Ecclesiæ in quatuor partes; verùm etiam hodiè; & post prædictam diuisionem habitam, nobis videtur de iuris rigore verior. Moueor primò ex *Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1.* vbi expressè interdicitur omnibus beneficiatis, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos

7 augere studeant; sed si pauperes sint, ijs vt pauperibus distribuant, vt patet ex illis verbis: *Omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesia consanguineos, familiaresque suos augere studeant: cùm, & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, qua Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant, &c.* Si igitur, redditus Beneficiorum, sicut aliæ res Ecclesiæ *Concil. Trident.* etiam hodiè decernit esse Dei, atque ideò interdicit Beneficiatis de illis ad sui libitū disponere, etiam ad vtilitatem suorum consanguineorum, nisi pauperes sint; Ergò Beneficiati non habent dominium redditūum suorum beneficiorum, sed eorundem, dominium est Dei, & sic Christi, ac Ecclesiæ, cuius caput est ipse Christus; & pauperum quoad vsum, ità vt Beneficiati ipsorum redditūum administratores

tantum

tantum sint, vt suprà diximus, & detractis necessariis pro ipsis,& ipsorũ familiis sustendãdis, reliquos in pauperes distribuant, non solùm attento iure antiquo,antè dictam bonorum Ecclesiæ diuisionem in quatuor partes; sed etiam attento decreto *Concil. Trid.* & sic iure nouo, & post præfatam bonorum diuisionem. His adde, quæ latè habentur ex *Laym. in sua sum. lib. 4. de Ecclesiastic. benefic. tr. 2 cap. 3.*

8 Confirmatur hæc ipsa sententia ex resolutione argumentorum, & iurium, quæ suprà retulimus pro apposita sententia. Etenim respondendo ad primam rationem negamus, per dictã diuisionem rerum Ecclesiasticarum, beneficiatos eorum redituum acquirere liberum dominium absque omni onere; quoniam remanserũt eorumdem administratores, ac dispensatores, sicut erant antè præfatam diuisionem: siquidem dominium rerum Ecclesiarum, cùm sit Dei etiã post ipsam diuisionem, remansit penès ipsum, & sic penès Ecclesiam, cuius caput est Christus verus Deus, & Dei filius. Vnde Beneficiati cùm post prædictam diuisionem, adhùc dicantur administratores redituum ipsorum beneficiorũ, sicut erant antè diuisionem ipsam, & pauperes domini, quoad vsum dumtaxat, consequenter fit vt ex ipsis redditibus, detractis necessariis pro se ipsis, & ipsorum familiis, reliquos redditus teneantur expendere in vtilitatem pauperum, ac pauperibus dispensare, tanquam boni dispensatores, sunt enim beneficiati pauperum compauperes, & quæ detinent priuatim pro eorum sustentatione nõ sũt sua, sed adhuc pauperũ, quorum procurationem, quodammodò gerunt, vt in *cap quod autem, 23. q. 7.* Nec videtur absurdũ quod Doctores oppositę sententię assumunt pro absurdo: nam si daremus, vt pauperibus ex sua parte aliquid superfluat, concedimus hoc casu eos obligari ad erogandum aliis pauperibus, cũ res Ecclesiæ, quoad vsum sint pauperum indigentium, vt suprà ostendimus. Vnde si pauperes habeant vltrà indigentiam, pauperes non essent; atque ideò illud vltrà indigentiam conuenit, vt compauperibus indigentibus erogetur. Idem dicendum est de fabrica Ecclesiæ: nã si daremus, eam non indigere reparatione, quod eidem destinatum fuit, tribuendum est fabricæ alterius Ecclesiæ indigentis, aut alteri pio loco, vel etiam pauperibus, iuxtà illud *Conc. Trid. sess. 22. de reform. cap. 3.* in illis verbis: *Sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarij applicetur.* Et *sess. 23. cap. 1. §. Si quis.* ibi: *Illos fabricæ Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare, &c.* Nec denique refragantur iura, & concilia in contrarium allata, in quibus beneficiati fructus suos facere non dicũtur, quasi in eis dominium acquirant; quoniam pronomen illud (suos) est æquiuocum, vt

9 habetur ex *Bart. in l. cùm in testamento. ff. de aur. & arg. leg. & Ias. in l. pecunia, num. 2. ff. si cert. petat.* Vndè quamuis aliquando significet dominium, & proprietatem, vt in *l. 2. ff. de relig. & sump. funer.* & quandoque id quod de facto tenetur, vt inquit *Bart. in rub. de verb. signif. num. 5.* nihilominus multotiès denotat quoque id quod sub cura, & administratione habetur, vt per *Glos. in cap. 2. in ver. Rebus suis,* vbi etiam *Felin. de iure iur.* & ità sumitur in iuribus in contrarium adductis, in quibus Beneficiati non faciunt fructus suos, nempè quoad administrationem, ac dispensationem, ità vt nec deductis quidem, quæ necessaria sibi sunt ad sustentationem ipsorum, è suarum familiarum, sed omnes fructus in casibus dictorum iurium sint restitutioni obnoxii fabricæ, pauperibus, aut aliis piis locis. Vndè ex his patet quoque, quòd beneficiorum redditus non dantur in stipendium laboris, vt Doctores oppositæ sententiæ volunt, sed in stipendium sustentationis, vt expressè habetur in *d. cap. Clericos, 1. q. 2 & cap. quoniam quicquid, circà finẽ, 16. q. 1.* in illis verbis: *Clericos autem illos conuenit Ecclesiæ stipendijs sustentari, &c.*

10 Ex quibus quoque infertur, quod quando à Romano Pontifice conceditur Episcopis facultas testandi, aut alij Beneficiati hanc eandem facultatem acquirunt ex vi alicuius consuetudinis, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *disp. 6. sec. 10.* eiusmodi facultate vti non possunt quoad acquisita intuitu Ecclesiæ, nisi in beneficium pauperum, à quibus non excluduntur Beneficiatorum consanguinei pauperes; imò; & ipsi aliquando extraneis pauperibus præferuntur. Non tamen negamus, quòd quamuis Beneficiati non possint liberè disponere de redditibus suorum beneficiorum; nihilominus citra dispensationem aliquam in ęgritudine constitutos eos posse facere moderatam donationem de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis non per viam vltimæ voluntatis, sed intuitu eleemosynæ, vt in *cap. adhac, vers. Viuentes, de testam.* latè *Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat. 114. numer. 34. & 35.*

An dentur alij casus vltrà suprà relatos, in quibus Beneficiati culpam contrahant.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiati in ipsa beneficiorum assecutione peccare possunt multipliciter, & primò si illa assequantur maiori excommunicatione alligati.*
2 *Collatio beneficij facta minori excommunicatione alligato, secundum multos non est ipso iure irrita.*
3 *Peccant beneficiati, si suspensi assequantur beneficia, & nulla est ipsorum collatio.*
4 *Peccant irregulares beneficia assequentes, eorumque collatio est inualida.*
5 *Datur beneficium, propter officium.*
6 *Peccant suscipientes beneficia, si cognoscant se esse indignos ex defectu morum, vel scientiæ.*
7 *Omnis infamis, siuè sit de iure, siuè de facto, repellitur à consecutione beneficij Ecclesiastici, & an accusatus, vel denunciatus pendente accusatione, vel denunciatione promoueri non debeat.*
8 *Beneficiatus habere debet literarum scientiã pro qualitate, ac conditione beneficij.*
An sit ipso iure nulla beneficij collatio facta illiterato.
9 *Peccant impetrantes beneficij antè legitimam ætatem, & quæ nam ætas requiratur in beneficijs*

ficijs simplicibus ex iure Tridentini.
Et quis nam ex ead. Trid. *admittendus sit ad Canonicatum, & in qua etate.*

10 *Ad assequenda beneficia duplicia requiritur ætas 22. annorū, si curā nō habeant animaru. Et quam ætatem habere debeat eligendus in Episcopum, in Abbatissam, & Priorissam, in Abbates, Præpositos, Guardianos, &c.*

11 *Non repugnat* Concil. Trid. *consuetudo illa, in multis Ecclesiis vigens assumendi in Canonicum, qui in ætate est 14. annorum.*

12 *Peccant Clerici coniugati beneficia impetrantes.*
An beneficia amittant Clerici antè matrimonium obtenta, licet non fuerit secuta copula. Et an etiam incapaces sint Clerici coniugati administrationis Ecclesiæ.

13 *Peccant multò magis impetrantes beneficia, cum Clerici non sint, cum incapaces sint, nisi prima tonsura initiati.*
An proximè Clericandus præsentari possit ad beneficium.

14 *Peccant Clerici, qui scientes se illegitimos esse, ad Clericum se promoueri faciunt, & beneficia obtinent, incapaces enim sunt citrà dispensationem.*

15 *Episcopus cum illegitimo, etiam spurio dispensare potest, vt ad minores ordines, & simplicia beneficia, quibus Sacerdotium annexum non est, admittatur illegitimus.*
An dispensatus simpliciter ad beneficia, censeatur dispensatus ad beneficia curata, & an dispensatus ad dignitates, censeatur dispensatus ad prælaturam.

16 *Illegitimi Clericorum filij dispensati ad obtinenda beneficia, obtinere non possunt beneficium in Ecclesia, in qua eorum patres beneficium habent Ecclesiasticum.*

17 *Quando beneficium personalem non requirit residentiam, sed ei satisfieri potest per substitutum, potest illegitimus obtinere, licet sit beneficiatus in eadem Ecclesia.*

18 *Peccant Clericorum filij, etiam legitimi, qui citrà dispensationem impetrant beneficia, quæ immediatè anteà obtinuerunt eorum parentes.*

19 *Peccant Clerici in minoribus constituti, obtinentes beneficium curatum absque intentione suscipiendi Sacerdotium.*

20 *Peccant omnes symoniacè obtinentes beneficia, & sunt excommunicati, etiam si symoniam confidentialem committant.*

21 *Symonia crimen reddit symoniacos infames.*

22 *Peccant beneficia impetrantes surreptitiè, nēpè tacita facti veritate, aut expressa falsitate. An id locum habeat in beneficijs surreptitiè impetratis ab ordinario.*

23 *Quælibet licentia, ab ordinario impetrata per surreptionem, erit valida.*

24 *Peccant obtinentes beneficia, non seruata forma, à iure, statuto, consuetudine, vel fundatione præscripta. Et nulla est collatio.*

25 *Peccant obtinentes beneficia, quæ ex fundatione, institutione, statuto, vel consuetudine, aut Priuilegio certo generi personarum sunt conferenda.*

26 *Peccant Regulares, beneficia Secularia scienter obtinentes, & è conuerso.*
An debeant conferri omninò professis, vel satis sit, qui deindè professionem emittant.

27 *Beneficia commendatariorum S. Iacobi, Calatraua, Alcantara, S. Ioannis, & similium, alijs alterius professionis nequeunt conferri.*

28 *Ex vrgenti necessitate, vt quia idonei non reperiuntur, possunt beneficia Secularia, Regularibus, & è conuerso conferri*

29 *Opposita sententia videtur de iure verior circà beneficium Parochiale.*

30 *Qualitas beneficij si sit mutata, & adsit possessio 40. annorum, cum bona fide, ipsa attenditur, & necesse est ostendi posterior status. Sic ex dispensatione Summi Pontificis possunt Regulares ad beneficia Secularia promoueri, promouerique possunt Regulares in Episcopos, tàm in Ecclesiis Secularibus, quàm Regularibus.*

31 *Peccat beneficiatus, qui habens vnum beneficium, etiam simplex sufficiens ad victum pro se, & familia, aliud obtinet.*
An statim assecuto secundo teneatur sub mortali primum resignare.
Et an habita possessione secundi, statim dicatur vacare primum.

32 *Quamuis communiter contrarium seruetur, tam hæc communis obseruantia beneficiatum non excusat, cum sit contra ius naturale.*

33 *De stylo Curiæ Romanæ vbi duo, vel etiam quatuor beneficia simplicia non sufficiant ad commodam, & honestam beneficiati sustentationem, potest illi aliud conferri, donec omnia simul commodè eundem alant.*

34 *Peccat multò magis obtinens duo beneficia simplicia vniformia sub eodem tecto. Et quando dicatur beneficium vniforme sub eodem tecto.*
Et an ex dispensatione ordinarij possit quis obtinere duo beneficia difformia sub eodem tecto.

35 *Peccant beneficiati electi, qui antè confirmationem in beneficiorum administratione se ingerunt, eoque ipso priuantur iure quæsito per electionem.*
Idemque dicendum est de præsentato antè institutionem.

36 *Peccat beneficiatus, qui non habens beneficium sufficiens ad sui sustentationem, scienter, ac dolosè ad ordines sacros procurat promoueri.*
Quid si habeat sufficiens patrimonium, aut pensionem, quæ satis sit ad honestam sui sustentationem.

37 *Qua pœna puniatur Episcopus, Clericos promouens ad sacros ordines contra Concilij decretum.*

38 *Sufficiens beneficium, aut pensio, vel patrimonium illud dicitur, quod satis est ad commodam, & honestam cuiuslibet Clerici sustentationem.*

39 *Habens beneficium etiam curatum insufficiēs ad honestam sui sustentationem, promoueri nō potest, nec tenetur ad sacros ordines ad eius titulum.*
An factus Diaconus, vel subdiaconus absque vero titulo, possit alium ordinem consequi.

40 *Habens beneficium, seu patrimonium insufficiens, ad sacros ordines promoueri non potest, quamuis ex pitantijs, alijsque emolumentis hone-*

honestum victum haberet. Et an ordinari quis possit ad titulum de futuro.

41 *Enunciantur difficultates, circà hanc materiam, quæ resoluuntur per* Garz.

42 *Peccat beneficiatus resignans beneficium, ad cuius titulum fuit ad sacros ordines ordinatus, non facta hac mentione, & an, & quando admittatur hæc resignatio.*

43 *Resignatio facta ab eo, qui aliundè non habet, vndè viuat, nulla est, etiam de beneficio antè Concilium obtento.*

44 *Quæ dicta sunt de resignante, extenduntur quoque ad permutantem beneficiū, ad cuius titulum fuit ordinatus non facta mentione, qui fuit sacris initiatus ad titulū talis beneficij.*

45 *Peccant beneficiati, non dimittentes, vel resignantes beneficia, si delicta commiserint, pro quibus ipso facto imponitur pœna priuationis.*

46 *Lex in bonis communibus, qualia sunt beneficia, & officia publica obligare potest delinquentem ad illa dimittenda antè sententiā.*

47 *Verba illa (ipso iure, ipso facto) satis sunt ad obligandum delinquentem ad dimittenda beneficia antè Iudicis sententiam.*

48 *Assassinus est priuatus beneficio ipso facto, statimque perdit titulum illius, nulla expectata sententia; secus si committatur simplex homicidium.*

49 *Homicida cum beneficium non amittat ipso iure, facit fructus suos, nec tenetur eos restituere antè sententiam.*

50 *Occidens Cardinalem, vel Episcopum ipso iure est priuatus beneficio, sic etiam occidens Prælatum, vel conbeneficiatum.*

51 *Iure communi sodomita non est priuatus ipso iure beneficijs, nec suspensus, nec irregularis efficitur. Secus hodiè attenta Constitutione Pij V.*

An prædicta Constitutio comprehendat tantū exercentes, tam dirum scelus ex continuato vsu, & qui tantùm sodomiticam copulam habent, non verò extrà vas pollNentes.

Et an comprehendat crimen bestialitatis.

52 *Hæretici ipso iure priuantur eorum beneficijs, & eorum bona confiscantur, sic etiam eorum filij, fautores, & receptatores, & num. seq.*

53 *Secundùm* Barbosam *filij, & nepotes hæreticorum non priuantur ipso iure eorum beneficijs.*

54 *Simoniaci tenentur in conscientia eorum dimittere beneficia, quorum titulum ipso facto amittunt, & beneficia vacant.*

55 *Falsificantes literas Apostolicas, vel eis vtentes, beneficiorum titulum statim amittunt, eaque dimittere compelluntur.*

Et quid dicendum de sacrilegis.

56 *Beneficiati, obtinentes beneficia ex resignatione, non publicam intrà tempus præfinitum, dimittere coguntur, aliàs peccant.*

57 *Ex Constitutione Pauli IV. Omnia beneficia illorum, qui pro obtinendis beneficijs se ipsos examini pro alijs supponunt, aut annuas pensiones offerunt, vel ipsa impetrant pro alijs, ipso iure vacant.*

Et etiam excommunicationis vinculo alligantur.

58 *Beneficia offendentium litigantes in Curia Romana, ipso iure vacant, nec in conscientia possunt illa retinere, sed antè omnia sententiam dimittere.*

59 *Beneficia illorum, qui bona Ecclesiæ distrahunt citrà Summi Pontificis assensum, vel qui non incedunt in habitu, & tonsura, vel qui antè confirmationem in beneficij administratione se ingerunt, aut occupant, vel qui violant sequestrum vigore sentētiæ definitiuæ Romanæ Curiæ in causa beneficiati, vacant ipso iure, eorumque titulum statim perdunt.*

Ad euidentiam eorum, quę in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd beneficiati possunt considerari dupliciter, primò, in ipsa beneficiorum consecutione: secundò, considerari possunt post beneficia adepta.

1 Beneficiati igitur in ipsa beneficiorum assecutione possunt peccare multipliciter. Primò, peccant si maiore excommunicatione alligati beneficia assequantur: Est enim excommunicatis interdicta communicatio, atque ideo peccat excommunicatis beneficia conferens, & ipsi excommunicati ea suscipientes, ac retinentes: & insuper conferens ipse, qui scienter beneficia contulit excommunicatis à beneficiorum collatione debet suspendi: & excommunicati ea suscipientes, ac retinentes, si alia beneficia habebant, sunt illis etiam priuandi, vt habetur in tex. *in cap. postulastis*, iuncta *Glos. in vers. Retinere*, quam *Panor.* ibidem declarat, *de Cler. excomm. minist.* Imò collatio excommunicato facta est de iure nullo, vt rectè post alios explicat *Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap. 13. per totum*, vbi hanc materiam multipliciter ampliat, & limitat. Dixi: *Si maiori excommunicatione, &c.* quoniam multi volunt, collationē beneficij factam excommunicato excommunicatione minori non esse ipso iure irritam, sed es-

2 se irritādam, vt patet ex *Doctor.* quos ipse *Garz.* refert, sed non sequitur, *d. cap. 13 num. 30. cum plur. seq.*

3 Secundò, peccant si suspensi beneficia assequantur, & collatio eisdem facta nulla est, vt in *cap. cum dilectus, vers. Quia nobis*, & ibi, *Gl. vers. Cessauimus, de consuet. cap. per inquisitionem*, & ibi, *Glos. fin. in fine*, vbi etiam *Panor. nu. 8. de elect. cap. cum bona*, iuncta, *Glosa, vers. Suspensi, & vers. Postmodum, de ætate, & qualit. Vgolin. de censur. tab. 4. de susp. cap. 6. §. 7. nu. 4. Nauar. in Man. cap. 25. num. 233. Maiol. de irregular. lib. 3. cap. 19 num. 10. Azor. par. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 7. q. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap. 14. num. 1. & 2.* contra *Suar. de censur. disp. 26. sec. 3. num. 8.* dicentem collationem factam suspenso ab officio, seu de ipso electionem, non esse ipso iure irritam, sed irritandam, quæ quidem *Suar.* sententia meritò reijcitur à *Garz. loco citato, & num. 3.* quod suspenso beneficia conferri non possint: & quod præsentatio, ac prouisio ad eiusdem fauorem facta sit nullius momenti, adducit *decis. Rotæ Rom. in vna Milit. Abbatia 24. Ian. 1590. coram D. Gypsio*, quam refert de verbo ad verbum: & testatur fuisse cōfirmatam 17. *Aprilis* 1592. *coram eodem*, vt patet ex *Farin. decis. 89.* & idem fuisse resolutum in illa *Vrgellen. Canonicatus*, 3. *Martij* 1595. Quæ diximus de suspenso, extendimus quoque

ad

ad interdictum personaliter: is enim est quoq; beneficiorum incapax, vt per *Glos. in cap. tanta, vers. Irritas, de excessib. Pralat. Vgol. de censur. tab. 5 cap. 3. §. 1. num. 2. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 34. num. 116. Azor. par. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 7. q. 2. & Garz. d. cap. 14. num. 5.* vbi *num. 7. &* 8. ex hoc infert, quod collatio beneficij facta concubinatijs, seu fornicarijs notorijs, est nulla: nam hi suspensi sunt ab officio, & eorum officia audire est prohibitum, *c. nullus, cap. prater, & cap. si qui sunt, 32. d.* Sic etiam per saltum promotis, cùm sint suspensi ad beneficia obtinenda sunt inhabiles, donec dispensetur, vt per *Barb. de offic. & potest. Episc. allegat.* 47. *num.* 4. vbi *num.* 5. tractat etiam à quo valeant dispensari.

4 Tertiò peccant irregulares beneficia assequentes, & eorum collatio est inualida, vt in *cap. fin. in fin. de Cler. pugnant. in duello, cap. 2. de Cler. non ordin. ministr. cap. fin. in sua ratione*, in illis verbis: *pro eo quod, &c. de Cler. excom. ministr. Felin. in cap. inquisitionis, num. 7. de accusat. Nauar. in Man. cap. 27. sub nu. 249. aliàs num. 251. Henriq. in summ. lib. 13. cap. 14. §. 1. & cap. 56. §. 1.* & alii, quos refert, & sequitur *Garz. de benefic. Eccl. par. 7. cap. 11. num. 1. cum plur. seq.* contra non nullos ab eodem relatos, arbitrantes collationem beneficii factam irregulari non esse irritam ipso facto, sed valere, donec irregularis ipse priuatur, quorum sententia non est tuta, sed contra communem. Vndè Homicida si beneficium obtineat, in ipsa beneficii collatione peccat, & collatio nulla est. Da-
5 tur enim beneficium, propter officium, vt sæpè diximus: at irregularis impeditur ab officio; ergò non potest consequi beneficium, *arg. tex. in cap. 3. & cap. diuersis fallacijs, de Cler. coniugat.* latè *Garz. d. cap. 11. per totum*, vbi sufficiēter quoque tractat, an, & quando homicida possit dispensari ab Episcopo ad beneficium obtinendum. Idem dicendum est de corpore vitiatis, qui corpore insigniter deformati sunt, ità vt sine notabili horrore, aut scandalo ministri Ecclesiastici esse non possunt: siquidem isti sunt irregulares; atque ideò non solùm ad sacros ordines, & beneficia, quæ sacrum ordinem exigūt, sed nec ad minores, & ad primam tonsuram possunt promoueri, vt rectè post alios declarat *Garz. loco citato, cap. 12. per totum*, vbi latè hanc materiam pertractat. Denique bigami, quoniam irregulares sunt, beneficia citrà culpam non assequuntur, vt per *Garz. ibidem, cap. 5.*

6 Quartò peccant suscipientes beneficium, si cognoscant se indignos ex defectu morum, aut scientiæ. Exigitur enim ex parte suscipientis beneficium morum probitas, vt in *cap. cùm in cunctis, de elect. cap. graue nimis, de praben. & clem. 1. de atate, & qualitate, Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. de reform.* huius autem conditionis potissima ratio habenda est in iis, quibus beneficia Ecclesiastica conferenda sunt, vt inquit *Less. lib. 2. de iust. & iure, c. 34. dub. 23. Laym. lib. 4 sua summ. tr. 2. cap. 14. sub num. 8. versic. Quinta qualitas, & Garz. de benefic. Eccles. p. 7. cap. 8. sub num. 1.* vbi valdè dolet, videns de hoc hodiè parum curari, & fieri informationē, propter formam. Debet enim talis esse promouendus, vt eius opinio in nullo vacillet, *arg. tex. in cap. Laici, 33. d.* nulla notetur infamia, *cap. fin. de furt. Coras de benefic. 3. p. cap. 6. num. 8.* cùm infamibus portæ non pateant dignitatis, vt in *cap. infamibus, de regul. iur. in 6.* vbi per dictionem illam, dignitatis, intelligitur quodlibet beneficium, vt per *Abbat. in cap. querelam, de iure iur. & in cap. super eo, num. 2. & 5. de elect.* & omnis infamis, siuè de iure sit, siuè de
7 facto, repellitur consecutione beneficij Ecclesiastici, vt habetur ex *Garz. loco citato, num. 5.* qui ob id ait *num. 6.* quòd accusatus, seu denunciatus de aliquo crimine, interim pendente accusatione, seu denunciatione non est promouēdus, vt in *l. reus, ff. de muner. & honor. l. reum criminis, C. de procur. & l. vnica, C. de reis postul. lib. 10.* Quod tamen intelligendum esse, inquit *Garz.* quando accusatus, seu denunciatus est infamatus apud homines bonos, & graues; aliàs secus, atque ideò accusatio, seu denunciatio non impedit promotionem, vt per *Hostiens. & Ioann. Andr. in cap. meminimus, de accusat.* cùm alijs, quos ipse *Garz. allegat loco citato*, vbi rectè declarat, quæ nàm sit infamia facti, & quæ iuris, & quando impediant collationem benefic j, & faciant aliquem irregularem: & an, & quando priuent beneficio iàm collato.

8 Quæ diximus de cognoscentibus se indignos ex defectu morum, extendimus ad cognoscentes se indignos ex defectu scientiæ, seu litteraturæ: hi quoque peccant beneficia assequentes. Debet enim beneficiatus habere litterarum sciētiam pro qualitate, ac conditione beneficij, vt in *cap. cùm in cunctis de elect. cap. graue nimis, & cap. venerabilis, de prabend. clem. 1. de atate, & qualit. Conc. Trid. sess. 24. de refor. cap. 18. Laym. lib. 4. sua summ. tr. 2. cap. 14. sub num. 8. vers. Sexta est. Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap. 7. num. 24. 25. & per totum.* Imò non desūt, qui velint, quòd beneficij collatio facta illiterato sit ipso iure nulla, vt habetur ex *Innoc. & Panor. in cap. cùm in nostris, de concess. praben. Felin. in cap per tuas, de simon. Rebuff. de pacif. possess. à num 261. Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 34. num. 129.* & ex alijs apud *Garz. loco citato, num. 13.* qui tamen *num.* 14. ait de ijs illiteratis esse intelligendum, qui penitus sunt illiterati, & imperiti, ità vt nesciant legere; non autem de non habentibus competentem scientiam aptam, condignam, & idoneam beneficio: licèt enim defectus scientiæ competentis reddat collationem iniustam, non tamen reddit nullam, vt in *cap. fin. de atat. & qualit. & Concil. Trid. sess. 7. de reform. cap. 3.* ibi (*irritetur.*)

9 Quintò peccant impetrantes beneficia antè legitimam ætatem. Etenim in beneficijs simplicibus impetrandis, licèt de iure communi septennij completi ætas satis erat, cùm septenni possit conferri prima tonsura, & minores quoque ordines, vt per *Glos. in cap. si eo tempore, in vers. Ætatem*, vbi etiam *Franch. & alij, de rescrip. in 6.* hodiè tamen ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.* non sufficit minor ætas, quàm 14. annorum saltem inchoata, vt patet ex illis verbis in principio capitis positis: *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus antè decimumquartum annum beneficium possit obtinere.* Quod

tamen

tamen verum est; nisi in fundatione beneficij aliter fuerit cautum, quoniam id erit seruandũ, vt per *Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap. 4. à num. 4. ad 15.* vbi plures declarationes Sacræ Congregationis Cardinalium affert, *Laym. lib. 4. sua sum. Theol. tr. 2 cap. 14. sub num. 1. Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat. 60.* vbi latè hanc rem pertractat, & alij. Est tamen verum, quòd ex *Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 12.* specialiter statutum extat, vt nullus ad Canonicatum, vel dignitatem admittatur, nisi eo ordine insignitus sit, quem beneficium illud expostulat; atque ideò cùm in Ecclesijs Cathedralibus Canonici omnes saltem Subdiaconi esse debeant, vt in eodem Concilij capite fuit decretũ, hinc fit, vt nemo in Ecclesia Cathedrali Canonicatum obtinere possit, nisi eam ætatem fuerit assecutus, vt intrà tempus à iure statutum, nempè, vt intrà annum Subdiaconus ordinari valeat; & sic si saltem vigesimum primum annum attigerit, vt patet ex ipso *Concilio d. c. 12. §. neminem etiam*, iuncta *sess. 22. de reform. cap. 4.* Ad Canonicatum autem non habentem annexum ordinem sacrum, in Ecclesia collegiata satis est ætas annorum quatuordecim, sicut hæc ipsa ætas sufficit pro impetrandis alijs beneficijs simplicibus, vt per *Azor par. 2. instit. moral. cap. 6. q. 5. vers. Verum, Less. lib. 2 de iust. & iur. Garz. loco citato, nu. 39.* & alios apud *Layman. d. cap. 14. sub num 1. vers. Porrò specialiter:* vbi addit, quòd eiusmodi Canonici vocem non habent in Capitulo, vt habetur in *Concil. Trid. d. sess. 22. de reform. cap. 4.* ità se habente: *Quicunque in Cathedrali, vel collegiata Saculari, vel Regulari diuinis mancipatus officijs, in Subdiaconatus ordine saltem constitutus nõ sit; vocem in huiusmodi Ecclesijs in Capitulo non habeat, etiam si hoc sibi ab alijs liberè fuerit concessum.* Sed circà rem hanc ait, idem *Laym.* ibi, esse quoque attendendas speciales Ecclesiarum Constitutiones, Consuetudines, & Priuilegia; quibus adde, quæ habentur per *Barbos. d. alleg. 60.*

10 Ad beneficia verò duplicia assequenda, si curam animarum non habeant annexam, vt sunt quædam dignitates, & personatus, expostulatur ætas 22. annorum, vt in *Conc. Trid. d. sess. 24. de reform. cap. 12.* in illis verbis: *Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & 22. annorum non minores asciscantur.* Ex qua Concilij loquendi forma, eò casu prædicti 22. anni exiguntur completi, vt rectè aduertit *Laym loco citato, vers. Quod verò.* Ad curata deindè beneficia, vt quis valeat promoueri oportet, vt attingat 25. annum, vt patet ex *d. cap. 12. Conc. Trid.* ibi: *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascumque, quibus animarum cura subest promoueatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, &c.* Debet tamen in Episcopalem dignitatem eligendus habere 30. suę ætatis annos completos, vt in *cap. cùm in cunctis, de electione*, in illis verbis: *Vt nullus in Episcopum eligatur, nisi, qui iam 30. annum ætatis exegerit, &c.* qui sex. fuit confirmatus per *Conc Trid sess. 22. de refor. cap. 2. & sess 24. de reform cap. 1.* Et quamuis de iure totidem suæ ætatis annos expostulet eligenda in Abbatissã, seu Priorissam, vt in *cap. indemnitatibus, de elect. in 6.* hodiè tamen per *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 7.* requirit 40. annos, & alias conditiones per illud ità decretas: *Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita appelletur, eligatur non minor annis 40. & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quòd si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, ex ijs, quæ in eodem Monasterio annum 30. excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Superiore consentiente, eligatur.* Abbates denique, Præpositi, Guardiani, & alij similes Regulares satis est si 25. annum attingerint, iuxtà *d. cap. 12. Conc. Trid. sess. 24. de reform.* eò quòd curam habent animarum.

11 Illud nolui circà rem hanc esse prætereundũ, quod idem *Laym. loco citato*, resoluit in *versic. Quæstio hoc loco: & vers. Respondendum videtur*, dum probat non esse *Concilio Tridentino*, repugnantem consuetudinem illam, quæ in multis Ecclesijs viget, vt ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium assumantur, qui 14. ætatis annum attigerunt, cùm obligatione recitandi diuinum officium: & vt interim redditus beneficij integros, aut dimidiatos percipiant, donec eorum studijs absolutis, Diaconi fieri possint, & ad Capitulares actus admitti, iuxta *clem. vt ij de ætat. & qualit.*

12 Sextò peccant Clerici coniugati beneficia impetrantes: debent enim sine vxore esse Ecclesiastica beneficia impetrantes, vt in *cap. 1. cap. diuersis fallacijs, & cap cum decorem, de Cler. coniugat. cap vnico, vers. In cæteris autem, eod. tit. in 6. Lambert. de iurepatr. par. 1. lib. 2. qu. 7. ar 3. & Sanch. de matr. lib. 7. disp. 42. num. 14. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 34 dub. 11.* Imò Clerici coniugati adeò sunt beneficiorum incapaces, vt etiam beneficia antè matrimonium obtenta ipso facto amittant, licèt non fuerit subsecuta copula, vt in *d. cap. 1. cap. diuersis fallacijs*, & ibi, *Glos. Sanch. loco citato, à num. 4.* & alij, quos refert, & sequitur *Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap. 5. & par. 1. cap 8. in princ.* vbi id ampliat etiam in administratione Ecclesiastica, nempè, quæ personæ Ecclesiasticæ assignatur: huius enim Clerici coniugati sunt incapaces licèt non sit beneficium, vt probat *Cæsar de Graff dec. 114. & alij.* Nec cum coniugatis potest dispensare Episcopus, vt beneficiorum sint capaces: quia Episcopus non potest dispensare contra ius, nisi in casibus à iure expressis, vt habetur ex *Garz. d cap. 5 num. 4. & 5. & par. 11. cap. 5. num 344. & cap 8 num 2.* addit, quòd per matrimonium perdit Clericus, accessus, regressus, & alia iura ad beneficium competẽtia.

13 Septimò multò magis peccant impetrantes beneficia, cùm Clerici non existant: siquidem qui Clericus non est, atque ideò saltem prima tonsura initiatus, incapax est beneficij Ecclesiastici, vt in *cap cùm adeò*, & ibi, *Glosa in verb. Clericus, de rescrip Laym lib. 4. sua summ. tr. 2. cap. 14. sub num. 1 in fin. & 2.* & alij Doctores communiter. Ex quo infert *Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap 1 num 25.* quòd nulla est

præſentatio abſolutè facta ad beneficium aliquod, ſi tempore præſentationis præſentatus, & Epiſcopo exhibitus erat Laicus; etiam ſi erat proximè Clericandus, vt rectè contra quoſdam probat, idem *Garz. loco citato, num.* 26. vbi tamen *num.* 27. *& ſeq.* id limitat, quando proximè Clericandus expreſsè, vel tacitè præſentaretur in tempus, quo eſſet Clericus, vt benè, idem *Garz. declarat*. Verùm tamen eſt, quòd quædam beneficia dantur, quæ de iure, conſuetudine, aut propria fundatione ordinem ſacerdotalem expoſtulant: quædam Diaconatum, aut Subdiaconatum. At iure communi non oportet inſtituendum actu habere expoſtulatum ordinem; ſed ſatis eſt ſi intrà annum iuſto impedimentò ceſſante ſe faciat promoueri, vt habetur in *clem.* 2. *de ætate, & qualit. Gloſ. in cap. præterea, verſ. Breue tempus, eod. tit. & Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *de reform. cap.* 4. Vndè ſi quis ad Cappellaniam præſentetur, quæ exigat Sacerdotium, ſatis eſt, ſi infrà breue tempus Sacerdotium ſuſcipiat, vt habetur ex *Laym. loco citato*. Epiſcopus tamen, cùm eligitur debet eſſe ſaltem Subdiaconus, *cap. à multis, de ætat. & qualit. &c.* Quibus adde, quæ cumulata fuerunt per *Garz. d. cap.* 1. *num.* 40. *cum plurib. ſeq.*

14 Octauò peccant Clerici, qui ſcientes ſe illegitimos eſſe, ad Clericatum ſe promoueri fecerunt, & beneficia Eccleſiaſtica obtinuerunt: debent enim ad beneficia promouendi legitimi eſſe ex legitimo matrimonio nati: ſiquidem ſpurij, & alij illegitimi beneficiorum, & ordinum, imò, & Clericatus citrà diſpenſationem ſunt incapaces, vt in *cap. litteras, cap. finali, de filijs Presbyt. & cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *de reform. cap* 20. latè *Garz. de Benefic. Eccleſ. par.* 7. *cap.* 1. vbi *num.* 10. contra non nullos id ampliat, etiam in expoſitis: nam quamuis aliqui legitimi quoque exponantur, id tamen rarò accidit, & proptereà ſi dubitetur, an expoſitus ſit legitimus, eſt iudicandus illegitimus, cum expoſiti pauciſſimi ſint legitimi, vt experientia docet, & iura adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt, *l. nam ad ea ff. de legib.* & in dubijs tutior pars eſt eligenda, *cap. illud, de Cler. excomm. miniſtr.* ſi maximè dubium eſt facti, & agitur de irregularitate; atque ideò in dubio homicidij cenſeri quis debet irregularis, vt in *cap. ſignificaſti, il* 2. *& cap. ad audientiam, de homicid.* Putat tamen *Garz. loco citato, nu.* 11. contrariam ſententiam poſſe admitti poſt factũ, propter auctoritatem Doctorum eam tenentiũ, & declinantium in fauorem prolis, iuxtà *tex. in cap. ex tenore,* ibi: *In fauorem prolis potius declinamus, &c. qui filij ſint legit.* Etenim ſententiam illam ob eam rationem, docent *Anan. in cap.* 1. *num.* 11. *de infant. expoſ. Felin. in c. cùm deputati, num.* 1. *de iudic. Menoch. de arbitrar. caſu* 396. *Rodriq. Salas*, & alij apud eundem *Garz. d. cap.* 1. *num.* 7.

15 Eſt tamen adnot. quòd Epiſcopus cum illegitimo etiam ſpurio diſpenſare poteſt, vt ad ordines minores, & ad beneficia ſimplicia, quibus Sacer ordo annexus non eſt, admittatur: ad dignitates verò, ſeu perſonatus, & ad beneficia curata non poteſt; ſed ſolus Papa, vt in *cap. fin. de filijs presbyt.* iuncto *cap.* 1. *eod. tit. in* 6. vbi latè *Gloſa, & Doctor. Rebuff in praxi, tit. de diſpen. ſuper defect. Natal. Leſſ. lib.* 2. *de iuſt. & iure, c.* 34. *dub.* 18. *& Laym. lib.* 4. *ſua ſumm. tract.* 2. *cap.* 14. *ſub num.* 3. vbi etiam addit, quòd illegitimus diſpenſatus à Papa, aut eius Legato, vt ad ſacros ordines promoueri poſſit, licèt non hoc ipſo cenſeatur ad beneficia quoque diſpenſatus; tamen accedente Epiſcopi diſpenſatione, ad quæuis ſimplicia beneficia, etiam Eccleſiæ Cathedralis Canonicatum, niſi Eccleſiæ conſuetudo ſit in contrarium admitti poteſt. Non tamen illegitimus diſpenſatus ſimpliciter ad beneficia, cenſetur diſpenſatus ad beneficia curata; quoniam in ijs maior habilitas expoſtulatur, vt in *cap. cùm in illis, de prębend. in* 6. Nec ad dignitates, & perſonatus, quæ ſub communi beneficiorum appellatione non comprehenduntur. Neque ad Eccleſiæ Cathedralis Canonicatum, *arg. tex. in c. quamuis* 1. *de pręben. in* 6. & id ob ſpecialem Eccleſiæ Cathedralis honorem, vt habetur per *Doctor. in d c. quamuis, & Laym. loco citato, num.* 4. vbi probat etiam, quòd diſpenſatus ad beneficia quæcunque, etiam dignitates, non cenſetur diſpenſatus ad Prælaturam, vt in *d. cap cùm in illis, de pręben. in* 6. Nec ad dignitatem in Eccleſia principalem, & multò minus ad Cardinalitiam, vt per *Maiol. de irregular. lib.* 1. *cap.* 9. Poteſt tamen ſic diſpenſatus promoueri ad maiores ordines, & Eccleſiam Parochialem: ſiquidem dignitas, ſeu perſonatus, & beneficium curatum inter ſe æquiparantur, vt in *cap. dudum,* 2. *de elect. & Laym. ibidem*, poſt *Rebuff. & Garz.* referentes, praxim hodiè Romanæ Curiæ eſſe, vt cum illegitimis diſpenſetur ad obtinenda beneficia quæcunque, præter dignitates, ac Canonicatus in Cathedralibus, & principalem in collegiata.

16 Imò illegitimi Clericorum filij quamuis diſpenſentur ad obtinenda beneficia omnia; non arbitror cenſeri eos diſpenſatos ad obtinendum beneficium in Eccleſia, in qua eorum Patres beneficium Eccleſiaſticum habent, vel habuerunt, iuxtà *tex. in cap. ad præſentiam, & cap. cùm decorem, de fil. preſbyt.* & iuxtà decretum *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de reform. cap.* 15. ità ſe habentis: *Vt paternę incontinentię memoria locis Deo conſecratis, quos maximè puritas, ſanctitaſque decet, longiſsimè arceatur, non liceat filijs Clericorum, qui non ex legitimo nati ſunt matrimonio, in Eccleſiis vbi eorum patres beneficium aliquod Eccleſiaſticum habent, aut habuerunt, quodcunque etiam diſſimile beneficium obtinere, nec in dictis Eccleſiis quoquo modo miniſtrare, nec penſiones ſuper fructibus beneficiorum, quę parentes eorum obtinent, vel aliàs obtinuerunt, habere, &c.* Etenim, vt illegitimi huiuſmodi cenſeantur diſpenſati ad obtinendum beneficium in Eccleſia, in qua eorum parentes beneficia habent, vel habuerunt, debet derogari ipſi *Concilio Trid.* faciendo mentionem ipſius *Concilij* ſpecialem, ac indiuidualem, vel Conciliorum in genere, vt nos adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnę, lib.* 3. §. 2. *q.* 11. *nu.* 44. vel ſecundum *Addentes ad d. q.* 11. *litt. B.* derogatur *Conc. Trid.* per ſolam clauſulam: *Nõ obſtantibus, &c.* eò quòd decreta *Conc. Trid.* fuerunt edita, ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Eſt tamen verum, quòd iura illa, & *Concilium*, quæ loquuntur de filijs Clericorum, nõ exten-

extenduntur ad Clericorum nepotes; quoniam in pœnalibus appellatione filiorum non veniūt nepotes, vt per *Bart. in l. liberorum, ff. de verb. significat.* & ratio abolendi memoriam incontinentiæ patris magis militat in filio, quàm in nepote ex filio, aut filia. Nec etiam *Concilium loco citato*, per illa verba: *Quoquo modo ministrare, &c.* censetur prohibere quancumque administrationem dictis Clericorum filijs illegitimis in Ecclesijs, in quibus eorum patres habent beneficia: sed censetur prohibere illis ministrationem ex officio, & ob stipendium; atque ideò huiusmodi filij non prohibentur ex deuotione cantare, aut Missam celebrare in ipsis Ecclesiis, vt contra *Nauar.* docet *Garz. de benefic. Eccl. par. 7. cap. 3. num. 70.* vbi etiam *nu. 71.*

17 addit, quod quando beneficium, ratione cuius acceditur certis diebus ad Cathedralem non requirit residentiam personalem, sed potest satisfieri per substitutum, posset illud filius illegitimus obtinere, licèt pater esset beneficiatus in Ecclesia Cathedrali, vel alia Ecclesia, ad quam acceditur: quoniam tunc posset ministrare per substitutum. E contra denique filius illegitimus non prohibetur ministrare, & habere beneficium in Ecclesia, in qua pater ministrauit, & inseruiuit, etiam tanquam Cappellanus, non tamen habuit titulum beneficii, vt per eundem *Garz. ibi, num. 72. & Laym. loco citato, sub nu. 5. vers. Præterea.* Nec denique prohibentur pater, & filius illegitimus in eadem Ecclesia Missam celebrare, cùm non habeant beneficium: sicut nec simul in eadem domo habitare, vt testatur idem *Garz. vbi suprà, num. 73. & 74.* per Sacram Congregationem in vtroque casu fuisse declaratum, referens declarationes de verbo ad verbum. Quibus adde, quæ habentur ex *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 65. à num. 1. vsque ad num. 16.*

18 Nonò peccant filii Clericorum legitimi, citrà dispensationem impetrantes beneficia, quæ immediatè anteà obtinuerunt eorum parentes: non enim filii Clericorum etiam legitimi possunt immediatè in eodem beneficio succedere, vt in *cap. ad extirpandas, de fil. presbyt. & Concil. Trid. sess. 25. de reform. cap. 7.* rationem assignando ita decernit: *Cum in beneficijs Ecclesiasticis, ea, quę hereditarię successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria, nemini in posterum, &c.* Ob eandem rationem non licet pariter, vt filius sit Vicarius illius Ecclesiæ, in qua pater proximus fuit Rector, vt in *cap. Michael de fil. presbyt.* Imò supradicta ratio non modò militat in filio, qui immediatè succedit beneficio patris; sed etiam in nepote, qui immediatè succedit beneficio Aui: siquidem nepos succedit Auo in locum patris demortui: & cùm dispositio sit Ecclesiæ fauorabilis, appellatione filiorū veniunt nepotes ex filio. Ità *Glosa in d. cap. ad extirpādas, in vers. filii presbyterorum. Rebuff. de dispens. super defect. Natal num. 17. Syl. ver. Beneficium, 3. q. 6. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 34 num. 91 & Laym. lib. 4. suę summ. tr. 2. cap. 14. sub num. 8.* contra *Garz. & alios.* Non tamē prohibetur filio præesse Ecclesiæ, in qua pater sine titulo ministrauit, vt in *cap. constitutus, de fil. presbyter.* Nec è conuerso de iure prohibitū reperitur, patrem filio legitimo, seu illegitimo, mediatè, vel immediatè in beneficio succedere; licèt non possit impetrare beneficium in Ecclesia, in qua eius filius illegitimus de facto est minister, vel beneficiatus, iuxtà ea, quæ traduntur à *Garz. loco citato, num. 30* & ab eodem *Laym. vbi suprà, vers. Verumtamen.* His adde, quæ habentur ex *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg. 65. à num. 16.*

19 Decimò peccant Clerici in minoribus constituti Parochialem Ecclesiam, seu curatum beneficium obtinentes, citrà intentionem suscipiendi Sacerdotium intrà annum; sed illud renunciandi: & insuper tenentur ad fructus restitutionem, vt de hac re latè suprà egimus *disput. 10. sec. 2.* de Parochis agentes, vbi id ampliauimus in suscipiente beneficium simplex habens annexam obligationem sacri ordinis; nempè Cappellaniam Sacerdotalem. Et multis alijs modis ampliauimus, ac limitauimus.

20 Vndecimò peccant simoniacè beneficia obtinentes, & insuper sunt excommunicati excommunicatione Papæ reseruata, & eorum collatio est ipso facto nulla, & irrita, ità vt ad ea nullum ius acquirant, & ad eorundem fructuum restitutionem obligentur, vt in *extrauag. cùm detestabile, de simon. in extrauag. commun.* quam Pius V. confirmauit per constit. 5. quæ incipit, cum primum, § 8. qui insuper addit perpetuam inhabilitatem ad ea, & quæcunque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda: & idem fuit statutum de iis, qui simoniacè dignitates Ecclesiasticas acquisiuerunt. Imò, qui crimen huiusmodi pluries cōmisisse conuictus fuerit, præter supradictas pœnas, etiam corporaliter per dictam Piatam punitur, & ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium consortio ejcitur. Quibus adde, quæ habentur ex *Garz. de benefic. Eccles. par. 8 cap. 1. à num. 70. ad 74. & Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 50. num. 138.* vbi etiam tractant de recipientibus beneficia Ecclesiastica palàm, aut occultè in confidentiā, atque ideò de simonia confidentiali, de qua Pius IV. constit. 85. edita die 16. Nouembr. 1564. & latius Pius V. constit. 85. incipit, Intolerabilis, emanata kal. Iunij 1569. quę quidem constitutio cum priuet committentes simoniam confidentialem beneficijs obtentis, & reddit inhabiles ad futura, consequenter huiusmodi simoniaci efficiuntur irregulares, vt asseruit idē *Garz. loco citato* post alios *sub num 65.* liquidè præcipuus effectus irregularitatis, est, priuare obtentis, & inhabilem reddere ad futura: quæ quidem irregularitas cum non reperiatur in iure expressa pro simonia reali, aut conuentionali, idcircò *Garz. ibidem, num. 66. cum plur. seq.* probat pro simonia reali, aut conuentionali non incurri irregularitatem, nec ipso iure suspensionem in beneficio, quod quomodo verum sit, per ipsum rectè declaratur.

21 Adde, quod simoniæ crimen simoniacos reddit infames, vt in *cap. fin. 1. q. 3. Glosa in cap. 1. de testib. in 6. vers. Mediatores, cap sanè, 15. qu. 3 Panor. in ex diligenti, vbi Glosa, de sim. lib. 6. & Panor. ibi*, licèt velit, simoniacos non incurrere iuris infamiam ipso facto, sed cum per sententiam de huiusmodi crimine fuerint damnati; posse tamen incurrere infamiam facti. Nec

obstat, quòd crimen simoniæ equiparatur hæresi, & est exceptuatum, sicut crimen hæresis; & læsæ Maiestatis, vt in *d cap. sanè*, in quibus statim incurritur infamia, vt per *Glos. in l. 1. ff. de his, qui not. infam. & in auth. Gazaros, Cod. de heret.* quoniam rectè respondet *Garz. loco citato*, quòd simile non est idem, & in pœnis non fit extensio, & propterea *Panorm.* sententiam secutus *num. 61.* & aliorum, addit non satis esse, sequutam esse sententiam super crimine simoniæ, nisi in ea ponatur pœna infamiæ, saltem si ad alias pœnas fuerit processum. Est tamen verum, quòd pœna inhabilitatis ad alia beneficia, quæ imponitur pro simonia reali, extendit etiã ad simoniam conuentionalem, pro qua re allegat nonnullas Rotæ decisiones, & Doctores *num. 63.* Non tamen simonia mentalis inducit nullitatem, nec obligat ad resignationem beneficij, aut restitutionem, vt in *cap. fin.* & ibi *Doctor. de sim.* & alij, quos refert, & sequitur, idem *Garz. ibidem, num. 46. cum plur. seq.* vbi contraria soluit.

22 Duodecimò peccant obtinentes beneficia in ipsa beneficiorum assecutione, si ea surreptitiè impetrent, nempè tacita facti veritate, aut expressa falsitate: & insuper collatio nulla est, vt in *cap. cùm adeò. de re iud.* Etenim surreptio irritat gratiam ipso iure, vt in *cap. ad aures, & c. constitutus, de rescr. cap. si motu proprio, de preben. in 6. & clem. 1. vers. Gratiam huiusmodi, eod. tit. Rebuff. in praxi, tit. de different. inter rescripta gratiæ, & iust. num. 1. Panorm. in cap. ad audientiam, il 2. num. 14. de rescrip. Garz. de benefic. Eccles. par. 8 cap. 3. nu. 1.* cum alijs, quos allegat: vbi tamen *num. 2.* id locum sibi vendicare in beneficijs surreptitiè impetratis à Papa, aut eius Legato; secus autem in beneficijs surreptitiè impetratis ab ordinario: siquidem in ordinario non datur surreptio; atque ideò prouisio, ac collatio beneficij facta ab ordinario non potest impugnari ex capite surreptionis; eò quòd dicitur prouidere motu proprio, vt in *clem. 2.* & ibi, *Cardin. in fin. de offic. ordin. Panorm. in cap. cum nostris, num. 19. de concess. preb. Felin. in d. c. ad aures, n. 15. Azor. p. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 28. q. 23. Selua de benefic. 3 p q. 12. qual. 13 nu. 19. seu 58.* qui id subliinitat non procedere quando Episcopus dispensauerit cum illegitimo in pluralitate beneficiorũ simplicium, supponens hanc facultatem habere Episcopum; quam tamen negat *Garz. par. 7. cap. 2. num. 30. & d par. 8. cap. 3. sub num. 5. in fine*: vbi etiam *num. 6.* ampliat, quæ suprà diximus de surreptione, coram ordinario, circà impetrationem beneficiorum habere locum quoque in qualibet gratia concessa ab ordinario, vt non vitiatur ex capite surreptionis, contra *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 21. num. 4. & Suar. de Relig. tr. 6. de voto, lib. 6. cap vlt à num. 14.* Vndè infert ipse *Garz. ibi, numer. 7. cum plur.*

23 *seq.* quòd quælibet licentia ab ordinario per surreptionem impetrata erit valida, quamuis obtinens decipiendo peccet: atque ideò absolutio excommunicationis ab ordinario, vel ab alio inferiori extorta ex falsa causa ipsius absolutionis, & cum mendacio, vt quia falsò dixit, se satisfecisse, est valida. *Franch. in cap. venerabilis, §. sanè, num. 2. de sent. excomm. in 6. Nauar. in cap. Alma mater, 1. p. §. 11. num. 14. Nauar. in Man. cap. 27. num. 38.* & alij, contra non nullos contrarium sentientes; quorum sententiam inquit procedere in absolutione facta ex falsa causa excommunicationis; nempè cùm, excommunicatus ob aliquam causam, ea non expressa, sed alia, obtinet absolutionem; quoniam tunc absolutio non valet, & remanet ex vera causa excommunicatus.

24 Tertiodecimò peccant obtinentes beneficia Ecclesiastica in ipsa beneficiorum assecutione, si ea obtineant, non seruata forma à iure, statuto, consuetudine, vel fundatione præscripta. Etenim collatio beneficij, prædicta forma non seruata, est nulla, non solum quoad forum exterius, vt habetur ex *Puteo decis. 338. lib. 1.* cùm forma non seruata, corruat actus, vt per *Felin. in cap. cum dilecta, de rescript. Ias. & alios in l. cùm hi, §. si Prator, ff. de transact.* Sed etiam quoad forum conscientiæ, in quo citrà culpam non potest acceptari, nec retineri beneficium, collatum, non seruata forma, vt suprà, vt habetur ex *Couarr. in reg. peccatum, par. 2. §. 3. nu. 9. Molin. tom. 1. de iustit. & iur. tr. 2. disp. 81. circà fin. vers. Ad dictum Innocentij*, contra non nullos quos refert, sed non sequitur *Garz. de benefic. Eccles. par. 9. cap. 1. num. 3. & 8.* vbi determinat solemnem illam controuersiam, an actus nullus de iure positiuo sit etiam nullus in foro conscientiæ, & tenet partem affirmatiuam, cùm *Innoc. in cap. quia plerique, de immunit. Eccles. Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap 9. dub. 2. Petro Nauarr. de restit. lib. 3. cap. 1. num. 350.* & alijs. Etenim omnis lex iusta non fundata in falsa præsumptione est seruanda in foro consciẽtiæ, vt rectè declarat, idem *Garz. post Salon. loco citato*, cui nos remittimus.

25 Quartodecimò peccant obtinentes beneficia in ipsa beneficiorum collatione, quæ ex fundatione, institutione, statuto, consuetudine, vel priuilegio certo personarum generi debentur. Etenim huiusmodi beneficia illis tantùm sunt conferenda, & non alijs, cùm ob id collatio eorum dicitur necessaria, vt habetur ex *Rebuff. in praxi, tit. de collat. num. 1. Puteo dec. 100. num. 3. lib 3. & decis 235 lib. 2.* Vndè si fundator velit beneficia conferri naturalibus loci, aut eius consanguineis, citrà culpam non potest extraneus ea sibi impetrare, quoniam eiusmodi leges potest fundator, seu testator in fundatione, & institutione benefic ij apponere, *arg. tex. in l. in traditionibus, ff. de pact. Rocch. de iurepatr. verbo, Honorificum, q. 18. ad fin. Couarr. in regul. peccatum par. 2. §. 7. num. 5. Azor. par. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 4. q. 25. Garz. de benefic. Eccl. par. 9. cap. 15 sub num 3. cum plur. seq.* vbi pro hac re vltra quamplurimos Doctores, quos allegat, adducit *decis. Rota Rom. in vna Cesaraugustana Cappellania, 16. Martij 1587. coram Seraphino.* Imò collatio, seu præsentatio aliter facta est nulla, contradicente, ac opponente aliquo ex consanguineis, aut ex naturalibus locis, aliàs secus, vt rectè declarat idem *Garz. loco citato, numer. 6. 7. 8. 9. & 10.* quibus adde, quę cumulat, idem *Garz. eod. tract. par. 7. cap. 9. per totum.*

26 Quintodecimò peccant Regulares beneficia Secularia scienter obtinentes: & è conuerso Secu-

culares beneficia regularia: id enim est de iure prohibitum, vt in *cap. cùm de beneficio, de praeben. in 6. Clem. vnica, de supplen. neglig. Pralat. & in Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap. 10. Rebuff. in praxi, tit. Regularia beneficia multiplicia, num. 1. Corras. de benefic. par. 1. cap. 5. nu. 6. Zerola in praxi Episcop. par. 2. vers Beneficiũ, §. 12. & 19.* & alij. Siquidem incongruum est, & rationi haud consentaneum, homines professionis, aut habitus dispatis Ecclesijs praeficere, aut in eadem Ecclesia sociari, vt in *cap. in noua, 16 q. 7. & cap. 1. de elect. in 6.* vbi si secus fiat irrita quoque decernitur electio, vt habetur ex *Garz. de benefic. Eccles. par. 7. cap. 10.* vbi *nu. 4.* id ampliat, vt nec Nouitijs quidem conferri possint beneficia regularia; sed ea conferri debeant omninò professis, vt in *d. clem. 1. de supplen. neglig. Pralat. & clem. 1. §. sanè, 2 de statu Monach. Franch. in cap. beneficium, num. 1. in fine, de regul. iur. in 6.* Et quamuis aliqui contrarium videantur sentire, nihilominus hodiè per *Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap. 10. suprà relato*, controuersia ipsa definita videtur, dum regularia beneficia non tantùm professis concedit; sed etiam alijs, qui habitum omninò suscipiant, & professionem deindè emittant, his verbis: *Regularia beneficia in titulum Regularibus professis prouideri consueta, cùm per obitũ, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtentis, vacare contingerit, Religiosis tantùm illius ordinis, vel ijs, qui habitum omninò suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanaque contextam induant.* Nota verba illa: *Vel iis, qui habitum omninò, &c.* quoniam multò magis includunt Nouitium, verùm tenetur professionem emittere. Vndè *Garz. d. cap. 10. num. 15.* testatur, Sacram Congregationem declarasse, in prouisionibus beneficiorum, quas ordinarij inferiores faciunt non professis, non esse apponendum decretum, ex nunc, prout ex tunc, & postquam, in solis prouisionibus Apostolicis apponi solitum; sed prouisiones faciendas esse purè, & simpliciter ad formam *Concilii d. cap. 10.* vt qui habitum omninò suscipere, & professionem emittere teneantur; quae quidem professio emittenda est post annum integrum probationis, & non antè; aliàs esset nulla, vt patet ex eodem *Concilio Trid. sess. 25 de Regular. cap. 15.* An autem Nouitius sit capax beneficiorum Saecularium, vide *Garz. d cap. 10. num. 5.*

27 Ex dictis infert *Hoieda de incompatib. benefic. cap fin. num. 105.* beneficia commendatariorum S. Iacobi, Calatrauae, Alcantarae, S. Ioannis, & similium, qui sunt Regulares sub Regula Diui Augustini, & Sancti Benedicti, alijs alterius professionis nullatenus conferri posse: nec Commendatarij ipsi ad beneficia Saecularia admitti valent. Quod quidem licet putem esse verum, citrà omnem controuersiam, quoad Milites S. Ioannis Baptistae, aliàs Hierosolymitanos, seu Melitenses, cùm emittant tria vota substantialia Religionis simpliciter, nempè castitatis, paupertatis, & obedientiae; nihilominus, quoad milites Regulares militiae S. Iacobi de Spatha, & alios non emittentes omnia tria vota substãtialia, de quibus latè egimus in nostris *Comment. in Bull. Caena, lib. 2. cap. 15. q. 5. sub num. 1. vers. Item dictorum res dubia est*, ob quandam declarationem Sacrae Congregationis, quam refert *Garz. de benefic. Eccles. par. 1. cap. 4. num. 24.* & est tenoris sequentis: *Sacra Congregatio Concilii censuit, milites Regulares militiae S. Iacobi de Spatha, aliosque huiusmodi non emittentes omnia tria vota substantialia, videlicet paupertatis, castitatis, & obediẽtiae, non esse incapaces beneficiorum Saecularium, seu simplicium, siuè curatorum, neque etiam pẽsionum.* Vndè Milites S. Iacobi, Calatrauae, & alij eiusmodi, qui profitentur paupertatem, obedientiam, & castitatem non simpliciter, sed tantùm coniugalem Sacra Congregatio videtur velle non esse verè, ac propriè Religiosos, quod est contra id, quod nos diximus in dict. nostris *Comment d. q. 5. concl. 4. & in addit. ad eam, D. Cesar Germanus meus, litt. B. fol. 539.*

28 Caeterùm, quae suprà ostendimus, nempè Saecularia beneficia Saecularibus, & Regularia Regularibus esse conferenda, limitant Doctores multipliciter. Primò ex causa vrgentis necessitatis, vt quia idonei non reperiantur, tunc enim Saecularia beneficia Regularibus, & è conuerso conferri possunt, vt in *cap. inter quatuor*, & ibi, *Panor. de Relig. domibus, Rebuff. in praxi, tit. de dispensatione cum Regular. num. 40. & in concord. tit. de collat. §. 1 vers. & conformitatem*, & alij, quos refert, & sequitur *Garz. d. cap. 10. num. 16.* Secundò limitant in beneficijs Parochialibus, quae de iure conferri possunt etiam Regularibus, ac Religiosis, vt in *cap. in Parochiali, 16. q. 1.* & ibi, *Glos. cap. quod Dei timorem*, vbi *Panor. de stat. Monach. Franc. in cap. beneficium, num. 1. circà fin. de regul. iur. in 6. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 34. num. 6.* & alij.

29 Sed appòsita sententia nobis videtur verior per *tex. in c. Monachi, de statu Monach.* per quod Monachi inhabiles fiunt ad beneficia Saecularia etiam curata: & ità fuit decisum per *Rot. Rom. decis. 5 in antiq. de iure patr.* & in nouis *decis. 28. de praeben. Bellamera decis. 713. & 750. Felin. in cap. in nostra, de rescr. & Gratian. discept. forens. cap. 123. à num. 10. & 22.* ac alij, quos refert, & sequitur *Garz. loco citato, num. 20. cum plur. seq. & num. 32.* adducit declarationem Sacrae Congregat. quae tantùm ex causa necessitatis declarauit, posse conferri Regularibus beneficium Parochiale, ità tamen, vt deducto victu, quod reliquum fuerit redituum, in vtilitatem Ecclesiae, & pauperum conuertatur. Vndè hodiè citrà dispensationem Regulari non potest conferri beneficium Parochiale, & multò minus beneficium simplex: & ità in praxi seruari testatur *Prosper de Augustino in addit. ad summ Bullar. Steph Quar. vers. Regularis Canonicus*, quem refert *Garz. vbi supra, nu. 33. & ad tex. in d. cap. quod Dei timorem*, respõdet, *num. 24.* eum loqui de solis Canonicis Regularibus, quibus Innoc III. permittit obtinere beneficia Saecularia curata, quamuis eis quoque hoc Priuilegium fuit demptum per *Conc. Trid. d. sess. 14. cap. 10.* vt declarauit Sacra Cõgregatio relata à *Garz. d. par. 7. cap. 10. nu. 31.* Et in *d. cap. in Parochia, 16 q. 1.* quicquid fuerit decretum, per Concilium Lateran. sub Alex. III. de quo in *d. cap. Monachi fuit reuocatum.*

30 Tertiò limitatur, vbi est mutata qualitas, & status

ius beneficij, ad quod volunt requiri possessionem 40. annorum, cùm bona fide, vt declarat idem *Garz. d. cap.* 10. *num.* 34. *&* 35. vbi affert nonnullas Rotæ decisiones, per quas fuit resolutum, quòd quando constat de anteriori statu requiritur possessio 40. annorum, & in specie, vt recedatur ab anteriori statu regularis beneficij, necesse est, vt ostendatur posterior status Sæcularitatis, qui sit legitimè præscriptus per possessionem quadragenariam, sublatis prouisionibus Apostolicis, & earum temporibus, quę non mutant statum. Quartò limitant, vt Regulares ex dispensatione Sum. Pontificis possint obtinere beneficia Sæcularia non solùm, quoad administrationem, & dispensationem, quod est citra omnem controuersiam; sed etiam quoad dominium, & proprietatem: quoniam Papa ex iusta, ac legitima causa potest dispensare in voto Religionis. Pro qua re vide *Garz. loco citato, à num.* 42. vbi latè hanc materiam pertractat: Denique limitant, vt Monachi, & alij Regulares possint eligi, & promoueri in Episcopos tàm in Ecclesijs Sæcularibus, quàm Regularibus, vt est *tex in clem.* 1. *de elect.* ibi: *Per hoc autem, quin Religiosus in Episcopum, Sæcularis, vel cuiuslibet Regularis Ecclesiæ licitè possit eligi, non intendimus prohibere.*

31 Sextodecimò peccat beneficiatus, qui habens vnum beneficium, etiam simplex sufficiens ad victum pro se, & sua familia, obtineat aliud: Etenim beneficia dantur ad commodam sustentationem beneficiati, iuxtà decentiam status; nō autem ad thesaurizandum, vt suprà adnotauimus *disp.* 4. *sec.* 7. *& disp.* 5. *sec.* 2. & latius in hac *disp.* 11. *sec.* 3. Est tamen verum, quod habens beneficium simplex insufficiens ad honestam sui, ac propriæ vitæ sustentationem, citrà omnem culpam potest obtinere aliud simplex, quod suppleat alterius defectum, dummodò vtrunque personalem residentiam non exigant, vt habetur ex *Conc. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 17. *Nauar. in Man. cap.* 23. *num.* 123. *Garz. de benef. Eccl. par.* 11. *c.* 5. *nu.* 268. *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg.* 62. *sub num* 1. cum alijs quos allegant. Quòd si secundum per se solum sit sufficiens, statim habita possessione illius, tenetur beneficiatus primum resignare, aliàs illud retinere non potest, citrà mortale peccatum, vt per *Glos. in cap. ductum, il* 2. *vers. Retinere in fine, de elect.* Imò quis nec plura beneficia vltra duo habere valet, etiam si ambo ad victum non sufficiant, & indulgentia cōcurrat Episcopi, vt habetur ex *Azor. par.* 2. *inst. moral. lib.* 2. *cap.* 9 *q.* 3 *Garz. de benefic. Eccles. par.* 11. *cap* 5 *num.* 319. *& à num.* 371. *& Barbos. loco citato, num.* 6. qui tamen *num.* 7. inquit, posse conferri beneficium alicui habenti tàm in pensionibus Ecclesiasticis sufficientem sustentationem, vt per *Azor. dict. par.* 2. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 3. *Garz. loco citato*, & alios. Cæterum habita possessione secundi beneficij sufficientis, statim vacare primum sufficiens, testatur decisum *Garz. d. cap.* 5. *num.* 283. *in* 2. *declar.* non tamen ipso iure; sed ità, vt per sententiam beneficiatus cogatur alterum eorum relinquere, nisi magna sit beneficiorum conseruatio, quo nam tunc fit vacatio ipso iure, vt post alios, inquit idem *Bar. d. alleg.* 62. *sub num.* 3.

32 Et quamuis communiter contrarium seruetur, cùm videamus passim, quem duo, & plura beneficia simplicia retinere, etiam quòd ad victum sit vnum sufficiens; hæc tamen communis obseruantia non excusat beneficiatum huiusmodi, vt habetur ex *Hoieda de incompatib. benefic. par.* 1. *cap.* 19. *num.* 8 Etenim obseruantia ista, cùm sit contra ius naturale non consuetudo, sed corruptela dicitur: & propterea non excusat à pœnis æternis, ac diuinis, licèt excusare posset à temporalibus, vt habetur ex eodem *Barbos. loco citato, sub num.* 8. Vndè *nu.* 9. consuetudinem Hispaniæ putat non esse tutam, quam refert *Garz. d. cap.* 5. *num.* 323. & qua introductum est, posse ordinarios vni conferre plura beneficia, etiam vltra duo, quamuis vnū sit sufficiens ad congruam sustentationem. Est

33 tamen verum, quod de stylo Curiæ vbi duo, vel etiam quatuor beneficia simplicia non sufficiūt ad commodam, & honestam sustentationem beneficiati, iuxtà decentiam sui status, potest illi aliud simplex conferri, donec omnia simul cōmodè eundem alant, vt probat idem *Barbos. d. alleg.* 62. *num.* 10. vbi tamen addit, quòd hodiè consuetudine non datur dispensatio ad plura beneficia simplicia, sed Prælati inferiores de facto conferunt quamplurima vni, & eidem, nulla habita ratione, an sint pinguia, vel tenuia, contra decretum *Conc. Trid. sess.* 24. *de reform. cap.* 17. in illis verbis: *Quod si ad vitam eius, cui cōfertur honestè sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens; dummodò vtrunque personalem residentiam non requirat, eidem conferri, &c.* Quod autem beneficium dicatur sufficiens ad honestam beneficiati sustentationem, arbitrio Iudicis relinquitur determinandum, habito respectu ad illius status decentiam, cùm à iure non reperiatur definitū, *arg. tex. in l.* 1. *ff. de iure delib. & cap de causis, §. illis etiam, de offic. deleg.* & late *Barb. loc. cit. num.* 11. cum alijs, quos allegat.

34 Et multò magis peccat obtinens duo beneficia simplicia, vniformia, seu similia sub eodem tecto, atque ideò in eadem Ecclesia, cùm id sit de iure damnatum, ità vt super hoc non possit Episcopus dispensare, vt per *Glos. vlt. in clem. fin. de præben. Panorm. in cap. litteras, nu.* 3. *&* 6. *de concess. præben. Azor. par.* 2. *instit. moral. lib.* 3. *cap.* 50. *q* 6. *Garz. de benefic. Eccl. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 185. & alios relatos per eundem *Garz. ibi, & Barbos. d. alleg.* 62. *num.* 12. qui tamen ibidem, & *num.* 13. videtur sequi sententiam *prax Episc par.* 1. *vers. Beneficia, §.* 7. *conclus.* 6. *& Perez de Lara de anniuersar. & Cappell. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 13. existimantes, hodiè per dict. decretum *Conc. Trid. sess.* 24. *de refor. cap.* 17. posse quis habere duo beneficia conformia sub eodem tecto, modò sint simplicia, & non requirentia residentiam, & non sufficientia: quod mihi videtur valdè dubium: nam licèt Concilium videatur generaliter loqui de beneficijs simplicibus, non tamen censetur derogare iuribus prohibentibus collationem duorum beneficiorum vniformium sub eodem tecto, cū collatio illa habeat specialē rationem, vt prohibeatur: & in generali concessione non veniunt illa, quæ non esset quis verisimiliter concessurus, *cap. fin. de offic. Vicar. in* 6. Quando verò

dica-

dicatur beneficium vniforme sub eodem tecto ad inducendam incōpatibilitatem, vide *Garz. d.cap.5.num.259.& Barbos.d.alleg.62 sub nu.* 15. & 16. vbi etiam *num.* 17. probat, quòd ex dispensatione ordinarij possunt retineri duo beneficia difformia sub eodem tecto; dummodò vnum non sit satis ad sustentationem beneficiati, vt per *Glos. in cap.1 de consuet. in 6. Azor. loco citato, & lib.6.cap.11. q.2.& 4.& Garz. d.cap.5. num.*377. vbi adducit declarationem Sacr.Congregat. exigentem iustam causam; sicut omnes dispensationes exigunt. His adde, quæ suprà adnotauimus *disp.* 4. *sec.* 4. & latius *sec.*7. vbi egimus, an dispensatus sine causa etiā à Sum. Pontifice super pluralitate beneficiorū; sit tutus in conscientia, & in multis casibus id negauimus: de qua re vide quoque *Garz. vbi suprà sub num.*378. Hæc satis de peccatis, quæ committi possunt in ipsa beneficiorum collatione: restat modò videndum de peccatis beneficiatorum, quæ committi solent post beneficia adepta, ac collata.

35 Decimoseptimò igitur, peccant beneficiati electi, qui ante confirmationem in beneficiorum administratione se ingerunt,& eò ipso priuantur iure quæsito ex electione: quocunque colore id agant. Id enim temeritatis, ambitionis, & auaritiæ species est, vt in *cap. auaritiæ, de elect.in 6.* Idem dicendum est de præsentato ante institutionem,vt per *Barbos.de offic.& potest.Episcop.alleg.*57.*num.*214. vbi addit,quòd per præstationem obedientię dicitur quis administrasse, & incidisse in pœnas *d.tex. in c. auaritiæ*. Et multò magis temerarius est censendus, & prædictis pœnis subijcitur, qui violenter dignitates, & quæcunque alia Ecclesiastica beneficia occupat, vt in *cap.cum qui,de praben. eod.lib.* in illis verbis: *Insuper, vt violenti, qui auctoritate (vel verius temeritate) propria occupare dignitates, personatus, aut alia quæcunque Ecclesiastica beneficia non verentur, & si non virtutis amore, pœna saltem formidine à sua temeritatis audacia refrenentur, eò ipso iure, si quod in dignitatibus, personatibus, & beneficijs occupatis taliter, vel ad ea ipsis forsitan cōpetebat, amittant*. Imò si Curatus,aliud beneficium, cui animarum cura est annexa sibi collatum, citrà Superioris auctoritatem scienter administrat, ipso iure est priuatus beneficio, quod primitùs obtinebat, vt in *d. cap. eum qui, de praben.in 6.* ità se habente: *Eum, qui beneficium,cui animarum cura imminet,vel occupat, seu se scienter iniustè intrudit in eo, decernimus ipso iure fore priuatum beneficio, quod cum curasimili primitùs obtinebat*. Vndè ex illo *tex.* notat *Glosa* ibi, quod quis sua auctoritate non debet ingredi possessionem beneficij sibi collati; sed auctoritate sui Superioris. Quibus adde *Barbos.de offic & potest.Episcop. alleg.57.num.* 248. qui tractat de apprehendente possessionem beneficij collati à Papa antè litterarum expeditionem, & probat illud vacare ipso facto.

36 Decimòoctauò peccat Beneficiatus, qui non habens beneficium sufficiens ad sui sustentationem, scienter, ac dolosè ad ordines sacros procurat promoueri. Etenim interdicitur Clerico Sæculari ad sacros ordines promoueri, nisi sufficiens beneficium habeat ad honestam propriç vitæ sustentationem, vt constat ex *Conc. Trid. sess.*21. *de reform. cap.*2. in illis verbis: *Statuit S. Synodus, ne quis deinceps Clericus Sacularis,quamuis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & etate ad sacros ordines promoueatur; nisi priùs legitimè constet,eum beneficium Ecclesiasticum,quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere*. Imò beneficium debet habere redditus certos, ne si deficiant, in opprobrium Clericatus, cogatur mendicare, vt habetur ex *Garz.post alios par.2. de benefic. Eccles cap.4. num.*111.& colligitur ex eodem *Conc.in princ. d.cap.2.*ibi:*Cùm non deceat eos,qui Diuino ministerio ascripti sūt cùm ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, &c.* Est tamen verum, quòd si Clericus patrimonium habeat sufficiens, aut pensionem, quæ satis sit ad honestam sui sustentationem, poterit ad sacros ordines promoueri si Episcopo videbitur suis Ecclesijs expedire, vt constat ex ipso *Concilio loco citato*, ità se habente: *Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi,quos Episcopus iudicauerit assumendos pro necessitate, vel cōmoditate suarum Ecclesiarum, eo quoq; prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri;taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licētia Episcopi alienari,aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliundè habeant, vndè viuere possint antiquorum Canonum pœnas super his innouando*. Pœna verò, quæ Episcopo Clericos ad Sacros ordines promoueuti contra supradictum Concilij decretum,continetur in *cap.Episcopus de praben.* per hæc formalia verba:*Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vita percipiat, in Diaconum,vel Presbyterum ordinauerit;tādiù ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei conuenientia stipendia militia Clericalis assignet. Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hæreditate subsidium vita possit habere*. Hoc idem decernitur in *cap.si Episcopus, eod.tit.in 6.*

37

38 Dicitur autem sufficiens beneficium, seu pēsio, aut patrimonium, quod satis est ad sustentationem commodam, & honestam cuiuslibet Clerici: nec necesse est respicere qualitatem, ac nobilitatem, ac decentiam status ordinandi: siquidem *Conc.*& iura sufficientiam tantum exigunt ad honestè viuendum, ità vt non cogatur mendicare, aut aliquod sordidum quæstum exercere, atque ideò non est inspicienda qualitas Clerici in particulari; sed qualitas Clerici, vt sic, vt per *Nauar. de orat. miscell.* 62. *aliàs* 17. *num.*3. *vers. Facit,quod Concilium & num.* 7.*vers.Contra tamen,& num* 8. *Garz. de benefic.Ecclespar.2.cap.4. num.*114.*cum plur seq.* contra *Rebuff.in praxi,tit.de rescrip in forma communi,num.*24.*& alios*,vbi tamen *num.*110. addit, quòd poterit quis promoueri ad Sacros Subdiaconatus, & Diaconatus ordines ad titulum beneficij, non obstante, quòd non lucretur illius fructus, nisi post susceptum Præsbyteratus ordinem: & ità testatur Sacram Congregationem declarasse per hæc verba: *Potest Episcopus ordinare subditos suos ad ordine Dia-*

Diaconatus, & Subdiaconatus ad titulum, & portionem Ecclesiarum matricum, non obstante, quòd non participent de fructibus illarum, nisi post susceptum Præsbyteratus ordinem.

39 Ex dictis infertur primò ex eodem *Garz. loco citato, num.* 121. quòd obtinens beneficium etiam curatum insufficiens, vt suprà ad honestam sustentationem, non potest, nec tenetur ad eius titulum ad sacros ordines promoueri; quãuis curatam Ecclesiam suscipiens teneatur infrà annum ad Sacerdotium ascendere, vt latè suprà ostendimus *disp.* 10. *sec.* 2. ad quod allegat Sacræ Congregationis declarationem, ità se habentem: *Quæritur, an obtinens Parochialem Ecclesiam insufficientem ad victum, teneatur promoueri ad Sacerdotium infrà annum, &c. Congregatio censuit non teneri, sed tantùm expedire, vt Sanctissimus declaret, eum debere dimittere, Sanctitas sua probauit hanc sententiam, vt dimittat.* Secundò infert, quòd si quis absque vero titulo Diaconus, aut Subdiaconus factus est, non potest sine vero titulo alium ordinem consequi, vt habetur ex *Suarez de censur. disp.* 31. *sec.* 1. *num.* 39. *Steph. Quar. summ. Bull. vers. Ordo, post secundam constitutionem, vers. An verò, Auila de censur.* 3. *p. disp.* 5 *dub.* 6. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 37. *§.* 2. & alijs, qui licèt velint, posse Episcopum super hoc dispensare, tamen *Garz. vbi suprà sub num.* 24. id non probat. Tertiò infert idem *Garz.* post alios, quòd

40 habens beneficium, seu patrimonium insufficiens non potest ad Sacros ordines promoueri, etiam si cum eo, & pitantijs, & alijs emolumẽtis, quæ ex exercitio Sacrorum ordinum lucrari potest, haberet honestum victum, ac etiam si Episcopus obliget se suppleturum: nec si ex honesto exercitio, nempè ex musica, vel grammatica posset alimenta quærere. Potest tamen ordinari habens beneficium insufficiens, sed cum patrimonio sufficiens, ad quod allegat declarationem Congregationis. Quartò infert *numer.* 127. *&* 128. non habentem beneficium, aut patrimonium sufficiens non posse ordinari ad titulum litteraturę, quantumcunque sit litteris insignis, pro qua re adducit quoque declarationẽ Sacræ Congregat. contra nonnullos contrariũ sentientes. Denique infert non posse quem ordinari ad titulum de futuro, nempè ad beneficium, quod certò expectat, seu ad quod est pręsentatus, nominatus, vel postulatus, vel si sit Coadiutor etiam perpetuus cum futura successione, quamuis hoc vltimo casu aliqui contrarium sentiant, quos refert idem *Garz. ibidem, sub num.* 132. *in fine.*

41 Sequentes etiam difficultates satisquidem sufficienter resoluit ibidem *Garz. d. cap.* 4. *§.* 1. *à num.* 153. *vsque ad num.* 170. quærit, an ordinatus ad titulum beneficij, cuius possessionem non est adeptus contra formam *Conc. Trid. d. sess.* 21. *de reform. cap.* 2. in illis verbis: *Pacificè possidere.* Peccet, & pœna aliqua veniat plectendus. Et an ordinatus ad titulum patrimonij aliàs sufficientis, qui tantundem debet, vel saltem est tanto ære grauatus, vt eo soluto, non remaneat patrimonium, quod sufficiat ad eius sustentationem, dicatur ordinatus sine titulo sufficienti. Agit etiam de ordinato ad titulum beneficij, in cuius possessione pacifica est, non tamen habet in eo Canonicum titulum, sed est intrusus, an peccet mortaliter, & aliquam pœnam incurrat: Et de ordinato cum patrimonio ficto, seu donatione ficta, & non vera, an incurrat pœnam suspensionis positam contra ordinatum sine titulo per Constitutionem Sixti V. quæ est hodiè reuocata. Et quid sit dicendum de eo, qui fuit ordinatus ad titulum patrimonij, quod fuit renunciatum donatori, an dicatur ordinatus sine titulo, vide ipsum *Garz. ibi, num.* 170. *cum plur. seq.* vbi quoque *num.* 184. tractat, an valeat alienatio, seu renunciatio patrimonij, ad cuius titulum quis ad sacros ordines fuit promotus, facta citrà ordinarij licentiam; etiam si tunc habeat beneficium, seu aliàs aliundè honestè viuere possit: & *nu.* 212. agit, an valeat renunciatio beneficij, ad cuius titulum quis fuit ordinatus, facta cum pensione sufficienti ad congruam sustentationem, non tamen facta mentione, quòd ad illius titulum fuit promotus. *Num.* quoque 217. quærit ipse *Garz.* an nulla sit permutatio beneficij, non facta mentione, quòd ad titulum beneficij permutati fuit sacris ordinatus. Et *num.* 219. quęrit pariter, an decretum quatenus prohibet resignationem beneficij, ad cuius titulum fuit quis sacris ordinatus, nisi aliundè habeat, vndè viuere possit, procedat etiam in priuationibus, & renunciationibus inductis à iure, vt per assecutionem alterius incompatibilis. *Num.* 224. disputat etiam controuersiam, an stante, quòd resignatio beneficij, ad cuius titulum quis fuit sacris ordinatus, facta contra formam d. decreti sit nulla, vtrum sit nulla, vt beneficium non vacet, sed remaneat penes resignantem. Et denique *num.* 230. quærit, an si habens beneficium, ad cuius titulum fuit ordinatus, iurauerit illud resignare, vel procuratorem constitutum ad resignandum non reuocare, cùm non habeat aliàs vndè sustentari possit, teneatur adimplere tale iuramentum.

42 Decimononò peccat Beneficiatus resignans beneficium, ad cuius titulum fuit ordinatus ad sacros ordines, non facta mentione, quod ad illius beneficij titulum sit promotus: nec admittitur resignatio, nisi beneficiatus aliundè habeat vnde honestè viuat, aliàs nulla erit. Etenim per *Conc. Trid. sess.* 21. *de reform. cap.* 2. id expressè decernitur, in illis verbis: *Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius beneficij titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quod aliundè viuere commodè possit, & aliter facta resignatio nulla sit.* Quæ quidem resignatio aliter facta adeò nulla est, vt nec valeat quidem renunciatio beneficij, ad cuius titulum quis sacris fuit ordinatus, facta cum pensione sufficiẽti ad congruam sustentationem; non tamen facta mentione, quòd ad illius titulum fuit promotus: siquidem, quòd mentio illa sit facienda, traditur à Concilio pro forma, & indistinctè annullatur resignatio aliter facta, vt habetur ex *Garz. de benefic. Eccles. par.* 2 *cap.* 4. *§.* 1. *num.* 214. ad quod affert declarationem Sacræ Congregationis, ità se habentem: *Præsupposita supplicatione resignationis Parochialis, de qua agitur per D. Gasparem in fauorem D. Ioannis de Miron, cum reseruatione pensionis* 780. *du-*

fatorum prædicto D. Gaspari soluenda, & quòd in eadem supplicatione d. D. Gaspar narrauit, quòd per quinquennium dictam Parochialem possiderat, an in casu, de quo agitur intret Cõcil. Trid. hoc cap. 2. Congregatio censuit, Concilium intrare. Hanc eandem declarationem refert Additio ad *Nauar. cons. 9. de renunc.* cõtrarium sentientem, dicens, aduertendum referri, Sacram Congregationem censuisse, eiusmodi renunciationem esse nullam; ex quo non fuit expressus resignans, vel ad illius titulum promotus; quæ expressio pro forma requiritur. Quibus adde *Vgol. de offic. Episcop. cap. 14. § 3. & cap. 26. § 8. num. 4.* Eadem ratione, cùm pro forma per d. Concilium decernatur, vt resignãs teneatur facere mentionem, se ad titulum illius fuisse promotum, & resignatio talis beneficij nõ admittatur, nisi constito, quòd beneficiatus aliundè commodè viuere possit, atque ideò tẽpore resignationis, satis non est posteà constare, resignantem tempore resignationis habere aliundè, vndè viuere possit; sed tempore resignationis debet fieri mentio, quòd ad illius titulum fuit promotus, & ante admissionem cõstare superiori, quòd aliundè habet, vndè viuere possit: siquidem per æquipollens adimpleri non potest, quod est constitutum pro forma, vt in *d. cap. 2. Concil. Trid.* & rectè declarat *Garz. d. cap. 4. § 1. num. 193.* qui ad huius rei corroborationem adducit declarationem Sacræ Congr. ità se habentem: *Fuit dubitatum, an pro forma traditum esset, vt resignans teneatur facere mẽtionem, se ad titulum illius fuisse promotum, adeò quòd per æquipollens adimpleri non possit: & fuit resolutum pro forma traditum esse à Cõcilio, stante clausula annullatiua, & quòd Cõcilium negatiuè loquitur. Iaf. in l. quòd si nominatim, 1. ff. de lib. & posth. Felin. in c. cum dilecta, de rescr. &c.*

43 Adde, quòd resignatio facta ab eo, qui aliundè non habet vndè viuat, est nulla etiam de beneficio antè Concilium obtento: & id verum esse, quamuis beneficium sit patronatum: Imò in sacris constitutus non potest vllo modo beneficium resignare, etiam si ad illius titulum nõ sit promotus, nisi aliundè habeat vndè commodè viuere possit, vt habetur ex *Garz. d. cap. 4. § 1. nu. 195. cum plur. seq.* qui pro his allegat duas Sacræ Congregat. declarationes, & Constit. Pij V. 56. editam Kal. April. 1568. quæ quidem cõstitutio quamuis loquatur in resignationibus factis coram ordinario, nihilominus habet locũ, & seruatur etiam in Curia, cùm militet eadem ratio, quæ est, ne Clericus, cum ordinis dedecore cogatur mendicare, aut aliquod sordidum quæstum exercere, vt in *d. cap. 2. Concil.* & rectè declarat *Garz. ibidem, num. 199.* vbi etiam *nu. 203.* probat, Clericum in minoribus constitutũ dumtaxàt, & non in sacris, posse liberè, & absolutè alienare patrimonium, etiam si ad illius titulum sit promotus, & resignare beneficium, licèt non habeat aliundè vndè viuere possit: Siquidem nec Concilium, nec Constitutio Pij V. loquuntur de constitutis in minoribus; quia in eis cessat ratio dedecoris ordinis. Quæ diximus

44 de resignante beneficium, ad cuius titulum fuit promotus, extendimus ad permutantem, vt permutatio quoque talis beneficij sit nulla, non facta mentione, quòd ad titulum beneficij permutati fuit sacris ordinatus: nàm dictum decretum Concilij, licèt loquatur de resignatione extenditur, etiam ad commutationem cum militet eadem ratio. Verum tamen est Sacra Congregatio censuit eo casu commutationem non esse nullam si fuerit facta, cùm æquiualenti beneficio: vel saltem, quando permutans assecutus est vigore permutationis pacificam possessionẽ alterius beneficij ad sui congruam sustentationem, vt testatur idem *Garz. loc. cit. nu. 218.*

45 Vigesimò peccant Beneficiati non dimittentes, ac resignantes beneficia, si delicta commiserint, pro quibus ipso facto imponitur priuationis pœna, etiam si occulta sint, & ante quamcumque Iudicis sententiam; maximè si post impositionem pœnæ ipso facto, & priuationem beneficiorum, addantur hæc verba: *Illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur.* Vt in *extrauag. ambitiosæ, de reb. Eccl. non alien.* vbi Clericus, qui bona Ecclesiæ alienauerit citrà Rom. Pontificis assensum, ipso facto priuatus existit beneficijs Ecclesiasticis, illaque absq; declaratione aliqua vacare censeantur. Vel subiungantur alia verba æquipollentia, ex quibus constet, mentem S. P. esse, vt amittantur, nulla expectata sententia, vt patet ex Constitutione Sixti V. 92. § 3. in illis verbis: *Ac sine vlla alia monitione, citatione, Iudicis decreto, aut Ministerio, ipso facto priuatos declaramus, ac tam beneficia ipsa per priuationem huiusmodi vacare, & liberè alijs conferri posse, quàm etiam pensiones cessatas, extinctas esse & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum cessare, &c.* Ità *Mol. tom. 1. de iustit & iur. tr. 2. disp. 96. Sot. eod. tr. q. 6. ar. 6. in fin. Syl. vers. Assassinus, in fine, Azor. par. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 7. qu. 2. & cap. 8. q. 3. Salon 22. q. 62. ar. 3. controuers. 1. ad fin. Guttier. Canon. qq. lib. 2. cap. 5. num. 28. Carb. de legib. lib. 8. disp. 9. circà finem. Suarez eod. tr. lib. 5. cap. 5. nu. 8. Candel. aur. in explic. d. Constit. Sixti V. de habitu, & tonsura, notab. 11. Auila de censur. par. 1. dub. 7. Henriq. lib. 13. sua summ. cap. 56. § 2. in princ.* cum alijs ab eo relatis in *addit. litt. T. Garz. de Benefic. Eccles. par. 11. cap. 10. num. 20.* & alij. Mouentur ex eò, quòd quamuis in pœna amissionis propriorum bonorum non debeat, nec possit lex secundum quamplurimos Doctores cumulatos ab eodem *Garz. loco citato, num. 8. cum seq.* obligare in cõscientia delinquentem, vt sit executor illius contra se ante sententiam, præser-

46 tim quando agitur de pœna graui; nihilominus in bonis communibus, qualia sunt beneficialia, & officia publica rectè potest obligare delinquentes ad illa dimittenda etiam antè sententiam, cùm illa particulariter dependeant à lege Eccl. seu Republica, aut Principe, à quibus conferuntur; atque ideò possint ad libitum dari, vel auferri ex iusta, ac legitima causa. Etenim lex in pœnam potest impedire acquisitionem fructuum, vt in d. Constit. Sixti V. ibi: *Ac fructuum, vel aliarum rerum cessare, &c.* & *cap. vnico, de Cler. non residentibus*, vbi Canonici, & alij Beneficiati non residentes distributionibus quotidianis priuantur, his verbis: *Qui verò aliter de distributionibus ipsis quicquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta,*

& rationabilis corporalis necessitas, aut euidẽs Ecclesia vtilitas excusaret) rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas; imò ad omnium restitutionem, qua contra huiusmodi nostram Constitutionem receperit teneatur. De distributionibus etiam pro Defunctorum anniuersarijs largiendis, idem decernimus obseruandum.

47 Imò ipse *Garz. ibidem, num.22.* & alij probant satis esse verba illa, ipso iure, seu ipso facto, absque additamento aliorum verborum, vt sufficienter declarent mentem disponentis, volentis priuare beneficio delinquentem, & obligare ad illud dimittendum: nàm si adduntur alia verba, id fit ad maiorem declarationem, vt patet ex ijs, quæ docet *Suar. de censur. disp. 3. sec. 3. num. 8. & lib. 1. de legib. cap. 8. & Salas eod. tract. de legib. disp. 15. sec. 3. ac Lorca 1. 2. disp. 24. memb. 1. reg. 1. & memb. 2. §. fin.* Etenim beneficium, quo quis ipso iure, seu ipso facto priuatur, potest tanquam vacans alteri conferri ante sententiam, vt ex communi *Doctor.* sententia probat *Garz. loco citato, num. 23.* pro qua allegat supra relatam Sixti V. Constitutionem 92. ibi: *Ac tam beneficia ipsa per priuationem huiusmodi vacare, & libere alijs conferri posse.* Allegat etiam Bullam Sixti IV. & Bull. Leonis, *Cardin. in Clem. num. 15. de pœnis, Felin. in c. cæterum, num. 24. de rescrip.* & quamplurimos alios Doctores si igitur beneficium, quo quis ipso iure, seu ipso facto priuatur, tanquam vacans potest alteri conferri ante sententiam. Ergò sequitur, quòd sic beneficio priuatus non habet in eo titulum: nec potest illud retinere, sed tenetur omninò dimittere ei, cui prouisum est. Confirmatur in casu, *cap. licet Canon, de elect. lib. 6.* Doctores volunt, obtinentem Parochialem, si non sit infrà annum ad Sacerdotium promotus, ob quod ipso iure illa priuatur, non posse illam retinere, sed debere relinquere: Ergò priuatus ipso iure, seu ipso facto beneficio statim illius perdit titulum, atque ideò tenetur illud dimittere, quia per illa verba satis constat de voluntate disponentis. Reliqua vide apud eundem *Garz. ibidem,* vbi *num. 29. cum pluirib. seq.* contraria soluit.

48 Ex dictis infertur, quòd ex quo Assassinus est priuatus beneficio ipso facto, vt in *cap. 1. de homicid. in 6.* Beneficiatus statim commisso assassinio, nulla expectata sententia, perdit titulum illius, atque ideò tenetur beneficium ipsũ dimittere. Non sic de committentibus homicidium simplex, imò etiam qualificatum, quoniã homicida licet efficiatur irregularis, non tamen est priuatus beneficio ipso iure, sed est priuandus, vt in *cap. cum non ab homine, de iudic. cap. Clericis, ne Cler. vel Monachi, & cap. litteris,* & ibi, *Doctor de excess. Prælat. Cappella Tolos. decis. 208 Diaz in prax. crim. Can. cap. 94. Iul. Clar § Homicidium, num. 21. Zerola in praxi Episc. par. 1. vers. Priuatio, §. 2. & par. 2. versic. Clericus, § 6. Zanoll. in suis commun. contra commun. q 147. num. 9 & q. 569 Tolet. in sum. in edit. nouiss. lib. 1. cap 88. vers. Septimò,* cum alijs, quos allegant, qui loquuntur etiam de homicidio qualificato, nempè de parricidio, & de alijs similibus, atque ideò quis pro homicidio etiam qualificato non est priuatus beneficio ipso facto, sed esse priuandum per sententiam, quauis quoad homicidium qualificatum contrariũ teneat, *Felin. in cap. acquisitionis, num. 5. de accusat. Farin. cons. 14. num. 5. Rebuff. in praxi, tit. de mod. amitt. benefic. num. 47.* & alij, quos refert, sed non sequitur *Garz. de benefic. Eccl. par. 11. cap. 10. à num. 39.* Siquidem quamuis homicida sit irregularis ipso facto, non tamen irregularis est priuatus ipso facto beneficio iàm quæsito, sed illud retinere potest antequam priuetur per sententiam, vt habetur ex *Felino in cap. de quarta, de præscr. num. 33. Nauar. in Man. cap. 27. num. 251. aliàs 249. Sayr. de censur. lib. 6 cap. 2. num. 24. Boer. decis. 98. num. 4. Rodriq. in summ. tom. 1. cap. 179. num. 1. & 2. & tom. 2. cap. 21. nu. 10. Azor. par. 2. instit. moral. lib. 7. cap. 17. q. 2. effectu 2.* & alij: Vndè ex

49 hoc infertur, quòd homicida cùm non amittat beneficium iàm quæsitum, percipiendo ex eo fructus, facit illos suos, & restituere non tenetur, donec per sententiam priuetur, vt habetur per *Felin. in d. cap. quarta, de præscr. num. 33.* & alios Doctores suprà relatos, præsertim *Felin. Boer. Rodriq. & Azor.* quibus adde *Garz. loco citato, num. 47. & 48.*

50 Limitatur tamen, quæ diximus de homicida, vt non procedant in Occidente Cardinalem, nam is ipso facto est beneficio priuatus, vt in *cap. felicis, de pœn. in 6.* Imò etiam hanc pœnam incurrant percutientes tantùm Cardinalem, & filij, ac nepotes percutientium, vt probat *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg 57. nu. 235. & 236.* Item insequentes Cardinales, aut capiẽtes, *Garz. d. cap. 10. § 2. num. 176.* Idem dicendum est de Occidente, percutiente aut insequẽte Episcopum: nàm iste quoque ipso iure est priuatus beneficio in Ecclesia existente, cui talis Episcopus præerat, vt in *Clem. 1. de pœnit. Molina de iust. & iur. tract. 3 disp. 65. num. 7. & Tol. in sua summ. cap. 88. vers. 7. & 8.* Et denique hoc ipsum dicitur de occidente Prælatũ, vel conbeneficiatum: siquidem is quoque est priuatus ipso iure beneficio, quod obtinet in ea Ecclesia, *cap. in quibusdam,* & ibi, *Doctor. de pœn. Tolet. loco citato, Farin. 4. p. q. 119. nu. 68.* & alij apud *Garz. d. cap. 10. num. 57. & 58.* vbi contrarium soluit, latiùs *Barbos. d. alleg. 57. num. 239. & 240.*

51 Secundò infertur, quòd licèt de iure communi sodomita non sit priuatus beneficio ipso facto, nec de iure suspensus, nec irregularis secundum sententiam magis receptam; nihilominus, quoniam hodiè ex Constitutione 72. Pij V. quę incipit, Horrendum illud scelus. Clerici tàm dirum nefas exercentes omni Priuilegio Clericali, omni officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico ipso facto priuantur, cùm ità priuentur, quòd per Iudicem Ecclesiasticum degradati potestati Sæculari statim traduntur, quod idem est, ac si expressè ipso iure, seu ipso facto priuarentur, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 27. num. 249. & Garz. d. cap. 10. §. 2. num. 196.* vbi post alios *num. 197.* quoque probat, id locum sibi vendicare, etiam quoad forum interius, & sic in crimine sodomiæ occulto: hinc fit vt sodomita statim commisso crimine sit priuatus beneficio, atque ideò in foro conscientiæ tenetur illud dimittere, iuxtà ea, quæ habentur ex

Suarez

Suarez de censur. disp. 31. sec. 4. num. 22. & ex alijs: quamuis quidam velint, dictam Pij Quinti Constitutionem, quoad forum conscientiæ non esse vsu receptam, vt inquit idem *Garz. loco citato*, cum alijs, quos allegat. In omnem tamen euentum dicta constitutio est ædita contra sodomitas, qui quasi ex vsu continuato tale scelus exercent, & qui sic labuntur in huiusmodi nefas, vt arbitrio boni viri dici possent exercitatores illius: Et id ob illa verba: *Tam dirum nefas exercentes, &c.* in §. 3. d. Constitutionis contenta, vt habetur ex *Nauar. in Man. c.27. num.* 149. qui testatur ità sibi respondisse Matthæum Cantarellum Datarium Gregor. XIII. hanc eandem sententiam sequitur *Philiarcus de offic. Sacerdotis, par. 1. lib. 4. cap. 15. Henriq. in summ. lib. 13. cap. 36. Suar. de censur. disp. 31. sec. 4. à num.* 20. & ex alijs apud *Garz. d. cap. 10. §. 2. num.* 198. *cum seq.* vbi contraria soluit: & excludit à dispositione præfatæ Constitutionis exercentes pollutionem extraordinariam, seu extrà vas, sed solùm exercentes copulam sodomiticam. Et quamuis crimen bestialitatis sit maius crimine sodomiæ, non tamen comprehenditur sub ipsa Constitutione, cùm simus in odiosis, vt rectè declarat ibi, idem *Garz. à num.* 204. vbi tamen *num.* 207. prædictam Constitutionem extendit non solùm contra exercentes crimen sodomiæ cum masculis; sed etiam cùm fœminis: nam cum mulieribus contra naturam copulam habentes, verè dicuntur sodomiam committere, ad quod probandum allegat quàmplurimos Doctores. Sed *P. Quarti* contrarium sentit *de cas. reseru.* cùm sodomia propriè dicta sit, congressus carnalis personarum eiusdem sexus, scilicet maris, cum mare, vel fœmina cum fœmina, iuxtà communẽ DD. sententiam.

52 Tertiò infertur, quòd hæretici priuentur ipso iure, seu ipso facto eorum beneficijs, vt in *cap. cum secundùm leges, de hæret. lib. 6.* vbi hæreticorum bona ipso iure confiscantur, & appellatione bonorum veniunt beneficia, *cap. 1. de præb.* facit etiam *tex. in cap. vt commissa, §. priuandi, eod. tit. de hæret. in 6. Panorm. in cap. inter dilectos, num. 11. de excessib. Prælator.* & alij, quos refert, & sequitur *Garz. de benefic. Eccles. par. 11. cap. 10. §. 1. à num. 60.* qui testatur hanc sententiam esse communem, & extendit etiam ad filios, & nepotes hæreticorum, & illorum credẽtes, receptatores, & fautores; hinc fit, quòd statim, quòd beneficiatus incidit in crimen hæresis, amittit beneficij titulum, ac eorum filij, & nepotes credentes, receptatores, fautores, ità vt ipsorum beneficiorum non faciant fructus suos, & in foro conscientiæ, etiam si sint occulti, dummodò non sint puri mentales tenentur beneficia dimittere ante omnem Iudicis sententiam, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus, vt latè hanc rem tractat ipse *Garz. loco citato per totum, d. §. 1.* agens de filijs hæreticorũ natis, non solùm post, sed etiam ante delictum.

53 Est tamen verum, quod *Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 57. num.* 228. quamuis teneat cum communi, hæreticos esse ipso iure beneficijs priuatos; id tamen negat de eorum filijs, & nepotibus; atque ideò inquit, filios, & nepotes hæreticorum, non esse ipso iure priuatos beneficijs, ad quod allegat *Panorm. & Felin. in c. vrgentis, num. 3. de hæreticis, Rebuff. in praxi, de mod. amitt. benef. num. 25. Suar. de censur. disp. 43. sec. 3. num. 2.* & alios, inter quos allegat etiã *Garz. loco citato, à num. 72.* Sed re vera *Garzia* inclinat in oppositam sententiam; quamuis opinionem, quam sequitur ipse *Barbos.* dicat esse mitiorem, & pro ea, *num. 75. & 76.* nonullos alios Doctores cumulat, & in Hispania testatur ità seruari, eandemque consuetudine esse receptam. Verum *num.* 77. expressè inquit priorem esse de iure veriorem, & communiter receptam. Quod diximus de crimine hæresis sic de crimine læsæ Maiestatis diuinæ extendimus ad crimen læsæ Maiestatis humanæ, cum beneficium vacet ipso iure per crimen læsę Maiestatis, vt probat *Rebuff. in prax. tit. de mod. amitt. benef. num. 32. Gonzal. glosa 15. num.* 72. quos refert, & sequitur idem *Barbos. d. alleg 57. num.* 233. 235. *&* 236. vbi etiam includit filios, & nepotes Reorum criminis huiusmodi: Et *num.* 230. includit pariter obtinentes beneficia præcibus hæreticorum.

54 Quartò infertur, simoniacos quoque in conscientia teneri dimittere eorum beneficia: eò quòd ipso facto eorum titulum amittunt, & beneficia vacant, vt in *extrauag. detestabile, de simon inter commun. Menoch. remed. 1. recuper. poss. num. 135. & remed. 5. num. 68. & cons. 67. num. 4 Couar. in regula peccatum, par. 2. §. 8. nu. 7. Farinac. in prax. crim. par. 7.* & alij apud *Barb. d. alleg. 57. num.* 231. vbi etiam *num.* 232. conuentionalem inquit simoniam per se solam inducere simoniacum inhabilem ad obtinenda, non autem inducere vacationem obtentarum ipso iure, vt habetur ex *Suar. de Relig tract. de simon. lib. 4. cap. 53. & cap. 55. num. 4. Rodriq. qq. Regular. tom 1. q. 20. ar. 13. Henriq. in sum. lib. 13. cap. 37. §. 3. litt.* X. & ex alijs apud eundem *Barbos. loco citato.* Quibus adde, quæ suprà cumulauimus hac *ead. sec. vers. Vndecimò peccant.*

55 Quintò infertur, falsificantes litteras Apostolicas, aut litteris eiusmodi falsificatis vtentes, statim eorum beneficiorum titulum amittere, atque ideò in conscientia non posse ea retinere, sed compelli dimittere. Etenim propter crimen falsitatis beneficiati ipso facto beneficijs priuantur, ità vt statim vacent, siuè per se, siuè per alios tale crimen committant, vna cum suis fautoribus, & defensoribus, & in excommunicationem insuper ipso facto incidunt, vt in *cap. ad falsariorum, de crim. fals.* vbi *Panorm.* & alij, *Garz. de benef. Eccl par. 11. cap. 10 §. 2. n. 170. Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 57. num. 234. & Azor. par. 2. instit. moral lib. 7. c. 17. q. 1. vers. Quintum crimen.* Quorum excommunicatio est vna ex reseruatis in Bulla Cœnæ Domini, de qua latè egimus in nostris *Commẽtar. in d. Bull. lib. 2. cap. 6.* Sacrilegi autem, exceptis occidentibus, percutientibus, aut insequentibus S.R.E. Cardinales, & Episcopos, ac interficientibus Rectorem propriæ Ecclesiæ, de quibus suprà diximus, *vers. Limitatur tamen*, non sunt priuati beneficijs ipso facto, vt habetur ex *Garz. loco citato, num. 173. cum plur. seq.* qui *num.* 181. idem dicendum esse probat de concubinarijs, vt non sint priuati beneficijs ipso facto, & proindè non tenentur in conscientia

eorum beneficia dimittere, donec per sententiam priuentur.

Sextò infertur, capientes, seu carcerantes, aut capi facientes Clericum, donec resignet suum beneficium, aut ne citatus vadat ad Curiam Romanam amittere statim titulum eorum beneficiorum, eisdemque ipso iure esse priuatos, ità vt beneficia ipsa vacent, vt in *Clem. 2. de pœn. Garz. de benefic. Ecclesf. par. 11. cap. 10. §. 2. nu. 177. & Barbos. de offic. & potest. Episc. d. alleg. 57. num* 242. cum alijs, quos allegant.

56 Septimò infertur, beneficiatos obtinentes beneficia, mediante resignatione non publicata infrà tempus definitum in Constitutione Gregor. XIII. 85. non possunt ea retinere, sed tenétur ea dimittere, aliàs peccant: quoniam eiusmodi beneficia ipso facto decernitur vacare per prædictam Gregorianam, vt declarat *Flamin. de resign. lib. 11. q. 7. & Barbos. d. alleg 57. num.* 244. Quibus autem ex causis beneficiorum resignatio sit permissa, ità vt citrà omnem culpam fieri possit, definiuit Pius V. Constit. 58.

57 Octauò infertur, quòd cùm omnia illorum beneficia vacent ipso iure, qui pro obtinendis beneficijs se ipsos pro alijs examini supponunt, vel annuas pensiones offerunt, aut beneficia impetrant pro alijs, vel ab his aliquid consecuntur, vel quando pro seipsis beneficia impetrant cum intentione ea resignandi, reseruata sibi pensione, vel non reseruata, ad fauorem aliorum, vt patet ex Constitut. felic. mem. Pauli Papæ IV. nostræ Religionis Fundatoris, 12. quæ incipit, intercæteras, edita sub die 26. Decembr. 1557. hinc sequitur, quod eiusmodi crimina patrantes statim perdunt eorum titulum, & in foro conscientiæ non possunt ea retinere: & insuper excommunicationis vinculo Papæ reseruatę alligantur, vt in ipsa Constitutione constat. Vndè *Barbos. d. alleg. 57. sub num.* 246. testatur, quòd ob id inoleuit in Curia stylus; vt exigatur iuramentum à petente beneficium, quòd non accipit animo illud dimittendi, & idem ante *Barbos.* refert *Flamin. de resign. lib. 9. q. 10. num. 4. & num. 5.*

58 Nonò infertur, quòd cùm ipso iure vacent beneficia offendentium litigantes in Curia Romana, eorumque Iudices, Aduocatos, Procuratores, & Notarios, &c. vt constat ex Constitutione 11. Alex. VI. quæ incipit, In eminenti Sedis, hinc fit, quòd eiusmodi crimina committentes in conscientia eorum beneficia retinere, sed tenentur eadem ante omnem sententiam dimittere. Et idem dicendum est de indebitè retinentibus scripturas spectantes ad Cameram Apostolicam, & illas non restituentes cùm horum delinquentium beneficia ipso iure quoque vacent, vt patet ex Constitutione Iulij III. relata à *Barbos. d. alleg. 57. num* 249

59 Decimò infertur, quòd ex quo ipso iure vacāt beneficia eorum, qui distrahunt bona Ecclesiæ, citrà Rom. Pontificis assensum, vt suprà diximus ex extrau. ambitiosæ: vel non incedunt in habitu, & tonsura, iuxta Sixti V. Constitutionem super ùs al. aram; qui ante confirmationem in beneficiorū administratione se ingerunt, aut violenter occupant, vt ostendimus quoque suprà *vers. Decimoseptimò*: & qui violant sequestrum impositum, vigore sententiæ diffinitiuæ in Romana Curia prolatæ in causa beneficiali, iuxtà *tex. in Clem. 1. de sequestr. possess.* & propr. quam rectè declarat *Barbos. d. al leg. 57. num.* 221. indè sequitur, quod hi omnes delinquentes eorum beneficiorum titulum statim perdunt, fructus non faciunt suos, ac etiam in foro conscientiæ ante omnem sententiam tenentur beneficia ipsa dimittere; non tamen in fauorem alicuius resignate, & ab alijs possunt impetrari. Etenim hi sunt effectus priuationis beneficiorum ipso iure, vt rectè declarat *Barbos. d. alleg. 57. à num. 253. vsque in finem.*

De Sacerdotibus, & culpis, in quas incidere possunt, à discreto, ac cauto Confessario, cùm sibi videbitur, explorandis.

DISP. XII.

SVMMARIVM.

1 *Presbyter, & Episcopus idem sunt, & quarè fuit introducta differentia inter Episcopos, & Sacerdotes.*
An potestas Episcoporum sit de iure Diuino, & Reges Sacerdotibus subdantur.

2 *In veteri lege magna erat Sacerdotum Authoritas, & qui ipsis non obtemperabat, extrà castra positus lapidabatur.*
In lege vero Euangelica longè maiorem potestatem habent, & dicuntur Christi Vicarij.

3 *Propter eminentiam gradus Sacerdotes multò magis, quam simplices Clerici mores suos componere debent.*

1 QVamuis in *cap. legimus*, 93. *d. & in cap. olim, d.* 95. habeatur eundem esse Præsbyterum, seu Sacerdotem, & Episcopum: & differentiam inter Episcopos, & Sacerdotes fuisse constitutam ad euitandum Schisma, ità vt Episcopi magis consuetudine, quàm ex Christi Domini dispensatione Sacerdotibus sint maiores; nihilominus non ob id sequitur, potestatem Episcopalem esse de iure humano, & non potius de iure Diuino; quoniam id est manifestè falsum, vt latè probat *Turrecr. in d. cap. legimus*; sed proptereà inquit *tex. in d. cap. olim*, quòd diuina dispensatione non sunt Præsbyteris maiores, sed tantùm ex consuetudine Ecclesiæ, propter potestatem, quam habent super corpus Christi verum: quapropter Episcopus; etsi Sacerdos sit; non tamen dicitur habere digniorem ordinem, quatenus ordo Sacramentum est, quàm ipse Sacerdos. Ob id etiam Sacerdotium hodiè est altioris ordinis, quàm Sacerdotium veteris legis. Vndè in veteri lege Sacerdotium dicebatur Regnum Sacerdotale; eò quòd tunc temporis per Sacerdotium promittebantur bona temporalia, & Sacerdotes Regibus erant subiecti. At in noua lege Sacerdotium appellatur Regale Sacerdotium, per quod homines reducuntur ad bona cœlestia, atque ideò Reges Sacerdotibus subduntur, vt colligitur ex *cap. satis*, 96. *d. & cap. continuam* 11. *q.* 1. & nos declarauimus in nostris *Commentar. ad Bull.*

Bull. Cœna, lib. 2. cap. 15. q. 18. num. 29.

2 Et licèt in veteri lege magna erat auctoritas quam habebant Sacerdotes, postquam quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extrà castra positus lapidabatur à populo, aut gladio ceruice subiecta, contemptum proprio expiabat cruore, vt ait *D. Hieronym. in cap. absit, 11. q. 3.* nihilominus hodiè in Euãgelica lege, propter potestatem, quam Sacerdotes habent super corpus Christi verum; & remittendi peccata, & sic super corpus Christi mysticum, longè maiorem potestatem habent: quapropter meritò *Conc. Trid. sess. 14. de confess. cap. 5* appellat Sacerdotes Dei Vicarios, & Præsides, inquiens: *Quia Dominus Iesus Christus è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur*. Vndè

3 propter eminentiam gradus Sacerdotes multò magis quàm simplices Clerici mores suos omnes componere tenentur, ità vt habitu, gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus rebus, nihil nisi graue, moderatum, ac Religione plenũ præseferant. Imò tenentur effugere etiam leuia delicta; quoniam leuia in Sacerdotibus maxima crimina censentur, vt in *Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. de reform.* aliàs in grauissimum scandali peccatum incidunt, cùm sint aliorum ruina, & causa peccati. Hinc *D. Gregor. par. 1. Pastoral.* ità se habet: *Scriptum est per Prophetam (nempè Os. cap. 9.) Laqueus ruina Populi mei Sacerdotes mali: & Ezech. 44. facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Nemo quippè in Ecclesia amplius nocet, quàm qui peruersè agens, nomen, vel ordinem sanctitatis habet: delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur.*

An Sacerdos peccet celebrando Missam antequam recitauerit saltem Matutinum.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos mortaliter an peccet, si Missam celebrauerit, non recitato saltem Matutino, & num. 3.*

2 *Lex maximè Ecclesiastica in re graui obligat sub mortali.*

3 *Magis recepta est recentiorum sententia, quòd hoc casu non peccet mortaliter Sacerdos.*

4 *Iuxtà sententiam Soti Sacerdos, citrà rationabilem causam celebrans ante Matutini recitationem, excusatur etiam à culpa veniali.*

5 *Consuetudo tunc obligat ad peccatum, quando ad illud per approbationem videtur obligare Princeps, Consuetudinem approbans.*

6 *In iure nullum datur præceptum obligans ad recitandum Matutinum ante Missæ Sacrificium nec ex Breue Pij V. id colligitur.*

7 *Defectus in re leui non potest esse plusquam peccatum veniale.*

8 *Ad summum venialem culpam contrahit, qui Missam celebrat ante Matutinum citrà rationabilem causam. Et quæ eam rationabilis excuset etiam à veniali.*

9 *Non potest cantari Missa, non absoluto in Choro Matutino, imò laudibus, & prima, iuxtà loci consuetudinem. Et quarè.*

10 *Tutior est opinio, quòd Sacerdos celebrare non possit Missam ante Matutini recitationem. Monentur Sacerdotes, vt caueant à celebratione Missæ, non recitato Matutino, optimo exemplo P. D. Ludouici de Thomasijs, qui valdè ab Auctore Commendatur, ac exemplo eiusdem Auctoris.*

11 *Lex maximè Ecclesiastica statuens de re graui, si sit iusta, obligat ad mortale, licet verbis non vtatur præscriptiuis.*

12 *Vide etiam Add. vbi ostenditur ratio, cur amplexati fuerint primam satis rigidam sententiam meus patruus, & Concionator Pontificius de Thomasio eius Præceptor.*

13 *Secunda sententia est mitior, quæ excludit peccatum mortale, et admittit tantùm veniale. Vbi vide etiam quales sint duæ propositiones damnatæ ab Alex. VII. Pontif. Max.*

14 *Tertia est mitissima, cum excludat etiam peccatum veniale, cum iusta causa.*

15 *Eadem ratio militat, secluso scandalo, de Missa sollemni, si non dicatur post Matutinum, & primam, vel post tertiam.*

16 *Quænam sit hora præcisa; in qua inchoari potest Matutinum diei sequentis, & quænam sit communis regula, & quæ opinio recentiorum.*

17 *Contrarium est dicendum de precibus diurnis ante mediam noctem eiusdem diei.*

18 *An quando Matutinum dicitur separatim à laudibus, debet in fine recitari collecta, seu oratio, sicuti nocte Natiuitatis Domini.*

19 *Ponitur pro nostro Orizonte Neapolitano tabula ad dignoscendam omni tempore horam oportunam Matutini diei præcedentis post meridiem pro die subsequenti.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est *Duran. lib. 3. de Ritib. cap. 24. Palud. in 4. d. 13. q. 2. ar. 1. Gabr. lect. 13. in Can. D. Anton. 3. p. sua summ. tit. 13. cap. 4. §. 1. Nauar. de orat. cap. 3. num. 76. & cap. 11. nu. 30. & in Man. cap. 25. num. 83. Ledes. 2. 4. q. 10. ar. 4. dub. 8. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 10. q. 4. Maiol. lib. 5. de irregular. cap. 34. num. 1. Graph. lib. 2. dec. aur. cap. 4. Angel. vers. Missa, num 42. Armil. vers. Hora Canonicæ, num 18. Anton. in Cath. Neap. lib. 2. cap 47.* & aliorum, dicentium, Sacerdotem peccare mortaliter, si Missam celebret antequam recitauerit saltem Matutinum. Et hanc opinionem communem esse testatur, *Syl. vers. Missa, 1. §. 16. & Suar. in 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 82. sec. 1. in princ. & de Relig. tom. 2. lib. 4. de hor. Can. cap. 24. num. 6.* quamuis ipsi *Suar. & Syl.* eam non sequuntur. Fundantur primò super Ecclesiæ, ac Sacerdotum Consuetudine, qui consueuerunt Missam celebrare saltem post Matutinũ: at consuetudo cùm habeat vim legis, vt in *§. ex non scripto, in instit. de iure natur. gent. &*

2 *ciu.* & lex in re graui obliget sub mortali, maximè quando est Ecclesiastica, vt latè ostendimus in

in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib.3.§. fin. q. vlt.* Ergò celebrantes Missam ante Matutinum peccant mortaliter: siquidem res, de qua agitur, grauis est, cùm talem esse communiter iudicent sapientes, quorum iudicio materiæ grauitas pensanda est. Confirmant eorum sententiam ex Breui Pij V. in princ. Missalis, in quo Sum. Pontifex districtè præcipit in virtute S. obedientiæ, Missam iuxtà ritum ipsius Missalis celebrari, & subdit, vt Sacerdotes, præuia confessione, cùm opus fuerit, & saltem Matutino, cum laudibus absoluto, orationi aliquãtulum vacent, priusquam Missam celebrent. Præceptum autem in virtute Sanctæ obedientiæ sub mortali peccato obligare, docet *Glos. in Clem. si dominium, de reliq. & vener. Sanct.* & nos adnotauimus in dictis nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib.3. § 7. q.2. in princ.* Denique probatur hæc ipsa sententia, ex eo, quod in eodem Missali inter defectus Missæ numeratur iste, nempè si celebrans non dixit Matutinum cum laudibus; at defectus peccatum est: Ergò Sacerdos celebrans Missam, non absoluto Matutino mortaliter peccat.

3 His tamen non obstantibus incontrarium est opinio apud Recentiores, maximè magis recepta, quam docent *Aragon. 22. q.83. ar.12. dub.5. Valen tom.5. disp.6. q.2 pun.10. §.5. Lopez 2. p. instr. cap. 79. §. Denique neque hic, & cap.195. §. Nunc autem, Carbo lib.9. de legib. d.9. Rodriq. tom.1. qq. Regul q 43 ar.3. in fine, & in summ par.1. cap.244. num.22. Less. lib.2. de iust. & iur. cap.37 not. vlt. Henriq. lib.9. de Missa, cap.24. num.17. Llamas in par.3. Method. cap.5. §.15. Medin. par.1. instr. confess. cap. 16. §.2 in fine, Vega in speculo Curator. cap.10. §.28. num 254. vers. Tamen, Io: Bapt. Conrad. in respons. casuum consc. casu 242. Cuc. lib 5. instit. Canon. lib.5. tit.6. num.36. Eman. Sà in Aphor. vers. Missa, num.22. Alph. Vega par.2 suę summ. cap.41. casu 16. Galet. in Margarita casuum conscient. vers. Missa. Nugn. in 3. p q.83. ar.2. Suar. p.3. q.83. disp.82. sec.1. Petr. Ledes. in summ. par.1. de Sacram. Euchar. c.23. vers. Octauò, P. Nald. in sua summ. vers. Missa, num. 8. Miran. in Man. Prælat. par.1. q.40. ar.12 q. vnica, Chamerota, tit. de Sacrif. Missæ, dub. 14. Coninch. de Sacram. tom.1. q.83. num.220. Viual. in Candel. cap. de præpar. ad Euchar. nu. 10. Fagund. de præcept. Eccl. præcep.1. lib 3. c. 17. num.23. cum plur. seq. Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg 24. sub num.15 Laym. in sua summ. lib.5. tr.5. cap.4. num 5.* Omnes præfati Doctores, & alij tenẽt, non esse peccatum mortale sacrificare antè dictas preces Matutinas. Hinc eandem opinionem docent etiam aliqui, qui non possunt dici Recentiores, nempè *Sylu. in summ. vers. Missa, 1. num 6. & Sot. lib. 10. de iustit. & iure, q.5. ar.4. & in 4. d.13. q.2. ar.2. ad*

4 *fin.* Imò quamuis alij putent, Sacerdotem citrà rationabilem causam celebrantem antè dictas Matutinas preces, peccare venialiter; *Sotus* tamen *loco citato*, etiam à culpa veniali facit illũ immunem. Probat *Sot.* suam sententiam, quoniam consuetudo in qua fundatur prior sententia, non est certa, siuè generalis sit, siuè particularis alicuius loci, aut Diœcesis: neque materia est grauis: neque constat de præcepto aliquo; atque ideò concludit, id non esse, nec culpam quidem venialem. Alij verò vtuntur eisdem fundamentis ad excludendum peccatum mortale: Sed quoniam prærecitatio Matutini, licèt non sit dispositiò ad Missam; attamen est præparatio quædam ad Missam deuotiùs, & reuerentiùs dicendam; ergò prætermittens præparationem eiusmodi, cùm transgressio sit leuis, non potest peccare ad summum, nisi venialiter.

5 Quòd non detur contraria consuetudo, patet; quoniam nos videmus quamplurimos ante Matutinas preces Missam celebrare, citrà omnem scrupulum: nec constat talem consuetudinem fuisse à S. P. approbatam; siquidem illa consuetudo obligat ad peccatum, quando ad illud per approbationem intendit obligare Princeps eam approbans, & quando subditi existimant se peccare mortaliter eam non sectantes, vt post *Syl. & Suar.* inquit *Fagund. loco citato, sub num.23.* Quòd prærecitatio Matutini non sit dispositio, nec ordinem aliquem dicat ad Missam, constat ex eo, quòd nulla connexio est inter Matutinum, & Missam: quia veteres qui hunc ordinem seruarunt non intenderunt statuere aliquam prioritatem necessariam inter Matutinas preces, & Missam; sed tantùm opportunitatem quandam congruentem. Quòd denique non sit Canon, nec præceptum aliquod quo pręcipiatur recitatio Matutini ante Missam ex resolutione contrariorum latius patebit.

Ad primum contrarium fundatum super consuetudinem iàm fuit sufficiente responsum ex supradictis.

6 Ad confirmationem ex Breue Pij V. respondetur, quod sicut in iure nullum datur præceptum sub mortali obligans ad recitandum Matutinum ante sacrificium Missæ; ità quoque huiusmodi præceptum, nec colligitur ex dicto Rom. Pontificis Breue. Etenim quamuis ibi districtè præcipiat in virtute S. obedientię Missam, iuxtà Ritum ipsius Missalis celebrari: & subdat, vt Sacerdotes præuia confessione, cùm opus fuerit, & saltem Matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacent, priusquàm Missam celebrent; nihilominus illud generale præceptum in virtute sanctæ obedientię, atque ideò cùm rigore peccati mortalis, dirigitur ad celebrandam Missam, iuxtà Ritum ipsius Missalis; atque adeò ad vtendum illo Ritu celebrandi, & ad non introducendum alium nouum: non autem ad recitandum Matutinum ante celebrationem Missæ, & ad obseruandas singulas regulas, & ordinationes ipsius Missalis in particulari: quocircà verba illa pręmittendi Matutinum ante Missam consilium potius indicant, quàm pręceptum: aliàs peccatum quoque mortale foret, Matutino cum laudibus absoluto, non vacare aliquantulum orationi.

7 Ad vltimum dicimus, quòd non ex eo colligitur, culpam mortalem esse celebrare Missam ante Matutinum, quòd id inter defectus, qui cõmittuntur in Missa connumeretur; nam cùm agatur de defectu in re leui, defectus huiusmodi non potest esse plusquam peccatum veniale. Eò maximè, quoniam mutatio Matutini, vt post Missam dicatur non est defectus grauior, quàm dicere omnes horas, cùm completorio ante preces Matutinas; & tamen si id fieret, citra omnẽ cau-

causam, esset tantùm peccatum veniale: ergò idem dicendum est in casu nostro.

8 Vndè his reiectis, concludendum est, cum *Laym. loco citato*, & alijs, hanc sententiam esse probabiliorem, & qui ea vteretur in praxi, de lethali culpa non esse condemnandus; sed ad summum venialem contraheret, si citrà rationabilem causam, Matutino non absoluto, Missam celebraret. Esset autem rationabilis causa excusandi etiam à culpa veniali, si instet tempus consuetum, quo solet Sacerdos Missam celebrare, & populus, aut aliqua persona grauis expectet, vt Missam audiat, tunc posset Missam celebrare non absoluto Matutino, vt habetur ex *Suar. loco citato*. Idem dicendum est, si fusiùs deferatur, & non adsit alius Sacerdos: aut non possit præmittere Matutinum ex causa occupationis, aut infirmitatis, vt post alios docet *Layman. d. cap. 4. sub num. 5.* Quæ quidem vera esse probant *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3. cap. 17. num. 21. Laym. vbi supra, num. 11.* & alij, de officio diuino, quod priuatè, & extra Chorum dicitur à Sacerdote, qui Missam celebraturus est, vel priuatam, vel sollemnem: secus

9 autem de cantu diuini officij qui publicè fit in Choro: nam citrà lethalem culpam non posset cantari Missa non absoluto in Choro Matutino, imò laudibus, & prima; iuxtà tamen loci consuetudinem. Etenim quamuis officium diuinum publicum, & in Choro decantatum nullum ordinem, aut connexionem habeat cum Missa, nec vnum pendeat ab alio, sed sit quid diuersum; nihilominus quia longæua consuetudo, vt Missa tertiæ, seu Missa diei solemnis nõ nisi post preces Matutinas, & primam in Choro recitatas, dicatur, citrà lethalem culpam non posset eiusmodi consuetudo immutari, cùm talis immutatio esset in materia graui, vt rectè declarat *Fagund. loco citato*, qui pro hac re citat, *Suar. d. disp. 82. sec. 1. §. Vltimò dicendum, Masol. lib. 3. de irregular. cap. 34. num. 1. aliàs 24. Henriq. lib. 9. de Missa, cap. 24 num. 7 Caiet. in summ. vers. Hora, §. 4. Sylv. vers. Missa, §. 9. Medin. cap. de orat. 9 de horis Can. recit. dub. 1. Nauar. in Man. cap. 25. num. 97. & de orat. notab. 3 num. 49 56 78. & Couar. lib. 4. var. resol. cap. 19. num. 9. in fine.*

10 Cæterùm licèt hæc quæ diximus vera esse existimemus, & præsertim opinionem, quæ excusat Sacerdotem à peccato mortali, celebrantem Missam, non absoluto Matutino, vt suprà, dicamus esse probabiliorem non modò benigniorem; nihilominus oppositam censemus esse tutiorem: nàm vt inquit *Nauar.* sententia hæc benignior præbet occasionem Sacerdotibus recitandi serò officium diuinum, etiam post prandium, & meridiem, & aliquando vidi aliquos illud recitare post Cœnam, somnolenter, tepidè, indeuotè, & valdè indecenter; & aliquoties tedio affectos illud non recitare, non sine graui Dei offensa: idcircò moneo Sacerdotes, vt caueant à celebratione Missæ, non absolutis Matutinis laudibus, nisi in causa necessitatis ad euitandũ scãdalum, aut si charitas vrgeat; eò maximè quoniam prior sententia æstimatur communis, & habet quamplurimos Doctores magni ponderis pro se, atque ideò citrà formidinem non est ab ea recedendum. Ob hanc causam dum Romæ in nostra domo S. Andreæ non dum Sacerdos commorarer, ad Sacrestiam accessit b. m. D. Ludouicus de Thomasio, Præceptor meus, Theologus, & V. I. D. eximius, insignis Concionator, quem in suum ordinarium Prædicatorem sibi assumpsit S. M. Paulus Papa V. Optimus Maximus, vir singularis sanctitatis, ac prudentiæ, ac in disciplinis moralibus non mediocriter versatus; qui quidem volens Missam celebrare, & amittum accipiens, vt sibi imponeret, vidit paramenta esse rubei coloris, atque ideò festiuitatis Martiris: propter quod aduertens se recitasse Matutinum de feria, dum debuerat recitare de Sancto, amittum deposuit, & noluit celebrare; nisi præmisso Matutino de Sancto; cuius formidinem ipse considerans, & tanti viri scientiam, ac sanctitatem perpendens, nunquam ausus fui, Diuina mihi fauente gratia, Missam celebrare; nisi recitatis prius Matutinis laudibus, nec adhùc ipsi occurrit vrgens necessitas, aut spiritalis alicuius vtilitas peruertendi talem ordinem, & sunt circà 40. anni, quòd ad Sacerdotium, non meis meritis, sed diuina miseratione, & singulari Dei gratia fui promotus. Et re vera si perpendatur grauitas Doctorum, & eorum numerus, qui priorem docent sententiam, formido transgrediẽdi præfatum ordinem, non est vani hominis: eò magis, quia talis ordo præscribitur in Missali, & si trãsgressio supponitur res grauis, prout Doctores prioris sententiæ docent, licèt Romanus Pontifex non vteretur verbis præceptiuis, prout re vera videtur vti; nihilominus transgressor fortè

11 à lethali culpa non excusaretur: quoniam lex maximè Ecclesiastica statuens de re graui secùdùm nonnullorum sententiam, si est iusta obligat ad mortale, etiam si non sit præceptiua, vt ostendimus in d. nostris *Commentar. Bull. Cœnæ loco supra relato*. Et *Tolet. qui lib. 2. sua summ cap. 1* tenet cum priori sententia, & non nulli alij dicunt dictam sententiam esse simpliciter securam, & in rigore veram. Vndè sicut dictum ordinem Dei gratia hucusque non fui transgressus, ità in futurum non auderem prætermittere, nisi compulsus ab vrgenti, & graui causa, iuxtà sententiam *Nauar. lib. de orat. cap. 3. num 7.*

ADDITIO.

12 † SED pace mei Venerabilis Patrui, qui in Sacros Ritus, & diuini cultus honorem erat adeò ardore succensus, & inflammatus, vt ne minusculam quidem ceremoniam prætermiserit: nàm cum maximo suo incommodo, ac extremo periculo, sextum, imò septimum super septuagesimum annum agens, & transiẽs antè tabernaculum Augustissimi Sacramenti, poplitem vsque ad tellurem; vel si expositum ambo genua flectebat, magno impetu se erigẽdo, ità vt videretur subire periculum casus.

Et mihi contigit, cum essem adhuc tyro verbum in seruiendo sacro non benè pronunciasse, statim ipse adijt meum Magistrum D. Andream Filingerium, innocentiæ vitæ, ac strictissimæ obseruantiæ virum, qui post quadraginta annos, adhùc illo munere summa cum laude fungebatur, à quo impetrauit tempore commo-

his colloquij, ad diluendum lapsus linguæ reatum, lapillum in meo ore tenere. Redeamus vndè discessimus: cũ Præceptor, & Discipulus, nempè Ludouicus de Thomasio, & ipse Leonardus fuissent sanctissimi viri; non est mirum si rigidissimam admisissent sententiam seruandam in persoluendo Matutinas preces ante sacrum faciendum; quamobrem nec veniale quidem perpetrasset Ludouicus, si tunc celebrasset ante persolutas Matutinas preces festiuitatis Martyris, cùm iàm absoluisset æquiualens Matutinum feriæ, & satisfecisset, quoad substantiam officij: dixi, nec veniale quidem, cùm illud non egisset dedita opera, sed casu, & ad summum ex defectu memoriæ: & quod damnat hisce temporibus Alex. VII. est propositio 34. quæ affirmabat. In die palmarum, recitans officium Paschale satisfacit præcepto; sicuti etiam ipse præfatus Summus Pontifex damnat propositionem 35. nempe vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino: nàm quoad primam propositionem apparet aperta fraus: nàm quod ad Matutinum attinet, neque sextæ parti satisfaceret, dicendo vnum pro altero; & sic defectus esset, circà substantiam officij, ac oneris, & non circà paruitatem materiæ: & quò ad secundam propositionem est apertè falsum; cùm officium sit onus diei, seù addictum tali diei, & vnusquisque dies habet peculiare officium, vt omnibus patet, & sic non potest vnico officio satisfacere pro die præsenti, & crastino. Sed ad rem nostram deueniamus, illa opinio est tenenda, quæ magis vniuersaliter tenetur, & est in praxi, scilicet posse facere sacrum ante persolutas Matutinas preces ob rationes adductas ab ipsomet meo patruo pro prima sententia: cùm primum sit præceptiuum, cætera consultiua, & directiua; & insuper nulla est connexio necessaria inter Matutinum, & sacrum. Ad id quod dicitur, quod posteà serò, vel dormitando recitetur, vel omninò relinquatur. Respondetur est alia ratio, & aliud motiuum formale; & videant ipsi, qui talia experti sunt, cùm sit maledictus qui facit opus Dei negligenter; & qui amat periculum peribit in illo, sicuti qui expertus est inebriari, debet à vino se abstinere. Et sic aliundè potest contingere culpa venialis ob nimiam dilationem Matutini, contra præceptum recitandi horas Canonicas statutis temporibus. Et tunc hoc peccatum idem erit, siuè celebretur ante persolutum Matutinum, siuè non celebretur: spectat hæc quæstio ad tractatum de horis Canonicis.

Vndè licet prima sententia, quæ affirmat teneri sub peccato mortali sit, *Palud. Gabrielis, Cenedi 99. Canon. q. 3. num. 7.* qui citat triginta DD. eiusdem sententiæ defensores: re vera altera sententia est tenenda, quæ negat obligationem

13 grauem, & sub p. m. sed fatetur aliquam obligationem, nempè leuem, & sub peccato veniali; quia communiter connexio, & subordinatio inter Missam, & officium, neque à Sacerdotibus intellecta fuit, nec recepta cum tanto rigore, & sub mortali. Confirmatur, quia maior connexio est inter ipsas horas officij diuini, vt videlicet dicatur Matutinum ante primam, quã inter officium, & Missam; & nihilominus inuersio absque causa inter partes officij, est quidem culpa, sed venialis. Ergò etiam inuersio inter Missam, & officium non excedit culpam venialem.

Posita verò iusta causa, quæ secundùm hanc sententiam non ità grauis esse debet, sicut in rigore primæ opinionis, sed minor sufficit, omninò culpa caret celebrare non præmisso Matutino, ità *Valentia tom. 3. disp. 6. q. 2. punct. 20. Fagundez prap. 1. Eccl. lib. 3. cap. 17. Sanchez opusc. conf. lib. 7. cap. 2. dub. 40. Auersa q. 1. sec. 12.* Nihilominus, *Castro Palao tom. 2. tract. 7. disp. 2. pun. 4.* cum alijs quos citant.

14 Sed probabilior est tertia sententia modò communis; quæ absolutè liberat Sacerdotes ab hac obligatione, etiam sub veniali per se loquẽdo, atque docet prioritatem illam inter Matutinum, & Missam esse opportunitatem quandam congruentiæ, & maioris decentiæ, atque esse materiam consilij, non præcepti, cum nullibi in iure datur præceptum de hac re: Rubrica verò Missalis est directiua, & instructiua, vt fusè probauit noster eruditissimus *P. Quarti q. proemiali, sec. 2. pun. 2. in suis Commentarijs Rubrica Missalis Romani*, qui insuper ait ibidem *par. 2. tit. 1. de præparat. sec. 3. de Matutino, &c. dub. 1.* quod consuetudo non inducta est animo obligandi; imò potiùs est in oppositum: plures enim sine scrupulo celebrant antè Matutinum recitatum, ità *Suarez tom. 3. in 3. p. disp. 82. sec. 1. Vasq. in opusc. tract. de benef. cap. 4. Tambur. de Sacrificio, lib. 1. cap. 6. §. 2.* cum alijs, *cit. qu. proem. supra*; & alijs plur. apud *Auersam supra*, & apud *Dianam 2. par. tract. de celebr. Miss. resol. 39.* & quamuis nonnulli dicant id excusari à mortali, & nil dicant de veniali; rationes tamen quas adducunt probant etiam excusationem à veniali. Et consuetudo in casu nostro (etiam si detur) non est obligatoria, sed maioris deuotionis; similiter connexio est congruentiæ, non necessitatis, & tandem Rubrica est directiua, non præceptiua. Sicuti fusiùs loco supra citato probat ipsemet doctissimus *P. Quartus*, qui insuper ait, cùm alijs *dub. 2.* quod per

15 se loquendo, & secluso scandalo ordo prædictus videlicet, vt Missa solemnis dicatur post Matutinum, & primam, vel post tertiam, &c. non cadit sub præcepto, sed est consilij, & instructionis; quia Rubricæ in hoc sunt directi-

16 uæ, non præceptiuæ. Quoad horam præcisè, in qua inchoari potest Matutinum diei sequentis, regula communis est, vt possit inchoari persolutis communiter in Ecclesijs, Vesperis, & completorio: quia tunc censetur incipere, quoad hunc effectum dies sequens, ità *D. Thom.* & alij, & plures adducit *Bonacina*.

Ad tollendam verò perplexitatem, quæ oriri posset ex varietate temporum, quà in diuersis Ecclesijs eiusdem Ciuitatis recitantur Vesperæ, & completorium, quod multum angebat Sanctissimum virum mei patrui Confessarium, nẽpè Venerabilem Patrem D. Vincentium Coppola videtur aptior regula, quàm nonnulli tradunt posse recitari Matutinum sequentis diei tribus horis post meridiem, ità *Azorius l. 10. cap. 9. q. 5. Henriq. Barbosa, Guantus*, quos citat noster *Diana par. 2. tract. de horis Canonicis, resol. 39.* Vndè infert *Bonacina* Matutinum

posse

posse aliquandò recitari hora vigesima, aliquãdò hora vicesima prima, aliquandò vigesima secunda, pro ratione temporum, seù longitudinis, & breuitatis diei. Addunt alij satisfieri præcepto, ità vt non peccet quis mortaliter: recitando Matutinum cùm laudibus post duas horas à meridie, ità *Sanchez in opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37. num. 4* dicens ità tenere aliquos Recentiores Magistros, & dicit probabile *Diana par. 4. tract. 4. resol. 9.* citans *Ledesmam, & par. 7. tract. 11. resol. 12. & par. 2. tract. 16. resol. 46.* quod videtur admitti posse in Hyeme, quando hora secunda post meridiem coincidit, cum hora vigesima prima horologij artificialis, vel solaris, non verò in æstate. Et ad vitandum peccatum veniale desideratur iusta causa, sic præueniendi, vt inquiunt plures citati à *Bonacina de horis Canonicis, disp. 1 q. 3 pun. 3.* Quia horæ Canonicæ recitari debent statutis temporibus; quare notabiliter præuenientes, vel postponentes, quamuis satisfaciant præcepto, quoad substantiam; peccant tamen venialiter, quoad circumstantias: & licet Ecclesia permittat, horarum præuentionem; vt satisfaciat quis præcepto, nihilominus non censetur dispensare, quoad circumstantiam, nisi ex iusta causa; & iusta causa est, quia illud est tempus congruum legitima consuetudine introductum, & melius est preces Matutinas recitare declinante die ad noctem sequentem, quàm illas differre propria die ad meridiem; atque ità consuetudo, & praxi, hanc obligationem interpetratur, vt videri potest apud *Dianam par. 10. tract. 16 resol.*

17 46. vbi plures affert DD. in fauorem huius sententiæ; quoad præces diurnas constat recitationi primæ, & aliarum horarum non satisfieri ante mediam noctem eiusdem diei, & Matutinum potest dici vnà cum laudibus, vel separatim à

18 laudibus, & tunc si in fine dicenda sit collecta, seu oratio, vt fit in nocte Natiuitatis Domini, in qua absoluto Matutino celebratur Missa, postpositis laudibus, plures affirmant, & alij negãt hoc cadere sub præcepto, quamuis laudabiliter fiat, quia nullibi hoc præcipitur, & in rubricis solùm hoc præscribitur in nocte Natiuitatis, non autem vniuersaliter, ità *Sanchez dub. 2. Bonacina, &c.* adductis à *P. Quar. ibidem*, vtrumque probabile est.

19 Pro totali complemento huius quæstionis mihi optimè videtur, si apponatur hic tabula perpetua, quæ notatur in Ordinario Neapolitano secundùm proprium orizontem ad dignoscendum omni tempore horam opportunam Matutini diei præcedentis post meridiem pro die subsequenti, vndè per totum mensem Iunij (quando sunt longiores dies) vsque ad duodecimam diem Iulij meridies est hora sextadecima, & Matutinum ponitur hora vicesima dempto quadrante; & à die 13. Iulij vsque ad vltimũ meridies est hora sextadecima cum quadrante, & Matutinum hora vicesima, & à 1. Augusti, vsque ad 15. meridies est hora sextadecima cum dimidio, & Matutinum ponitur, etiam hora vicesima, à die 16. Augusti vsque ad 25. meridies est hora 16. cum tribus quadrantibus, & Matutinum hora vicesima, cum quadrante etiã per totum quartum diem Septembris, licet meridies sit hora 17. posteà à die 6. Septembris vsque ad 27. (relicto meridie) Matutinum est hora vicesima, cum dimidio à die 28. Septembris ad 10. Octobris Matutinum est hora vicesima cum tribus quadrantibus; & deindè vsq; ad 15. Nouembris Matutinũ est hora vicesima. Postremò vsque ad 15. Februarij Matutinum est hora vicesima prima, cum quadrante. In cæteris Climatibus possunt Astronomi, iuxtà cuiuslibet Orizontis diuersitatem, & graduum numerum similiter efformare discursum.

An, & quando peccet Sacerdos celebrãdo Missam antè lucem, vel post meridiem. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos celebrans ante lucem, vel post meridiem, an peccet, & quid dicendum de communicante.*

1 Hanc controuersiam sufficienter explicauimus suprà *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 5.* de præcepto Sanctissimæ Eucharistiæ tractantes, vbi etiam egimus de communicantibus, an faciant contra reuerentiam tanti Sacramenti, cõmunicando mane ante lucem, vel post meridiẽ, & conclusimus partem negatiuam hoc casu esse veram: non sic sacrificare ante lucem, aut post meridiem: & rationem diuersitatis assignauimus: qua propter, ne bis idem repetere videamur, præfatæ sectioni nos remittimus.

An Sacerdos peccet non celebrando Missam cùm possit. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, non legitimè impeditus, celebrare omittens, secundùm* Bedam, *quid mali agat. Et an peccet mortaliter, si quotidiè non celebret.*

2 *Communis est sententia, quòd Sacerdos non peccet, si quotidiè celebrare omittat.*

3 *Sacerdos simplex, qui curam animarum non habet, nec beneficium, vel Cappellaniam, si nunquam celebret, quod non peccet mortaliter, qui nam affirment? & num. seq.*

4 *Verior, & probabilior est apposita sententia quòd scilicet peccet Sacerdos si nunquam celebret in anno, etiam seclusc scandalo, & cõtemptu.*

5 *Animarum curam habentes, & non impediti, si quotidiè non celebrent, haud peccant mortaliter, si tamen frequentius celebrent, vt suo muneri satisfaciant.*

6 *Parochus si ratione Consuetudinis, vel fundationis teneretur Missam pro Populo offerre, vel pro defunctis, & talis obligatio nota sit Populo, & Parochianus pro se offerri sacrificium postulet oblato stipendio, censetur renunciari suo iuri, & contentus esse secunda intentione.*

7 *Sacerdos, qui quotidiè sacrum celebrare pro* ali-

aliquo se obligauit, si celebrare omittat, proculdubio peccant, sed aliquando excusatur.

8 *Verba præcitata* Bedæ *probant ad Summum Sacerdotem non celebrantem, peccare venialiter, non mortaliter.*

1 IN hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse. Etenim legitur de *Beda* allegato à *Gabr. lect.* 87. in Canone Missæ, ità se habente: *Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens quantum in eo est, priuat Sanctissimam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes venia, Ecclesiam speciali Christi beneficio, & se ipsum medicina, ac remedio.* Si igitur Sacerdos non impeditus omittens celebrare priuat tot bonis spiritualibus non solùm creaturas rationales, sed etiam Angelos, ac ipsam Sanctissimam Trinitatem, proculdubio videtur dicendum eiusmodi Sacerdotem, citrà rationabilem causam Sacrum celebrare prætermittentem, culpam contrahere. Confirmatur inoleuit consuetudo sacrificandi quotidiè à singulis Sacerdotibus, vt probant Africani Patres, nempè *D. Cypr. lib.* 1. *Epist.* 2. *D. Ambros. orat. in fun. fratris, S. Hieronym. lib.* 1 *aduersus Iouinian. Siricius Papa in Epist. ad Himer. cap.* 7. *D. Chryst. homil.* 17. *in Epist. ad Hebr.* Imò eiusmodi consuetudo ortum habuit ab initio nascentis Ecclesiæ: nàm B. Andreas Apostolus gloriatus est, se quotidiè Missam celebrare, inquiens: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus, & verus est immolo quotidiè non tantùm carnes, nec hircorum sanguinem; sed immaculatum agnum in altari, &c.* Vndè à præfata Consuetudine citrà culpam non videtur posse recedi. Denique Sacrificium nouæ legis non arctatur loco, & tempore sicut iudaicum, sed iuge, ac continuum esse debet, iuxta prophetiam *Daniel. cap.* 12. & *Malach. cap.* 1. quē explicat *Tertull. lib* 4. *contra Marcion.* & alij. Ergò Sacerdos non potest citrà culpam omittere Sacrificium Missæ quotidiè, si non est impeditus.

2 His tamen non obstantibus in contrarium est communis sententia. Siquidem nullum adest præceptum, nec Canon, nec consuetudo, quibus obligetur Sacerdos ad celebrādam Missam quotidiè non impeditus, nec id ex institutione huius Sacrificij id colligitur, vt patet; ergò non est, cur peccet, si Missam non celebret, cùm possit, eò quòd omne peccatum prouenit ex transgressione alicuius legis, seù præcepti.

3 Ampliatur hæc conclusio, vt adeò vera sit, vt Sacerdos simplex, cui nulla est animarum cura commissa, nec Ecclesiasticum beneficium habet, nec Cappellaniam, neque aliquam aliundè obligationem, secluso scandalo, & contemptu, non peccare mortaliter si nunquam sacrificet, vt per *Alex. Alens.* 4 *p. q.* 51. *num.* 2. *Bonauen in* 4 *d.* 12 *p.* 2 *ar* 2. *Gabr. in Canone Missa, q* 87 *Sot. in* 4 *d.* 13 *q.* 1. *ar.* 10 *Petr Sot. tit. de Eucharestia, lect* 7. & 1 *p. Pastor. lect.* 9. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 13. *cap.* 16 §. 12. *Caiet.* 3. *p q* 82. *art.* 12. *Palat. in* 4. *d.* 13. *disp.* 2 *Victor. in sum. de Sacram. num.* 94. *Ledes.* 1. 4 *q.* 23. *num.* 10. *Richar. in* 4 *d.* 13. *ar.* 2 *q.* 2. *Henriq. lib.* 9 *de Missa, cap.* 23. *num.* 2. *Suar. tom.* 3. *in* 3. *p. disp.* 80. qui duo vltimi dicunt hanc opinionem esse probabilem: & mouentur ex eo, quòd nullibi in iure reperitur præceptum aliquod diuinum, aut humanū Sacerdotibus, ex eo præcisè, quòd Sacerdotes sint, esse impositum de celebranda Missa: ergò secluso scandalo, & contemptu, non obligantur Sacerdotes celebrare, nec non celebrantes peccant, etiam cessante quocunque impedimento. Confirmatur, quia obligatio celebrandi non oritur præcisè ex officio Sacerdotali: nàm licèt Sacerdotibus ex vi sui muneris detur potestas sacrificandi; non tamen ex hac potestate oritur necessitas; quoniam potestas ex se latius patet, quàm necessitas; eo magis, quia huiusmodi potestas est velut priuilegium: at proprio Priuilegio quilibet potest renunciare. Sed hæc sententia licèt sit probabilis; nihilominus opposita

4 censetur verior, ac probabilior, quam docent *D. Thom. in* 3. *p qu.* 82. *ar.* 10. & *in* 4. *d.* 13. *qu.* 1. *ar.* 2. *quæstiun.* 1. *ad* 2. *Suar. tom.* 3. *in D. Thom.* 3. *p q.* 80 *sec.* 1. §. *Propter hac multi, Henriq. lib.* 9. *de Missa, cap.* 23. *num.* 2. *in fine, Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 10. *cap* 24. §. *Altera opinio, Durand. in* 4. *d.* 12. *q.* 2. *Nauar. in Man. c.* 25. *num.* 88. *Syl. vers. Missa,* 1. *q.* 7. *Angel. eod. vers.* §. 44. *Cardin. in cap dolentes de celebr. Missar. Archid. in cap. sufficit, de consec. d.* 1. & alij, quos refert, & sequitur, *Laym. lib.* 3. *sua summ. Theol. tr.* 5 *cap.* 3. *num.* 1. & *Fagund. de pracep. Eccl. pracep.* 1. *lib* 3. *cap.* 15. *num* 3. dicentes, peccare mortaliter Sacerdotes nolentes Missam celebrare aliquoties saltem in anno, etiam secluso scandalo, seu contemptu. Probatur hæc sententia primò, ex præcepto Diuino de sacrificando facto Sacerdotibus a Christo Domino in eorum promotione: siquidem *Concilium Tridentinum, sess.* 22. *cap.* 1. De Sacrificio Missæ, docet, Christum Dominum in nocte Cœnæ, Apostolis, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, eorumque Sacerdotibus, vt offerrent, ac sacrificarent, his verbis: *Apostolis, quos nunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit: & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, pracepit per hac verba, Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Hoc idem repetit ipsum *Concilium, sess.* 23. *c.* & *Can.* de Sacramento ordinis. Et eadem *sess. de reform. cap.* 14. præcipit Episcopis, vt curent, quòd Sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus; si autem habeant curam animarum, tàm frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. Vndè Concilium, circà Missarum celebrationem non præcipit, quia supponit præceptum esse Diuinum; sed Episcopos tantùm monet, vt curent, quòd Sacerdotes eorum obligationem impleant: siquidem non constabat quoties, vel quibus diebus tenebantur Sacerdotes sacrificare ex vi Diuini præcepti; idcircò præcipit, vt saltem fiat sollemnioribus festis, & in Dominicis diebus, &c. Confirmatur hæc ipsa sententia ex *cap. dolentes, de celebr. Missar.* vbi inter alia peccata aliquorum Sacerdotum, quæ ibi recensentur vnum est, quòd vix quater in anno celebrabant. Ergò non solùm peccat Sacerdos nunquam sacrificando, sed etiam ter, ò quater in anno Missam tantum celebrando. Denique patet

ex

ex illo *D. Ambros.* relato à *D. Thoma in 3. p. q. 82. num. 10.* & ità se habente: *Graue est, quòd ad mensam tuam Mundo corde, & manibus innocentibus non veniamus: sed grauius est, si dũ peccata metuimus, etiam sacrificium non reddamus.* Vndè his sic stantibus patet responsio ex dictis. Satis enim probauimus, præceptum de sacrificando esse Diuinum, ob illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* An autem Sacerdos simplex non sacrificando Dominicis diebus, & diebus sollemnibus, iuxtà *Conc. Trident. d. cap. 14.* peccet mortaliter, si sacrificet ter, aut quater in anno, latè declarat *Fagund. loco citato.*

5 Secundò ampliatur, vt nec animarum curam habentes, & non impediti, peccent mortaliter, si quotidiè Missam non celebrent, sed satis est si frequentiùs sacrificent, quàm Sacerdotes simplices, vt proprio muneri satisfaciant, vt patet ex *Conc. Trid. d. cap. 14.* in illis verbis: *Si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Dicitur autem Sacerdos curatus suo muneri satisfacere si per se, vel per alium omnibus illis diebus celebret, quibus plebs ipsi subdita ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debet, vt habetur ex *Soto in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 24. Coninc. q. 83. ar. 2. dub. 1. concl. 1. Tolet. lib. 2. sua sum. cap. 3.* & hãc sententiam communem esse testatur *Laym. lib. 5. sua sum. Theol. tr. 5. cap. 3. num. 2.* vbi tamen addit, *vers. Adde secundò*: decens esse, vt Parochi, qui vberiores redditus habent, sæpius quoque in hebdomada sacrificent: & *Sot.* ac *Azor.* locis citatis putant, eum ad id obligari. Sed in hoc consuetudinem cuiusque Ecclesiæ attendẽdam esse, ait ipse *Laym.* qui *num. 3.* cum *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 86. sec. 1.* & alijs, contra *Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 3. ar. 1.* inquit tamen, Parochum obligatum esse ad celebrandum Missas, vt supra, vt subditi audire eas valeant, ac interesse; non autem pro eisdem offerre. Etenim beneficia curata propriè instituta sunt ad pascẽdum Populum verbo, & Sacramentorum ministratione; non item ad sacrificandum pro illo: quoniam id non pertinet ad directionem, aut spiritualem pastum ouium commissarum. Verum tamen est, quòd Parochi, & alij Pastores ex lege charitatis tenentur pro subditis intra, & extra sacrificium preces fundere, & aliquando sacrificium offerre.

6 Illud autem nolui silentio prætermittere, quod idem *Laym.* docet loco citato, *nu. 4.* nempè, quòd si illis diebus, quibus Parochus ratione consuetudinis, aut fundationis tenetur sacrificium offerre pro Populo, vel pro Defunctis, Parochianus aliquis sacrificium pro se offerri postulet, & dicta Parochi obligatio ipsi populo nota sit; tunc Parochianus stipem offerens pro Missa celebranda censetur iuri suo renunciare; atque ideò contentus esse secundaria intentione, & fructus applicatione; maximè si Parochus tenues reditus habeat. Dixit: *Ipsi populo nota sit*, nàm aliàs secus esset dicendum, pro qua re allegat *Henriq. lib. 9 sua summ. cap. 22. Suarez d. disp. 86. sec. 3. & Sot. lib. 9. de iustit. & iur. qu. 3. art. 1.*

7 Sic ampliata limitatur dicta conclusio in Sacerdote, qui quotidiè sacrum pro aliquibus celebrare se obligauit, siuè Cappellanus sit, siuè quiuis alius ratione beneficij, aut specialis promissionis: tunc enim si non celebret, cùm possit, proculdubio peccat. Nam Cappellanus ex iustitia tenetur earum Missarum numerum celebrare, quem litteræ fundationis requirunt; atque ideò si fundatio quotidianum sacrificium exigat, quotidiè tenetur celebrare, si personæ obligationem imponat: quòd si numerum Missarũ tantùm exigat in tali loco, satis est si Missarum numerum per alium impleat. Est tamen verum, quòd quando personæ onus imponitur, licet Cappellanus per se quotidiè celebrare obligetur in altari designato; id tamen intelligendũ est, quatenus potest, salua honestate, ac deuotione, *arg. tex. in c. significatum, de praben.* vbi *Panor. Syl. ver. Missa, 1. q. 7. Nauar. in Man. c. 25 num. 135. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 24. q. 7. Tolet. lib. 2 sua sum. cap. 3. & Laym. d. cap. 3. num. 6.* qui testatur, in quibusdam Ecclesijs consuetudinem esse, illis Cappellanis, quibus quotidiani sacrificij obligatio incumbit, vnum vacationis diem in hebdomoda largiri: siquidem propter humanam fragilitatem, Sacerdotes præcipuè Sæculares, omnibus omninò diebus ad sacrificandum non sunt dispositi. Imò subdit *vers. Sed dubium est*, post *Petr. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 2. num. 210.* quòd si Cappellanus quotidiè, seù ter, aut quater in hebdomada celebrare obligatus, infirmitate, aut simili inuoluntaria causa impediatur, si impedimentum breui tempore duret, nempè vna, vel altera hebdomada, aut vno mense; in dubio nõ est præsumendum, fundatorem, & Ecclesiam obligare velle ad compensandum, aut ad supplendum per alium. Etenim quamuis herus iure licito possit detrahere partem ex mercede famuli pro rata suæ ægritudinis, vt in *l. si vno, §. item cum, ff loc. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 13. num. 8.* & alij; nihilominus si pius est, & misericos, non detrahet. Quòd si infirmitas, aliuduè Cappellani impedimentum diutiùs duret, tunc Vicarius est constituendus, qui suppleat, ne longo tempore Ecclesia, ac fundator spirituali fructu priuentur. Quod tamen limitat ipse *Laym.* & rectè; nisi stipendium tenue sit, & alẽdo Cappellano infirmo necessarium; quoniam etiam dominus famulo ægrotanti necessaria alimenta præstare debet, per Doctores supra relatos.

8 Ad contraria facilè respondetur, & ad primum dicitur, quòd *Beda* verba ad summum probant, Sacerdotem citrà impedimentum aliquod Missam celebrare prætermittentem, peccare venialiter faciendo præter legem; non autem mortaliter, cùm non faciat contra præceptum aliquod, atque ideò contra Diuinam legẽ. Ad confirmationem respondetur negando adesse in Ecclesia consuetudinem celebrandi sacrũ quotidiè à Sacerdotibus. Et quamuis id legatur à multis Sanctis fuisse seruatum; attamen consuetudo inducitur à communitate, non autẽ à particularibus. Et quamuis daremus antiquitus fuisse talem consuetudinem; ad præsens non adest, vt notoriè patet.

An Sacerdos peccet celebrando certis diebus.

S E C. IV.

SVMMARIVM.

1 *Sacrificare in 5. feria maioris hebdomada, an licitum sit cuicunque Sacerdoti.*
Et an standum sit consuetudini, dictanti, quòd solus Prælatus celebret, & cæteri se communicent.

2 *Peccat grauiter Sacerdos, qui Missam celebrat in die Parasceues.*
An sit licitum eo die communicare Laicorum more.

3 *Sabbato Sancto, vltra Missam solemnem, licitum est per se loquendo Missam priuatam celebrare, secluso tamen scandalo.*

4 *Sabbato Sancto per se loquendo licitum est vltra Missam solemnem alias Missas priuatas celebrare etiam citra omnem superiorum licentiam.*

5 *Hodiè non potest Missa priuatim celebrari in die Sabbati Sancti, nisi secreto in Cappellis.*

6 *Si acciderit festum Annunciationis B. M. in feria 5. Cœna Domini, vel Sabbato Sancto, non solùm potest, sed debet Superior facultatem dare Sacerdotibus, vt sacrificent non tantùm secretò, sed etiam publicè.*

7 *Si incidat festum de præcepto in die Veneris Sancti, an teneantur fideles audire illam Missam.*

AD explicationem tituli huius quæstionis est adnot. quòd dubitatio potest esse de tribus anni diebus, nempè de quinta feria Maioris hebdomadæ, de die Parasceues, & sic de feria 6. eiusdem hebdomadæ, & de Sabbato Sancto. Et ideò pro explicatione d. difficultatis sit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 PER se loquendo licitum est, cuique Sacerdoti sacrificare 5. feria Maioris hebdomadæ, & sic in die Cœnæ Domini. Hæc conclusio est *Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Suar. to. 3. in 3. p. disp. 2. sec. 80. §. Superest verò explicandum, Nauar. in Man cap. 21. num. 88. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10 cap. 24. q 5. in princ. Cõninc. q. 83. ar. 2. dub. 2. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3. cap. 16 sub num.* 14. & hanc sententiam communem esse contra *Francolin.* testatur *Laym. in sua sum. Theol. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 9.* Mouentur ex eo, quòd nihil de hoc iura statuunt, nec est lex aliqua, quæ id prohibeat, nec aliqua consuetudo, quæ vim legis habeat: nam quamuis multi Sacerdotes eo die non sacrificent; tamen quamplurimi alij docti, ac timorati sacrificant citra omnem scrupulum. Est tamen verum, quòd si in aliquo Conuentu adsit consuetudo, quæ sub præcepti obligatione vrgeat, vt in illo die solus Prælatus celebret, & omnes alij Sacerdotes communicent, tali consuetudini standum est, ità vt nullus Sacerdos citra Prælati licentiam celebret, vt per *Azor. loco citato, q. 7.* quem refert, & sequitur *Laym. d. num. 9. in fine.* Etenim eiusmodi consuetudo esset rationabilis; nàm posset prouenire ex deuotione, vt Sacerdotes omnes in solemni communicent ad imitationem Apostolorum, qui in Cœna vltima Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum de manu Christi Domini sumpserunt, cuius antiquissimæ Consuetudinis meminit ordo Rom. in officio de Cœna Domini. Et hæc est ratio fortè cur Cardinalis Sabellius S. M. dũ esset Vicarius S. Pontificis, & Supremus Inquisitor, prohibuerit, fer. 5. in Cœna Domini in singulis Ecclesijs plures Missas celebrari, sed vnam tantùm permisisse, iuxtà veterem consuetudinem, vt ex *Francolino*, testatur *Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 2. cap.* 47. In nostris autem Ecclesijs numquam Sacerdos sacrificare audet, nisi à Prælato licentia obtenta, cui facilè solet concedi, vt omnes Sæculares quoad fieri potest, eo die Missam audiant.

SECVNDA CONCLVSIO.

2 PEccat grauiter Sacerdos Missam celebrans in die Parasceues, & sic fer. 6 maioris hebdomadæ. Hæc conclusio est communis, quam docent *Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Azor. tom. 1. instit. moral. cap 24. q. 3. §. Richardus, Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 80. sec. 2. §. Secundus dies est, Fagund. de præcep. Eccl præcep. 1. lib 3. cap. 16. nu.* 15. vbi plures alios allegat, *Reginald. lib. 29. sue prax. num.* 170. *Molfes par. 1. sua summ. tr. 3. c. 14. num. 21. Laym. in sum. Theol. lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 7.* & alij communiter. Probant primò hanc conclusionem ex *tex. in cap. Sabbato, de consecr. d. 3.* in illis verbis: *Vt traditio Ecclesia habeat, Sacramenta penitus non celebrari,* vbi *Glos. vers. Celebrari,* intelligit, fer. 6 Parasceues, & Sabbato Sancto, prohibere celebrationem corporis, & sanguinis Domini, & sic Missam. Rationem autem hanc esse, ait *D. Thom 3. p. q 83. ar. 2. ad 2.* quia dum Christus in ara Crucis eo die se obtulit Patri in Sacrificium cruentum: non debet ab alijs offerri eius memoriale: nec sacrificare debent amici, dum trucidant inimici. Non tamen illicitum illo die communicare Laicorum more, per se loquendo, & secluso scandalo, vt docet *Suar. loco citato, Fagund. d. cap. 4. num 16. Laym vbi supra.* Etenim in ordine Romano antiquo in officio Parasceues, in fine dicitur: *Et communicent omnes silentio. D. Gregor.* pariter in *lib. Sacramentorum*, vt *Pameisus* testatur in Liturgijs Latinis, inquit: *Communicet Sacerdos, & omnis plebs.* Idem constat ex sermone *D. Dorothei, de mendacio,* non longè post principium, *Amalario lib. 1. de Eccles. offic. cap.* 15. & ex alijs. Vndè olim non solùm id non erat prohibitum; sed erat in vsu. Confirmatur etiam ratione, quia cùm hæc actio sit per se bona, & in iure non constat de prohibitione aliqua, non est cur tanquam mala damnetur. Nec obstat *tex. in d. cap. Sabbato;* quia *tex.* ille per Sacramenta celebrari, intelligit Missæ Sacrificium, vt per *Glos.* ibi, atque ideò ibi prohibetur in die Parasceues celebrari Missam, non autem more Laicorum communicare. Nec obstat, quòd hodiè per non vsum introductum est, ne fideles eo

eo die communicentur; quoniam, vt rectè respondet *Fagund. vbi supra, num. 16. in fine*, sola negatio actus satis non est ad introducendam legem: & eo magis, quoniam ille non vsus inductus est tantùm, quia omnes ferè communicant feria 5. in Cœna Domini.

TERTIA CONCLVSIO.

3 Sabbato Sancto vltra Missam sollemnem licitum est per se loquendo, & secluso scandalo, Missam priuatam celebrare. Hæc conclusio est *Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Guttier. lib. 1. Canon. qq. cap. 30. num. 36. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 80. sec. 2. §. Tertius dies, Coninc q. 83. ar. 2. dub. 2. Scorto, lib. 2. cap. 6. Azor. par. 1. inst. moral. lib. 10. cap. 20. q. 4. Reginal. lib. 29. sua prax. num. 170. Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 132. num. 18. Molfes. par. 1. sua sum. tr. 3. cap. 17. nu. 41. Layman. in summ. lib. 5. tr. 5. cap. 4. num. 8. & Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 1. lib. 3. cap. 15. nu. 17.* Probant ex eo, quòd licet de iure antiquo, id fuerit prohibitum per *tex. in d. cap. Sabbato, de consecr. d. 3.* nihilominus hodiè, quia cessat ratio illius, fuit abrogatus Canon ipse, qui simpliciter prohibet fer. 6. Parasceues, & in die Sabbati Sancti Missam celebrari, atque ideò etiam solemnem. Pro cuius rei explicatione est adnot. quòd vt ait Innoc. Papa in Epistola prima ad Decentium, de qua in *in d. cap. Sabbato*, fer. 6. maioris hebdomadę, & Sabbato S. ex Ecclesiæ traditione Missæ non celebrantur: nã constat Apostolos biduo isto in mętore fuisse, & propter metum Iudæorum se occultasse, ac ieiunasse. Vndè Ecclesia non solùm in die Parasceues, sed tota die Sabbati Sancti in ieiunio, luctu, & repræsentatione mortis Domini perseuerabat, & vsque ad mediam noctem, & vsque ad initium Dominicæ Resurrectionis solebat cessare ab oblatione Sacrificij Missæ; eò magis, quoniam per totum illum diem Sabbati repræsentabat Ecclesia requiem Christi Domini in sepulcro, & erat quasi in mętore posita expectans Dominicam Resurrectionem. Postea verò Ecclesia ipsa illam Missam, quę post mediam noctem in Dominica Resurrectionis dicere solebat, iuxtà collectam illius, quæ incipit: *Deus, qui hanc sacratissimam noctem, &c.* tanti męroris impaciens anticipauit; atque ideò ab illa hora, in qua Ecclesia officium Sabbati Sancti celebrat, incipit festiuo gaudio, & alacritate Dominicam Resurrectionem celebrare: & proptereà ab illa hora cessauit ratio, propter quam in *d. cap. Sabbato*, potuit sacrificium prohiberi. Et quia causa prohibitionis militat in die Parasceues, idcircò ea die non celebratur Missa: siquidem Sacerdos in solemni die Parasceues non consecrat, sed hostiam pridiè consecratam, & asseruatam vino infectam sumit, eo magis, quoniam, vt inquit *D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 2. ad 2.* cũ Ecclesia colat, & exhibeat realem passionem, & cruentum sacrificium Christi, idcircò non repræsentat mistice, & sic non immolat incruętè. Cùm igitur hodiè cesset causa dictæ prohibitionis in particulari, cessat etiam prohibitio generalis, quoad omnes Missas, atque ideò per se loquendo, & secluso scandalo in die Sabbati Sancti non solum Missa sollemnis celebratur, sed etiam possunt celebrari aliç Missæ: siquidem antiquum ius, *d. cap Sabbato, de consecr. d. 3.* cum sit abrogatum, quoad solemne officium, & vnam Missam publicam in singulis officijs, censetur quoque abrogatum, quoad omnes Missas; quia non est maior ratio de Missa publica, quàm de priuata.

4 Ampliatur hæc conclusio, vt in die Sabbati Sancti per se loquendo licitum sit vltra Missam publicam, & solemnem celebrare alias Missas priuatas, etiam citra omnem superiorum licentiam, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 80. sec. 2. §. Tertia dies, Guttier. lib. 1. Canon. qq. cap. 30. num. 36. Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 2. Fagundez. de pracep. Eccl. pracep. 1. lib. 3. cap. 15. sub num. 17. in fine*, & hanc sententiam probabilem esse inquit *Laym. lib. 5. sua sum. tr. 5. cap. 4. sub num. 8.* vbi etiam refert *Suar.* & alios testantes eandem fuisse vsu receptam à quibusdam viris probis, ac doctis. Et id ob rationem, quam suprà retulimus, nempè, quòd tota ratio, cur olim prohibitum fuerit die Sabbati Sancti celebrare, hodiè cessat.

5 Sic ampliata limitatur hæc conclusio, vt quamuis per se loquendo, & cessante scandalo possit Sacerdos, etiam citra Superioris licentiã prædicto die Sabbati Sancti celebrare Missam, vt suprà per rationem superius allatam; id tamen hodiè fieri non potest, nisi in Cappellis secretò, vt per Doctores paulò suprà relatos, cùm vsus receptissimus sit eo die celebrandi vnam tantùm Missam, & hanc solemnem in singulis Ecclesij, vt testatur *Nauar. in Man cap. 25. nu. 88.* cuius vsus, seu consuetudinis violatio citra culpam publicè fieri non potest, nisi concurrat Superioris licentia. Vndè hodiè inoleuit consuetudo, vt ex iusta, ac rationabili causa, & ob commoditatem Populi, propter multitudinem non valentis assistere Missæ solemni, licitum sit alicui Sacerdoti priuato ex licentia Superioris celebrare Missam in die Sabbati Sancti; sicut

6 in die Cœnæ, vt suprà ostendimus. Imò datur casus, in quo Superior non solùm possit; sed etiam debeat dare facultatem Sacerdotibus priuatis celebrare Missam, in dictis diebus Sabbati Sancti, & Cœnæ Domini, & curare, vt sacrificent non tantùm secretò, verum etiam publicè in Ecclesia, cùm scilicet festum de præcepto in illis diebus occurrat, vt sæpè solet festum Sãctissimæ Annunciationis; vel adsit in aliquo loco consuetudo audiendi Missam de præcepto in die Cœnæ Domini: tunc enim cùm fideles teneantur audire Missam, & non possint omnes assistere Missæ solemni; tunc potest, imò debet Episcopus dare facultatem, & procurare, vt in dictis diebus vltra solemnem alia quoque celebretur Missa, vt habetur ex *Azor. par. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 20 q 4 Suar. d. disp. 80. sec. 2. §. Tertius dies, Reginal. lib. 29. sua prax. num. 170. Vasq. tom 3. in 3. p. disp. 132. num. 15. 16. 17 & 18. & Molfes par. 1. sua summ. tract. 3. c. 17. num. 22. 23. 24. & 41.* vbi etiam probat, quòd

7 Missa in die Veneris Sancti nullo modo est de præcepto, etiam si tunc incidat festum; quia in illa die non celebretur Missa, vt suprà diximus, cum non offeratur integrum sacrificium; licèt aliqui teneant contrarium, quos refert *Vasq. loco citato, vers. Caterùm igitur*, ità vt si festum de

de præcepto occurrat; illa die teneantur fideles, qui possint, audire Missam illam in vna specie, & quantum possint satisfacere: quam sententiã tutiorem esse, inquit *Molfes. vbi supra.*

An Sacerdos aliquo casu possit pluries eadem die Missam citra culpam celebrare. SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Sufficit Sacerdoti vnam in die Missam celebrare, & felix est ille, qui vnam dignè celebrare potest.*

2 *Regulariter, & per se loquendo Sacerdos non potest, nisi vnam Missam in die celebrare, præter quam in tribus casibus, & præcipuè in die Natalis Domini, alias peccãt mortaliter.*

3 *An licitum sit in die Natalis Domini celebrare omnes tres Missas in nocte.*
Et in quibus alijs casibus possit Sacerdos pluries celebrare.

4 *Respondetur ad* Tex. in cap. sufficit de consec. 1. dist.

5 *Dispar ratio militat in communicando, & sacrificando, & an possit quis pluries in die cõmunicare, si vrgeat necessitas.*

1 IN hac re videtur prima frontè negatiuè respondendum esse. Probatur ex *tex. in cap. sufficit, de consecr. d. 1.* vbi vnam Missam celebrare singulis diebus satis esse decernitur, his verbis: *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valdè felix est, qui vnam dignè celebrare potest.* Confirmatur, quia non potest quis vna die pluries communicare, etiam si post primam communionem superueniat periculum mortis, ità vt velit per viam Viatici Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum iterum sumere; vt suprà ostendimus, *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 4. per totam*: Ergò non potest quis pluries in die sacrificare citra culpam; quoniam Sacrificium Missæ perfici nequit, nisi Sacerdos communicet in vtraque specie.

2 His tamen non obstantibus, in contrarium est veritas. Licèt enim regulariter, & per se loquendo, vnus Sacerdos non possit, nisi vnam tantum Missam in vna, & eadem die celebrare, aliàs mortaliter peccaret, vt communiter docẽt Doctores, & patet ex *d. cap. sufficit*, in illis verbis: *Qui pro pecunijs vna die plures Missas facere præsumunt, non euadunt damnationem.* Nihilominus in multis casibus potest plures Missas vna, & eadem die celebrare, vt ostendimus *d. 4. sec. 4. concl. 3. vers. Est tamen verum.* Vbi tres præcipuè casus enumerauimus, quorũ primus est dies Natalis Domini, in quo licitum est ter sacrificare, vt in *cap. nocte Sancta, de cõsecr. d. 1.* ità se habente: *Nocte Sancta Natiuitatis Saluatoris Missas celebrent Præsbyteri.* Vbi est adnot. quòd Canon simpliciter loquitur de Missis in plurali: & propterea vi dicti Canonis omnes tres Missæ possunt celebrari de nocte ante auroram: quoad intelligendum est de Missis priuatis, secus autem de solemnibus, vt rectè declarat *D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 2. in corp.* & in eum *Suar. d. disp. 80. sec. 4. vers. Tertiò inquiri potest*: quibus adde, quæ cumulauimus suprà *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 4. concl. 2. & 3.* Vnde nimis rigorosa videtur opinio *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3 cap. 16. sub num. 3.* & aliorum dicentium simpliciter illicitum esse celebrare omnes tres Missas in Nocte Natalis:

3 Nam quamuis sit optimus celebrandi modus, vt prima media nocte: secunda diluculo: tertia hora tertia dicatur; nihilominus talis modus nullo Canone præcipitur; quin etiam de nocte celebrari posse omnes tres Missas non obscurè colligitur ex *d. tex. Nocte Sancta*; atque ideò dictum ordinem non seruantem in Missis priuatis arbitror non peccare, nec venialiter quidẽ. Nam ordo huiusmodi ex vi consuetudinis fertur in Missis solemnibus; non autem priuatis, vt vidi seruari à multis doctrina, ac bonitate singularibus, & in nostra Congregatione citra omnem scrupulum, ità practicatur. Secundus casus est, si necessitas vrgeat in festo admodùm solemni dicendi Missam pro Defunctis, iuxtà declarationem traditam à *Suarez d. disput. 80. sec. 3.* & iuxtà ea, quæ nos adnotauimus *tom. 1. §. 2. disp. 2 sec. 4. concl. 3. vers. Est tamen verum.* Vbi retulimus tertium denique casum, nempè vbi Parochus plures Parochias habeat: nàm tunc non solùm duas, sed etiam tres Missas si opus fuerit, poterit celebrare; quia adhoc cẽsetur taciè dispẽsatus à S. P. Quæ quidem intelligenda sunt, dummodò Parochus alios Sacerdotes non habeat, & ieiunus celebret, non sumpta purificatione. Extra præfatos casus pluries celebrantes, non solùm peccant mortaliter, verum etiam pœna extraordinaria veniunt puniendi, vt rectè declarat *Molfes. par. 1. suæ summ. Theol. tr. 3. cap. 10. num. 44. 45. & 46.* Etenim licèt quamplurimi alij casus à Doctoribus recenseantur, de quibus latè *Fagund. d. c. 16. à n. 4. vsq; in finem: & Laym. lib. 5. suæ sum. tr. 5. cap. 4. sub num. 3.* qui quidem casus olim erant rationabiles, propter penuriam Sacerdotum: at hodiè ob Sacerdotum multitudinem raró contingit, vt in illis casibus Sacerdos pluries eadem die rationabiliter, ac licitè sacrificare possit, vt inquit *Fagund vbi supra sub num. 22.* vndè exceptis illis tribus casibus, quos suprà retulimus, omnes alij abierunt in desuetudinem: at vbi illorum necessitas occurrerit, adhùc eodem die bis sacrificare licitum esse, ait idem *Fagund.*

4 Ad contraria igitur patet responsio; nam *tex. in d. cap. sufficit, de consecr. d. 1.* ait, quòd regulariter satis est vnam Missam in die Sacerdoti celebrare: verum vrgente necessitate, aut Ecclesiæ spiritali vtilitate, potest pluries celebrare, vt ex eodem *cap. colligitur*, in illis verbis: *Quidam tamen pro Defunctis vnam faciunt, & alteram de die si necesse fuerit.*

5 Ad confirmationem respondetur, quòd dispar ratio militat in communicando, & in sacrificando, quoniam priori casu non vrget communicandi necessitas, sicut vrget necessitas sacrificandi, & propterea ex diuersis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Quòd si ali-

aliquando vrgeat necessitas, aut charitas, quæ suadeat, vt quis pluries in die communicet, tūc citra culpam poterit communicare: nam prohibitio, vt pluries in die non sumatur Sanctissimū Euchareftiæ Sacramentum est tantùm humana; sicut prohibitio sacrificandi bis eodem die; atq; ideò non habet locum in casu necessitatis, & contra pietatem, ac charitatem; vt diximus supra *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 4. concl. 3.* vbi ob id probauimus, quòd si quis post sumptum ex deuotione Sanctissimum Euchareftiæ Sacramentum, iterum, & pluries eodem die, etiam non ieiunus communicet, ne in hæreticorum, aut in aliorum infidelium manus incidat, ne comburatur, aut conculcetur, non solùm ab omni culpa erit immunis, sed potius meretur, cùm sit pietatis actus. Et cum eodem die communicare per Viaticum post sumptam ex deuotione Sanctissimam Euchareftiam non deceat, idcircò eo casu ibi negauimus posse bis communicare vna, & eadē die.

An peccet Sacerdos Missam celebrando sine Ministro.
SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Affertur prima sententia affirmatiua, & confirmatur dicto Sancti Laurentij.*
Et an Monachus Eremita possit solus Missam celebrare, citra dispensationem Summi Pontificis, & num. 3.

2 *Verior est contraria sententia, quod Missa potest à solo cantari, dummodò grauis, iusta, & necessaria concurrat causa.*

3 *Necessitas facit licitum, quod in lege illicitum est. Et quæ sint iusta causa celebrandi Missam solus.*

4 Tex. in cap. propofuit de filijs Præsbyter. *intelligi debet quando nulla subest iusta, & grauis causa sacrificandi.*
Et quomodo intelligendum sit dictum Sancti Laurentij.

5 Tex. in cap. hoc quoque de celeb. Miss. *intelligendus est de solemni Missarum celebratione. Quod hodiè seruatur in Episcopis, etiam priuatè celebrantibus.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est affirmans, vt patet ex *tex. in cap. propofuit in fine de filijs Præsbyt.* in illis verbis: *Non enim solus Præsbyter Missarū solemnia, vel alia diuina officia potest sine ministri suffragio celebrare.* Confirmatur ex illo Diui Laurentij ad Sixtum S. Pontificem, dum ad martyrium raperetur, dicentis: *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* Imò, & vnus minister non est satis, sed duo de iure expostulantur, vt decreuit Soter Papa in *cap. hoc quoque, de consecr. d. 1.* ità inquiens: *Hoc quoque statutum est, vt nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibi respondentibus ipse tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum; & illud in secretis, orate pro me, aptissimè conuenit, vt ipsius respōdeatur salutationi.* Denique monachus Eremita citra Rom. Pontificis dispensationem non potest solus Sacrificium Missę celebrare, vt probat *Sot. in 4. d. 13 q 2. ar. 5.* Ergò de iure Sacerdos non potest Missam celebrare: siquidem dispensatio est alicuius legis relaxatio: & dispensare est à legibus soluere, seu à vinculo legis eximere, vt in *l. Princeps, ff. de legib. Glosa penul. in princ. in cap. requiritis, § nisi rigor, 1 qu. 7. Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat. 33. nu. 2. & 3 Laym. lib. 1 sua sum. Theol. tr. 4. cap. 22. sub num. 1. & alij.*

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto de iure veriorem esse, quam tenet *Glos. in d. cap. hoc quoque statutum est, in vers. Ipse tertius,* dicens, quòd Missa à solo cātari potest. Idem docet *Turrecr ibidem. Zerola in praxi Episc. 2 p vers. Missa, §. Tertiò an sit necessarium, Nauar. cons. 6. de corpore vitiat. Bursr. in cap. 2. de vita. & honest. Cler. nu. 11. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 29 q. 3. Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 1. lib. 3. cap. 21. num. 21.* vbi alios allegant hanc eandem opinionem prosequentes; dummodò grauis, iusta, & necessaria concurrat causa. Exemplum ponit *Glosa loco citato* in Sacerdote incluso, qui copiam non habeat Clericorum: siquidem necessitas non habet legem; atque ideò non est subiecta legi: & quod non est lic tum in lege, necessitas facit licitum, vt in *cap sicut non alij, de consecr. d. 1. & cap. quod non est licitum, de reg. iur. lib. 5.*

3 Vndè ait ibi, *tex.* quod licet Sabbatum custodiri præceptum sit in lege; Machabęi tamen sine culpa sua in Sabbato pugnabant. Dauid quoque famis necessitate compulsus citra culpam panes propositionis comedit. Et Pater propter necessitatem potest vendere filium, *l. 2. C. de patr. qui fil distr.* Item grauis causa, ac iusta celebrandi Missam sine ministro æstimatur ab *Azor. loco citato,* si dies festus sit de præcepto Ecclesiæ, & ipse Sacerdos Missam audire nequeat, nec ministrum habeat, qui respondeat; inquit tamen tutius sibi videri eo casu non celebrare; nisi fortè sit magnus dies festus. Causam iustam pariter putat *Fagund. d. cap. 21. sub num. 6.* si nulla particula esset in Sacrario, & opus esset infirmo extremum viaticum accipere. Causam iustam dicerem habere Eremitam Sacerdotem in Eremo à niue, aut à pluuia obsessum, ità vt indè exire nequeat citra periculū mortis, aut notabilis detrimenti, aut mortem qualitercumque probabiliter metuentem: tunc puto, quòd possit solus celebrare si ministrum non habeat. Cæterùm Eremita, vt Eremita, atque ideò solitariam vitam agens non potest citra Rom. Pontificis licentiam solus celebrare extra grauem, & iustam causam, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

4 AD primum ex *d. cap. propofuit, de fil. Præsbyt* respondetur, quòd *tex.* ille debet intelligi, iuxtà *Glos. in d. cap. quoque statutum est,* nempè, quando nulla grauis, & iusta causa subest sacrificandi; aliàs secus: siquidem Sacerdos vno tantum Clerico pręsente potest infirmo extre-

de præcepto occurrat; illa die teneantur fideles, qui possint, audire Missam illam in vna specie, & quantum possint satisfacere: quam sententiã tutiorem esse, inquit *Molsef. vbi supra*.

An Sacerdos aliquo casu possit pluries eadem die Missam citra culpam celebrare. SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Sufficit Sacerdoti vnam in die Missam celebrare, & felix est ille, qui vnam dignè celebrare potest.*
2 *Regulariter, & per se loquendo Sacerdos non potest, nisi vnam Missam in die celebrare, præter quam in tribus casibus, & præcipuè in die Natalis Domini, aliàs peccãt mortaliter.*
3 *An licitum sit in die Natalis Domini celebrare omnes tres Missas in nocte.*
Et in quibus alijs casibus possit Sacerdos pluries celebrare.
4 *Respondetur ad* Tex. in cap. sufficit de consec. 1. dist.
5 *Dispar ratio militat in communicando, & sacrificando, & an possit quis pluries in die cõmunicare, si vrgeat necessitas.*

1 IN hac re videtur prima fronte negatiuè respondendum esse. Probatur ex *tex. in cap. sufficit, de consecr. d. 1.* vbi vnam Missam celebrare singulis diebus satis esse decernitur, his verbis: *Sufficit Sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare: quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Non modica res est vnam Missam facere, & valdè felix est, qui vnam dignè celebrare potest.* Confirmatur, quia non potest quis vna die pluries communicare, etiam si post primam communionem superueniat periculum mortis, ità vt velit per viam Viatici Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum iterum sumere; vt suprà ostendimus, *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 4. per totam*: Ergò non potest quis pluries in die sacrificare citra culpam; quoniam Sacrificium Missæ perfici nequit, nisi Sacerdos communicet in vtraque specie.

2 His tamen non obstantibus, in contrarium est veritas. Licèt enim regulariter, & per se loquendo, vnus Sacerdos non possit, nisi vnam tantum Missam in vna, & eadem die celebrare, aliàs mortaliter peccaret, vt communiter docẽt Doctores, & patet ex *d. cap. sufficit*, in illis verbis: *Qui pro pecunijs vna die plures Missas facere præsumunt, non euadunt damnationem.* Nihilominus in multis casibus potest plures Missas vna, & eadem die celebrare, vt ostendimus *d. 4. sec. 4. concl. 3. vers. Est tamen verum.* Vbi tres præcipuè casus enumerauimus, quorũ primus est dies Natalis Domini, in quo licitum est ter sacrificare, vt in *cap. nocte Sancta, de cõsecr. d. 1.* ità se habente: *Nocte Sancta Natiuitatis Saluatoris Missas celebrent Præsbyteri.* Vbi est adnot. quòd Canon simpliciter loquitur de Missis in plurali: & propterea vi dicti Canonis omnes tres Missæ possunt celebrari de nocte ante auroram: quoad intelligendum est de Missis priuatis, secus autem de solemnibus, vt rectè declarat *D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 2. in corp.* & in eum *Suar. d. disp. 80. sec. 4. vers. Tertiò inquiri potest*: quibus adde, quæ cumulauimus suprà *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 4. concl. 2. & 3.* Vnde nimis rigorosa videtur opinio *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3 cap. 16. sub num. 3.* & aliorum dicentium simpliciter illicitum esse celebrare omnes tres Missas in Nocte Natalis:

3 Nam quamuis sit optimus celebrandi modus, vt prima media nocte: secunda diluculo: tertia hora tertia dicatur; nihilominus talis modus nullo Canone præcipitur; quin etiam de nocte celebrari posse omnes tres Missas non obscurè colligitur ex *d. tex. Nocte Sancta*; atque ideò dictum ordinem non seruantem in Missis priuatis arbitror non peccare, nec venialiter quidẽ. Nam ordo huiusmodi ex vi consuetudinis fertur in Missis solemnibus; non autem priuatis, vt vidi seruari à multis doctrina, ac bonitate singularibus, & in nostra Congregatione citra omnem scrupulum, ità practicatur. Secundus casus est, si necessitas vrgeat in festo admodùm solemni dicendi Missam pro Defunctis, iuxtà declarationem traditam à *Suarez d. disput. 80. sec. 3.* & iuxtà ea, quæ nos adnotauimus *tom. 1. §. 2. disp. 2 sec. 4. concl. 3. vers. Est tamen verum.* Vbi retulimus tertium denique casum, nempè vbi Parochus plures Parochias habeat: nàm tunc non solùm duas, sed etiam tres Missas si opus fuerit, poterit celebrare; quia adhoc cẽsetur tacitè dispẽsatus à S.P. Quę quidem intelligenda sunt, dummodò Parochus alios Sacerdotes non habeat, & ieiunus celebret, non sumpta purificatione. Extra præfatos casus pluries celebrantes, non solùm peccant mortaliter, verum etiam pœna extraordinaria veniunt puniendi, vt rectè declarat *Molsef. par. 1. suæ summ. Theol. tr. 3. cap. 10. num. 44. 45. & 46.* Etenim licèt quamplurimi alij casus à Doctoribus recenseantur, de quibus latè *Fagund. d. c. 16. à n. 4. vsq; in finem: & Laym. lib. 5. suæ sum. tr. 5. cap. 4. sub num. 3.* qui quidem casus olim erant rationabiles, propter penuriam Sacerdotum: at hodiè ob Sacerdotum multitudinem, rarò contingit, vt in illis casibus Sacerdos pluries eadem die rationabiliter, ac licitè sacrificare possit, vt inquit *Fagund vbi supra sub num. 22.* vndè exceptis illis tribus casibus, quos suprà retulimus, omnes alij abierunt in desuetudinem: at vbi illorum necessitas occurrerit, adhùc eodem die bis sacrificare licitum esse, ait idem *Fagund.*

4 Ad contraria igitur patet responsio; nam *tex. in d: cap. sufficit, de consecr. d. 1.* ait, quòd regulariter satis est vnam Missam in die Sacerdoti celebrare: verum vrgente necessitate, aut Ecclesiæ spiritali vtilitate, potest pluries celebrare, vt ex eodem *cap. colligitur*, in illis verbis: *Quidam tamen pro Defunctis vnam faciunt, & alteram de die si necesse fuerit.*

5 Ad confirmationem respondetur, quòd dispar ratio militat in communicando, & in sacrificando, quoniam priori casu non vrget communicandi necessitas, sicut vrget necessitas sacrificandi, & propterea ex diuersis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Quòd si ali-

aliquando vrgeat necessitas, aut charitas, quæ suadeat, vt quis pluries in die communicet, tûc citra culpam poterit communicare: nam prohibitio, vt pluries in die non sumatur Sanctissimũ Eucharestiæ Sacramentum est tantùm humana; sicut prohibitio sacrificandi bis eodem die; atq; ideò non habet locum in casu necessitatis, & contra pietatem, ac charitatem; vt diximus supra *tom.1.§.2.disp.2.sec.4.concl.3.* vbi ob id probauimus, quòd si quis post sumptum ex deuotione Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum, iterum, & pluries eodem die, etiam non ieiunus communicet, ne in hæreticorum, aut in aliorum infidelium manus incidat, ne comburatur, aut conculcetur, non solùm ab omni culpa erit immunis, sed potius meretur, cùm sit pietatis actus. Et cum eodem die communicare per Viaticum post sumptam ex deuotione Sanctissimam Eucharestiam non deceat, idcircò eo casu ibi negauimus posse bis communicare vna, & eadẽ die.

An peccet Sacerdos Missam celebrando sine Ministro. SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Affertur prima sententia affirmatiua, & confirmatur dicto Sancti Laurentij.*
Et an Monachus Eremita possit solus Missam celebrare, citra dispensationem Summi Pontificis, & num.3.
2 *Verior est contraria sententia, quod Missa potest à solo cantari, dummodò grauis, iusta, & necessaria concurrat causa.*
3 *Necessitas facit licitum, quod in lege illicitum est. Et quæ sint iustæ causæ celebrandi Missam solus.*
4 Tex. in cap. proposuit de filijs Præsbyter. *intelligi debet quando nulla subest iusta, & grauis causa sacrificandi.*
Et quomodo intelligendum sit dictum Sancti Laurentij.
5 Tex. in cap. hoc quoque de celeb. Miss. *intelligendus est de solemni Missarum celebratione. Quod hodiè seruatur in Episcopis, etiam priuatè celebrantibus.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est affirmans, vt patet ex *tex. in cap. proposuit in fine de filijs Præsbyt.* in illis verbis: *Non enim solus Præsbyter Missarũ solemnia, vel alia diuina officia potest sine ministri suffragio celebrare.* Confirmatur ex illo Diui Laurentij ad Sixtum S. Pontificem, dum ad martyrium raperetur, dicentis: *Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* Imò, & vnus minister non est satis, sed duo de iure expostulantur, vt decreuit Soter Papa in *cap. hoc quoque, de consecr. d. 1.* ità inquiens: *Hoc quoque statutum est, vt nullus Præsbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibi respondentibus ipse tertius habeatur: quia cùm pluraliter ab eo dicitur: Dominus vobiscum; & illud in secretis, orate pro me, aptissimè conuenit, vt ipsius respõdeatur salutationi.* Deinque monachus Eremita citra Rom. Pontificis dispensationem non potest solus Sacrificium Missæ celebrare, vt probat *Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 5.* Ergò de iure Sacerdos non potest Missam celebrare: siquidem dispensatio est alicuius legis relaxatio: & dispensare est à legibus soluere, seu à vinculo legis eximere, vt in *l. Princeps, ff. de legib. Glosa penul. in princ. in cap. requiritis, § nisi rigor, 1. qu. 7. Barbos. de offic. & potest. Episc. allegat. 33. nu. 2. & 3. Laym. lib. 1. suæ sum. Theol. tr. 4. cap. 22. sub num. 1. & alij.*

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto de iure veriorem esse, quam tenet *Glos. in d. cap. hoc quoque statutum est, in vers. Ipse tertius*, dicens, quòd Missa à solo cãtari potest. Idem docet *Turrecr. ibidem. Zerola in praxi Episc. 2. p. vers. Missa, §. Tertiò an sit necessarium, Nauar. cons. 6. de corpore vitiat. Butr. in cap. 2. de vita. & honest. Cler. nu. 11. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 29. q. 3. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3. cap. 21. num. 21.* vbi alios allegant hanc eandem opinionem prosequentes; dummodò grauis, iusta, & necessaria concurrat causa: Exemplum ponit *Glosa loco citato* in Sacerdote incluso, qui copiam non habeat Clericorum: siquidem necessitas non habet legem; atque ideò non est subiecta legi: & quod non est lic tum in lege, necessitas facit licitum, vt in *cap. sicut non alij, de consecr. d. 1. & cap. quod non est licitum, de reg. iur. lib. 5.* Vndè ait ibi, *tex.* quod licet Sabbatum custodiri præceptum sit in lege; Machabæi tamen sine culpa sua in Sabbato pugnabant. Dauid quoque famis necessitate compulsus citra culpam panes propositionis comedit. Et Pater propter necessitatem potest vendere filium, *l. 2. C. de patr. qui fil distr.* Item grauis causa, ac iusta celebrandi Missam sine ministro æstimatur ab *Azor. loco citato*, si dies festus sit de præcepto Ecclesiæ, & ipse Sacerdos Missam audire nequeat, nec ministrum habeat, qui respondeat; inquit tamen tutius sibi videri eo casu non celebrare; nisi fortè sit magnus dies festus. Causam iustam pariter putat *Fagund. d. cap. 21. sub num. 6.* si nulla particula eiset in Sacrario, & opus esset infirmo extremum viaticum accipere. Causam iustam dicerem habere Eremitam Sacerdotem in Eremo à niue, aut à pluuia obsessum, ità vt indè exire nequeat citra periculũ mortis, aut notabilis detrimenti, aut mortem qualitercumque probabiliter metuentem: tunc puto, quòd possit solus celebrare si ministrum non habeat. Cæterùm Eremita, vt Eremita, atque ideò solitariam vitam agens non potest citra Rom. Pontificis licentiam solus celebrare extra grauem, & iustam causam, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

4 AD primum ex *d. cap. proposuit, de fil. Præsbyt.* respondetur, quòd *tex.* ille debet intelligi, iuxtà *Glos. in d. cap. quoque statutum est*, nempè, quando nulla grauis, & iusta causa subest sacrificandi, aliàs secus: siquidem Sacerdos vno tantum Clerico præsente potest infirmo extre-

extremæ vnctionis Sacramentum conferre in necessitate, imò solus, vt in *cap. quæsiuit*, & ibi, *Glos. vers. Solus, de verb. sign.* cùm tamen in iure plures Sacerdotes requirantur, vt per eandem *Glos. ibi, & Fagund. d. cap. 21. sub num. 6.*

Ad dictum S. Laurentij, dicimus, quòd Sanctus ille factum enarrat; non tamen negat, Sacerdotem ex graui, ac iusta causa posse solùm Missam celebrare.

5 Ad *tex. in d. cap. hoc quoque*, respondetur, eũ loqui de celebratione Missarum solemnium, vt non possint celebrari, nisi duobus præsentibus ministris, ac respondentibus, quod hodiè seruatur in Episcopis, etiam priuatè celebrantibus: Cæterùm in Missis priuatis satis est si Sacerdos vnum habeat ministrum: & ex graui, ac iusta causa potest celebrare, etiam solus si ministris careat, vt suprà ostendimus. Secundò respondetur ex *Fagund.* post alios *d. cap. 21. sub nu. 1. d. cap. hoc quoque*, antiquissima consuetudine fuisse abrogatum, tum propter multitudinem Sacerdotum; tum etiam ob continuam obligationem Missarum: nec ideò aliquid falsum admiscet Sacerdos, cum adstante vno tantùm ministro dicit: *Dominus vobiscum*, aut *Orate fratres*, vel *Ite Missa est*, quoniã minister populum repræsentat, & nomine totius populi respondet: *Et cum spiritu tuo.*

An Sacerdos peccet Missam celebrans, fœmina sibi ministrante.
SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Mulier potest in Diaconissam ordinari, sed nõ ante annos 40. & cum diligenti probatione. Quomodo id intelligitur, num. 3.*
2 *Nunquam licitum est, fœminas in Missa Sacerdotibus immediatè ministrare, etiam si necessitas vrgeat.*
3 *Mulieres incapaces sunt Sacrorum Ordinum, adeò, vt neque recipiant characterem. Et quomodo intelligatur,* Tex. in cap. Diaconissam, 27. q. 1.
4 *Falsa est eorum opinio, qui dicunt, monialem si ordinetur; recipere characterem.*
5 *An possit mulier cum licentia Summi Pontificis ministrare Sacerdoti celebranti.*
6 *Moniales respondentes Sacerdoti celebranti à Choro, immediatè non ministrant.*

1 IN hac difficultate videtur negatiuè prima fronte respondendum esse. Etenim mulier potest in Diaconissam ordinari, vt in *cap. Diaconissam, 27. q. 1.* vbi ità statuitur: *Diaconissam non debere ante annos quadraginta ordinari: & hoc cum diligenti probatione. Si verò ordinem susceperit, & quantocunque tempore obseruauerit ministerium, & posteà se nuptijs tradiderit, iniuriam faciens gratiæ Dei; hæc anathema sit cum eo, qui in nuptijs illius conuenerit.* Vbi est adnot. quòd Diaconissa ex illo Canone prohibetur nubere; sicut Diaconi prohibentur vxorem ducere. Si igitur fœmina potest officium Diaconi ministrare Sacerdoti celebranti; & tamen Diaconus est immediatus Sacerdotis Minister; ergò videtur, quòd fœmina potest ministrare Sacerdoti celebranti, & ipse Sacerdos celebrans nullam culpam contrahit. Confirmatur, quia nos videmus Moniales respondere Sacerdoti celebranti in Missis solemnibus.

2 His tamen non obstantibus in contrarium est communis sententia, quam docent *Sot. in 4. d. 13. q. 2. ar. 5. & Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 29. q. 2.* qui probant numquam licitum esse, fœminas Sacerdotibus in Missa immediatè ministrare; nec etiam si necessitas vrgeat; & facilius, ac decentius esse, nemine respondente, sed se solo Sacerdotem Missam celebrare, quam ad id muneris fœminam adhibere. Hanc eandem sententiam tenent *Henriq. lib. 9. de Missa, cap. 26. num. 4. & cap. 30. in princ. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3. cap. 21. nu. 2.* & alij. Probatur primò ex *tex. in cap. 1. §. Prohibendũ, de cohab. Cler. & mulier.* vbi ex *Conc. Maguntin.* ità decernitur: *Prohibendum quoque est, vt nulla fœmina ad altare præsumat accedere, aut Præsbytero ministrare, aut infra cancellos stare, aut sedere.* Secundò probatur ex *cap. sacratas, 23. d.* vbi Soter Papa ità scribit omnibus Episcopis Italiæ: *Sacratas Deo fœminas, vel monachas sacra vasa, vel sacras pallas penès vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem: quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione, nulli rectè sapientũ dubium est. Quamobrem huius Sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus, quãtocius poteritis, censemus. Et ne pestis hæc latius diuulgetur, per omnes Prouincias abstergi citissimè mandamus.*

Ad contraria respondetur.

3 AD *tex. in d. cap. Diaconissam* respondetur, quòd mulieres incapaces sunt Sacrorum Ordinum, non solùm Sacerdotij, sed etiam Diaconatus, & aliorum minorum, imò & primæ tonsuræ, vt in §. 1. 15. q. 3. in illis verbis: *Mulieres autem non solum ad Sacerdotium, sed nec etiam ad Diaconatum prouehi possunt.* Et *Glossa in d. cap. Diaconissam, in vers. Ordinari*, vbi ait, quòd mulieres non recipiunt characterem, impediente sexu, & constitutione Ecclesiæ: & propterea officium ordinum exercere non possunt, vt in *d. cap. Sacratas, & d. § Prohibendũ*: Sed mulier dicitur in *d. cap. Diaconissam*, ordinari in Diaconissam, non quòd recipiat ordinẽ, & characterem; sed quia ordinatur in Abbatissam, quæ administrat monialibus; sicut Diaconus dicitur Minister, vt in *cap. Cleros, 21. d.* vel secundum *Glos.* ibi, mulier dicebatur ordinari in Diaconissam, quia fortè fundebatur super eã aliqua benedictio, ex qua consequebatur aliquod officium speciale, nempè legendi homilias, & Euangelium ad horas Canonicas Matutinas, quod non licebat alijs. Vndè falsa est opi-

4 nio illorum relata ab eadem *Glos. in d. cap. Diaconissam*, qui dicunt, quòd si monialis ordinetur benè recipit characterem, quia ordinari factũ est, & post Baptismum quilibet potest ordinari, vt in *cap. vlt. de Præsbyt. non Baptiz.* Est enim incapax mulier ordinis, vt suprà ostendimus, & latè habetur ex *D. Thoma in 4. d. 25. q. 2. ar. 1.*

2.ar.1.& 2. Nec in contrarium facit *d. cap. vlt. de Presbyt. non Bapt.* quoniam loquitur de ijs, qui sunt ordinum capaces, vt sunt masculi; non autem de incapacibus, vt sunt fœminę, quæ characteris sunt incapaces. Prohibitio tamen facta mulieribus respondendi Sacerdoti Missam celebranti puto, quòd non sit pluſquam humana: & proindè cùm aliundè, & ex aliqua circumstantia non sit mala, arbitror hic, & nunc, & ex iusta, ac rationabili causa posse tribui hanc licentiam mulieribus à Rom. Pontifice, qui legibus, & Canonibus non alligatur, sed est super omnes leges, & Canones, & potest super ipsis dispensare, quando non statuunt prohibendo aliquid, quod est intrinsecè, & ex obiecto malum, vt in *cap. super eo, de vsur.* Vndè *Sylu. in verf. Missa, 1. §. 2. verf. Secundò, & Tabiena eod verbo, §. 8.* quos refert, & sequitur *Fagund. d. cap. 21. num. 3.* dicunt, Romanum Pontificē aliquando concedere priuilegium, vt moniales per fenestrellam altari propinquam, vrgente necessitate ministrent.

6 Ad confirmationem dicimus, quòd ideò Moniales in Choro respondent, ac ministrant Sacerdoti celebranti in Missis solemnibus; quia non ministrant immediatè, ac proximè, sed à lōgè, & mediante Ministro, qui proximè Sacerdoti ministrat: quod monialibus de iure non prohibetur, vt per eundem *Fagund. loc. cit sub nu. 6. in fine.*

An Sacerdos peccet, Missam celebrans pro Defunctis in Inferno damnatis. SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *An anima Imperatoris Traiani orationibus D. Gregorij Papæ fuit ab Inferni cruciatibus absoluta, & num. 5.*
Et an sit peccatum sacrificium Missæ offerre pro damnatis.

2 *Verior est sententia, quòd orare pro damnatis sit peccatum, & quare.*
Et an D. Greg. peccauit orando pro Traiano.

3 *Celebrandum non est pro Sanctis cum Christo regnantibus, & iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*
Et cui offeramus Missam, cum celebramus de Sancto.

4 *Quare Iudas Machabæus obtulit sacrificia pro eis, qui bello perierant.*

5 *Anima Traiani non fuit suscitata ab Inferno, sed ex Dei dispensatione alibi detinebatur, donec lacrimis, & orationibus D. Gregorij suscitatus Traianus pœnitentiam ageret. Et saluaretur.*

6 D. Augustinus *intelligendus est de damnatis in Purgatorio.*

7 *Quem sensum habeant illa verba, quibus vtitur Ecclesia in Missis Defunctorum. (Libera eas à pœnis Inferni, & à profundo lacu.)*

1 AD hanc difficultatem videtur negatiuè respondendum esse. Etenim legitur *Machab. cap. 12.* oblata fuisse sacrificia à Iuda pro illis, qui in bello occubuerāt: & tamen ibidem dicitur, propter sua peccata ab hostibus fuisse interemptos, atque ideò in Inferno damnatos: ergò citra culpam pro damnatis preces funduntur, ac sacrificia celebrantur. Secundò probatur ex historia animæ Traiani Imperatoris, quæ vt testantur Auctores grauissimi ponderis, lacrimis, & orationibus D. Gregorij Papæ fuit ab Inferni cruciatibus absoluta; quam quidem historiam D. Ioannes Damascenus, *serm. de Defunct.* refert suo tempore toto orbe diuulgatam: ergò absque peccato Missa celebratur pro damnatis in Inferno; quia aliàs non orasset pro anima Traiani gentilis, & idolatræ, quam certò sciebat esse in Inferno. Tertiò confirmatur ex *D. August. lib. de cura pro mortuis, cap. 1. & lib. 1. de orig. animæ, cap. 9. & 10.* dum ait, sacrificādum esse pro omnibus baptizatis mortuis, & oblationes, ac sacrificia quibusdam prodesse Defunctis, vt eorum tolerabilior fiat damnatio: Et in *Enchiridio cap. 109* similiter inquit, mortuos Ecclesiæ sacrificijs, & orationibus iuuari, vt vel plena sit eorum remissio, vel tolerabilior eorum damnatio: ergò non solùm citra omne peccatum Missæ celebrantur pro ijs, qui apud Inferos perpetuo supplicio damnati sunt; verùm Missæ eis prosunt, vt pœnæ in totum, vel in partem remittantur. Denique, cæteris prætermissis, hæc sententia patet ex communi vsu totius Ecclesiæ, in Defunctorum Missis, vt eos de profundo lacu liberet, ac de pœnis Inferni. Ergo, &c.

2 His tamen non obstantibus, in contrarium est communis sententia, quam tenet *Glosa* cōmuniter recepta in *cap. pro obeuntibus, 13. q. 2.* & est adeò vera, vt Abulens. (licèt temerè) dixerit, *q. 57.* D. Gregorium orantem pro Traiani anima mortaliter peccasse: siquidem peccatum mortale est orare pro damnatis in Inferno, cùm sint in formali, & positiuo odio Dei; & ob id inquit, sed non rectè, Deum Diuum Gregor. percussisse perpetuo pedum, ac stomachi dolore. Imò sacrificia, & preces non prosunt ipsis damnatis, nec ad tollendas, nec ad alleuiandas eorum pœnas; quoniam culpæ, & eorum pœnæ sunt irremissibiles, vt probant *D. Thom. 3. p. q. 52. ar. 6. Durand. in 4. d. 45. q. 2. latè Bellar. lib. 2. de Missa, cap 6. §. Pro ijs autem, Azor. p. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 22. q. 6. Henriq lib. 9. de Missa, cap. 16. num. 2.* & patet ex *D. August. in Enchiridio, cap. 19. & 110.* vbi apertè ait, nihil prodesse damnatis ad gehennam sacrificium si pro eis offeratur: & non tantùm illis sacrificia prosunt ad plenam pœnarum remissionem; sed nec etiam, vt tolerabiliores illis fiant, saltem cū sacrificia pro eisdem celebrantur. Imò idem *D. August. lib. 1. de anima orig. cap. 9. & 11.* docet sacrificium offerri non posse, nec pro paruulis Defunctis sine Baptismo. Vndè *Henriq lib. 9. de missa*, inquit, quòd si constet aliquem impenitentem in notoria lethali culpa decessisse, nec pro eo Missę sunt celebrandæ, nec Ecclesiasticæ sepulturæ est tradendus. Adde, quòd nec pro paruulis qui post Baptismum statim moriuntur Missæ sunt celebrandæ; illis enim non indigent, sed in Cœlum statim euolant: siquidem deleta per Baptismum macula originali, nihil obstat quominus gloriam assequantur,

vt patet ex *Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato origin.* Et quamuis in morte paruulorum Missæ quandoque celebrentur; pro eis tamen nõ applicantur cum illis non indigeant; sed pro alijs mortuis, quorum peccata in igne Purgatorij; adhuc remanent expurganda, vt per *Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 22. q. 9. Nauar. de orat. & hor. Can. cap. 19. num 65.* & per alios quos refert, & sequitur *Fagund. de precep. Eccles. precep. 1. lib. 3. cap. 11. num. 10.* qui *nu. 12.*

3 probat etiam eadem ratione non esse celebrandum pro Sãctis cum Christo regnantibus: iniuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, inquit *Glosa in cap. temptus, 13 q. 2.* Sanctis nanque Missæ celebratio non prodest ad delendam culpam, nec pœnam, nec ad augumentum gratiæ, nec gloriæ essentialis, vt habetur ex *Azor. loco citato, q. 5.* & latè *Bellarm. vbi supra, cap. 8. §. Quod ad primum attinet.* Vndè cum Missã celebramus de Sancto, non offerimus sacrificium Sancto, aut pro Sancto; sed Deo, orantes Sanctum, vt pro nobis oret, vt per Doctores suprà relatos, & *D. August. lib. 20. contra Faust. cap. 21.* ità se habentem: *Quamuis in memorias Martyrum constituamus altaria, quis vnquam Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane: sed quod offertur, Deo offertur, qui Martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit.* Idem dicendum est de templis sub nomine alicuius Sancti; non enim illi primariò cõstruitur templum, sed primariò Deo, & ad honorem Dei, sicut diximus de Sacrificio Missæ, vt Deus in Sanctis, & per Sanctos suos honorificetur. Hinc *D. August. lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 27.* sic ait: *Nos Martyribus non constituimus templa, Sacerdotia, sacra, & sacrificia.* Nempè primariò in honorem illorum; sed secundariò, vt rectè declarat *Fagund. loc. cit. sub num. 13. & 14.*

Restat modò, vt contraria diluamus

1 AD primum ex illo *2. Machab. cap. 12.* dicitur, quòd quamuis Iudæi ab eorum peccata in bello deuicti perijssent; in fine tamen vitæ, eorum quamplurimi de peccatis doluerũt; meritò igitur à Iuda Machabeo pro eisdem fuerunt oblata sacrificia, non ad culparum, sed ad pœnarum remissionem: siquidem dolor culpam deleuerat; ac post extinctam culpam, sæpè remanet reatus pœnæ.

5 Ad secũdum ex historia Traiani aiũt multi, eã non esse historiam, sed supposito, quod vera historia sit, & quòd prout enarratur, veritas se habeat, quidam volunt, quòd lacrimis, & orationibus D. Gregorij anima Traiani non fuit suscitata ab Inferni gehenna; sed ex Dei dispensatione post mortem detentam alicubi eam fuisse ad tempus, vt posteà lacrimis, & orationibus D. Gregorij à Deo præuisis suscitatus Traianus pœnitentiam ageret, & saluaretur, ità probabiliter inquit *D. Thom. in 4. d. 45. q. 22. ad 5. Nauar de orat. not. 22. num. 43. & 45. Sot. in 4. dist. 45. q. 1. ar. 2.* & alij. Vndè ad saluandum D. Gregor. à peccato mortali contra Abulens. dicendũ est, quòd D. Gregor. orauit Dominum non pro Traiano iam damnato; sed pro Traiano, ne damnaretur; atque ideò suscitatus pœnitentiam egit, & saluus est: nec posteà fuit damnatus, ne prædestinatio illius mutaretur, vt malè sentit *Sot.* quoniam potuit Deus Traianum prædestinare eo modo, præuisis orationibus, & lacrimis D. Gregor. Et potuit quoque decretum damnationis suspendere, & eiusmodi suspensionem D. Gregorio reuelare, cuius lacrimis, & orationibus à Deo suscitatus pœnitentiam ageret, & saluus esset, vt saluum esse colligitur ex reuelatione facta Beatæ Mechthildi, cui dum quæreret à Deo, quid actum esset de anima Traiani, Sansonis, & Salomonis, responsum fuit, velle Deum esse incognitum, quid actum esset ab eius liberalitate cum illorum animabus; quibus verbis significatur, præfatas animas esse saluas ob immensam Dei bonitatem, ac liberalitatem super omnem legem. Idem legitur de multis Gẽtilibus, qui secundum rationem naturalem vixerunt, ab Apostolis resuscitatis: hi nanque posteà cum fide viua, & explicita, & vera pœnitẽtia decedentes salutem sunt consecuti. Vide *Fagund. d. cap. 11. à num. 15. vsque in finem.*

6 Ad tertium ex locis *D. Augustini* respondetur, *D. Augustinum* in præfatis locis, damnationis nomine pœnam tantùm ignis Purgatorij intellexisse, & de damnatis ad pœnas Purgatorij dumtaxàt.

7 Ad vltimum ex verbis, quibus ex communi vsu, ac consuetudine vtitur Sancta Ecclesia in offertorio, maximè Missarum pro Defunctis, dicitur, quòd verba illa: *Libera eas à pœnis inferni, & à profundo lacu, &c.* intelliguntur de pœnis Purgatorij ignis, qui nihil differt ab igne Inferni: & à carcere Purgatorij subtus terram abdito. Et sequentia verba: *Ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, sed signifer S. Michael, &c.* habent hanc significationem, ne scilicet in Tartaro Purgatorij diutius animę remorentur: ne post hoc sacrificium factum, & pro eis oblatum, permittas, adhùc eas in loco obscuro Purgatorij cruciari; sed fac, vt per hoc sacrificium pœnas debitas in totum exoluant: & Sanctus Michael in Cœlesti Patria sistat, & collocet: quàm quidem Patriam Cœlestem vocat S. Ecclesia sinum Abrahæ, cùm sit locus, vbi iusti velut Abraham excipiuntur. Ità *Azor. loco citato, q. 8.* quem refert, & sequitur *Fagund. d. cap. 11. sub num. 9.*

An peccet Sacerdos pro excommunicato sacrificium Missæ offerens. SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Sacerdos missam offerendo pro excommunicatis.*

2 *Modo directè, & publicas orationes pro excommunicatis applicet tanquam minister publicus, secus si vt persona particularis.*

3 *Citra culpam potest Sacerdos Missam offerre pro iniustè excommunicatis.*

4 *Sacerdos Missam non potest celebrare, eamq; offerre pro excommunicato nominatim denũcia-*

ciato, sed benè potest pro tolerato.

5 *Pro interdictis, suspensis, & irregularibus potest Sacerdos citra omnem culpam sacrificare, & publicè preces effundere.*

1 AD hanc controuersiam respondetur affirmatiuè: & est communis sententia, quam docent *D. Thom. in 4. d. 39. q. vnica, ar. 1. ad 5. & d. 18. q. 2. ar. 1. & 2 Suar. de censur. disp. 11. sec. 4. Syl vers. Excommunicatio, 1. §. 2. Tol. lib. 1. sua summ. cap. 12. num 2. Nauar. in Man. c. 27. num. 18. & 36. & lib. de orat. & hor. Canon. not. 13 14. 20 & 21.* & alij communiter, dicentes, Sacerdotem huiusmodi sacrificantem, aut orantem pro excommunicatis peccare mortaliter contra obedientiam Ecclesiæ, per quam priuantur excommunicati omnibus suffragijs.

2 Hæc conclusio limitatur primò, vt ità demum Sacerdos peccet si Missam celebret, aut preces fundat pro excommunicatis, quando directè, & publicas orationes dicit pro illis eas applicando, vt minister publicus nomine totius Ecclesiæ: siquidem excommunicatio priuat excommunicatum omnibus suffragijs communibus Ecclesiæ, quæ à ministro publico nomine ipsius fiunt. Secus autem si celebret, aut fundat preces pro excommunicatis, vt personæ particularis: tunc enim potest Missam celebrare, & orare pro illis citra omnem culpam; siquidem excommunicatus non excluditur à suffragijs, & orationibus priuatis fidelium, sed à suffragijs communibus Ecclesiæ, ac orationibus publicis, quæ fiũt à Sacerdote vti ministro publico. Hinc non prohibetur Sacerdos, in memento, dum Missã celebrat, orare pro excommunicato: imò *Nauar. d. cap. 27. num. 36. vers. Duodecimò ad primum*, addit, posse quem Missam celebrare orando in ea, & applicando eius valorem, quibus Ecclesia præcipit applicari, eo fine, vt illud suum opus orandi, & applicandi ad quem, & pro quo debet, accipiat Deus pro oratione priuata, vt aliquis infidelis, vel excommunicatus conuertatur: quoniam aliud est applicare preces Missæ, & eius valorem alicui: & aliud applicare illud opus orandi, & applicandi. Et perinde Sacerdos se habet, inquit *Fagund. de 1. precep. Eccl lib 3. cap. 12. sub num. 2. in fine*, ac si in memẽto oraret eo casu pro excõmunicato.

3 Secundò limitatur conclusio, vt locum non habeat in excommunicatis iniustè, ac inualidè: nam pro his Sacerdos citra culpam sacrificium offert, vt habetur per *Nauar loco paulò suprà citato, & Fagund. d. cap. 12. num. 3.* qui *num. 6. cum pluribus seq.* idem dicendum probat in excommunicato validè, ac iustè; sed verè pœnitẽte, & contrito, ac absolutionem procurante, ità vt per eum non stet quo minus absoluatur, sequutus *Nauar. vbi suprà*: siquidem Sacerdos pro huiusmodi excommunicato potest Missam celebrare, & secluso scandalo pro eodem applicare, ac si excommunicatus non esset: siquidem non est intentio piæ Matris Ecclesiæ talem excommunicatum excludere à participatione cõmunium Ecclesiæ suffragiorum, quem Deus non excludit. Alias rationes vide apud eundem *Fagund.* ibidem, qui contraria soluit.

4 Tertiò limitatur eadem conclusio, vt locum habeat in Sacerdote Missam celebrãte, & eam offerente pro excommunicato nominatim, & publicè denunciato, quoniam is est de iure vitandus: Secus autem Missam Sacerdos offerat pro excommunicato nominatim, ac publicè nõ denunciato, quoniam cum eiusmodi excommunicato non prohibetur communio, atque ideò citra culpam aliquam pro eo celebrari, & sacrificium offerri potest, & sic cum eodem communicare possumus tàm in diuinis, quàm in humanis, cùm in nullo teneamur eiusmodi excommunicatum vitare, vt patet ex extrauag. Mart. V. ad euitanda scandala, seu à d euitandum scandalum, quam retulimus de verbo, ad verbum in nostris *Commentar. in Bull. Cœna Domini, lib. 2. cap 1. q 8. num. 1 & 2 Sot. in 4. d. 1 q. 5. ar. 6. Suar. de censur disp. 11. sec. 4. num 5. Sanch. lib. 7. de matr. disp 9. num. 8.* & alij apud *Fagund. d. cap. 12. num. 1.* Quod tamen limita in Sacerdote sacrificante, & Missam offerente pro excommunicato ob notoriam Clerici percussionem; quia is est vitandus, etiam si nominatim non fuerit denunciatus, vt constat ex illa extrauag. Mart. V. in illis verbis: *Saluo siquidem pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, &c.* His adde, quæ infrà dicemus *sec. seq. cõcl. 2.*

5 Quartò limitatur ipsa conclusio, vt locum sibi non vendicet in Sacerdote celebrante, & Missam offerente pro interdictis, suspensis, & irregularibus: nam pro his citra culpam aliquã potest sacrificare, & publicè preces fundere Sacerdos, cum interdictum, suspensio, & irregularitas non priuent Ecclesiæ suffragijs. Idem dicendum est de Sacerdote sacrificante pro fidelibus peccatoribus quantumuis enormibus, & notorijs dum viuunt; quoniam is non peccat, sed meretur pro talibus sacrificium offerens, vt habetur ex *Henriq. lib. 9. de Missa, cap. 15. nu. 2. Couar. in cap. Alma mater par. 1. § 6. num. 3. conclus. 4. & 8.* & rectè declarat, idem *Fagund. d. cap. 12. num. 14.* Dixi, *dum viuunt*, quia pro peccatoribus in lethali culpa, & sine pœnitentia Defunctis non est Missa celebranda, nec ijs danda sepultura Ecclesiastica, vt suprà adnotauimus *sec. 8.* Addo propositionẽ dãnatã ab Alex. VII. scilicet quoad forũ cõsciẽtię reo correcto, eius contumacia cessante, cessant censuræ.

An peccet Sacerdos Missam celebrans pro hæreticis, apostatis à fide, ac Schismaticis.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Eo ipso, quod quis est hæreticus, & hæresim expresserit verbis, vel signis est excommunicatus in Bulla Cœna Domini.*
Quotuplices sint hæretici externi.

2 *Sacerdos Missam celebrans pro hæreticis purè mentalibus non peccat, cum excommunicati non sint.*

3 *Nec peccat Sacerdos, qui sacrificium Deo offert pro hæreticis occultis, qui aliquo actu imperato, & externo, sed occulto, erroris manifestatiuo, hæreses suas mẽte retentas manifestarunt.*

4 *Non peccat Sacerdos Missam celebrans pro hæreticis quantumuis publicis, ac manifestis,*

 non

non tamen nominatim excommunicatis.

An eis prosit fructus sacrificij oblati à Sacerdote, vt publico ministro.

5 *Orare, & sacrificium offerre pro innumeris hæreticis, qui sunt in Germania, Gallia, &c. non tamen nominatim excommunicatis, nullum committitur peccatum.*

6 *Ità demum peccat Sacerdos offerendo sacrificium pro hæreticis, cum sunt nominatim excommunicati.*

Qui nam excommunicati sint ab Ecclesia recitandi. Et an vltra sententiam latam requiratur, quòd sententia ipsa publicè denuncietur.

7 *Peccat quoque Sacerdos, offerens sacrificium pro Apostatis à fide, Schismaticis, cæterisque recedentibus ab Ecclesia Romani Pontificis.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quod eo ipso, quòd quis est hæreticus, & hæresim expresserit verbis, aut signis hæresis expressiuis, quantumuis occultis, est excommunicatus excommunicatione reseruata in Bulla Cœnæ Domini, iuxtà ea, quæ nos adnotauimus in nostris *Commentar. in d. Bull. lib. 2. can. 1. q. 241. num. 7.* vbi exclusimus ab excommunicatione hæreticos purè mentales, qui mentalem heresim nullo actu, seu signo suæ hæresis manifestatiuo propalarunt: licet isti sint verè hæretici, cùm eis conueniat heresis definitio, cùm errorem fidei Catholicæ cõtrarium habeant in intellectu, iuxtà hæresis definitionem à nobis allatam *d. q. 24. num. 1.* Sunt autem hæretici externi, prout distinguuntur à mentalibus, & qui prædicta excommunicatione alligati sunt, in multiplici differentia. Nam quidam sunt notorij hæretici, non tamen nominatim declarati tales, nec denunciati, vt sunt quamplurimi hæretici in nonnullis Germaniæ, Angliæ, Galliæ locis, & in alijs quamplurimis Prouincijs, qui licèt non sint nominatim excõmunicati, ac denunciati hæretici; nihilominus sunt adeò notorij, & ità notoriè constat in excommunicationem incidisse, vt nulla possint tergiuersatione celari. Quidam verò nominatim, & per sententiam sunt declarati, ac denunciati hæretici, non tamen nominatim declarati, ac denunciati excommunicati. Quidam tertiò nominatim, & per sententiam sunt declarati, ac denunciati hæretici, & excommunicati. Dicuntur autem nominatim excommunicati, aut declarati hæretici, contra quos determinatè, specialiter, ac expressis proprijs eorum nominibus sunt excommunicati, aut hæretici declarati per sententiam: aut talibus circumstantijs, vel signis, quibus sufficienter, & in particulari designentur personæ, contra quas sententia fertur, vt in *d. nostris Commentar. adnotauimus, lib. 2. cap. 1. q. 7. in princ.* Quidam quartò proprio nomine non excommunicantur, aut declarantur hæretici; sed nominatim excommunicantur quædam hæreticorum sectæ, vt in Bulla Cœnæ excommunicantur Lutherani, Hussitæ, Vviclephistæ, &c. Quidam quintò excommunicantur, & declarantur hæretici nominatim per sententiam, sed non denunciantur; & publicantur tales per cedulones. Quidam hæretici denique sunt excommunicati, eo quod eorum hæresim occultè manifestarunt verbis, aut signis eorum hæresis manifestatiuis, atque ideò ignorantur tales, nec sunt nominatim excommunicati, nec denunciati. His breuiter sic adnotatis sit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 SAcerdos Missam celebrans pro hæreticis purè mentalibus, ac pro eisdem sacrificium offerens, non peccat. Hæc conclusio patet, quoniam huiusmodi hæretici non sunt excommunicati, atque ideò non sunt Ecclesiæ suffragijs priuati, nec Sacerdos dicitur facere contra ipsius Ecclesiæ obedientiam, dum pro illis sacrificium offert. Etenim hæreticus purè mentalis, licèt sit verè hæreticus, non tamen contrahit, nec incurrit pœnas contra hæreticos statutas: quoniam Ecclesia non iudicat de internis, vt in *cap. tua nos de sim.* cogitationis pœnam nemo patiatur, *l. cogitationis, ff. de pœn. & cap. cogitationis de pœnit. d. 1.* Latentia peccata vindictam non habent; *cap. Christiana, 32. q. 5.* Sed illi tantùm sunt reseruata, qui solus nouit corda fidelium hominum, vt in *d. cap. tua nos in fine, cap. si quando, 15. q. 6.* Idem dicendum est de hæretico, qui hæresim mente conceptam actu indifferenti expressit, aut bono; quoniam non est excommunicatus, vt declarauimus in dictis nostris *Commentar. d. q. 24. concl. 1. & 2.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 NON peccat Sacerdos, qui pro hæreticis occultis sacrificium offert, qui aliquo actu imperato, & externo, sed occulto erroris manifestatiuo hæreses suas mente retentas manifestarunt. Probatur, quoniam licèt huiusmodi hæretici sint excommunicati, cùm talis actus sit secundùm se sensibilis, vt in *d. q. 24. concl. 3.* declarauimus; nihilominus non sunt excommunicati nominatim, nominibus eorum proprijs expressis, sed in genere, & comprehenduntur sub *cap. 1. Bullæ Cœnæ*, in illis verbis: *Ac omnes, & singulos alios hæreticos, &c.* Vndè non prohibetur cum eis communicatio, tàm in Diuinis, quàm in humanis, vt patet ex extrauag. ad euitanda scandala, seu ad euitandum scandalum Mart. V. quam ad verbum retulimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 1. q. 8. num. 1. & 2.* atque ideò Sacerdos pro huiusmodi excommunicatis orans, & sacrificium offerens non peccat, cum non faciat cõtra obedientiam Ecclesiæ, vt ostendimus suprà *sec. praced.* Idem dicendum de quocunque hæretico externo, nominatim non declarato excommunicato, per ea, quæ suprà diximus in præcitata *sec.* Arbitror tamen, quòd quamuis Sacerdos non peccet orando, & sacrificando etiam, vt minister publicus pro eiusmodi hæreticis; sacrificia tamen, & orationes, quæ publicè, seu à Sacerdote vti ministro publico fiunt, illis non prosunt: quia tales hæretici excommunicati, adhuc remanent priuati suffragijs communibus S. Ecclesiæ; quoniam d. extrauag. Martini V. fuit edita in fauorem communicantium tantùm cum excommunicatis, & non in fauorẽ excommunicatorum; quoniam illis in nullo intendit suffragari, vt patet ex illis dictæ extrauag. verbis:

verbis: *Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.*

TERTIA CONCLVSIO.

4 Sacerdos non peccat Missam celebrans, ac offerens pro hæreticis quantumuis publicis notorijs, ac manifestis, non tamen nominatim declaratis, ac denunciatis excommunicatis. Hęc conlusio patet ex ijs, quæ nos cumulauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap. 1. q. 8. sub num. 4.* vbi probauimus per d. extrauag. ad euitandum scandalum, non prohiberi communionem cum excommunicatis, quantumuis notorijs, nisi in duobus casibus; quorum primus est, quotiescunque excommunicatus, siuè à iure, siuè ab homine est nominatim declaratus denunciatus, & publicatus: & secundus vbi quis fuerit excommunicatus ex percussione Clerici, adeò notoria, vt non possit vlla tergiuersatione celari, neque vllo iuris suffragio excusari. Vndè cùm eiusmodi hæretici non sint nominatim excommunicati, pro illis sacrificando Sacerdos nullam culpam contrahit; eo quòd ob id Ecclesiæ non efficitur inobediens. Non tamen ipsis excommunicatis fructus sacrificij oblati à Sacerdote, vt Ministro publico proderit: eo quod participatione suffragiorum communium Ecclesiæ sunt priuati, & eisdem d. extrauag. ad euitandum scandalum, in nullo suffragatur, nec in aliquo intendit releuare; atque ideò in fauorem dumtaxat communicantium

5 fuit edita, vt suprà diximus. Hinc est, quòd orare, & sacrificia offerre pro innumeris ferè hęreticis, qui sunt in Germania, Gallia, in Anglia, & in alijs Prouincijs, & nominatim excommunicati non sunt, nullum peccatum committitur; licèt sint notorij hæretici, ac notorij excommunicati: & quamuis sint Lutherani, Hussitæ, Vviclephistæ, & alij enumerati in *d. cap. 1. Bull. Cęna*; quoniam hi non possunt dici nominatim excommunicati; quia eorum nomina propria non exprimũtur, vt ostendimus in *d. nostris Commẽtar. lib. 2. cap. 1. q. 7. & 8.* & propterea non possunt dici nominatim excommunicati.

QVARTA CONCLVSIO.

6 Ex dictis constat, quòd ità demum Sacerdos peccat offerendo sacrificium pro hæretico, quando hęreticus est nominatim declaratus excommunicatus. Etenim per dictam extrauag. ad euitandum scandalum, illi tantùm sunt vitandi, qui nominatim sunt excommunicati, seu declarati tales per Iudicis sententiam. Imò vltra sententiam latam, exigitur, quòd sententia ipsa publicè denuncietur: nam quamuis d. extrauag. videatur loqui alternatiuè in illis verbis: *Nisi sententia fuerit à Iudice publicata, vel denunciata specialiter, & expressè.* Atque ideò videtur, quòd satis sit, si sententia promulgetur in speciali, ac nominatim; tamen in contrarium est communis opinio, quam tenet *Couar.* & alij, quos refert, & sequitur *Suar. de censur. disp. 9. sec. 2. sub num. 7.* Siquidem illa verba: *Publicata, vel denunciata*, non ponuntur disiunctiuè, tanquam diuersa; sed tanquam æquipollentia, latius adnotauimus in *d. nostris Commentar. d. q. 8. sub num. 17.* Est tamen verum, quòd ad hoc, vt hæreticus dicatur nominatim denunciatus, & declaratus de excommunicatione ob hæresim incursa, satis est, quòd per sententiam Iudicis declaretur, illum incurrisse crimen hæresis, cui annexa est censura: nec vltra id exigitur, quòd declaretur expressè illum incurrisse etiam censuram hæresi annexam, vt cum communi opinione, docet *Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. cap. 12. sub num. 18.* contra *Sanch. lib. 2. Decal. cap. 9. num. 4.* dicentem requiri expressam declarationem incursionis censuræ, & non sufficere declarationem, & condemnationem incursionis criminis hæresis, cui est annexa cẽsura; & hanc eandem sententiam tenen: *Graff. par. 1. decis. aur. lib. 4. cap. 11. num. 5. & Nauar. in miscell. § 47.* moti ex eo, quòd non est expressa declaratio censuræ; sed criminis, cui illi est annexa: exigi autem dicunt expressam illius declarationem, siquidem, etsi declaretur de crimine, cui censura est annexa; adhuc tamen multi nescirent, hæreticum incurrisse censuram: quæ quidem sententia quamuis nobis videatur probabilior, non tamen videtur esse recedendũ à priori, cùm sit communior, vt testatur *Fagũd. loco citato.* An autem pro hæreticis quantumuis nominatim denunciatis, licitum sit Missas offerre; ac orare pro eorum conuersione, *sec. seq.* discutiemus.

QVINTA CONCLVSIO.

1 QVÆ diximus de Sacerdote offerente sacrificium pro hæreticis, extendimus ad Sacerdotem offerentem sacrificium pro Apostatis à fide, ac Schismaticis, & recedentibus ab obedientia Rom. Pontificis. Etenim hi omnes sunt ipso facto, & eodem modo in Bulla Cœnæ excommunicati, ac hæretici, vt ex *cap. 1. eiusdẽ Bulla.* Tantò magis, quoniam Apostatæ à fide sunt hæretici, & plusquam hęretici, & distinguuntur ab eis, sicut totum à parte: siquidem hæreticus pro parte recedit à fide Catholica; Apostata verò à fide in totum, & eodem modo punitur, ac hæreticus, vt latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 1. q. 10. 11. 12. & 13.* & Schismatici formaliter licet differant ab hæreticis, & ab Apostatis à fide, vt ostendimus *d. cap. 1. q. 56.* tamen rarò datur Schismaticus quin sit, etiam hæreticus, vt patet de Schismaticis Orientalibus, de quibus in eisdem *Commentar. egimus, d. cap. 1. q. 50.* & latius habetur in *addit. ad ipsam, litt. A. in secunda edit.*

An Sacerdos peccet Missam celebrando pro Iudæis, & Paganis.

S E C. XI.

SVMMARIVM.

1 *Tres sunt infidelitatis species, nempè hæresis, Iudaismus, & Paganismus. Et in quo differant inter se.*

2 *Error est, instituere Cappellaniam, aut Missas*

fas pro infidelibus, & fidei Religionis expertibus, & num. seq.

3 *Verior opinio est in contrarium, cum huiusmodi infideles excommunicati non sint.*

4 *Sacerdos citra culpam Missam offerre potest, non solùm pro conuersione Iudæorum, & Paganorum, sed etiam hæreticorum.*

5 *Non tamen offerri debet sacrificium pro illis, quoad omnem participationem totius fructus ipsius sacrificij.*

6 *Non conuenit, vt directè fiat sacrificium, etiã pro conuersione omnium infidelium, sed indirectè, nempè, vt directè intendatur augmentum, vnitas, & pax totius Ecclesiæ in communi.*

7 *Quomodo sint explicanda verba* D. Augustini: *Quis offerat sacrificium, &c. Et de quibus Defunctis loquatur.*

8 *Respondetur ad confirmationem, & ad auctoritatem* D. Thomæ.

1 AD huius rei intelligentiam est adnot. quòd tres tantùm infidelitatis species à Doctoribus constituuntur, nempè hæresis, Iudaismus, & Paganismus, vt post alios adnotauimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 1. q. 10 num. 2. & 3.* Etenim differunt inter se Apostatæ, seu hæretici, Iudæi, ac Pagani in hoc, quòd hæretici, seu Apostatæ contradicunt fidei Catholicæ, quàm anteà re ipsa susceperunt. Iudæi contradicunt fidei, quam in typis, & figuris anteà te nerant. Pagani denique contradicunt fidei, quam nullo modo ante susceperant. Et quoniam *sec.* præcedenti egimus de hæreticis an licitum sit pro ipsis Missam offerre; modò competenti ordine, restat videndum de Iudæis, & Paganis. atque ideò de omnibus alijs infidelibus, an Sacerdos possit pro ipsis citra culpam Missam celebrare, & offerre, vt conuertantur ad veram, & Catholicam fidem.

2 In hac re pugnantes sunt opiniones. Nàm prima sententia est *Sot. lib. 9 de iust. & iure q. 2. ar. 2 ad 3.* dicentis errorem esse instituere Cappellaniam, aut Missas pro Infidelibus, & fidei Religionis expertibus: ac illicitum esse pro illis sacrificium Missæ offerre, eisdemque fructus Missæ applicare; atque ideò peccare Sacerdotem pro infidelibus sacrificium Missæ offerendo. Probatur hæc sententia ex *D. August. lib. 1. de orig. animæ, cap. 9.* ità se habente: *Quis offerat Corpus Christi, nisi pro ijs, qui sunt membra Christi?* At Iudæi, & Pagani non sunt membra Christi, vt patet, cùm sint extra Ecclesiam; ergò pro eis Sacerdos sacrificium Missæ offerens, quod est Christi corpus verum, proculdubio peccat. Confirmatur hæc sententia ex Canone Missæ, vbi non offertur, nec oratur pro ijs, qui sunt extrà Ecclesiam, sed pro omnibus fidelibus viuis, & Defunctis, & pro omnibus Orthodoxis, Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus. In eandem sententiam videtur inclinare *D. Thom. 3. p. q. 79 ar. 7. ad 2.* dum ait, Corpus Christi non offerri, nisi pro ijs, qui sũt membra Christi.

3 His tamen non obstantibus contrariam sententiam arbitror esse veriorem, quam tenent *Nauar. tr. de orat. & hor. Canon. cap. 19. & 73. Ledes. 2 par. 4. q. 23. ar. 1. Bellar. lib. 2. de Miss. cap 6. §. Sed quæret aliquis, Fagund. de precep. Eccl. precep. 1 lib. 3. cap. 12. sub num. 21. 22. & 23.* & alij. Mouentur ex eo, quòd huiusmodi Infideles cùm sint extrà Ecclesiam non sunt excommunicati; & propterea nulla adest prohibitio Ecclesiastica, quæ prohibeat eis communium Ecclesiæ suffragiorum participationem. Confirmatur, quoniam Christus Dominus pro omnibus, & pro omnium conuersione voluit immolari tempore suæ passionis in ara Sanctæ Crucis, offerens se Patri in sacrificium cruentum pro salute totius Mundi: ergò, & Sacerdos citra omnem culpam potest Missam offerre pro conuersione Iudæorum, & aliorum Infidelium, quoniam Missa est sacrificium incruentum cõmemoratio illius sacrificij cruenti. Denique S. Ecclesia in die Parasceue orat pro Paganis, & Iudæis, vt conuertantur ad Christum, & sollicita est de eorum conuersione. Imò in India, Iaponia, & in alijs Infidelium Prouincijs quãplurimi Religiosi sunt, cõtinuò laborãtes, & publica sacrificia offerentes pro eorum conuersione; ergò Sacerdos offerens Missam, vt Infideles conuertantur, non solùm id agit citra omnem culpam, sed etiam non sine magno merito.

4 Ampliatur hæc conclusio, vt Sacerdos citra culpam Missam offerat non solùm pro conuersione Iudæorum, & Paganorum; sed etiam pro conuersione hæreticorum, etiam si nominatim sint declarati, & denunciati excommunicati: Etenim in die Parasceue orat pro eis S. Mater Ecclesia, vt habetur ex *Bellarm. loco citato, §. Rursus,* & *Fagund. d. cap. 12. num. 23.* vbi rem hanc rectè explicat, & ampliat in oblatione Missæ pro conuersione, & pœnitentia omnium aliorum excommunicatorum.

5 Sic ampliata, limitatur eadem conclusio, vt quamuis licitum sit sacrificium offerri pro conuersione omnium Infidelium, etiam hæreticorum, & quorumcunque excommunicatorum; non tamen est offerendum pro illis, quoad omnem participationem totius fructus ipsius sacrificij Missæ; atque ideò non est licitum offerri pro prædictis Paganis, Iudæis, & hæreticis Missæ sacrificium, vt est satisfactorium ad remittendas peccatorum pœnas: siquidem impijs peccatorum pœnæ non remittuntur, donec in sua impietate perseuerant. Nec etiam fas est pro eisdem sacrificium offerre impetratorium ad obtinenda bona temporalia, quoniam illis potentiores fiunt ad impugnandam Ecclesiam Catholicam: Vndè Sancta Mater Ecclesia ob id preces instituit contra hæreticos, & alios infideles inimicos Christiani nominis, quibus Deum orat, vt dextera ipsius potentia conterantur, & humilientur. Ità *Azor. p. 1. inst. moral. lib. 10. c. 22. q. 1.*

6 Secundò limitatur ipsa conclusio, vt quamuis sit licitum pro conuersione omnium infidelium, ac fidelium excommunicatorum sacrificium offerre, & preces fundere; id tamen non conuenit, vt fiat directè; sed indirectè, nempè, vt directè intendatur sacrificium offerri pro augmento, vnitate, & pace totius Ecclesiæ in communi: & pro amplificatione illius in toto orbe terrarum: sic enim indirectè quoque pro conuersione omnium infidelium sacrificium offertur. Etenim quamuis non sit Canon, nec alia

lex

lex humana, nec Diuina, quæ prohibeat directè offerri sacrificium pro conuersione infidelium; nihilominus hodiè consueuit Ecclesia eo modo pro illis orare; & propterea à tali vsu, & consuetudine, cùm sit rationabilis non est recedendum, vt rectè declarat *Fagund. d. cap. 12. num. 25 & 26.*

Restat, vt ad contraria respondeamus.

7 AD primum ex *D. Augustino* respondetur, quòd illa verba: *Quis offerat sacrificium, &c.* sunt intelligenda, & explicanda, iuxtà ea, quæ diximus suprà in prima *limit.* Vel secundò respondetur, quòd *D. Augustinus* ibi loquitur de Defunctis, qui aut sunt membra Christi actu, aut nullo modo sunt membra Christi: qua propter meritò *D. August.* vult offerri sacrificium pro Defunctis, qui sunt membra Christi actu, quales sunt animæ fidelium existentes in Purgatorio, vel in gloria: secus autem pro Defunctis, qui non sunt membra Christi actu, vt sunt animæ Defunctorum in Inferno damnatæ, vel tertiò responderi potest ex *D. Thoma in 4. dist. 12 q. 2. ar. 2. ad 4.* quòd verba illa *D. Augustini* sunt intelligenda de ijs, qui sunt membra Christi actu, vel potentia, quia tunc etiam dicitur offerri pro membris Christi, quando offerri pro aliquibus, vt fiant membra Christi. Ità post alios *Fagund. loco citato, sub num. 24.*

8 Ad confirmationem dicimus, quòd solutio patet ex ijs, quæ suprà adnotauimus in secunda *limit.* Et ad auctoritatem *D. Thomę* dicendum videtur, iuxtà tertiam responsionem, quam ex eodem *D. Thoma* dedimus paulò suprà ad auctoritatem *D. Augustini.*

An Sacerdos peccet sacrificium Missę offerens pro Cathecumenis. SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Cathecumeni, vel sunt competentes, vel incōpetentes, & qui nam sint.*
2 *Pro animabus Cathecumenorum incompetentium non potest Sacerdos citra culpam Missam offerre.*
3 *Probabilis est illorum opinio, qui volunt, non posse offerri sacrificium pro animabus Cathecumenorum competentium, & num. 5.*
4 *Ecclesia non solet directè offerre sacrificia, nisi pro fidelibus.*
5 *Probabilior est sententia existimantium posse offerri Missam pro animabus Cathecumenorum competentium.*
6 *Cathecumeni huiusmodi verè fideles sunt apud Deum, & verè dicerentur heretici, si à fide deficerent.*
7 *Et licet dici non possunt formaliter fideles, quoad Ecclesiam, verè tamen tales sunt, quoad Deum.*

1 PRO determinatione huius difficultatis est adnot. quòd Cathecumeni sunt in duplici differentia. Nam quidam dicuntur competentes, & quidam incompetentes. Competentes Cathecumeni sunt illi, qui Baptismum petunt, & nomen suum Ecclesiæ dant, vt baptizentur, & ex eo tempore recipiuntur ab Ecclesia, vt instruantur, & ad Baptismum præparentur, vt habetur ex *Bellarm. de Baptis. cap. 15.* Incompetentes verò Cathecumenos, idem *Bellarm.* appellat eos, qui conciones audiunt, & volunt fieri Christiani, sed non dum Baptismum petierūt. Et *Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. cap. 12. num. 28.* dicit esse illos, qui ex mera negligentia sua, & culpa graui non petunt Baptismū. His adnotatis sit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 SAcerdos non potest citra culpam sacrificium Missæ offerre pro animabus Cathecumenorum incompetentium, qui ex mera negligentia sua, & culpa graui non petentes Baptismum, antequam baptizarentur, mortui sunt. Hæc conclusio est *Fagund. loco citato*, qui eam tribuit *D. August in Enchiridio, cap. 109 & 110.* Probatur, quia eiusmodi Cathecumeni præsumuntur decessisse in mortali culpa: at pro ijs, qui moriuntur in mortali offerri Missas prohibet Ecclesia, sicut prohibet offerre pro Christianis, qui decedunt in publico, & notorio concubinatu, si signa pœnitentiæ morientes non ostenderint. Et de his loqui *D. August.* ait *Fagund. vbi suprà*, dum ait, nihil prodesse sacrificium damnatis, si pro eis offeratur. Pro huiusmodi tamen Cathecumenis, dum viuunt, possunt sacrificia offerri, & preces fundi ad impetrandam à Deo gratiam ad Baptismum petendum, ac suscipiendum eo modo, quo sacrificia possunt offerri pro conuersione Paganorum, & infidelium omniū, de quibus suprà egimus *sec. præcedenti.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 PRobabilis est opinio eorum, qui volunt, nō posse offerri sacrificia pro animabus Cathecumenorum competentium, qui Baptismum petierunt, & nomen suum Ecclesiæ dederunt, vt baptizarentur, nec stetit per eos, vt Baptismum susciperent; & tamen ex inopinato euentu, non suscepto Baptismo decesserunt. Hanc sententiam docent *Bellarm. lib. 2. de Purgator. cap. 18 ad 3. Azor. tom. 1 instit. moral lib. 10. cap. 22 q. 2. & Sebastian de sacrific. Missæ, cap. 24.* Probant eandem opinionem primò, quia sacrificium Missæ est sacrificium proprium fidelium, institutum à Christo pro omnium fidelium communitate; ergò non potest offerri pro animabus prædictorum Cathecumenorum competentium, qui decesserunt ante susceptum Baptismum. Antecedens patet. Probatur consequentia, quoniam appellatione fidelium illi tantùm veniunt, qui Ecclesiæ ianuas per Baptismum ingressi sūt, & ad Christum adiuncti: Cathecumeni autem non sunt baptizati, & eos supponimus absque baptismo decessisse: non ergo pro eorum animabus possunt sacrificia offerri. Secundò Eccle-

4 sia non solet offerre sacrificia directè, nisi pro fidelibus, vt suprà ostendimus, *sec. preced. lim. 2.* At Cathecumeni cùm non sint baptizati non possunt dici fideles, cùm fideles ij tantùm dicātur,

tur, qui baptizati sunt, cùm illi soli ad Ecclesiã Christi pertineant, qui per baptismi portam Ecclesiam ingressi sunt. Tertiò Cathecumeni non sunt capaces Sacramentorum Ecclesiæ, quoad vsque non baptizantur; ergò nec communium suffragiorum, & sacrificiorum illius. Denique Missa pro Cathecumenis est longè diuersa ab ea, quæ communiter instituta est pro fidelibus baptizatis: ergò Missa, quæ est instituta pro animabus fidelium, qui baptismum susceperunt non potest offerri pro Cathecumenis. Clara consequentia. Probatur antecedens, quia Missa instituta ab Ecclesia pro Cathecumenis constat tantùm ex publicis precationibus, ac orationibus: at Missa pro baptizatis, quæ hodiè quotidiè celebratur, est formaliter sacrificium constans consecratione, oblatione, ac sumptione corporis, & sanguinis Domini Nostri Iesu Christi.

TERTIA CONCLVSIO.

5 Probabilior nobis videtur opinio *Henriq. lib. 9. de Missa. cap. 15 num. 5. litt. H. & I.* & aliorum, quos ipse ad marginem allegat, & *Fagund. d. cap. 12. num. 29. & 30.* existimantiũ licitum esse offerre sacrificium Missæ pro animabus Cathecumenorum competentium, qui Baptismum petierunt, & dum instruerentur, & ad Baptismum præpararentur, citra omnem eorum culpam absque Baptismo inopinato quodã euentu decesserunt. Probatur dicta conclusio, quia pro huiusmodi Cathecumenis Defunctis applicantur Indulgentiæ, vt habetur ex *Manuele Rodriq. in explicatione Cruciatæ, § 14. num. 6.* Ergò, & pro ipsis Missæ sacrificium applicari potest, cùm effectus tum Missæ, tum Indulgentiarum sint ex opere operato. Secundò Cathecumeni prædicti sunt formaliter fideles cùm credant id, quod baptizati credunt, & supponimus, vel saltem præsumendum est contritos eos decessisse, maximè si contritionis, ac pœnitentię signa tempore mortis ostenderint; atq; ideò per fidem, & charitatem fuerunt effecti viua Christi membra: ergò etiam aliquo modo dici possunt Ecclesiæ membra, vt illis applicari, & pro eisdem offerri possit Missæ sacrificiũ; præsertim, quoniam id magis auget pietatem, & charitatem ipsius Ecclesiæ. Tertiò isti Cathecumeni pertinent aliquo modo ad Sanctam Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam; siquidem ratione fidei, & spei sunt cum ea vniti, & includuntur in illo fidei articulo: *Credo Sanctorum communionem*. Ergò communicant cũ Ecclesia, vt pro ipsis sacrificia offerri possint. Et re vera non est verisimile, vt Ecclesia adeò pia Mater voluerit excludere animas eiusmodi Cathecumenorum à communium ipsius suffragiorum participatione, & pręcipuè à participatione sacrificij Missæ, cum per fidem, & charitatem sint Christi viua membra, & ratione fidei, ac spei, cum ipsa Ecclesia vniti. Vndè *Conc. Trid. sess. 22. de sacrificio Missæ*, sic ait: *Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur*, quasi dicat, posse sacrificium incruentum Missæ applicari pro omnium hominum salute, sicut fuit applicata virtus sacrificij cruenti.

6 Confirmatur magis ex solutione argumentorum contrariæ sententiæ, quæ retulimus in præcedenti conclusione. Etenim. Ad primum negatur consequentia, quoniam Cathecumeni, de quibus agitur, sunt verè fideles apud Deum; sicut si deficerent à fide, verè dicerentur hæretici, vt ex *Alphon. de Castro, lib. 1. de iusta hæret. punit. cap. 8.* & alijs diximus in nostris *Comentar. in Bull. Cœnæ, cap. 5. q. 21. in princ.* Et quamuis apud Ecclesiam non dicantur tales, cum in eam non intrauerint per Baptismi portam, vt ostendimus *d. q. 1. in resp. ad 1.* atque ideò in rigore ab ipsa Ecclesia non potuerint puniri; tamen quoad fauores non est, cur à iurisdictione Ecclesiæ excludantur, cùm per fidẽ, & charitatem sint viua Christi membra, & ratione fidei, ac spei cum ipsa Ecclesia vniti, maximè cùm decesserint in gratia, cum manifestis pœnitentiæ signis, & per ipsos non steterit Baptismi susceptio. 7 Ad secundum respondetur eodem modo; nam licèt eiusmodi Cathecumeni non possent dici formaliter fideles quoad Ecclesiam; sunt tamen verè tales quoad Deum, cuius veram fidem susceperunt, & Ecclesiæ vniti ratione fidei, ac spei. Ad vltimum dicimus, quòd quicquid sit de antecedenti negatur consequentia; quoniam Missa illa Cathecumenorum non habet Missæ rationem, sed precum, quæ fundũtur ad Deum pro perseuerantia Cathecumenorum competentium, & conuersione incompetentium. Cæterùm non ob id animæ competentium Defunctorum excluduntur à participatione veri, ac incruenti sacrificij Missæ; cùm sint viua Christi membra, & Ecclesiæ per fidem, & spem vniti, vt suprà.

An peccet Sacerdos non consumando sacrificium Missæ si videat species vini, & panis consecratas, aut earum alteram, esse venenatas.

S E C. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Affertur prima frontè responsio negatiua, & quarè.*
2 *Communis est opinio in contrarium. Sumptio enim ex Christi institutione pertinet ad integralem sacrificij perfectionem, & num. 4.*
3 *Irruentibus hostibus hæreticis ad occidendum Sacerdotem in altari sacrificantem, poterit Sacerdos mox hostiam consecratam sumere, vel secum auferre, si ad consecrandum Calicem pergere non valeat absque euidenti periculo.*
4 *Potest Sacerdos consummare sacrificium absque quod species venenatas sumat, & quomodo.*
5 *Si solus sanguis appareat veneno intintus, quid erit agendum.*
6 *Si Sacerdos consecrans, venenosum animal, è Calice extraxerit, & timeat ne aliquid veneni in Calice reliquerit, vel dubitat de vomitu quid ei agendum erit.*

In

1 IN hac difficultate videtur prima facie negatiuè respondendum esse. Etenim consumando sacrificium oporteret eum species venenatas assumere, atque ideò Sacerdos ipse mortem sibi inferret, & sic vitæ Sacramentum verteretur in mortem, quod est absurdum. Ergò Sacerdos eo casu non peccat non consumando sacrificiū.

2 His tamen non obstantibus, in contrarium est communis opinio, quam docet *Fagund. de precep. Missæ, precepto primo, lib. 3. cap. 20. nu. 1. & 2. Laym. lib. 5 suæ sum. tr. 5. cap. 7. sub nu. 1. §. Porrò*, & alij. Rationem autem hanc esse, inquit *Laym. loco citato*: quia licèt sumptio non pertineat ad essentiam sacrificij; pertinet tamen ex Christi institutione ad eius integram perfectionem: siquidem sacrificium Missæ constat ex oblatione, consecratione, & sumptione, vt suprà diximus *sec. præcedenti, concl. 2. in fine*. Vndè idem *Laym.* ibi, ait, quòd nullo casu, nec ad mortem quidem vitandam licitum est sacrificare citra sumendi propositum: Si quis necem Sacerdoti minaretur, nisi in solo pane sacrificet, nempè ad communicandum infirmum; Sacerdos eo casu tenetur potius mortem subire, quam sacrificium non consumare. Est tamen verum,

3 quòd si per accidens casus grauissimus extremę necessitatis interueniat, quo Sacerdos non possit integrum sacrificium consumare, non consumando à culpa excusatur. Vt si hostes hæretici ingruant ad occidendum Sacerdotem in altari sacrificantem; nam poterit is hostiam consecratam mox sumere, vel secum auferre, si ad consecrandum Calicem sine euidente mortis periculo pergere non valeat: siquidem eo casu directè, & ex proposito non mutilat sacrificium, sed permittit eius imperfectionem; eo quòd præceptum affirmatiuum perficiendi sacrificium in tali casu necessitatis non obligat. Ita *Laym.* post alios *loco citato, sub num. 1.*

4 Vndè, his sic stantibus, ad contrarium dicimus, quòd in casu, de quo agitur, potest consumari sacrificium absque eo, quòd Sacerdos venenatas species sumat. Etenim illæ species consecratæ, tàm vini, quàm panis reponendæ sunt in aliquo vase mundo, & ibi asseruandæ in loco sacro, vel decenti, donec corrumpantur: imò ait Missale Romanum Pij V. quòd in simili euentu species vini sunt imbibendæ in panno lineo, vel stuppa, & seruandę donec, & pannus, & stuppa exiccentur, & comburentur post prædictam exiccationem, sicut & species panis post earum corruptionem, & in piscinam mittantur; quia sub speciebus panis corruptis, & vini exiccatis corpus Christi Domini non adest. Sacerdos deindè post asseruatas, vt suprà species illas venenatas, vel seorsim positas donec asseruentur, tenetur consecrare aliam hostiam, & aliud vinum in alio Calice, incipiendo ab illis Canonis verbis: *Qui pridiè quàm pateretur, &c.* & demum species illas vltimo loco consecratas sumere, & ita sacrificium consumare, ac perficere citra omne propriæ vitæ detrimentum.

5 Quòd si solus sanguis appareat veneno interlitus, quamuis *Paludanus in 4. d. 11. q. 1. ar. 1. concl. 5. Syl. verʃ. Eucharestia 2. num. 13. q 9.* & alij velint eo casu vtramque speciem iterum consecrandam, ac sumendam, & id etiam si venenum deprehendatur in Calice post consumptionem hostiæ; nihilominus *Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 85. sec. 1. §. Secunda regula sit, Sot. in 4. d. 13. q. 1. ar. 4. ad 3. & 4 & q. 2. ar. 6. ad 3. Fagund. d. cap. 20. num. 2.* & alij putant satis esse, si consecretur aliud vinum duntaxàt; quia sicut in Sacramentis, ità in sacrificio nihil est iterandum, sed quod omissum cautè supplendum. Vndè *Laym. loco citato, num. 3.* cum alijs, quos allegat non admittit fundamentum *Paludani*, cui innitur eius sententia, dum ait, quod si Sacerdos post consecrationem aduertat aquā pro vino appositam, non tenetur Calicem, & panem de nouo consecrare, vt ipse *Palud.* & nō nulli alij putant, sed satis esse, vt Sacerdos animaduertens aquam pro vino infusam fuisse, ad cornu altaris accedat, & effusa aqua in aliquod vasculum (quam aquam deindè pro ablutione capere potest, vel in piscinam mittere) nouum vinum cum pauxillo aquæ imponat, dissimulanter offerat, & consecret, incipiendo à verbis illis, *simili modo, &c.* Imò ait *Suar. vbi suprà*, quòd quicquid sit de fundamento *Palud.* circà aquam pro vino infusam; nihilominus non militat eadem ratio in vtroque casu; quia in aqua pro vino infusa nunquam fuit Christi sanguis in sacrificio: at in casu nostro veneni toto tempore sacrificij post consecrationem verus Christi sanguis fuit.

6 Quod diximus de speciebus vini consecratis, & venenatis extendit *Fagund. d. cap. 20. nu. 3.* ad Sacerdotem, qui consecrans venenosum animal è calice consecrato extraxerit, & timeat aliquid veneni Calici immixtum manere: nam si in illo nullum venenum relinquatur, tenetur ipse Sacerdos Calicem sumere, nisi horrorem sentiat, & timeat periculum vomitus: tunc enim ob reuerentiam Sacramenti non debet ab eo sumi; sed poterit sumi ab alio Sacerdote, qui eiusmodi nauseam, & horrorem non sentiat; vel est consecrandum aliud vinum ab eodem Sacerdote, & post consecrationem sumi sanguis, ne sacrificium mutilum, & imperfectum relinquatur: alius verò est conseruandus, donec exiccetur, aut corrumpatur.

An, & quibus casibus possit Sacerdos sacrificium Missæ interrumpere citra culpam.

SEC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos iure Diuino tenetur ad consumandum, & perficiendum cęptum Missæ sacrificium, idemque ad continuandum morali quadam continuatione.*

2 *Sacerdos interrumpendo Missæ sacrificium inchoatum excusatur à culpa, tùm propter verbi Dei prædicationem, tum etiam propter Ordines conferendos.*

3 *Excusatur quoque, propter Sanctissimam Eucharestiam ministrandam, facta sacrarum specierum sumptione.*
An possit sumere reliquias à communicantibus, vel ab alio Sacerdote relictas, quas reperit in altare, vel corporale, si Sacramen-

tum ministret post sumptam communionem, & digitorum purificationem.

4 *Sacerdos citra omnem scrupulum post sumptam purificationem, purificare potest pyssidem & illius sumere reliquias, si ex inaduertentia ante non purificauit.*

5 *Excusatur à culpa Sacerdos Missam interrumpens pro baptizando puero, quem fœmina casu peperit in Ecclesia moribundum.*

6 *Pro infirmo morituro extrà Ecclesiam interrumpi non debet Missa, vt ad eum Sanctissimam Eucharestia Sacramentum deferatur.*

7 *Sacerdos Missæ sacrificium interrumpens in ceptum, morbo, aut alia graui necessitate coactus, excusatur à culpa.*

Si deficiat Sacerdos, facta consecratione, an debeat alius substitui, & quid si ante consecrationem.

8 *Sacerdos si post ceptum Missæ sacrificium ante tamen consecrationem recordetur non esse ieiunum, vel esse excommunicatum irregularemuè, tutius est, si à Missa abstineat si citra graue scandalum possit, aliàs secus.*

Quid si Sacerdos recordetur se non fuisse ritè ordinatum, an debeat Missam dimittere, siuè ante, siuè post consecrationem.

9 *Si excommunicatus non toleratus Missæ sacrificio interesse præsumat, & nequeat expelli, tenetur Sacerdos à sacrificio desistere si nō sit inceptum Canon, cepto vero Canone, continuare potest.*

10 *Sacerdos Missam interrumpens ante consecrationem ob timorem bestium incursus, excusatur à culpa, imò ad id tenetur.*

Quid si huiusmodi timor post consecrationem superueniat.

1 AD huius rei determinationem est adnot. quòd sicut *sec.* præcedenti ostendimus, Sacerdotem iure Diuino teneri ad consumandum, ac perficiendum ceptum Missæ sacrificium; ità quoque ad id continuandum morali quadam continuatione, & sine magna interruptione obligari, communiter tenent Doctores. Vndè Sacerdos Missam inchoatam citra grauē, & rationabilem causam notabiliter interrumpens, proculdubio mortaliter peccat, vt colligitur ex *cap. nihil, 7. q. 1.* quod excommunicationem contrauenientibus statuens, sic ait, *Nullus absque prouentu potentis molestia minister, vel Sacerdos cum ceperit imperfecta officia præsumat omninò relinquere. Si quis hæc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Excommunicatio autem non fertur, nisi pro lethali culpa, vt latè nos probauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 1. q. 3. num. 20. & seq.* Possunt igitur Sacerdotes in multis casibus excusari à culpa, vel non excusari in interrumpendo Missæ sacrificium, vt ex infrascriptis patet.

2 Excusatur inquam, Sacerdos à culpa interrūpendo sacrificium Missæ inchoatum primò, propter verbi Diuini prædicationem, siuè ante, si post symbolum dictum, vel decantatum, vt patet ex communi Ecclesiæ consuetudine, de qua habetur ex *Fagund. de precep. Eccles. præcep. 1. lib. 3 cap. 18. num. 1. Laym. lib. 5. sua sum. Theol. tr. 5. cap. 7 sub num. 2. §. Alia porrò causa*, cum aliis quos allegant.

Secundò excusatur Sacerdos interrumpendo Missam ad ordines conferendos, vt de communi quoque consuetudine constat, & habetur ex *Henriq. lib. 9 de Missa, cap. 30 num. 3. Laym. loco citato*, & ex aliis apud *Fagund. d. cap. 18.*

3 Tertiò excusatur Sacerdos, vt suprà ad Sanctissimam Euchareistiam ministrandam, facta sacrarum specierum sumptione: quo casu docet *Fagund. loco citato, sub num. 2.* post alios, quòd si Sacerdos Sanctissimam Euchareistiam ministret post sumptam communionem, & post purificationem digitorum per vini, ac aquæ ablutionem potest licitè reliquias à communicantibus relictas, vel ab alio Sacerdote, si fortè illas repererit in altari, vel corporalibus sumere, si commodè seruari non possint in tabernaculo: siquidem dum Sacerdos manet in altari, totum illud sacrificium moraliter censetur vnum conuiuium, quod pro maiori parte sumit ieiunus. Pro qua re allegat *Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 50. num. 2. in fine, & lib. 9 de Missa cap. 39. nu. 3. Sot. in 4. dist. 12. qu. 1. art. 9. & d. 13. q. 2. ad 5. Victor §. 81. Ledes. 1. 4. q. 21. ar. 8. dub. 4. Armil vers. Missa, §. 26. & Syl. vers. Missa, 1. n. 2. vers. Quartum si autem*, contra *Nauar. in Man. cap. 25 num. 89* & alios, qui negant, posse Sacerdotem post ablutionem sumere repertas reliquias ex interuallo; eo quòd sumeret non ieiunus.

4 Imò idem *Fagund. vbi supra, §. Ex dictis*, infert, posse Sacerdotem citra omnem scrupulum pyssidem purificare, & sumere reliquias illius dum est in altari, post assumptam supradictam purificationem, si antè ex inaduertentia eā non purificauit: siquidem reputatur id totum vnica sacrificij moralis consumptio, vt expressè inquit *Henriq. loco citato, circa medium.* Quæ quidem sententia nobis videtur non solùm probabilis, sed etiam vera, & in praxi omninò seruanda, quando reliquiæ huiusmodi non possent commodè conseruari in tabernaculo, vt quia communio fiat in Romitorio, aut in Cappella, in quibus non adsit tabernaculum: aut si adsit, propter earum exiguitatem sit periculum amissionis: Etenim præceptum ieiunij naturalis est inductum ab Ecclesia ob reuerentiam tāti Sacramenti, vt inquit *D. August. Epist. 118. cap. 6. & D. Thom. 3. p. q. 80. ar. 8.* ergò illius obseruatio cessat, quando cederet in eiusdem Sacramenti irreuerentiam, ac iniuriam. Addit quoque *Fagund.* ibidem, quòd quando Sacerdos reperit in altari aliquas reliquias, & frustula, de quibus dubitat, an sint consecrata, potest illa sumere, etiam post sumptam purificationē, vt patet ex dictis. Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 5. sua sum. tr. 4. cap. 6. num. 22. §. Tertius casus.*

5 Quartò excusatur à culpa Sacerdos Missam interrumpens, propter Baptismum alicuius pueri, quem casu fœmina moribundum in Ecclesia peperit, hæc enim causa non modo rationabilis, sed etiam necessaria, cum agatur de perditione animæ talis pueri, si decederet absque baptismo, vt habetur ex *Henriq. lib. 9. de Missa, cap. 30 num. 4. Zambr. cap. 4 dub. 6. num. 5. Gl. in cap nullus, de consecr. d. 1. Laym. d. cap. 7. sub num. 2. §. Secundò si Sacramentum*, & *Fagund. d. cap.*

d.cap.18.sub num.4. Imò id arbitror verum esse etiam, quòd casus ille accideret extrà Ecclesiam; nàm requisitus Sacerdos si non sit qui puerum baptizet, potest Sacrum interrumpere, & saluti animæ illius pueri consulere: siquidem si infirmo morituro extrà Ecclesiam pœnitentię Sacramentum ministrandum sit, potest Sacerdos, inquit *Zambr.* relatus à *Laym. vbi suprà, §.causa tamen*: Missam inchoatam, etiam post consecrationem, relinquere, seruante interim aliquo S Euchareſtiam: & secum deferre aliquã formam consecratam, & extremam vnctionem ad infirmum: & audita eius confessione, & data Eucharestia, & extrema vnctione, remissis tamen psalmis pœnitentialibus, reuertatur ad perficiendum. Quod si Missæ sacrificium potest interrumpi pro infirmo morituro extrà Ecclesiam; non est ratio cur non possit interrumpi pro dicto puero morituro extrà Ecclesiam baptizando. Et quamuis pro infirmo morituro extra Ecclesiam non debeat interrumpi sacrificiũ

6 pro deferendo ad eum Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum, cùm non sit Sacramentum necessitatis simpliciter; nihilominus pro communicando infirmo intra Ecclesiam morituro, potest Sacerdos sacrificium interrumpere, etiam post consecrationem, vt inquit idem *Laym. loco citato, §. Secundò si Sacramentum.* Imò idẽ *Laym. ibi, §. Tertiò si alicui*, inquit, quòd si alicui extrema vnctio ministranda sit, præsertim tali, cui petenti denegari non possit, potest Sacerdos ante oblationem post cœptam Missam ab ea desistere, si cesset scandalum, & longa mora plusquam vnius horę non esset interponenda.

7 Quintò excusatur Sacerdos à culpa interrumpens sacrificium Missæ iam cœptum, si à morbo, aut ab alia graui corporis necessitate cogatur illud interrumpere: & in eo casu si consecratio facta fuerit, debet alius Sacerdos substitui, si prior redire, & sacrificium prosequi non possit, vt colligitur ex *c. nihil, c. illud, 7. q. 1. & cap. nullus Episcopus, de consecr. d. 1. D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 6. ad 1. Fagund. de precep. Eccles. precep. 1. cap. 18. sub num. 20. Henriq. lib. 9. de Missa, cap. 30. num. 4. Laym. lib. 5. sua sum. tr. 5. cap. 7. sub num. 2. §. causa, Nauar. de orat. not. 16. num. 69. & in Man. cap. 25. num. 86.* vbi addit, quòd si ieiunus Sacerdos non adsit, sacrificium est supplendum, etiam à non ieiuno; quoniam maius pręceptum est de sacrificio, non relinquendo imperfecto, quàm præceptum de sacrificando, & communicando ieiunè. Quòd si Sacerdos deficiat ante consecrationem cœpto Canone, poterit accedere alius Sacerdos ieiunus, qui Missam prosequatur; non tamen id est necessarium, vt habetur ex *Ang. verf. Eucharestia, 3. in princ. & Henriq. lib. 8. cap. 50. num. 3.* ab eodem *Laym.* relatis. Illud tamen est adnot. quod habetur in *d. c. illud, 7. q. 1.* nempè, quod qui sæpius in sacrificio Missæ ob corporis infirmitatem deficere animaduertitur, is tanquam irregularis est amonendus.

8 Sextò excusatur Sacerdos à culpa, si post cœptum Missæ sacrificium ante consecrationem recordetur se non esse ieiunum, aut esse excommunicatum, suspensum, interdictum, vel irregularem: tunc enim tutius est, vt à Missa abstineat, si citra graue scandalum possit, vt cùm priuatim celebrat; secus autem si publicè, quoniam sine scandalo fieri non potest, vt habetur ex *D. Thoma 3 p. q. 83. ar. 6. ad 2. Coninc. q. 80. ar. 8. num. 64.* & ex alijs. Dixi: *Ante consecrationem*, quoniam in illis casibus post consecrationem nõ est licitum citra culpam sacrificium interrumpere, vt per Doctores suprà relatos, *Laym. lib. 5. sua sum. tr. 4. c. 6. sub n. 20. §. Tertiò si Sacerdos*, & latius *Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib 3. c. 18. n. 7. cum plur. seq.* & cum alijs, quos allegat: qui idem docet, si Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, nam tunc satis est si conetur conteri: siquidem post consecrationem sacrificium est substantialiter cœptum, & fortius est præceptum Diuinum de integrando, ac perficiendo substantialiter sacrificium Missæ, quàm præceptum de communicando ieiunè, de non celebrando cum excommunicatione, irregularitate, suspensione, interdicto, ac in peccatò mortali, nisi præmissa confessione, cùm præcepta huiusmodi sint humana, & Ecclesiastica: ac vbi duo præcepta incompatibilia concurrunt, standum est fortiori. Quòd si celebrans recordetur se non fuisse ritè ordinatum, atque ideò non esse Sacerdotem, & de hoc deuenerit in notitiam claram, tunc tenetur Missam dimittere siuè ante, siuè post consecrationem talis defectus meminerit, vt habetur ex eodem *Fagund.* post alios *loc. cit n. 19.*

9 Septimò excusatur Sacerdos à culpa sacrificium Missæ interrumpens, si excommunicatus, & non toleratus Missæ sacrificio interesse præsumat, qui expelli nequeat: nam si non est inceptum Canon, tenetur à sacrificio desistere: cœpto verò Canone potest continuare, quando non vult excommunicatus discedere, quoniam iàm censetur ipsum sacrificium, quasi substantialiter inceptum, vt habetur per *Henriq. lib. 9. de Missa, c. 30. n. 5. Nauar. in Man. c. 27. nu. 33. Couar. in c. Alma mater, p. 1. §. 6. nu. 8. & 9. Syl. verf. Missa, n. 3. ver. 4. Laym. lib. 1. sua sum. Theol. tr. 5. p. 2. c. 2. n 6. & lib. 5. tr. 5. c. 7. sub n. 2. § causa, & Fagund. d. c. 18 sub n. 6.*

10 Octauò excusatur à culpa Sacerdos si sacrificium Missæ interrumpat ante consecrationem ob timorem hostium incursus: imò ad hoc tenetur, & non debet consecrare, tum propter reuerentiam tanti Sacramenti, ne in manus hostium incidat, & ab ipsis conculcetur; tum etiam ob periculum mortis ex tali incursu vitandum. Dixi: *Ante consecrationem*, quia si post consecrationem eiusmodi timor superueniat, nullo modo Sacerdos debet periculum mortis effugere, sacrificio essentialiter imperfectè relicto, & Sacramento in manibus hostium, maximè si infideles sint, & illius irreuerentia timeatur, sed tenetur emori potius, ne Sacramenti fides vilescat: potest tamen licitè accelerare sumptionem Sacramenti, prætermissis orationibus, & alijs precibus intermedijs: siquidem cùm hæc sint de iure Ecclesiastico, & citra irreuerentiam, ac sacrificij mutilationem prætermitti possint, non obligant cum tanto rigore; secluso tamen scandalo, aut alia contumelia Catholicæ Religionis, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 85. sec. 1. §. Quartò accidere potest.*

An Sacerdos peccet consecrando hostiam non omninò integram, aut vinum aliquantulum acidum, quòd tamen certum sit esse verum vinum. SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos peccet, si antequam Missam incipiat nouit defectum hostiæ, vel vini, & commodè possit habere aliam hostiam integram, vel vinum perfectum, & nihilominus velit celebrare, & consecrare hostiam non omninò integram, vel vinum aliquantulum acidum.*

2 *Quid si aliam commodè habere non possit, vel vinum perfectum. Et quid si huiusmodi defectus appareat post primam oblationem: Suscipe Sancte Pater, &c.*

1 AD hanc difficultatem breuiter respondemus, quòd aut Sacerdos antequam Missam inceperit nouit defectum hostiæ, ac vini, & commodè habere poterat aliam hostiam integram, & vinum citra vllum defectum; & nihilominus voluit celebrare, & consecrare dictam hostiam non omninò integram, & illud vinum aliquantulum acidum. Et tunc negari non potest, quin aliquam irreuerentiam inferat tanto Sacramento; & propterea culpam contrahat saltem venialem, tanquàm negligenter se habēs, & parum studiosè, ac deuotè in tanto sacrificio celebrando, contra *tex. in c. dolentes de celebr. Missar.* Si verò Sacerdos aliam hostiam integram, nec vinum perfectum habere facilè possit, tunc licèt defectum nouerit ante sacrificium 2 incœptum, poterit nihilominus Sacerdos cum illis Missam celebrare citra culpam aliquam, ne ob id celebrare desinat: siquidem fractio, rotunditas, aut quadratura hostiæ non vitiant Sacramentum, nec tollunt substantiam panis: nec ex eo, quòd hostia sit confracta, tollitur eius vnitas; quoniam intentio Sacerdotis est, totam illam hostiam confractam consecrare: neque ex eo, quòd vinum sit aliquantulum acidum, corrumpitur substantia vini, sed tunc corrumpitur, cùm vinum conuertitur formaliter in acetum. Quòd si huiusmodi defectus appareant post primam oblationem, quæ incipit: *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam, &c.* tunc Missa prosequenda est vsque ad finem; secluso tamen scandalo; quia si scandalum inferatur populo celebrando in illa materia defectuosa, & deformi valdè, tunc mutari debet hostia ipsa, vel vinum si aliud adsit: si verò consecratio absoluta est cum illo defectu, nihil est, quod suppleatur; sed solum prudenter curandum est, vt defectus tegatur. Ità *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 85 sec. 2. §. Primò igitur. Syl. vers. Eucharestia, secundò, n. 15. §. Sextum si hostia,* & alij communiter, vt testatur *Fagund. de precep. Eccles. precep. 1. lib. 3. c. 20. n. 7.*

An peccet Sacerdos celebrans Missam, & excipiens partem hostiæ ab eo consecratę, aliquē cōmunicet: SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos peccat si citra rationabilem causam partem suæ hostiæ consecratæ accipiat, & aliquem cōmunicet; secus si iusta subsistat causa.*

2 *Hodiè duæ partes hostiæ consecratæ sumuntur, & tertia mittitur in Calicem, & ad quid.*

3 *Quæ sit iusta causa sumendi partem hostiæ cōsecratæ pro aliquo communicando.*

1 AD hanc rem respondetur affirmatiuè, si nulla rationabilis causa subsistat eo modo ministrandi Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum, cùm faciat contra communem vsū, ac consuetudinem Ecclesiæ. Cæterum vbi necessitas vrgeat, aut rationabilis causa subsistat, potest Sacerdos partem suæ hostiæ consecratæ alteri petenti communionem dare, & reliquum sumere, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 12. q. 1. art. 5. concl. 1. Syl. vers. Eucharestia, 2. nu. 15. Suar. tom. 3. in 3. p. disp 85. sec. 2. §. Secundò in sumptione. Sà ver. Eucharestia, n. 15. Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3 c. 20. nu. 8.* qui pro hac eadem opinione citat *D. Thom. in 4. d. 17.* Etenim non tenetur Sacerdos consumere totam quantitatem, quam cōsecrat, vt cùm consecrat suam hostiam, & plures particulas. Imò, vt colligitur ex *tex. in c. triforme,* & ibi, *Glosa,* antiquitus ex tribus partibus, in quas partiebatur hostia consecrata, vna pars mittebatur in Calicē ad significandum, quòd Corpus Christi iam resurrexit: altera pars sumebatur à Sacerdote, significans Christum adhuc ambulare super terram: & tertia pars remanebat super altare vsque ad Missæ finem, denotans corpus iacens in sepulcro; quia vsque ad finem sæculi corpora Sā- 2 ctorum in sepulcris erunt. Hodiè autem duæ partes sumuntur à Sacerdote, & vna mittitur in Calice; atque ideò tertia non remanet in altari, sed cum altera parte sumitur pro animabus Sanctorum ad laudem Dei: & pro illis qui sunt in Purgatorio: & tertia cum sanguine pro illis, qui sunt in peccato viuentes, vt inquit *Glos. ibi, ver. Finem.* Vndè antiquitus illa tertia pars hostię, quæ conseruabatur in altari; ex industria seruabatur ad communicandum fidelem aliquem.

3 Est autem causa rationabilis communicandi aliquem cum parte illa hostiæ consecratæ si casus occurrat communicandi aliquem in infirmitate: vel propter deuotionem alicuius communicantis: vel quia Sacerdos distinctam, ac diuersam formulam non apposuit ex lapsu mētis, quia tunc non habebat aliam formulam, & erat in loco, in quo de facili non reperiebatur. Ità *Fagund. loc. cit.*

An

An Sacerdos peccet stipendium petens pro celebranda Missa, aliàs non celebraturus.
SEC. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Simonia est accipere temporalia pro spiritualibus.*
2 *Licitus est vsus accipiendi iustum stipendium pro celebratione Missarum, mortuorum humatione, concione, alijsque spiritualibus functionibus.*
3 *Simonia tunc committitur cum datur, promititurnè temporale in pretium spiritualis.*
4 *Ad licitè celebrandam Missam pro iusto stipendio duo requiruntur. Et quod nam sit iustum stipendium.*
5 *Sacerdos pro Missa non potest exigere maius stipendium, quam iustum, nec minus dari, nisi volentibus, & consentientibus.*

1 IN hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse. Etenim simonia est ex pacto recipere temporalia pro spiritualibus, vt in *c. tua nos, de simon* & ne aliquid pro spiritualibus exigat. vel permitt. At accipere præuio præsertim pacto, stipendium pro celebranda Missa, est recipere temporalia pro spiritualibus, mediante pacto; ergò simonia committitur recipere temporalia pro spiritualibus; atque ideò Sacerdos non potest citrà lethalem culpam petere stipendium pro celebranda Missa, aliàs eā non celebraturus. Confirmatur, quia potestatem ordinis, atque ideò celebrandi Missam accipit Sacerdos gratis; ergò gratis etiam debet eam celebrare, & non mediante stipendio, iuxtà illud Apostoli *1. Corinth. c. 9. & 2. Corinth. cap. 11. Gratis accepistis, gratis date*. Denique quamplurimæ sunt Religiones, quæ pro Missis celebrandis, pro concionibus, ac pro alijs rebus spiritualibus, stipendium non recipiunt etiam à spontè dantibus. Ergò signum est malum esse recipere stipendium pro celebranda Missa, & multò maius id percipere præuio pacto.

2 His tamen non obstantibus in contrarium est communis sententia, quam docent *Henriq. lib. 9. de Missa, c. 22. n. 4. Suar. tom. 3. in 3. p. disput. 86. sec. 1. 2. & 3. Cord. in casib. consc. casu 27. Genedo collect. 44. n. 5. p. 2 Guttier. lib. 1. Canon. qq c. 29. à n. 3. Morla 1. par. tit. 1. q 13. Timoth. de sacrif. Missa, tr. 3. q. 48. Ledes. in sum. tit. de Sacram Euch. c. 18. vers. 3. & Fagund. de precep. Eccl. pracep. 1. lib. 3. c. 7. sub n. 5.* dicentes, licitum esse vsum accipiendi iustum stipendium pro celebratione Missarum, mortuorum humatione, concione, & alijs spiritualibus functionibus, citra simoniæ labem; etiam si Sacerdos huiusmodi iustum stipendium percipiat ex pacto. Hanc eandem sententiam docet *D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 3.* & in eum *Caiet.* ibi, & *Nauar. in Man. c. 23. n. 100. §. Quartò quòd*, & alij, & est communis sententia. Probatur hæc sententia primò ex illo *Luca, c. 10. Dignus est operarius mercede sua*, & *Corinth. c. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? qui altari seruit, de altari participat*. Confirmatur quoque ex illo *1. ad Timoth c. 5 Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt*. Nempè, & pastu temporali, & honore ciuili. Probatur denique hæc ipsa sententia ex contrariorum solutione. Et ad primum respondetur distinguendo maiorem, quòd aut datur, vel promittitur aliquod temporale pro spirituali in pretium rei spiritualis, & concedimus committi simoniam: aut datur temporale pro re spirituali in sustentationem recipientis, vel ex alia iusta causa, &

3 tunc non est simonia accipere tēporale aliquod pro re spirituali. Sacerdos autem pro celebranda Missa accipit stipendium non in pretium Missæ; sed in sui sustentationem. Ad confirmationem dicitur, quòd quamuis Sacerdos recipiat stipendium pro celebranda Missa, dum illud accipit non in pretium Missæ, sed ad sui sustentationem, dicitur gratis dare, quod accepit. Ad vltimum denique ex vsu quamplurimarum Religionum, respondemus, quòd eiusmodi Religiones laudabiliter faciunt. Cæterum recipientes stipendium pro celebrandis Missis ad eorum sustentationem, non peccant.

4 Ex dictis patet, quòd ad licitè celebrandam Missam pro aliquo stipendio duo requiruntur. Primum, vt Sacerdos rectam habeat intentionem, nempè quòd stipendium intendat non in pretium Missæ, sed in sui sustentationem: Secundum, vt iustum stipendium percipiatur. Est autem iustum stipendium, quod vel lex, aut cōsuetudo loci taxauit: si autem taxatum non existat, quamuis *Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 3. ar. 1. Coninc. q 83. ar. 1. dub. 10.* & alij cum communi sententia velint esse, quod ad frugalem vnius diei victum sufficit; hanc tamen communem sententiam impugnant *Suar. tom. 3 in 3. p. disp. 86. sec. 2. Cord. lib. 1. quæst q. 4. Laym. lib 5. sue sum. tr. 5 c. 1. sub n. 13. §. Iustum autem stipendium*, & *Rodriq.* quem ipse allegat. Mouentur ex eo, quòd Sacerdos non nisi vnicam diei horam cōsumat; reliquum autem diei tempus alijs officijs impendere potest. Vndè dicunt, mediā, vel tertiam partem sustentationis satis esse, quāuis plus liberaliter offerri possit; & interdum etiam propter Sacerdotum inopiam si nullum beneficium Ecclesiasticum habeant. Sed prior sententia videtur benignior; quia Sacerdotes indigent stipendio non solùm ad victum comparandum, sed vt possit alijs eius indigentijs consulere, vt *sec. seq.* dicemus de Sacerdote diuite

5 agentes. Cæterum Sacerdos pro Missa non potest exigere maius stipendium quàm iustum, nec minus dari; nisi volentibus, ac consentientibus, vt rectè declarat *Fagund loc. cit. n. 6.* His adde, quæ latè habentur ex *Laym lib. 4. sum. tr. 10. c vlt n. 13. cum plur. seq. & P. Alph. de Leone, de offic. Capel. q. 6. sec. 4.*

An Sacerdos diues peccet, ex pacto recipiendo stipendium pro celebranda Missa.
SEC XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos tantum ad sui sustentationem recipere potest stipendium pro Missa, etiam ex pacto.*

Se-

An Sacerdos peccet consecrando hostiam non omninò integram, aut vinum aliquantulum acidum, quòd tamen certum sit esse verum vinum. SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos peccet, si antequam Missam incipiat nouit defectum hostiæ, vel vini, & commodè possit habere aliam hostiam integram, vel vinum perfectum, & nihilominus velit celebrare, & consecrare hostiam non omninò integram, vel vinum aliquantulum acidum.*

2 *Quid si aliam commodè habere non possit, vel vinum perfectum. Et quid si huiusmodi defectus appareat post primam oblationem: Suscipe Sancte Pater, &c.*

1 AD hanc difficultatem breuiter respondemus, quòd aut Sacerdos antequam Missam inceperit nouit defectum hostiæ, ac vini, & commodè habere poterat aliam hostiam integram, & vinum citra vllum defectum; & nihilominus voluit celebrare, & consecrare dictam hostiam non omninò integram, & illud vinum aliquantulum acidum. Et tunc negari non potest, quin aliquam irreuerentiam inferat tanto Sacramento; & propterea culpam contrahat saltem venialem, tanquàm negligenter se habēs, & parum studiosè, ac deuotè in tanto sacrificio celebrando, contra *tex. in c. dolentes. de celebr. Missar.* Si verò Sacerdos aliam hostiam integram, nec vinum perfectum habere facilè possit, tunc licèt defectum nouerit ante sacrificium 2 inceptum, poterit nihilominus Sacerdos cum illis Missam celebrare citra culpam aliquam, ne ob id celebrare desinat: siquidem fractio, rotunditas, aut quadratura hostiæ non vitiant Sacramentum, nec tollunt substantiam panis: nec ex eo, quòd hostia sit confracta, tollitur eius vnitas; quoniam intentio Sacerdotis est, totam illam hostiam confractam consecrare: neque ex eo, quòd vinum sit aliquantulum acidum, corrumpitur substantia vini, sed tunc corrumpitur, cùm vinum conuertitur formaliter in acetum. Quòd si huiusmodi defectus appareant post primam oblationem, quæ incipit: *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam, &c.* tunc Missa prosequenda est vsque ad finem; secluso tamen scandalo; quia si scandalum inferatur populo celebrando in illa materia defectuosa, & deformi valdè, tunc mutari debet hostia ipsa, vel vinum si aliud adsit: si verò consecratio absoluta est cum illo defectu, nihil est, quod suppleatur; sed solum prudenter curandum est, vt defectus tegatur. Ità *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 85. sec. 2. §. Primò igitur. Syl. vers. Eucharestia, secundò, n. 15. §. Sextum si hostia,* & alij communiter, vt testatur *Fagund. de precep. Eccles. precep. 1. lib. 3. c. 20. n. 7.*

An peccet Sacerdos celebrans Missam, & excipiens partem hostiæ ab eo consecratę, aliquē cōmunicet: SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos peccat si citra rationabilem causam partem suæ hostiæ consecratæ accipiat, & aliquem cōmunicet; secus si iusta subsistat causa.*

2 *Hodiè duæ partes hostiæ consecratæ sumuntur, & tertia mittitur in Calicem, & ad quid.*

3 *Quæ sit iusta causa sumendi partem hostiæ cōsecratæ pro aliquo communicando.*

1 AD hanc rem respondetur affirmatiuè, si nulla rationabilis causa subsistat eo modo ministrandi Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum, cùm faciat contra communem vsū, ac consuetudinem Ecclesiæ. Cæterum vbi necessitas vrgeat, aut rationabilis causa subsistat, potest Sacerdos partem suæ hostiæ consecratæ alteri petenti communionem dare, & reliquum sumere, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 12. q. 1. art. 5. concl. 1. Syl. vers. Eucharestia, 2. nu. 15. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 85. sec. 2. §. Secundò in sumptione. Sa ver. Eucharestia, n. 15. Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. c. 20. nu. 8.* qui pro hac eadem opinione citat *D. Thom. in 4. d. 17.* Etenim non tenetur Sacerdos consumere totam quantitatem, quam consecrat, vt cùm consecrat suam hostiam, & plures particulas. Imò, vt colligitur ex *tex. in c. triforme,* & ibi, *Glosa,* antiquitus ex tribus partibus, in quas partiebatur hostia consecrata, vna pars mittebatur in Calicē ad significandum, quòd Corpus Christi iam resurrexit: altera pars sumebatur à Sacerdote, significans Christum adhuc ambulare super terram: & tertia pars remanebat super altare vsque ad Missæ finem, denotans corpus iacens in se- 2 pulcro; quia vsque ad finem sæculi corpora Sāctorum in sepulcris erunt. Hodiè autem duæ partes sumuntur à Sacerdote, & vna mittitur in Calice; atque ideò tertia non remanet in altari, sed cum altera parte sumitur pro animabus Sanctorum ad laudem Dei: & pro illis qui sunt in Purgatorio: & tertia cum sanguine pro illis, qui sunt in peccato viuentes, vt inquit *Glos. ibi, ver. Finem.* Vndè antiquitus illa tertia pars hostię, quæ conseruabatur in altari; ex industria seruabatur ad communicandum fidelem aliquem. 3 Est autem causa rationabilis communicandi aliquem cum parte illa hostiæ consecratæ si casus occurrat communicandi aliquem in infirmitate: vel propter deuotionem alicuius communicantis: vel quia Sacerdos distinctam, ac diuersam formulam non apposuit ex lapsu mētis, quia tunc non habebat aliam formulam, & erat in loco, in quo de facili non reperiebatur. Ità *Fagund. loc. cit.*

An

An Sacerdos peccet stipendium petens pro celebranda Missa, aliàs non celebraturus. SEC. XVII.

SVMMARIVM.

Simonia est accipere temporalia pro spiritualibus.

2 *Licitus est vsus accipiendi iustum stipendium pro celebratione Missarum, mortuorum humatione, concione, alijsque spiritualibus functionibus.*

3 *Simonia tunc committitur cum datur, promittiturvè temporale in pretium spiritualis.*

4 *Ad licitè celebrandam Missam pro iusto stipendio duo requiruntur. Et quod nam sit iustum stipendium,*

5 *Sacerdos pro Missa non potest exigere maius stipendium, quam iustum, nec minus dari, nisi volentibus, & consentientibus.*

1 IN hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse. Etenim simonia est ex pacto recipere temporalia pro spiritualibus, vt in *c. tua nos, de simon* & ne aliquid pro spiritualibus exigat. vel permitt. At accipere præuio præsertim pacto, stipendium pro celebranda Missa, est recipere temporalia pro spiritualibus, mediante pacto; ergò simonia committitur recipere temporalia pro spiritualibus; atque ideò Sacerdos non potest citrà lethalem culpam petere stipendium pro celebranda Missa, aliàs eã non celebraturus. Confirmatur, quia potestatem ordinis, atque ideò celebrandi Missam accipit Sacerdos gratis; ergò gratis etiam debet eam celebrare, & non mediante stipendio, iuxtà illud Apostoli *1. Corinth. c. 9. & 2. Corinth. cap. 11. Gratis accepistis, gratis date.* Denique quamplurimæ sunt Religiones, quæ pro Missis celebrandis, pro concionibus, ac pro alijs rebus spiritualibus, stipendium non recipiunt etiam à spontè dantibus. Ergò signum est malum esse recipere stipendium pro celebranda Missa, & multò maius id percipere præuio pacto.

2 His tamen non obstantibus in contrarium est communis sententia, quam docent *Henriq. lib. 9. de Missa, c. 22. n. 4. Suar. tom. 3. in 3. p. disput. 86. sec. 1. 2. & 3. Cord. in casib. consc. casu 27. Genedo collect. 44. n. 5. p. 2 Guttier. lib. 1. Canon. qq. c. 29. à n. 3. Morla 1 par. tit. 1. q. 13. Timoth. de sacrif. Missa, tr. 3. q. 48. Ledes. in sum. tit. de Sacram Euch. c. 18. vers. 3. & Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. c. 7. sub n. 5.* dicentes, licitum esse vsum accipiendi iustum stipendium pro celebratione Missarum, mortuorum humatione, concione, & alijs spiritualibus functionibus, citra simoniæ labem; etiam si Sacerdos huiusmodi iustum stipendium percipiat ex pacto. Hanc eandem sententiam docet *D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 3.* & in eum *Caiet.* ibi, & *Nauar. in Man. c. 23. n. 100. §. Quartò quòd,* & alij, & est communis sententia. Probatur hæc sententia primò ex illo *Luca, c. 10. Dignus est operarius mercede sua,* & *Corinth. c. 9. Quis militat suis stipendijs vnquam? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? qui altari seruit, de altari participat.* Confirmatur quoque ex illo *1. ad Timoth c. 5 Qui benè præsunt Presbyteri duplici honore digni sunt.* Nempè, & pastu temporali, & honore ciuili. Probatur denique hæc ipsa sententia ex contrariorum solutione.

3 Et ad primum respondetur distinguendo maiorem, quòd aut datur, vel promittitur aliquod temporale pro spirituali in pretium rei spiritualis, & concedimus committi simoniam: aut datur temporale pro re spirituali in sustentationem recipientis, vel ex alia iusta causa, & tunc non est simonia accipere tẽporale aliquod pro re spirituali. Sacerdos autem pro celebranda Missa accipit stipendium non in pretium Missæ; sed in sui sustentationem. Ad confirmationem dicitur, quòd quamuis Sacerdos recipiat stipendium pro celebranda Missa, dum illud accipit non in pretium Missæ, sed ad sui sustentationem, dicitur gratis dare, quod accepit. Ad vltimum denique ex vsu quamplurimarum Religionum, respondemus, quòd eiusmodi Religiones laudabiliter faciunt. Cæterum recipientes stipendium pro celebrandis Missis ad eorum sustentationem, non peccant.

4 Ex dictis patet, quod ad licitè celebrandam Missam pro aliquo stipendio duo requiruntur. Primum, vt Sacerdos rectam habeat intentionem, nempè quòd stipendium intendat non in pretium Missæ, sed in sui sustentationem: Secundum, vt iustum stipendium percipiatur. Est autem iustum stipendium, quod vel lex, aut cõsuetudo loci taxauit: si autem taxatum non existat, quamuis *Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 3. ar. 1. Coninc. q. 83. ar. 1. dub. 10.* & alij cum communi sententia velint esse, quod ad frugalem vnius diei victum sufficit; hanc tamen communem sententiam impugnant *Suar. tom. 3 in 3. p. disp. 86. sec. 2. Cord. lib. 1. quest q. 4. Laym. lib 5. sup sum. tr. 5 c. 1. sub n. 13. §. Iustum autem stipendium,* & *Rodriq.* quem ipse allegat. Mouentur ex eo, quòd Sacerdos non nisi vnicam diei horam cõsumat; reliquum autem diei tempus alijs officijs impendere potest. Vndè dicunt, mediã, vel tertiam partem sustentationis satis esse, quãuis plus liberaliter offerri possit; & interdum etiam propter Sacerdotum inopiam si nullum beneficium Ecclesiasticum habeant. Sed prior sententia videtur benignior; quia Sacerdotes indigent stipendio non solùm ad victum comparandum, sed vt possit alijs eius indigentijs consulere, vt *sec. seq.* dicemus de Sacerdote diuite agentes.

5 Cæterum Sacerdos pro Missa non potest exigere maius stipendium quàm iustum, nec minus dari; nisi volentibus, ac consentientibus, vt rectè declarat *Fagund loc. cit. n. 6.* His adde, quæ latè habentur ex *Laym lib. 4. sum. tr. 10. c. vlt n. 13. cum plur. seq. & P. Alph. de Leone, de offic. Capel. q. 6. sec. 4.*

An Sacerdos diues peccet, ex pacto recipiendo stipendium pro celebranda Missa. SEC XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos tantum ad sui sustentationem recipere potest stipendium pro Missa, etiam ex pacto.*

Se-

2 *Secundum D. Thom. licitum est accipere stipendium pro Missa, dummodò in pactum non deducatur.*

An pacta de stipendio pro Missa damnantur in Concil. Trid.

3 *Verior est sententia, qui Sacerdos etiam diues potest pro Missa accipere stipendium.*

4 *Nemo suis stipendijs cogitur alteri militare, seu operari, siuè diues, siuè pauper sit.*

5 *Non solum licitum est pacisci stipendium pro celebranda Missa, sed etiam illud exigere ante celebrationem.*

6 *Pro stipendio habendo ab eo, pro quo Missa fuit celebrata, potest adiri Iudex.*

7 *Nō solum stipendium pro Missa potest deduci in pactum, sed etiam pro collatione aliorum spiritualium.*

8 *Sacerdos, vt licitè paciscatur stipendium pro Missa; alijsq; spiritualibus, quando duo concurrunt, & quæ.*

9 *Sacerdos potest pacisci, & recipere stipendium non solum ad sui sustentationem, sed etiam tanquam sibi debitum ex iustitia. Et respondetur ad contraria.*

1 IN hac difficultate videtur prima fronte affirmatiuè respondendum esse. Probatur ex ijs, quæ suprà cumulauimus *sec. præcedenti*, dū diximus, quòd Sacerdos non alia ratione potest etiam ex pacto recipere stipendium pro celebranda Missa, nisi ad sui sustentationem: at Sacerdos, de quo agitur, cùm supponatur diues, habet aliundè, quo se sustentet; ergò non potest recipere stipendium ex pacto pro celebranda Missa. Confirmatur, quoniam, vt ostendimus *sec. præcedenti*, duabus ex causis, seu earum altera contingit Sacerdotem recipere stipendium pro celebranda Missa; nempè in pretium Missæ, quod probauimus esse crimen simoniæ, vel in sui sustentationem: ac Sacerdos, de quo agitur, cùm sit diues, non recipit stipendium ad sui sustentationem, cùm aliundè habeat quo sustẽtetur; ergò recipiendo stipendium pro celebrāda Missa, præsertim ex pacto, necessariò illud recipit in pretium Missæ, atque ideò simoniæ culpam contrahit. Hanc sententiam videtur docere *D. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 2. & 3. ad 2.* dum
2 ait, licere quidem absolutè loquendo stipendiū accipere, dummodò in pactum non deducatur, quia aliàs erit simonia, *in 4. d. 25. q. 3. ar. 2. quæstiun. 1. ad 4.* inquit, pacisci de Missa dicenda semper esse simoniam. Imò huiusmodi pacta de stipendio pro Missa omninò videntur damnata in *Conc. Trid. sess. 22.* in decreto de obseruandis, & vitandis in celebr. Missę, dum decernit, ne fiat vlla conuentio, aut pactum super dicendarum Missarum nouarum stipendium, ac mercedem, & vt Episcopi de medio tollant omnia in celebratione Missarum, quæ vel auaritiā, vel irreuerentiam sapiant, & redoleant: ac proculdubio auaritiam redolet, si Sacerdos diues stipendium accipiat, & illud in pactum deducat, cùm is non possit id percipere sustentationis titulo.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror veriorem esse, quam docet *Caiet. 2. 2. q. 100. ar. 2. vers. Ad euidentiam, Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 6. ar. 2. cōcl. vlt. Nauar. in Man. c. 25. nu. 102 Adrian. quodlib. 9. art. 1. Suar. tom. 3. in 3 p. disp. 76. sec. 1: §. Circa aliū: & §. Quod ità breuiter, Guttier. lib 1. qq. Canon. c. 29. nu. 10. Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. c. 8 n. 2. Genedo in suis practicis qq. q. 27. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg 24. num. 2. Laym. lib. 4. sua sum. tr. 10. c. vlt. sub n 14.* qui testatur de communi, & nouissimè *P. Alph. de Leone de offic. Capel. q 6 sec. 4 nu. 38.* Mouentur præfati Doctores ex eo, quòd stipendium illud debetur Sacerdoti ex iustitia; siquidem vnusquisque siuè pauper, siuè diues meretur iure naturali sustentari ab illo, cui inseruit, & in cuius ministerio, & obsequio occupatur: ergò Sacerdos potest illud pacisci pro Missa celebranda, siuè diues sit, siuè pauper: enim iustitia est æqualis quoad diuites, & pauperes. Confirmatur,
4 quia nemo suis stipendijs cogitur militare, seu alteri operari, siuè diues sit, siuè pauper, vt post alios inquit *Laym. loc. cit.* Ergò nec Sacerdos citra stipendium tenetur pro alio Missam celebrare; siquidem Sacerdos quòd diues sit, vel pauper, & quòd ex alijs bonis sufficientem sustentationem habeat, accidentarium est: at in moralibus attenditur id, quod est per se, non autem per accidens. Rursus, quod de iure naturali debetur, in pactum licitè deducitur; sed stipendium de iure naturali debetur Sacerdoti, siuè diues sit, siuè pauper, pro Missa celebranda; ergò licitè deducitur in pactum; atque ideò ex pacto potest illud citra omnem culpam percipere, siuè diues sit, siuè pauper. Maior patet. Probatur minor, quia stipendium debetur Sacerdoti ex iustitia: quod enim ex iustitia debetur, debetur quoque ex iure naturali, cùm proueniat ex dictamine rationis, quod prouenit ex lege Dei æterna, & est lex scripta in cordibus nostris. Denique probatur ex communi consuetudine totius Ecclesiæ scita, ac tolerata à Pastoribus Ecclesiasticis, quæ quidem si contra ius naturale, aut Diuinum esset, proculdubio damnata, ac abrogata foret, & tanquam veritati contraria sublata, vt in *c. quę contra, cum plur. seq 8 d.*

5 Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm liceat pacisci stipendium pro celebranda Missa à Sacerdote, siuè diues sit, siuè pauper; sed illud exigere ante ipsam celebrationem aliàs non celebraturo: quia talis modus exigendi non mūtat naturam debiti, vt habetur ex *Laym. loc. sup. cit. sub n. 15. § Sed limitari debet. Sanch. in suis cons. Moral. lib. 2. c. 3. dub. 11. n. 13. & P. Alph. de Leone d. sec. 4. sub n. 39.* qui dicunt esse bonū consilium exigere stipendium ante celebrationem, ac spiritualium collationem, si id fiat à Sacerdote, vt seruet se indemnem ad euitandas lites, quas probabiliter timet, ad recuperandum illud.

6 Secundò ampliatur, vt non modo stipendiū huiusmodi possit deduci in pactum; & exigi ante celebrationem Missæ; sed pro stipendio habendo ab eo, pro quo Missa fuit celebrata possit Iudex adiri, vt habetur ex *Sanch. d. dub. 11. nu. 12.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *P. Alph. de Leone d. sec. 4. n. 4.* pro qua re allegat *tex. in c. ad Apostolicam, de sim.* & refert modum quo Sacerdos vti debet ad effectum exigendi stipendium in iudicio.

7 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt locum habeat

habeat non solùm in stipendio pro celebranda Missa, sed etiam in stipẽdio pro collatione aliorum spiritualium: vt habetur ex *Laym. d. c. vlt. n. 13. Alph. de Leone, d. sec. 4.* & alijs, dum dicunt, quòd si Ecclesiæ ministri fidelibus spiritualia ministrantes, ab eisdem temporalia per modum stipendij, ac necessariæ sustentationis suę recipiant: dignus est enim operarius mercede sua: & naturalis iustitia exigit, vt ei, qui in alterius gratiam, ac commodum occupatus est, & laborat, sufficiens victus, seu sustentatio præbeatur. Hanc eandem sententiam docet *D. Thom.* ab omnibus receptus, *2. 2. q. 100. ar. 2. in corp. & quodlib. 6. ar. 10.*

8 Sic ampliata limitatur dicta conclusio, vt ità demum Sacerdos licitè paciscatur stipendium pro Missa celebranda, ac pro alijs spiritualibus ministrandis; quando duo concurrunt, nempè intentio celebrantis, seu ministrantis spiritualia pro temporalibus, quòd sit pura ab omni labe auaritia, ità vt stipendium illud non intendat in pretium Missæ, & aliarum rerum spiritualium, & quòd stipendium sit iustum, iuxtà ea, quæ suprà diximus *sec. præc. vers. Ex dictis patet.*

Restat modò, vt contraria soluamus.

9 AD primum respondendo ad antecedens dicitur, quòd Sacerdos potest pacisci, & recipere stipendium non solùm ad sui sustentationem, sed etiam tanquam sibi debitum ex iustitia, vt suprà declarauimus: & propterea ad euitandam simoniam satis est si Sacerdos illud non intendat recipere in pretium celebrationis Missæ.

Ad confirmationem eodem modo respondetur.

Ad auctoritatem *D. Thom.* dicitur, quòd per pactum intelligit stipendium intentum in pretium rei spiritualis, nil mirum si committitur simonia.

Ad *Concil. Trid.* respondetur, quòd ipsum Concilium loquitur tantùm de Missis nouis, vt declarat *Fagund. loc. cit. sub n. 3.* Secundò, respondetur ex *P. Alph. de Leone, d. sec. 4 sub nu. 36.* quòd dato, quòd Sacrum Concilium generaliter loquatur; attamen cessat omnis auaritiæ, ac simoniæ labes, quando Sacerdos per pactum intendit stipendium taxatum statuto, vel consuetudine, iuxtà ea, quæ adnotauimus suprà *sec. præced vers. Ex dictis patet.*

An obligatio Sacerdotis ad sacrificandũ pro aliquo ità ipsum alliget, vt non possit pro alio validè, & citra culpam Sacrificium offerre. SEC. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Sacerdos, qui ex vi suæ promissionis est obligatus ad Sacrificium Missæ liberaliter applicandum pro vno, & deindè pro alio applicet.*

2 *Licet peccet Sacerdos mortaliter, si totum sacrificium non applicet pro eo, cui applicare promisit; Non tamen euidenter Sacerdotes se velle obligare, vt totam Missam applicent pro eo, cui promiserunt, & non pro alio etiã.*
An peccet mortaliter qui promisit duos iulios, si eos non soluat.

3 *Obligatio liberalis etiam acceptata, non obligat ex iustitia, sed ex fidelitate.*

4 *Peccat multò magis Sacerdos, qui obligatus ad Sacrificium applicandum, prout accepto stipendio, pro alio applicet.*

5 *Quid si valor iusti stipendij accepti satis non sit ad lethalem culpam.*

6 *Quamuis peccet Sacerdos promittendo Missæ applicationem pro vno tali die, tali loco, & in tali tempore, & deindè applicet pro alio semper tenet applicatio, siue gratuito promiserit, siuè accepto stipendio.*

7 *Peccat Sacerdos, qui promisit Missam applicare pro vno accipiens ab eo stipendium minus iustũ, & deindè applicet pro alio, à quo accipit stipendij complementum.*
An excusetur hoc casu Sacerdos ex capite paupertatis.

AD *tit. quæstionis* est adnot. quod in hac *sec.* non agimus de obligatione Sacerdotis ad offerendum sacrificium Missæ pro aliquo, prouueniente ex voluntate superioris præcipientis Sacerdoti ipsius subdito, vt pro certa, ac determinata persona sacrificium offerat, siquidem de hac re dicemus *sec sequenti:* sed controuersia nostra est de obligatione Sacerdotis, prouenĩete ex eiusdem promissione, siuè promissio facta sit citra omne stipendium, siuè iusto accepto stipendio, siuè denique accepto stipendio multò minori iusto. Pro determinatione igitur sit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 PEccat Sacerdos ex vi suæ promissionis obligatus ad sacrificium Missæ liberaliter, atq; ideò nullo accepto stipendio, applicandum pro vno, si deindè illud offerat, seu applicet pro alio. Hæc conclusio est *Nauar in Man. c. 25. nu. 92. Petr. Nauar. lib. 2. de restit. c. 2. in noua editione, c. 7. n. 329. corollar 3. Ledes. 2. 4. q. 16. ar. 14. circa finem, Card. lib 1. q. 3. opin. 6.* & aliorum communiter. Probatur, quoniam talis Sacerdos facit contra fidelitatem, secundum quam vnusquisq; tenetur implere, quod promittit, etiam si agatur de pacto nudo: siquidem pactum quantumuis nudum, obligat in conscientia, vt per *Glos. Panor. & alios in cap. 1. de pact. D. Thom. 2. 2. q. 110. ar. 3. ad 5. & in 4. d. 27. q. 2. ar. 1. ad 2.* late *Syl. vers. Pactum, q 3. 4. & 5.*

2 Est tamen verum, quòd quamuis *Nauar. loco citato* putet, huiusmodi Sacerdotem peccare mortaliter, si totum sacrificium non applicet pro eo, cui applicare promisit; nihilominus *Fagũd. de præcep Eccl præcep. 1. lib. 3. c. 8 nu 11.* putat, quòd ordinariè, & regulariter loquendo in huiusmodi promissionibus nunquam Sacerdotes se velle ità obligare, vt totam Missam applicent pro illo, cui promiserunt, & non pro alio etiam. Imò si demus Sacerdotem aliquem expressè promisisse alicui pro eo totam Missam offerre; adhuc tamen non peccare mortaliter, sed tan-

vt-

venialiter, si totam Missam applicet pro alio; quoniam illa pacta obligant in conscientia sub culpa mortali, quæ sunt de materia graui, vt habetur per Doctores suprà citatos. At promissio applicationis vnius Missæ, non potest dici de re graui: siquidem hoc casu non est considerandum bonum spirituale ipsius Missæ promissæ; sed attendendus est eiusdem valor temporalis, atque ideò stipendium tempore Missæ, & iuxtà valorem huius stipendij consideranda est materia promissionis: ac materia stipendij temporalis vnius Missæ, etiam si consuetudine, vel statuto esset taxatum ad rationem duorum iuliorum pro celebratione singularum Missarum, nō est sufficiens ad inducendum peccatum mortale: quoniam licet demus furto subtrahentem duos iulios, peccare mortaliter; negamus tamen promittentem duos iulios, & non exoluentem reum esse lethalis culpæ. Etenim maior quantitas exigitur in promissione ad inducendam lethalem culpam, quàm in furto, vt probat *Lopez p. 1. instr. in noua editione, c. 180 §. Tertiò requiritur, & lib. 2. de contractib c. vlt. ad fin. Less. tom. 1 de iust. & iur. lib 2. c. 18. dub. 8. nu. 56.* Vndè *Sanch. tom. 1. de matr. disp. 5. nu. 24.* putat, quadruplo maiorem debere esse quantitatem in promissione, quam in furto. Et cùm in casu nostro agatur de promissione Missæ liberaliter, & citra omne stipendium facta, proculdubio minor est, quàm obligatio, quæ prouenit ex furto: siquidem obligatio liberalis non

3 obligat ex iustitia, etiam acceptata, sed tantùm ex fidelitate: fides autem non seruata in promissionibus liberalibus, & gratuitis non tollit rem alienam, sicut furtum, vt rectè declarat *Fagũd. loc. cit.* qui ob id inquit non esse attendendam doctrinam *Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 11. c. 5. qu 3. & Molina tom. 2 de iustit. & iur. disp. 262.* & aliorum dicentium, promissionem liberalem, & gratuitam violatam, in materia, quæ est sufficiens in furto ad peccatum mortale, peccatum mortale esse. His adde. quæ habentur ex *P. Alph. de Leone de offic. Capell. q. 1. sec. 3.* vbi fusiùs de hac re tractat.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 PEccat Sacerdos multò magis ex vi suæ promissionis obligatus ad Sacrificium Missæ applicandum pro vno, accepto iusto stipendio, si posteà illud applicet pro alio. Is enim non solum facit contra charitatem; verum etiam contra iustitiam. Vndè *Ledesm. 2. 4. qu. 16. ar. 14. Cord. lib. 1. q. 3. opin. 6. Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. c. 10. nu. 3.* & alij dicunt, huiusmodi Sacerdotem peccare mortaliter. Sed re vera si promissio est applicationis vnius Missæ tantùm, cùm materia promissionis non sit grauis, vt suprà ostendimus *concl. preced.* non video quomodo dictus Sacerdos peccet mortaliter ratione stipendij accepti; nisi dicamus eo casu commisisse furtum, si maximè tempore perceptionis stipendij habebat animum contrectandi stipendium, & non celebrandi Missam: tunc videtur, quòd actioni huic conueniat definitio furti, quæ est contrectatio rei alienæ fraudulosa lucrifaciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisue: quod lege naturali prohibitum est admittere, vt in *l. 1. §. furtum, ff.*

5 *de furt.* Quod tamen verum putamus, si valor iusti stipendij accepti sit tantæ quantitatis, quæ satis sit ad contrahendam lethalem culpam in furto, attenta conditione personæ, à qua fuit acceptum stipendium: siquidem furti grauitas ad constituendam lethalem culpam non tantum pensanda est ex sola quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantijs personæ, cui aufertur: siquidem certum est plus displicere pauperi furtum duorum iuliorum, quàm diuiti; & diuiti plus displicere furtum vnius pomi in suo pomario, quam si pauperi furarentur decem ex sua domo, vt rectè post alios declarat *Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. c. 1. à n. 3. ad 4.*

TERTIA CONCLVSIO.

6 QVamuis Sacerdos peccet promittendo sacrificij Missæ applicationem pro vno tali die, tali tempore, & in tali loco, & deindè illud applicet pro alio, siuè liberaliter promittat, iuxtà primam conclusionem, siuè accepto stipendio iusto, ac competenti, iuxtà secundam conclusionē; nihilominus tenet applicatio in vtroq; casu. Hæc conclusio est communis, quam docēt suprà relati Doctores, & alij: imò *Fagund. loc. sup. cit.* hanc opinionem inquit esse certam. Etenim illa Sacerdotis actio, licet mala sit, & peccaminosa: attamen eo ipso, quòd est posterior, & absoluta, est efficacior, & retractiua primæ voluntatis.

QVARTA CONCLVSIO.

7 PEccat Sacerdos, qui promisit applicare Missam pro vno accipiens ab eo stipendium minus iusto, si deindè eandem Missam applicet etiam pro alio, à quo accepit stipendij complementum. Hæc conclusio est contra *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 86 sec 4. §. Vndè consequenter, Reginald. lib. 23 sua prax. n. 234.* quos refert, & sequitur *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 3. c. 16. n. 18. & 19.* dicentes, quod si Sacerdos pauper pro minori stipendio promittat alicui celebrare Missā, potest ab alijs recipere complementum stipendij iusti, & pro omnibus applicare Missam. Probatur nostra conclusio ex eo, quòd Sacerdos obligauit se totam Missam applicare pro vno, à quo accepit stipendium minus iusto. Vndè peccat contra fidelitatem ob violatam fidem, & contra iustitiam ratione stipendij iniustè, ac dolosè accepti; accipiendo complementum iusti stipendij ab alio, & applicando sacrificium Missæ pro vtroque. vt patet ex ijs, quæ suprà adnotauimus. Nec excusatur Sacerdos ex capite paupertatis, quoniam ad seruandam fidem, ac iustitiam tenentur tam diuites, quam pauperes: accidit enim hoc casu, quod Sacerdos sit diues, aut pauper, iuxtà ea, quæ suprà cumulauimus *sec. 18.* Et ità in terminis fuit declaratum in declaratione Constitutionis S. D. N. D. Vrb. VIII. 43. circà tertium dubium super 2. Decretum, ibi, Tertiò an Ordinarius: in quo proposito dubio, an cùm Ordinarius præscripserit eleemosynam cōgruam iuxta qualitatem loci, personarum, & temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offeren-

sente præscriptas celebrare? & fuit responsum teneri. Vndè hodiè est definita huiusmodi controuersia. Puto tamen, quòd si agatur de obligatione vnius Missæ, cùm parua sit materia promissionis ratione stipendij minoris iusto, talis Sacerdos non peccabit plusquam venialiter, per ea, quæ suprà diximus *concl. 1. & 2.*

† Adde: Obserua diligenter (candide Lector) quid de hac materia dicat, & damnet Alex. VII. Pont. Max. contra malè sentientes etiam post Decreta emanata ab Vrbano VIII. Pont. Max. de celebratione Missarum: & ob maiorem tui cautelam hic pono tres propositiones damnatas ab ipsomet præfato Alex. quæ tibi ostendunt, quid sit fugiendum, quid amplectendum tàm in præsenti *sec. & in 21. & 22.* subsequentibus, quã in tota materia huius disputationis, & sunt sequentes.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.

Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre: Neque enim est contra fidelitatem, etiã si promittam promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quòd pro nullo alio offeram.

An Sacerdos obligatus Sacrificium Missę offerre pro vno ratione pręcepti sui Superioris, licitè, ac validè possit illud applicare pro alio.

SEC. XX.

SVMMARIVM.

1 *Superior, siuè Regularis, siuè Secularis sit pracipere potest Sacerdotibus subditis, vt Missam applicent secundum eius intentionẽ. Et quo sensu Ecclesia iurisdictionem non habeat super actus internos.*
2 *Sacerdos est mediator, seu minister Christi in sacrificio Missa independens a Superiore.*
3 *Superior Regularis adeò potest suis subditis Missa applicationem iubere, secundum eius intentionem, vt possit irritare applicationes, aliter factas.*
4 *Regularis non habet, nec velle, nec nolle.*
5 *Secundum* Henriq. *& alios peccat Religiosus Sacerdos applicando Missam contra intentionem Superioris, sed tenet applicatio.*
6 *Nonnulli existimant non posse Prælatum irritare applicationem iam factam, sed solum faciendam.*
7 *Prelatus Secularis, licet possit suis subditis pracipere Missę applicationem secundùm eius intentionem, applicatio tamen, aliter facta valet.*
8 *Sacerdos Religiosus, qui contra voluntatem Superioris Missam applicat vni, dum Superior applicauit alteri, mortaliter peccat contra votum obedientia.*

Quis nam intelligatur in hac materia per ly Superiorem.

AD huius rei intelligentiam est adnot. quòd hanc controuersiam disputamus de Sacerdote obligato offerre sacrificium Missæ siue Religiosus sit, siue Præsbyter Secularis, ratione præcepti, & voluntatis sui Superioris tam Regularis, seu Religiosi, quàm Secularis. His adnotatis sit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 SVperior siue Regularis, seu Religiosus sit; siue Ecclesiasticus Sæcularis, potest præcipere Sacerdotibus suis subditis, vt Missas applicet secundum intentionem ipsius Superioris præcipientis. Hæc conclusio est communis, vt testatur *Suar. lib. 1. de legib c. 8. nu. 16. Alph. de Leone, de offic. Capell. q. 1. sec. 4. n. 35.* & alij. Patet conclusio; quoniam tam Superior Regularis, quàm Secularis habet iurisdictionem spiritualem, quæ satis est ad substantiam præcepti, etiam quoad spiritualia. Nec obstat si dicatur, quòd Ecclesia non habet iurisdictionem super actus internos: ergò non potest præcipi à Superiore Missarum applicatio; siquidem applicatio est actus internus; quoniam ad antecedens dicitur, quod Ecclesia non iudicat de internis, quoad pœnas externas infligendas; nam Ecclesia non potest punire directè, ac immediatè pœnis externis actus purè internos: at in foro interno habet directam iurisdictionem super illos, vt reus fiat culpæ contrauenens apud Deũ: nam ob id potest Superior sibi reseruare non solùm peccata externa, sed purè interna, vt ostendimus suprà *tom. 1. § 1. disp. 8 sec. 12. conclus. 1.* Secundò respondetur, Sacerdotes contrauenientes peccare contra votum obedientiæ; ergò ad hunc actum se extendit votum, vt inquit *Sanch. lib. 6. sua sum. cap 2 sub n. 6* relatus ab *Alph. de*

2 *Leone loc. cit. sub nu.* 44. Nec denique obstat, quòd Sacerdos sit mediator, ac minister Christi in sacrificio Missæ independens à Superiore, atque ideò velit, nolit Superior, possit consecrare; quoniam, vt rectè respondet idem *P. Alph.* ibi, & ante ipsum *Barbos. de offic. & potestat. Episcop. alleg. 24. sub n. 28.* non valet argumentum à sacrificio ad eiusdem applicationem; quoniam intentio Sacerdotis in consecratione est de essentia ipsius sacrificij, & ideò non potest à Superiore coarctari: at applicatio sacrificij pro hoc, aut illo fideli non est de essentia sacrificij, nil mirum igitur si Sacerdos in applicatione dependens esse possit à voluntate Superioris. Verum tamen est, quòd superior sæcularis, si citra vllam causam exigat à Sacerdote ipsius subdito Missæ applicationem secundum eiusdem intentionem, Sacerdos contrauenïens non peccat, quia præceptum, vt obliget debet procedere ex iusta causa: Vndè si Episcopus acciperet multa stipendia pro Missis celebrandis ad lautè viuendum, & deindè subditis præciperet, vt illas celebrent; possunt Sacerdotes subditi citra omnem culpam non obedire.

 Dixi,

Dixi, *quòd si Superior Regularis*; quoniam inquit *d. P. Alph.* de Superiore Regulari non potest dari casus non iustæ causæ: quæ re vera, non video, dari cur non possit; postquam Superior Regularis multa stipendia quoque accipere potest ad lautè viuendum, ad irrationabiliter epulandum, & alia eiusmodi.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 SVperior Regularis adeò potest Sacerdotibus sibi subditis præcipere Missarum applicationem secundùm eiusdem voluntatem, ac intentionem, vt simul valeat irritare applicationes aliter à subditis eiusmodi contra formam præcepti faciendas; ità vt prosit applicatio illi tantùm, cui à Superiore fuit sacrificium applicatum, & non cui de facto applicauit Sacerdos subditus. Hæc conclusio est *Cord. lib. 1. q. 3. not. 5. Honchala opusc. de valore Missæ, ar. 2. Ledes. 2. 4. q. 10. ar. 14. circa finem, Eman. Rodriq. in sum. p. 1. c. 251. concl. 10. Confess. in sum. Priuil. Ord. Mend. tit. 19. de diuinis officijs, & celebr. Missar. c. 3. ad fin. Barb. de offic. & potest. Epise. allegat. 24. sub num. 28. Laym. lib. 1. sua sum. tr. 4. c. 4. sub nu. 13. P. Alph de Leone de offic. Capell. lib. 1. sec. 4. sub n.* 41. cum alijs quos allegat. Probant eorum sententiam primò, quoniam subditi Regularium non habent diuersã voluntatem à Superioribus suis; sed habent idẽ velle, & idem nolle: vndè votum factum contra Regulam à Regularibus, & contra voluntatem Superiorum est irritum, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 12. n. 67. Syl. verf. Votum, 3. q.* 3. & ex alijs. Ergò præualet applicatio Missę facta à Superiore applicationi factæ à subdito contra Superioris voluntatem. Secundò Religiosus non habet velle, nec nolle, nec propriam voluntatẽ, cùm eam transtulerit in voluntatem Superioris. Ergò Missarum applicatio irrita est contra voluntatem, & intentionem Superioris: Denique inter Religiosum, & Prælatum celebratur tacitè contractus, professionis tempore, in quo Prælatus censetur promittere Religioso quasi seruo parato ad operas præstandas, vel quasi titulo beneficij Regularis, victum, & vestitum: & Religiosus versa vice promittit obedire Prælato iusta præcipienti, mediante solemni voto; ergò à tali virtuali contractu non licet recedere citra actus nullitatem, atque ideò potest Superior non solum præcipere applicationem sacrificij Missæ secundum eius intentionem, sed etiam irritare applicationem aliter faciendam.

5 Scio conclusionem hanc esse contra nonnullos, nempè contra *Henriq. lib. 9. de Missa, c. 22. n. 6. Suar tom. 3. in 3. p. disp. 79. sec. 9. § alij nihilominus, Gabr. lect. 25. in Can. & lect. 26. Syl. verf. Missa, 1. n. 12.* & alios dicentes, peccare quidem mortaliter Religiosos contra votum, & contractum virtualem, de quo suprà egimus & qui ad eũ ex voto virtualiter se obligarunt, si de facto contra obedientiam, & præceptum Prelati pro alio sacrificium Missæ applicent; eiusmodi tamen applicationem valere. Mouentur autem ex eo, quod sicut Sacerdos liber est in sacrificando; ità etiam liber debeat esse in applicando sacrificium. Sed adhoc fundamentum rectè fuit responsum suprà *concl.* 1. dum fuit ostẽsum, nõ valere argumentum à sacrificio ad eiusdem applicationem; quoniam intentio Sacerdotis in consecrando est de essentia sacrificij: at applicatio pro hoc, aut illo non est de ipsius essentia. Vndè corruunt quoque rationes, & responsiones, quæ cumulãtur à *Fagund. d. c. 10. n. 7.* pro euacuatione rationum, quas adduximus pro confirmatione nostræ sententiæ: vt consideranti patet. 6 Sunt autem quidam existimantes Prælatum non posse irritare applicationem iam factam; sed faciendam duntaxàt contra ipsius Prælati intentionem: vt habetur ex *P. Alph. loc. cit. & Barbos. d. alleg. 24. n. 28.* pro qua re allegatur *Eman. Rodriq. in sum. p. 1. c. 251. conclus. Sed re vera*, non video cur antè, & non post factam applicationem à subdito possit irritare, si volumus voluntatem subditi Religiosi esse eandem cum voluntate Superioris, & non habere velle, neć nolle. Nec placet tandem, quod inquit idem *Fagund. vbi sup. n. 5.* quem sequuntur *Filliuc. qq. moral. tr. 8. n. 45.* & alij relati à *P. Alph. d. sec. 4. sub n. 4.* dicentes, Regulares Sacerdotes applicantes Missas contra intentionem Superioris, si maximè Religiosi sint, teneri ad restitutionem stipendiorum eiusmodi Missarũ eorum Prælatis, quando ipsi applicarunt pro benefactoribus, & fundatoribus Monasteriorũ; quoniam si concedimus applicationem Prælatorum præferri applicationi subditorum Religiosorum, Sacerdotes Religiosi applicantes sacrificium contra intentionem ipsorum Prælatorum, peccabunt quidem, non tamen ad aliquam restitutionem obligantur.

TERTIA CONCLVSIO.

7 PRælatus Sæcularis, licet possit Sacerdotibus sibi subditis præcipere Missarum applicationem secundum eiusdem intentionem, vt suprà ostendimus *conclus.* 1. nihilominus si Sacerdos Missam applicet pro alio contra sui Superioris Sæcularis intentionem, valet applicatio. Hæc conclusio est *Suar. lib. 4 de legib. cap. 12. in fin. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 24. sub nu 28. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 4 sub nu. 13. P. Diana, de celebr. Missar. resol. 72. tom. 1. P. Alphons. de Leone d. sec. 4 sub n. 41.* cum alijs, quos ipsi allegant. Hi enim discrimen ponunt inter obligationem Regularium ex voto: & aliorum ex lege ciuili, vel Ecclesiastica: siquidem Prælati Religiosorum ratione voti obedientiæ habent auctoritatem super voluntatem, ac intentionem Religiosorum: Prælati verò Sæculares hanc auctoritatem non habent, atque ideò non possunt irritare applicationem Missæ factam à Sacerdotibus sibi subditis contra intentionem eorum Prælatorum: sicut ratione voti possunt Prælati Religiosorum, vt rectè declarant præfati Doctores. Tenentur tamen Sacerdotes sæculares ad restitutionem stipendiorum Missarum, quas obtulerunt alijs contra intentionem suorũ superiorum sæcularium, supposito, quòd præceptum fuerit factum ex iusta causa, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus: quorum quidem restitutio facienda est illis, quorum interest, aut tot alias Missas Sacerdotes prædicti applicare possunt, iuxtà intentionẽ suorum Prelatorum, quibus obedire contempserunt.

QVAR.

QVARTA CONCLVSIO.

8 EX dictis patet, Sacerdotem Religiosum, qui contra voluntatem, ac intentionem Superioris applicauit sacrificium Missæ vni, dū superior illud applicauerit alteri, peccat mortaliter ratione voti obedientiæ violati, & ratione eiusdem voti applicatio ipsius Sacerdotis est irrita, atque ideò applicatio superioris valida, ità vt Missæ sacrificium illi prosit, cui Superior applicauit. Sacerdotem verò sæcularem contra ipsius Prelati intentionem Missam applicantem lethalem culpam contrahere, teneri ad stipendij restitutionem; sed applicationem Missæ validā esse, ità vt illi prosit, cui Sacerdos sæcularis applicauit; non autem cui eius Superior, vt patet ex ijs, quæ supra cumulauimus in dictis conclusionibus. Per superiorem in hac controuersia intelligimus, etiam sacristam, vel alium, cui à superiore datur officium applicandi Missas, vt habetur ex eodem *P. Alph. de Leone* post alios *loc. cit. sub n.* 47 Illud denique nolo esse silentio prætereundum, quòd inquit *Fagund. d. cap.* 10. *n.* 8. dum ait, quòd si Religiosus Sacerdos bona fide celebret, non applicando formaliter, ac expresè Missæ sacrificium, iuxtà superioris præceptum, nec intendat non applicare contra superioris voluntatem, is satisfacit obligationi; quoniam eo ipso, quòd positiuè nolit illam applicare, virtualiter illam vult applicare, & sic tacitè conformat se voluntati superioris, vt rectè antea docuit *Henriq lib.* 9. *de Missa, c.* 21. *n.* 6. *litt. H. ad margin. in fin.*

An Sacerdos obligatus ad celebrandum certum Missarum numerum, accepto iusto stipēdio, possit eas per alium celebrare, dato ei stipēdio minori iusto. SEC. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, si Rector, Parochus, vel Sacrista sit, cui onus incumbat distribuendi Missas, potest ex pitantijs, alijsque eleemosynis ordinatis retinere sibi stipendium vtilis officij. Et quid si Sacerdos talis non sit.*

2 *Iuxta secundā sententiam id intelligitur, si modo aliqua portio non sit tali Sacerdoti assignata in stipendium sui laboris.*

3 *Nullus Sacerdos, qui certam accepit eleemosynam pro Missa celebranda, potest pro minori eā alteri committere celebrandam. Idq; tutius est, & hodiè seruandum.*

4 *Sacerdos, cui pro Missa celebranda tributa est eleemosyna maior solita non potest committere alteri Sacerdoti eiusdem Missa celebrationem, etiam data ei solita eleemosyna.*

5 *Administratoribus Ecclesiarum licitum non est aliquam portiunculam ex eleemosynis datis pro Missis celebrandis sibi retinere ratione expensarum, manutentionis altarium, inseruientium, &c. Quid si Ecclesia non habeat redditus, ex quibus erogare valeat prædictas expensas.*

6 *Beneficiarij, qui Missas, ad quas tenentur ob infirmitatem, aliamuè iustam causam nequeunt celebrare, citra omnem culpam possunt alteri celebrandas committere, soluto consueto stipendio.*

7 *Cappellani, qui valent per alios celebrare Missas, citra omnem culpam possunt per alios celebrare, soluto consueto stipendio.*

1 IN hac re tres extant opiniones. Nam prima sententia est *Sot. lib.* 9 *de iust & iur. q.* 3. *ar.* 1. *vers. Sed hoc præterea, Henriq lib.* 9. *de Miss. c.* 22. *in fin Rodriq tom.* 1. *sua sum c.* 242. *tit. de Missa, nu* 12. *Laym lib.* 5 *sum. Theol. tr.* 5. *c.* 1. *sub n.* 13. *q.* 3. & aliorum, dicentium, quòd si Sacerdos sit Rector, Parochus, aut Sacrista, cui ex statuto, vel consuetudine incumbat munus distribuendi Missas, eū posse parū de pitantijs, seu eleemosynis ordinatis, ac consuetis sibi retinere in stipendium vtilis officij, & aliquantulum imminutas pitantias mercenarijs tribuere; maximè si pitantiæ sint solito pinguiores: modò tamen non multum sibi retineat: siquidem eo casu non daretur iustus titulus retinendi, nec sacerdotes mercenarij censerentur consentire; nec qui eleemosynas dederunt pro celebrandis Missis, ne defraudentur maiori fructu Missæ, qui cæteris paribus ex largiori eleemosyna sibi accrescit. Quòd si Sacerdos non sit curatus, aut sacrista, cui ex officio incumbat Missas distribuere, volunt præfati Doctores, eum non esse tutum in conscientia, nec liberum à restitutione, nisi totum stipendium, quod ab alijs accepit distribuat. Etenim, inquit *Laym. loc. cit. nu* 14. post alios, quòd quando huiusmodi simplici Sacerdoti datur eleemosyna ad celebrandas Missas, censetur esse dantis voluntas, vt ipsemet sacrificet, vel si alteri commendare velit, integrum ei stipendium largiatur: siquidem maior eleemosyna data sacrificanti, maiorem fructum è sacrificio consequitur eam elargiens.

2 Secunda sententia est *Nauar. in Man. c* 25. *num.* 91. *Aragon.* 22. *q.* 83. *de sacrific. ar.* 3. *Guttier. Canon. qq. c.* 29. *n.* 32. *Henriq lib* 9. *de Miss. c.* 22. *n.* 8. *Corduba lib.* 1. *quæst q* 3. *dub.* 5. *Veg. tom.* 2. *sua sum. c.* 41. *casu* 3. *Fagund. de precep. Eccl. precep.* 1. *lib.* 3. *c.* 9. *n.* 15. & 16. & aliorum distinguentium eodem modo, ac prima sententia, verum eam restringunt, vt ita demum eiusmodi Parocho, seu sacristæ, cui ex officio incumbit Missarum eleemosynas accipere, & Missas celebrandas alijs committere, licitum sit aliquid ex eleemosynis pro Missis celebrandis sibi retinere, si statuto, aut consuetudine aliqua portio fuerit illi assignata in stipēdium sui laboris: aliàs secus. Vndè hæc sententia duo exigit, vt Parochus, vel sacrista citra culpam possit aliquā portionem ex eleemosynis dictarum Missarum sibi retinere. Primum officium recipiendi dictas eleemosynas: secundum lex, aut consuetudo antiqua modicum aliquid retinēdi pro ea cura, & labore. Etenim nisi lex, aut consuetudo aliquid ipsi Parocho, aut sacristæ tribuant in stipendium laboris, nullus daretur iustus titulus diminuendi eleemosynas: nec præsumendum est, porrigētes eleemosynas velle priuari fructu, qui sibi accrescit ex maiori eleemosyna, pro qua celebrātur Missæ.

3 Tertia sententia est *Maior. in 4. d. 45. qu. 3. dub. 3. Ledes. in summ. 1. p. tit. de Sacram. Euchar. c. 18.* & aliorum, docentium absolutè, nullum Sacerdotem, qui certam eleemosynam accepit pro Missarum celebratione, posse pro minori eas alteri dicendas committere retenta maiori stipe. Hæc sententia non solùm est tutior ad tollendam occasionem nonnullarum indignitatum, quæ circa rem hanc fieri solent; sed etiam hodiè est omninò seruanda ex vi Cõstitutionis S. D. N. D. Vrbani Papæ VIII. 43. quæ incipit: In Sede Principis Apostolorum, vbi §. 4. ità decernitur: *Ac similiter, omne dãnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

4 Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat etiam in Sacerdote, cui pro celebranda Missa data est eleemosyna maior solita: is enim non potest committere Sacerdoti eandem Missam celebrandam eidem tributa solita eleemosyna; sed illi tenetur dare totam eleemosynam, licet sit maior solita. Ità fuit declaratum per Sacram Congregationem ab eodem S. D. N. institutam ad dictam Constitutionem, cum eiusdem interuentu declarandam: siquidem dum decimò super dicto decreto quarto in §. 4. d. Constitutionis contento, fuerit quæsitum, an Sacerdotes, quibus aliquandò offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missę, debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam? fuit responsum his verbis: *Ad decimum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.* Vndè definita est hodiè controuersia huiusmodi contra *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 86. sec. 1. vers. Hac verò occasione*, vbi absolutè dicit posse Sacerdotem Sacristam retinere sibi maiores pitantias, & Missas distribuere inter sacerdotes stipendiarios, soluto stipendio communi, & ordinario.

5 Secundò ampliatur, vt nec quidem licitum sit Administratoribus Ecclesiarum aliquam portiunculam sibi retinere ex eleemosynis pro Missis celebrandis datis, ratione expensarum, manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inseruientiũ, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium, nisi Ecclesiæ, & loca pia alios non habeant redditus; sed eleemosynas integras tenentur tribuere stipendiarijs sacerdotibus, quibus committuntur Missæ celebrandæ, vt per eandẽ sacram Congregationem fuit responsum ad septimum quæsitum super eodem decreto 4. his verbis: *Ad septimum respondit, permittendum non esse, vt Ecclesia, ac loca pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcunque minimam portionem retineant ratione expẽsarum quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, & loca ipsa alios non habent redditus, quos in vsum earundem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt, expensis, vt suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

6 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum sibi non vendicet in Beneficiatis. Hi namque si Missas, ad quas obligati sunt, ob infirmitatem, aut ob aliam iustam causam celebrare non valuerunt, rectè, iustè, & citra omnem culpam eas celebrare facient per alios, soluto consueto stipendio, nec tenentur stipendium soluere habito respectu ad quantitatem redditūum, beneficiorum, nisi in fundatione beneficij aliud cautum fuerit, siquidem id non habet speciem turpis lucri, sicut habent ea, quę diximus in casibus suprà relatis, vt per *Henriq. lib. 9. de Missa, c. 22. n. 8. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 76 sec. 3 §. Hac verò occasione*, & per alios, quos refert, & sequitur *Fagund. d. c. 10. n. 19.* Et ità fuit declaratum per sacram Congregationem super declaratione d. Constit. 43. in respon. ad octauum, vbi dum fuerit quæsitum, an decretum quartum, in 4. §. d. Constitutionis contentum, locum habeat in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ità vt Rector, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redditũũ beneficij? & respondit per hæc formalia verba: *Ad octauum non habere locum; sed satis esse, vt Rector beneficij qui potest Missam per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem Ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione beneficij aliud cautum fuerit.*

7 Secundò limitatur in Capellanis alicui Capellaniæ inseruientibus, qui valeant per alios Missas celebrare: siquidem hi si Missas ad quas obligati sunt per alios celebrare velint soluto consueto stipendio, id citra culpam possunt, vt per Doctores suprà citatos. Quod tamen intelligendum est de Capellanis inseruientibus Capellanijs, quæ dantur in titulum, & fundatæ sunt auctoritate Episcopi, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *disp. 11. supra sec. 1.* nam eiusmodi Capellanię habentur loco beneficiorum simplicium, & verà sunt beneficia simplicia: aliàs secus esset dicendum: quia sacra Congregatio illos tantùm excipit, qui beneficium habent in titulum, vt patet ex suprà relata declaratione.

An peccet Sacerdos accipiens pro celebranda Missa à pluribus plura stipendia, quę singula sint iusta, si vnam tantùm Missam celebret pro omnibus.

S E C. XXII.

S V M M A R I V M.

1 *Missæ sacrificium, licet sit infiniti valoris, quoad applicationem tamen est finiti. Et quot partes*

partes stant sacrificij Missa.

2 *Sacerdos non potest partem sacrificij applicare vni, partemque alteri, & duplex accipere stipendium.*

3 *Sacerdos pauper, secundum aliquos DD. pro vna Missa potest recipere duplicatum stipendium. Sed communis sententia est in contrarium.*

Et an huiusmodi transgressio sit mortalis.

4 *Hodiè per Bullam Vrbani VIII. accipientes plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua pro pluribus Missis, peccant mortaliter, & restituere tenentur si tot Missa non celebrant, quod ad rationem tributa eleemosyna prascripta fuerint.*

Nec beneficiatus vnica Missa potest satisfacere suo oneri, & stipendio accepto.

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè: Etenim sacrificium Missæ, licèt sit infiniti valoris ex opere operato, & tantum valeat pro pluribus, quantum pro vno, vt latè probat *Vasq. tom. 3. disp. 231. c. 3.* & alij apud *Scort. lib. 1. de sacrif. Missa, c. 9. n. 3. & seq.* tamen quoad applicationem sacerdotis est valoris finiti; quoniam Christus voluit, vt ità fieret oblatio, vt differentia esset inter ipsius oblationē, & oblationem aliorum sacerdotum, vt latè *Scort.* post *Tolet. Azor. & alios, d. c. 9. n. 1. Reginal. lib. 29 sua prax n. 152. & Vasq loc. cit. n. 250. & Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 24. n. 4. 5. 6. & 7.* cum alijs, quos allegat. Imò licèt sacrificij fiant tres partes, quarum vna est totius Ecclesiæ, à qua non potest sacerdos aliquem excludere: altera pars est eius, qui tribuit stipendium, vel cui superior sacerdotis præcepit applicari: & tertia est ipsius sacerdotis; nihilominus sacerdos non ob id potest applicare partem suam vni, & secundam partem alteri, & accipere duplex stipendium pro celebratione vnius Missæ: siquidem quamplurimi Doctores arbitrantur, partem sacerdotis esse ab eo inseparabilem; quoniam ei debetur ex distributione facta per Ecclesiam de valore huius sacrificij, & ex opere operato, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 25. n 91. & 111. Scort. loco citato, sub n. 2. & Suar. tom. 3. in 3 p. disp 79 sec. 9. dub. vlt.* & ex alijs ab eisdem relatis; atq; ideò pars illa sacerdotis est priuilegium personale; sicut priuilegium indulgentiæ, quæ non potest alteri applicari; nisi id expresse dicatur in diplomate: & licèt demus posse sacerdotem applicare, cui voluerit id, quod sibi prouenit in sacrificio ex opere operantis, vt aliqui Doctores volunt citati à supradictis Doctoribus, & à *P. Molfes. p. 1. sua summ. tr. 3. c. 15. n. 40.* nihilominus ab eo, qui stipendium tribuit, exigitur præcipuè id, quod prouenit in sacrificio ex opere operato, & propterea delusus remaneret; si tantùm consequeretur id, quod prouenit ex opere operantis.

3 Verum tamen est, quòd non desunt Doctores, qui probabiliter velint, quòd sacerdos pauper possit recipere duplicatum stipendium pro vna Missa, si aliundè viuere nequeat modo decenti: Attamen communis sententia est in contrarium; siquidem iustitia stipendij non taxatur ex indigentia Sacerdotis; sed iudicio prudentum, pensatis circumstantijs locorum, & temporum. Tantò magis, quia Sacerdos sæcularis, maximè habet necessaria ad sui sustentationem, cùm non possit ordinari, nisi ad titulum Patrimonij, vel beneficij: & si Religiosus ad titulum paupertatis, vt latè declarat *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 86. sec. 4. Vasq. tom. 3. disp. 234. & Reginal. lib. 23. sua prax. n. 233.* qui tamen *nu. 235.* post *Petr. Nauar. lib. 2. de restit. c. 2. n. 381.* non iudicat transgressionem huiusmodi esse mortalē, tū quia materia est parua, tū etiā, quoniā quāplurimi tenent Missam tantū valere pro vno, quàm pro multis. Sed quicquid in hac re Doctores dixerint, hodiè eorum controuersia

4 sopita est per Constit. S.D.N.D. Vrbani VIII. 43. §. 2. cuius tenor est, qui sequitur: *Deindè vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcūque incongrua, & exigua, siuè ab vna, siuè à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuscunque, tàm Sacularibus, quàm Regularibus Sacr. Congregatio sub obtestatione Diuini iudicij mandat, ac pracipit, vt absolutè tot Missa celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosyna prascripta fuerint, ità vt alioquin ij, ad quos pertinet, sua obligationi non satisfaciant; quin imò grauiter peccēt, & ad restitutionem teneantur.* Adde, quòd cùm fuerit quæsitum apud Sacr. Congr. circa declarationem d. Constitutionis 43. an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capellæ, legati, aut salarij, possint etiā manualem eleemosynam, pro Missis votiuis, aut Defunctorum, recipere, & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere? ità respondit: *Ad quartum, Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu Capella, legati, aut salarij si eleemosynas pro alijs, etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.*

An Sacerdos obligatus Missam celebrare pro aliquo, peccet mortaliter, si celebrationē illius diù differat. SEC. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, qui eleemosynam accipit, vel etiam non accipit, & intendit se obligare ex iustitia ad Missam celebrandam pro aliquo Defuncto, & valdè diù citra iustam excusationis causā celebrare differat, timere potest, ne peccet mortaliter, & quarè.*

2 *Sacerdos nō prohibeatur nouas accipere eleemosynas pro celebranda Missa, si iam acceptis non satisfecerit, & quid si congruo tēpore possit omnibus satisfacere, vel offerens eleemosynam consentiat.*

3 *Per modicum tempus in hac materia Sacra Congregatio intellexit spatium duorum mensium.*

Ad

1 AD hanc difficultatem respondet *Layman. lib.5. sua summar. 5. c. 1.* quòd si Sacerdos eleemosynam accepit, vel etiam non accepit, intendit se ex iustitia obligare ad celebrandam Missam pro aliqua necessitate, vel pro Defuncto, ac valdè diù citra iustam excusationis causam, differat, timere potest, ne mortale peccatum incurrat; cùm interea magno spirituali fructu priuentur ij, quorum debitor est. Pro qua re allegat *Syl. in sum. vers. Missa, 1. q. 10. in fine, & Petr. Nauar. de restit. lib. 2. c. 2. n. 369.* Ob id fuit decretum per Constitutionem 43. S.D.N.D. Vrbani VIII. §. 8. vt eleemosynæ manuales, & quotidianæ pro Missis celebrandis, ità demum accipi possint, si oneribus anteà impositis ità fuerit satisfactum, vt noua quoque onera suscipi possint: alioquin præcipit abstineri ab eiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferri ab Ecclesijs cum inscriptione illa, eleemosyna pro Missis, vel alia simili, sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur. 2 Et quoniam fuit dubitatum apud Sacr. Congr. an dictum decretum prohibeat absolutè quominùs accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere? & quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos Missam celebret cùm primum poterit? idcircò ipsa Sacra Congregatio ad dicta dubia, nempè ad vndecimum, & duodecimum respondens, ità declarat: *Ad vndecimum respondit, non prohibere absolutè: ac proptereà etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum; dummodò intra modicum tempus possint omnibus satisfacere. Ad duodecimum, quamuis onera suscepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant; si tamen tribuens eleemosynam pro illarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, vt illa tunc demum celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, decretum non prohibere, quominùs eo casu eleemosyna accipiatur pro ijsdem Missis, iuxtà Benefactorum consensum celebrandis.* Adde, quod quidam ex nostris Patribus adeuntes Sacram Congregationē pro declaratione supradictorum verborum: *Dummodò infrà modicum tempus, &c.* & fuit relatum, ipsam Sacram Congregationem respōdisse per modicum tempus, intellexisse spatiū duorum mensium: atque ideò secundùm prædictam declarationē vidi hucusque seruari in nostra Congregatione.

An Sacerdos anticipatè celebrans pro eo, qui primò eleemosynam dederit pro celebrandis Missis, ità satisfaciat, vt citra culpā possit posteà ab illo eleemosynam accipere.

S E C. XXIV.

S V M M A R I V M.

1 *Salmanticenses Theologi responderunt, posse Sacerdotem, Missas non habentem, applicare pro primo stipendium daturo, & num. seq.*

2 *Vera, & communis opinio in hoc est in contrarium.*

3 *Adducitur Decretum Sacr. Congregat. Concilij de mandato Clementis Papæ VIII.*

4 *Cappellanus qui bis, aut ter singulis hebdomadis tenetur sacrificare, anticipare potest Missarum celebrationem, & quatuor, vel sex in hebdomoda celebrare.*

5 *Potest Sacerdos anticipatè celebrare pro intentione illius, qui ex officio solet Missas alijs committere celebrandas, vel pro intentione amici, qui sæpè solet illi Missas ad celebrādum deferre, & quando.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est affirmatiua, quam docent *Henriq. lib. 9 de Missa, c. 21. n. 2.* qui refert ità respondisse consultos Salmanticenses Theologos. *Rodriq. in sum. c. 212. alias 251. n. 9. Vega lib. 2. c. 41. casu 5. & Aragon. 22. q. 85. ar. 3.* dicentes, Sacerdotem non habentem Missas, posse applicare illas pro eo, qui primò stipem, quem Deus videt daturum. Probant autem hanc opinionem non ex eo, quòd priuatus Sacerdos recondat, ac seruet in Ecclesiæ Thesauro meritum prædictarum Missarum, vt illud deindè applicet cuicunque voluerit; siquidem Sacerdotes priuati non habent claues dicti thesauri, sed Summi tantùm Pontifices, & Antistites, qui sunt illius dispensatores: sed quòd talis Sacerdos omnia referat ad præscientiam Dei, ità vt Deus cùm omnia sciat, ac præuideat, statim applicet meritum, & satisfactionem Missarum, illis, quos præuidet in posterum stipes daturos.

2 His tamen non obstantibus in contrarium est vera, & communis opinio, quam docent *Dimas Serpi lib. de Purgator. edit. 2. c. 59. Corduba qq. Canon. q. 4. dub. 6. ad 2. Petr. Genedo, lib. de qq. Canon. q. 38. n. 6. Nugn. 3. p. q. 83. ar. 1. §. In tertium, dub. 5. vers. Respondetur, Coninc. de Sacram. tom. 1. q. 83. n. 172. Suar. in 3. p. tom. 3. disp. 79. sec. 9 Reginald. lib. 23. sua prax. n. 237. Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. c. 9. nu. 10. Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 24. n. 12. & 13.* Etenim contraria sententia redolet nimiam lucri cupiditatem, quam omninò vitādam in celebrandis Missis statuit *Conc. Trid. sess. 22. in Decreto, de obser. & euit. in celebrat. Miss.* in illis verbis, *quæ, vel auaritiæ idolorum seruitus, &c.* Prætereà interest eius, pro quo Missa celebranda est, id sciat, vt melius disponat se ad recipiendum sacrificij fructum, qui potest esse maior, vel minor, iuxtà maiorem, vel minorem ipsius dispositionem. Denique fideles de facili retrahi possent ab elargitione eleemosynarum in futurum facienda pro Missarum celebratione, si Sacerdos offerenti eleemosynam responderet, applico tibi sacrificium, quod aliàs celebraui: siquidem ob id fideles ipsi facilè sibi persuaderent, Sacerdotem percipere stipendiū, & non exoluere onus, pro quo stipendium fuit consecutus. His rationibus, & multis alijs per-
3 mota Sacra Congregatio Concilij Tridentini, ex mandato Clem. VIII. decretum edidit tenoris sequentis: *Superioribus diebus significatum fuit S.D.N. paucis ab hinc annis in Hispania*

nouam Consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinione nixam sensim receptam, in dies magis inualuisse, vt Sacerdotes Missam celebrantes eius valorem applicent his, qui postea Missa celebrationem postulaturi, ac pro eo eleemosynam prabituri sunt, tametsi antequa Missa sacrificium perageretur, neque a Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa prastitissent eleemosynam. Quamobrem cùm sanctitas sua ad Sacram Congregationem Cardinalium Concil. Trid. interpetrum pro materia grauitate examinandam reiecisset, in ipsa Cōgregatione primum de ea actum fuit diligentissime, ac deindè relatum ad sanctitatem suam, qui ex eiusdem Congregationis sententia huiusmodi consuetudinem tanquam pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis, & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesia more nimium abhorrentem explosit, ac improbauit; atque amplitudini tua litteras dari, quod facimus, mandauit, vt omnibus illius Regni Archiepiscopis, atque Episcopis, in quorum Diœcesibus huiusmodi applicatio in vsum inducta fuerit, per litteras, aut aliàs scripto iniūgat, vt talem vsum aboleant, ac prohibeant excommunicationis, atque alijs, quas opportunas, & necessarias existimauerint pœnis. Idemque pracipiat Generalibus, & Capitibus Ordinum, quos in istis Regnis nunc nouerit commorari, vt scilicet, & ipsi Regularibus sibi subditis talibus applicationibus eisdem pœnis propositis, interdicant. Qua omnia pro sua pietate, & S. D. N. iussu obsequendi studio amplitudinem tuam sedulò effecturum sperantes Omnipotentem Deum rogamus, vt tam quotidiè cœlestis sua gratia donis velit auctiorem. Roma die 15. Nouemb. 1605. Hoc decretum refertur de verbo ad verbum à *Barbos. loc. cit. n.* 12. & eiusdem meminit *Fagund. d. c. 9. sub nu.* 10. & ad fundamentum Aduersariorum respondet, dicens, quòd sicut non valet ista consequentia: Deus omnia scit, & præuidet; ergò omnia efficit, sic non valet illa: Deus præuidet illum qui primò daturus est stipem pro vna Missa; ergò statim, & de facto applicat valorem, & meritum illius: multa enim videt Deus, & multa scit, & tamen non omnia exequitur, aut si exequitur, non statim exequitur.

4 Limitatur tamen hæc conclusio, vt locum nō habeat in Capellano, qui tenetur bis, aut ter singulis hebdomadis sacrificare: nam is poterit anticipare Missarum celebrationem, & in vna hebdomada celebrare quatuor, aut sex Missas; quoniam id cedit in euidentem vtilitatem eorū, pro quibus Missæ dicendæ erunt; sicut soluere debitum anticipatè cedit in vtilitatem creditoris. Ità *Aragon* 22. *q.* 85. *ar.* 3. *Rodriq. in sum. tom.* 1. *c.* 252. *concl* 8. *Ledes. in sum. p.* 1. *de Sacram. Euchar. c.* 18. *concl.* 17. *Reginal. lib.* 23. *sue prax. nu.* 237. *Aloys. Ricc. in praxi, dec.* 400. *in* 7. *edit. & resol.* 338. *in* 2. *edit. Fagund. d. c.* 9. *n.* 1. & 2. & *Barbos. vbi sup. sub n.* 14. Quam tamen limitationem sublimitant, nisi contrarium habeatur in fundatione Capellę, nempè, vt in nulla alia die, aut hebdomada dicantur Missæ, nisi in die, & hebdomadæ à fundatore assignatis: quod quidem ad honorem, & deuotionem fundatoris præcipi potest, vt in *c. significatum, de praben.* quo casu tenetur Capellanus eiusmodi Missas in statutis diebus, & hebdomadis celebrare, iuxtà fundatoris voluntatem, & non in alijs, vt habetur ex *Petro Genedo lib. qq. Canonic. q* 38 *n* 2. *Petr. de Ledes.* & ex alijs suprà citatis.

5 Secundò limitant hanc eandem conclusionē, *Petrus Genedo loc. cit. n.* 3. *Aragon. d. q.* 85. *ar.* 3. *Petr. Nauar. de restit. lib.* 2. *c.* 41. *casu* 6. *in* 2. *edit* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Fagund. d. c.* 9 *n.* 8. in eo, qui celebraret anticipatè pro intentione illius, qui ex officio solet Missas alijs committere celebrandas: aut pro intentione amici, qui solet sæpè illi Missas ad celebrandum deferre, dummodò sciat qualitatem Missarum celebrandarum, & locum, vbi erunt celebrandæ, vt declarat ipse *Fagund.* siquidem hoc casu non extenuatur valor sacrificij, & cessat ratio scandali.

An Sacerdos obligatus celebrare Missam Defunctorum, peccet si dicat Missam de feria, de Sancto, vel votiuam.

SEC. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Ex* D. Thom. *peccat Sacerdos, qui cum teneatur celebrare pro Defunctis, Missam celebrat de feria, vel de Sancto. Et quomodo peccet. Quid dicendum si Sacerdos obligetur celebrare pro Defunctis in altare priuilegiato.*

2 *Sacerdos obligatus celebrare in altari priuilegiato, & fuerit iusto impedimento detentus, non satisfacit, nisi pariter celebret in alio altari priuilegiato.*

3 *Obligatus celebrare tali die, & in tali altare, infideliter ageret, si promissa non adimpleret.*

An, & quando Sacerdos teneatur ad restitutionem stipendij, si obligatus celebrare in tali loco, in alio celebret.

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè, vt habetur ex *D. Thoma in* 4. *d.* 45. *Fagund. de pracep Eccl. pracep.* 1. *c* 9. *n.* 6. & 7. & ex alijs, quos refert *Scort. lib.* 2. *de Sacr. Missę, c.* 17. *n.* 4. Etenim in Missa Defunctorum sunt orationes, & preces ordinatæ ad impetrandum effectum liberationis animarum à pœnis Purgatorij, & excitantur, etiam circumstantes ad orandum pro Defunctis, quo fructu impetrationis, & orationis priuantur animæ Defunctorum. Est tamen verum, quòd iste talis ad summum non committit aliam, quàm lethalem culpam, & satisfacit dicendo Missam de feria, cùm substantia sacrificij ex opere operato sit eiusdem valoris. Imò si dicat Missam de Sancto ratione impetrationis Sancti ad Deum, eius fructus erit maior, vt habetur ex eodem *Scort. loc. cit. Tolet. lib.* 2. *suę summ. c* 8. & ex alijs apud *P. Mols. tom.* 1 *suę sum tract.* 3. *c.* 15. *n.* 26. & 27. Non tamen puto idem dicendum, si Sacerdos obligetur celebrare Missam Defunctorum pro aliquo Defuncto in altari priuilegiato: si enim in illo altari non celebrat, grauitet

ter fraudat animam illius Defuncti non modo, quoad fructum talis sacrificij, per ea, quæ suprà diximus, sed etiam quoad fructum indulgentię, cuius vigore anima totaliter liberatur à pœnis Purgatorij: atque ideò Sacerdos huiusmodi nō satisfaceret; & grauiter peccaret: & multò magis si obligatus fuerit celebrare quamplurimas Missas pro animabus existentibus in Purgato-
2 rio in altari priuilegiato, & sit infidelis. Imò talis Sacerdos si iusto impedimento detentus nō valeat in tali altare Missas celebrare, non satisfacit, nisi pariter eas celebret in alio altari priuilegiato, ne defraudentur animæ in igne Purgatorij permanentes, vt post alios inquit *Fagund loc. cit. n. 7.* vbi etiam in fine dinumeri addit ex *Nauar. cons. 37. de pœnit. & remiss. & Zerola in praxi Episc. 2. par. vers. Missa, §. 7.* satis esse, quòd quælibet Missa dicatur in altari priuilegiato, vt anima à Purgatorij pœna liberetur, nec opus est, vt Missa sit de Defunctis.

3 Quæ diximus de Sacerdote obligato dicere talem Missam, vt eam, & non aliam teneatur celebrare, extendimus ad Sacerdotem obligatum celebrare tali die, & in tali altare; siquidem infideliter ageret si promissa non adimpleret, vt habetur ex *Petro Genedo de qq. Canon. q. 38 nu. 2. Zerola in praxi Episc. 1. p. vers. Missa, §. ad 3. concl. 3. Panor. in c. significasti, num. 4. de prębend.* Imò Sacerdos obligatus celebrare in tali loco, si celebret in alio tenetur ad restitutionem stipendij accepti, nisi iusto impedimento compulsus in alio celebret: & id maximè si esset Capellanus: siquidem institutor Capellæ censetur velle, vt locus à se designatus magis frequentaretur, & coleretur, vt per *Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. c. 24. q. 7. ad finem, Nauar. in Man. c. 25 n. 135. & de hor. Canon. c. 5. n. 3. & 12. Henriq. tom. 2. lib. 9. de Missa, nu. 45.* & alios, quos refert, & sequitur *Fagund. d. c. 9. sub n. 2.* qui tamen volunt, quòd si in loco conuento sacrum celebrari nequeat, tunc Capellanus satisfacit in alio loco celebrans, quoniam ea censetur esse voluntas Capellaniæ institutoris, aut dantis eleemosynam pro celebranda Missa in aliquo certo, ac determinato loco.

An Sacerdos obligatus ad celebrandum Missas, teneatur illas celebrare per se, vel possit etiam celebrare per alios.

S E C. XXVI.

S V M M A R I V M.

1 *Sacerdotem obligatum celebrare pro aliquo, posse per alium celebrare, certum est.*
2 *Certum quoque est, Sacerdotem expressè obligatum per se, & personaliter celebrare, per alium celebrare non posse.*
Quid si iustè fuerit impeditus.
3 *Secundum* Azorium, *si fundator Cappellanię elegerit Sacerdotem, nec velit eam conferri posse Clerico in minoribus, tunc Sacerdos tenetur personaliter celebrare, nisi iustè fuerit impeditus.*
4 *Contraria sententia est verior.*

1 IN hac re, vt certa separemus ab incertis est adnot. certum esse, Sacerdotem simpliciter obligatum ad celebrandum Missam pro aliquo, posse per alium celebrare: siquidem is non in plus obligatur, quàm Capellanus, qui ex vi Capellaniæ simpliciter institutæ, est obligatus ad celebrandum quotidiè, aut ad dicendum tot Missas in hebdomada: siquidem Capellania est beneficium simplex, & residentiam nōn exigit: & propterea nisi aliter constet de mente fundatoris, poterit Capellanus Missas, ad quas ex vi Capellaniæ est obligatus per alium celebrare, vt habetur ex *Garz. de benefic. Eccles. p. 7 c. 1. à n. 85. ad 90.* vbi ob id etiam probat, posse eligi in Capellanum Clericum 14. annorum, nec cōpelli posse ad suscipiendum Sacerdotij ordinem.
2 Secundò est adnot. certum esse, Sacerdotem expressè obligatum per se, & personaliter celebrare Missas, non posse per alium celebrare, nisi sit iustè impeditus, quoniam aliàs ageret contra fidelitatem, ac iustitiam; sicut Capellanus ex vi Capellaniæ, in cuius fundatione præcipiatur expressè à fundatore, vt eligatur Sacerdos, qui per se, vel personaliter Missas dicat, vel ex aliquo statuto, aut consuetudine id habeatur: siquidem Capellanus tunc obligaretur ex iustitia eas celebrare, & non satisfaceret per alium; nisi iustè sit impeditus, & Missas non possit differre, quia sint quotidianæ, vt quia sit infirmus, excommunicatus, depositus, suspensus, aut effectus irregularis: quoniam onus personale Missarum intelligi debet, seruatis seruandis, idest salua Sacerdotis honestate, conscientia, & honore ipsius, & saluo cultu, ac veneratione Sacramento debita, vt in *c. significatum, de pręben. Felin. in c. cum omnes, n. 32. de constit.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Fagund. de precep. Eccles. precep. 1. lib. 3. cap. 9. sub num. 3.* Hæc adeò vera sunt, vt longa discussione nōn egeant, difficultas modo est de Capellano, in cuius Capellæ fundatione dicat fundator: *Volo, vt ad hanc Capellaniam eligatur Sacerdos, qui quotidiè pro mea intentione celebret.* Quæritur igitur, an eiusmodi Capellanus per se tantùm, vel per alium Missas celebrare possit.
3 In hac controuersia arbitratur *Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 10. c. 24. q. 7. in fine,* fundatorem talis Capellaniæ per illa verba velle eligi personam Sacerdotis, ità vt eiusmodi Capellania conferri non possit Clerico in minoribus, nec posse per alium Missas suppleri, sed teneri personaliter eas dicere, nisi aliquo iustum impedimentum subsit, propter quod personaliter celebrare non possit, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus.
4 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto veriorem esse, quam docent *Panorm. in c. extirpanda, §. Qui verò n. 3. de pręb. Innoc. in c. Clericus, n. 2. de Cler. non resid. Felin. in c. cum omnes, n. 32. Fagund. loc. sup. cit.* cum alijs, quos allegat, qui dicunt, non teneri Capellanum per se Missas dicere, nisi specialiter, & expressè in institutione Capellaniæ dicatur, quòd ipse per se, vel personaliter eas dicat. Pro qua re *Garz.* plura quoque cumulat *Garz. de benefic. Eccles. p. 7. c. 1. de Cler. & ord. à nu. 85. vsque ad 90.* & allegat duas declarationes Sacr. Congregat. *Conc. Trid.* quarum prima est te-
noris

notis sequentis: *Episcopus non potest cogere obtinentem Capellaniam, vt ipsemet celebret; nam huiusmodi oneri Missarum rectè per substitutum satisfacit.* Secunda declaratio ita se habet: *Habens Capellaniam non tenetur promoueri ad Sacerdotium, nisi in fundatione cautum sit, vt Capellanus personaliter, vel per seipsum Missas celebret; sed debet curare, vt per alium celebrentur, nec personalem residentiam Capella requirit, nisi aliter in fundatione cautum sit.* Vndè, quæ dicuntur de Capellano extendimus ad alios Sacerdotes recipientes eleemosynam ad celebrandas Missas, vt nunquam teneantur per se illas celebrare, nisi expressè promiserint per se, vel personaliter eas celebrare.

An Sacerdos peccet mortaliter, si dum vestibus sacris induitur ad celebrandam Missam, preces dici solitas, & quæ in Missali continentur, prætermittat.

SEC. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur opinio affirmatiua, & probatur.*
2 *Probabilior est sententia in contrarium, Sacerdotem hoc casu non peccare mortaliter.*
3 *Regula, & rubricæ Missalis ad mortale non obligant, nisi ratione contemptus.*

1 IN hac difficultate partem affirmatiuam, docet *Nauar. in Man. c.25 nu....* quem refert *Azor.* & illius opinionem probabilem putat, *tom.1.instit.moral.lib.10.c.29. q.5.* Mouetur ex eo, quod eiusmodi orationes, & preces citra iustam causam prætermittere, est trangressio grauis, cum per eam fiat contra consuetudinem Ecclesiæ in re graui: & eo magis, quia dictæ orationes, & preces ordinantur in Missali.

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto probabiliorem, atque adeò Sacerdotem non peccare mortaliter, omittentem dicere supradictas preces, dum vestibus induitur sacris pro Missa celebranda; sed tantùm venialiter, etiam si voluntariè, & citra omnem causam prætermittat, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccles. precep. 1. lib.3.c.21. sub n.7. Zerola in praxi Episcop. vers. Missa, 2. §. Octauò, Caiet. in summ. vers. Horæ Canonicæ, cap.2. & Suar. tom.3. in 3. p. disp. 82.* Probatur primò, quia eiusmodi transgressio est de re leui, vt rectè consideranti patet, ergò trangressor non peccat plusquam venialiter, quia in actibus peccaminosis materia leuis excusat à lethali culpa, vt est communis, tum Theologorum, tum etiam Canonistarum sententia: imò, & in ciuilibus quoque excusat à pœna saltem graui, cùm de minimis non curet Prætor, *l. quod si Ephesi, ff. de eo, quod cert. loco,*

3 Secundò probatur, quoniam regulæ, ac rubricæ Missalis non obligant ad mortale, nisi ratione contemptus; & eo maximè; quia in casu, de quo agitur non præcipiunt, sed consulunt dumtaxat. Tertiò, quia multi Religiosi pij, ac docti, loco dictarum precum dicunt alias orationes, vt testatur *Fagund. loc. cit.* Denique prædictæ preces in multis Missalibus non reperiuntur impressæ. Vndè his sic stantibus ad contrarium patet responsio. Etenim quamuis Sacerdotes in celebrando debeant rubricas Missalis seruare, si citra contemptum in re leui maximè non seruent, non peccat mortaliter, etsi ex aliqua iusta, & rationabili causa contrauenant, aliquando etiam à veniali excusantur, vt rectè declarat *Fagund. vbi sup. c.21. n.7. & 8.* vbi id limitat, nisi transgressio illa esset noui ritus introductio: nam tunc citra lethalem culpam fieri non posset.

An aliquando citra culpam Sacerdos possit consecrare absque vestibus sacris.

SEC. XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Vestes Sacerdotales sacræ sex sunt, & quæ.*
2 *Solus amictus, & alba constare debent ex lino; cetera verò esse possunt serica, lanea, & ex quacunque materia apta ad corpus tegendum.*
3 *Vestimenta Sacerdotalia, quare dicuntur sacra.*
4 *Peccat mortaliter Sacerdos non solum si Missam celebret absque vestimentis Sacerdotalibus. Sed etiam si illis indutus, non tamen benedictis.*
5 *Peccat similiter Sacerdos mortaliter, celebrans in altari non consecrato, vel consecrato, sed nimis paruo, super corporale non benedicto, vel in Calice ligneo, vitreo, &c.*
Et qualiter Valentiæ, Aragoniæ asseruetur Calix de lapide Agatha, in quo Christus Dominus celebrauit.
6 *Peccat etiam mortaliter Sacerdos si celebret cum prædictis vestibus, sed valdè attritis, confractis, & immundis.*
7 *Sacerdos celebrans in Calice, & patena fracta, peccat mortaliter, si fractura sit notabilis.*
An Calix non consecratus, fiat consecratus si in eo celebretur. Et quid de alijs vestibus.
8 *Sacerdotem non posse citra lethalem culpam celebrare ob metum mortis sine vestibus Sacerdotalibus, etiam absque fidei contemptu, videtur satis dura.*
9 *Communis opinio est in contrarium.*
10 *Si infirmus sit in periculo mortis an possit Sacerdos post meridiem Ecclesiam intrare, & in abscondito hostiam consecrare solis illis verbis: Hoc est corpus meum, etiam vestibus non indutus, vel consecrare frustulum panis, si hostiam non habeat.*
11 *Præceptum Eucharistiæ non obligat, nisi cum decenter suscipi, & ministrari possit.*
12 *Iuxtà primam sententiam Sacerdos citra culpam lethalem celebrare non potest absque cingulo benedicto.*
13 *Opposita sententia est in contrarium, cum cingulum non sit vestis, sed vestium ligatura.*
14 *Vestes sacræ, quantumuis vetustæ citra cul-*

pam mortalem non possunt in profanos vsus conuerti.

HÆC controuersia potest dupliciter disputari. Primò, an aliquando Sacerdos citra culpam possit sacrificium Missæ celebrare absque vestimentis sacris. Secundò, an aliquando extra sacrificium Missæ possit consecrare, citra eiusmodi vestimenta? Nos igitur vtroque modo rem ipsam explicabimus.

1 Vt igitur certa ab incertis secernamus est adnot. Primò, quòd certum est, sex esse vestes Sacerdotales sacras, nempè amictum, albam, cingulum, manipulum, stolam, & planetam, quæ quidem vestes correspondent decenti ornatui, ac vestibus; quibus induebantur Sacerdotes veteris legis, & habent suas mysticas, & sacras significationes diuinis Mysterijs plenas, vt rectè declarat *Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. c. 23 à n. 3. vsque ad n. 7.*

2 Secundò est adnot. ex *Suar. tom 3. in 3. par. disp. 82. sec. 3. §. Secundò*, ex *Fagund. loc. cit. nu. 7.* & ex alijs quos allegant, certum esse ex modo loquendi Sanctorum Patrum, & ex communi consuetudine, solum amictum, & solam albam oportere, vt ex lino constent. De reliquis autem indumentis, nempè cingulo, manipulo, stola, seu orario, & casula nihil constat à Patribus indicatum; atque ideò possunt esse serica, lanea, & ex quacunque alia simili materia apta ad tegendum, & induendum corpus. Et quamuis à Patribus nihil de colore dictorum vestimentorum reperiatur facta mentio; nihilominus ab Ecclesia fuit ordinatum, vt pro varijs temporibus, & festiuitatibus, varijs coloribus in vestimentis Ecclesia ipsa exornetur, vt constat ex Missali, & ex Doctoribus suprà relatis, qui dicunt circa rem hanc nullum dari præceptum; sed id traditur tanquam quædam regula consultiua, ac directiua.

Tertiò est adnot. quòd vestimenta supradicta Sacerdotalia ex eo dicuntur sacræ, quoniam benedictione aliqua ad diuinum cultum deputantur. Vndè si vsu eò atterantur, vt figuram perdant, aut inhabiles reddantur ad vsum sacrũ, deperditur benedictio, seu consecratio, vt in *c. quod in dubijs, de consecr. Eccl. vel altar.* quo circa si manica albæ ab illa omninò separetur, amittit benedictionem: & si posteà suatur, iterum benedicenda est: non sic si priusquam forma destruatur, vestis ipsa paulatim assuatur, aut reficiatur; quoniam tunc semper censetur remanere benedicta, cum accessorium sequatur principale, *c. accessorium, de regul. iur. in 6* & in specie *Glosa in d. c. quod in dubijs, Henriq. lib 9. de Missa, c. 29 sub n. 5 in marg. litt. X Fagund. vbi sup sub n 9.* & alij. Et quamuis de cingulo sit controuersia, an necessariò indigeat benedictione; pars tamen affirmatiua est omninò vera, & sola dubitatio potest esse, an sit lethalis culpa citra cinguli benedictionem cum eo celebrare: de qua re seq. not. dicemus.

4 Quartò est adnot. certum esse, peccare mortaliter Sacerdotem, non solùm si sacrificium Missæ celebret absque vestimentis Sacerdotalibus, sed etiam illis indutus; non tamen benedictis: quoniam paria sunt, Sacerdotem celebrare absque vestimentis Sacerdotalibus, & celebrare cum illis non benedictis. Ità *Suar. in d. ar. 3. §. Secundò, & §. In hac re pauca. Syl. vers. Missa, 1. n. 2. Nauar. in Man c. 25. n. 84. Palud. in 4. d. 13. q. 2. col. 5. Henriq. lib. 9. de Missa, c. 26. n. 4. Sot. in 4. d. 13 q. 2.* & alij, qui dicunt id esse præceptum Ecclesiasticum, quod colligunt ex *tex. in c. vestimenta, de consecr. d. 1.* ibi: *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta, &c.* & de orario, seu stola, quæ est propria vestis Sacerdotis adest præceptum in *c. Ecclesiastica, 23. d.* ità se habente: *Ecclesiastica, & antiqua institutione præfixum nouimus, vt omnis Sacerdos cum ordinatur orario vtroque humero ambiatur, scilicet, vt qui imperturbatus præcipitur consistere inter prospera, & auersa, virtutũ semper ornamento, vtroque circumseptus appareat humero. Qua ergò ratione tempore sacrificij non assumit, quod se in Sacramento accepisse non dubitat, &c.* Confirmatur ex communi Ecclesiæ consuetudine, quæ transijt in præceptum: ex benedictionibus contentis in ceremoniali Romano ad id destinatis: & demũ, quoniam ità est necessarium ad debitam reuerentiam tanti sacrificij. Quæ diximus de Sacer-

5 dote celebrante absque vestibus sacris, vel sine aliqua ex illis, vt mortaliter peccet, extendimus ad Sacerdotem celebrantem in altari non consecrato, vel consecrato, sed nimis paruo, super corporale non benedicto, si celebret in Calice ligneo, vitreo, aut lapideo, vel in Calice non consecrato, in altare non decenter ornato, & absque paramentis ab Ecclesia institutis ad celebrandum sacrificium Missæ, de quibus latè *P. Molfes. p. 1. suæ summ. tr. 3. c. 12. per totum, Laym. lib. 5. sue summ. tr 3. cap 6.* & signanter, quoad Calicem vide omninò *Fagund. vbi sup. c. 21. n 10. cum plur. seq.* vbi testatur, Valentiæ, Aragoniç magna veneratione asseruari Calicẽ, in quo Christus Dominus celebrauit, qui Calix non est aureus, aut argenteus, sed pretiosissimo lapide Agatha, seu smaragdo est efformatus. Et quamuis in *c. vasa, de consecr. d. 1.* proh beatur vsus Calicis lignei; antiquitus tamen talis vsus non erat prohibitus, vndè inquit Bonifacius Papa, & Martyr, in *d. c. vasa*: *Olim aurei Sacerdotes ligneis Calicibus vtebantur, modò Sacerdotes lignei aureis vtuntur.* Et licet de iure Sacerdotes hodiè non solùm aureis, ac argenteis Calicibus vti possint, sed etiam staneis; tamen communiter vtuntur aureis, vel argenteis. Vndè qui alicui Ecclesiæ testamento suo legaret Calicem, intelligendus esset Calix de argẽto, tanquam de vsuata materia, nisi aliter testamento fuerit expressum, vt habetur ex *Panorm. in c. ex parte, de censur. Bart. in l. 7 itius, ff. de aur & argen. legato, & Rom. sing. 121.*

6 Quintò est adnot. certum esse, Sacerdotem peccare mortaliter, non solùm si celebret citra dicta vestimenta, ornamenta, vt suprà, benedicta, & vasa consecrata; verum etiam si cum illis celebret, sed valdè attritis, confractis, aut immundis: quia is non ageret contra præceptum humanum; sed potiùs contra præceptum diuinum naturale, quo Sancta Sanctè tractanda sunt, vt habetur ex *Suar. d. sec. 3. § Secundò,* latè *Laym. d. c. 6. & Fagund. loco citato, c. 23. n. 20.* vbi tamen *n. 14.* circa cingulum fractum inquit,

inquit, quòd quando altera pars cinguli tanta remanet, vt satis sit ad honestè cingendum, fas est cum eo citra culpam celebrare, maximè si aliqua necessitas vrgeat: siquidem adhuc videtur corpus vniforme, cuius pars est eiusdem qualitatis, & benedictionis, licet non sit eiusdē quantitatis: & multò melius licitum erit, si antequam ex toto rumpatur, & in duas partes diuidatur, nodo aliquo replicetur, ac roboretur, vt habetur ex *Syl verf. Benedictio, num. 7.* & ex *Henriq. loc. cit.* Quo verò ad Calicem confractum, & patenam confractam certum est, quòd sacerdos si eis vtatur in celebrando, peccat mortaliter, si fractura sit notabilis, quoniam per notabilem fracturam deperditur consecratio. Tūc autem patena dicitur notabiliter confracta, quando non capit hostiam: & Calix dicetùr quoque notabiliter confractus, vbi in eo commodè sanguis Christi non possit consecrari, vt habetur ex *D. Thoma 3. p. qu. 83. ar. 3. ad 6. Bellar. lib. 2. de Sacrificio Missæ c. 14 D. Anton. 3. p. suæ summ tit. 13. c. 6. & Fagund. loco citato, c. 21. n. 16.* vbi etiam *nu. 15.* putat, Calicem non consecratum non ex eo tantùm fieri consecratum, quia in eo celebretur, & ità putat de patena: quæ sententia si vera est, vt mihi videtur probabilis, non video cur ità non sit de corporali, & vestibus Sacerdotalibus non benedictis, si cum eisdem sacrum celebretur. Hæc adeò vera sunt, vt longa discussione non egeant; difficultas autem consistit in tribus. Primò, an Sacerdos aliquando citra culpam possit celebrare Missam absque vestibus sacris. Secundò an extrà sacrificium Missæ, & sine vestimentis sacris aliquando sit Sacerdoti licitum consecrare. Et tertiò, an Sacerdos celebrans cum cingulo non benedicto, aut sine cingulo, peccet mortaliter.

8 Circa primum pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia videtur *Nauarri in Manuali, c. 25. nu. 84.* dum ait opinionem *Caietani* asserentis, non posse citra lethalem culpam celebrare Sacerdotem metu mortis, etiam absque fidei contemptu, videri sibi satis duram. Etenim, quòd Sacerdos indutus vestibus sacris celebret, præcepto tantùm humano astringitur, vt suprà ostendimus, *not. 3.* at metum mortis seclusio fidei contemptu excusare ab obseruantia legis humanæ. probat *Nauar. loco citato*, & nos latius probauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 1. c. 2. q. 2.* Confirmatur, quoniā *Suar to. 3. in 3. p. q. 82. sec. 3. §. Secundò*, & quāplurimi alij Doctores excusant Sacerdotem celebrantem metu mortis, secluso fidei contemptu, absque vna, vel altera ex vestibus Sacerdotalibus: ergò excusari quoque debet Sacerdos si metu mortis celebret citra omnes vestes Sacerdotales; quoniam eadem ratio est totius, & partis, *l. quæ de tota ff. de rei vendic.* Hanc eandem opinionem videtur tenere *Laym. loco citato, num. 17.*

9 His tamen non obstantibus, in contrarium est communis opinio, quam tenet *Caiet. 1. 2. q. 96. ar. 4. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 82. sec. 3. §. Secundò, Henriq. lib. 9. de Missa, c. 29. n. 5. in fine ad marg. litt. C.* inclinat etiam *Nauar. loco cit. & Fagund. d. c. 21. n. 19.* Hanc eandem sententiam tenet *D. Anton. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 6. & in Director. lib. 1. tit. 7. §. 55.* & alij docentes, ob nullum metum, etiam mortis licitum esse Sacerdoti celebrare absque omnibus vestimentis sacris, vel etiam cum omnibus, sed non benedictis, quia existimat *Fagund ibi n. 17. in fine*, idem esse celebrare cum vestimentis Sacerdotalibus non benedictis, ac celebrare absque vestibus Sacerdotalibus: Quod quidem verum arbitratur *D. Anton.* etiam si festum vrgeat. Mouentur ex eo, quod Sacerdos citra scandalum, & magnam irreuerentiam tanti sacrificij celebrare nequit absque omnibus vestibus Sacerdotalibus benedictis; etiam ad vitandam mortem. Vndè supposita hac ratione vera, patet responsio ad contraria. Ad primum concedimus totum; sed in casu, de quo agitur non potest celebrare Sacerdos citra scandalum, & magnam irreuerentiam tanti sacrificij. Ad confirmationem negatur consequentia; quoniam Sacerdos sine aliqua ex sacris vestibus potest celebrare citra scandalum, & irreuerentiam tanti sacrificij quod tamen agere non potest sacrificando absque omnibus vestimentis sacris. Ad probationem autem cōsequentiæ dicitur, quòd licet valeat argumentum de toto ad partem; nō tamen valet argumentum de parte ad totum, atque ideò sicut non valet argumentum manus Titij est nigra; ergò totum corpus Titij est nigrum; ità etiam non valet dicere, Sacerdos citra scandalum, & irreuerentiam Sancti sacrificij celebrat sine vna ex vestibus sacris; ergò citra scandalum, & irreuerentiam celebrat absq; omnibus. Etenim quamuis totum inferat quālibet eius partem, vt in *l. si quis cum totum, in princ. ff. de excep. rei iudic.* non tamen pars infert totum: & propterea in iure argumentum datur de toto ad partem, & non è conuerso, vt latè habetur ex *Eueral. in loc. arg. legal. loco à toto ad partem.*

10 Circa secundam difficultatem *Maior. in 4. d. 9. q. 3. ar. 5.* docet, quòd si infirmus sit in periculo mortis, ne discedat sine viatico licitè potest Sacerdos post meridiem intrare Ecclesiam, & in abscondito consecrare hostiam illis solis verbis: *Hoc est corpus meum*. Etiam non indutus vestibus sacris: & si hostiam non inuenerit potest licitè consecrare fructulum panis cōmunis, si prius deuitet Populi scandalum, illi declarans eo casu id licitè posse.

11 Oppositam tamen sententiam, docet *D. Th. 3. p. q. 78. ar. 1. ad 4. & in 4. d. 8. q. 2. ar. 4. quæstiunc. 3. ad 3. Ledes. q. 19. ar. 1. Fagund. de præcep. Eccles. præcep. 3. sub n. 10.* & alij. Rationem autem eam esse volunt, quia cùm præceptum Euchareſtiæ non obliget, nisi cum decenter, & conuenienter suscipi, ac ministrari potest; nunquam poterit decenter suscipi, & ministrari, nisi fiat consecratio, cum vestibus sacris, & modo consueto Ecclesiæ.

12 Circà tertiam denique difficultatem pugnātes sunt opiniones. Nā prima opinio fuit *Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 82. sec. 3. §. Secundò.* & alij, dicentes Sacerdotem non posse citra lethalem culpam absque cingulo benedicto. Pro qua re adducunt Missale, ac ceremoniale Romanum, vbi æquè principaliter ponitur benedictio pro cingulo, ac pro alijs vestibus Sacerdotalibus; sed celebrans absque vna ex dictis vestibus, pec-

peccat mortaliter, vt ostendimus suprà *not.* 3. Ergò mortaliter quoque peccabit celebrans sine cingulo, vel cum cingulo, sed non benedicto.

12 His tamen non obstantibus; oppositam sententiam tenent *Henriq. lib. 9 de Missa, c. 29. nu. 5. litt. A. & B. Scot. in 4. dist. 13. q. 2. Palud. ibidem, q. 2 ar. 5. Syl. verf. Missa, 1. n. 2. & Fagũd. de pracep. Eccles. pracep. 1. lib. 3. c. 23. num. 11.* Mouentur ex eo, quòd cingulum non potest dici propriè vestis; sed potius vestium ligatura: & propterea habetur pro materia satis leui, quę ad summum satis est ad peccatum veniale contrahendum. Nec obstat, quòd in Missale, ac rituali Romano continetur benedictio pro cingulo; quoniam ibi etiam adest benedictio pro Missalibus, & libris Ecclesiasticis, & tamen videmus Missas celebrari cum Missalibus non benedictis. Vndè, inquit *Fagund.* quòd cingulum in multis locis non benedicitur; verum vbi adest consuetudo benedicendi cingulum, Sacerdos sine cingulo benedicto celebrans, venialiter peccaret. Posset Sacerdos vti stola pro cingulo, vt suprà probauimus *not.* 4 & tunc ea vtens, nec culpam venialem contrahet. Cæterum vestes sacrę quantumuis vetustate consūptæ, sicut nec corporalia, purificatoria, tobaliæ, & alia altaris paramenta non possunt citra lethalem culpam in profanos vsus conuerti, sed hæc omnia cum vetusta sunt, debent comburi, & cineres in piscinam conijciendi. Idem dicendum est de lapidibus Ecclesiæ dirutæ, & de eiusdem lignis: non enim debent in profanos vsus conuerti; sed debent seruari pro constructione, aut refectione aliarum Ecclesiarum, Capituli, aut Dormitorij Religiosorum. Etenim, quæ Deo semel dicata sunt, profanis vsibus applicari non possunt, vt in *c. qua semel Deo, de regul. iur. in 6. c. vestimenta, & c. ad nuptiarum, de consecr. d. 1.* latè *Fagund. loc. cit. c. 21. n. 18. & 19.* vbi tractat, an, & quando Calices vendi possint, aut pignorari: & *d. c. 23. n. 22.* vbi etiam *n. 23* probat, quòd profana ad vsus sacros accomodari possunt: siquidem de Matronarum vestibus fieri possunt planetæ, frontalia altaris, & similia sicut Idolorum templa quamplurima Deo dicata leguntur.

13

An Sacerdos peccet celebrans discalciatis pedibus, aut cooperto capite.

S E C. XXIX.

S V M M A R I V M.

1 *Peccat Sacerdos, celebrans pedibus discalceatis. Et quarè.*
Quid necessitate vrgente, & scandalo cessante.
2 *Prohibetur Sacerdos capite cooperto celebrare: nisi ex infirmitate, & cum debita Superiorum dispensatione.*
3 *Facultas celebrandi capite cooperto, praesertim vsque ad consecrationem, an dari possit ab Episcopo, caeterisque Ordinarijs Praelatis.*

1 AD hanc rem respondetur affirmatiuè. Nã quoad calceos, quibus vti debet Sacerdos, dum celebrat, licet non benedicentur, nec illorum vsus aliquam significationem sacram habeat; sunt tamen introducti ab Ecclesia ob honestatem quandam, ac decentiam externam: & propterea eiusmodi Ecclesię consuetudo non violatur citra culpam venialem. Est tamen verum, quòd si necessitas aliqua vrgeat, & cesset scandalum, tunc Sacerdos accedens ad altare sine calceis, nec venialem quidem culpam contrahet; nam Sacerdos vti debet calceis quãdo commodè potest, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3 p. disp. 82 sec. 3. Syl. verf. Missa, 1. q. 2 §. 3. Tolet. lib. 2. sua summ. c. 2. Sa verf. Missa, n. 15. Scort. lib. 2. de Sacr. Missa c. 8. n. 2. Laym. lib. 5 summ. Theol. tr. 4. c. 6. sub n. 15. verf. Porrò, & Fagund. de pracep. Eccles. pracep. 1. lib. 3. c. 23. sub n. 21.* qui tamen secus inquit esse dicendum de sandalijs, quibus Episcopi vtuntur, dum in pontificalibus sacrificant: nam putat, Episcopos sine illis in pontificalibus sacrificantes peccare mortaliter, vt colligitur ex Pontificali Romano, & ex *D. Bernardo epist. 42.* ac ex *Innoc. III. in epist. ad Patriarcham Constantinopolitanum*, & ex alijs ab eodem *Fagund.* relatis.

2 Quo vero ad Sacerdotem capite cooperto celebrantem, est *tex. in c. nullus, 3. de consecr. d. 1.* ità se habens: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda praesumat cum baculo introire, aut velato capite altari assistere; quoniam, & Apostolus prohibet, viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temerè praesumpserit, communione priuetur.* Vndè cum Sacerdos, cooperto capite temerè celebrans faciat contra reuerentiam tanti sacrificij, & contra Ecclesiæ præceptum, proculdubio peccat mortaliter. Dixi, *temerè celebrans*, quoniam si id agat ex capitis infirmitate, aut senectute, mediante debita superiorum licentia, seu dispensatione, non peccat, nec venialiter quidem. Hanc autem facultatem sacrificandi capite operto amictu, vel pileolo, præsertim vsque ad consecrationem, posse dari ab Episcopo, vel ab ordinis Prælato, docent *Scort. lib. 3. de Sacrif. Missa, c. 4. Suar. tom. 3. in 3 p. disp. 82 sec. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Laym. loco citato, sub n. 16. verf. Notant tamen*, qui addit ex *Nauar. lib. 3. cons. 7. de celebr. Missar in 2. edit. Syl. verf. Missa q. 2. & Henriq. lib. 9. de Missa, c. 26. nu. 3.* non requiri Episcopi licentiam, si causa ità celebrandi adeò manifesta sit, vt cunctis pateat; præsertim si in priuato sacrificetur: quoniam tunc cessat scandalum.

3

An peccet Sacerdos si Missam Defunctorum celebrat pro aliquo fideli, adhuc viuente.

S E C. XXX.

S V M M A R I V M.

1 *Non peccat Sacerdos, si Missa Defunctorum celebret pro fideli, adhuc viuente, idque est optimum consilium.*
Non tamen dici possunt orationes, quae supponunt aliquem iã Defunctum, vt inclina, & c.

Ad

1 AD hanc difficultatem respondetur negatiuè. Etenim quilibet etiam viuens officium Defunctorum, & Missam pro Defunctis potest celebrari facere, vt habetur per *Zerol. 1. p sua prax. Episc. ver. Missa, § 10. Nauar. cons. 9. de celebr. Missar. & Fagund. de precep. Eccl. precep. 1. lib. 3. cap. 10. n. 13.* vbi cum *Zerola* addit, id esse optimum consilium; ne fortè posteà hæredes, vt sæpè contingit, pigri sint, & negligenter se gerant in eiusmodi suffragijs faciendis non sine magno detrimento animarum suorum Defunctorum. Est tamen verum in Missa Defunctorum pro viuente non sunt dicendæ illæ orationes, quæ supponunt aliquem mortuum, vt putet in oratione: *Inclina Domine, &c.* in qua habetur: *Quem de hoc sæculo migrare iussisti*, ne mendacium co mmittere videatur, ut habetur ex *Zerola loc. cit.* quamuis non admittat *Fagund.* limitationem huiusmodi, & rectè, ni fallor, per rationes quas affert.

An peccet Sacerdos si Missam celebret in mari, vel in flumine. SEC. XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur opinio affirmatiua, ob timorem sacratissimi sanguinis effusionem.*
An sit sublatum per Trid. priuilegium Fratrū Prædicatorum, & minorum celebrandi in quouis loco honesto.
2 *Secluso humano iure, ac attento solo Diuino, & naturali potest celebrari, tum in mare, tum in flumine.*
An hodiè celebrari possit in mare, sereno Cælo, ipsoque mari tranquillo.
3 *Iure communi, & ordinario citra culpam mortalem celebrari non potest extra Ecclesiam.*
4 *Ab huius præcepti obligatione excusantur Sacerdotes ex capite maxima necessitatis.*
Quæ sint iusta necessitatis causa celebrandi extrà locum sacrum.

1 PArtem affirmatiuam docet *Nauar. in Man. c. 25. n. 82 Suar. tom. 3. in 3 p. D. Thomæ disp. 81. sec. 3. § Tertia exceptio est D. Anton. 3. p. tit. 13 cap. 6. § 4. Sot in 4. d. 13 qu. 2. ar. 3. & Turrecr. in c. sicut, de consecr. d. 1.* dum dicunt, Sacerdotem celebrantem in mar., uel in flumine iure timere, & uereri posse periculum sacratissimi sanguinis effusionis; at qui exponit prędicto periculo tantum Sacramentum, proculdubio peccat; siquidem morale periculum ità existimari debet, & in malis ità caueri solet, sicut euentus ipse. Vndè meritò legitur: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Imò *Nauarr. loco citato*, ob id ait, non esse licitum sacrificiũ celebrari in mari, vel in flumine, vt non liceat, nec vrgente quauis necessitate: & proindè testatur, sublatum esse priuilegium Fratrum Prædicatorum, & Minorum celebrandi in quouis loco honesto per *Conc. Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis, & vitandis in celebr. Missæ*, in illis verbis: *atque omninò extra Ecclesiam, &c.* Vndè qui longam suscipiunt nauigationem, solent Missam, quam dicunt siccam audire, quæ sit à Sacerdotibus nauigantibus vestibus sacris indutis, & altari erecto, in qua non fit consecratio corporis, & sanguinis Domini, nec vllũ offertur sacrificium, sed introitus, Epistola, Euangelium, & aliæ orationes tantùm recitantur, vt habetur ex *Azor. tom. 1. inst. moral. lib. 7. c. 7 q. 6. & Henriq. lib. 9 de Missa, c. 27. nu. 3.* quamuis ipse *Henriq.* fortasse putat licere celebrationem Missæ completæ, etiam cum consecratione in flumine placidissimo si necessitas vrgeat.

2 His tamen non obstantibus, humano secluso iure, ac solo attento Diuino, ac naturali, non video cur in mari, aut in flumine celebrari non possit, si cum debita cautela, & prudenti circũspectione id fiat, nempè, quòd celebretur super naui, aut galea grandi valdè, tempore quo mare, vel flumen est placidissimum: & quòd adsit alius Sacerdos, qui consecratum Calicem manu firmet, ne cadat: tunc enim cessat periculum effusionis sanguinis, atque ideò cessante ratione legis, cessat lex. *l. adigere, § quamuis, ff. de iure patr. c. cum cessante, de appellat.* Quapropter licèt de iure prohibitum sit celebrari in mari, aut in flumine; nihilominus hodiè, re maturè, ac diù discussa Clem. VIII. & Paulus V. ad instantiam RR. PP. Societatis Iesu, vt in Indiarum Orientalium nauigatione Missa in mari celebrari possit sereno Cœlo, & ipso mari tranquillo. Vndè *Fagund. de precep. Eccl precep. 1. lib. 3. c. 10. nu. 15.* testatur audiuisse à quodam eius Patre Societatis Iesu, se plusquam vigesies in indica nauigatione celebrasse citra omne periculum; cum suprà relata tamen cautela, ac prudenti circumspectione. His adde *Laym. lib. 5. suæ summ. tr. 5. cap 5. sub num. 5. in fine, & num. 6.*

3 Cæterùm de iure communi, & ordinario nō potest licitè, & citra culpam mortalem celebrari Missa extra Ecclesiam, & locum sacrum ad hoc specialiter ab Episcopo deputatum, vt habetur ex *Henriq. lib. 9. de Missa, c. 27. in princ. Suar. tom. 3. in 3. p disp. 81. sec 3. Nauarr. in Man c. 25. n. 82. Azor. tom. 1 instit. moral. lib. 10. c. 26 q 1. Laym. lib. 5 suæ summ. tr. 5. c. 5. nu. 1.* & est *tex. in c sicut, & c. nullus Presbyter, de consecr. d. 1 & Conc. Trid. sess. 22. de decreto de seruand. & euitand in celebr. Missæ*, in illis verbis: *Neue patiantur priuatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda, Sanctum hoc sacrificium à Secularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi, &c.* Vndè *Azor.* & alij, quos refert, & sequitur *Fagund. loc. cit. c. 13. n. 1.* ex hoc inferunt transgressorem huius præcepti esse reum peccati mortalis ex suo genere; quoniam iura simpliciter statuunt id non esse licitum, & loquuntur de re graui, & maximè necessaria ad decentem honorem, & reuerentiam tanti, & tã admirabilis Sacramenti. Imò in *d. c. nullus*, comminatur pœna depositionis: & *Syl in vers. Missa, 1. § 5 Henriq. loco citato*, & alij dicunt, esse ipso facto ab Ecclesia ingressu interdictos illos, qui celebrant, aut celebrare faciunt in alijs locis, quàm à iure concessis. Non tamen si deindè celebrent irregulares fiant; licèt interdictus ab ingressu Ecclesiæ, idem sit, ac suspensus

sus ab ingressu illius, & suspensus si celebret fiat irregularis, vt rectè declarat *Fagund. vbi suprà, n. 3. & 4.*

4 Excusantur tamen Sacerdotes ab obligatione eiusmodi præcepti ex capite maximæ necessitatis, vt in *d. c. sicut, de consecr. d. 1.* quem allegat *Fagund. d. c. 13. n. 1. in fine*, & ità se habet: *Sicut non alij, quàm Sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec sacrificia super altare offerre; sic nec in alijs, quàm Domino sacratis locis, idest in tabernaculis diuinis precibus à Pontificibus delibutis Missas cantare, aut sacrificia offerre licet; nisi summa coegerit necessitas. Satius ergò est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, vbi fieri non oportet; nisi pro summa contingat necessitate: quoniam necessitas legem non habet.* Etenim sicut olim, seuiente contra Ecclesiam persecutione Tirannorum, sacrificia fiebant in Cryptis, speluncis, & in domibus priuatis; ità etiam audiui, quòd hodiè in Anglia multi Sacerdotes Catholici metu hæreticorum sacrificant occultè in domibus priuatis Catholicorũ, ac in Cryptis, ac cauernis Sacramenta ministrãt cum altari tamen sacrato portatili. Iustas autem quoque necessitatis causas celebrandi Missam extrà locum sacrum, tàm in Terris Infidelium, quàm etiam in Terris Catholicorum, enumerat *Laym. d. c. 5. n. 3.* nempè si Ecclesiæ alicubi dirutæ sint, *c. concedimus, de consecr. dist. 1.* Item in magno populi conuentu, quem Ecclesia non capit. Item in Bello pro exercitu: in longa peregrinatione per loca Infidelium, ipso iure per epicheiam eiusmodi facultatem permittente. Item Episcopis volentibus iter facere priuilegio concessum est, vt possint sacrificare super altare portatile non solum in casu necessitatis, verum etiam ob maiorem eorum commoditatem, vt in *c. vlt. de priuil. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 81. sec. 3.* Imò hanc facultatem alijs de iure concedere possunt, dummodò locus sit honestus, vt in *c. Missarum, de consecr. d. 1.* ità se habente: *Missarum solemnia non vbique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Non nullæ Religiones habent pariter facultatem ex vi priuilegij, vt possint non solùm in Oratorijs cum altari portatili celebrare, sed etiam in quocunque alio honesto, & congruenti loco, cum debita reuerentia, & honore, vt rectè declarat *Laym. loc. cit. n. 5.* & latè *P. Alex. Pellegr. in compend. nostr. priuilegior. verf. Missa, §. 2.* Vndè per communicationem eodem priuilegio gaudent Patres nostræ Congregationis.

An Sacerdos peccet mortaliter Missam celebrans in Ecclesia polluta, aut interdicta.

SEC. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiam pollui, vel violari quinque modis contingit.*

2 *Quamuis Ecclesia polluta dicatur interdicta, differt tamen Ecclesia interdicta à polluta.*

3 *Missam celebrare in Ecclesia polluta, peccatum est mortale ex suo genere.*

4 *Peccat mortaliter Sacerdos non solum celebrando Missam in Ecclesia polluta, sed etiã alia diuina offerendo, vel mortuos in illa sepeliat.*

5 *Si pollutio superueniat, debet Sacerdos à celebratione desistere, nisi post inceptum Canonem contingat.*

An Ecclesia non consecrata, sed tantùm benedicta reconciliari possit per simplicem Sacerdotem.

6 *Peccat mortaliter Sacerdos celebrando in Ecclesia polluta, quamuis alius Sacerdos anteà bona fide celebrauerit.*

An Ecclesia polluta purificetur per Missa celebrationem.

7 *Nullam culpam contrahit Sacerdos, si celebret in Ecclesia polluta in casu necessitatis, & de Episcopi licentia.*

8 *Nec irregularis efficitur celrbrando in Ecclesia polluta.*

9 *Præceptum non celebrandi in Ecclesia polluta, non dicendi Diuinũ officiũ, & mortuos nõ sepeliendi est de iure humano; propterea excusatur à peccato Sacerdos si talia peragat metu mortis compulsus, vide etiam add.*

10 *Sacerdos celebrans in Ecclesia interdicta, peccat mortaliter, & pœnam suspensionis incurrit.*

11 *Non tamen peccat, si in tali Ecclesia celebret, ob metum in constantem virum cadentem, secluso tamen scandalo, ac fidei contemptu.*

12 *Sacerdos interdictus, quamuis in Ecclesia celebret non interdicta, peccat mortaliter, & irregularis efficitur, sicut excommunicatus, & suspensus.*

13 *Suspensus non solum ab ingressu Ecclesiæ, sed etiam à Diuinis, vbique Diuina celebret, irregularitatem incurrit.*

15 *Interdictus, excommunicatus, vel suspensus, si iusto metu celebret nullam censuram, nec culpam incurrit, secluso scandalo, & fidei contemptu. Idem est in celebrante coram excommunicato ex metu prædicto.*

15 *Irregularis si celebret, licet peccet mortaliter, non tamen nouam contrahit irregularitatem.*

An, & quando possit irregularis citra culpam celebrare.

1 AD intelligentiam eorum, quę in hac re dicenda erunt est adnot. quòd quinque modis contingit Ecclesiam pollui, seu violari. Primò per iniuriosam, ac publicam in ea sanguinis effusionem, vt in *c. proposuisti, & c. vlt. de consecr. Eccles. & c. vnico, eod. tit. in 6.* Secundò per homicidium iniuriosum, quòd intra Ecclesiam perpetratum est, quamuis citra sanguinis effusionem, vt in *c. proposuisti, & cap. si motum, de consecr. d. 1.* Tertiò per illicitam, & notoriam in ipsa Ecclesia humani seminis effusionem, vt in *d. c. vlt. de consecr. Eccles.* Quartò per sepulturam hominis excommunicati ibidẽ; qui tamen sit nominatim, & publicè denunciatus, vt in *c. consuluisti, eod. tit.* Quintò sepulturam Infidelis, & non baptizati hominis, vt in *c. Ec-*

c. Ecclesiam, 1. & 2. de consecr. d. 1. vt latè declarat Laym. lib. 5. sua summ. tr. 5. c. 5. n. 7. cum plur. seq. & latissimè Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 1. lib. 3. c. 15. à n. 8. vsque in finem, vbi n. 59. addit sextum modum, quo Ecclesia violatur, nempè, quando parietes Ecclesiæ comburuntur, vel ità destruuntur, vt illam integrè, ac veluti de nouo ædificari oporteat: sed ista execratio dicitur Ecclesiæ, potius quàm pollutio, vt habetur ex Laym. loc. cit. n. 17. qui ponit differentias inter pollutionem, & exacrationem.

2 Secundò est adnot. quòd licèt Ecclesia polluta sit quodammodo interdicta, cùm in ea interdicatur celebratio Missæ, sicut interdicitur in Ecclesia interdicta; nihilominus Ecclesia interdicta differt ab Ecclesia polluta; siquidem Ecclesia interdicta dicitur talis, quia contra eam latum est interdictum, quod est censura Ecclesiastica, de quo nos latè egimus in nostris Commentarijs in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 2. qu. 4. Ecclesia verò polluta non dicitur interdicta ex eo, quòd contra eam latum sit interdictum; sed quia est violata vno ex suprà relatis modis. Vndè, qui in Ecclesia polluta celebrat non fit irregularis, nec suspensus, vt rectè probat Fagund. loco citato, n. 4. 5. & 6. & est tex. in c. 15. qui de sent. excomm. in 6. At qui in Ecclesia interdicta Missam celebrat, in suspensionem incidit, cùm interdictum violet, vt in c. fin. de excess. Pralat. Et si deindè etiam extrà Ecclesiam interdictam celebret, efficitur irregularis: quoniam suspensus celebrans irregularis redditur, vt in c. 1. de sent. & re iud. in 6. His breuiter sic adnotatis, sit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 Missam celebrare in Ecclesia polluta est peccatum mortale ex suo genere; atque ideò regulariter, & per se loquendo Sacerdos in ea celebrans culpam lethalem contrahit. Hæc conclusio est communis, quam docent Nauar. in Man. c. 23. n. 83. & c. 28. n. 250. Syl. vers. Cōsecratio 2. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 81. sec. 4. §. His positis. Fagund. de pracep. Eccles. pracep. 1. lib. 3. c. 14. nu. 1. Etenim ne celebretur in Ecclesia polluta altero ex supradictis modis, præceptum est Ecclesiæ iustum, ac rationabile, & graue, cùm ad reuerentiam, & honorem Ecclesiarum spectet; vt in d. c. si motum, & c. si Ecclesia de consecr. d. 1. ergò obligat sub mortali.

4 Ampliatur, vt Sacerdos peccet mortaliter nō solùm celebrando Missam in Ecclesia polluta; sed etiam in eadem celebrans diuina officia, & mortuos sepeliens, vt in c. Episcoporum, de priuil. in 6.

5 Secundò ampliatur, vt Sacerdos non solùm peccet celebrans, vt suprà, in Ecclesia iàm polluta; uerùm etiam si pollutio superueniat, dùm celebrat, debet à celebratione desistere; aliàs citra culpam prosequi Missam nequit. Quod tamen intelligendum est, ubi uiolatio contingat antè inceptum Missæ Canonem: secus autem si post Canonem cœptum, quia tunc tenetur Missam prosequi; eo quòd sacrificium substantialiter incipit ab inceptoCanone, & præceptum de perficiendo, ac integrando sacrificium Missæ est diuinum, atque ideò præfertur præcepto de non celebrādo in Ecclesia polluta; quod est humanum, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus sec. 14. vers. Sextò excusatur, & vers. Septimò excusatur. Est tamen uerum, quòd si Ecclesia polluta non erat consecrata, sed tantùm benedicta, & pollutio Ecclesiæ contingat antè Canonem inceptum, tunc Sacerdos posset statim Ecclesiam reconciliare, iuxtà tex. in c. si Ecclesia, de consecr. Eccl. vel altar. Licèt enim Ecclesia cōsecrata si polluatur, non possit purificari, nisi ab Episcopo; tamen benedicta dumtaxat cùm polluitur, potest etiam à simplici Sacerdote reconciliari. Ità Sot. in 4. d. 13. qu. 2. art. 3. & 4. Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 81. sec. 3. §. Secundò quaret, Graff. lib. 2. decis. aur. c. 47. n. 10. & Fagund. d. c. 14. n. 7. qua breuiter reconciliata potest sacrificium Missæ prosequi.

6 Tertiò ampliatur, ut Sacerdos in Ecclesia polluta celebrans, peccet mortaliter, etiam si alius Sacerdos anteà bona fide celebrauerit; quoniam per celebrationem non purificatur Ecclesia polluta, siuè in ea celebrata fuerit Missa bona fide, siuè mala fide, ut contra Castr. lib. 2. de lege pœn. c. vlt. & alios, docet Laym. lib. 5. sua summ. tr. 5. c. 5. sub n. 13. & Fagund. loc. cit. c. 21. n. 15. ubi idem dicendum esse, probat de Calice non consecrato, si in eo celebretur, ut nos etiam adnotauimus suprà sec. 28. not. 4. in fine.

7 Sic ampliata limitatur prædicta conclusio, ut quamuis Sacerdos temerè, ità ut lethalem culpam contrahat in Ecclesia polluta celebrans; nihilominus in casu necessitatis, & de Episcopi licentia si in ea celebret, nullam culpam contrahit. Si enim Episcopus potest dare licentiam celebrandi in loco non consecrato, nec benedicto, & in domo priuata ex urgenti causa, ut in c. sicut, de consecr. d. 1. multò magis poterit eam dare in loco non reconciliato. Ità Fagund. d. c. 14. n. 2. ubi alias rationes affert.

8 Secundò limitatur, ut quamuis Sacerdos sacrificando in Ecclesia polluta temerè agat, atq; ideò mortaliter peccet, nihilominus non efficitur irregularis, ut in c. 15. qui, de sent. excomm. in 6. Nec etiam in suspensionem aliquam incidit, ut suprà diximus, not. 2. & latè Fagund. loc. cit. nu. 4.

9 Tertiò limitatur eadem conclusio, quòd præceptum non celebrandi, non dicendi diuina officia, & non sepeliendi mortuos in Ecclesia polluta, cum sit tantùm humanum, ut suprà ostendimus; si Sacerdos metu mortis, aut alio metu cadente in constantem uirum in Ecclesia polluta celebret, diuina officia dicat, aut mortuos sepeliat, non peccat, quoniam celebrare Missam, cantare officia diuina, & sepelire mortuos in Ecclesia polluta, non sunt actiones intrinsecè malæ; quia aliàs nunquam licitè fieri possent etiam in casu necessitatis contra ea, quę suprà diximus lim. 1. sed sunt malæ, quia prohibitæ ui humani præcepti, ut suprà ostendimus. At metus cadens in constantem uirum excusat ab obseruatione legis latæ pro eo, quod non est intrinsecè; sed malum, quia prohibitū, ut latè nos probauimus in nostris Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. c. 2. q. 2. concl. 3. n. 19. Quod tamen uerum est, nisi metus incutiatur in contemptum Ecclesiæ, aut Catholicæ fidei, ut dict. concl.

concl.5.n.26.cum plur.seq. ubi ostendimus etiã, quibus casibus teneamur ad obseruantiam legis humanæ latæ pro eo, quod non est intrinsecè malum; sed malum, quia prohibitum, etiam cum periculo mortis. Quibus adde, quæ infrà dicemus, *concl.seq.lim.vnic.*

† Adde insuper quidquid sit de effusione seminis occulta in loco sacro si non habeat malitiã mortalem sacrilegij, necessariò confitendam, quia per illam non violatur Ecclesia, sicuti ait *Sotus, Vega, Manuel, Genedo*, & alij, quos citat *Sanchez de matrim.lib.9.disp.15. num.10. & 11.* vel si habeat, & violetur Ecclesia, sicuti affirmat ipse *Sanchez ibid. num. 11.* cum alijs citatus à *P.Quarto*, etiam affirmante, nihilominus Confessarium, qui ex auditis in confessione nouit Ecclesiam esse pollutam, non teneri abstinere à celebratione, quia Ecclesia non præsumitur velle obligare Sacerdotem ad vtendum notitia in confessione habita, ità cum alijs *Bonacina de pœnitentia disp.5.qu.6.sect.5. pun.4.*

SECVNDA CONCLVSIO.

10 Sacerdos celebrans in Ecclesia interdicta peccat mortaliter, & in suspensionis pœnã incurrit. Hæc conclusio patet ex *tex. in cap.fin. de excess. Prælatorum*, vbi contra violantes interdictum imponitur pœna suspensionis ab officio, & beneficio, quæ pœna non imponitur, nisi ob grauem culpam. Imò violantes interdictum latum à Rom. Pontifice incidunt in excommunicationem Papalem, vt in extrauag. & si Dominici, *de pœnit. & remiss inter communes*, & *Barbos.de offic.& potest.Episc. alleg 50. num.106.* at excommunicatio nunquam fertur, nisi pro lethali culpa, vt latè ostendimus in dictis nostris *Commentar.in Bull. Cenæ,lib.1.c. 2.q 2.concl 1.num 20.cum plur.seq* Hanc eandem excommunicationem contrahunt Fratres Minores, qui tempore interdicti admittunt in suis Ecclesijs Fratres Tertij Ordinis ad audienda diuina officia, vt in *Clem. cum ex eo,de sẽt. excomm. & Barbos. d.alleg.50. num 102* qui tamen addit post memoriale *Cler.cap.3.excom. 10.* hanc excommunicationem, satisfactione præmissa, posse tolli ab Episcopo; aliàs Papæ reseruatur: Et multò magis in excommunicationem incidunt Domini temporales, qui quomodolibet cogunt aliquem in loco interdicto celebrare Missam, & alia diuina officia: & qui per præcones faciunt conuocare populum ad illa audienda: & qui nunc hos, nunc illos ad eadem audienda conducunt: excommunicantur etiam prohibentes, ne publici excommunicati, aut interdicti hac de re per illos, qui Missas celebrant, moniti exeant ab Ecclesia: & ipsi nominatim moniti, cùm sint excommunicati, non exeuntes in excommunicationem incidunt Papæ reseruatam, vt habetur in *Clem grauis,de sent.excom Suar de censur.disp 22.sec.4. num. 27.Tolet.lib 1.suæ summ.c.36.numer. 4.* & alij apud *Barbos.loc cit.num.101.*

11 Hæc conclusio limitatur, vt Sacerdos non peccet celebrans in Ecclesia interdicta metu cadente in constantem virum, secluso tamen scãdalo, Ecclesiæ, ac fidei contemptu, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus in *præced.concl.limit. vlt.* quibus adde, quòd si Romanus Pontifex præciperet, vt in Ecclesia interdicta, vel polluta nullus celebret non obstante quocunque metu, etiam mortis, & cadente in constantem virum, si Sacerdos celebret, peccat mortaliter, & censuram contrahit, siquidem lex humana Ecclesiastica ex vi suæ potestatis, potest sub lethali culpa, & cum periculo mortis obligare fideles ad aliquid agendum, vel vitandum, etiã quod non sit ex sui natura, & intrinsecè malum, vt nos in d. nostris *Comm. in Bull. Cæn.Dom. lib.1.c.2.q.2.concl.4 n.33.*

TERTIA CONCLVSIO.

12 Sacerdos è conuerso interdictus, quamuis celebret in Ecclesia, quę interdicta non sit, nec polluta; nihilominus peccat mortaliter, sicut excommunicatus, & suspensus, qui si pariter celebrent, insuper efficiuntur irregulares, vt in *cap.1.& 3.de Cler.excomm.ministr.* quod intelligendum est de excommunicato excommunicatione maiori; secus si minori; quia tunc licèt peccet; non tamen efficitur irregularis, vt in *c.si celebret*, & ibi, *Glosa eodem tit.* Est tamen verum quod excommunicatus quacunque excommunicatione minori, vel maiori, sicut, & interdictus occultè, si ad euitandum scandalum, & propriam infamiam celebret, nullam culpam, nec censuram, nec irregularitatem cõtrahit, vt habetur ex *D.Thoma 3 p.q.85. ar.9.* & idem dicendum est de suspenso, cum militet eadem ratio, *arg.tex.in l.illud ff.ad leg. Aquil.* Item peccat Sacerdos, & est suspensus ab ingressu Ecclesiæ celebrans coram excommunicato, vel interdicto, vt in *cap.Episcoporum,de priuil.in 6.* Non tamen efficitur irregularis, cũ in iure talis irregularitas non sit expressa, vt in *cap.15.qui.de sent.excom.in 6.* late *Sayr de cẽsur.lib.1.cap.14.num 34.* vbi etiam *numer.35.* probat, quòd licèt is cui interdictus est ingressus Ecclesiæ, si celebret in Ecclesia, aut in Cœmeterio contiguo, vel in Basilica fiat irregularis; non tamen irregularis efficitur si se ingerit in Diuinis extrà Ecclesiam, nempè in Oratorio

13 priuato. Quòd si quis suspensus esset non solum ab ingressu Ecclesiæ; sed etiam à Diuinis, tunc vbique Diuina celebraret, irregularitatem contraheret, *cap medicinalis,§.fin & cap.is cui de sent.excom in 6.Syl.in sum. vers.Interdictũ, 6.q.5.Tab.eod.vers.num.1.in fine*, cum alijs allegatis per *Sayr.loc.cit.*

14 Verum tamen est, quòd si interdictus, excõmunicatus, vel suspensus iusto metu celebret, vel Sacerdos nulla censura alligatus Missam dicat coram excommunicato, vel interdicto iusto metu compulsus, nullam censuram contrahit, nec culpam incurrit; quia censuræ violatio, secluso scandalo Ecclesiæ, & fidei Catholicæ contemptu, non est intrinsecè, ac ex obiecto mala; sed tantum mala, quia prohibita ab Ecclesia, quæ non censetur ad obseruantiam suæ legis cum tanto rigore obligare; nisi id expressè statuerit; vel violatio censuræ esset cum alterius detrimento, iuxtà ea, quæ adnotauimus in nostris *Comm.in Bull.Cæn.lib.1.c 2.q.2.sub n. 24.25.& 26.* & iuxtà ea, quæ suprà diximus cõclus.1.lim.vlt.& concl.2.lim.vnic.

Quæ

15 Quæ diximus de interdicto, excommunicato, vel suspenso, vt peccent si celebrent; nisi iusto metu excusentur, extendimus ad irregularem. Est tamen verum, quòd licèt irregularis peccet mortaliter celebrando; non tamen nouā irregularitatem contrahit, vt habetur ex *Innoc. in d.c. si celebrat, num. 3. de Cler. excom. celebr. Nauar. in Man. cap. 27. num. 154. & 194. Henriq. lib. 7. suæ sum. c. 13. num. 6. Maiol lib. 1. de irregular. cap. 3. num. 8. & lib. 4. cap. 33. num. 3. & Sayr. de censur. lib. 1. cap. 1. numer. 7.* vbi ex *Nauar. loc. cit.* hanc rationem esse ait: quia irregularitas non est vera suspensio, nec censura Ecclesiastica, cuius violatio inducit irregularitatem. Imò aliquando Sacerdos irregularis citra culpam aliquam celebrare potest, vt cùm Sacerdos occultè occidit aliquem, & probabiliter putat, delictum manifestari, aut de illo infamari, nisi celebret: quia Diuina, ac naturalis leges præcipientes vitationem scandali, & defensionem famæ, præferuntur legi humanæ prohibenti celebrare in irregularitate, vt per *Nauar. in Man. cap. 7. num. 1. & 2. & cap. 27. num. 239. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 66. sec. 4.* & nos latè declarauimus in *Comm. Bull. Cœn. lib. 1. cap. 2. q. 2. à num. 8. vsque in finem.*

An Sacerdos peccet mortaliter si conscientiam habens peccati mortalis celebret, non præmissa confessione, licèt moraliter de eo se cognoscat contritum, aut attritum.

SEC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Grauissimum est sacrilegium accedere ad Sāctissimum Eucharestia Sacramentum, cùm conscientia peccati mortalis, confessione non præmissa.*
Memorantur, quę suprà tractata sunt circa Sanctissimum Eucharestia Sacramentum, vide addit. cum duab. prop. damnatis.

1 Hanc difficultatem latè disputauimus sup. *tom. 1. §. 2. disp. 2. sec. 7.* vbi *conclusione 5.* ostendimus grauissimum sacrilegium esse accedere regulariter ad Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum conscientia peccati mortalis, non præmissa confessione, & *concl. 6.* similiter ostendimus casus, in quibus potest quis communicare; & sacrificium Missæ celebrare cum sola contritione, non pręmissa confessione, licèt conscientiam habeat peccati mortalis: Cui sectioni nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Eadem *disp. 2. sec. 1.* egimus, an, & quando peccent accedentes ad Sanctissimam Eucharestiam non ieiuni: Et signanter *concl. 2. lim. 3. & concl. 3.* tractauimus de casibus, in quibus Sacerdos non ieiunus potest consecrare, & communicare citra omnem culpam. Eadem *disp. sec. 2. concl. 3. vers. Cæterum*: egimus de munditia corporali, & deuotione Sacerdotum, quas habere debent in sacrificando. Tractauimus quoque *sec. 12.* de materia tanti Sacramenti: & *sec. 13.* an, & quando peccent Sacerdotes latini consecrando in fermentato: & Sacerdores Græci in azimo: & *sec. 14.* an peccet Sacerdos celebrans in alia specie vini, quam ex vite. *Sec. 15.* pariter egimus, an sit contra reuerentiam tanti Sacramenti consecrare in speciebus vini, aqua non permixti. Et *sec. 16.* quoque tractauimus de Sacerdote consecrante in magna, vel minima quantitate specierum panis, & vini, an peccet. Et an culpam contrahat consecrando vnam partem hostiæ, & non aliam, vt *sec. 17.* & an, & quando peccet Sacerdos alterādo formam consecrationis, latè explicauimus *d. disp. 2. sec. 18. & disp. 3. sec. 2.* egimus pariter, an plures Sacerdotes possint consecrare vnam hostiam. Et denique *disp. 5. per totam*, vidimus, quibus casibus Sacerdos peccet ministrando Sāctissimum Eucharastiæ Sacramentum alijs; aut negligens existens non ministret. Vnde cùm in dictis locis disputauimus de nonnullis alijs peccatis, quæ contrahere possunt Sacerdotes, vt Sacerdotes sunt, idcircò ad suprà relata loca nos remittimus, & finem imponimus præsenti disputationi duodecimæ. Addendo dumtaxàt duas propositiones damnatas ab Alex. VII. Pōt. Max. vna est: Mandatum Tridentini Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum: altera est: illa particula, quamprimum intelligitur, cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

De Confessarijs, & culpis, in quas incidere possunt, vt tales sunt, à discreto, ac cauto Confessario, cum sibi videbitur, explorādis.

DISP. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Experientia docet nonnullos Cōfessarios, adeò esse ignaros, vt non minus discreti, ac cauti Confessarij auxilio indigeant in eorum peccatis inuestigandis, quam alij rudes, & indocti pænitentes.*

1 In audiendis Confessariorum confessionibus licèt regulariter non sit Confessario elaborandum in explorandis, ac inuestigandis eorum culpis, vt tales sunt, cùm supponi debeant sufficienti prudentia, bonitate, ac scientia prædiri; nihilominus, quia experientia docet, nonnullos Confessarios adeò esse ignaros, vt non minus discreti, ac cauti Confessarij auxilio indigeant in eorum peccatis inuestigandis, quàm alij rudes, ac indocti pœnitentes; idcircò hoc loco operepretium esse duximus de pręcipuis Confessariorum peccatis agere, quæ vt Confessarij sunt possunt contrahere. Hanc igitur disputationem per duas tantùm sectiones absoluemus: in quarum prima, quoniam multa diffusè cumulauimus de quibusdam Confessariorum culpis suprà hoc nostro §. 3. *disp. 1. 2. & 3.* idcircò eas breuiter attigentes, ad dictas disputationes nos remittemus, ne bis idem repetere videamur. In

altera verò *sec.* de nonnullis alijs Confessariorum culpis succinctè, quoad fieri potest, Deo duce, agemus.

De quibusdam præcipuis Confessariorum culpis, breuiter attigendis, suprà *disp.* 1. 2. & 3. fusiùs explicatis.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 PRimò peccant Confessarij, qui cùm idonei non sint, ad audiendas confessiones se exponunt. Siuè confessiones audiant in eis se spontè ingerentes, siuè ex charitate, siuè ex obedientia, siuè ex vi muneris easdem excipiant, vt latè suprà ostendimus *disput.* 3. *sec.* 1. *conclus.* 4. quam conclusionem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus: & *concl.* 5. sufficienter documus, quisnam Confessarius idoneus dicatur ad confessiones excipiendas.

2 Secundò peccant Confessarij si existentes in peccato mortali confessiones audiunt, vt suprà probauimus *disp.* 1. *sec.* 1. & conclusionem ipsam multipliciter quoque ampliauimus, ac limitauimus. Et signanter *ampl.* 2. ostendimus, quòd si Confessarius in mortali permanens censura aliqua sit alligatus, & pœnitentiæ Sacramentum ministret, non solùm nouam culpam contrahit, imò grauiorem, sed etiam irregularis efficitur. Est tamen verum, quòd ibidem in multis casibus probauimus Confessarium excommunicatum, suspensum, aut interdictum ministrantem Sacramentum pœnitentiæ excusari ab irregularitate, ac etiam à peccato. Sed *ampl.* 5. non excusauimus pœnitentem à lethali culpa, qui sciens Confessarium nolle conteri de peccato, in quo permanet, induxit eum ad ministrandum sibi pœnitentiæ Sacramentum.

3 Tertiò peccant Confessarij, si confessiones audiant principaliter, propter lucrum, & bona aliqua temporalia, quoniam tunc contrahunt simoniam, vt in *d. disp.* 1. *sec.* 2. *vers. Confessarius igitur*, ostendimus, vbi etiam probauimus cōmittere simoniam Parochum, qui Parochiano suo non vult dare licentiam alteri confitendi, nisi pro pecunia. Ostendimus tamen in *d. sec.* 2. *vers. Esset præterea: & vers. Hac eadem ratione*, quod licèt simoniæ crimen sit intendere aliquod temporale pro labore intrinsecè adiuncto Sacramento; non tamen simonia est intendere temporalia pro labore extrinsecè Sacramento adiuncto; vel pro concione, pro lectione Sacræ Scripturæ, & pro alijs eiusmodi. Imò ibidem probauimus, *vers. Dicitur pariter*, Confessarium committere simoniam si pro audiendis confessionibus Episcopatum principaliter intendat, Canonicatum, laudem, aut humanum honorem, vel fauorem: quod tamen quomodo verum sit, ibi declarauimus.

4 Quartò aliquando Confessarij peccant etiam mortaliter excitando pœnitentes, vt ad se veniant ad confitendum non solum peccato scandali; sed etiam peccato auaritiæ, ità vt sæpè restitutioni efficiantur obnoxij ob damnum huius rei causa alteri illatum, vt patet ex ijs, quæ suprà adnotauimus *disp.* 2. *sec.* 1. vbi etiam egimus, quando Confessarius citra omnem culpam possit excitare alterius pœnitentem ad sibi confitendum.

5 Quintò peccant Confessarij, si in audiendis confessionibus irrationabiliter acceptionem habeant personarum, propter diuites, ac magnates dimittentes pauperes; vt suprà adnotauimus *d. disp.* 2. *sec.* 2. vbi quoque probauimus, quando citra culpam id à Confessarijs seruari possit. Et qualiter Confessarius erga pœnitentem beneuolum se debeat ostendere: & quando rigidis verbis vti debeat in audiendis maximè mulierum confessionibus.

6 Sextò peccant Confessarij impendentes absolutionem pœnitentibus ignorantibus rudimenta fidei, & quæ explicitè tenentur credere, vt patet ex ijs, quæ cumulauimus *d. disp.* 2. *sec.* 1. *vers. Ea verò*, vbi docuimus quoque, quę sint à fidelibus credenda, & necessariò edicenda necessitate salutis.

7 Septimò peccant Confessarij, si aduertentes pœnitentem non adhibuisse debitam diligentiā in memorandis peccatis, ipsum absoluant. Etenim

nim pœnitens antequam ad confessionem accedat obligatur diligentem suæ conscientiæ discussionem præmittere, aliàs nulliter absolutionem suscipit, exceptis tamen casibus à nobis relatis suprà *d.disp.2.sec.2.vers.Post hæc,& ver. Est tamen verum*, ac *vers. In multis alijs*, vbi etiam *vers.Debet*, egimus, an, & quando Confessarius debeat pœnitentem non audire, qui pœnitentias, seu Sacramentales satisfactiones aliàs iniunctas non adimpleuit.

8 Octauò peccant Confessarij absoluentes pœnitentes non præmissa satisfactione, ac debita restitutione ob damnum illatum proximo in fama, honore, in corpore, vel in bonis, tàm temporalibus, quàm spiritualibus, quod tamen quomodo procedat, satis declarauimus *d. disp. 2.sec.2.vers.Quo verò ad satisfactionem,versic. Vndè si pœnitens, vers. Est tamen, & vers. Fatemur tamen*, vbi enumerauimus quamplures casus, in quibus potest pœnitens absolui, non præmissa restitutione; etiam si ter, quater, ac pluries fuerit confessus, & absolutus cum proposito restituendi, & tamen non restituit.

9 Nonò peccat Confessarius, si indiscretè immoratur plusquam necessitas confessionis exigat, in audiendis maximè mulierum confessionibus, præsertim si indè scandalum patiantur astantes, vt de hac re suprà egimus *disp.3.sec 2.*

10 Decimò possunt peccare Confessarij in audiendis confessionibus mulierum, etiam spiritualium, contrahendo cum eis nimiam, ac periculosam familiaritatem, vt de hac materia loquentes multa cumulauimus *d.disp.3.sec.3.* vbi quoque tractauimus de grauitate, & pœnis criminum, quæ ex tali familiaritate indiscreta oriri solent inter Confessarium, & pœnitentes.

11 Vndecimò peccant grauissimè Confessarij ad turpia sollicitantes pœnitentes, vt patet ex his, quæ diximus *d. disp.3.sec.4* vbi quoque *sec.5.6.& 7.* egimus de huius sceleris grauitate, ac pœnis: de ipsius criminis iudice competente, qualiter in eo procedatur: & quæ nam probationes satis sint ad carcerandum, & puniendum Confessarios sollicitantes.

12 Duodecimò peccant, si audientes confessiones mulierum, aut puerorum dicentium fuisse sollicitatas, seù sollicitatos ad turpia à proprio Confessario, eos non monent, & obligant ad denunciandum talem Confessarium: quod satis suprà explicauimus *d.disp.3.sec.10. ampl.5.& per totam*, siuè sollicitati masculi sint, siuè fœminæ. Videatur tandem tota dicta *disp.3.* cum omnibus suis sectionibus; quoniam in eis continetur integer, ac completus tractatus de sollicitatione ad turpia in confessione, non solùm per Confessarios sollicitantes pœnitentes; sed etiam per pœnitentes sollicitantes Confessarios, aut quocunque modo in confessionario fiat sollicitatio ad turpia per quoscunque, etiam laicos fingentes esse Confessarios: & quomodo huius criminis cognitio spectat ad Tribunal Sacræ Inquisitionis.

De alijs præcipuis culpis, in quas incidere possunt Confessarij, vt Confessarij sunt.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Confessarij, qui mulierum maximè rudium, ac puerorum audiunt confessiones, eosque ad dignè, ac validè absolutionem suscipiendam non disponunt.*

2 *Peccant Confessarij interrogantes pœnitentes de his, quæ ad confessionem non pertinent, ex sola delectatione, & curiositate.*
Sic etiam peccant, si pœnitentes non interrogant de circumstantijs, mutantibus speciem.

3 *Peccant Confessarij qui, vt citius ab audiendis confessionibus se expediãt, pœnitentes non interrogant de numero peccatorum.*

4 *Peccant Confessarij qui pœnitentes excommunicatos absoluunt, priusquam ab excommunicatione absoluantur, & Sacramentum nulliter impendunt.*

5 *Peccant Confessarij in impendenda absolutionis forma, & multipliciter, nempè si absoluant. vsurarios, incendiarios, raptores manifestos. &c. non præmissa satisfactione.*

6 *Similiter peccant Confessarij absoluentes à censuris Bullæ Cœnæ, nisi metu mortis id faciant, vel credentes habere facultatem.*
Et in quibus alijs casibus peccent Confessarij intra Italiam. Vbi vide etiam add. cum tribus propositionibus damnatis ab Alexãd. VII.Pont. Max

7 *Peccant Confessarij, qui fidelium confessiones audiunt, cum approbati non sint ab ordinario.*
Sic etiam si irrationabiliter denegant absolutionem pœnitentibus, multoque magis, si eorum culpa aliquis inconfessus moriatur.

8 *Confessarius, & si semper debeat pœnitenti cõsulere, quod tutius est, potest tamen se conformare opinioni pœnitentis.*

9 *Confessarius pœnitentis opinionem tunc sequi debet, cum est probabilis, secus si improbabilis est.*
Quæ nam opinio dicatur probabilis, vel improbabilis.

10 *Peccant quoque Confessarij si sine iusta, & rationabili causa absolutionem differant. An, & quando sit differenda absolutio. Et quæ nam sit iusta causa ipsam differendi.*

11 *Est pariter rationabilis causa absolutionem differendi, si pœnitens nunquam adimpleuit pœnitentiam, pluries sibi impositam, sic si pluries promisit proximam occasionem vitare.*

12 *Peccant Confessarij, si pœnitentibus non præcipiant, proximiorem non dimittere occasionem.*
Quando contingat, pœnitentes esse in occasione proxima peccandi.

13 *Adolescentes, qui inter mulieres versantur, emendo, vendendo, choreas ducendo, & c. absolui possunt, quamuis occasionem dimitte-*

tere non promittant.

14 *Artifices, qui artem exercent, tùm licitam, tùm illicitam, quam nunquam, aut raro citra culpam sunt experti, absolui non possunt, nisi eam relinquere promittant.*

Quid si ars ex se sit licita, & solùm reddatur mala ex malitia exercentis.

15 *Peccant Confessarij, si non perceptis peccatis pœnitentium ex imperitia linguæ, dormitione, aut mentis distractione easdem absoluãt.*

An si pœnitens absolutus sit coram Deo.

16 *Peccant Confessarij si post absolutionem impensam aduertant, errasse ex defectu potestatis, aut alterius rei, eosque non moneant, cum possint.*

17 *Grauissimè peccant Confessarij, & grauissimis plectuntur pœnis, si pœnitentium confessiones reuelent, atque ideò sigillum violent Sacramentale.*

18 *Peccant monialium Confessarij, tùm ordinarij, tùm extraordinarij, ingredientes ipsarum Monasteria absque necessitate.*

Quomodo intelligẽda sit facultas ipsis data ab Episcopo, vel alio ordinario ingrediendi in ipsa. Vide addit. cum quatuor propos. damnatis ab Alex. VII. Pont. Max.

1 VLtra casus relatos suprà *sec. præced.* sunt; & alij casus, in quibus Confessarij possunt lethalem culpam contrahere. Vnde peccant quoque Confessarij. Primò si mulierum maximè, rudium, ac puerorum confessiones audientes, non disponant eos ad absolutionem dignè, ac validè suscipiẽdam eosdem edocentes in quo consistat contritio, & attritio, atque ideò interrogantes, an velint quodcunque malum subijsse, quàm Deum offendisse: & quodcunq; malum subire, quàm Deum offendere, quæ sũt requisita ad formalem contritionem, vt suprà ostendimus *tom. 1. §. 1. disp. 6. sec 4.* Vel si non possunt disponi ad veram, ac perfectam contritionem, disponantur saltem ad imperfectam contritionem, nempè ad attritionem, quæ satis est ad dignè, ac proficuè suscipiendam Sacramentalem absolutionem, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *d. disp. 6. sec. 5.* In hoc enim Confessarius debet esse valdè discretus, ac cautus eiusmodi simplices pœnitentes interrogans de conditionibus, & actibus requisitis ad contritionem, vel ad attritionem potius quàm, an sint attriti, vel contriti; quoniam id facilè affirmant, sed nec attritionem quidem habent, & absolutionem non suscipiunt; nec ignorantia ipsos excusat, cùm vnusquisque teneatur scire, quæ necessaria sunt ad salutem, vt latè de hac re egimus suprà in hoc *2. tom. disp. 2. sec. 1.* & paulò suprà innuimus *sec. præcedenti*, *vers. Sextò peccant Confessarij.* Vndè tàm pœnitens ignarus, quàm Confessarius in his negligens in eadem dannatione constituuntur; & cum cæcus cœcum ducat, ambo in foueam cadunt, vt in *cap. 1. de pœnit. dist 6.* vbi monentur pœnitentes, vt Sacerdotem scientem eligant, cui confiteantur, his verbis: *Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & soluere: ne cùm negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant.*

2 Secundò peccant Confessarij interrogantes de ijs, quæ ad confessionem non pertinent ex sola delectatione, aut curiositate: siquidem circumstantiæ impertinentes non sunt materia Sacramentalis confessionis, quia non augent, nec minuunt malitiam peccati, & sunt contra confessionis puritatem, quæ esse debet absque admistione historiarum, fabularum, & aliarum rerum ad confessionem impertinentium, & aliquando dicuntur à pœnitentibus ad excusationem peccati, vt suprà ostendimus *tom. 1. §. 1. disp. 5. sec. 3. concl. 1.* Item peccant Confessarij, si pœnitentes non interrogent de circumstantijs mutantibus speciem peccati, aut notabiliter aggrauantibus, si viderint pœnitentes ipsos in hoc defecisse, de quibus circumstantijs latè egimus *d. sec. 3. concl. 3. 4. 5. & 6.* Caueant tamen in interrogandis pueris, & puellis, ne si discretione, ac prudentia non vtantur, doceantur ab eis peccare potius, quàm de peccatis commissis pœnitentiam agere. Quapropter optimũ consilium est illud, quod in hac re præbuit *D. Anton. 3. p. sua sum. tit. 14. c. 17. §. 5.* quem sequitur *Suar. de pœnit disp. 32 sec....* & alij dicentes debere Confessarium personas eiusmodi paulatim interrogare; & primò à remotis, an scilicet Dæmon prauam aliquam tentationem eis suggesserit? Et si ità esse dicant, tunc Confessarius vlterius progrediendo, iterum eos interroget, an consenserint. Et si suggestioni consensum præstitisse affirment, interroget eosdem tertiò, an ad actum deuenerint. Et si id fateantur, tunc deueniat ad circumstantiarum interrogationes.

3 Tertiò peccant Confessarij, qui vt citius ab audiendis confessionibus se expediant, negligunt interrogare pœnitentes de peccatorum numero: siquidem peccatorum numerus pertinet ad integritatem confessionis, vt de hac re latè egimus *tom. 1. §. 1. disp. 6 sec. 4.* cuius conclusionem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus; atque ideò ijs, quæ in *d. sec.* cumulauimus nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

4 Quartò peccant Confessarij absoluentes pœnitentes excommunicatos à peccatis prius quã ab excommunicatione, & Sacramentum nulliter impendunt; cùm excommunicatus etiam minori excommunicatione Sacramentorum vsu sit ipso facto priuatus, vt in *cap. si celebrat de Cler. excomm. ministr.* latè *Nauar. in cap. fratres, de pœnit. d. 5 num. 38.* Quod verum est, nisi Confessarius pœnitentem absoluens velit impendere omnem, quam iustè potest absolutionem, vt suprà ostendimus *tom. 1. §. 1. disp. 11. sec. 3. in resp. ad primum.* Non tamen quidã volunt id verum esse, si Confessarius adderet à peccatis; quod nobis videtur valdè dubium, vt ibidem diximus.

5 Quintò peccant Confessarij in impendenda absolutionis forma multipliciter. Etenim peccant absoluentes vsurarios, maximè publicos non præmissa restitutione contra dispositionem *tex. in cap præterea de vsur.* Peccant pariter Cõfessarij absoluentes incendiarios inuitos, mandantes, & consulentes, non præstita satisfactione, nec delato iuramento de non incendendo in futurum, iuxtà *tex. in cap. pessimam, 23. q. 8.*

Idem

Idem dicendum est de mutilantibus, vt in *cap. membrorum, ead. cauf. & q.* Prætereà peccant Confessarij absoluentes raptores manifestos; nō præuia satisfactione, aut cautione de satisfaciendo, *cap. super eo de raptor.* quod intellige iuxtà ea, quæ habentur ex *Syl. in sum. verſ. Cōfessor, 4. q.* Peccant quoque Confessarij absoluētes sacrilegos, qui de loco sacro aliquid iniustè abstulerunt, aut Ecclesiasticis iniuriam intulerunt; nisi prius moniti satisfecerint, vt colligitur ex *tex. in cap. si inuentus, 17. q. 4. & Syl. loco citato, qu. 7.* Rursùs, peccant Confessarij absoluentes excommunicatos, non præuia satisfactione, & iuratoria saltem cautione de parendo mandatis Ecclesiæ, cum proposito non contraueniendi in futurum, nec similia committendi; & si absoluāt ab excōmunicationibus in Bulla Cœnæ contentis ob statutum editum contra liberalitatem Ecclesiasticam, non præuia reuocatione statutorum, & quòd de ea certior fiat Romanus Pontifex: quæ omnia quomodo vera sint, diffusè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 4 q. 2.* Item peccant Confessarij absoluentes à censuris in Bulla Cœnæ contentis, in articulo mortis, non præmissa cautione iuratoria de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo, & aliàs absolutio nulla est, vt diximus in *d. lib. 3. d. Commentar. §. 2. q. 17. concl. 2. num. 13.* Peccant etiam Confessarij

6 absoluentes à censuris in Bulla Cœnæ reseruatis, non præmissa facultate à Romano Pontifice, & insuper sunt excommunicati, vt latè rem hanc explicauimus *d. lib. 3. nostr. Commentar. §. 3. q. 1.* Quod tamen limitatur, nisi metu mortis eiusdem absolutionem impenderint, aut bona fide credentes facultatem habere, vt ibide probauimus *q. 3.* † Vbi adde, quòd Alex. VII. Pont. Max. damnauit sententiam asserentem: Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Concistorio Sacræ Congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, & tolerata est. Et altera sententia damnata ab eodem præfato Summo Pontifice est: Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscunque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione, propter eam incursa: & insuper addo aliam, quæ hic etiam videtur habere locum, quæ est ex numero damnatarū, videlicet: Quamuis euidenter tibi constet Petrū esse hæreticum, nō teneris denunciare si probare non possis. Idem dicendum est de Confessarijs intrà Italiam, extrà Vrbem absoluentibus ab excommunicationibus latis contra violantes immunitatem Ecclesiasticam, contra simoniacos, ab excommunicationibus, & casibus, quos ordinarij locorum sibi reseruarunt, & reseruabunt: & alijs, de quibus in Decreto Clem. VIII. & eiusdem declarationibus, & confirmatione à nobis relatis de verbo ad verbum in *d. nostr. Commentar. §. 2. qu. 1.* Denique peccant Confessarij absoluentes ab omnibus alijs casibus, & censuris, à quibus absoluendi facultatē non habent; & insuper absolutio nulla est; sicut in alijs suprà relatis casibus: non tamen sunt excommunicati; nisi specialiter in Synodalibus Concilijs locorum feratur, cùm in iure expressa non habeatur.

7 Sextò peccant Confessarij, qui cùm approbati non sint ab ordinario, nec specialem facultatem habeant à Sum. Pontifice, fidelium confessiones audiunt: & cùm non valeat absolutio tenentur admonere pœnitentem de inualiditate confessionis. Idem dicendum est de dispensante sine auctoritate.

Septimò peccant Confessarij si irrationabiliter denegant absolutionem pœnitentibus: & multò magis si eorum culpa aliquis moriatur absque confessione, vt declarat *Molfes. 1. p. sua summ. tr. 8. cap. 12. num 33. & Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 2 cap. 50.* Irrationabiliter autem ac iniustè dicitur Confessarius denegare pœnitenti absolutionem, non solùm si apertè constat de tali iniustitia, cùm ex parte pœnitentis omnia requisita concurrant, & ex parte Confessarij non desit potestas; sed etiam quando Confessarius idcircò absolutionem denegat; eo quòd nolit sequi probabilem opinionem pœnitentis. Etenim Confessarius tenetur cum ipsius pœnitentis probabili opinione se conformare, vt latè probat *Sayr. lib. 1. Clau. Reg. cap. 9. Sanchez. lib. 1. Decal. cap. 9. Reginald. lib. 13. sua prax. num 89.* qui latè quoque tractant, an, & quando quis sequi possit non solùm hoc casu; sed etiam in iudicando in foro ciuili opinionē probabilem contra probabiliorem. Imò *D. An-*

8 *tonin. 1. par. tit. 3. cap. 10. regula 6. & Clarius 3. p. tit. 17. cap. 17 §. 2.* inquit, quod licèt Confessarius semper debeat pœnitenti consulere, quod tutius est, iuxtà *tex. in cap. iuuenis, de spōsal.* vbi in aliqua materia sunt variæ opiniones quamplurium, ac solemnium Doctorum, an hoc licitum sit, vel ne; potest tamen se conformare opinioni pœnitentis; quamuis non sit tuta; atque ideò non debet condemnare contrariā opinionem tenentes, nec ob id debet denegare absolutionem; sed satis est si Confessarius dicat, quod illud faciendo non est tutum; sed dubium; idcircò benè sibi consulat. Hanc eandem sententiam tenet *Nauar. in cap. si quis autem, de pœnit. d. 7. num. 5. & seq. Suar. de censur. disp. 40. sec. 5 num. 6. Azor. par. 1. instit. moral. lib. 2. cap. 12. q. 2. Salon. tom. 1. q 63. ar. 4. controu. 2. concl. 4 Vasq. 1. 2. q. 64. cap. 4.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. loco citato, & P. Iustinian. de continuat. camb. q. 13. num. 16.* & ponūt exemplum in censibus, in acquisitis per ludum, & in alijs eiusmodi: qui quidem contractus à nonnullis Doctoribus fuerūt damnati, & proptereà eorum opinio est tutior; & nihilominus contraria est probabilior, & in practica magis recepta.

9 Dixi: *Quòd Confessarius debet sequi opinionē pœnitentis, quando talis opinio est probabilis:* quoniam secus esset dicendum si probabilis nō esset, vt habetur ex *Sayro*, & alijs Doctor. quos refert, & sequitur *Iustinian. loc. cit. sub nu. 20. in fine*, & ex alijs relatis per *P. Molfes. par. 1. sua summ. tract. 8. cap. 9. num. 70.* vbi etiam *num 84 85. & 86.* post alios explicans opiniones probabiles, & improbabiles, ait, quòd opinio probabilis dicitur, quæ soluit argumenta in contrarium: habet graues pro se rationes, & eisdem adhærent alicuius auctoritatis Docto-

res.

tes. Imò auctoritas quoque vnius Doctoris probi, ac Classici reddit opinionem probabilẽ, quando probabilibus maximè rationibus eam probat: quod quidem verum est præcipuè, quãdo res esset dubia, in qua nulla adesset lex, vel maiorum auctoritas in contrarium, vt per *D. Thom.* & alios relatos à *Sanch. loc. cit. num. 7. & seq. & Molfes. d. cap. 9. num. 81.* At si opinio illius Doctoris quantumuis Classici, aut Docti esset contra communem sententiam, & communem praxim, præsertim si probabilibus non sit fulcita rationibus, non potest dici probabilis; sed potius improbabilis, & illi non esse deleu: adhærendum, inquit *D. Antonin d. art. 2. circ. fin* vbi etiam ait, quòd si omninò consciẽtia Confessarij dictaret tale factum esse mortale, nec posset conscientiam deponere (quod tamen deberet ad consilium sapientum) nullo modo deberet contra conscientiam agere; aliàs lethalem culpam contraheret, iuxtà *tex. in c. omnes deinceps, §. ex his, 28. q. 1.* Siquidem improbabilis opinio illa dicitur, quæ est contra alios, & nullum habet argumentum ad minus apparens: & si est contra communem Doctorum sententiam sine graui fundamento, dicitur temeraria; sicut temeraria quoque appellatur illa opinio; quæ vel est contra communem doctrinam Ecclesiæ, etiam si talis doctrina non sit de fide: vel quoties est contra conclusionem euidenter deductam à principijs fidei. Ità post *D. Thom. 2. 2. q. 11. ar. 2.* & alios, inquit *Molfes. d. cap. 9. num. 86.* vbi etiam *num. 83.* cum sententia magis recepta, illam opinionem probabiliorem esse, probat, quæ fortiora habet argumenta pro se; quamuis minorem Doctorum multitudinẽ.

10 Octauò peccant Confessarij, non solùm si absolutionem iniustè, ac irrationabiliter denegent; sed etiam si sine iusta, ac rationabili causa eam differant. Etenim citra grauem causam, & magnam considerationem, quæ cedat in bonum confitentis non est differenda absolutio: siquidem Confessarius, audita peccatorum confessione, si cognoscit, aut cognoscere debet, pœnitentem esse benè dispositum ad suscipiendam absolutionem, iniuriam illi infert, si absolutionem non impendat: nam sicut ratio iudicij expostulat, vt pœnitens teneatur Confessario obedire; ità etiam ex vi rationis eiusdem iudicij tenetur Confessarius pœnitentem benè dispositum statim absoluere, etiam si tantùm venialia habeat: quapropter mortaliter peccaret differendo, vt latè habetur ex *Suar. de pœnit. disput. 32. sec. 5.* Causa verò rationabilis differendi absolutionem, arbitrio prudentis Confessarij regulariter remittitur. Vera tamen est, ac rationabilis causa differendi absolutionem pœnitenti benè disposito si pluries promisit restituere, & non restituit, iuxtà ea, quæ suprà adnotauimus *disp. 2. sec. 2. vers. Quo vero ad satisfactionem, vers. Est tamen, & vers. Fatemur tamen; & sec. praced. vers. Octauò peccant:* quo casu nõ solùm Confessarius potest, sed etiam debet differre absolutionem, aliàs peccat.

11 Rationabilis causa differendi absolutionem pœnitenti pariter est, si pœnitenti pluries in alijs confessionibus fuerit iniuncta pœnitentia, & nunquam eam adimpleuit, tunc enim Confessarius rationabiliter potest differre absolutionem, donec pœnitentias sibi iniunctas compleat. Idem dicendum est si probabiliter dubitet satisfactionem sibi iniunctam non impleturum, si absoluat. Erit quoque rationabilis causa differendi absolutionem, si pœnitens pluries promisit proximam peccandi occasionem vitare, & non vitauit, vt paulò infrà melius declarabimus. Et denique si pœnitens esset valdè recidiuus in aliquo peccato.

12 Nonò peccant Confessarij si non præcipiant pœnitentibus proximam peccandi occasionem dimittere: quæ dicitur talis, quia vel est in se peccatum mortale, vel est talis occasio pecularis, qua credit, aut credere debet Confessarius, aut pœnitens nunquam, vel rarò se vsurum esse ea, citra lethalem culpam. Siquidem pœnitens, nisi statuat occasionem eiusmodi vitare, non potest dici bene dispositus ad suscipiendam absolutionem, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap 3 num. 14. Cord. in summ q. 4 Lopez in suo instr. par. 1. cap. 19. Rodriq p. 1. sua summ. cap. 49 concl. 2* & alij. Benè verum est, quòd sæpè contingit aliquos esse in occasione propinqua peccandi ex eo, quòd habitãt in eadem domo, & vt plurimum peccant; & nihilominus, ait *Nauar. loco citato, num. 15.* posse eos absolui, non præmissa separatione, quatuor copulatiuè concurrentibus. Primò scilicet, vt isti tales veram habeant detestationem peccatorum præteritorum. Secundò, vt verè, sufficienter proponant non peccare de cætero, cùm se inuenerint in tali occasione. Tertiò, quòd credant Deo adiuuante, in dicta occasione positos se non peccaturos. Quartò demum, quod adsit aliqua causa rationabilis non se separandi à tali occasione: vt quia non possint citra infamiã, aut magnum incommodum, ac detrimentum separari. Quam quidem regulam limitat *Lopez loco citato, cap. 21. vers. Igitur dubium. Nauar.* quando occasio non esset adeo vehemens: neque personæ adeò procliues, & fragiles, vt de emendatione sit desperandum ob experientiam toties repetitam. Cæterum quoad adolescen-

13 tes, qui versantur inter mulieres, emendo, vendendo, choreas ducendo, &c. nec habitant simul, licet aliquando peccent voluntate, verbis, tactibus impudicis, ac etiam copula, possunt absolui, etiam si occasionem non promittant dimittere; quoniam talis occasio non diceretur eis propinqua: secus autem si sæpè; aut semper in illa occasione positi experti sunt lethalem culpam contrahere; tunc enim talis occasio esset illis propinqua peccandi, vt contra nonnullos probat *Lopez d. p. 1. sui instr. c. 20. Rodriq. par. 1. sua summ cap. 49* & colligitur etiam ex *Nauar.* vbi suprà, *num. 14.* dum ait, quod occasio propinqua, à qua tenetur pœnitens se abstinere, non solùm est illa, quæ in se est peccatum mortale; sed etiam ea, quæ adeò est pecuharis, vt Confessarius, aut pœnitens, aut credere debeat nunquam, aut rarò se vsurum, & citra mortale peccatum. Vndè artifices artem

14 exercentes illicitam, aut licitam, quam nunquam, aut rarò citra culpam sunt experti, vt Sutores, Milites, Negotiatores, &c. non possunt absolui, nisi promittant artem relinquere. Et idem dicendum est, quoad illam partem artis, quæ proximam porrigit peccandi causam, vt ha-

habetur ex *Lopez loc. cit. cap. 21. vers. Ex quo infero*. Pro qua sententia facit *tex. in cap. falsus, & cap. negotium, de pœnit. d. 5.* Est tamen verum, quòd quando ars est in se licita, & solùm redditur mala ex malitia exercentis, licèt Confessarius, & pœnitens credant, quòd nisi ipse pœnitens se abstineat, aliquando peccabit mortaliter, tunc iste talis non tenetur proponere talem artem non exercere; sed tantùm proponere, Diuina succurrente gratia, in illa amplius non peccaturum: siquidem tunc ars illa eiusmodi pœnitenti non dicitur occasio proxima peccandi, sed tantùm remota, vt habetur ex *Nauar. in d. cap. 3. num. 5. Lopez d. cap. 19 propos. 7. Cord. in sua summ quæst. 4. & Rodriq. par. 1 sum. cap 49.*

15 Decimò peccant Confessarij si pœnitentium peccatis non perceptis, ex imperitia linguæ, ex dormitatione, aut mentis distractione, eisdem absolutionem impendant. Etenim Confessariũ oportet cognoscere, quicquid debet iudicare, vt in *cap. 1. §. caueat, de pœnit. d. 6* aliàs absolutio est nullius momenti, & tenentur eiusmodi pœnitentibus, vt confessionem iterent. vt habetur ex *D. Antonin* post alios *par. 3. tit. 17. cap. 15.* vbi etiam addit, quòd si pœnitens non perpenderit, non fuisse absolutum à Confessario, nec ab eo intellectum, tunc absolutus est coram Deo: nec tenetur iterare confessionem, quousque ignorat illum non percepisse. Quæ quidem intelligenda sunt, quoad peccata mortalia; quoniam venialia non sunt materia necessaria confessionis. Verum tamen est, quod licet pœnitens in tali casu non teneatur iterum confiteri venialia; nihilominus si tota confessio fuit venialium, & Confessarius nullum veniale perceperit, absolutio ab eo impensa est nullius momenti, cùm lata sit super incognita, iuxtà ea, quæ habentur in *d. cap. 1. §. caueat.*

16 Vndecimò peccant Confessarij si post absolutionem impensam aduertant eos errasse ex defectu potestatis, aut alterius rei; & pœnitentes non aduertant, cum possint postquam ad id tenentur si citra scandalum fieri potest. Non tamen habita potestate Confessarius poterit absoluere pœnitentem absentem, & iàm si ab vltima confessione probabiliter credat, eum perseuerare in gratia, cùm hodiè ex Constitutione Clem. VIII. sit damnata opinio dicentiũ, posse impendi absolutionem Sacramentalem in absentiam pœnitentis, vt latè de hac re egimus *tom. 1. §. 1. disp. 11. sec. 1. conclus. 7 per tot.*

17 Duodecimò peccant grauissimè Confessarij, & grauissimis pœnis plectuntur, reuelantes confessiones eorum pœnitentium, atque adeò Sacramentale sigillum violantes, vt habetur ex nostro capite, in illis verbis: *Caueant autem omninò, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali indicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum*. Quando autem intelligatur violatum sigillum confessionis, & reliqua ad hanc materiam pertinentia infrà, Deo duce agemus *disp. vlt.* de sigillo confessionis agentes.

18 Tertiodecimò peccant Confessarij monialium, tàm ordinarij, quàm extraordinarij ingredientes monialium Monasteria absque necessitate, etiã si facultatem ingrediendi habeant ab Episcopo, aut ab alio monialium ordinario; quoniam eiusmodi licentia intelligenda est in casibus necessarijs tantùm, vt patet ex Constitut. Gregor. XIII. edita sub die 24. Iunij 1575. quã refert *Steph. Quaranta in Summ. Bull. in vers. Monasteria Monialium*. Imò ipsæ quoque Moniales in excommunicationem incidunt admittentes aliquem intra Claustra prætextu licentiarum ab Episcopis, vel Superioribus obtentarum, citra vrgentem necessitatem, vt in d. Gregoriana fuit quoque statutum. Adde, quòd tàm Confessarij Sæculares, quàm Regulares debent specialiter approbari ab ordinario pro audiendis confessionibus monialium: nec satis est approbatio generalis, etiam si agatur de monialibus, Regularibus subiectis, vt patet ex Constitut. Gregor. XV. & declaratione Sacræ Congreg. quas suprà retulimus *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 2. concl. 7. vers. Cæterum licet.*

† Adde, aduertat hic prudens, & cautus Confessarius, quòd posteaquam fuit in lucem editus *primus Tomus in cap. omnis vtriusque sexus, &c.* fuit damnata sententia *Paludani, Gabrielis*, & aliorum ab Alex VII. Pont. Max. quæ sic asserebat, qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ; quæ licet impugnata fuit strenuè, & validis argumentis ab ipso meo patruo in illo *primo tom. §. 1. disp. 2. sec. 1.* nihilominus modo amisit etiam omnem probabilitatem. Sicuti etiam sunt damnatæ à præfato Sum. Pontifice sequentes, v3.

Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere.

Satisfecit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.

Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

Hic etiam operè pretium esset recensere ob maiorem cautionem, omnes alias propositiones damnatas ab ipso Sum. Pont. Alex. VII. in Congregatione Generali feria 5 die 24. Septembris 1665. & fer. 5. die 18. Martij 1666. sed quia ferè omnes partim diuisè suis locis sunt positæ, & partim sparsim apponendæ, ideò ibi me remitto; ne iterum, atque iterum eas repetamus.

De Diaconis, ac Subdiaconis, & culpis, in quas incidere possunt, vt tales sunt, à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Diaconatus ordo est in Ecclesia Dei antiquissimus.*

simus, & à quo tempore fuit inter sacros Ordines connumeratus.

1 Diaconatus ordo est in Ecclesia Dei antiquissimus, cùm sacræ litteræ, tùm noui, tùm etiam veteris testamenti, non solùm de Sacerdotibus, sed de Diaconis eorum ministris mentionem faciant, vt habetur ex *Conc. Trid. sess. 23. de Sacram. ordin. cap. 2.* Subdiaconatus autem ordo antiquitus inter sacros ordines nō computabatur; atque ideò vasa sacra illis non erat licitum tangere, vt colligitur ex *tex. in c. quicunque*, & ibi, *Glosa, vers. Ad Diacon. 77. d.* Hodiè verò à temporibus Gregorij, & Vrbani Rom. Pontificum, fuit inter sacros Ordines connumeratus, vt in *cap. miramur, de seruis nō ordin.* vbi Innoc. III. sic ait: *De Subdiaconali ordine, quia de eo non fit mentio in Patrum statutis expressè, videtur nobis, quòd & is cum Diaconali gradu priuilegio gaudeat eodem. Nam licet Sacer ordo non reputaretur in Ecclesia primitiua; tamen à Constitutione Gregorij, atque Vrbani secundum moderna tempora Sacer gradus esse minimè dubitatur.* Vndè ex illo *tex.* colligitur, quòd huiusmodi ordo semper fuit in Ecclesia Catholica à Christo institutus, sicut, & alij gradus ordines, etiam minores, & omnia alia Sacramenta, vt de fide per quatuor Canones fuit definitum per *Conc. Trident. loc. cit.* & præcipuè per secundùm Canonem, ità se habentem: *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios ordines, & maiores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur: anathema sit.* Non enim, inquit Innoc. *in d. cap. miramur*, non fuisse in primitiua Ecclesia ordinem Subdiaconatus; sed fuisse tanquam à Christo institutum, sed tunc temporis non reputabatur Sacer; sicut hodiè reputatur à Const. t. Gregor. & Vrbani. Cur autem maiores ordines dicantur sacri, rectè declarat *Barb. de offic. & potest. Episc alleg. 14. num. 17.*

De culpis, in quas incidere possunt Diaconi.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Diaconi, si ordinem susceperint ante 23. annum. Vel si eodem die susceperint quoque Subdiaconatum, aut Præsbyteratum.*

2 *Peccant Diaconi, ordinem Diaconatus suscipientes furtiuè.*

3 *Peccant Diaconi, si ordinem suscipiant Diaconatus, aut Præsbyteratus ab Episcopo excommunicato, suspenso, &c.*

4 *Peccant mortaliter Diaconi, exercentes actū ordinis in peccato mortali solemniter, & cū sacris vestibus, sed vide additionem.*
Et multò magis si excommunicati, vel suspensi, &c. exerceant actum prædictum.

5 *Vestis sacra Diaconi magis est stola, in sinistro humero appensa, quam Dalmatica.*

6 *Peccant mortaliter Diaconi, si absque commissione Sacerdotis Eucharistiam administrent, præter casus necessitatis, & qui sunt casus necessitatis.*

7 *Probabilius esse Diaconos peccare mortaliter exercendo hoc munus immediatum in statu peccati mortalis.*

8 *Tam Diaconos, quàm Sacerdotes teneri sub peccato mortali dispensare Eucharistiam in habitu Diaconali, & Sacerdotali. & quales sunt habitus. Et efficiuntur irregulares si sint aliqua censura irretiti, excepto casu necessitatis, & quid teneantur scire Diaconus, & Subdiaconus.*
Cōmendatur Diaconus Antoninus Pignatellus C. R. tempore pestis; & P. D. Carolo de Palma C. R. doctrina.

1 Peccant in primis Diaconi si ante vigesimū tertium annum Diaconatus ordinem susceperint; adest enim præceptum *Concil. Trident. sess. 23. de reform. cap. 12.* vt nullus ante dictum tempus in Diaconū promoueatur. Peccat quoque Diaconus si eodem die susceperit etiam ordinem Subdiaconatus, vel Præsbyteratus; quoniam per idem *Conc. d. sess. 23. cap. 13.* duo sacri ordines eodem die, etiam Regularibus conferri prohibentur, vt patet ex illis verbis: *Duo sacri ordines non eodem die, etiam Regularibus, conferantur: priuilegijs ac indultis quibusuis concessis, non obstantibus quibuscunque.* Ad hoc facit etiam *tex. in cap. litteras, de tempor. ordin.* vbi Episcopus suspenditur à collatione ordinis collati. Et ordinatus suspenditur ab executione ordinis suscepti. Quibus adde, quæ habentur per *Barb. de offic. & potest. Episc. allegat. 14. num. 10. & 11.* & latè *Sayr.* post alios *de censur. lib. 4. cap. 14. num. 23. & lib. 7. cap. 10. num. 22.* vbi probat post *Nauar.* hos esse irregulares: quos meritò reicit *Molfes. p. 1. sua sum. tr. 2. cap. 18. num. 9.*

2 Secundò peccant Diaconi suscipientes Diaconatus ordinem furtiuè; vt cum citra Episcopi voluntatem se ingerant cum alijs ordinandis, & insuper efficiuntur irregulares, vt per *Sayr. de censur. lib. 7. cap. 10. num. 37. Suar. eod. tract. disp. 42. sec. 3. num. 5.* cum alijs, quos allegant: quod quomodo procedat, rectè declarat *Molfes. par. 1. sua sum. Theol. tr. 2. cap. 18.* Eandem culpam, & irregularitatem contrahunt, suscipientes Diaconatum in loco interdicto, aut interdicti tempore, vt per *Couarr. in cap. alma mater. par. 2. §. 3. num 4. vers. Quinto de sent. excomm. in 6. Hugol. tab. 5. cap. 11. §. 1. num. 1. Sayr de censur. lib. 5. cap 14 num. 24.*

3 Tertiò peccant Diaconi suscipientes ordinem Diaconatus, aut Præsbyteratus ab excommunicato, suspenso, aut ab irregulari, & in suspensionem incidunt. Idem dicendum est de iterante Sacramentum ordinis: & de irregulare ordinem suscipiente, ac de ordinato per saltum, & in alijs casibus relatis per *Molfes. d. cap. 18.* vbi etiam tractat, qualiter peccent suscipientes ordines ab Episcopo illiterato, vel diuersi idiomatis, si sint censura aliqua innodati, si sine licentia suorum Prælatorum, si sine sufficienti titulo patrimonij, vel beneficij.

4 Quartò peccant mortaliter, vt suprà, Diaconi exercentes actum ordinis in mortali: nam debent saltem conteri, vt habetur ex *D. Th. in addit. ad 3. par. q. 36. ar. 5. in corp.* quod verum est,

est, cum ordinis actum exercent solemniter cũ sacris, & proprijs vestibus: est tamen verum, quod nonnulli licèt id fateantur de Diaconis, negant tamen de Subdiaconis; quos volunt non peccare mortaliter quoquo modo celebrent, vt post nonnullos, docet *Molfes. d. tr. 2. cap 8. nu. 19. 20. & 21. & cap. 9. num. 25.* Et multò magis peccant Diaconi si excommunicati, suspensi, aut interdicti exerceant actum ordinis cantantes Euangelium, & insuper efficiuntur irregulares: siquidem censura innodatus prohibetur exercere actum proprij ordinis, vt habetur ex *Diu. Anton. 3. par. tit. 29. de irregular. cap. 1. §. 1. Nauarr. in Man. cap. 27. num. 163. Maiol. lib. 5. de irregular. cap 21 num. 5. Hugol. tab. 1. cap. 14. §. 1. num. 6.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. de censur. lib. 7. cap. 9. num. 7.* Quod tamen intelligendum est, cum Euangelium cantant cum vestibus sacris, vt suprà, nempè induti dalmatica, seu stola: siquidem Diaconi vestē licèt quidam velint esse dalmaticam; nihilominus sententia magis recepta vult, esse stolam in sinistro humero appensam, vt habetur ex *D. Thom. loc. cit. q. 40. ar. 7.* Vndè si absque proprijs vestibus Euangelium cantent, atque ideò ministrent, cùm non dicantur ex officio ministrare, non efficiuntur irregulares. Idem dicendum est si Euangelium cantent in loco interdicto: vel assistant Episcopo conferenti ordines sacros in loco interdicto. Non enim efficiuntur irregulares, nisi in dictis casibus sint induti vestibus sacris, vt suprà: aliàs secus. Ità *Sayr. de censur. lib 5. cap 14 num. 22.*

5 Addo hic, quod circà hoc dantur tres opiniones, seù sententiæ. Prima est relata ab ipsomet meo Patruo, & est etiam *Nauarr. summ. cap 25. num. 72. Cabrera de Sacramentis, qu. 64. Nungn. Syluest. Tolet.* & aliorum, quos referunt *Diana par. 3. tract. 4 resol. 195. & Molfes. in summ. tract. 2 cap. 8 num. 20.* & ratio, quę adducitur, est, quia Diaconus, & Subdiaconus exercent actus peculiares, & proprios Sacramenti ordinis, ad quos sunt consecrati, & qui maximè ad Eucharistiam accedunt: ergò mortaliter peccant, si sint in peccato mortali, quia videtur grauis abusus, tàm sacri muneris. Sed noster perdoctus *Pater Quartus in Comm. Rubrica Miss. Rom. par. 2. tit. 6. de epist. & alijs, &c. dub. 1.* Respondet negando consequentiam ex rationibus adducendis pro tertia sententia.

Secunda sententia docet, eos non peccare mortaliter, si semel, aut iterum hoc sacrum munus exerceant in peccato mortali. Cæterùm si frequenter in eo statu p. m. illud ex officio exequantur peccare mortaliter, ratione contēptus virtualis, & impliciti, ità *Suar. tom. 3. in 3. par. disp. 16 sec. 4. Filiucius tom. 1. tract. 1. cap. 6. num. 87.* cum alijs. Sed *Pater Quartus* citatus ibidem negat ratione frequentiæ peccatum veniale transire in mortale, vt probauit fusiùs *quæst. proœmiali sec. 2. pun. 5. diff. 5.* nec enim vlla est ratio, cur in hoc actu frequentato magis includatur contemptus, quàm in frequentatione mendacij iocosi, vel aliorum venialium.

Tertia sententia probabilior, cui adhæret ipse *P. Quartus*, docet absolutè eos non peccare mortaliter, ratio est, quia talis obligatio exercendi actum sacri ordinis, seù opus sanctum in statu gratiæ solùm habet locum in confec[illegible], & administratione a[illegible] Sacramenti, quæ fit dispensatio meritorum Christi, & confertur suscipientibus gratia sanctificans, idcircò etiam statum gratiæ requirit in ministro; sed hæc ratio nō militat in casu nostro, quia neque Diaconus, neque Subdiaconus conficiunt Sacramentum, nec opus, tàm sanctum exercent: ergò non est imponenda illis, tàm grauis obligatio, ita *Sotus in 4. dist 24 q. 1. Vasq. in 3 par. to. 3. disp. 136. cap. 4. Coninch de Sacram. q. 64 ar. 6. Fernandez, Villalobos,* & alij, quos citat, & sequitur *Diana resol. 195. cit.*

6 † Adde, quantò grauius peccāt Diaconi si absque commissione Sacerdotis Eucharistiam dispensent; quia hoc munus propriè, & per se competit Sacerdoti, cui in Præsbyteratu confertur potestas in Corpus Christi; quare Diacono non potest hoc munus competere, nisi ex delegatione, & commissione Sacerdotis, cuius est immediatus minister. Ità DD. suprà citati, & Sacerdotes ad quos propriè hoc munus pertinet, sunt Parochi, vel Episcopi, ità *D. Tho. 3 par. q. 82. art. 4. ad 1.* quem sequuntur communiter *Sotus, Ledesma, Vasquez,* & alij. Et hæc dispensatio non potest committi, nisi ex causa necessitatis; Et cur olim committebatur passim Diacono sanguinis Christi dispensatio, sicut patet ex verbis Sancti Laurentij Diaconi, Sixto Pontifici. Rationem reddit *D. Thom.* suprà, quia sanguis Christi continetur in vase, vndè non oportet, quod tangatur à dispensante, sicut tangitur Corpus Christi; vndè faciliùs committebatur dispensatio sanguinis ipsi Diacono, qui aliàs ex vi sui muneris potest tangere vasa sacra; in quibus asseruatur Corpus, & sanguis Christi ad differentiam Subdiaconi, qui potest tangere tantum vasa sacra vacua, vt constat ex *cap. nullus Accolytorum 24. dist.* & ideò dispensatio Corporis Christi non committitur Diacono, nisi ex causa necessitatis; quæ esset non solùm extrema ad communicandum moribundum, sed etiam grauis satisfaciēdi præcepto tempore Paschatis, vel ad lucrandum Iubileum, & Parochus supplere non valeat, quia est valdè occupatus in audiendis cōfessionibus, & non sit alius Sacerdos, vide *Syluestrum verbo Diaconus, num. 4.* Sic si necessitas accidat præbendi viaticum moribundo, & nullus adsit Sacerdos, vel nonnisi impotens, aut impeditus, etiam si Sacerdos ille iniquè denegaret licentiam ministrandi Eucharistiam: quia tunc præsumitur licentia Superiorum, & ipsius Summi Pontificis, ex iuribus, & concilijs citatis ab ipso *P. Quarto*, ità *D. Thom in 4. d. 13. 6. 1. ar. 3. quæstiunc. 2.* & alij.

Necessitas similiter grauis esset deferre viaticum Sacerdoti ægrotanti, vbi *Durandus in 4. dist. 13. q. 3. num. 6* dicit debere Diaconum porrigere pyxidem Sacerdoti, vt per se, & suis manibus sumat Sacramentum, quia cessat necessitas, ratione cuius potest Diaconus tangere immediatè Sacramentum, alij verò contra dicunt, & decentius esse, vt ipse Diaconus immediatè porrigat Eucharistiam infirmo, ità *Vasquez disp. 21. cap. 1. num. 19.* & vtrumque probabile est, ità *Auersa*, citatus à *P. Quarto*.

7 Sextò probabilius esse peccare mortaliter

Diaconos exercendo hoc munus immediatum in statu peccati mortalis, & tunc debere se per confessionem, vel saltem per contritionem expiare, alioquin graue sacrilegium committerēt, sicut vniuersaliter de ministro Sacramentorum in genere, docent communiter DD. quamuis non desint Auctores cōtrarium sentientes, quia in casu nostro non conficitu. Sacramentum, sed solùm applicatur; de qua re ex professò ipse *P. Quartus* pertractat *tit.* 10.

8 Septimò teneri sub peccato mortali communiter affirmant, tùm Diaconos dispensare Eucharistiam in habitu Diaconali, saltem cum cotta, & stola transuersa, & tum Sacerdotes extra Missam, cum cotta, & stola ex vtroque humero pendente, vide eundem eodem *tit.* 10. vbi ex professò hoc punctum elucidat; verum non est prætereundum, quod ipse *dub.* 3 affirmat cum *Bonacina*, & alijs, & *Auersa de Euchar. q.* 10. *sec.* 1. § *Quartò*; nempè si Diaconus censura aliqua irretitus dispensaret Eucharistiam, etiam in casu sibi permisso, peccaret mortaliter, & incurreret irregularitatem: quia exercet ex officio actum ordinis sacri, cum tali impedimento, quod talē pœnam habet annexam, excepto casu necessitatis. An Diaconus, & Subdiaconus teneantur sub p. m. scire, & seruare Ritus Missalis pertinentes ad exercitium sui ordinis, iuxtà ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. sess.* 23 *cap.* 13. vide ipsum exactissimum *P. Quartum dub.* 4. vbi concludit Sacerdotem tantum teneri; & quia conficit sacrificium, & Eucharistiam administrat, & dicitur propriè minister Sacramenti; illi verò tantum inseruiunt Sacerdoti, & consequenter non comprehenduntur sub eo præcepto; vndè secluso contemptu, vel scandalo non peccare mortaliter Diaconum, vel Subdiaconum ministrantem in Missa solemni absque aliqua ex suis vestibus, etiam propria, vel non seruantem alios Ritus, etiam in materia notabili, quia respectu vtriusque ministri Rubricæ non sunt præceptiuæ, seu directiuæ, in ommissione verò omnium vestium in Missa solemni vix potest deesse scandalum.

Extrema necessitas, etiam esset tempore pestis ex totali defectu Sacerdotis, sicuti accidit Diacono Antonino Pignatello C. R. ex perillustribus proceribus Regni, succurrenti necessitati oppidi D. Caroli Venati cognati; hic pijssimus vir, sicuti ab ineunte ætate omnigena virtute floruit, sic ferè omnium scientiarum genera sui ingenij acumine fuit adeptus: & charitate flagrans vitam animosè exposuit pro epidemiæ morbo laborantibus, imò animas exalantibus; administrando suis manibus Eucharistiæ Sacramentum; & ijs, quos repererat lethali culpa labefactatos opitulabatur ad promédum perfectum contritionis actum, vt tutiùs vitam æternam assequerentur conferendo Sanctissimum Viaticum; in quo pio exercitio obiens, vt piè etiam creditur, & ipse abijt sublimis. Et ego accepi ab eximio meo Magistro, tùm in Scholasticis, tùm in Moralibus disciplinis P. D. Carolo de Palma pluries in suis Epistolis à meo Patruo commendatissimo ob singularem doctrinam, & in Cathedris, & in Suggestibus, usque ad stuporem auditam. Nempè faciliùs rudes, quàm docti possunt firmè credere se esse verè contritos absq; vlla animi hæsitatione. & sic in casu extremæ necessitatis posse conferri à Diacono Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, quamobrem si casu essent tantum attriti, fierent contriti ex vi tanti Sacramenti, vbi est auctor omnium Sacramentorum, & salui essent.

De culpis, in quas incidere possunt Subdiaconi.
SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Subdiaconi, suscipientes Subdiaconatum, si testimonium non habeant bonum, in minoribus ordinibus non probati, aut non confidentes, Deo fauente se continere posse. Sic si ante 22. eorum ætatis annum ordinem prædictum susceperint. Vel si per annum saltem non fuerint in eo versati, Diaconatum accipiant.*

2 *Peccant Subdiaconi, ordinem furtiuè suscipientes, & insuper irregulares efficiuntur.*

3 *Peccant Subdiaconi si ordinem suscipiant citra sufficientem titulum, vel patrimonij, vel beneficij.*

1 PEccant primò Subdiaconi si suscipiant Subdiaconatus ordinem, testimonium non habentes bonū: in minoribus ordinibus non probati, aut non confidentes, Deo fauente, se continere posse: aut in litteris, & in ijs, quæ ad ordinem exercendum pertinent instructi: vt habetur in *Concil. Trid. sess.* 23. *de reform. cap.* 13. Peccant etiam Subdiaconi si ante 22. eorum ætatis annum ordinem Subdiaconatus susceperint, vt in *d. sess.* 23. *cap.* 12. Imò *d. cap.* 13. statuit quoque, vt promoti ad sacrum Subdiaconatus ordinem si per annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur ascendere non permittantur. Vndè Subdiaconi suscipientes ordinem Diaconatus antequam per annum versati sint, citra Episcopi dispensationem, proculdubio peccant mortaliter, cùm faciant contra *Concil. Trid.* præceptum.

2 Secundò peccant Subdiaconi suscipientes ordinem furtiuè, & insuper efficiuntur irregulares, sicut eundem suscipientes in loco interdicto, aut interdicti tempore, vt habetur ex *Sayro de censur. lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 24 & *lib.* 7 *cap.* 10 *num* 37 *Suar. eod. tr. disp* 42 *sec.* 3. *nu* 5. & declarat *Molfes. par.* 1. *sua summ. tr.* 2 *cap* 18. *Couarr. in cap. alma mater, par.* 2 § 3. *num.* 4. *vers. Quintò, de sent. excomm. in* 6. *Hugolin. tab.* 5. *cap* 11. §. 1 *num.* 1.

3 Tertiò peccant Subdiaconi si ordinem suscipiant citra sufficientem titulum patrimonij, vel beneficij, vt latè de hac re egimus supra *disput.* 11. *sec.* 4. *vers. Decimoctauo peccat*. Item peccant Subdiaconi in alijs casibus, in quibus Diaconi peccant, & insuper censuras, & irregularitatem contrahunt, vt suprà *sec.* 1. explicauimus, & latè *Molfes. d. cap.* 18.

De

De Clericis ad sacros ordines non promotis, & eorum culpis, à discreto, & cauto Confessario explorãdis.

DISP. XV.

SEC. VNICA.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Clerici non deferentes habitum, & tonsuram, Clericatui congruentem.*
Nec fori priuilegio gaudẽt, nisi Ecclesiasticum habeant beneficium.

2 *Peccant Clerici Venatores, & non solùm Clericis in sacris prohibita est venatio, sed etiã ijs, qui in sacris non sunt.*

3 *Peccant Clerici negotiatores, si beneficium Ecclesiasticum habeant, vel in sacris sint.*
An, & quando perdant priuilegium Clericale, quoad bona tantum.

4 *Peccant Clerici, arma deferentes, cum sint eis iure Canonico prohibita sub pœna excommunicationis.*

5 *Peccant Clerici exercentes omnia alia officia, vel commercia Secularia, maximè inhonesta, vt macellarij, tabernarij, &c.*
An beneficiarius suspendi possit, ac beneficio priuari, si habitum minimè gestet Clericalem.

6 *Peccant Clerici, vacantes ebrietatibus, & cõmessationibus immoderatis; Venter enim, mero æstuans, facilè despumat libidinem.*
Quis propriè dicatur vinolentus.
Et qua pœna puniantur Episcopus, vel Presbyter, Subdiaconus, vel Lector, aleæ, atque ebrietati deseruientes.

7 *Peccant Clerici, in minoribus constituti, à Clericatu recedentes, & matrimonium contrahentes absque iusta, & rationabili causa.*
An peccet mortaliter Clericus recipiens, vel retinens beneficium simplex, animo illud ad tempus retinendi, & fructibus fruendi, eoque renunciando, ad Secularem, & coniugalem vitam transeundi.

8 *Peccant Clerici in minoribus constituti prima tonsura tantum initiati, qui beneficia impetrant ante legitimam ætatem.*

9 *Peccant Clerici beneficiati, vel pentionarij, qui Diuinum officium, vel B. M. Virginis non recitant.*

10 *Nec solùm peccant beneficiati, & pentionarij non recitantes, sed etiam priuantur fructibus, eosque in fabricas Ecclesiarum, vel in pauperes erogare tenentur,*
Idem est si recitauerint, sed non attentè.

11 *Officia parua B. M. Virginis, Defunctorum, Septem Psalmi pœnitentiales, graduales, & Litaniæ, in Rubricis Breuiarij adnotata, licet laudabiliter recitentur in Choro, citra tamen culpam possunt omitti ex Bulla Pij V. in principio Breuiarij.*

12 *Officium Defunctorum in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum omnes, qui ad officium tenentur, obligantur persoluere, cum sit proprium illius diei.*

13 *Attentio exterior satis non est ad Diuini officij recitationem, sed etiam exigitur interior saltem virtualis.*

14 *Peccant Clerici, si consentiant conueniri coram Iudice laico.*

15 *Peccant mortaliter Clerici, communicantes in Diuinis, cum excommunicato à Papa, & sunt excommunicati.*

16 *Peccant Clerici, immiscentes se causæ sanguinis, protestatione non præmissa, citra pœnam sanguinis, &c.*

17 *Peccant Clerici, si ordines suscipiant, dum sunt suspensi, interdicti, irregulares, &c. vel in peccato mortali existentes, simoniacè, vel à simoniaco.*

1 PEccant primò Clerici non deferentes habitum, & tonsuram Clericatus ordini congruentem, iuxtà ea, quæ habentur ex *Concil. Trid. sess. 14. cap. 6.* quod peccatum non deferentium tonsuram, inquit *Panor. in cap. si quis, de vit. & honest. Cler.* esse mortale. Sed melior nobis videtur aliorum sententia, relata à *Molfes. par. 1. suæ summ. tr. 8. cap. 12. num. 7.* quæ se habet non peccare mortaliter; nisi ex contemptu id faciant, sed tantùm venialiter. Eò magis, quia *Concil. Trid.* non præcipit eis habitum, & tonsuram; sed in pœnam vult eosdem priuilegio fori non gaudere, vt *sess. 23. de refor. cap. 6.* in illis verbis: *Is etiam fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.* Qualis autem debeat esse Clericalis habitus, & tonsura eis, qui non habent ordines sacros, sed tantùm minores, aut prima duntaxat tonsura sunt initiati, latè habetur ex *Barb. de offic. & potest. Episcop. alleg. 14. per tot.*

2 Secundò peccant Clerici Venatores: est enim eis prohibita de iure venatio, non solùm Clericis in sacris constitutis, vt in *cap. 1. de Cler. venat.* vbi Episcopis, Præsbyteris, ac Diaconibus non solùm venatio interdicitur; sed etiam canes, Falcones, & accipitres illos tenere prohibetur, sed etiam Clericis prohibita est de iure venatio, qui ad sacros ordines non dum sunt promoti, vt in *cap. 2. eod. tit.* & habetur ex *Anan. in d. cap. 1.* & ex *Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 12. circ. fin.* in illis verbis: *Ab illicitis venationibus, aucupijs, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, &c.* Et quamuis non sit illis addita pœna; arbitrariè tamen veniunt puniendi: siquidem quotiescunque certa pœna non imponitur pro aliquo excessu, arbitraria pena locum sibi vendicat, vt in *l. 1. §. expoliatores. ff. de effractor. c. ex causis, de offic. deleg.* & in specie *Host. & Anan. in d. cap. 1. Menoch. de arbitr. iud. casu 413. num. 17 & 18. & cas. 416. num. 9. & 10. Gras. de effect. Cler. effect. 13. nu. 3.* Est tamen verum, quòd quamuis Clericis sit interdicta venatio, & illicita aucupatio, non tamen est illis interdicta piscatio: Etenim licet in Sacris Scripturis nullum legamus venatorem Sanctum; piscatores tamen multos, *cap. Esau, 86. dist.*

3 Tertiò peccant Clerici negotiatores: quoniã Clerici per Sacros Canones negotiari prohibentur, quòd tamen intelligendum est de Clericis, qui beneficium Ecclesiasticum habent, aut qui sunt in Sacris, vt suprà declarauimus *sect. 13. vers. Sextò peccant Diaconi*. Hi enim si tertiò moniti à negotiationibus non abstinent, perdunt quoad bona priuilegium Clericale, vt in *cap. ex litteris. de vita, & honest. Cleric.*

4 Quartò peccant Clerici deferentes arma: est enim de iure Canonico prohibita Clericis armorum delatio sub pęna excommunicationis, vt in *cap 2. de vita, & honest. Cleric.* ità vt cõtrafacientes lethaliter peccent; siquidem cum eiusmodi crimen sit excommunicatione dignũ, excommunicatio nunquam fertur, nisi pro lethali culpa, vt in *cap. nullus, & cap. nemo*, 11. *q. 3.* Imò Clerici voluntariè arma sumentes, gradu amisso traduntur in Monasteria, vt in *cap. Clerici, 23 q. 8.* ità se habente: *Clerici, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint vel sũpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in Monasterium pœnitentia tradantur*. Quod quidem declara, & limita multipliciter per *Graff. par. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 6. num. 2. 3. & seq.*

5 Quintò peccant Clerici exercentes omnia alia officia, vel commercia Secularia, maximè inhonesta, vt si macellarij, aut tabernarij ministerio fungantur; Mimis, Iocularibus, & Histrionibus intendant: aleis, aut taxillis ludant: pannis rubeis, aut viridibus induantur: si virgata, aut partita veste, vel epithogio, seu tabardo, vel caligis scacatis viridibus, vel rubeis vtãtur, & alia exerceant, de quibus in *cap. Clerici 2. & Clem. 1. & 2. de vita, & honest. Cleric.* quę iura innouando *Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap 6.* addit, vt Beneficiarius etiam exemptus ab Episcopo suo monitus habitum Clericalem non gestans ab ordinibus, & beneficijs suspendatur; & si id non suffecerit, ijs priuetur. Et *sess. 22. de reform. cap. 1.* decreuit, etiam vt obseruentur, quæ de Clericorum vita, honestate, cultu, luxu, comessationibus, choreis, lusibus, nec non Sæcularibus negotijs fugiendis sancita sunt, sub pęnis statutis, vel maioribus arbitrio Episcopi imponendis: & si qua in desuetudinẽ abierint, Episcopi ea in vsum reuocari iubeant. Quæ omnia locum sibi vendicare in Clericis beneficiarijs dumtaxat, vel in sacro ordine insignitis, & multò magis in Religiosis, post alios inquit *Nauarr. in Man. cap. 25. num. 111.* vbi rem hanc sufficienter declarat, & limitat. Vndè Clerici non habentes sacros ordines, nec beneficia; sed sunt tantùm prima tonsura initiati, aut etiam ad minores ordines promoti possunt licitè tonsuram, & habitum omninò exuere, arma portare, negotiari, & omnia, quæ laicus potest facere in ciuilibus, vt habetur ex eodem *Nauar loco citato, sub num. 110. vers. Trigesimotertiò peccat.*

6 Sextò peccant Clerici, ebrietatibus, & commessationibus immoderatis vacantes, vt patet ex *d. 35.* vbi agitur de vinolentis, & *d. 44.* in qua tractatur de immoderatis commessationibus. Etenim venter mero æstuans facilè despumat in libidinem. Vndè Noè in ebrietate nudauit femora: & Loth, quem Sodoma non vicit, vina vicerunt, vt habetur in §. 1. *dist. d. 35. antè cap. 1.* vbi etiam *cap. 3.* sic legitur: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, omnis, qui cum his miscetur, non erit sapiens*. Vinolentus autem is propriè dicitur, qui non semel, sed frequenter vino repletur, vt in *d. §. 1. d. dist. 35. in fin.* in illis verbis: *Quòd tamen vinolentus esse prohibetur, non semel, sed frequenter vino repletus debet intelligi*. Hi enim grauiter puniuntur *can. 42. & 43. Apostolor.* de quibus in *cap. 1. ead. dist.* ità se habente, *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus alea, atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Similiter etiam Laicus*. Vndè vinolenti proculdubio peccant mortaliter; quia excommunicatio non fertur, nisi pro lethali culpa, *cap. nullus, & cap. nemo*, 11. *q. 3.* quibus adde, quæ cumulat *Graff. par. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 7.* Quo vero ad immoderatas commessationes, sic se habet, §. 1. *à te, cap. 1. præfata dist. 44. Cum autem vinolentus esse prohibetur, gula intemperantiam nequaquam habere permittitur. Neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur. Vtrumque enim inter opera tenebrarum Apostolus connumerat, scribens Romanis: Non in commessationibus, & ebrietatibus Ventris nanque ingluuies ad luxuriam prouocat facilè, & omne opus bonum dissoluit. Vndè venter, & genitalia sibimet ipsis vicinia sunt: vt ex vicinitate membrorum confœderatio intelligatur vitiorum. Hinc etiam Nabuzardam Princeps Coquorum, muros Hierusalem destruxisse legitur; quia venter, cui multitudo Coquorum deseruit, ædificia virtutum ad solum redigit. Sacerdos itaque de altari viuere, non luxuriari quærat, vt ait Hieronymus: Tibi, ò Sacerdos de altari viuere, non luxuriari permittitur. Sunt autem comessationes non solùm Sacerdotibus; sed etiam Laicis noxia: qui festiuos, & solemnes dies non aliter se dignè celebrare putant: nisi comessationibus deseruiant*. Quod si Laicis damnabiles sunt comessationes immoderatæ, multò magis sunt Clericis, ac Sacerdotibus, iuxtà ea, quę habentur in *cap. fin. §. si ergò, ead. d. 44.* atque ideò incumbentes immoderatis comessationibus, proculdubio à lethali culpa non excusantur. Per incumbentes, ac deseruientes immoderatis comessationibus, non intelligimus, qui semel, sed qui frequenter gulæ, & comessationibus deseruiunt, sicut suprà diximus de vinolentis.

7 Septimò peccant Clerici in minoribus constituti à Clericatu recedendo, & matrimonium contrahendo absque aliqua iusta, ac rationabili causa, vt patet ex ijs, quæ docet *Caiet. 2. 2. qu. 12. ar. 1.* & vltra lethalem culpam, quam aliquando contrahunt, si sunt beneficiati, statim contracto matrimonio beneficia perdunt, & quancunque aliam pensionem; etiam si matrimonium fiat irritum: nec beneficia recuperant, si sponsæ antequam ab eis cognoscantur, Religionem ingrediantur: siquidem ius semel extinctum non reuiuiscit, *cap quàm periculosum, 7. q. 1.* Non tamen ità dicendum est si sponsalia de futuro contraxerint, vt ex *Gigant.* & alijs pro-

probat *Azor. lib. 8. instit. moral. par. 2. cap. 10. qu. 1.* & nos adnotauimus in nostris *Commentar. ad Bull. C œna, lib. 2. cap. 1. q. 15. num. 9.* Benè verum est, quòd Clericus recipiens, aut retinens beneficium simplex, cui Sacer ordo non est annexus animo illud ad tempus retinendi, & eius fructibus fruendi; & tandem, illo renunciato, ad Sæcularem, ac coniugalem vitam transeundi, si eo animo beneficium consequatur, aut retineat, vt velit ei sufficienter inseruire, donec illud, mutato statu relinquat, secundum opinionem magis probabilem non peccat mortaliter, vt probat *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 45. in fine*, quem nos sequuti fuimus in *d. nostr. Commentar. lib. 2. cap. 18. qu. 7. num. 3.* vbi non nulla alia cumulauimus circa eiusmodi materiam.

8 Octauò peccant Clerici in minoribus constituti, vel tantùm prima tonsura initiati impetrantes beneficia ante legitimam ætatem: siquidem hodiè ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.* ad obtinendum beneficium simplex exigitur ætas quatuordecim annorum saltem inchoata, vt de hac re latè suprà egimus *disp. 11. sec. 4. vers. Quintò peccant.* Idem dicendum si beneficia impetrent cognoscentes se indignos non solum ex defectu morum, verum etiam defectu scientiarum, vt ibidem ostendimus, *vers. Quartò peccant.*

9 Nonò peccant Clerici beneficiati, vel pensionem Clericalem habentes, si beneficiarij diuinum officium non recitent, & pensionarij non dicant officium Beatæ Mariæ Virginis, vt de hac re latissimè suprà egimus *disp. 11. sec. 1.* Quibus addo, quòd non solùm lethalem culpam contrahit, qui vna die totum officium diuinum recitare omittit, cùm debeat, & possit; sed etiam, qui singulas horas Canonicas dumtaxat: imò, & qui vnius horæ medietatem, cùm sit pars notabilis, ac materia grauis, vt habetur ex *Rodriq. par. 1. sua summ. cap. 141. sub num. 17. vers. Ad resolutionem, Suar. tom. . . de Relig. lib. 4. de hor. Can. cap. 25. num. 16. Reginal. lib. 18. sua prax. numer. 143. cum plur. sequent.* & *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 5. cap. 5. num. 7.* vbi etiam, *num. 8.* reijcit sententiam *Nauarr. in Man. cap. 25. num. 68. & Azor. par. 1. inst. moral. lib. 10. cap. 7. q. 3.* & aliorum dicentium, omissionem tertiæ partis vnius horæ esse peccatum mortale; & *num. 9.* meritò quoque reijcit opinionem *Tabiena in summ. vers. Hora. qu. 18.* existimantis, beneficiarium, aut alium, qui ad diuinum officium obligatur, tot peccata mortalia committere, quot horas Canonicas omiserit recitare; atque ideò si totum officium quis non recitet, cùm possit, & debeat, septies lethaliter peccat, cùm tot sint preces; quot horæ Canonicæ. Etenim valdè rigorosa est talis sententia, & à Doctoribus non facilè recepta; quoniam vnum tantùm est præceptum recitandi officium diuinum singulis diebus, & omnes horæ concurrunt ad complementum vnius integri officij, vt benè docet *Suar. loco citato, n. 19. Azor. d. cap. 7. q. 4. Rodriq. vbi sup. num. 16. Reginal. d. lib. 18. num. 145.* & alij apud eũdem

10 *Molfes.* ibi. Est tamen verum, quòd Beneficiarij non solùm peccant non recitando officium diuinum, sicut & Pensionarij non recitantes officium B. V. Mariæ; sed etiam priuantur fructibus, & eos restituere tenentur in fabricas suorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogantes, vt patet ex Constitut. Pij V. 135. & nos latè suprà in *d. sec. 1. ampl. 2. & ampliat. 6. vers. Pensiones praterea.* Quæ quidem restitutio debetur statim, etiam ante omnem iudicis sententiam, vt ostendimus *d. sec. 1. ampliat. 5.* & habetur etiam ex *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 5. cap. 5. num. 12 & 13.* vbi etiam *nu. 14. cum plur. seq.* inquit, Beneficiarios, & Pensionarios prædictos in multis casibus excusari à restitutione fructuum, quorum primus est ratione paruitatis materiæ, aut obliuionis inculpabilis. Item si recitauerint officium diuinum, sed non attentè, quam sententiam nos secuti fuimus *d. sec. 1. ampl. 3. vers. Cæterum.* Vel denique si diuinum officium omissum compẽsauerint recitando toties diuinum officium, quoties omiserint: aut per alia opera bona spiritualia. Imò contra *Suar. de Relig. lib. 4. cap. 30. num. 6.* & alios multi volunt, præfatos Beneficiarios, etiam curatos posse sibi retinere partem fructuum pro alijs actionibus, quas ratione beneficiorum exercent, quam sententiam nos probabiliorem existimauimus *d. sec. 1. ampliat. 4. vers. Hac sententia.*

11 Est tamen adnot. pro huius rei complemento, quòd officia parua, vt officium B. Mariæ Virginis, officium Defunctorum, Septem Psalmi pœnitentiales, Graduales ac Litaniæ, in Rubricis Breuiarij adnotata, licèt in Choro laudabiliter recitentur; circa tamen culpam omittũtur, vt constat ex Bulla Pij V. edita die 15. Iulij 1568. quæ habetur in principio Breuiarij, & eius tenor inter alia est, qui sequitur: *Quod verò in Rubricis huius officij præscribitur, quibus diebus officium B. Mariæ Virginis, & Defunctorum: item Septem Psalmos pœnitentiales, & Graduales dici, & psalli oporteat. Nos propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationi indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouendum duximus; Verum debito prouidentiæ Pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, vt remissionem nostram quantum fieri poterit, sua deuotione, ac diligentia procurantes, illis etiam precibus, suffragijs, & laudibus sua, & aliorum saluti consulere studeant.* Vndè qui Romano Breuiario vtuntur, hæc indulgentur; nisi quoad officium B. Virginis sit in contrarium consuetudo, vt constat ex eiusdem Bullæ verbis, ibi: *Hoc autem concedimus sine præiudicio Sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium paruum B. Mariæ Virginis in Choro dici consueuerat; itá vt in prædictis Ecclesiis seruetur ipsa laudabilis, & Sancta consuetudo celebrandi prædictum officium.* Vndè Superiores, ne consuetudo censeatur induci solent ex aliqua iusta, etiam leui causa pro aliqua vice mandare, vt in Choro omittantur eiusmodi parua officia. Quod quidem passim fieri non debere, inquit *Suar. d. lib. 4. de hor. Can. c. 11. & cap. 25. num. 7.* Cæterum, vbi non est receptum Breuiarium Romanum in recitandis dictis officijs paruis attenditur Ecclesiarum consuetudo; in quibus vbi viget, obligat sub mortal. non solùm in Choro; sed etiam extra Chorum,

vt

3 Tertiò peccant Clerici negotiatores: quoniã Clerici per Sacros Canones negotiari prohibentur, quòd tamen intelligendum est de Clericis, qui beneficium Ecclesiasticum habent, aut qui sunt in Sacris, vt suprà declarauimus *sect. 13. vers. Sextò peccant Diaconi*. Hi enim si tertiò moniti à negotiationibus non abstinent, perdunt quoad bona priuilegium Clericale, vt in *cap. ex litteris. de vita, & honest. Cleric.*

4 Quartò peccant Clerici deferentes arma: est enim de iure Canonico prohibita Clericis armorum delatio sub pena excommunicationis, vt in *cap. 2. de vita, & honest. Cleric.* ità vt cõtrafacientes lethaliter peccent; siquidem cum eiusmodi crimen sit excommunicatione dignũ, excommunicatio nunquam fertur, nisi pro lethali culpa, vt in *cap. nullus, & cap. nemo, 11. q. 3.* Imò Clerici voluntariè arma sumentes, gradu amisso traduntur in Monasteria, vt in *cap. Clerici, 23 q. 8.* ità se habente: *Clerici, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint vel sũpserunt, reperti, amisso ordinis sui gradu, in Monasterium pœnitentia tradantur.* Quod quidem declara, & limita multipliciter per *Graff. par. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 6. num. 2. 3. & seq.*

5 Quintò peccant Clerici exercentes omnia alia officia, vel commercia Secularia, maximè inhonesta, vt si macellarij, aut tabernarij ministerio fungantur; Mimis, Iocularibus, & Histrionibus intendant: aleis, aut taxillis ludant: pannis rubeis, aut viridibus induantur: si virgata, aut partita veste, vel epithogio, seu tabardo, vel caligis scacatis viridibus, vel rubeis vtãtur, & alia exerceant, de quibus in *cap. Clerici 2. & Clem. 1. & 2. de vita, & honest. Cleric.* quę iura innouando *Conc. Trid. sess. 14. de reform. cap 6.* addit, vt Beneficiarius etiam exemptus ab Episcopo suo monitus habitum Clericalem non gestans ab ordinibus, & beneficijs suspendatur; & si id non suffecerit, ijs priuetur. Et *sess. 22. de reform. cap. 1.* decreuit, etiam vt obseruentur, quæ de Clericorum vita, honestate, cultu, luxu, comessationibus, choreis, lusibus, nec non Sæcularibus negotijs fugiendis sancita sunt, sub pęnis statutis, vel maioribus arbitrio Episcopi imponendis: & si qua in desuetudinẽ abierint, Episcopi ea in vsum reuocari iubeant. Quæ omnia locum sibi vendicare in Clericis beneficiarijs dumtaxat, vel in sacro ordine insignitis, & multò magis in Religiosis, post alios inquit *Nauarr. in Man. cap. 25. num. 111.* vbi rem hanc sufficienter declarat, & limitat. Vndè Clerici non habentes sacros ordines, nec beneficia; sed sunt tantùm prima tonsura initiati, aut etiam ad minores ordines promoti possunt licitè tonsuram, & habitum omninò exuere, arma portare, negotiari, & omnia, quæ laicus potest facere in ciuilibus, vt habetur ex eodem *Nauar. loco citato, sub num. 110. vers. Trigesimotertiò peccat.*

6 Sextò peccant Clerici, ebrietatibus, & commessationibus immoderatis vacantes, vt patet ex *d. 35.* vbi agitur de vinolentis, & *d. 44.* in qua tractatur de immoderatis commessationibus. Etenim venter mero æstuans facilè despumat in libidinem. Vndè Noë in ebrietate nudauit femora: & Loth, quem Sodoma non vicit, vina vicerunt, vt habetur in *§. 1. dict. d. 35. antè cap. 1.* vbi etiam *cap. 3.* sic legitur: *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, omnis, qui cum his miscetur, non erit sapiens.* Vinolentus autem is propriè dicitur, qui non semel, sed frequenter vino repletur, vt in *d. §. 1. d. dist. 35. in fin.* in illis verbis: *Quòd tamen vinolentus esse prohibetur, non semel, sed frequenter vino repletus debet intelligi.* Hi enim grauiter puniuntur *can. 42. & 43. Apostolor.* de quibus in *cap. 1. ead. dist.* ità se habente, *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus alea, atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Similiter etiam Laicus.* Vndè vinolenti proculdubio peccant mortaliter; quia excommunicatio non fertur, nisi pro lethali culpa, *cap. nullus, & cap. nemo, 11. q. 3.* quibus adde, quæ cumulat *Graff. par. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 7.* Quo vero ad immoderatas commessationes, sic se habet, *§. 1. à te, cap. 1. præfata dist. 44. Cum autem vinolentus esse prohibetur, gula intemperantiam nequaquam habere permittitur. Neque enim ebrietas prohibetur, & voracitas permittitur. Vtrumque enim inter opera tenebrarum Apostolus connumerat, scribens Romanis: Non in commessationibus, & ebrietatibus Ventris nanque ingluuies ad luxuriam prouocat facilè, & omne opus bonum dissoluit. Vndè venter, & genitalia sibimet ipsis vicinia sunt: vt ex vicinitate membrorum confœderatio intelligatur vitiorum. Hinc etiam Nabuzardam Princeps Coquorum, muros Hierusalem destruxisse legitur; quia venter, cui multitudo Coquorum deseruit, ædificia virtutum ad solum redigit. Sacerdos itaque de altari viuere, non luxuriari quærat, vt ait Hieronymus: Tibi, ò Sacerdos de altari viuere, non luxuriari permittitur. Sunt autem comessationes non solùm Sacerdotibus; sed etiam Laicis noxia: qui festinos, & solemnes dies non aliter se dignè celebrare putant: nisi comessationibus deseruiant.* Quòd si Laicis damnabiles sunt comessationes immoderatæ, multò magis sunt Clericis, ac Sacerdotibus, iuxtà ea, quę habentur in *cap. fin. §. si ergò, ead. d. 44.* atque ideò incumbentes immoderatis comessationibus, proculdubio à lethali culpa non excusantur. Per incumbentes, ac deseruientes immoderatis comessationibus, non intelligimus, qui semel, sed qui frequenter gulæ, & comessationibus deseruiunt, sicut suprà diximus de vinolentis.

7 Septimò peccant Clerici in minoribus constituti à Clericatu recedendo, & matrimonium contrahendo absque aliqua iusta, ac rationabili causa, vt patet ex ijs, quæ docet *Caiet. 2. 2. qu. 12. ar. 1.* & vltra lethalem culpam, quam aliquando contrahunt, si sunt beneficiati, statim contracto matrimonio beneficia perdunt, & quancunque aliam pensionem; etiam si matrimonium fiat irritum: nec beneficia recuperant, si sponsæ antequam ab eis cognoscantur, Religionem ingrediantur: siquidem ius semel extinctum non reuiuiscit, *cap quàm periculosum, 7. q. 1.* Non tamen ità dicendum est si sponsalia de futuro contraxerint, vt ex *Gigant.* & alijs pro-

probat *Azor. lib. 8. instit. moral. par. 2. cap. 10. qu. 1.* & nos adnotauimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 1. q. 15. num. 9.* Benè verum est, quòd Clericus recipiens, aut retinens beneficium simplex, cui Sacer ordo non est annexus animo illud ad tempus retinendi, & eius fructibus fruendi; & tandem, illo renunciato, ad Sæcularem, ac coniugalem vitam transeundi, si eo animo beneficium consequatur, aut retineat, vt velit ei sufficienter inseruire, donec illud, mutato statu relinquat, secundum opinionem magis probabilem non peccat mortaliter, vt probat *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 45. in fine*, quem nos sequuti fuimus in *d. nostr. Commentar. lib. 2. cap. 18. qu. 7. num. 3.* vbi non nulla alia cumulauimus circa eiusmodi materiam.

8 Octauò peccant Clerici in minoribus constituti, vel tantùm prima tonsura initiati impetrantes beneficia ante legitimam ætatem: siquidem hodiè ex *Conc. Trid. sess. 23. de reform. cap. 6.* ad obtinendum beneficium simplex exigitur ætas quatuordecim annorum saltem inchoata, vt de hac re latè suprà egimus *disp. 11. sec. 4. vers. Quintò peccant*. Idem dicendum si beneficia impetrent cognoscentes se indignos non solum ex defectu morum, verum etiam defectu scientiarum, vt ibidem ostendimus, *vers. Quartò peccant*.

9 Nonò peccant Clerici beneficiati, vel pensionem Clericalem habentes, si beneficiarij diuinum officium non recitent, & pensionarij non dicant officium Beatæ Mariæ Virginis, vt de hac re latissimè suprà egimus *disp. 11. sec. 1.* Quibus addo, quòd non solùm lethalem culpam contrahit, qui vna die totum officium diuinum recitare omittit, cùm debeat, & possit; sed etiam, qui singulas horas Canonicas dumtaxat: imò, & qui vnius horæ medietatem, cùm sit pars notabilis, ac materia grauis, vt habetur ex *Rodriq. par. 1. sua summ. cap. 141. sub num. 17. vers. Ad resolutionem, Suar. tom. ... de Relig. lib. 4. de hor. Can. cap. 25. num. 16. Reginal. lib. 18. sua prax. numer. 143. cum plur. sequent.* & *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 5. cap. 5. num. 7.* vbi etiam, *num. 8.* reijcit sententiam *Nauarr. in Man. cap. 25. num. 68. & Azor. par. 1. inst. moral. lib. 10. cap. 7. q. 3.* & aliorum dicentium, omissionem tertiæ partis vnius horæ esse peccatum mortale; & *num. 9.* meritò quoque reijcit opinionem *Tabienæ in summ. vers. Hora. qu. 18.* existimantis, beneficiarium, aut alium, qui ad diuinum officium obligatur, tot peccata mortalia committere, quot horas Canonicas omiserit recitare; atque ideò si totum officium quis non recitet, cùm possit, & debeat, septies lethaliter peccat, cùm tot sint preces; quot horæ Canonicæ. Etenim valdè rigorosa est talis sententia, & à Doctoribus non facilè recepta; quoniam vnum tantùm est præceptum recitandi officium diuinum singulis diebus, & omnes horæ concurrunt ad complementum vnius integri officij, vt benè docet *Suar. loco citato, n. 19 Azor. d. cap. 7. q. 4 Rodriq. vbi sup. num. 16. Reginal. d. lib. 18. num. 145.* & alij apud eũdem

10 *Molfes.* ibi. Est tamen verum, quòd Beneficiarij non solùm peccant non recitando officium diuinum, sicut & Pensionarij non recitantes officium B. V. Mariæ; sed etiam priuantur fructibus, & eos restituere tenentur in fabricas suorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogantes, vt patet ex Constitut. Pij V. 135 & nos latè suprà in *d. sec. 1 ampl. 2. & ampliat. 6. vers. Pensiones præterea*. Quæ quidem restitutio debetur statim, etiam ante omnem iudicis sententiam, vt ostendimus *d. sec. 1. ampliat. 5.* & habetur etiam ex *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 5. cap. 5. num. 12 & 13.* vbi etiam *nu. 14. cum plur. seq.* inquit, Beneficiarios, & Pensionarios prædictos in multis casibus excusari à restitutione fructuum, quorum primus est ratione paruitatis materiæ, aut obliuionis inculpabilis. Item si recitauerint officium diuinum, sed non attentè, quam sententiam nos secuti fuimus *d. sec. 1. ampl. 3. vers. Cæterum*. Vel denique si diuinum officium omissum compẽsauerint recitando toties diuinum officium, quoties omiserint: aut per alia opera bona spiritualia. Imò contra *Suar. de Relig. lib. 4. cap. 30. num. 6.* & alios multi volunt, præfatos Beneficiarios, etiam curatos posse sibi retinere partem fructuum pro alijs actibus, quas ratione beneficiorum exercent, quam sententiam nos probabiliorem existimauimus *d. sec. 1. ampliat. 4. vers. Hac sententia*.

11 Est tamen adnor. pro huius rei complemento, quòd officia parua, vt officium B. Mariæ Virginis, officium Defunctorum, Septem Psalmi pœnitentiales, Graduales ac Litaniæ in Rubricis Breuiarij adnotata, licèt in Choro laudabiliter recitentur; circa tamen culpam omittũtur, vt constat ex Bulla Pij V. edita d. e 15. Iulij 1568. quæ habetur in principio Breuiarij, & eius tenor inter alia est, qui sequitur: *Quod verò in Rubricis huius officij præscribitur, quibus diebus officium B. Mariæ Virginis, & Defunctorum: item Septem Psalmos pœnitentiales, & Graduales dici, & psalli oporteat. Nos propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationi indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouendum duximus; Verum debito prouidentiæ Pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, vt remissionem nostram quantum fieri poterit, sua deuotione, ac diligentia procurantes, illis etiam precibus, suffragijs, & laudibus suæ, & aliorum saluti consulere studeant.* Vndè qui Romano Breuiario vtuntur, hæc indulgentur; nisi quoad officium B. Virginis sit in contrarium consuetudo, vt constat ex eiusdem Bullæ verbis, ibi: *Hoc autem concedimus sine præiudicio Sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium paruum B. Mariæ Virginis in Choro dici consueuerat; ità vt in prædictis Ecclesiis seruetur ipsa laudabilis, & Sancta consuetudo celebrandi prædictum officium*. Vndè Superiores, ne consuetudo censeatur induci solent ex aliqua iusta, etiam leui causa pro aliqua vice mandare, vt in Choro omittantur eiusmodi parua officia. Quod quidem passim fieri non debere, inquit *Suar. d. lib. 4. de hor. Can. c. 11. & cap. 25. num 7.* Cæterum, vbi non est receptum Breuiarium Romanum in recitandis dictis officijs paruis attenditur Ecclesiarum consuetudo; in quibus vbi viget, obligat sub mortali non solùm in Choro; sed etiam extra Chorum,

vt

vt post alios notat *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 5. cap. 2. à num 54. ad 58.*

12 Imò officium Defunctorum in Commemoratione omnium fidelium Defunctorum, omnes Ecclesiastici, qui tenentur officium Diuinum recitare, obligantur persoluere, cum sit proprium officium illius diei. Ità *Sot. lib. 10. de iust. & iur. ar. 4. concl. 1. Tolet. lib. 2. sua sum. cap. 13. num. 3. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 53. num. 24. Suar. d. cap. 25. num. 8. & Molfes. loco citato, sub num. 57.* vbi *num. 58* soluit contrarium, atque ideò tenentur ipsi Ecclesiastici persoluere attentè, ac deuotè sicut omnes alias horas Canonicas; iuxtà *tex. in cap. dolentes, de celebr. Missar.* aliàs mortaliter peccant, si in eis dicendis attentionem non habeát saltem ad verba; licet melius facerent si etiam ad sensum verborum attenderent; & optimè si ad misteria. Quæ attentio satis non est, si sit exterior

13 tantum; quæ consistit in hoc, vt quando quis recitat officium Diuinum non faciat actionem exteriorem incompatibilem cùm officij recitatione; nempè vt non legat, non numeret, &c. Sed expostulatur quoque attentio interior, atq; ideò dum actu recitat; actu, vel virtualiter saltem attendat ad prolationem verborum, aut ad eorum sensum, vel ad misteria, vt habetur ex *Suar. d. lib. 4. de hor. Can. cap. 14. nu. 10. Azor. par. 1. instit. moral. lib. 10. cap. 12. q. 3. 6. & 12.* & ex alijs apud *Molfes. d. cap. 12. à num 81. ad 9.* vbi etiam *num. 92. & seq.* ex *Suar.* & alijs probat contra *Nauar.* & quamplurimos alios, quòd si quis dicat officium non habens animũ adimplendi præceptum; nihilominus satisfacit. Imò si sine attentione in Choro recitaret Diuinum officium, & haberet propositum iterum recitandi, non teneretur restituere fructus beneficij, vt suprà diximus, nisi esset obligatus in Choro persoluere officium ratione beneficij, vel distributionum quotidianarum: quam quidem sententiam, quoad fructus restitutionem putauimus esse nimis rigorosam, 3 *disp 11. sec. 1. ampl. 3. vers. Cæterum:* & propterea qui in praxi vteretur opposita opinione non peccaret.

14 Decimò peccant Clerici si consentiant conueniri coram Iudice Laico: quoniam Clericus non potest renunciare priuilegio Clericali, etiã de consensu Episcopi, vt in *cap. si diligenti,* & ibi, *Doctor. de for. compet.* & nos latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, cap. 14. q. 8. num. 2.* Et insuper in ciuilibus amitterẽt rem, à qua per sententiam fuissent absoluti: Et in criminalibus, etiam si pro eis lata fuerit sententia, beneficio veniunt priuandi, & si beneficium non habeant, deponendi: & commodum causæ amissæ debet alteri parti applicari: & si ambo consenserint iurisdictioni Laicali, erit Ecclesiæ applicandum, vt post alios probat *Marta de iurisd. par. 4. casu 126. num. 1. & 2.* & nos quoque in *d.* nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 15. q. 11. num. 17.* vbi *nu. 15. & 16.* explicauimus pariter, an, & quando Clericus trahens personas Ecclesiasticas ad forum Sæculare, incidat in exccommunicationem Bullæ Cœnæ in *d. 15.* contentam.

15 Vndecimò peccant mortaliter Clerici communicantes in diuinis cum excommunicato à Papa, & insuper sunt excommunicati, vt in *c. significauit,* & ibi, *Panorm. de sent. excommu.* Quod tamen quomodo procedat, rectè declarat *Sayr. de censur. lib. 3. cap. 29. num. 5.*

16 Duodecimò peccant Clerici immiscentes se in causa sanguinis, non præmissa protestatione, citra pœnam sanguinis, ad suam, vel suorum satisfactionem obtinendam, vt in *cap. sententiam sanguinis, ne Cler. vel Mon. & cap. Prælatis, de homic. lib. 6.* & insuper irregularitatem contrahunt, vt declarat *Sayr. de censur. lib. 6. cap. 18. num. 2. & 3.*

17 Tertiodecimò peccant Clerici si excommunicati, suspensi, vel interdicti, irregulares, in peccato mortali existentes, simoniacè, vel à simoniaco suscipiant ordines, & alijs modis, de quibus *Antonuc. in Cath. Neap. lib. 2. cap. 47.* & *Molfes. par. 1. sua sum. tract. 8 cap. 12. nu. 5. cum plur. seq.* quibus adde, quæ habentur per *Nauarr. in Man. cap. 25. num. 68* Hæc de peccatis Ecclesiasticorum, qui Sæculares sunt, restat modo videndum de Regularium culpis.

De Religiosis, & peccatis, quæ, vt tales sunt contrahere possunt à discreto, & cauto Cõfessario explorãdis.

D I S P. XVI.

S V M M A R I V M.

1. *Per Religiosos intelliguntur hic omnes Regulares vtriusque sexus, qui tria vota emittunt, siuè solemniter, siuè simpliciter.*

1 PER Religiosos hoc loco intelligimus omnes Regulares, vtriusque sexus, qui tria vota professi sunt in aliqua Religione à S. A. approbata: siuè vota solemnia emittunt, siuè simplicia. Siquidem tria vota, nempè, castitatis, paupertatis, & obedientiæ; etiam simplicia verè sunt Religionis substantialia, vt declarauit Gregor. XIII. in Constitut. quæ incipit: Attestame Domino, & est 89. in Bullario. Vndè non solùm loquimur de Religiosis mendicantibus, & Clericis Regularibus tria vota solemnia emittentibus, & de alijs eiusmodi; sed etiam de illis Societatis Iesu Regularibus, qui in ipsa Societate profitentur illa tria vota tantùm simplicia: nam isti sunt verè Religiosi, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 1. q. 16. num. 4.* & patet etiam ex *Add. ad d. q. litt. A. fol. 103.* Vnde pro explicatione huius disputationis agemus primò de Religiosorum in communi culpis, quæ contrahi possunt ab illis, vt tales sunt, contra trium votorum obseruantiam. Secundò de culpis Prælatorum, & officialium Religionis; nempè Abbatis, seu Præpositi, Generalis, Prouincialis, Præpositi, seu Prioris, aut Guardiani, Vicarij, Visitatoris, Consultorum, Vocalium, & aliorum officialium. Tertiò de Prædicatoribus. Quartò tractabimus de peccatis Monialium. Et quintò de peccatis Nouitiorum. Quoad primum discurrentes circa tria vota substantialia Religionis disputabimus primò.

An Religiosus semper peccet, Superiori non obtemperando.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Præcipiuntur à Superiore quatrupliciter.*
2 *Religiosus Superiori suo non obtemperans in ijs, quæ sunt secundũ regulam semper peccat.*
3 *Vera est conclusio non modo quando Prælatus præcipit, quæ explicitè sunt in regula, sed etiã quæ sunt implicitè.*
Quomodo se habeant explicitum, & implicitũ.
Et an Religiosus teneatur obedire Prælato, præcipienti, vt in cella teneat fenestram clausam.
Et an allocutio cum Monialibus prohiberi possit Religiosis, sub præcepto peccati mortalis.
4 *Limitatur tamen in his, quæ non concernunt tria vota substantialia, nec sunt in regula sub præcepto.*
5 *Religiosus non obediens suo Superiori in ijs, quæ sunt contra Regulam nullatenus peccat.*
6 *Multò minus peccaret, si id quod præcipitur nõ solum esset contra Regulam, sed etiam contra legem Dei.*
7 *Prælatus si præcipiat aliquid contra regulam dispensando in ea ex iusta, & legitima causa, tenetur subditus obedire.*
8 *Sic etiam tenetur subditus obedire, si Prælatus aliquid præcipiat contra regulam coarctando immunitates, & libertates, a regula, aut ab altiori Superiore concessas.*
9 *Tunc subditus obedire non tenetur Prælato præcipienti contra regulam, quando clarè constat esse contra regulam, aut contra legem Dei, secus si sit dubium.*
10 *Religiosus suo Prælato non obediens in ijs, quæ sibi præcipiuntur supra regulam, non peccat.*
11 *Nec quidem si taliter præcipiat, cum maiori parte capituli.*
12 *Obedire verò tenetur si aliquid sibi præcipiat supra regulam in pœnam ipsius culpæ.*
Et an subditus legitimè condemnatus, & inclusus in carcere, possit ab eo aufugere. Et quid si illegitimè.
13 *Prælatus potest subdito præcipere aliquid supra regulam quando est necessarium, & valdè conueniens ad seruandum ea, quæ sunt de substantia regulæ.*
14 *Prælatus, & si non possit aliquid præcipere supra regulam; potest tamen per maiorem partem capituli saltem generalis statutum fieri per quod reformetur regula antiqua.*
15 *Religiosus, non obediens suo Prælato in his, quæ sunt infra regulam, peccat.*
16 *Religiosus non obediens suo Prælato in his, quæ sunt præter regulam, nullam culpam contrahit.*

1 PRO determinatione huius difficultatis est adnot. quòd quædam præcipiuntur à Superiore, quæ sunt secundum regulam: quædam præcipiuntur contra regulam: quædam præcipiuntur supra regulam: quædam præcipiuntur, quæ sunt infra regulam: & quædam denique præcipiuntur præter regulam. His breuiter sic adnotatis, sit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 RELIGIOSUS non obtemperans suo Superiori in ijs, quæ sunt secundùm regulam, semper peccat. Hæc conclusio est citra omnem controuersiam; atque ideo est communis. Etenim is dicitur procuIdubio facere contra regulam, quod citra culpam fieri nequit; nam Religiosus ex vi suæ professionis obligatur sub peccato mortali ad obseruantiam regulæ, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9.* quẽ refert, & sequitur *Syl. verf. Religio, 6 q 5.* non solum, quoad tria vota, & quoad ea, quæ sunt in regula sub præcepto; sed etiam quoad omnia præcepta facta à Prælato oretenus secundùm regulam, vt habetur ex *D. Tho. & Syl. locis citatis,* & ex alijs Doctoribus communiter.

3 Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit non solùm quando Prælatus expresè præcipit aliqua, quæ explicitè habentur in regula: sed etiam implicitè, sine quibus ordo Regularis, & plenior obseruatio conseruari non posset: nam in his quoque tenetur Religiosus obedire Prælato præcipienti: siquidem implicitum, & explicitum se habent tanquam tacitum, & expressum; at taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cũ quid, ff. si cert. pet.* & patet ex ijs, quæ traduntur ex *Syl. loco citato, sub qu 6.* Hinc sequitur, quòd si Prælatus præcipiat, vt aliquis Religiosus in sua Cella teneat ex duabus vnam fenestram clausam; eo quòd videat illam apertam fore ipsi Religioso causam scandali, & periculum violandi votum castitatis, tunc Religiosus ipse tenetur obedire; quia quamuis teneri fenestram clausam non sit in re[gula] explicitè; est tamen implicitè; quoniam códucit ad conseruationem Regulæ. Secundò infertur, quòd licèt allocutio cum Monialibus non sit explicitè prohibita in Regula; potest tamen sub præcepto peccati mortalis prohiberi Religiosis a Prælato; quia implicitè comprehenditur, cùm tendat ad maiorem conseruationem Regulæ: nàm furtiuæ collocutiones cum mulieribus, & maximè Monialibus non possunt fieri multoties citra scandalum, & citra detrimentum voti castitatis, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib 3 § 8. q. 2. num. 47.* vbi pro hac re adduximus declarationẽ Sacr. Congregationis Cardinalium, qua declaratur furtiuas collocutiones huiusmodi inter Religiosos, & Moniales contra formam Decreti Pontificij, esse peccatum mortale. Quo circà Prælatus non solum potest prohibere dictas allocutiones suis subditis sub lethali culpa, sed etiam sub pœna excómunicationis, quia lethalis culpa est materia excommunicationis. Sic etiam clausura, quoad Moniales tacitè continebatur in regula, vt infrà latius dicemus *concl. 3.*

4 Sic ampliata, limitatur ipsa conclusio, vt locum non habeat in ijs, quæ licet contineantur in regula; non tamen concernunt tria vota substantialia, nec sunt in Regula sub præcepto, nec à Prælato oretenus præcipiuntur. Vndè si in Regula sit, vt seruetur silentium post Solis occasum

casum, vsque ad tertiam, si Religiosus aliquis citra contemptum violet silentium, ad summum non committit plusquam peccatum veniale.

SECVNDA CONCLVSIO.

5 Religiosus non obediens suo Superiori in ijs, quæ sunt contra regulam, nullam culpam contrahit. Hæc conclusio est etiam communis. Et patet ex eo, quòd ea, quæ sunt contra Regulam violant Regulam; atque ideò Religiosus obtemperando non conseruaret, sed violaret Regulam; quod citra culpam fieri nequit. Hinc est, quòd si ieiunium sexta feria sub lethali culpa præcipiatur à Regula, & Prælatus præciperet subdito, vt tali die non ieiunet, tali præcepto subditus obedire non debet, vt latè habetur ex *Sanch. lib. 6. sua summ. cap. 2. num. 9. 15. & 45.* & alij, quos refert, & sequitur *Pellegr. in Commentar. ad Constit. nostr. cap. 1. vers. Obedientia, in princ.*

6 Ampliatur hæc conclusio, vt multò minùs Religiosus subditus peccet non obtemperando Prælato, si id, quod præciperet contra Regulã, esset etiam contra legem Dei: quoniam homo pati debet quodcunque malum potius, quàm Deum offendere, vt in *cap. ne quis arbitretur, 22. q. 2. & cap. super eo, de vsur.*

7 Sic ampliata limitatur eadem, vt non habeat locum, quando Prælatus præcipit aliquid contra Regulam in ea dispensando ex iusta, ac legitima causa; nam eo casu tenetur subditus obedire, cùm opus illud pro tunc non sit contra Regulam, vt habetur ex eodem *Pellegr. loco citato, § 2.* Vndè licèt Regula Carthusiensis grauissimas statuat pœnas suis Monachis carnem comedentibus; nihilominus si aliquis Carthusiensis reperiatur in manifesto periculo mortis si carnibus non vescatur, & Superior præcipiat ei, vt carnes manducet, dispensando eo casu, tunc puto eum teneri obedire, vt patet ex ijs, quæ nos adnotauimus in nostris *Comment. in Bull. Cæn lib. 3. §. 8. q. 1. num. 17.*

8 Secundò limitatur, quando Prælatus præciperet aliquid subdito contra Regulam coarctãdo immunitates, & libertates à Regula, aut ab altiori Superiore concessas; quoniam tunc subditus tenetur obedire, vt post alios probat idem *Pellegr. vbi supra, §. 4.* Etenim id tendit saltem indirectè ad conseruationem regulæ.

9 Tertiò limitatur ipsa conclusio vbi præceptum Prælati clarè constat esse contra Regulam, aut contra Dei legem, atque ideò peccatum; secus autem si dubium sit, an præceptum sit cõtra Regulam, aut contra legem Dei; quoniam eo casu in dubio subditus tenetur obedire, nisi sit de his, in quibus ignorantia non excusat: nullum periculum immineret bono publico, aut tertiæ personæ, neque subditus graue damnum pateretur, vt habetur ex *Sanch. in Decal. lib. 6. tom. 2. c. 3. n. 3. & seq. Pellegr. in Commentar. ad nostr. Constit. par. 2. cap. 1. vers. Obedientia, §. 1.* cum alijs, quos allegat. Quibus adde, quæ cumulauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 1. q. 14. sub num. 9.* & quæ habentur in *add. litt. B.*

TERTIA CONCLVSIO.

10 Religiosus non obediens suo Prælato in ijs, quæ sibi præcipiuntur supra Regulam, non peccat. Hæc conclusio est *Tolet. lib. 8. sua summ. cap. 16.* & aliorum. Probatur, quoniam subditus non potest obligari ad asperitates, ad quas nec expressè, nec tacitè extenditur Regula, vt per *Glos. in cap. gesta, vers. Crescere, 74. d. Nauar. in Man. cap. 23. sub num. 38.*

11 Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm Prælatus solus, sed nec quidem ipse cum maiori parte capituli, nec maior pars Capituli generalis possint præcepto obligari Religiosos ad quæ sunt supra Regulam: quoniam Prælatus etiam cum maiore parte Capituli, etiam generalis non potest citra omnium consensum obligare Religiosos ad strictiorem Regulam: quia quod omnes tangit ab omnibus debet approbari. Ità *Host. in cap. cum dilecti, quod met. causa*, quem refert, & sequitur *Syl. ver. Religio, 6. q. 6.* & facit *tex. in Regula, quod omnes, de reg. iur. in 6. & Tolet. loco citato.*

12 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat in Prælato præcipiente subdito aliquid supra Regulam in pœnam ipsius culpæ; quoniam tunc subditus tenetur obedire, atque ideò asperitates supra Regulam præceptas subire, vt in *cap. dilectus, il 2. & cap. quoniã de simon.* latè *Suar. de stat. Relig. tom. 3. lib. 10. de voto obed. cap. 8.* qui addit, id non esse supra Regulam; sed potius secundùm Regulam: siquidem Religiosus ex vi Regulæ subijcitur cõdignæ pœnæ, atque ideò obedientia secundùm Regulam includit obligationem parendi in eiusmodi pœna. Hinc infertur, quòd subditus legitimè ad carceres condemnatus, & inclusus, non potest citra culpam aufugere, & si aufugiat tenetur in conscientia redire, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 23. ar. 6.* Dixi: *Legitimè*, quia si iniustè fuisset ad carceres condemnatus, & inclusus aufugiendo non peccaret; nisi ex tali fuga scandalum prouenirer, vt per *Innoc. in cap. quia plerique, de immunit. Eccles. D. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 3. Nauar. in c. statuimus, 19. q. 3. num. 64. & Rodriq. loco citato*, vbi idem post alios dicendum putat, cùm quis licèt iustè fuerit detentus, & condemnatus ad perpetuum carcerem; nihilominus contra officium pietatis fuerit inclusus in fetido, ac tenebroso carcere, aut valdè humido non sine propriæ vitæ periculo. Vel necessaria ad victum, ac vestitum non ministrentur: tunc enim citra culpam poterit aufugere.

13 Secundò limitatur eadem conclusio, vt Prælatus possit præcipere subdito aliquid supra Regulam, quando est necessarium, vel valdè conueniens ad seruandum ea, quæ sunt de substantia regulæ, vt habetur ex *Nauar. d. cap. 23. sub num. 38.* Hinc non immeritò in *cap. vnico, de stat. Regular. in 6.* præcipitur Monialibus perpetua clausura, sicut, & per *Conc. Trid.* & Piũ V. quoniam licet clausuram illam non vouerint, & sit asperitas supra Regulam; nihilominus est medium necessarium moraliter ad Religiosam castitatem seruandam, vt habetur ex *Ioann. Monaco, & Archid. in d. cap. vnico.*

Imò

Imò hoc decretum nō videtur supra Regulam, quin potius secundum Regulam; quoniam sub voto obedientiæ secundum Regulam, indirectè ad minus comprehenduntur omnia, quæ ad obseruantiam Regulæ, & aliorum præceptorum prudenter iudicantur expedire, vt rectè post *Nauar.* & alios probat *Suar. loco citato, num.* 8.

14 Tertiò limitatur, vt quamuis Prælatus non possit aliquid præcipere subditis supra Regulam; nihilominus per maiorem partem Capituli saltem Generalis potest statutum ferri, per quod reformetur Regula antiqua, vel conferatur ad pleniorem eius obseruantiam, vt habetur ex *Syl.d.q.6.* vbi allegat *Innoc. in cap. super eo, de regular.* & alios, & contraria soluit; quibus adde addita in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 1. q. 14. sub littera A. vers. Idem dicendum esse, fol.* 104. *in 2. edit.* Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. c. 9. num.* 10. *&* 11.

QVARTA CONCLVSIO.

15 Religiosus non obtemperans suo Prælato in ijs, quæ sunt infra Regulam, peccat. Hęc conclusio est *Syl. loco suprà citato*, qui ait, quòd infra Regulam est reficere corpus, quando Regula permittit. Vndè si Prælatus præcipiat, vt omnes subditi veniant ad reficiendum se in prima mensa, & nemo comedat in secunda citra licentiam ipsorum Prælati, rationabili existente causa, non obtemperantes, proculdubio peccant, quoniam tale præceptum continetur implicitè sub voto obedientiæ secundùm Regulam, & iuuat ad obseruantiam Regulæ, quoad silentium, sobrietatem, & his similia. Limitat tamen hanc conclusionem, idem *Syl.* vbi subditus certus esset, refectionem eiusmodi noxiā fore hic, & nunc corpori, vel animæ; quoniam tunc non tenetur obedire. Secus autem est si certus esset, quòd proferunt, vel esset in dubio, quia tunc obligatur obtemperare, iuxtà ea, quæ suprà diximus, *concl. 2. lim. 3.*

QVINTA CONCLVSIO.

16 Religiosus non obediens Prælato in ijs, quę sunt præter Regulam, nullam culpam contrahit. Hæc conclusio est communis: siquidem præter Regulam dicuntur omnia, quæ nō pertinent ad Regulam, vt per *Innoc. in cap. veniens, de iure iur.* at Religiosus tenetur tantum obseruare Regulam. Hinc est, quòd Prælatus si præciperet aliquas orationes, quæ non sint in Regula, nec pertineant ad Regulam, nec tacitè, nec expressè, nec necessaria sunt, nec conuenientia ad eiusdem obseruantiam: nec dantur in pœnam aliquam, si illas non recitet, nec peccat: non autem esset citra meritum si obtemperando subditus illas diceret, vt per *Syl. d. q. 6.* & alios. Quibus adde, quæ adnotabis infrà *disp. 16. sec. 3. vers. Sextò peccant.*

Qualiter Religiosus peccet violando castitatis votum.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus votum castitatis violando, quantumuis cum soluta, tria committit peccata, seu vnum peccatū, cum triplici deformitate.*

2 *Religiosus peccare potest contra castitatem omnibus modis, quibus potest Secularis, adijciens insuper circumstantiam sacrilegij.*

1 Ad euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd Religiosus violando votum castitatis cum aliqua quantūuis soluta, tria peccata committit, seu vnum peccatum cum triplici deformitate, vt habetur per *Glos. in cap. virginibus, 27. q. 1.* Primò committit adulterium, cùm sit Dei spiritualis sponsa: nec interest, an peccans Religiosus sit, vel Religiosa; quoniam Deus, tàm verus sponsus est animarum virorum, qui suam castitatem diuino cultui dedicant, quàm fœminarum, idē facientium, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 16. sub num. 3. §. Aduertendum tamen.* Secundò contrahit peccatum incestus; siquidem Religiosus cum sit spiritualis Dei sponsa, qui est omnium Pater, violando votum castitatis, consequenter committit incestum, cùm cognoscat affinem suam. Tertiò committit sacrilegium: nàm violando votum castitatis, agit contra Sāctitatem personæ propriæ Deo, ac Diuino cultui dicatæ, iuxtà ea, quæ habentur ex *Sylu. in summ. vers. Sacrilegium, circa princ. vers. Vndè dicunt Canonistæ.* Imò tàm sacrilega est, cæteris paribus, Sæcularis, cùm qua rem habet Religiosus, quàm sacrilegus Sæcularis, qui rem habet cùm Religiosa: & sacrilegiores sunt Religiosus, ac Religiosa simul rem habentes, vt rectè notat *Nauar. loco citato.* Ex quibus patet,

2 quòd Religiosus potest peccare contra castitatem omnibus modis, quibus possunt alij homines Sæculares, adijciens insuper circumstantiā sacrilegij; etiam si contra castitatem peccet per solam cogitationem, vt habetur ex eodem *Syl. vbi supra, q. 8.* & *Laym. lib. 4. sua sum. tract. 5. cap. 8.* quapropter ad sciendum species peccati contra castitatem, vide eundem *Syl. in vers. Luxuria,* vbi sufficienter hanc materiam explicat, & *Nauarr. in Man. cap. 16. sub d. num. 3.* Quibus adde, quæ habentur ex *Grat. in cap. 2. §. cū ergò, 36. q. 1. cap. mulier, ead. causa, & q. & cap. extraordinaria, 35. q. 2. & D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 1.* Augetur denique peccatum Religiosi supra peccatum Sæcularis, cæteris paribus, non solùm ratione voti; sed etiam ratione scandali, cùm ad eius vitam plures respiciant, & ratione contemptus; quia Religiosus peccans ex contemptu efficitur Deo ingratior. Cæterum quāuis ob suprà relatas circumstantias grauius est, cæteris paribus peccatum Religiosi, quàm peccatum Sæcularis; nihilominus, cessantibus prędictis circumstantijs, grauius est peccatum Sæcularis, quàm Religiosi: siquidem si peccatum eius est leue, absorbetur multis bonis, si verò est

mortale, facilius ab eo resurgit; tùm propter intentionem erectam ad Deum, quæ licèt ad horam intercipiatur; de facili tamen reparatur ad pristinum: tùm propter scientiam, quam habet corrigendi peccatum: tùm denique, quia iuuatur à socijs. Ità *Syl. vbi suprà q. 14. ex D. Tho. 2. 2. q. 136.*

Qualiter Religiosus peccet contra votum paupertatis. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Abdicatio proprietatis ità est annexa regulæ Monachali, vt contra eam non possit Summus Pontifex dispensare & num. 3.*
Qualiter puniatur Regularis deprehensus cum proprietate, tùm in vita, tùm in morte.
2 *Proprium tripliciter sumitur.*
3 *Summus Pontifex non potest cum Religioso dispensare, vt habeat proprium simpliciter, vt de eo citra voluntatem Superioris valeat disponere.*
An possit Summus Pontifex Monachum facere Laicum, & vt vxorem ducat dispensare. Et quare dispensauit Celestinus III. cum Henrico Imperatore, vt duceret vxorem Constantiam Monialem, Regis Siciliæ filiam.
4 *Facultas testandi, quæ passim à Summo Pontifice tribuitur Episcopis, alijsque beneficiatis, intelligitur tantum ad pias causas, non verò, vt possint disponere, vt cæteri Sæculares.*
5 *Religiosus non dicitur habere proprium, si ad libitum, & beneplacitum Prælati alicuius rei vsum accipiat, non celando illi rei qualitatem, & quantitatem.*
6 *Professi trium votorum simplicium in Soc. Iesu, quibus datur facultas retinendi dominiũ, & ius bonorum suorum quousque fuerit præscriptum à generali Præposito, non dicuntur facere contra votum paupertatis.*
7 *Religiosus Soc. Iesu, qui post emissa tria vota prædicta, de bonis, quæ ante, vel post vota prædicta acquisiuerit, disponit, peccat mortaliter contra votum paupertatis, sed firma remanebit dispositio.*
7 *Ex* Concil. Trid. *prohibetur Regularibus habere tanquam propria, bona, tùm mobilia, tùm stabilia etiam quoad vsumfructum, vsũ, vel administrationem, & solum conceditur eis possidere res mobiles, ad nutum amouibiles.*
9 *Non possunt dici voti paupertatis violatores Religiosi illi, qui cum consensu Superiorum tacito, vel expresso, aut præsumpto rem, quampiam in conuentu, vel extra accipiunt, retineant, permutent, vel alteri donent.*
Quando dicatur tacitus consensus, & quando præsumptus.

1 AIT *Glos. in cap. cùm ad Monasterium, de statu Monac.* quod abdicatio proprietatis: est annexa regulæ Monachali, vt contra eam non possit Summus Pontifex licentiam indulgere, hinc Gregor. XIII. Constit. 89. inquit paupertatis professionem, Regularis instituti murum esse, ac propugnaculum, vt in §. 13. eiusdem Constitut. quibus adde, quæ suprà diximus *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. vers. Quartus casus*, ibi: Abdicatio proprietatis. Vnde contra Religiosos, qui proprium habentes, paupertatis votum violant, ità fuit decretum in *d. cap. cùm ad Monasterium: Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero Monachorum lineis camisijs vteretur, & infra. Prohibemus quoque districtè in virtute obedientiæ, sub obtestatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti resignet. Si verò post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione præmissa, de Monasterio expellatur, nec recipiatur vlterius, nisi pœniteat monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis, extra Monasterium in sterquilinio subterretur; secũdùm quod Beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse: Vndè si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, vel Priori, vel Cellarario assignetur.* Sic etiam *D. August.* de quo in *cap. non dicatis, 12. q. 1.* docens, licitum non esse habere proprium ijs, qui suis renunciant, & communiter viuere spondent, inquit: *Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

2 Sumitur autem proprium tripliciter. Primò enim denotat dominium rei iustis modis acquisitum. Secundò significat effectum iusti dominij, qui est vti re non tantùm ad proprium vsũ, vel necessitatem, sed ad libitum: & super hoc non potest dispensare Prælatus, cum subdito: non enim potest dispensare Superior, cum Religioso sibi subdito, vt habeat proprium, idest aliquid simpliciter in sui dominio, vt habetur ex *Archid.* post *Ioann. Andr. in Nouell. in d. cap. ad Monasterium, de stat. Monac. Syl. vers. Religio, 6 num. 7.* & habetur ex *Conc. Trident. sess. 24. de regular. cap. 2.* Tertiò proprium sumitur pro dominio vsurpato: atque ideò quantum ad Religiosos proprium, secundùm *Archid. loco citato*, dicitur quicquid celatur Abbati, seu alij Prælato suo, vt colligitur ex *d. cap. non dicatis, 12. q. 1.* in illis verbis: *Quicunque autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas, vel quodlibet munus accipiat; si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque conuincitur, secundùm arbitrium Presbyteri, vel Præpositi grauius emendetur. Cùm huius nostræ Congregationis Fratres nõ solum facultatibus, sed voluntatibus proprijs in ipsa ordinationis susceptione renunciauerunt, & se per promissam obedientiam aliorum potestati, & imperijs in Christo, & pro Christo subdiderint, certum est; eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine Superioris licentia. Quòd si propinquus, vel amicus, vel quilibet Fratrum cuiquam aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit.* Patet igitur ex dictis, quòd illud dicitur proprium, quoad rem nostram attinet, quod celatur Abbati,

lati, aut alij proprio Prælato: vel contra eius voluntatem à subdito tenetur. Quòd si Prælatus alicuius rei subdito concedat vsum, ad eiusdem Prælati libitum, tunc subditus non dicitur habere proprium; si tamen in quantitate, vel qualitate nihil celatur Prælato, nec sine eius licentia aliquid recipitur, vel expenditur, & paratus est ad iussum Abbatis totum reddere, vt rectè declarat *Syl. loc. cit. q. 7.*

3 Ex dictis infertur primo, quòd cùm abdicatio proprietatis adeò annexa sit regulæ Monachali, vt super eam non possit Summus Pontifex licentiam indulgere; hinc fit, quòd nec ipse Pontifex possit cum Religioso dispẽsare, vt habeat proprium simpliciter, nempè, quòd aliquid habeat in suo dominio, ità vt propria auctoritate citra voluntatem Superioris possit de eo disponere ad sui libitum, & facere quicquid velit etiam in damnum Monasterij, vt docet *Innoc. in d. cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monac.* quod indubitatè verũ esse, ex *D. Thoma*, ac *Palud.* inquit *Syl. vers. Religio, 6. qu. 7.* quicquid sit de opinione eorum, qui dicunt, posse Sum. Pontificem Monachum facere Laicum, & vxorare, & in proprio dispensare. Nec obstat si dicatur, quòd de facto Celestinus III. dispensauit, vt Henricus Imperator duceret in vxorem Constantiam Monialem professam Regis Siciliæ filiam, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap. 4. q. 7.* Et passim dispensat, vt Episcopi Religiosi, ac etiã Religiosi beneficiarij possint testamentum cõdere, vt sup. adnotauimus *disp. 6. sec. 10. cõcl. 1.* quoniã respõdetur, quòd cũ obseruantia voti sit de iure Diuino, Papa nõ dispensauit propriè, vt Hẽricus Imperator duceret in vxorem Cõstantiã Monialem professam, ne Regnum trãslatus fuisset in Infideles, & ex alijs vrgẽtissimis causis; sed eo casu declarauit legem diuinam non habere locum, ac Monialem illam non teneri ad obseruantiam voti: siquidem Papa quando dispensat in iure Diuino, illa dispensatio non est verè, ac propriè dispensatio, cùm non sit formaliter relaxatio, sed potius declaratio quędam, ac moderatio legis Diuinæ: Etenim Papa non est supra legem diuinam; sed illam tenetur implere, ac defendere, vsque ad sanguinem, & animam, vt diximus in d. nostris *Commentar. d. q. 7. sub num. 23. & 24.* Quo verò ad facultatem testandi, quæ passim tribuitur Episcopis, & alijs beneficiarijs Religiosis, per eiusmodi licentiam non censetur eis data illa facultas testandi, quam habent Sæculares: quia Episcopi, & alij beneficiarij Religiosi non possunt habere proprium, quod significat effectum iusti dominij, ità vt possint vti re non tantùm ad proprium vsum, seu necessitatem; sed etiam ad libitum: siquidem talis rei dominij sunt incapaces Religiosi, vt suprà ostendimus, *vers. Sumitur*. Sed illa testandi facultas est limitata ad pias causas, nempè pro anima sua, aut suorum, ad alendos pauperes, ad construendas Ecclesias, ad edificanda Hospitalia, & alia loca pia: non autem ad ditandos, ac augendos cõsanguineos, affines, ac familiares: id enim illis interdicitur per Apostolorum Canones, vt habetur ex *Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 1.* Sed ijs tanquam pauperibus, sicut in vita, ita quoque in morte est elargendum, vt ex eodem *Conc.* colligitur, in illis verbis: *Omninò verò eis interdicit, vt ex redditibus Ecclesiæ consãguineos, familiaresue suos augere studeant, cũ & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, ijs, vt pauperibus distribuant, &c.* Vndè cùm Episcopi, & alij beneficiarij Religiosi non possint habere proprium, non eximantur ab obseruatione trium votorum; sed quicquid acquirant, eorum Ecclesijs acquirunt vt supra ostendimus *d. disp. 6. sec. 10. concl. 1.* quibus adde, quæ habentur ex *Syl. in summ. Religio, 6. qu. 10.* hinc fit, quòd quando Romanus Pontifex dat licentiam Prælatis Religiosis testandi, licentiam ipsam non censetur impertire ad disponendum liberè, & ad sui libitum; sed tanquam bonus dispensator; cùm non sit bonum sumere panem filiorũ, & dare canibus; atque adeò spoliare, ac priuare proprias Ecclesias bonis illis debitis, vt dentur irrationabiliter Laicis, & conuertantur in vsus profanos, & in alios vsus, quàm pauperũ, & piorum locorum. Vt latius quoque de hac re egimus suprà *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explic. quarti casus reseruati, per tot.*

5 Secundò infertur, quòd Religiosus professus non dicatur habere proprium, si tamen ad libitum, ac beneplacitum Prælati alicuius rei vsum ab eo recipiat, non celans eiusdem rei quantitatem, nec qualitatem: aut si cum ipsius Prælati licentia ab aliquo rem aliquam mobilem, vel immobilem, etiam si sit pecunia numerata, accipiat, aut expendat, paratus ad iussum Prælati totum reddere; is proculdubio non peccat contra votum paupertatis. Hinc fit, quòd pecuniarum deposita, quibus Religiosi, ac Religiosæ non nullorum ordinum vtuntur, non dicuntur violare votum paupertatis. Siquidem deposita illa dantur à Prælato ad vsum tantùm Religiosorum, nec possunt illa expendere citra Superiorum licentiam: & ad nutum eorundem Superiorum sunt reuocabilia. Vndè Moniales, & alij Religiosi eiusmodi, si parati sint ad iussum Superiorum deposita illa reddere seruantes supradictas conditiones, sunt tuti in cõscientia, cùm non dicantur habere proprium, iuxtà ea, quæ supra diximus; atque ideò non censeantur violare votum paupertatis.

6 Tertiò infertur, quòd professi trium votorum simplicium in ordine Societatis Iesu, quibus datur facultas retinendi dominium, & ius bonorum suorum, vsque ad tempus à Generali Præposito præscribendum, non dicuntur facere contra votum paupertatis; siquidem non ob id dicuntur habere proprium; eo quod nulla re tanquam propria, & citra Superioris facultatem uti possunt, ut fuit declaratum per Gregor. XIII. Constit. 89. quæ incipit: Ascendente Domino, §. 16. his uerbis: *Et licet, qui ad gradus professorum, & coadiutorum formatorum non dum peruenerunt, bonorum suorum ius atque dominium, tùm alias ob iustas causas; tùm etiam, vt maiorem Societas habeat libertatem, illos, si opus fuerit, cum minori offensione dimittendi, ad tempus Generalis Prępositi iudicio præscribendum vąleant retinere, vt in pauperes tandem, seu alios pios vsus pro ipsorum*

 de-

deuotione distribuant, iuxta Euangelij consilium, ac promissionem, quam initio Nouitiatus faciunt: interim tamen quantum ad illorũ vsum Religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria, & sine Superioris facultate vti possunt. Est tamen uerum, quòd Religiosus aliquis dictæ Societatis Iesu, qui post biennium simplicia uota, ubi suprà edidit, si de bonis, quæ, uel ante ea uota acquisierat, uel postea iure hæreditario acceperat, seu inter uiuos, aut mortis causa, citra Superiorum consensum disponat, mortalem quidem culpam contrahit contra uotum paupertatis; sed dispositio firma remanet: siquidem retinet dominium bonorũ, donec se ijs abdicet. Ità *Sanch. lib. 7. moral. cap. 18. qu. 2.* quem refert *Laym. in sua summ. Theol. lib. 4. tr. 5. cap. 7. sub num. 3. vers. Caterum*, contra *Molin. tom. 1. de iust & iur. tr. 2. disp. 139. vers. Illi, qui tempore*. Vndè in hoc differunt inter se uota simplicia, & solemnia prædictorum Religiosorum, quòd illa non priuant dominio suorum bonorum, nec omninò acquirendi incapaces eos reddit; neque acquisitorum alienationem irritam efficiunt; sed tantùm illicitam, si absque Superiorum licentia fiat: at uerò uota solemnia Religionis ipso iure priuāt professum rerum antè habitarum dominio, & tùm acquirendi, tùm transferendi incapacem reddit, ut in *cap. vnico, de voto in 6*. Addit, quòd similes ijs facit coadiutores formatos dictæ Societatis *Laym. loco citato*, & probat ex eisdem Constit. Greg. XIII.

8 Cæterùm per *Concil. Trid. sess. 25 de Regularib. & Monial. cap. 2.* decernitur, non tantùm illicitum esse Regularibus habere bona, siuè mobilia, siuè immobilia tanquam propria, aut nomine conuentus possidere, vel tenere: sed etiam inhibetur eisdem stabilium cõcessio, quoad vsufructum, vsum, & administrationem: solùm tamen concedi posset Religiosis res mobiles ad nutum amouibiles, vt constat ex verbis *d. Conc.* ità se habentis: *Nemini igitur Regularium tàm virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia qualiscunq; qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conuẽtus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsufructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorũ, seu conuentuum ad solos officiales eorundem, ad nutum eorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum, ità Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat: nihilque superfui in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliquid quidquam tenere deprahensus, aut conuictus fuerit, in biennio actiua, & passiua voce priuatus sit: atque etiã, iuxta sua Regula, & Ordinis Constitutiones puniatur*.

9 Quartò infertur, non posse dici violatores voti paupertatis Religiosos illos, qui cum consensu eorum Superiorum expresso, tacito, aut præsumpto rem quampiam in conuentu, aut extra accipiunt, retinent, permutent, aut alteri donent. Secus autem si aliqua prædictorum, aut similium agant, citra Superiorum consensum; quoniam tunc lethalem culpam contraherent contra votum paupertatis, vt patet ex ijs, quæ habentur in *d. cap. non dicatis, 12. q. 1* & ex suprà cumulatis, *Maior in 4 d. 38. q. 1. Syl vers. Religio, 6. q. 7. D. Anton. par. 1. tit. 16. cap. 1. §. 11. Nauar. de Regular. com 2. num. 10. & in Man cap. 17. num. 105. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 12. Sanch. lib. 7. moral. cap 19.* & hanc esse communem sententiam, testatur *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. cap. 7 sub num. 4.* Vbi tacitum Prælati consensum censeri, tunc dicit ex *Sanch. loco citato, num. 7. & 70.* cùm in aliqua Religione viget consuetudo recipiendi aliqua, aut expendendi, non petita Superioris licentia; quoniam Superior censetur ijs tacitè consentire. Sic etiam si Superior donet Religioso res aliquas, vel ab alio donatas eidẽ permittat, quas scit illis omnibus non indigere ad proprium vsum, vt si donet imagunculas, rosaria, namismata, grana benedicta, & alia eiusmodi, tunc Prælatus censetur tacitè consentire dictarum rerum donationi alijs faciendæ per dictum Religiosum. Consensum verò præsumptum volunt esse, *D. Thom. 2. 2 q. 32. ar. 1. ad 1.* & in eum *Aragon. ac Bann. Sãch. Azor. & Laym. locis citatis*, quando subditus ob iustam causam sibi persuadet, Prælatum, si sciret, consensurum, ac contentum fore talem rem accipere, expendere, aut donare; quamuis Prælatus interdum inuitus sit, quòd clam, aut, eo non rogato, accipiatur; si tamen inuitus non sit, quoad rem ipsam concedendam rogatus, vt habetur ex *Nauar. de Regular. com. 2. nu. 10.* & ex alijs apud *Laym. vbi suprà*.

Quæ nam quantitas pecuniæ, aut alterius rei, accepta, aut donata à subdito Religioso citra consensum Prælati, satis sit ad lethalem culpam contrahendam contra votum paupertatis.

S E C. I V.

S V M M A R I V M.

1 *Proprietas etiam rei minimæ est mortalis culpa, secundùm aliquos; alij verò putant non sufficere ad peccatum mortale vnius iulij proprietas. Et secundùm aliquos, nec quatuor regalium numerus ad mortale sufficit. Qualiter alij distinguant.*

2 *Filij familias hominum, mediocres opes habentium, non peccant mortaliter si ad honestam recreationem, aut donationem furentur quinque, aut quatuor argenteos. Nec Religiosi, si eiusmodi quantitatem accipiant, inuitis eorum Superioribus.*

3 *Non est condemnandus ad culpam mortalem Religiosus, qui ex animi leuitate, aut propter ventris ingluuiem, ex conuentu percipit gallinam, perdicem, caseum, panem, & similia.*

1 IN hac re *D. Anton. 3. par. suæ sum. tit. 16. c. 1. §. 11. & Gers. alphab. 34. litt. S. dub. 3.* volunt, proprietatem, etiam rei minimæ contra votum paupertatis esse mortalem culpam; atque ideò in hac re non dari culpam leuem, nisi ob imperfectionem actus. Alij putant, quòd nec vnius iulij proprietas satis sit ad lethalem culpam ob pecuniæ abundantiam, quæ hodiè habetur, ità *Nauar. in cap. fin. 14. q. 6. num. 11. & 12. & lib. 3. consil. tit. de Regular. cons. 65. num. 18. & 19.* Alij denique arbitrantur, quod nec quatuor regaliũ numerus est peccati mortalis materia, ità *Sot. lib. 5. de iustit. & iur. qu. 3. ar. 1. ad 3.* Alij demum distinguũt, quòd aut agitur de Monasterijs adeò pauperibus, vt in eo rigorosè seruetur paupertas: aut tractatur de Monasterijs diuitibus, ac opulentis, seu etiam communibus. Proprietatem igitur duorum iuliorum in Monasterijs primi generis volunt esse culpam mortalem: at in Monasterijs secundi generis putant ad constituendum peccatum mortale satis non esse minorem proprietatem quinque, aut ad minus quatuor iuliorum. Quæ quidem sententia est *Sayr. lib. 9. Clauis Reg. c. 13. num. 14.* & aliorum, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 1. suæ summ. tr. 7. cap. 20. num. 87. & 88.*

Hanc eandem sententiam nos secuti fuimus supra *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explic. quarti casus reseruati, vers. Circa secundum requisitũ,* vbi de hac materia latissimè egimus, & conclusione constituta, eandem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus diffusè explicantes, an, & quando Religiosus professus, accipiens, retinens, seu appropians sibi aliquid citra licentiam tacitam, vel expressam sui Prælati, in crimen proprietatis incidit, & casum reseruatum incurrit. Vndè ad dictam *sec. 11.* remittimus pium Lectorem, ne bis idem repetere videamur. Addimus tamen ad confirmationem eiusdem sententiæ ea, quæ habentur per *Fagund. de pracep. Eccles. pracep. 2. lib. 8. cap. 6. sub num. 7.* æquiparantem Religiosum professum non seruo, sed filio familias cum opinione magis recepta, quam docet *Nauarr. in cap. non dicatis, 12. q. 1. num. 62. Rebell par. 1. lib. 3. qu. 15. sec. 13. num. 22.* & alij, ad quod facit *tex. in cap. licet, de sepult. l. qui in potestate, ff. de testam. & auth. ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Vn-

2 dè inquit ipse *Fagund.* quòd cùm filij familias hominum mediocres opes habentium, nõ peccent mortaliter, si eis inuitis ad honestam recreationem, aut donationem furentur quinque argenteos, seu reales, vel saltem quatuor, vt habetur ex *Petr. Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. nu. 66. & Rebell. loco citato, sec. 15. num. 16.* hoc idem meritò dicendum de Religiosis putat, vt non peccent mortaliter si eiusmodi quantitatem accipiant, inuitis eorum Superioribus; tãtò magis, quoniam, vt docet *Rebell. d. sec. 13. num. 22.* hoc casu concurrit præsumpta voluntas Superioris; qui si esset inuitus, irrationabiliter esset talis. Si quidem Prælati non debent strictiores esse de patrimonio Christi, quod ipsi nec sudore, nec labore acquisiuerunt, quam Patres sunt de suo, quod vel iure hæreditario à suis maioribus acceperunt, aut non sine maximo sudore, ac labore fuerunt adepti. Et quamuis Prælati id grauius aliquantulum ferant, quã Patres; id tamen est, quoad modum, nempè, propter licentiam non petitam, quam petere poterant; non autem quoad substantiam: putat autem *Fagundez*, ibi, quòd hoc casu grauius peccant venialiter Religiosi, propter votum paupertatis, quàm filij: non tamen mortaliter: quia paruitas materiæ semper excusat à lethali culpa, etiam quando agitur de trãsgressione voti, vt ostendimus in *d. sec. 11.* reijcientes sententiam *D. Anton.* ac *Gerson.*

3 Hinc idem *Fagund.* ibidem, *num. 8. cum plur. seq.* post *Hieronymum Flam. 3. p. methodi, cap. 9. §. 11. vers. Ecclesiasticis, ad fin.* infert, non esse condemnandum ad mortalem culpam Religiosum, qui ex animi leuitate, aut ventris ingluuie ex conuentu clam percipiat gallinam, aut perdicem, caseum, panem, & his similia; quia voluntas Superioris non præsumitur pro his subditum velle obligare ad mortale: & si talis esset eiusdem intentio, irrationabilis esset, cùm nec Patres filios pro eiusmodi rebus subtractis putent lethalem culpam contrahere. Secundò infert, posse Religiosos iter agentes, aut studijs vacantes extra conuentum ex ijs, quæ sibi pro expensis itineris, aut studiorum causa à Prælatis dantur, aliquid accipere, parcius maximè viuendo, vt distribuant in eleemosynam pauperibus, aut expendant in alios honestos vsus, & posse citra violationem voti acceptare pecuniam pro expensis itineris, etiam amplam sibi à Sæcularibus in itinere tributam, & quod superfuerit donare pauperibus, aut propinquis, ex præsumpta Superiorum licentia. Reliqua nonnulla ad hanc rem pertinentia, vide omninò suprà *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explicat. quarti casus, vers. Circa secundum requisitum,* cum suis *amplias. & limit.*

An Religiosus professus peccet contra votum paupertatis, si volenti sibi donare centum aureos, illos non acceptet, sed dicat illi vt Titio eosdem tribuat, aut alicui ex suis consanguineis.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui pecuniam sibi oblatam non acceptat, sed offerentem rogat, vt eam alicui ex suis consanguineis, cui cum effectu præstitit, non peccat.*

2 *Peccat tamen si citra iustam, & rationabilem causam non acceptauit, sed vt consanguineo detur. Et quæ sit iusta, & rationabilis causa Religioso non acceptandi donationem.*

1 IN hac re *Sanch. de matrim. lib. 6. disp. 4. nu. 7.* quem refert, & sequitur *Fagund. de pracep. Eccles. pracep. 2. lib. 8. cap. 6. num. 18.* inquit quòd si Religiosus eo casu pecuniam sibi oblatam non acceptet, sed offerentem roget, vt eam tribuat alicui ex suis consanguineis, cui cum effectu præstitit, contra votum paupertatis non peccat.

deuotione distribuant, iuxta Euangelij consilium, ac promissionem, quam initio Nouitiatus faciunt: interim tamen quantum ad illorũ vsum Religiosam paupertatem seruant, nec vlla re tanquam propria, & sine Superioris facultate vti possunt. Est tamen uerum, quòd Religiosus aliquis dictæ Societatis Iesu, qui post biennium simplicia uota, ubi suprà edidit, si de bonis, quæ, uel ante ea uota acquisierat, uel postea iure hæreditario acceperat, seu inter uiuos, aut mortis causa, citra Superiorum consensum disponat, mortalem quidem culpam contrahit contra uotum paupertatis; sed dispositio firma remanet: siquidem retinet dominium bonorũ, donec se ijs abdicet. Ità *Sanch. lib. 7. moral. cap. 18. qu. 2.* quem refert *Laym. in sua summ. Theol. lib. 4. tr. 5. cap. 7. sub num. 3. vers. Cæterum,* contra *Molin. tom. 1. de iust & iur. tr. 2. disp. 139. vers. Illi, qui tempore.* Vndè in hoc differunt inter se uota simplicia, & solemnia prædictorum Religiosorum, quòd illa non priuant dominio suorum bonorum, nec omninò acquirendi incapaces eos reddit; neque acquisitorum alienationem irritam efficiunt; sed tantùm illicitam, si absque Superiorum licentia fiat: at uerò uota solemnia Religionis ipso iure priuãt professum rerum antè habitarum dominio, & tùm acquirendi, tùm transferendi incapacem reddit, ut in *cap. vnico, de voto in 6.* Addit, quòd similes ijs facit coadiutores formatos dictæ Societatis *Laym. loco citato,* & probat ex eisdem Constit. Greg. XIII.

8 Cæterùm per *Concil. Trid. sess 25 de Regularib & Monial. cap 2.* decernitur, non tantùm illicitum esse Regularibus habere bona, siuè mobilia, siuè immobilia tanquam propria, aut nomine conuentus possidere, vel tenere: sed etiam inhibetur eisdem stabilium cõcessio, quoad vsufructum, vsum, & administrationem: solùm tamen concedi posset Religiosis res mobiles ad nutum amouibiles, vt constat ex verbis *d. Conc.* ità se habentis: *Nemini igitur Regularium tàm virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia qualiscunq; qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine conuẽtus possidere, vel tenere: sed statim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsufructum, vel vsum, administrationem, vel commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorũ, seu conuentuum ad solos officiales eorundem, ad nutum eorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum, ità Superiores permittant, vt eorum suppellex statuĩ paupertatis, quam professi sunt, conueniat: nihilque superfini in ea sit, nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliquid quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, in biennio actiua, & passiua voce priuatus sit: atque etiã, iuxta sua Regula, & Ordinis Constitutiones puniatur.*

9 Quartò infertur, non posse dici violatores voti paupertatis Religiosos illos, qui cum consensu eorum Superiorum expresso, tacito, aut præsumpto rem quampiam in conuentu, aut extra accipiunt, retinent, permutent, aut alteri donent: Secus autem si aliqua prædictorum, aut similium agant, citra Superiorum consensum; quoniam tunc lethalem culpam contraherent contra votum paupertatis, vt patet ex ijs, quæ habentur in *d. cap. non dicatis, 12. q. 1* & ex suprà cumulatis, *Maior in 4 d. 38. q. 1. Syl vers. Religio, 6. q. 7. D. Anton. par. 2. tit. 16. cap. 1. §. 11. Nauar. de Regular. com 2. num. 20. & in Man cap. 17. num. 105. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 12. cap. 12. Sanch. lib. 7. moral. cap 19.* & hanc esse communem sententiam, testatur *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. cap. 7 sub num. 4.* Vbi tacitum Prælati consensum censeri, tunc dicit ex *Sanch. loco citato, num. 7. & 70.* cùm in aliqua Religione viget consuetudo recipiendi aliqua, aut expendendi, non petita Superioris licentia; quoniam Superior censetur ijs tacitè consentire. Sic etiam si Superior donet Religioso res aliquas, vel ab alio donatas eidẽ permittat, quas scit illis omnibus non indigere ad proprium vsum, vt si donet imagunculas, rosaria, namismata, grana benedicta, & alia eiusmodi, tunc Prælatus censetur tacitè consentire dictarum rerum donationi alijs faciendæ per dictum Religiosum. Consensum verò præsumptum volunt esse, *D. Thom 2. 2 q. 32. ar. 8. ad 1.* & in eum *Aragon.* ac *Bann. Sãch. Azor. & Laym. locis citatis,* quando subditus ob iustam causam sibi persuadet, Prælatum, si sciret, consensurum, ac contentum fore talem rem accipere, expendere, aut donare; quamuis Prælatus interdum inuitus sit, quòd clam, aut, eo non rogato, accipiatur; si tamen inuitus non sit, quoad rem ipsam concedendam rogatus, vt habetur ex *Nauar. de Regular. com. 2. nu. 20.* & ex alijs apud *Laym. vbi suprà.*

Quæ nam quantitas pecuniæ, aut alterius rei, accepta, aut donata à subdito Religioso citra consensum Prælati, satis sit ad lethalem culpam contrahendam contra votum paupertatis.

S E C. I V.

S V M M A R I V M.

1 *Proprietas etiam rei minima est mortalis culpa. secundùm aliquos; alij verò putant non sufficere ad peccatum mortale vnius iulij proprietas. Et secundùm aliquos, nec quatuor regalium numerus ad mortale sufficit.*
Qualiter alij distinguant.

2 *Filij familias hominum, mediocres opes habentium, non peccant mortaliter si ad honestam recreationem, aut donationem furentur quinque, aut quatuor argenteos.*
Nec Religiosi, si eiusmodi quantitatem accipiant. inuitis eorum Superioribus.

3 *Non est condemnandus ad culpam mortalem Religiosus, qui ex animi leuitate, aut propter ventris ingluuiem, ex conuentu percipit gallinam, perdicem, caseum, panem, & similia.*

IN

1 IN hac re *D. Anton. 3. par. suæ sum. tit. 16. c. 1. §. 11. & Gers. alphab. 34. litt. S. dub. 3.* volunt, proprietatem, etiam rei minimæ contra votum paupertatis esse mortalem culpam; atque ideò in hac re non dari culpam leuem, nisi ob imperfectionem actus. Alij putant, quòd nec vnius iulij proprietas satis sit ad lethalem culpam ob pecuniæ abundantiam, quæ hodiè habetur, ità *Nauar. in cap. fin. 14. q. 6. num. 11. & 12. & lib. 3. consil. tit. de Regular. cons. 65. num. 18. & 19.* Alij denique arbitrantur, quod nec quatuor regaliū numerus est peccati mortalis materia, ità *Sot. lib. 5. de iustit. & iur. qu. 3. ar. 1. ad 3.* Alij demum distinguūt, quòd aut agitur de Monasterijs adeò pauperibus, vt in eo rigorosè seruetur paupertas: aut tractatur de Monasterijs diuitibus, ac opulentis, seu etiam communibus. Proprietatem igitur duorum iuliorum in Monasterijs primi generis volunt esse culpam mortalem: at in Monasterijs secundi generis putant ad constituendum peccatum mortale satis non esse minorem proprietatem quinque, aut ad minus quatuor iuliorum. Quæ quidem sententia est *Sayr. lib. 9. Clauis Reg. c. 13. num. 14.* & aliorum, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 1. suæ summ. tr. 7. cap. 20. num. 87. & 88.*

Hanc eandem sententiam nos secuti fuimus *supra tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explic. quarti casus reseruati, vers. Circa secundum requisitū*, vbi de hac materia latissimè egimus, & conclusione constituta, eandem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus diffusè explicantes, an, & quando Religiosus professus, accipiens, retinens, seu appropriāns sibi aliquid citra licentiam tacitam, vel expressam sui Prælati, in crimen proprietatis incidit, & casum reseruatum incurrit. Vndè ad dictam *sec. 11.* remittimus pium Lectorem, ne bis idem repetere videamur. Addimus tamen ad confirmationem eiusdem sententiæ ea, quæ habentur per *Fagund. de precep. Eccles. precep. 2. lib. 8. cap. 6. sub num. 7.* æquiparantem Religiosum professum non seruo, sed filio familias cum opinione magis recepta, quam docet *Nauarr. in cap. non dicatis, 12. q. 1. num. 62. Rebell. par. 1. lib. 3. qu. 15. sec. 13. num. 22.* & alij, ad quod facit *tex. in cap. licet, de sepult. l. qui in potestate, ff. de testam. & auth. ingressi, C. de Sacros. Eccles.* Vn-
2 dè inquit ipse *Fagund.* quòd cùm filij familias hominum mediocres opes habentium, nō peccent mortaliter, si eis inuitis ad honestam recreationem, aut donationem furentur quinque argenteos, seu reales, vel saltem quatuor, vt habetur ex *Petr. Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. nu. 66. & Rebell. loco citato, sec. 15. num. 16.* hoc idem meritò dicendum de Religiosis putat, vt non peccent mortaliter si eiusmodi quantitatem accipiant, inuitis eorum Superioribus; tātò magis, quoniam, vt docet *Rebell. d. sec. 13. num. 22.* huic casu concurrit præsumpta voluntas Superioris; qui si esset inuitus, irrationabiliter esset talis. Si quidem Prælati non debent strictiores esse de patrimonio Christi, quod ipsi nec sudore, nec labore acquisiuerunt, quam Patres sunt de suo, quod vel iure hæreditario à suis maioribus acceperunt, aut non sine maximo sudore, ac labore fuerunt adepti. Et quamuis Prælati id grauius aliquantulum ferant, quā Patres; id tamen est, quoad modum, nempè, propter licentiam non petitam, quam petere poterant; non autem quoad substantiam: putat autem *Fagundez*, ibi, quòd hoc casu grauius peccant venialiter Religiosi, propter votum paupertatis, quam filij; non tamen mortaliter: quia paruitas materiæ semper excusat à lethali culpa, etiam quando agitur de trāsgressione voti, vt ostendimus in *d. sec. 11.* reijcientes sententiam *D. Anton.* ac *Gerson.*

3 Hinc idem *Fagund. ibidem, num. 8. cum plur. seq.* post *Hieronymum Flam. 3. p methodi, cap. 9. §. 11. vers. Ecclesiasticis, ad fin.* infert, non esse condemnandum ad mortalem culpam Religiosum, qui ex animi leuitate, aut ventris ingluuie ex conuentu clam percipiat gallinam, aut perdicem, caseum, panem, & his similia; quia voluntas Superioris non præsumitur pro his subditum velle obligare ad mortale: & si talis esset eiusdem intentio, irrationabilis esset, cùm nec Patres filios pro eiusmodi rebus subtractis putent lethalem culpam contrahere. Secundò infert, posse Religiosos iter agentes, aut studijs vacantes extra conuentum ex ijs, quæ sibi pro expensis itineris, aut studiorum causa à Prælatis dantur, aliquid accipere, parcius maximè viuendo, vt distribuant in eleemosynam pauperibus, aut expendant in alios honestos vsus, & posse citra violationem voti acceptare pecuniam pro expensis itineris, etiam amplam sibi à Sæcularibus in itinere tributam, & quod superfuerit donare pauperibus, aut propinquis, ex præsumpta Superiorum licentia. Reliqua nonnulla ad hanc rem pertinentia, vide omninò suprà *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explicat. quarti casus, vers. Circa secundum requisitum*, cum suis *amplias. & limit.*

An Religiosus professus peccet contra votum paupertatis, si volenti sibi donare centum aureos, illos non acceptet, sed dicat illi vt Titio eosdem tribuat, aut alicui ex suis consanguineis.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Religiosus, qui pecuniam sibi oblatam non acceptat, sed offerentem rogat, vt eam det alicui ex suis consanguineis, cui cum effectu præstitit, non peccat.*

2 *Peccat tamen si citra iustam, & rationabilem causam non acceptauit, sed vt consanguineo detur. Et quæ sit iusta, & rationabilis causa Religioso non acceptandi donationem.*

1 IN hac re *Sanch. de matrim. lib. 6. disp. 4. nu. 7.* quem refert, & sequitur *Fagund. de præcep. Eccles. præcep. 2. lib. 8. cap. 6. num. 18.* inquit quòd si Religiosus eo casu pecuniam sibi oblatam non acceptet, sed offerentem roget, vt eam tribuat alicui ex suis consanguineis, cui cum effectu præstitit, contra votum paupertatis non peccat.

peccat. Etenim cum pecuniam non acceptauit, nihil donauit suo consanguineo. Nec obstat *tex. in l. 2. ff. de calumniator.* dum ait: *Nec refert an ipse pecuniam acceperit, aut alteri iusserit dari*, atque ideò videtur per Religiosum consanguineo, indirectè facta donatio, pręuia tacita rei oblatæ acceptatione, iuxta *tex. in l. Prætor ait, ff. de eden.* quod videtur expressè contra motum proprium Clem. VIII. cuius meminit *Fagund. loco citato*, & alij, ità se habentem: *Prohibemus Religiosis, ne largiantur munera, non solùm per se, verum etiam per alios, tàm directè, quàm indirectè*. Quoniam respondetur, motum proprium Clem. VIII. tātùm obligare, ne Religiosus sibi propria, & acquisita donet citra debitam licentiam: at Religiosos in casu, de quo agitur, nihil acquisitū donat. Leges pariter citatæ loquuntur de donatione rei, quam antea quis acceptauit tacitè, vel expresè, & post acceptationem alteri donauit: at Religiosus pecuniam sibi oblatam nō acceptauit: & propterea eam non censetur consanguineo, nec tacitè, nec expresè donasse.

2 Hæc sententia proculdubio vera est ob rationes suprà allatas; non tamen talis Religiosus excusabitur à peccato mortali, si citra iustam, ac rationabilem causam oblatam pecuniam nō acceptauit, vt eius consanguineo daretur: siquidem is, licèt non peccet contra votum paupertatis; peccat tamen contra charitatem, qui citra rationabilem causam recusat pecuniam sibi oblatam, vt detur consanguineo; quoniam impedit bonum Monasterij in cuius vtilitatem donatio illa cedebat. Potest autem dari iusta, ac rationabilis causa Religioso non acceptandi donationem, nempè, ne Superior in suspicionem veniat, quòd ipse Religiosus nimiam familiaritatē habeat cum externis: ne Religiosus remaneat remunerationi obnoxius, &c. vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, num. 19.*

An Religiosus talis Religionis, in qua non recipiuntur eleemosynæ pro celebrandis Missis, peccet contra votum paupertatis, si conueniat cū aliquo, vt tot iulios donet tali pauperi pro totidem Missis ab ipso pro eo celebrandis.

S E C. VI.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur responsio affirmatiua, cum actus sit dominij saltem virtualis.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè. Etenim ex quo talis Religiosus paupertatem vouit, non est capax dominij: at actus est dominij saltem virtualis, nam idem est dare pecuniam illam pauperi, ac ipsi Religioso: nam licèt nomine dicatur eleemosyna; Reuera tamen est contractus ex iustitia dati, & accepti. Ità *Petr Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 183. §. 2. dubitatio, & Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 8. Cap. 6. num. 19.* qui tamen hanc conclusionem limitant, vbi quis tali Religioso cētum v.g. daret, nullo pręmio pacto, & ipse gratitudinis causa promitteret ei celebraturus centum Missas, citra dependentiam vnius promissionis ab altera: nam tūc id licitum esset. Ità prædicti Doctores, qui contraria soluunt.

An rerum notabilium permutatio, facta à Religioso citra Superioris licentiam; absque tamen Monasterij detrimento, sit lethalis culpa contra votum paupertatis.

S E C. VII.

SVMMARIVM.

1 *Iuxta primam sententiam non est peccatum mortale talis commutatio, si conuentui non proueniat iactura magna, nec erit contra votum paupertatis commodare librum, etiam decem aureorum per tres, vel quatuor mēses.*

2 *Contrariam sententiam tenet* Sanchez, *nam commutare est actus dominij.*

3 *Probabilior est sententia, quod non sit peccatum, quando ex permutatione nulla iactura prouenit Monasterio.*

4 *Permutatio facta à Religioso sine Superioris licentia, aliquando nec leuis quidem culpa est.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est, *Rodriq. par. 2. sua sum. cap. 31. num. 7.* dicentis, quòd si conuentui iactura magna non proueniat, vt quia æqualia pro commutatis recipiantur, talis commutatio etiam cum extraneis, non est culpa mortalis. Etenim paruitas materiæ in qualibet re excusat à lethali culpa, vt sæpè diximus. Hinc sequitur, quòd si Religiosus librum valoris decem aureorum, è Monasterio auferat, & commodet alteri, etiam extraneo citra licentiam Superioris, vt eo vtatur per tres, aut quatuor menses, non peccat mortaliter contra votum paupertatis: quia licèt rei vsus absque Superioris licentia repugnet voto paupertatis; tamen ratione paruitatis materię, qualis est vsus d. libri per præfatum tempus, non est plusquam peccatum veniale, vt habetur ex *Sanch. lib. 7. moral. cap. 19. num. 57. & cap. 20. num. 6.*

2 His tamen non obstantibus contrariam sententiam, tenet *Sanch. d. cap. 19 num. 67.* quem sequitur *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. cap. 7. sub num. 4. vers. Sed quid sentiendum:* mouentur ex eo, quòd commutare sit actus dominij; quoniam à solo habente dominium, aut legitimam administrationem rectè fieri potest. Vndè concludunt, quòd si res commutata sit magni pretij, talis commutatio est culpa lethalis.

3 Mihi autem prior opinio videtur probabilior: quoniam nos supponimus, nullam, aut minimam iacturam ex tali permutatione prouenisse Monasterio: quapropter licèt demus talem Religiosum fecisse contra votum pauper-

pertatis, dum citra licentiam Superioris fecit dictam permutationem; nihilominus fecit contra dictum votum in re leui; quia nos supponimus ex tali permutatione nullũ, aut leue damnum prouenisse. Nec obstat, quòd permutatio sit actus dominij, nam id nihil aliud probat, nisi talem Religiosum fecisse contra votum paupertatis: sed quia votum paupertatis violauit in re leui, dicendum est, peccasse contra votum tantùm venialiter. Neque demum refragatur, quòd nos supponimus, rem commutatam esse magni pretij; siquidem non attenditur pretium rei permutatæ, an maximum sit, vel paruum; sed attenditur damnum, quod ex tali permutatione prouenit Monasterio: nam qui aufert à Bibliotheca communi librũ magni pretij non animo sibi appropriandi, sed eo vtendi spacio trium, vel quatuor mensium non peccat plusquam venialiter, vt ex *Sanch.* suprà diximus, quoniam licet liber sit magni pretij, vsus tamen dicti libri, in quo damnificatur Monasterium est parui valoris. Imò aliquando permutatio facta à Religioso sine licentia Superioris non est, nec leuis quidem culpa: Sæpè enim 4 præsumi potest, Superiorem inuitum non esse, vt cum Religiosus commutat cum alio librũ, aut aliud simile, quæ sibi data sunt ad propriũ vsum, maximè si permutatio fiat, cum domesticis, vt habetur ex eodem *Laym. loco citato.* Quę omnia eò magis vera sunt, quia in omnem euẽtum Superior semper est liber ad irritandas eiusmodi Religiosorum permutationes tanquã absque eius consensu factas.

An Religiosus faciat contra votum paupertatis, si rem sibi ad vsum per Superiorem concessam culpa sua lata perdat, aut destruatur.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio affirmatiua, quia lata culpa dolo æquiparatur.*
Et an teneatur ad restitutionem, si peculium habeat suæ administrationi concessum.
2 *Contra votum paupertatis etiam facit Religiosus, qui bona sibi donata accepit, & consumpsit, vel alteri donauit citra Superioris consensum.*
Et an teneatur restituere si peculium habeat.
3 *Contra votum etiam facit Religiosus, qui acceptum cùm licentia Prælati, abscondit, vt nequeat Prælatus volens illud reuocare.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè, ut habetur ex *Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 115. Less. lib. 2. de iust. & iur. c. 41. dub. 9 num. 79. vers. Decimò, & Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5 cap. 7 sub num 6.* Etenim cùm lata culpa æquiparetur dolo, vt probat *Panor. in cap. 1. de commod. & cap. fin. depos.* & latè *Bart.* & alij in l. *quod nerua, ff. depos.* perindè est, ac si rem illam ex proposito talis Religiosus amiserit, aut destruxerit: at posse rem proprio arbitratu perdere, ac destruere, proculdubio est actus dominij. Religiosus autem, cui solus rei vsus concessus est, non potest talem dominij actum cum proposito formali, aut virtuali exercere citra voti paupertatis violationẽ. Vndè præfati Doctores, addunt insuper, quòd si talis Religiosus peculium, habeat suæ administrationi commissum, iuxtà ea, quæ supra diximus *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explic. quarti casus, in fine,* debet ex eo restitutionem facere Monasterio, cui ex tali destructione, vel quacunque inutili alienatione damnum illatum fuit. Idem dicendum est de Religioso, qui ea, 2 quæ sibi donata fuerunt, accepit, & consumpsit, aut alteri donauit citra consensum Superioris: siquidem suo arbitratu aliquid accipere, & donare, ac consumere actus dominij est, & proindè citra violationem voti paupertatis exerceri non potest. Siquidem Religiosus quicquid acquirit donatione, legato, hæreditaria successione, contractu, acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit, si capax sit, sicut seruus Domino, & filius patri, vt habetur ex *Panor in cap. cum ad Monasterium, num 2. de statu Monac. Nauar. de Regular. com. 2 num. 30. & Laym. loco citato, vers. Quintò violat.* Vndè si talis Religiosus peculium habeat, vt suprà, tenetur ex eo reficere Monasterio omne damnũ, quod ex causa prædicta passum fuit. Actum dominij 3 denique cæteris prætermissis exercet Religiosus, atque ideò facit contra votum paupertatis, si quæ cùm licentia Prælati acceperit, postea abscondit, ne Prælatus volens ea reuocare, suũ propositum exequi nequeat: aut si nõ abscõdat de Prælato volente ea reuocare; aut cùm effectu adimente, murmuret, quoniam hæc omnia voto paupertatis repugnãt, vt habetur ex *Less. lib. 2 de iust & iur cap. 4 dub. 5. nu. 25.* & alijs apud *Laym d. cap. 7 num. 8.*

An sit cõtra votum paupertatis assignatio certæ annuæ portionis factæ per Prælatum Religioso de bonis Monasterij, aut parentum pro suis vestimentis, ac etiam alimentis, suo commodo, & incommodo; ad nutum tamen Prælati reuocabilis.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Affertur pars affirmatiua, quam multi Doctores docent, maximè attento* Concilio Tridentino.
2 *Contrariam sententiam docet* Nauar. *& alij, non solum attento iure communi, sed etiam* Trident.
3 *Consultius esse, putant DD si res etiam à consanguineis donata Religiosis, deponantur in manu Superioris, aut alterius depositarij, à quibus Regularis recipiat pecuniam pro suis necessitatibus.*
4 *Etiam Prælati votum violant paupertatis, & con-*

contra iustitiam delinquunt, si bona conuentus aliter expendant, vel donent, quam regula ordinis, vel consuetudo, aut Superiorum Prælatorum ipsis permittit.

5 *Non modo hæc locum sibi vendicant in Prælatis Regularibus beneficium Ecclesiasticum non habentibus, sed etiam si illud obtinent.*

6 *Quæ Religiosus beneficiarius extra Monasterium acquirit aliundè, saltem post eius mortem Monasterio debentur, si sit bonorum capax.*

1 IN hac re partem affirmatiuam docent *Petr. Nauarr. lib. 3. cap. 1. num. 174. Lopez par. 2. instr. cap. 5. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 5. num. 30. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 1. cap 9. num. 30. Molina tom. 2. disp. 276.* & alij existimantes, quòd licèt de iure communi id non videatur prohibitum, ac de hac re consuetudinem tanquam licitam defendit *Innoc. in cap. insinuante, qui Cler. vel vouent. Panor. in cap. cùm ad Monasterium, num. 8. de statu Monac. & in cap. edoceri, num. 3. de rescr.* Nihilominus hodiè ex vi *Conc. Trid. sess. 25. de irregular. c. 2.* id esse omninò damnatum, in illis verbis: *Nemini igitur Regularium, tàm virorum, quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conuentus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, conuentuiq; incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsufructum, vel vsum, administrationem, aut commendam, &c.*

2 His tamen non obstantibus contrariam sententiam tenent *Nauar. de Regular. com 2. num. 18. & com. 3. num. 27. & lib. 3. consil. 75. de Regular. dub. 18 edit. 1. Sanch. lib. 7. moral. c. 22. num 11. Sà vers. Religio. num. 48. Bera par. 4. casu 32 Miran. tom. 1. Man. q. 28. ar. 8. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 53. & Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. cap. 7. num. 13.* dicentes, non esse contra votum paupertatis assignationem annuæ portionis factam Religioso ex bonis Monasterij, aut aliundè acquisitis pro victu, ac vestitu ad sui commodum, aut incommodum; ad nutum tamen Prælati reuocabilem, quam opinionem dicunt esse veram non solùm attento iure communi, quod dicunt esse citra controuersiam; verùm etiam, attenta hodiè noua dispositione *Conc. Trid. d. cap. 2.* Etenim volunt, non fuisse propositum Concilio nouum aliquod ius statuere; sed solùm ius declarare, quo prohibetur, ne superflua Religiosis assignentur, & ne sub ea conditione aliqua relinquerentur, independenter à Prælati voluntate; atque ideò vt irreuocabiliter retinere possent. Vndè hodiè permitti quoque posse arbitrantur, vt Regularibus post editam professionem, iusta causa subsistente, liceat manere in domo priuata ex annuis eius redditibus victum quærentibus, cum licentia tamen Prælati ad nutum reuocabili, iuxtà *tex in d. cap. insinuante, qui Cler. vel vouent.* Sic etiam putant, Monacho seni, uel infirmo posse assignari redditus alicuius Villæ, ex quibus se alat. Et Monialibus posse solùm præberi victum: uestitum autem labore manuum sibi comparare, vt per *Laym. loco citato.* Non tàm hodiè puto assignari posse Religiosis stabilia in vsum, administrationē, & commēdam; quoniam videtur omninò prohiberi per *Conc. loco citato*, ibi: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsufructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorū, seu Conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles, pertineat. Mobilium verò vsum, ità Superiores permittant, vt eorum suppellex statui paupertatis, quā professi sunt conueniat, &c.*

3 Cæterum quicquid sit de rebus immobilibus, an concedi possint, vt suprà Regularibus, non obstantibus dictis Concilij verbis, vt aliqui putant; eiusmodi tamen concessiones, etiā rerum mobilium non placent admodum Doctoribus; sed consultius esse arbitrantur, si res etiam à consanguineis donatæ Religiosis deponantur in manu Superioris, aut alterius depositarij, à quibus Regularis recipiat pecuniam, qua suis necessitatibus, vel pauperum consulat iuxta ipsius Superioris arbitratum, vt habetur ex *Azor. lib. 1. instit. moral. tom. 1. cap. 9. qu. 4. Lopez par 2. instr. c. 5. §. Secundò consuetudo, & Laym. d. num. 13. in fine*, vbi etiam *num. 14.* illud certum esse inquit, Prælatum nec solùm, nec cum Capitulo posse permittere Religioso, vt bona ex quacunque causa, aut titulo quæsita, in vsus quoslibet, etiam vanos, aut illicitos expendat, aut superflua, vel pretiosa, quæ statum Regularem dedecent, penes se habeat: siquidem, tùm Prælatus eiusmodi facultatem præbens; quàm subditus ea vtens voti paupertatis violatores essent, & facultas irrita esset, & res ad dictos vsus expensę sunt restitutioni obnoxiæ; cùm Prælatus non possit in subditum maiorem facultatem transferre, quam ipse habet. Non enim Prælatus bonorum Monasterij est Dominus, sed administrator, ac dispensator, vt in *cap. 2. de donat.* atque ideò ea non potest expendere in res vanas, sed tantum in eius Ecclesiæ necessitatem, & vtilitatem. Ita *Nauarr. de Regular. com. 2. num. 23. Syl. vers. Religio. 6. q. 7. Sanch lib. 7. moral. cap. 19. num. 30. & Laym. loco citato, & num. 10.* vbi specialiter agens de Prælatis, inquit, quòd etiam

4 ipsi paupertatis votum violant, & contra iustitiam delinquunt, si bona Conuentus aliter expendant, vel donent, quàm ordinis sui Regula, vel consuetudo, aut Superiorum Prælatorum ipsis permittit, vt habetur ex *Nauar. de Regul. com. 2. num. 11. & 23. Sanch. lib. 7. moral. loco citato*; & alijs, qui dicunt bona malè donata à Prælatis esse restitutioni obnoxia; eo quòd, vt suprà diximus, Prælati non sunt Domini rerum Ecclesiarum; sed tantùm administratores, ac dispensatores.

5 Quæ quidem vera sunt, & locum sibi vendicant, non solùm in Prælatis Regularibus, beneficium Ecclesiasticum non habentibus; sed etiam in Prælatis Regularibus, qui legitimè Ecclesiastica beneficia obtinent: Religiosus enim beneficiatus redituum beneficij administrationem habet, quos de iure expendere potest ad sui sustentationem, & ad alios pios vsus; siqui-

siquidem ea natura est beneficij Ecclesiastici, vt beneficiario tribuat redditutum administrationem ad necessarios, ac pios vsus, vt in *Clem. 2. §. Sed, & tales, de vita, & honest. Cler. Nauarr. de Regular. com. 2 num. 10. & 11. & lib. 3. cons. 70. de Regular. edit. 2. Rodriq. tom 1. qq. Regular. q. 34. ar. 7. Molin. tom. 2. de iust. & iure, disp. 276.* Vndè *Nauarr. d. num. 10.* probat Regularem beneficiarium posse disponere de fructibus beneficij, etiam manualis ad nutum reuocabilis, sicut quilibet alius beneficiarius Secularis, ad quod allegat *d. Clem 2. §. Sed tales*. Post amotionem autem Regularis à beneficio, vel post eius mortem fructus, qui supersunt, pertinent ad Ecclesiam, cuius intuitu eos acquisiuit, vt inquit idem *Nauarr. d. com. 2. nu. 6. & Panorm. cap. vlt. num. 3. de Regular.* Quæ verò Religiosus beneficiarius extra Monasterium aliundè acquirit, nempè ex eleemosynis, hæreditate, legato, propria arte, vel ex pensione sibi constituta, Monasterio saltem post mortem ipsius beneficiarij debentur, si id bonorum in commune sit capax, vt per *Bart. in l. 1. §. si fructuarius, ff. de stipul. seruor.* & quamuis *Sanchez lib. 7. moral. cap 32. num 76.* contrarium doceat, quoad acquisita ex arte, ac donatione; nihilominus à priori sententia non est recedendum, vt rectè probat *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. cap. 7. sub num. 17. & 18.* His adde, quæ infrà dicemus *sec. 36. vers. Quintò peccant.*

An subsistat legatum Regulari professo relictum ea lege, vt ad ipsum, non autē ad Monasteriū pertineat, SEC. X.

SVMMARIVM.

1. *Adducitur pars affirmatiua: Et quomodo explicanda sit voluntas testatoris hoc casu.*
2. *Verba testatoris intelligenda sunt secundum personæ conditionem, cui aliquid relinquitur.*
3. *Idemque dicendum est, si relinquatur hæreditas Religioso, sub conditione, vt ad ipsum pertineat, & non ad Monasterium.*
4. *Testator si legatum faciat Religioso, vt rei legatæ dominium transferatur in ipsum Religiosum, & non in Monasterium; legatum subsistit, & conditio tanquam turpis reijcitur.*
5. *Si expressè constet de voluntate testatoris, nolentis aliter legare, nisi quod dominium rei legatæ transeat in Religiosum, independenter à Prælato, legatum corruit: Et quare; Quid si Prælatus consentiat, an possit Religiosus vsum, & commoditatem rei legatæ donare Monasterio.*

1 IN hac re partem affirmatiuam docent *Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q. 125. ar. 2. Molin. tom 1. de iust. & iur. tr. 2. disp. 140. vers. Si aliquid testamento, Panorm. in cap. Monachi, nu. 8 de statu Monac. Angel. vers. Monasterium, Syl. vers. Religio. 8. q. 5.* & alij, quos refert, & sequitur, *Laym. lib. 4. sua summ. tr. 5. cap. 7. n. 20.* Mouentur ex eo, quòd licèt hæc dispositio videatur aduersari voto, ac statui Regularis professi; nihilominus potest explicari voluntas testatoris hoc casu, ità vt subsistat; nempè vt vsus seu commoditas legati ad Regularem professum pertineat cum dependentia à Prælati consensu, qui cùm primum consensum denegauerit, corruat legatum: si verò consensum præbuerit, interim legati dominium Monasterio acquisitum est. Etenim dispositio quæcunque interpetrari debeat, vt valeat potius, quàm pereat, vt in *l. quadraginta, ff. ad leg. falcig.* & latè *Doctor. in l. contrahendo, ff. de regul. iur.*

2 Confirmatur, quoniam verba testatoris intelligenda sunt secundum conditionem personę, cui aliquid datur, seu relinquitur, vt in *l. plenum, §. equitij, ff. de vsu, & habit.* ergò legatum, de quo agitur, intelligendum est secundum conditionem legatarij, atque ideò Religiosi, cui legatur: nàm si aliter intelligeretur voluntas testatoris, quàm fuit suprà interpetrata testatoris uoluntas, legatum esset contra conditionem Religiosi, qui incapax est rerum dominij, imò & earum usus; nisi dependenter à uoluntate Prælati, ut sæpè diximus.

3 Ampliatur hæc conclusio, ut idem dicendū sit si Religioso hæreditas relinquatur, sub ea lege, ut ad ipsum pertineat; non autem ad Monasterium, aut si eodem modo alicuius rei eidem fiat donatio; quoniam mens testatoris, aut donatarij est interpretanda eodem modo cùm militat in utroque casu eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

4 Secundò ampliatur eadem conclusio, ut legatum subsistat, etiam si testator legatum faciat, ut rei legatæ dominium transferatur in ipsum Religiosum legatarium, non autem in Monasterium. Siquidem, cùm conditio illa sit impossibilis moraliter Religioso, atque adeò turpis, habetur pro non adiecta, *l. 1 §. si quis ita, l. quæ sub conditione, l. conditiones quæ, & l. cōditiones contra, ff. de condit. instit.* Vndè legatum prædictum modale potius, quam conditionale censeri debet, ut declarat *Laym. loco citato. sub nu. 21. vers. Dico tertiò.*

5 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, cùm expressè constat de voluntate testatoris nolentis aliter legare, nisi quòd rei legatæ dominium transeat in Religiosum independenter à Prælato: nàm tunc legatum corruit, quia in ultimis uoluntatibus, testatoris uoluntas est attendenda, ut habetur ex *Panor. Molin.* & alijs Doctoribus supra relatis. Et cum supponamus legatū eiusmodi esse conditionale, sub dicta conditione expressè factum non potest præsumi modale; quia in claris non est opus coniecturis, uulgatis iuribus. Est tamen uerum, quòd stante interpetratione uoluntatis testatoris, iuxtà nostram conclusionem, si Prælatus ex parte sua consentiat, potest Religiosus usum, & commoditatem rei legatæ donare Monasterio; quoniā modalis illa conditio fuit à testatore adiecta in fauorem Religiosi: at quilibet potest suo fauori renunciare. Ita *Laym.* post alios, vbi supra sub *num. 10. circ. fin.*

An Prælatus possit concedere Religioso professo vsum alicuius rei irreuocabilem.

SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio negatiua, cum Prælatus nihil Religioso concedere potest, quod repugnet paupertati.*

1 AD hanc difficultatem respondetur breuiter negatiuè. Etenim Prælatus nihil Religioso concedere potest, quod paupertati repugnet. Ità *Sanch. lib. 7. moral. cap. 17. num. 28.* & alij apud *Laym. lib. 4. sua summ. tract. 5. cap. 7. num. 19* quam conclusionem amplio, vt nec Sum. Pontifex rem eo modo Religioso cōcedere valeat, quia obseruatio voti est de iure Diuino, supra quod non est Sum. Pontifex, & non potest iusta causa dispensandi assignari cū Religioso, vt independenter à Rom. Pontifice rem aliquam possideat, vt latè de hac re egimus supra *tom. 1. §. 1. disp. 8. sec. 11. in explic. quarti casus, vers. Circa secundum ampl. 1. & 2.* Hæc satis dicta sunt de peccatis Religiosorum in communi, hoc loco; nam reliqua infrà dicemus *sec.* modo videndum restat de culpis Prælatorum, vocalium, & aliorum Religionis officialium, vndè, vt in hac re ordinatè procedamus; primò tractabimus de Abbate, seu Præposito Generali, & deindè singillatim de alijs illi inferioribus.

De peccatis, quæ contrahi possunt per Regularium Generalem.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Peccat grauissimè Regularium Generalis, si post eius electionem in dispensandis Prælaturis, ac officijs rationem tantum habet eorum, qui sibi adhæserunt, & suffragati sunt.*

2 *Peccat Regularium Generalis, si præficiat admodum iuuenes.*

3 *Peccat non leuiter Generalis Regularium, qui eos, quos sibi non fuisse suffragatos nouerit, & alias dignos, ac de Religione benemeritos nō præficiat, sed potius humiliare eos quærat, ne caput extollant.*

4 *Peccat Regularium Generalis, si studeat eligi Consultores, ac Diffinitores sibi adhærentes, & non potius merentes, qui scientia, vita sanctitate, ac prudentia alios excellant.*
Multoque magis Capitulares, ad quos spectat eorum electio.

5 *Peccat Generalis Regularium, transferendo subditos, maximè vocales, & Confessarios de vna domo, in aliam, absque causa rationabili.*

6 *Peccat Regularium Generalis, si subditum appellantem à grauaminibus Guardiani, seu Præpositi nō audiat, nec iustitiam ministret.*

7 *Peccat Generalis Regularium, non corrigendo subditorum excessus publicè, si interest, vt delicta puniantur.*

8 *Regulares, extra Monasterium degentes, si delinquāt, possunt ab ordinarijs locorum coerceri, etiam si eorum Superiores negligentes non sint.*

9 *Prælati in coercendis subditis, debent esse Pastores, non autem percussores. Et notatur in hoc dictum* D. Gregor. & Concil. Trid. sess. 13. de refor. cap. 1.

10 *Peccat Regularium Generalis non leuiter, qui propria tantum commoda, ac suorum respiciens, debitam curam non habet de ouibus: Et inter Pastores connumerantur semet ipsos pascentes, non gregem.*

11 *Peccat mortaliter Præpositus Generalis Theatinorum, ambiendo Ecclesiasticas dignitates extra Congregationem.*
Qua pœna puniantur, qui Episcopi dignitatem petunt.

12 *Peccat Generalis Regularium, si irrationabiliter remittat pœnas delinquentibus irrogatas.*
Et licet Pater Præpositus Generalis Theatinorum facultatem habeat relaxandi pœnas, non tamen irrogatas à Capitulo Generali, debet nihilominus in illis remittendis respicere commune bonum Religionis.

13 *Innocentes tradit exitio, qui liberat multorum exitia cogitantem.*
Nec est misericors, qui vitijs nutriendis parcit, & fauet.

14 *Respub. tunc benè gubernantur, cum improbis dant pœnas.*

15 *Peccat Regularium Generalis, si irrationabiliter facultatem dat Apostatis, ingrediendi quamcumque Religionem.*
Qualiter sit regulandū arbitrarium, quod habet P. Præpositus Generalis Theatinorum dandi supradictam facultatem Apostatis.

16 *Superior non tenetur Monachum recipere, qui quater aufugit. Et quid differat esectus à fugitiuo, & Apostata remissiuè.*

17 *Peccat Generalis Regularium, si sit facilis in credendo, maximè in præiudicium tertij.*
Multoque magis peccat, si aures porrigat referendarijs.

18 *Peccat Regularium Generalis si in Constitutionibus declarandis, contra id, quod nouerit declarandum, decreuerit, ductus odio, timore, aut amore, vel spe aliqua. Duplicisque culpa, efficitur reus.*

1 GRauissimæ culpæ reus effici potest in primis Regularium Generalis; si post ipsius electionem, in dispensandis Congregationis Prælaturis, ac officijs rationem habeat eorum tantùm, qui sibi adhæserunt, & suffragati sunt, & non potius vnius cuiusque meritorum: Is enim primò apertè conuincitur, Prælaturam non solùm appetiuisse (quod citra culpam iniustitiæ fieri non potest, si se non agnoscat idoneum: vel præsumptionis si se idoneum esse facilè sibi persuadeat, iuxtà ea, quæ habentur ex *Soto lib. 3. de iust. & iur. q. 7. ar. 3.*) Verum etiā eam affectasse, sollicitasse, & illicitis, ac simoniacis fortè medijs pronocasse; atque adeò mox cuina pelle, qua tegebatur, expoliatum, rapacem

cem Lupum palàm se ostendit. Secundò conuincitur, dignitatem illam subijsse, non vt prosit, sed vt præsit; postquam Congregationis vtilitatem non prospicit, dum adhærentes sibi, vt adhærentes sunt, & non vt merentes præficit. Vndè quemadmodum *Diuus Augustinus*, relatus in *cap. qui Episcopatum*, 8 q. 1. de Episcopo loquitur; ità proportionaliter de eiusmodi Prælato non iniuria dici potest, vt scilicet: *Talem se esse non intelligat, qui præesse dilexerit, non prodesse*. Tertiò peccato scandali, tum quia causa est innumerabiliũ murmurationũ; tum etiam subditi, dum vident caput eleuatum, ipsi quoque de facili eleuantur: & propterea non emulantur, vt alter alteri proficiat; sed potius ambiunt, & procurant, vt alter alteri præficiat. Et sic laqueus ruinæ populo Dei, iuxtà illud *Oseæ cap. 9.* & offendiculum iniquitatis domui Israel, secundum *Ezech. cap. 44.* si talis sit, qui præficiatur. Etenim *D. Gregor. p. 1. Pastoral.* ait: *Nemo quippè in Ecclesia amplius nocet, quàm qui peruersè agens, nomen, vel ordinẽ sanctitatis habet: delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur*. Tum denique, quia dum præficit adhærentes, vt plurimum præficit immerentes; atque ideò paucos, qui vtiliter, & pauciores, qui humiliter præsint: paucos Pastores, & innumeros percussores; qui non sequuntur vestigia eius, qui dorsum posuit ad flagella, contra ea, quæ habentur ex *D. Gregor. in cap. 1. 2. 3. & 4. d 45.* & ex *Conc. Trid. sess. 13. de refor. cap. 1.* Quamobrem innumerorum est causa malorum in Cõgregatione, cui præest.

2 Secundò peccat Regularium Generalis, si iuuenes admodum præficiat; quoniam hi, vt plurimum carent prudentia: & vt pueri dominentur, datur in pœnam à Deo, iuxtà illud *Isaiæ cap. 3. Dabo pueros Principes eorum, &c.* Vbi ait *Chrisost.* quòd pueri voce vtitur Isaias; quoniam frequenter videmus adolescentes carere prudentia: atque ideò senes faciliùs, quàm iuuenes sunt ad Prælaturas promouendi, si cætera concurrant. Nisi iuuenes adsint, de quibus inquit *D. Bernardus Epist. 42. Super senes intelligere, moribus antiquare dies, preuenire tẽpora meritis, & quod ætati deest, pensare virtutibus*. Semper tamen, cæteris paribus præferendi sunt senes, cùm sit veneranda senectus: vt habetur per *Glos. in cap. statuimus, vers. Noui, 61. dist.*

3 Tertiò non leuiter peccat Regularium Generalis, qui eos, quos sibi suffragatos non fuisse nouerit, & alios dignos, & de Religione benemeritos, iuxtà vnius cuiusque merita non præficiat; sed potius humiliare eos quærat, ne caput extollentes, eius desiderijs fiant aduersantes. Peccant enim contra iustitiam, etiam si eligat dignum; omisso tamen digniori, vt ostendimus suprà *disp. 4. sec. 8. per totam*.

4 Quartò peccat Regularium Generalis, si eligi Consultores, ac Diffinitores adhærentes sibi studeat, & non potius merentes, qui scientia, vitæ sanctitate, ac prudentia reliquos excellant. Et multò magis peccant Capitulares, ad quos spectat eorum electio in nostra præsertim Congregatione, ipsi Patri Generali obtemperantes. Etenim aliquando euenire potest, vt Capitulares existimantes elegisse in Generalem virum sanctum, & iustum, processu temporis agnoscant, sub ouina pelle, Lupum rapacem promouisse: & propterea si adhærentes illi eligant Diffinitores, & Consultores, rapientes simul, & spolia diuidentes eligant. At si è conuerso sanctos, iustos, Doctos, ac prudentes viros P. Generali associauerint, & ab eo omninò independentes; si P. Generalis ipse in bonitate, ac sanctitate permanserit, adhærentes sibi eos, ac socios habebit: siquidem boni cum bonis conueniunt, iuxta illud *Propheta Psal 118. Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua*. Quòd si secus (quod absit) refrenabitur, & confundetur peruersitas eius, bonitate, ac sanctitate sociorum, quos certò nouit, in malo sibi fore semper aduersantes: & non nisi in Congregationis bono consentientes. Mali enim tantùm consentiunt peccantibus, ac defendentibus delinquentes, iuxtà illud *Isidori in cap. qui consentit, 11. q. 3.* ità se habentis: *Qui consentit peccantibus, & defendens aliũ delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Hinc, & quidam S. Pater ait, si quis peccantem defendit, acrius quàm ille, qui peccauit, coercetur. Hinc, & alius Pater ait, si quis alterius errori consentit, sciat secum illo simili modo culpabilem iudicandum*.

5 Quintò peccat Regularis Generalis transferendo subditos, maximè vocales, & Confessarios ex vna domo in aliam, nulla rationabili causa subsistente; sed solùm, vt complaceat fortè Guardianis, Abbatibus, seu Præpositis, eos tanquam sibi non adhærentes transferri instantibus: vel ne in discretos, seu vocales Capitulares eligantur; sed potius alij, quos confidentes habeat ad ipsum confirmandum, seu reficiendum: aut certè, quia non fuerint suffragati, iuxtà suam voluntatem in eligendo discretum, seu vocalem Capitularem, vt supra. Etenim id, vt plurimum fieri nequit, citra domorum, & Congregationis magnum detrimentum, translatorum notam, iniuriam, atque violentiam, & Sæcularium scandalum.

6 Sextò peccat Regularium Generalis, si appellantem subditum à grauaminibus Guardiani, seu Præpositi non audiat, nec iustitiam ei ministret, propter adhærentiam fortè, quam habet, cum ipso Guardiano, seu Præposito: vel quia dubitat ob id ab eo non confirmari, aut non foueri ad sua vota assequenda in Capitulo Generali. Is proculdubio violat iustitiam, peccat mortaliter, & tenetur reficere subdito omnia damna, expensas, & interesse; non secus, ac iniquus Iudex iustitiam denegans, aut iniustitiam faciens. Imò ob denegatam iustitiam, subditi solent recurrere ad Superiores Supremos, eisdemque grauamina deferre, defectus ipsius P. Generalis, & totius Congregationis manifestans, non sine maximo ipsius Congregationis detrimento, & Sæcularium scandalo; ac subditorum perturbatione; cùm pax in aliqua communitate conseruari non possit, si iustitia non ministretur: siquidem iustitia, & pax sunt duæ sorores simùl inhabitantes, ità vt vbi iu-

stitia non est, nec pax existat, iuxtà illud *Psal.* 84 *Iustitia, & pax osculatæ sunt.*

7 Septimò peccat Regularium Generalis non corrigendo subditorum excessus. Etenim publicè interest, vt delicta puniantur, *l. ità vulneratus ff. ad leg Aquil. & Conc. Trid sess. 6. de refor. cap. 3. & sess. 14. de refor. cap. 4.* Id enim omnibus præcipitur, & maximè animarum curam habentibus, quales sunt non solùm Parochi, & alij Curati; sed etiam Præpositi, Guardiani, Abbates, & alij similes: nam his subditorum cura committitur in temporalibus, ac spiritualibus, vt habetur ex eodem *Conc. Trident. d. sess. 14 de reform. cap* 1. his verbis: *Cùm propriè Episcoporum munus sit subditorum omnium vitia redarguere, hoc illis præcipuè cauendum erit, ne Clerici præsertim, ad animarum curam constituti, criminosi sint, neue inhonestam vitam, ipsis conniuentibus, ducant: nam si eos prauis, & corruptis moribus esse permittant, quo pacto Laicos de ipsorum vitijs redarguent, qui vno ab eis sermone conuinci possent, quòd Clericos ipsis patiantur esse deteriores? qua etiam libertate Laicos corripere poterunt Sacerdotes, cùm tacitè sibi ipsi respondeant eadem se admisisse, quæ corripiunt, &c.* Et quamuis Concilium hoc loco Episcopis id præcipiat; nihilominus in alijs locis *Conc.* sup. relatis, redargutionem præcipit omnibus Prælatis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus. Imò idem *Conc. sess. 25 cap. 14. de Regular* concedit Episcopis Regularium correctionem in defectum suorum Superiorum negligentium, & Superiores ipsi pro negligentia officio priuantur, ità statuens: *Regularis non subditus Episcopo, qui intra Claustra Monasterij degit, & extra ea, ità notoriè deliquerit, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuerè puniatur: ac de punitione Episcopum certiorem faciat; sin minus à suo Superiore officio priuetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.* Imò

8 Regulares extra Monasterium degentes, si delinquant, etiam si eorum Superiores negligentes non sint in eis corrigendis, attamen ab ordinarijs locorum coerceri possunt, vt in *d. cap. 3. Concil Trid. sess. 6. de reform* quod ità se habet: *Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus prudenter, ac diligenter intẽdant. Et nemo Sæcularis Clericus cuiusuis ordinis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui ordinis priuilegij prætextu, tutus censeatur, quominus si deliquerit, ab ordinario loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundùm Canonicas sanctiones, visitari, puniri, & corrigi valeat*

9 Est tamen verum, quòd Prælati in coercendis subditis debent esse Pastores, non autem percussores, vt habetur *d. 45 in princ. & cap. licet,* vbi ex *D Gregor.* circa correctionem Rectorum Ecclesiæ, ità legitur: *Licèt plerumque accidat Sacerdotibus, quæ sunt reprehendenda; plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quàm seueritas: plus cohortatio, quàm comminatio, plus charitas quàm potestas, cùm nemo nostrum sine reprehensione, aut sine peccato viuat. Nàm si Dominus statim post trinam negationem B. Petrum Apostolum Præceptorem nostrum iudicasset, non tantùm ex eo fructum, sicut fecit recepisset. Expectandi ergo, atque corrigendi magis sunt Rectores Ecclesiæ, quàm statim iudicandi.* Modum ergò, quo corrigi subditi debeant ab eorum Prælatis, optimè quoque docet *Concil. Trid. sess. 13. de reform. cap. 1.* sic inquiens: *Illud prius eos admonendos censet, vt se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ità præesse subditis oportere, vt non in eis dominentur; sed illos tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur: quos tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contingerit; illa Apostoli est ab eis seruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate, & patientia: cùm sæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia, quā austeritas; plus exhortatio, quàm comminatio; plus charitas, quàm potestas. Sin autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cùm misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est, vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur. Et qui correcti fuerint, emendentur: aut si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animaduersionis exemplo, à vitijs deterreantur; cùm sit diligentis, & pij simul pastoris officium, morbis ouium lenia primùm adhibere fomenta; post vbi morbi grauitas, ità postulet, ad acriora, & grauiora remedia descendere: sin autem, nec ea quidem proficiant, illis submouendis, cæteras saltem oues contagionis periculo liberare, &c.*

10 Octauò non leuiter Regularium Generalis peccat, qui propria tantùm commoda, ac suorum respiciens, debitam curam non habet de ouibus. Qui talis est, connumeratur inter Pastores, qui pascunt semetipsos, non gregem; perdit nomen boni Pastoris, & acquirit sibi mercenarij nomen. Mercenarius quippè est, ait *D Gregorius homil 14 in Euang.* qui locum quidem Pastoris tenet; sed lucra animarum non quærit: terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reuerentia lætatur. Vndè per *Conc. Trid sess. 25. de reform. cap. 1.* de omnibus Prælatis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus loquens, ità statuit: *Quæ suæ sint partes agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum; sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse intelligant. Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea, quæ mundi sunt; sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes, &c.* Et inferiùs circà finem monens eos ad deponẽdum omnem humanum affectum erga suos, ità quoque inquit: *Imò, quàm maximè potest, eos S. Synodus monet, vt omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, vndè multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitùs deponat.*

11 Nonò peccat mortaliter nostræ Congregationis Præpositus Generalis ambiendo Ecclesiasticas dignitates extra Congregationem: postquam iureiurando astringitur vigore no-

strarum

strarum Constitutionum eas non ambire, nec acceptare, vt in 3. *par. Decr. Capituli Generalis anni* 1612 *cap*. 5. *num*. 1. his verbis: *Qui Præpositus Generalis fuerit creatus, illicò antequàm ei obedientia præstetur, iureiurando se astringat, non modò non ambiendi Ecclesiasticas dignitates extra Congregationem, nec per se, nec per alios, non directè, nec indirectè; non clam, nec palàm: verùm etiam illas ne vltrò quidem oblatas, nisi ex præcepto Sanctissimi se recepturum; idque ne dum toto sui Generalatus tempore, sed etiam non nisi anno elapso à sui muneris abdicatione*. Imò ad propellendam ambitionem extat aliud Decretum Capituli Generalis, anni 1607. *par* 3. *Decr. cap*. 10. non solũ contra Reu. admodum P. nostrum Generalem; sed etiam contra quoscunque nostræ Congregationis, tenoris sequentis: *Cautum est ab omnibus, & singulis Capituli Patribus, communi suffragio, ac nemine penitus dissentiente, ne quisquam nostræ Congregationis quoquo pacto per se, aut per alios, palàm, vel occultè Episcopi dignitatem petat, vel per ambitum quærat. Qui secus agere compertus fuerit, re probata, omni dignitate, & munere nostræ Congregationis priuetur. De Ciuitate, in qua demorabitur, eyciatur, eòque mittatur, vbi nullam Episcopatus captandi occasionem, aut opportunitatem habere possit. Si Generalis, aut alicuius domus particularis Præpositus fuerit, si Visitator, si Consultor, protinus in eius locum sufficiatur alter: si vocalis à ferendi suffragij iure cadat: si Sacerdos simplex, rem sacram non faciat, Confessarius ne audiat: si Clericus in sacris constitutus, à ministrando suspendatur: si non fuerit in sacris, ad ordines ne promoueatur: quæ pœna nullo modo relaxetur, vel remittatur vnquam: imò nec de ea re sermo habeatur, nisi in Generali Capitulo; idque expleto sexennio. At si P. Generalis, aut loci Præpositus, aut Visitator eius rei certior factus inquirere, & contra eum agere destiterit, aut quiuis alius Sacerdos, vel Clericus, qui sciens rem totam ad Superiores non detulerit, eisdem pœnis subiaceat. Si verò fuerit Laicus, pro Superioris arbitrio puniatur*.

12 Decimò, peccat Regularis Generalis si irrationabiliter remittat pœnas delinquentibus irrogatas. Vndè licèt Reu. admodum nostrum Patrem Præpositum Generalem hanc facultatem habere; nisi pœnæ à Generali Capitulo fuerint irrogatæ constet ex *cap*. 5. *num*. 8. 3. *par. Decr Capit. Gener. anno* 1610. his verbis: *Potestas sit penes P Generalem remittendi, vel omnino relaxandi pœnas, vel à se solo, vel etiam vnà cum Consultoribus, non tamen à Generali Capitulo alicui irrogatas*. Nihilominus in remittendis, vel omninò relaxandis eiusmodi pœnis debet attendere ad commune Religionis bonum, & prospicere, an Reus delinquendi dimiserit affectum; cùm sæpè facilitas veniæ incētiuum tribuat delinquendi, vt in *cap. vt Clericorum, de vita, & honest Cler*. & quando in miserendo non seruatur modus, iniusta dicitur misericordia, *cap. est iniusta*, 23. *q*. 4. vbi etiam refertur illud *D. Ambr. lib*. 1. *de offic*. ità se habentis: *Itaque si quis Latronem filijs deprecantibus, motus, & lacrimis coniugis eius inflexus absoluendum putat, cui adhuc latrocinandi aspiret affectus, non ne innocentes tradet exitio,*

13 *qui liberat multorum exitia cogitantem? Non ne cum vni indulget indigno, ad prolaxionis contagium prouocat vniuersos? Facultas enim veniæ incentiuum tribuit delinquendi*. Etenim non est misericors, qui vitijs nutriendis parcit, & fauet, ait *D August*. relatus in *cap vitijs*, 23. *q* 5. sicut non est innocentiæ, parcendo sinere, vt in malum grauius incidatur. Pertinet ergò ad innocentię officium non solùm nemini malum facere; verum etiam cohibere à peccato, vel punire peccatum; vt aut ipse, qui prius odio habetur corrigatur experimento: aut alij terreantur exemplo, vt ex eodem *D. August. in c. non est, ead. causa, & q*. vbi etiam ibidem in *c. non putes*, ità se habet: *Non putes te, tunc amare seruum tuum, quando eum non cędis: aut tūc amare filium tuum, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis: non est ista charitas, sed languor: ferueat charitas ad emendandum, & corrigendum, si sunt boni mores, delectent: si autem sint mali, emendentur*. Hinc etiam *Plato Dial*. 2. *de Phil*. inquit, quòd tunc Resp. benè guber-

14 nātur, cùm improbi dant pœnas. Tunc autem in remittendo pœnas seruatur modus, cùm id agitur, quod idem *D. August*. docet in *lib Psal*. relatus in *cap. duo ista*, 23. *q*. 4. ità dicens: *Duo ista nomina, cùm dicimus, homo, peccator, non vtique frustra dicuntur: quia peccator est corripe: & quia homo, miserere: nec omninò liberabis hominem, nisi cum persecutus fueris peccatorem. Ita nulli hominum claudenda est misericordia; sicut nulli peccatori impunitas relaxanda est*. Peccat igitur grauissimè Regulariũ Generalis, non solùm seuerius, quàm par est se habendo in puniendo delinquentes; verum etiã eisdem irrationabiliter indulgendo. Et multò magis peccat, si id agat, vt propriæ consulat vtilitati, ità eos alliciendo, vt ipse alliciatur, protegatur, in confirmando suffragia consequatur. Et super hæc omnia abominationem apud Deũ, & homines omnium maximam committit, si maxima malorum crimina impunita dimittat. Et bonorum leuia peccata seuerissimè persequatur, vt eos deprimat, & securius dominetur.

15 Vndecimò peccat Regularium Generalis si irrationabiliter delinquenti immunitatem promittat, si ad alium ordinem se transferat: aut facultatem concedat Apostatis quamcunq; aliam ingrediendi Religionem. Etenim quamuis vi nostrorum Priuilegiorum, de quibus P. *Pellegr. in Comp. nostrorum Priuileg. tit. transire*, § 2. tribuatur facultas Reu admodum nostræ Congregationis Præposito Generali, quæ possit licentiam concedere nostri Professis transeundi ad quemuis alium Ordinem Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, aut arctioris Obseruantiæ, per ipsum P. Generalem præscribendum: & quamuis extet decretum Capituli nostri Generalis anni 1610. 3 *par. Decr. cap*. 5. *num*. 9. ità se habens: *Pater Generalis pro suo libito potestatem faciat Apostatis quamcunque aliam ingredi Religionem*. Nihilominus illud suum libitum regulandum est à recta ratione, nempè si communi bono Religionis, & saluti animarum eorum nouerit expedire: & in dam-

num

num non vergat illius Religionis, cui præscribuntur: aliàs Apostatæ sunt diligenter perquirendi, capiendi, carcerandi, & coercendi, ne maiora mala committendi per transitum ad laxiorem Religionem illis tribuatur aditus. Et si blanditijs speratur eos reducendos esse ad idem aratrum, in quod manum miserant, ita vt pareant, & contumaciam, ac inobedientiam, in duplicatam obedientiam, & reuerentiam commutent, tunc id agendum esse, inquit *Nauarr. cons. 75. in nouis, de Regular.* & latè habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 30. ar. 5. & 10. & Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5 à num. 78. vsq; ad num. 152.* Est tamen verum, quod *Graff. à nu. 78. cum plur. seq.* probat, quod Superior non tenetur recipere Monachum, qui quater aufugit etiam si dicat velle reuertere ad pœnitentiam. Quæ nam differentia sit inter eiectum fugitiuũ, & Apostatam, & quid agendum sit de eorum bonis extra Monasterium acquisitis. Vide *Graff. loco citato.*

16

17 Duodecimò peccat Regularium Generalis si sit facilis in credendo, & multò magis si talis sit in præiudicium tertij: & ob id præceps fiat in puniendo: siquidem legitur *Eccles. cap. 19. Qui citò credit, leuis est corde, & minorabitur: & Paul. in Epist. 14. Nihil tam inquietat animum, nihil est, quod mobilem mentem, ac leuem faciat, quàm facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mẽtis assensu sequi. Hinc enim crebræ dissentiones; hinc odia iniusta nascuntur: hoc est, quod sæpè de amicissimis inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas maliloqua lingua dissociat.* Et multò magis peccat si aures porrigat referendarijs, referentibus oretenus, vel per literas ipsi P. Generali, quòd talis, aut talis subditus de eo murmurauerit: hoc, vel illud dixit in præiudicium sui honoris, vel famæ. Etenim eiusmodi iniquitatis filij, aut vera referunt, aut falsa. Si primũ, cùm eo ipso mortaliter peccent, tanquam Deo infideles non sunt audiendi, nec aliqua fides est eis adhibenda; atque adeò cùm certò sciat P. Generalis, eos esse peccatores, ac Dei inimicos tenetur ipsos corrigere, cùm subditorum ad eũ pertineat vi sui muneris correctio: & propterea si id non agat, duplicem contrahit culpam: alteram scilicet, quia non corripit subditorum culpas, iuxtà ea, quæ supra diximus: & alteram, quoniam dum eos audit, & fouet, præbet eisdem occasionem, vt peiores fiant, & multos inquietos reddant. Quòd si falsa referant (vt præsumendum est, quia qui non veretur lethalem culpam contrahere referendo veritatem, non verebitur, etiam mortaliter peccare referendo falsitatem.) Et si P. Generalis veritatem edoctus, impunitum dimittat talem relatorem, procul dubio grauissimè Deum offendet.

18 Tertiodecimò peccat Regularium Generalis, si in Constitutionibus declarandis, si quæ fortè dubitationes oriantur, contra id, quod in conscientia nouerit declarandum, decreuerit odio, amore, timore, aut spe aliqua ductus. Tunc enim nostræ Constitutiones maximè, quarum declaratio spectat ad Reu. admodum nostrum P. Generalem, ac Consultores, telæ redderentur aranearum. Is enim duplicis culpæ efficitur reus; iniustitiæ scilicet, dum contra iustitiam alicuius, aut Religionis in communi scienter sinistrè interpretatur nostras Constitutiones: & violationis voti obedientiæ, non seruando nostras Constitutiones, sed illas potius deludens, non considerans, quòd eiusmodi crimen sit vnũ ex ijs, quæ ipsum reddunt depositione dignum, vt patet ex nostris Constitutionibus, *par. 3. c. 7. §. Meminerit*, in illis verbis: *Si Constitutiones in rebus grauibus non seruet, nec curet ab alijs seruandas, si eas spernat, ac deijciat.*

An licitum sit citra culpam appetere in Præpositum Generalem eligi.
SEC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Potest quis appetere in Episcopum promoueri triplici ex causa, sic, & in Generalem eligi.*
2 *Ambiens tantum, non quærens dignitatem Generalatus, an incidat in pœnam Decreti Capituli Generalis,* 3. p. Decr. c. 10. n. 2. & n. 5. & n. 8.
3 *Ambire aliquando denotat, dignitates, & honores immoderatè appetere, ac desiderare.*
4 *Potest quis petere in Generalem eligi sed non ambitiosè. Et quid sit ambitio.*
5 *Petens, & ambiens eligi in Generalem Theatinorum, incidit in pœnas, contentas in eorũ Constitutionibus* par. 3. cap. 2. §. Si probetur.
6 *Petens in Generalem eligi, non tamen illum honorem ambiens, si idoneus sit ad tale munus subeundem, non peccat quærendo, sed potius meretur.*
An debeat prius suas vires metiri, & deindè honores, ac dignitates quærere.
7 *Quæres, aut petens eligi in Generalem, quamuis talem honorem non ambiat; in foro tamen externo præsumitur ambitiosus.*
8 *Quærens tantùm eligi in Generalem Congregationis Theatinorum, licet non ambiat dignitatem, probabiliter quoad forum externum incidit in pœnas in supradictis constitutionibus contentas.*
9 *Qui non quærit eligi in Generalem, sed proprio ore, litteris, aut alijs signis ostendit, ambire dignitatem illam, in quas pœnas incidat.*
10 *Sub nomine Præpositi, venit Generalis Theatinorum, qui verè dicitur Præpositus.*
11 *Decretum prædictum in* d. §. Si probetur, *editum fuit ad repellendam ambitionem, meritò non solùm comprehendit* Præpositus *domorum, sed etiam* Præpositum *Generalem.*
12 *Procurantes, & audentes assumi in Abbatem, aut* Præpositum *Generalem per mendicatos fauores S.R.E. Cardinalium, ac* Principum *Regularium non incidant in censuris, & pœnis, per quamplurimas* Pontificias *Constitutiones statutis Regularibus aliquorum ordinum.*

1 IN hac re recolenda sunt ea, quæ supra adnotauimus *disp. 6. sec. 1.* de Episcopatu agentes, an possit absque peccato appeti: Siquidem eadem ratio militat in vtroque. Sicut enim quis potest appetere in Episcopum promoueri tripli-

ei ex causa, nempè, vt opes habeat; vt præsit; vel vt prosit: ità quoque potest quis tribus ex causis moueri ad appetendum in Generalem eligi. Nempè propter commoda, quibus in Religione potiri solet P. Generalis; vt præsit; aut vt prosit. Ob primam, & secundam causam non potest quis appetere in Generalem eligi. Sed tantum ob tertiam causam, nempè vt prosit, vt diximus de Episcopatu *d. disp. 6. sec. 1.* cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Nunquam tamen licitum est petere in Generalem eligi; quoniam eo ipso, quòd petit, redditur indignus, ac delictum committit; atque ideò electores scienter ei suffragium dantes mortaliter peccarent tanquam concurrentes ad eligendum indignum, vt habetur ex *Soto lib. 3. de iust. & iure, q. 7. ar. 3. & Panor. in cap. quia propter, de elect.* Imò in nostra Congregatione contra petentem in Generalem eligi fuit edita Constitutio, *3. p. c. 2. §. Si probetur*, tenoris sequentis: *Si probetur quempiam per se, vel per interpositas personas quærere, vt Generalis Præpositus eligatur, de Capitulo statim, ne cùm alijs intersit, moueatur, & per decennium actiuo, & passiuo suffragio careat: neque vllo pacto pœna ei per hoc tempus remitti poterit.* Quæ quidem Constitutio qualiter intelligenda sit, infra declarabitur, *concl. 1.*

2 Sed circa rem hanc non parua difficultas remanet definienda de ambiente tantùm, non autem quærente dignitatem Generalatus, an incidat in pœnam Decreti Capituli Generalis editi *3. par. Decret. cap. 10 nu. 2.* ità se habentis: *Nemo insuper nostrũ palã, vel occultè petere, aut ambire audeat, vt Præpositus, aut Visitator, aut Definitor, aut Cõsultor, aut Vicarius, aut Magister Nouitiorũ; aut vocalis ad Generale Capitulum interfuturus ipse creetur vel vt ad ferenda suffragia, confessiones audiendas, sacrosue ordines suscipiendos admittatur. Qui secus fecerit, non modo inhabilis ad id muneris eo anno habeatur, verum, & alia, etiam pœna Superioris arbitrio decernenda puniatur.* In quo quidem cùm nulla mentio fiat de ambiente dignitatem Generalatus, potest dubitari, an contineatur sub pœnis sub ipso decreto contentis; si quis tantùm ambiat in Generalem eligi, non autem quærat, seu petat.

3 Ad huius quæstionis tituli explicationem est adnot. quòd ambire aliquando denotat dignitates, ac honores immoderatè appetere. ac desiderare; nempè, vt opes, ac commoda habeat. vt præsit, non autem, vt prosit, iuxtà ea, quæ supra adnotauimus. Secundò ambire idem denotat, quod dignitates ac honores immoderatè quærere, ac petere. Etenim ambitio, ex qua quis ambitiosus dicitur, deriuatur à verbo, ambio, quòd idem est, quod circumeo: quoniam Romani antiquitùs, dum honores, ac dignitates quærerent, circumire singulos solebant, rogareque, vt se suffragijs adiuuarent. Nos igitur in hac quæstione quærimus, tùm de immoderatè quęrente, seu petente in Generalem eligi an & quando comprehendatur sub d. Constitutione, *par. 3. cap. 2. §. Si probetur*: tum etiam controuersia nostra est de simpliciter ambiẽte, idest immoderatè desiderante in Generalem eligi, an incidat in pœnas dicti Decreti, *3. par. cap. 10. num 2.* alternatiuè loquentis per illa verba: *Petere, aut ambire audeat.* Per desiderium autem immoderatum nõ intelligimus actum purè internum, at internũ manifestatum per actum externum, nempè voce, aut operatione, aut scripto, cũ pro actu purè interno nõ detur pœna in foro exteriori, vt in *leg. cogitationis pœnam, ff. de pœn.*

4 Secundò est adnot. quòd potest quis petere eligi in Generalem, sed non ambitiosè petere, atque ideò non ambire dignitatem illam, vt cũ quis quærit in Generalem eligi non quærens sua commoda, & non vt præsit; sed tantùm vt prosit, & prospiciat communi bono Religionis: is enim non potest dici ambitiosus, quia ad finem debitum, ac ordinatum petit eligi: ambitio autem à qua ambitiosus deriuatur, secundũ *D. Thom. 2. 2. q. 131. ar. 1.* est immoderatus appetitus honoris. Vndè ambitiosus appetit honores non secundùm regulam rationis, sed excedit: non autem dicitur excedere regulam rationis, qui honores petit non respiciens sua cõmoda, & vt præsit, sed respiciens Religionis vtilitatem, atque ideò, vt prosit: ergò datur casus, in quo quis honorem, ac dignitatem aliquã petat, ac quærat, & eam non ambiat. Secundò potest quis ambire in Generalem eligi; non tamen honorem, & dignitatem petit, nec quærit per se, nec per alium, vt si quis desiderat re vera eligi in Generalem, non vt prosit, & vt bono communi Religionis prospiciat; sed tantùm vt præsit, & temporalia commoda ex tali dignitate percipiat. Is enim quamuis non petat, nec quærat in Generalem eligi; est tamen formaliter ambitiosus, eo quòd honorem illum appetit non secundum regulam rationis; sed immoderatè, nempè respiciens ad propria commoda, & vt præsit, non autem, vt prosit: & eo magis si talis est indignus, quia tunc appetere et honorem de excellentia, quam non habet: siquidem honor importat quandam reuerẽtiam alicui exhibitam in testimonium illius excellentiæ. Tertiò aliquando accidit, vt quis quærat, & petat in Generalem eligi, & insuper ambiat, ac ambitiosè quærat dignitatem illam, vt cùm quis per se, aut per alium suffragia quærat, vt eligatur, cùm aliàs sit indignus, aut quærat dignitatem illam non vt prosit; sed vt præsit, & sua commoda, non autem Religionis vtilitatem intendat. Is enim proculdubio est formaliter ambitiosus, cùm immoderatè prosequatur honorem eiusmodi. His breuiter adnotatis, sit.

PRIMA CONCLVSIO.

5 Petens, & ambiens eligi in Generalem nostræ Religionis, incidit in pęnas in nostris Cõstitutionibus contentas, *par. 3. cap. 2. §. Si probetur.* Hæc conclusio est clara, & patet ex verbis dictæ Constitutionis. Quam conclusionem amplio veram esse, siuè per se quærat quis eligi, siuè per alium, vt patet ex illis Constitutionis verbis: *Per se, vel per interpositas personas quærere.* Secundò amplio, vt locum habeat ipsa cõclusio, siuè quis quærat eligi in Generalem existens in Capitulo Generali: siuè quærat in Generalem eligi existens extra Capitulum Generale. Etenim Constitutio generaliter loquitur de

de quærente eligi in Generalem, nec distinguit, an id fiat in Capitulo Generali, vel extra Capitulum; ergò dicta Constitutio generaliter est intelligenda de quocunque quærente, & in quocunque loco talem dignitatem: quoniam lex generaliter loquens generaliter est intelligenda, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l.1.§.generaliter, ff. legat. præst.* iuncta *l. de pretio, ff. de public. in rem act.*

SECVNDA CONCLVSIO.

6 QVærens, seu petens in Generalem eligi, nō tamen illum honorem ambiens, si idoneus sit ad tale munus subeundum, non peccat quærendo; sed potius meretur. Hæc conclusio patet ex ijs, quæ supra diximus *not.*2. Siquidem qui petit dignitatem, eam non ambiens, non petit illam, vt commoda ex ea assequatur, & vt præsit; sed vt prosit proximo, & ad honorem Dei; atque ideò talis actus non est vitiosus, sed virtuosus, vt rectè declarat *Tab. in sum. versic. Ambitio, sub num.*2. ergò petens, seu quærens, & non ambiens in Generalem eligi, non peccat; sed potius meretur. Ampliatur ipsa conclusio, vt idem dicendum sit de petente quemcunque honorem, ac dignitatem, cum eadem ratio militet in omnibus alijs honoribus, ac dignitatibus, *arg. tex. in l. illud. ff. ad leg. Aquil.* Est tamen verū, quòd iste talis debet prius suas vires metiri, & deindè honores, ac dignitates quærere: scriptū est enim ex *D. Greg. in cap non est putanda, 1. q. 1. circ. fin. Quisquis ergo Sacerdotiū non ad elationis pompam; sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc, quod est subditurus, onere metiatur, vt si impar est, abstineat, & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat.* His adde, quæ supra adnotauimus *disp.6. sec... concl.3.*

TERTIA CONCLVSIO.

7 QVærens, seu petens in Generalem eligi, quamuis talē honorem nō ambiat; quoad forum tamen exterius præsumitur ambitiosus. Hæc conclusio patet ex ijs, quę supra adnotauimus circa principium huius *sec.* ex *Panor. & Soto*; qui dicunt, quòd eo ipso, quòd quis petit dignitatem aliquam, illius efficitur indignus, ac delictum committit; atque ideò electores scienter ei suffragium dantes, mortaliter peccant, tanquam concurrentes ad electionem indigni. Etenim prædictorum Doctorum sententia est vera præsumptiuè tantùm: & propterea si reuera scirent electores, aliquem verè, ac moderatè petere dignitatem aliquam, & eam nō ambire, eidem suffragantes, non peccarent, quia quoad forum interius rei veritas, non autem præsumptio attenditur. Est tamen verum, quod eiusmodi præsumptio est sufficiens ratio, vt ferri possint leges pœnales contra petentes dignitatem aliquam, etiam si non appareant ambientes. Et propterea in nostra Congregatione extat Decretum 3. *par. cap.* 10. *num.* 2. cuius verba supra retulimus, quo sub certa pœna prohibetur alternatiuè petere, aut ambire aliquas in nostra Religione dignitates, honores, ac munera, vt constat ex illis verbis: *Nemo insuper nostrum palàm, vel occultè petere, aut ambire audeat, vt Præpositus, aut Visitator, &c.* Nota, quod dictio illa, aut, est alternatiua, vt in *l. ille, aut ille, ff. de legat.* 3. qua propter cùm in alternatiuis satis sit alteram partem esse veram, vt in *cap. in alternatiuis, de regul. iur. in 6 l. si quis ita stipulatus fuerit, & l. si quis ita stipuletur, ff. de verb. obl.* ad contrahendam pœnam in d. decreto contētam videtur satis esse, si quis nostrum petat tantùm aliquam dignitatem, aut munus, de quibus in ipso decreto agitur, licet ea non ambiat: aut ambiat tantùm, quamuis nō petat. Nisi velimus dicere, quòd dictio illa, aut, in præfato Decreto cōtenta, sumatur expositiuè, vt in *l.1. vbi Glos. C. vbi de possess. agi opor. & l. pen.* & ubi etiam *Glosa, ff. de action. emp.* uel nisi ipsa dictio, aut, resoluatur in copulatiuam, ut in *l. cùm quidam, Cod. de verb. significat.* ut infra latius declarabimus.

QVARTA CONCLVSIO.

8 QVærens tantùm in Generalem eligi in nostra Congregatione, licet non ambiat dignitatem illam, probabiliter puto dicendum, quoad forum exterius, quòd incidat in pœnas contentas in nostris Constitutionibus, 3. *par. c.* 2. *§. Si probetur.* Hæc conclusio patet ex ijs, quę supra cumulauimus *conclus. praced.* Etenim, quoad forum exterius eo ipso, quòd quis quærit dignitatem aliquam præsumitur ambitiosè petere, & quoad Ecclesiam efficitur indignus, ut ostendimus in *d. concl. proxima.* Benè uerum est, quòd dicta nostra Constitutio, cùm fundetur in præsumptione, & præsumptio non sit iuris, & de iure, de qua in *cap. afferte de præsump.* proculdubio admittitur hoc casu probatio in contrarium. Vndè quamuis aliquis nostrum conuincatur quæsiuisse se eligi in Præpositum Generalem, si tamen ad elidendam pręsumptionem ambitionis probet, quòd non petijt eligi ad elationis pompam, atque ideò, ut præsit, uel ut aliqua commoda ex eiusmodi electione cōsequatur; sed tantùm, ut Religioni prosit, & sic pro communi bono: & reputatur ad tale munus exercendum ualdè idoneus, accedente maximè eius sanctitatis fama, tunc puto, quòd ueniret absoluendus à pœnis in d. Constitutione contentis, cùm non detur pœna sine culpa; eo quod pœna dicit essentialem ordinem ad culpam, iuxta ea, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 215. *Less. lib.* 2. *de iustit. & iur. cap.* 20. *dub.* 15. *num.* 132. & ex alijs.

QVINTA CONCLVSIO.

9 QVI non quærit eligi in Generalem, sed proprio ore, litteris, aut alijs signis ostendit ambire dignitatem illam, licet non incidat in pœnas in dictis nostris Constitutionibus cōtentas, 3. *par. cap.* 2. *§. Si probetur*; incidit tamen in pœnis, quæ continentur in Decretis nostri Capituli Generalis, *par.* 3. *cap.* 10. *num.* 2. Prima pars conclusionis patet ex tenore dictæ Cōstitutionis, ubi quærentes tantùm eligi in Generalem puniuntur, his uerbis: *Si probetur quēpiam per se, vel per interpositas personas quærere, vt Generalis Præpositus eligatur, de Capitulo*

le statim, ne cũ alijs intersit, moneatur, & per decennium actiuo, & passiuo suffragio careat: neque vllo pacto pœna ei per hoc tempus remitti poterit. Probatur modo secunda pars conclusionis; quoniam vi dicti Decreti punitur, qui petit tantùm eligi in Præpositum, &c. aut tantùm ambit, & non petit, vt ostendimus supra *concl.* 3. ob illa verba ipsius Decreti: *Nemo insuper nostrum palàm, vel occultè petere, aut ambire audeat, &c.*

10 Nec obstat si dicatur, quòd in dict. decreto nulla mentio habetur de petente, vel ambiente dignitatem Generalatus, sed tantùm de petente, aut ambiente, vt quis creetur Præpositus, Visitator, Consultor, &c. vt constat ex eiusdem tenore, quem ad verbum retulimus paulò post princip. huius *sec. vers. Sed circa rem hanc.* Vndè cùm simus in pœnalibus non videtur posse fieri extentionem de casu ad casum, sed esse decretum illud strictè interpetrandum, vt in *cap. odia, de regul. iuris in 6.* Quoniam respondetur, quòd in d. decreto prohibetur, vt nemo nostrum ambire audeat, aut petere, vt creetur Præpositus; ergo sub ipso decreto comprehenduntur ambientes Generalatum: nam noster Generalis appellatur, & verè est Præpositus. Siquidem Præpositus est nomen quoddam vniuersale, quod prædicatur, tùm de Præposito particulari alicuius domus; tum etiam de Præposito Generali. Hinc est, quòd 3. *par. Decretor. nostr. cap.* 3. & 3. *par. nostrar. Cõstit. cap.* 7. in quibus agitur de Reu. admodum P. nostro Generali intitulantur rubricæ: De Præposito Generali: & in *cap.* 7. *eorundem Decret. & cap.* 9. *dictar. Constit. in eadem* 3. *par.* in quibus agitur de Præposito, Vicario, & vocalibus domorum, inscribitur rubrica: De Præposito, Vicario, & vocalibus cuiusque domus. Cùm igitur hoc nomen, Præpositus sit quodã genus comprehendens sub se Generalem, & particulares Præpositos, & vt nostratum Constitutionum, seu Decretorum caueatur, vt nemo nostrum ambire audeat, vt Præpositus creetur, proculdubio sub dictis decretis, & pœnis in eis contentis non solùm comprehẽduntur ambientes, vt creentur Præpositi particularium domorum, sed etiam ambientes, vt creentur Præpositi Generales; quia sub genere comprehenditur quælibet eius species, secundùm *Dialecticos*, & latè probat *Euerard.* in *eius Topic. iur. loco*, à genere ad speciem.

11 Secundò respondetur, quòd dictum decretũ fuit editum ad propellendam ambitionem, vt patet ex rubrica *d cap.* 10. 3. *par. Decr.* sub qua dictum decretum continetur, cùm inscribatur: *De propellenda ambitione, &c.* Ergò si Præpositi domorum, & alij ipsis inferiores ambientes, & *cap. vi dicti decreti puniuntur*, sub dictis quoque pœnis comprehenduntur ambiẽtes Generalatus dignitatem, cùm eadem ambitionis ratio, & multò maior militet in ambiẽte, vt Præpositus Generalis creetur, quàm in ambiente alicuius domus Præposituram, aut aliam dignitatem inferiorem; cùm maior perfectio exigatur in eo, qui Præpositus Generalis est eligendus, quàm in eo, qui est eligendus Præpositus particularis alicuius domus, Visitator, Consultor, Vicarius, &c. Et per ambitionem eo ipso deprehenditur indignus, iuxta ea, quæ supra adnotauimus circa princip. huius *sec. & conclus.* 3. Etenim vbi militat eadem ratio, eadem militat quoque iuris dispositio, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Imò lex debet ampliari, ac restringi ad limites rationis expressæ, etiam si verba non patiantur, *l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patr.* latè *Panor. in cap. quia in insolis, de statu Monac.* quod quidem locum habet etiam in pœnalibus, ac odiosis, vt habetur ex *Gemin. in cap si postquam, de elect. lib.* 6. latè *Euerard. in Topic. iur. loco*, à ratione legis. Vndè ambiẽtes Generalatum comprehenduntur sub dicto decreto, non solùm expressè, vt supra ostendimus; sed etiam tacitè secundum mentem comprehensiuam Legislatoris ob expressãm rationẽ legis, vt in *cap. ex parte, de postul. Clement.* 1. *de elect.* cum alijs Doctoribus, quos paulò supra retulimus.

12 Ex quibus patet etiam quid dicendum sit de censuris, & pœnis per quamplurimas Constitutiones Pontificias statutis Regularibus nonnullorum Ordinum, qui per mẽdicatos S.R.E. Cardinalium, ac Principum Sæcularium fauores in Abbatem, aut Præpositum Generalem assumi procurant, & audent: Siquidem quidam putant sub dictis Pontificijs Constitutionibus non comprendi recurrentes ad S.R.E. Card. & Principum Sæcularium fauores, vt assumantur in suorum ordinum Generales, de ijs in Constitutionibus ipsis non fiat mentio. Etenim ex dictis patet comprehendi illos, si de Abbatibus, & Præpositis, &c. loquantur, cum Abbas dicatur de Abbate Generali, & de Abbatibus particularium domorum, sicut diximus de Præposito. Et si non exprimantur; adhuc tamen contra eosdem fit extensio secundum mentem Legislatoris comprehensiuam, vt supra diximus ex *Geminian.* & alijs, quibus adde *Syl. verf. Lex, qu.* 18. & 20.

De PP. Consultorum, Diffinitorum, ac Visitatorum culpis.

SEC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Consultores, Diffinitores, ac Visitatores in Cõgregatione Theatinorum sunt Præpositis dignitate minores, iurisdictione vero maiores: In eaque Congregatione antiquitus Consultores omninò erant à Diffinitoribus separati.*

2 *Visitatores præfatæ Congregationis priscis tẽporibus non habebant ius accedendi ad Capitulum Generale, sed hodiè hoc ius habent omnes Visitatores.*

3 *Consultores, & Diffinitores primò peccare possunt, si procurauerint eligi.*

4 *Peccant Consultores, & Diffinitores, si conspirent, & iurent, aliquem non eligere.*

5 *Peccant Consultores, ac Diffinitores, & in simonia labem incidunt, si mutuo inter se conueniant, vt tot, & tales eligantur in gratiã vnius, totidemque, ac tales in gratiam alterius.*

6 *Peccant Consultores, ac Diffinitores, manifestantes, quæ dicta fuerunt in Diffinitorio, si pa-*

pacem turbare, aut minuere videantur.

7 *Peccant Consultores, & Diffinitores, si in scrutinio agatur de vocalibus præficiendis in Præpositos, Visitatores, &c. Et fideliter non dicant quid de illis sentiant.*

8 *Peccant Consultores, & Diffinitores, si non reficiant Præpositos, & Visitatores citra eorum culpam, & nulla subsistente causa rationabili.*

Quid denotet illud verbum (si videbitur. &c.)

9 *Peccant Consultores, si ad domicilium alicubi collocandum moueantur, non tam boni communis zelo, quam proprio eorum cōmodo, ac interesse.*

10 *Peccant Consultores si irrationabiliter assentiantur Patri Generali volenti transferre vocales de domo in domum infra annum ante Capitulum proximum.*

11 *Post electionem vocalis non potest Pater Generalis solus absque Consultorum interuentu transferre aliquem Patrem vocalem de vna domo in aliam, nisi extra Vrbem reperiatur, & occurrat aliquis casus particularis.*

12 *Visitatores, vt tales sunt in multis peccare possunt: Et primò si Patrem Generalem, aut Cōsultores, vel Diffinitores eligant, vt ipsi deindè in Visitatores eligantur.*

13 *Peccant Visitatores, si partiales sint, & odio, vel amore, ac timore moueantur in explorādis criminibus, ac eorum munus non exerceant ad Dei gloriam, sed ad proprium, & suorum interesse.*

14 *Peccant Visitatores, munera recipientes, cum sit de iure prohibitum, & specialiter in Congregatione Theatinorum.*

15 *Multò magis prohibitum est munera recipere Patri Generali, & quare.*

16 *Peccant Visitatores, si de domibus, quas visitarunt, rectè non loquantur, & errata publicent.*

17 *Peccant Visitatores Theatinæ Congregationis si delatorum, vel testium nomina aliquo modo ab eis reuelentur.*

In quibus delictis decretum hoc vendicet sibi locum.

18 *Peccant Visitatores prædicti, qui nulla rationabili causa subsistente, recusant stare assessoris consilio, à P. Generali constituti.*

19 *Peccant Visitatores, qui in explorādis criminibus visitationis tempore, aut ad veritatem eruendam aliarum rerum, ad visitationem pertinentium iuramentum exigunt à subditis.*

1 QVoniam Consultores, Diffinitores, ac Visitatores, licet in nostra Congregatione maximè sint Præpositis dignitate minores, nam ob id sedent post ipsos Præpositos, etiam tempore visitationis; sunt tamen eisdem maiores iurisdictione; quoniam Consultores, ac Diffinitores habent iurisdictionem super vniuersam Cōgregationem; Visitatores super eorum Prouincias, ac Præpositi Domorum iurisdictionem habent super domos tantùm, in quibus sunt Præpositi; idcircò hoc loco de Consultoribus, Diffinitoribus, ac Visitatoribus præmisimus agendum immediatè post Reu. admodum P. Generalem, & in sequenti *sec.* de Præpositis, ac Abbatibus domorum, Deo duce agemus. Et quamuis in Religionibus Consultores, Diffinitores, & Visitatores maiorem, ac minorem potestatem habeant, prout à quibusdam maior, & quibusdam minor eis tribuitur per eorum Decreta, & Constitutiones; nihilominus in nostra Congregatione antiquitus Consultores erant omninò à Diffinitoribus separati, nec ius aliquod habebant præcedendi Patres reliquos, sed in professionis suæ loco sedebant, vt habetur 3. *par. nostr. Constit. cap.* 5. At hodiè vi Decreti Capituli Generalis anni 1615. 3. *par. nostr. Decr cap.* 4. *nu.* 2. Patres à Generali Capitulo in Consultores electi, si de corpore sint Capituli, ipso iure intelliguntur in octo Diffinitorum numero adscripti. Sin verò secus, & Romæ adsint, possunt quidem Diffinitorio interesse; non tamen suffragia ferre. Et quoad locum Romæ post P. Vicepræpositum S. Syluestri proximè collocantur: & nouissimè etiam extra Romam vbi non adsit Vicepræpositus, immediatè post Patres Præpositos sedent.

2 Visitatores pariter nostræ Congregationis priscis temporibus non habebant ius accedendi ad Capitulum Generale, nec iurisdictionem tā amplam, quam hodiè exercēt, potiebantur. His autem temporibus omnes Visitatores ius habēt accedendi ad Capitulum Generale, vt patet ex nostris *Decr. par.* 3. *cap.* 6. *num.* 1. sunt iudices ordinarij in secundis causis, etiam extra visitationis tempus; ad quos datur appellatio à Præpositi diffinitiua sententia: & in primis causis datur præuentio; non tamen possunt diffinitiuā sententiam ferre absque Præposito præuento, & citra interuentum vnius ex assignatis assessoribus, à quorum denique sententia datur appellatio ad Reu. admodum P. Generalem, & ad PP. Consultores, vt constat ex *d.* 3. *par. Decr. cap.* 9. *num.* 8. & 9.

3 Consultores igitur, ac Diffinitores possunt primò peccare, dùm eliguntur, si procurauerint eligi; id enim citra iniustitiam procurare non possunt, si se cognoscant non esse idoneos: vel culpam prosumptionis contrahunt, si se idoneos facilè sibi persuadeant: & propterea inquit *Sot. lib.* 3 *de iust. & iur. q* 7. *ar.* 3. quod eo ipso, quòd quis quærit eligi ad dignitates, & honores redditur indignus. Et in nostra Congregatione extat decretum 3 *par. Decret. cap.* 10 *nu.* 2. quod ad verbum retulimus supra *sec.* 13. *circa princ. vers. Sed circa rem hanc*, decernens, Cōsultores, & Diffinitores ipsos petentes, aut ambientes eligi, non solùm eo anno inhabiles ad eiusmodi munera, sed etiam alia pœna arbitrio Superioris esse plectendos. Et idem statuit de Visitatoribus, & nonnullis alijs: quod tamen declara, iuxtà ea, quæ supra diximus *sec prae.* de Reu. Adm. P. Generale agentes, *conclus* 2. 3. 4. & 5. Imò si preces concurrant, eorum electio aliquando efficitur simoniaca, vt probat *Panor. in cap. per inquisitionem, num.* 5. *de elect.* & multò magis erit talis, si pro eorum electione promiserint electores, aut alios ad eorum instātiam eligere, iuxtà ea, quæ habentur ex *Sylu.* post alios in *sum. vers. Simonia, num.* 13. *versic. Quartum*; & infra quoque latius dicemus. Quibus adde, quæ infra dicemus *sec.* 33. *vers. Septimò peccant*.

Secundò

4 Secundò peccant Consultores, ac Diffinitores si conspirent, & iurent aliquem non eligere, *arg. tex. in cap. coniurationum, cap. conspirationum, & seq. 11. q. 1.* Quod verum est; nisi ille talis, contra quem fit conspiratio, sit indignus; quoniam licèt conspiratio sonet in malum; nihilominus datur conspiratio bona, vt in *cap. sane, 16. q. 7. & Panor. in cap. fin. de testib. cogend. & cap. exhibita, de iudic.* Erit autem conspiratio non modo mala; sed etiam simoniaca, si cõspirent Consultores, aut alij Diffinitores, nullum se electuros in Præpositum, nisi prius præficiatur, ac eligatur talis, quem vna pars electorum, aut Pater Generalis proposuit. Vndè *Syl. vers. Simonia, num. 13. vers. Quartum:* inquit, simoniacam esse conspirationem illam, qua dicat aliquis ex Canonicis, vel alter, ad quem spectat electio: *Nunquam, me viuente fiet Canonicus in ista Ecclesia, nisi fiat talis, pro quo rogaui, vt mox etiam rem hanc melius explicabimus.*

5 Tertiò peccant Consultores, ac Diffinitores, & in simoniæ labem incidunt, si mutuo conueniant inter se, aut eorum pars maior, vt tot, & tales eligantur in gratiam vnius, & tales, ac totidem in gratiam alterius, & sic de singulis: ista enim conuentio est simonia conuentionalis, & si sequatur electio, erit realis: siquidem simonia committitur in electionibus ad beneficia Ecclesiastica, & ad Ecclesię dignitates, si fiat conuentio, vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter sibi, vel alteri in alia, vt habetur ex *Syl. loco citato*, & ex alijs, quos refert *Zecch. par. 2. sua summ. de sim. cap. 94. num. 19.* Hinc *Syl.* ibi post alios, simoniacam decernit electionem Canonicorum, qui volentes Canonizare Nepotulos suos dicant, Placeat tibi de meo: & placebit mihi de tuo. His adde, quę infra adnotabimus, *sec. 33. vers. Septimò peccant.*

6 Quartò peccant Consultores, ac Diffinitores manifestantes ea, quæ in Diffinitorio dicta fuere, si pacem turbare, aut minuere videãtur. Imò Reu. Adm. P. Generalis, & Diffinitores iureiurando ea ipsa reticere constringuntur ex vi nostrarum Constitutionum 3. p. c. 4. vbi ita decernitur: *Pater Generalis, & Diffinitores à Capitulo electi iurisiurandi vinculo se primùm obstringant, nullo se vnquam tẽpore dicturos, quæ in Definitorio dixisse, vel à Collegis audiuisse contingerit, quæ prolata pacem turbare, vel quoquo pacto minuere posse videantur.*

7 Quintò peccant Consultores, ac Definitores si in scrutinio agatur de vocalibus præficiendis in Prępositos, Visitatores, & in alia Religionis munera: si tractetur de vita, moribus, ac sufficientia aliorum Sacerdotum pro eis adscribendis idoneis ad confessiones audiendas non tantùm virorum, verum etiam mulierum, præsertìm Monialium, ad exercendum munus Magistri Nouitiorum, Lectoris, &c. iuxtà decretum Capit. Generalis anni 1627. die 30. April. & fideliter non dicant, quid de illis sentiant, respicientes ad carnem, & sanguinem potiùs, quàm ad virtutes, & merita vniuscuiusque, non merentes, sed adhærentes tantùm, & qui consanguinitate, aut affinitate coniuncti sunt, fouentes.

8 Sextò peccant Consultores, qui per trienniũ quoque sunt Definitores, & quot annis post Pascha congregantur cum Reu. Adm. P. Generale ad dictam habendam, si non reficiant Præpositos, & Visitatores citra eorum culpam, & nulla rationabili subsistente causa. Etenim hi, licet creentur in annum, & refici possint, vsque ad annum tertium, si P. Generali, & ipsis Consultoribus visum fuerit; atque ideò arbitrio eorum id remittitur, vt constat ex illis nostrarum Cõstitutionum verbis, *par. 3. cap. 4. Hi creentur in annum: reficiantur autem si Patri Generali, & Consultoribus visum fuerit, vsque ad annum tertium.* Nihilominus, illa verba: *Si videbitur, &c.* non denotant liberam P. Generalis, & Consultorum voluntatem, freno rationis non submissam; sed arbitrium boni viri, causa cognita, & pensatis circumstantijs, nempè rebus, quas vel in actis visitationis repererint, vel à Visitatoribus, aut aliundè renunciatæ fuerint, vt patet ex eisdem nostris Constitutionis *d. par. 3. cap. 5.* ità decernentibus: *Quot annis post Pascha vna cum P. Generali perspectis rebus, quas, vel in actis visitationis repererint, vel à visitatoribus, aut aliunde renunciata fuerint, deliberent, quis Præpositus, aut Visitator reficiendus, quis amouendus à munere, quis in amoti, vel demortui locum sit sufficiendus, &c.* Vndè cùm arbitrium detur pensatis circumstantijs, vt habetur ex *Vincent. de Franch.* & ad ipsum *Addent. decis. 230. num. 3.* & debeat esse regulatum à lege, & sic à recta ratione, vt per *Menoch. lib. 1. q. 6. & seq. de arbitr. & Par. de synd. vers. Iudicis suprema potestas,* proculdubio grauiter peccabunt Reu. admodum P. Generalis, & Consultores, si nulla subsistente causa, eiusmodi Præpositos, ac visitatores prætermittant reficere. Confirmatur, quia in nostra Congregatione non solent amoueri Præpositi, ac Visitatores intra triennium, nisi grauis, ac rationabilis amouendi causa subsistat: & qui intra dictum tempus non reficitur, ęstimatur amotus, vel ob aliquam eius culpam: aut ex capite ineptitudinis ad huiusmodi munera: quæ quidem æstimatio fieri nequit citra notabile damnum honoris, ac famæ ipsius amoti, ac refecti. Ergò Reu. admodũ P. Generalis, & PP. Consultores intra trienniũ absque rationabili causa amouentes, & non reficientes præfatos Præpositos, ac Visitatores citra omnem controuersiam lethalem culpam cõtrahunt, etiam si illis libera daretur reficiẽdi facultas: siquidem quando agitur de damno vitãdo, omne verbum, etiam quòd inducat liberam voluntatem debet reduci ad arbitrium boni viri, vt habetur ex *Cyno in l. 3. C. de dot. promiss. & Afflict. decis. 91 sub num. 5.*

9 Septimò peccant Consultores, si ad domicilium alicubi collocandum moueantur non tam boni communis zelo, quàm proprio eorum cõmodo, ac interesse. Et idem dicendum est, si eodem fine mouerentur ad repudiandam domum intra triennium postquam in Congregatione fuerit recepta: siquidem tam repudiare intra triẽnium, quàm de nouo collocare domos, pertinet ad Reu. admodum P. Generalem, & eius Consultores, vt constat ex nostris Constitutionibus 3 *par. c. 5. § Si ad aliud domicilium,* vbi ità fuit decretum: *Si ad aliud domicilium alicubi collocandum euocabimur, P. Generalis*

rem omnibus Præpositis, & vocalibus impertiat: Hi re maturè considerata, quid sibi visum fuerit, rescribant. Acceptis litteris P. Generalis conuocet Consultores, ac Præpositos, qui, vel ibi præsto fuerint, vel longius non abfuerint, quam quinquaginta millibus passuum; tum de sententia maioris partis, locum, aut recipiat, aut respuat. Itidem fiat si qua domus intra triennium postquam recepta in Congregationem fuerit repudianda: nam expleto triennio, Capitulum expectabitur. Hodiè tamen totum hoc negotium remissum fuit Reu. admodum P. Generali, PP. Consultoribus, R.P. Præposito S. Andreæ, P. Vicepræposito S. Syluestri, PP. Visitatoribus visitationis tempore, ac alij Præposito, si tunc temporis adsit, vt fuit decretum in Capitulo Generali celebrato anno 1624. die 3. Maij. §. vbi de aliqua domo. Nullibi autem est collocanda domus, nisi in ea ali possint ad minus viginti ex nostris, vt constat ex nostris Decretis, 3. *p. Decret. cap. 5. num. 2.* per hæc verba: *Nullibi deinceps locorum domus erigantur, alendis viginti ex nostris minimè idonea.*

10 Octauò peccant Consultores si irrationabiliter assentiantur Reu. admodum P. Generali, volenti transferre vocales de domo in domum intra annum ante Capitulũ proximum. Id enim agere Reu. Adm. P. Generalis se solo non potest citra PP. Consultorum consensum, vt constat ex nostris Constitutionibus, *par. 3 cap. 7. §. P. Generalis*, in illis verbis: *Anno autem ante Capitulum proximo, nisi consentiant Cõsultores, vocales ne transferat.* Idem dicendum est de Cõsultore seniore tempore P. Generalis obitus, aut abdicationis, vt patet 3. *par. nostrar. Constit. c. 5. §. Per P. Generalis obitum*, ibi: *Vocales de domo in domum, ne transferat: quòd si id fieri necessitas coegerit, fiat post electionem vocalis, qui ad Capitulum veniat.* Est tamen verum, quòd quando translatio vocalium est facienda à Patre Generali, & Consultoribus intra dictum annum, debet fieri per vota secreta cum omnium, ac singulorum consensu, vt fuit decretum per Capitulum Generale anno 1627. die 29. Aprilis, §. Nemo in vocalis; ibi: *Quòd si eo tempore faciendum sit, à P. Generali, & Consultoribus fiat per secreta suffragia, nemine discrepante.*

11 Imò post electionem vocalis prædicti P. Generalis solus absque interuentu, & consensu Consultorum, non potest transferre aliquem Patrem vocalem de vna domo in aliam; nisi reperiatur extra Vrbem, & occurreret aliquis casus particularis: nam tunc posset ex iusta causa transferre non mutando assignationem. Et ita dictam Constitutionem fuisse declaratam à P. Generale D. Andrea Castaldo, & suis Consultoribus anno 1620. testatur *P. Peregr. in Commentar. ipsius Constit. §. 1. litt. G.* Quòd si P. Generalis reperiatur in Vrbe, & velit transferre post electionẽ vocalis Capitularis de domo in domum vocalem aliquem, vt supra, tunc P. D. Stephanus Medices tempore sui Generalatus declarauit, non requiri omnium consensum, nemine discrepante; sed satis esse maiorem partem.

12 Visitatores autem, vt tales sunt possunt peccare in multis: & primò ante eorum electionẽ si P. Generalem, Consultores, ac Diffinitores eligant, vt ipsi in Visitatores eligantur: si Consultores, Diffinitores, ac P. Generalem iàm electos sollicitent pro eorum electione, preces fundant, & c eiusmodi: siquidem hi non solùm lethalem culpam contrahunt, & in simoniam incidunt, sed etiam incurrunt pœnas in nostris decretis contentas, *par. 3. cap. 10. num. 2.* sicut suprà diximus de Consultoribus, & Diffinitoribus, in *vers. Consultores igitur, & vers. Tertiò peccant Consultores.*

13 Secundò peccant Visitatores si partiales sint, & odio, amore, ac timore moueantur in criminibus explorandis, ac eorum munus non exerceant respicientes tantùm ad Dei gloriam, & commune Religionis bonum, sed ad proprium, ad suorum interesse, ita vt ea referant ad Reu. admodum P. Generalem, & eius Consultores, quæ velint, & quæ eorundem intersint, non autem ea, quæ debeant, & necessaria sunt, vt referantur. Aut negligentes sint in coercendis excessibus, iuxta ea, quæ tradita sunt in nostris Constitutionibus *par. 3. cap. 8. §. Cùm primum, vers. Quæ leniora*, his formalibus verbis: *Quæ leniora sunt per se ipsos corrigant, nullamque de rebus leuibus, siue apud P. Generalem, siue in Generali Capitulo faciant mentionem. Si quid graue (quod Deus auertat) compererint, & remedium statim adhibendum esse visum fuerit, suum munus sine mora exequantur, rem tamen (si videbitur) aut cum vocalibus loci, aut saltem cum Præposito, prout res postulauerit, communicent: post ad P. Generalem omnia scribant aut referant.*

14 Tertiò peccant Visitatores munera recipientes: est enim de iure prohibitum Visitatoribus munera percipere, non solùm Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis; sed etiam ipsis inferioribus, vt in *cap. exigit, de censib. in 6. & in Conc. Trid. sess. 24. de rform. cap. 3.* Imò in nostra Congregatione est specialis constitutio nostris Visitatoribus id interdicens 3. *par. cap. 8. §. Cùm primum*, in illis verbis: *Nulla recipiant munera, neque à nostris, neque à nostrùm consãguineis, ipsorum opera procurata.* Vndè Visitatores nostri possunt recipere munera ab alijs; quoniam tunc non recipiunt ea, vt Visitatores sunt. Verùm illa acquirunt domibus, in quibus sunt assignati; non autem domui loci, in quo reperiuntur tempore donationis, nec domibus professionum: siquidem à domibus, in quibus sunt assignati alimentantur, & ita de consuetudine nostræ Religionis seruari testatur, *P. Peregr. in append. nostr. Constit. tit. de Dubijs, quæ in visit. occur. post litt. G. vers. Quarta dubitatio, & in Commentar. ad easdem Constit. 3. par. cap. 5. § 6. & 7. litt. G.* vbi idem dicendum esse probat de donatis Patribus Cõsultoribus, quoad domum S. Syluestri; quia eo ipso, quòd quis est electus in Consultorem à Capitulo Generali intelligitur assignatus in d. domo. Secus autem si PP. Consultoribus, aut Visitatoribus ipsis hæreditas, aut legatum esset relictum, vel donatio inter viuos eisdem fuisset facta; quoniam tunc acquiretur domui professionis, vt constat ex decreto *par. 2. cap. 1. num. 2.* Est tamen verũ, quòd quando Consultor reperiretur extra Romam, vel Visitator extra domum sibi assignatam, & vellent aliquid donare alicui ex nostris, vel extraneo in ea quantitate, quæ prohibita non est à Ponti-

Pontificijs Constitutionibus, citra licentiam possunt: quoniam sunt Prælati, & ibi non habēt Superiorem, vt habetur ex *Peregr. loco citato*. Quibus adde, quòd præfata Constitutio, quæ prohibet nostris Visitatoribus recipere munera à nostris, aut à nostrùm consanguineis, ipsorum opera procurata, licèt nullam mētionem faciat de Reu. admodum P. Generale visitante; nihilominus non ob id illum excludere; quoniam P. Generalis dum visitat, verè visitator est, & eadē ratio militat; eò magis, quia de iure omnibus Visitatoribus est prohibita munerum receptio, vt in *d. cap. exigit, de censib in 6.*

15 Imò multo magis Reu. admodum P. Generali censetur prohibita munerum perceptio, cùm sit totius nostræ Congregationis Princeps, tum quia Principibus populi Israel præcipuè eorundem receptio à Deo prohibetur *Exod. cap. 23.* in illis verbis; *Ne accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum* Ob id enim, inquit *Tostat. lib. 4. Regum, cap. 1. qu. 1.* quòd ex quo Eliseus erat Princeps omnium Prophetarum, noluit recipere munus à Naaman Siro, vt alijs scilicet occasionem tolleret quærendi munera: nam fortè aliqui Prophetæ erant nō boni, qui occasione munerum prophetarent. Sic D. Paulus Apostolus vas electionis, & Doctor Gentium, non solùm renuit munera, propter prædicationem Euangelij; sed potius manibus suis laborabat, & prouidebat sibi, & his, qui secū erant, vt patet *Act. Apost cap. 20.* quod quidem egit, vt occasionem auferret falsis Apostolis prædicandi, propter sola munera. Tū etiam multò magis Reu. Adm. P. Generali munerum receptio est prohibita, quoniam licèt certi simus de recta intentione recipientis; possumus tamen rationabiliter dubitare de intentione munera dantis, cùm donare sit iactare, & in dubio nemo præsumitur iactare suum, *l. cum de indebito, C. de probat.* Vndè ob hanc quoque rationem Eliseus noluit recipere munus à Naaman; quoniam ait ibidem *Tostat.* licet certus esset de recta eius intentione, quia munus non recepisset in remunerationem præstitæ sanitatis; nihilominus potuit rationabiliter dubitare de intentione Naaman, ne fortè sit offerendi illud in remunerationem collati beneficij: & propterea, ne communicaret cum eo in crimine simoniæ, munus ipsum noluit recipere. Et quoniam præfata nostra Constitutio prohibens Visitatoribus munera percipere à nostris, aut ab eorum consanguineis nostrorum opera procurata, de facili potest fraudari; idcircò ad obuiandum fraudibus, optimum consilium esse arbitror, si simpliciter edatur Constitutio, vt à Visitatoribus nullatenus recipiantur, non solùm à nostris, aut eorum consanguinijs, vt supra; sed nec quidem ab extraneis sub quocunque prętextu. Etenim recipientes munera non possunt confidere propriæ iustitiæ, ac prudentiæ, quin iustitiam violent, cùm Deus ex eo prohibeat munera accipi, quia excæcant prudentes, & iustos, vt supra adnotauimus: & illorum, tam magna vis est, vt animos maximè iratos concilient, & amorem causent. Sic Iacob rediens à Mesopotania muneribus conciliauit sibi Esau fratrem suum, quem valdè formidabat, vt *Genes. cap. 32. & 33.* Et munera quoque misit ad Regem Egypti pro sibi remittendis Simone, & Beniamin eiusdem filijs, *cap. 43.* Hinc optimè cecinit ille Poeta,

Munera, crede mihi, placant hominesque, Deosque.

16 Quartò peccant Visitatores si de domibus, quas visitarunt rectè non loquantur, & errata publicent. Id enim est contra charitatem, & vt nostrarum Constitutionum *par. 3. cap. 8 § Cum primum in fine*, expressè prohibetur, vt ex illis verbis: *De domibus, quas visitauerint, narrent benè: errata, & incommoda reticeant.*

17 Quintò peccant Visitatores nostri, si Delatorum, vel testium nomina aliquo modo ab eis referentur, seu aliquo modo reuelentur. Etenim hoc per Decretū Capituli Generalis anni 1572. de quo *par. 3. Decret. cap. 6. num. 2.* prohibetur ita se habens: *Delatorum, vel testium nomina nullo modo referentur, vel reuelentur. De fide eorum, & auctoritate Visitatores accuratè cognoscant, quibus, si videbitur, pro temporis opportunitate facultas esto aperiendi Reo, quæ ei opponuntur: ea tamen arte, vt crimen, non criminis Delator, vel testis aperiatur, siue innotescat.* Hoc decretum locum sibi vendicare arbitror in leuioribus delictis, in quibus proceditur summariè absque forma iudicij, & eis non datur appellatio, iuxta Decret. Capituli Generalis anni 1621. de quo 3. *par. Decr. cap. 9. num. 2.* Secus autem si agatur de delictis grauioribus, pro quibus processus compilari maturè, ac accuratè, iuxta decreta edita in Capitulo Generali anni 1621. *d. cap. 9. num. 4. cum plur. seq.* quoniam tunc puto esse procedendum, seruata forma iuris, cum nostrum Capitulum Generale non habeat facultatem Constitutiones edendi contra Canones, & Pontificias Constitutiones: & propterea si Reus habeat testes pro repetitis, vel post testium repetitionem petat testium nomina, & cognomina, & denunciatoris pariter, & accusatoris, tunc debent omninò ei concedi ad finem eos repulsandi, iuxtà ea, quæ habentur ex *Foller. in pract crim. in rubr. Datur copia Capitulorum: & in rubr. Repetantur testes Curia*, & ex alijs. Etenim d. defensio non solùm est de iure humano; sed etiam de iure naturali, vt in *l. vt vim, ff. de iustit. & iur.* atque ideò cùm intersit inquisiti pro sua defensione habere notitiam testium, accusatoris, aut denunciatoris, eorum nominum, & cognominum ad finem repulsandi; nullo iure positiuo potest illi denegari, ne pereat indefensus.

16 Sextò peccant Visitatores nostri, qui cùm sint etiam extra tempus visitationis Iudices ordinarij in secundis causis, ad quos datur appellatio à definitiua sententia Præpositi: & in primis causis datur eis præuentio, ita vt semper iudicent, cum consilio vnius ex Assessoribus Cōstitutis à Reu. admodum P. Generali, & PP. Cōsultoribus, vt habetur ex nostris Decretis, *3. par. cap. 9. numer. 8.* recusant stare assessoris consilio, nulla rationabili causa subsistente; sed odio tantùm, amore, timore, &c. commoti.

19 Septimò peccant Visitatores si in explorandis criminibus visitationis tempore, aut ad veritatem aliarum rerum ad visitationem pertinentium iuramentum exigant à subditis. Est enim in visitatione prorsus abstinendum à iuramento exigendo à subditis, vt in *cap. Romana Ecle-*

closia, §. sanè, de censib. in 6. Spatar. in sua praxi, de modo corrigendi Regulares, tr. 2. cap. 3. n. 5. & Peregr. in append. ad Commentaria nostr. Constit. tit. Aduertenda à Visitatoribus nostræ Congregationis. Est tamen verum, quòd subditi possunt à Visitatoribus præcepto astringi, vt veritatem planè aperiant, & conscientiam exonerent super omnes, quas sciuerint quocunque modo transgressiones, vt habetur ex *d. Spatar. & Peregr. locis citatis.* In quamplurimis alijs peccare possunt Visitatores, si in ijs negligentes sint, de quibus in *d. nostris Constit. par. 3. cap. 8. & Peregr. in append. tit. De Visit. Regular. litt. E. & d. tit. Aduertenda à Visit. &c.*

De culpis, quæ ab Abbatibus, Præpositis, Guardianis, & alijs Prelatis Regularibus particularium domorum, committi possũt. SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *Non minus sunt Pastores particularium domorum Abbates, Præpositi, Guardiani, quam Pater Generalis totius Congregationis.*
Et in quibus peccare possunt supradicti Prælati.

2 *Peccant supradicti Prælati Regulares. Prælaturam acceptantes, si idiotæ sint, & minus idoneos se cognoscant. ad illam exercendam.*

3 *Prælati supradicti Regulares si boni sint, & bonorum operum præbeant exemplum maximi efficiuntur meriti apud Deum.*

4 *Peccant Præpositi, aliique similes Prælati, si vigiles esse negligant super subditos.*

5 *Peccant Domorum Præpositi, irrationabiliter donantes bona Monasterij etiam si liberam habeant donandi facultatem.*

6 *Peccant Præpositi, irrationabiliter grauantes eorũ domos ære alieno. Imò Præpositi Theat. Congregationis, etiam de consensu vocalium debita contrahere non possunt, nisi tribus in casibus.*

7 *Peccant Domorum Præpositi seu Abbates, cõspirantes in eligendis, quos eligi non deceat in Confessarios.*

8 *Peccant grauiter Præpositi. maximè Congregationis Theat. si in rebus grauioribus Patres vocales non consulant.*

9 *Circa Nouitios recipiendos, habitu induendos, ac ad professionem admittendos multa decreta in Congregatione Theatinorum fuerunt edita:*
Præcipuè, vt hospites, & Nouitij noua vestimẽta non deferant. Et an huius decreti transgressio fiat citra culpam.

10 *Nullus in præfatam Congregationem recipi potest, nisi prius à Præposito, & vocalibus illius domus, in qua sunt recipiendi, tria celebreutur Capitula.*
Et quid sit seruandum in illis celebrandis.

1 NOuerint supradicti Prælati esse non minus Pastores particularium eorum domorum, & subditorum in eis commorantium, quàm Abbas Generalis, seu Præpositus Generalis totius alicuius Congregationis: & propterea ea, quæ supra diximus de Regularium Generali, quoad mansuetudinem, humilitatem, & vigilantiam, quas adhibere debet in corrigendis subditis, vt supra egimus. *sec. 12.* applicari possunt ad Prælatos, de quibus agitur, præsertim in nostra Congregatione, in qua Præpositi sunt ordinarij Iudices in primis causis, vt 3 *p. Decr. nostr. anni 1621. cap 9 num. 7.* Et cùm præfati Prælati sint in dignitate; potuerunt peccare antequam fuerint promoti, dignitates ipsas ambientes, quęrentes, ac procurantes, sicut, & Reu. admodum P. Generalis, PP. Consultores, Definitores, ac Visitatores, de quibus tractauimus supra *sec. 13. & 14.* Quibus adde *D. Ambr. lib. 4. in Lucam cap. 4.* ita se habentem: *Hoc ipso perniciosior ambitio est, quòd blanda quadam est conciliatricula dignitatum: & sæpè quos vitia nulla detestant, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum periculũ: & vt dominetur alijs prius seruit, curuatur, vt honore donetur.* Adde hic quoque quamplurima, quæ cumulat *Graff.* post alios *par. 1. decis. aur. lib. 3. cap. 5. num. 121.* vbi plura tractat de Prælatorum peccatis, qui Prælaturã fuerunt assecuti per preces carnales, per carnale obsequium, per pecuniam, per corporale seruitium, per hypocrisim, per munera, & alia eiusmodi. Vltra igitur prædicta, peccant primò Abbates, & Præpositi, &c. si permittant eligi absque votis secretis, & insuper eorum electio irrita efficitur, & inhabiles fiunt ad omnia officia in Religione obtinenda, vt habetur in *Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de reform.*

2 Secundò peccant Prælati supradicti Regulares Prælaturam acceptantes, si idiotæ sint, & minus idoneos se cognoscant ad prelaturã exercendam. Etenim non minus detrimentum inferunt Ecclesiæ Dei imperiti Præsules, quàm mali. Vndè *Isidor. lib. 3. de sum. bono,* ità inquit: *Sicut iniqui, & peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur; ita indocti, ac imperiti à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt; isti verò sua ignauia iniquos corrigere nesciunt. Quomodo docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere. Ignorantia quippè Præsulum vitæ non congruit subiectorum.* Et *D. Bernard.* pariter *Serm. 76. in Cant. Quomodo in pascua Diuinorum educet eloquiorum greges Dominicos Pastor idiota? Sed etsi doctus quidem fuerit, non sit autem bonus, verendum, ne non tam nutriat doctrina vtili, quàm sterili vita noceat. Temerè itaque, & in hac parte hoc onus sumitur absque scientia pariter, vitaque laudabili.* Quòd si hæc dicunt Sancti de malo, vel inscio Præposito, quid (quæso dicerent de malo, & simul inscio? Debent igitur eiusmodo Prælati scientiam habere, ac bonitatem, iuxta illud *Psal. 118. Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Nõ enim vnum sine altero satis est. Imò si scientiã & bonitatem habeant Prelati, habebunt quoque disciplinam, tum quoad se, proprias passiones mortificantes, & Regularem disciplinam diligenter seruantes; tum etiam quoad subditos; quo-

quoniam subditi Prælatorum vitam facilè student imitari. Vndè meritò *Isidor. loco citato, cap. 32.* sic ait: *Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus seruit: impium est enim arguere quidquam in alio, quod deprehendit in semetipso*. Quanam libertate Prælatus subditos somnolentos, loquaces, otiosos, studijs haud vacantes, vestes duplices, cibos lautos, & propria commoda sectantes, redarguet, si ipse erit de pastorum numero, qui pascunt semetipsos, de quibus *Ezechiel. cap. 34.* totas noctes integras in loquacitate irrationabiliter consumens, & vbi vigilare oporteat, dormit, ac orationis, ac studiorum est inimicus. Tacitè enim eiusmodi Prælato subditi respondebunt: *Eadē admisisti, quæ corripis*, iuxta ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. sess. 14. de reform. in proœm.* Est igitur maximum peccatum scandali Prælatorū alijs præficientium, si exemplum non præbeant bonorum operum.

3 E contra verò si boni sint, & exemplum præbeant bonorum operum, maximi efficiuntur meriti apud Deum non solùm propter eorum bonitatem, sed etiam aliorum, cuius sunt causa. Etenim idem *Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. de reform.* inter alia ità quoque se habet: *Nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad Religionem, innocentiamque facilius inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea, quæ mūdi sunt, sed animarum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes*. Non enim prælaturam assequi debent Prælati, vt præsint; sed vt prosint, vt in *cap. qui Episcopatum, 8. q. 1.* Nouerint Prælati alijs præficientes id, quod docet *Nazianz. apolog. 1.* sic inquiens: *Spiritalis omnis Præfectura finis est, priuata vtilitate neglecta, commodis aliorū inseruire*. Vndè sicut *D. August. in d. cap. qui Episcopatum*, inquit: *Episcopum non se esse intelligat, qui præesse dilexerit, non prodesse*, ita quoque de quocunque Prælato dici potest, vt Prælatum non intelligat se esse, qui tantùm præesse dilexerit, non prodesse.

4 Tertiò peccant Præpositi, & alij similes Prælati si vigiles esse negligant super subditos: sunt enim pastores, qui nisi super oues inuigilent, venit Lupus, & rapit eas. Idem denotat Præpositus; quod Episcopus: siquidem ambo dicuntur Speculatores, ac superintendentes; quoniam eorum prudentia, ac vigilantia tenentur speculari mores, & vitam subditorum intra se positorum, bonos fouendo, & malos corrigendo, aliàs in hoc negligentes peccant mortaliter, & sanguis eorum de ipsorum manibus exquiritur, vt in *cap. irrefragabili, de offic. ordin.* Imò eo ipso, quòd Præpositus videt subditorum errores, & non corrigit, proculdubio consentire censetur, *cap. si Rector, 43. d.* & propterea pœna dignus est, vt ipsi delinquentes, vt in *cap quid enim, & c. consentire, 85. d.* Et si id agat propria vtilitate, ac vt damnum aliquod temporale effugiat, non ideò excusatur; quoniam eiusmodi improuidi, qui humanam gratiam perdere pertimescentes, errantes non corrigunt, non pastores, sed mercenarij appellantur: & per *Esaiam cap. 56.* Dominus eos increpans canes mutos non valentes latrare, vocat. Non tamen in corrigendo faciles esse debent ad carcerandos subditos: non enim carcerandi sunt subditi, nisi pro delictis grauibus, atque ideò pro quibus venit imponenda pœna corporis afflictiuè, vt habetur ex *Panor. in cap. vt famæ, de sent. excom.* Siquidem carcer non est adinuentus ad pœnam; sed ad custodiam, vt in *l. 1. C. de custod. Reor.* His adde, quæ supra adnotauimus, *sec. 12. vers. Septimò peccat: vers. Octauò peccat, & vers. Decimò peccat*, de Reu. admodum Præposito Generali agentes.

5 Quartò peccant domorum Præpositi bona Monasterij irrationabiliter donantes, etiam si liberam habeant donandi facultatem, vt per *Bald. & alios in l. 1. C. de procur.* Etenim Prælati Ecclesiastici dispensatores tantùm sunt bonorum Ecclesiæ, non autem Domini, vt sæpè diximus, & quicquid habent Clerici, pauperum est, vt in *cap quoniam quicquid, 16. q. 1.* quibus adde, quæ supra adnotauimus *disp. 4. sec. 10. & disp. 11. sec. 3.* Hinc est, quòd Prælati nostræ Cōgregationis non possunt vltra duos aureos in mensem, nec in eleemosynam quidem elargiri, nisi ex vocalium domus consensu, vt patet 3 *p. nostr. Constit. cap. 9. §. Nulla ex nostris Domibus*, ibi: *In erogandis etiam eleemosynis iungatur charitati Christianæ prudentia, Præpositus plus duos aureos in mensem ne largiatur, nisi cum vocalibus rem ante communicet, atque illi assentiantur*.

6 Quintò peccant Præpositi irrationabiliter grauantes eorum domos ære alieno: imò nostri Præpositi, etiam de vocalium consensu non possunt debita contrahere, nisi in tribus casibus, nempè pro necessario victu, ac vestitu: pro necessaria fabricæ restitutione: vel pro euidenti vtilitate in re, quæ differri non possit, vt constat ex *nostr. Constit. loc. proximè citato*, his verbis: *Nulla ex nostris Domibus possit ære alieno grauari, etiam de consensu vocalium, nisi pro necessario victu, ac vestitu, & pro necessaria fabricæ restitutione: vel tandem pro euidenti vtilitate in re, quæ differri minimè possit, vt puta pro emendis contiguis nostræ domus locis*.

7 Sextò peccant Domorum Præpositi, seu Abbates conspirantes in eligendis, quos eligi non deceat in Confessarios, in Præfectos, in Magistros Nouitiorum, aut procuratores: item conspirantes pro ferendis suffragijs indigno, pro eo promouendo in Sacerdotem, Diaconum, Subdiaconum, aut ad minores ordines, vel promittendo vocali ad Capitulū Generale, in qua re non possunt se intromittere, nec Præpositi, nec Visitatores: id enim expresse prohibetur per nostras Constitutiones *par. 3. cap. 1 circa princip.* ibi: *Electioni vocalis nec Præpositus, nec Visitator se immisceat*. Peccant quoque Præpositi cōspirantes, è conuerso in aliquem dignum, ne eligatur in Præfectum, Magistrum Nouitiorum, in Confessarium, in Procuratorem, in vocalem Capitularem, &c. Erit autem simoniaca conspiratio, si conspirantes dicant, se non suffragaturos pro ordinando Titio v. g. nisi prius suffragia ferantur pro ordinando Sempronio, iuxta ea, quæ supra diximus *sec. 14. vers. Secundò peccant Consultores*. Huiusmodi conspirationes raro vidi in domibus magnis; frequenter autem in domibus paruulis: quod puto prouenire, tum ex defectu eorum, qui in eis præficiuntur; tum etiam ex defectu subditorum, qui non solent, vt plurimum

plurimum tanti ponderis esse, quin facilè trahantur. An autem Præpositi nostræ Congregationis aliquando peccent non adeundo personaliter Capitulum Generale, sed mittendo Procuratorem, dicemus infra *sec.33. vers. Quartodecimò peccant*.

8 Septimò peccant grauiter Præpositi, maximè nostræ Congregationis, si in rebus grauioribus patres vocales non consulant. Etenim vt nostrarum Constitutionum 3 *par. cap. 9 §. Præpositus*, ad id tenentur Præpositi per hæc verba: *Præpositus quandoque omnes vna conuocet, non nulla, vt res postulabit, de quotidianis erratis verba faciat. Idem consulat patres vocales, cùm aliquis est in ordinem nostrum recipiendus, cū induendus habitu, cùm admittendus ad professionem, cùm ad ordines promouendus, cum ad audiendas confessiones exponendus. Item si quis ante professionem à Religione dimittendus de magnis etiam, ac extraordinarijs sumptibus faciēdis. Denique in rebus omnibus grauioribus; eiusmodi non sunt, quæ ad victum, & vtensilia pertinent*.

9 Est tamen adnot. quòd circa Nouitios recipiendos, habitu induendos, & ad professionem admittendos, vel dimittendos multa decreta vltra constitutionem prædictam in nostra Congregatione edita fuere, de quibus habetur 2 *par. nostr. Decr. cap. 4. à n. 11. vsq; in fin.* quorum transgressione dubitari potest, an nō modo culpa contrahatur per Domorum Præpositos; sed etiam actus ipsi irriti efficiantur; meritò igitur hoc loco de eorum singulis est discutiendum. Et vt certa ab incertis secernamus, est adnot. quòd dum *d. num* 11. decernitur, vt hospites, ac Nouitij noua vestimenta nullo pacto deferant; certum est, quòd huius decreti transgressio licèt citra culpam aliquam saltem R.P. Præpositi, & Magistri Nouitiorum eam permittentium, non fiat; attamen non ob id Hospites, ac Nouitij efficiuntur inhabiles ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem, si noua vestimenta prædictorum Superiorum permissu maximè deferant; quia prædictum decretum non procedit annullando, vt ex infrà dicendis clarissimè patebit: vltrà quod transgressio est in re parui momenti, de qua in moralibus non habetur ratio: Siquidem de minimis non curat Prætor, *l. quod si Ephesi, ff. de eo, quod cer. loco.* Idem dicendum est de decreti transgressione *in eodem cap.* contenti, *num.* 12. quo cauetur, vt nemo ante quartum decimum expletum suæ ætatis annū in nostram Congregationem admittatur, nisi de R. Adm. P. Generalis licētia, & rationabili subsistente causa. Difficultas autem extat de decreto *num.* 13. & 14. ita se habente, *Vt ea, quæ de*

10 *recipiendis Nouitijs in nostris cōstitutionibus habentur, facilius executioni mandari possint, statuerunt Patres, vt nullus in posterum in nostram Congregationem recipiatur, nisi prius à Præposito, & vocalibus illius domus, in qua recipiendus est, tria celebrentur capitula; quæ tamen in minori temporis spatio, quàm vnius mēsis nullatenus celebrentur. In illis autem celebrandis hoc perpetuò seruetur, scilicet, vt vbi Præpositus, & tres tantùm, aut pauciores vocales fuerint, nisi omnes, & singuli consentiāt, nemo recipiatur: vbi verò maior vocalium numerus adfuerit, duæ saltem partes consentiant: quæ tamen de Nouitijs tantùm recipiendis intelligantur. Quod autem ad illos habitu induēdos, vel ad professionem admittēdos attinet, firmum sit, quod in nostris constitutionibus habetur, scilicet, vt ad hæc omnia sufficiat consensus maioris partis Capituli; & vt hæc firma, atque rata seruari possint, Patres Visitatores visitationis tempore diligenter inquirant, an seruentur, & insuper, quænam sit receptorum Nouitiorum in moribus probitas, quæ regularis obseruantia; ac tandem quæ litterarum eruditio. & omnia ad P. Generalē deferāt. Nullus Clericus Nouitius in quauis domo recipiatur, nisi saltē antequā de ea re tertiū Capitulū celebretur. Præpositus, & vocales domus, litteris suis subscriptis nominibus, P. Generalem certiorem faciant, & consensum eius scripto excipiāt, quo non expressè consentiente, nullus vllo pacto admittatur in nostram Congregationem.* Quæritur igitur.

An si Nouitius recipiatur, non seruata forma dicti Decreti, & habitum suscipiat, aut etiam professionem emittat, teneat habitus susceptio, aut professionis emissio. SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Nouitius, qui contra formam prædicti decreti recipitur, licèt aliàs idoneus, non est ad habitum admittendus, & professio, indè secuta, nullius est nomen.*

2 *Contraria sententia verior est, cum multa facta teneant, quæ fieri prohibentur.*

3 Tex. in l. non dubium, C. de legib. *procedit tātùm de iure Ciuili, non autem ex natura rei, vel attento iure Canonico.*
Et vt intelligēda sit regula illa; quæ contra de regul. iur. in 6.

4 *Lex habens perpetuam vim prohibendi, non semper prohibendo censetur irritare actum, nisi expressè constet de mente legislatoris.*

5 *Quoties lex aliquid præscribit pro forma contractus, si id prætermittatur, actus redditur nullus.*
An id procedat in forma substantiali, secùs verò in accidentali.

6 *Decretum quo cauetur, vt per mensem ante tempus professionis eligantur à Capitulo duo vocales, qui de vita, & moribus Nouitij maturè inquirant, & ad Patres deferant, si non seruetur, non reddit actum nullum, & sic professionem, cum id non sit de forma substantiali.*

7 *Non potest dici nulla professio illius, qui fuit receptus absq; licentia Patrum illius domus, in quam prius, vt ingrederetur petierat.*

8 *Ad validitatem professionis alicuius Nouitij, satis est si ad eum induendum habitu, eamq; emittendam interueniat consensus maioris partis Capituli.*

In

1 IN hac re videtur prima facie dicendum, præfatum Nouitium contra formam prædicti decreti receptum, quamuis aliàs sit idoneus, & omni acceptione maior; non tamen esse ad habitum, & professionem admittendum: & si professio subsecuta fuerit, eã esse nullius momenti. Probatur ex *tex. in l. non dubium, C. de legib.* vbi habetur, quòd pactum contra legem est ipso iure nullum, his verbis. *Quę lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeãtur, licèt legislator fieri tantùm prohibuerit, nec specialitèr dixerit inutile esse debere, quod factum est.* Cum hac lege concordat iuris regula *in c. quę cõtra, de regul. iur. in 6.* ità se habens, *Quę contra ius fiunt, debent pro infectis haberi.* Sed Nouitius, de quo agitur supponitur receptus contra formam nostrarum Constitutionum, seu Decretorum, & illis talem receptionem omninò prohibẽtibus: ergò esto, quòd aliàs fuerit repertus idoneus; & hospicij tempus expleuerit, non debet admitti ad Religionis habitum; & eò minus ad professionem, etiam si quoad habitus susceptionem, & professionem forma nostrarum constitutionum seruetur: & si professio subsequatur, irrita, ac nulla ipso iure est censenda. Secundò probatur, quia supradictum decretum, seu constitutio perpetuam continet prohibitionis causam, vt patet ex illis verbis, *Hoc perpetuò seruetur.* Ergò si eius forma non seruatur, receptio talis Nouitij nulla erit, atq; ideò habitus susceptio, ac professio: quoniam lex quando perpetuam habet prohibitionis causam, si non seruatur, actus cõtra eam initus est ipso iure nullus, vt habetur ex *Glos. in Clem. 1. in verb. Inhibẽtes, de iur. patr. & Bald. in d. l. non dubium, C. de legib.*

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto veriorem esse. Probatur primò ex communi regula desumpta ex *tex. in cap. ad Apostolicam, de regular.* quæ se habet, quòd multa fieri prohibentur, quę si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Siquidem *tex.* specialiter loquitur de professione, quæ licèt nec fieri, nec recipi debeat infra tempus probationis; nihilominus, ea recepta tenet, si tam Nouitij, quàm Monasterij concurrat consensus. Sic etiam qui vouit ingredi strictam Religionem, prohibitus est in laxiori professionem emittere; & tamen si in laxiori fiat, firma remanet, vt in *c. pen. de regular. in 6.* Matrimoniũ paritèr prohibetur ab eo contrahi, qui simplex votũ emiserit castitatis; & nihilominus si contrahat, validum erit, & nõ distrahitur, *c. rursus, qui Cler. vel vouet. & c. vnico, de voto in 6.* Ergo idem dicendum est in casu, de quo agitur; cùm non possit assignari diuersitatis ratio, *arg. tex. in l. illud ff. ad leg. Aquil.* Secundò probatur, quia in dicto decreto prohibetur Nouitiorũ receptio, non seruatis ijs, quæ in eo præcipiuntur: nec vltra procedit irritando receptionem illam si præcepta non seruentur: ergò licèt recipientes Nouitium contra formam dicti decreti peccent; si tamen Nouitius reperiatur idoneus, non potest citra actus nullitatem, sed etiam debet admitti ad habitus susceptionem, & demùm ad professionem; aliàs recusantes peccant contra iustitiã, & contra charitatem. Consequentia patet. Antecedens probatur, quoniam ex sola rei natura lex purè prohibens non cẽsetur irritare actum, nisi alio modo talis effectus, & intentio Legislatoris sufficienter declaretur, vt contra *Bald. in cap. nam concupiscentiam, de constit. in prin. & Dec. in cap. 2. num. 5. in prima Lectura, eod. tit.* docet *Glos. vlt. in cap. penul. de spons. Felin. in d. cap. 2. num. 5. & Innoc. in cap. si verè, de sent. excom.* quam sententiam communem esse, ait *Suar. lib. 5. de legib. cap. 25. num. 22. & cap. 29. num. 1.* Etenim prohibere actum, & irritare, sunt effectus penitus diuersi; ergò, vt per legem fiant, debẽt per eius verba sufficienter explicari, cum per solam prohibitionem vtrumq; non explicetur. Nam prohibere est præcipere, & obligare, vt actus non fiat: irritare verò non est præcipere; sed facere, idest inefficacem reddere voluntatem, vel consensum eius, aut inhabilitare personam. Confirmatur; quia quando iura prohibentia intendunt actum prohibitum annullare, clausulam irritantem adijciunt, vt est *tex. in cap. statutum, de rescr. in 6.* vbi cùm in *§. insuper, & seq.* acceptio munerum inhibeatur Apostolicis Legatis; deindè in *§. si quid autem,* additur irritatio acceptionis per obligationem in conscientia ad restitutionem: ergò signũ est, quòd sola prohibitio munerum satis non est ad obligationem illam restituendi, ac ad irritationem acceptionis. Sic etiam *Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de Regular.* post prohibitionem factam, ne in quacunque Religione fiat professio ante 16. annum expletum; deindè adiecit clausulam irritantem, dicens: *Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationẽ ad alicuius Regulę, vel Religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad aliquos quoscunque effectus.* Denique probatur hæc eadem sententia multis alijs rationibus, de quibus *Suar. loco citato.*

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

3 AD *tex. in l. non dubium, C. de legib.* dicimus, quòd *tex.* ille, licèt multipliciter explicetur à Doctoribus, quos refert *Suar. in d. c. 25.* nihilominus re vera *tex.* ille locum sibi vendicat de iure ciuili tantum, non autem ex natura rei, nec de iure Canonico: & propterea, nec obligat in conscientia, vt benè declarat *Suarez ibid. cap. 28. 29. & 30.* quibus adde *Molfes. par. 1. suę summ. tr. 9. cap. 7. num 43. cum plur. seq.* Vndè cùm inter Regulares seruetur ius Canonicum, dicendum est receptionem Nouitij factam contra formam d. decreti, non esse ipso facto irritam, cum clausulam non adijciat irritantem. Nec obstat si dicatur, quòd *d. l. non dubiũ; fuit canonizata à d. regula, quę contra, de reg. iur. in 6.* vbi habetur, quòd quæ contra ius fiũt, pro infectis habentur; quoniam respondetur, quoniam illa regula debet intelligi, vt actus contra legem initus possit per Iudicem haberi pro infecto; non tamen facta contra legem, ipso iure habentur pro infectis. Quia tamen eiusmodi irritatio non fit, nisi in pœnam, quæ non designatur in illa regula, tanquam ex necessitate omninò imponenda; sed tanquam consentanea tali delicto, iuxta *tex. in cap. vides, 10. dist.* idcircò

idcircò prudentis Iudicis arbitrio remittitur pensanda culpæ grauitas, & an talis pœna illi culpæ sit proportionata, vel magis alia iuxta occurrentes circumstantias, & tunc poterit Iudex sustinere actum, & punire delictum, vt benè declarat, idem *Suar. d. cap. 29. à num 5. vsque in finem*. Et cùm Nouitius, de quo controuertitur, nullam culpam contraxerit in ipsius receptione contra formam d. decreti, atque ideò nulla pœna ei debeatur, proculdubio receptio ipsa valida erit, & omnia, quæ ex ea consecuntur.

4 Ad vltimum argumentum respondetur, quòd non semper lex habens perpetuam prohibitionē, prohibendo irritare censetur actum, nisi id constet sufficienter ex mente Legislatoris, vt declarat ipse *Suar. d. cap. 25. & 28. num. 1* At in casu nostro non modo ex dicto decreto id videtur colligi, sed potius oppositum, cùm in casu contrauentionis, facta à Patribus Visitatoribus de illa re diligenti inquisitione, præcipiatur, omnia ad P. Generalem esse deferenda.

5 Sed dices, dictum decretum præscribit formam, qua recipi debeant Nouitij: ergò si forma non seruatur, receptio nulla est: quia quoties lex aliquid præcipit pro forma contractus, si id prætermittatur, actus redditur nullus, etiam si clausulam irritantem non addat: quia forma dicitur, quæ dat esse rei, *l. Iulianus, §. si quis ff. ad exhib. l. 1. 2. & 5. C quando prouoc. non est necess. & cap. vltimo, § diffinitiua, 2. q. 6. Panorm. in cap. nulli, num. 7. de reb. Eccl. non alien.* Sed contra, quia militaret argumentum si forma receptionis Nouitiorum à dicto decreto præscripta, esset substantialis: at forma ipsa est accidentalis, cùm talis forma ex se, & ex sui natura naturalem non contineat æquitatem, ita vt si omittatur, non seruetur: imò contra naturalem æquitatem esset, Nouitium de quo agitur ad habitū, & professionem non admittere: & si sit admissus eiusdem professionem irritari ob id solùm, quòd in eo recipiendo non sit seruata forma dicti decreti, cùm aliàs idoneus existat ad Religionis munera; nec sua culpa forma ipsa fuerit prætermissa, sed culpa Superioris, aut vocalium. Etenim omissio formæ substantialis, non autem formæ accidentalis vitiat actum, vt per *Glos. in cap. quia propter, in vers. Sanior: & in vers. Viris, de elect. & in cap. 1. in vers. Formam eod. tit. in 6.* latè *Suar. lib. 5. de legib. cap. 31.*

6 Idem dicendum puto de decreto sub eodem *cap. 4. num. 17.* contento, quo decernitur, vt per mensem antè professionis tempus eligantur à Capitulo domus duo vocales, qui de vita, & moribus Nouitij maturè inquirant, & ad patres, antequam de professione quicquam statuatur, deferant. Siquidem hæc diligentia si omittatur, cùm non sit de forma substantiali, dum sequitur professio, nō ob id irrita censetur. Quæ etiam statuta fuerunt per nostras Constitutiones, *par. 2 nostr. Constit. cap. 5.* nempè, vt de hæresi aliquando suspectus, aut delatus fuerit: qui in alia Religione professionem emiserit, nullo pacto recipiatur. Item qui in nostram Religionem semel admissus posteà recesserit. Item qui à patribus, cuius piam domus repulsam passus ad aliam se contulerit. Item qui alterius ordinis habitu tantum indutus absque P. Generalis, & Consultorum consensu. Et denique, qui ex legitimo matrimonio natus non sit, P. Generalis nō impetrato consensu. Etenim omnes prædicti recipi prohibentur: & si quis eorum ex rei ignorantia receptus sit, vi earundem Constitutionū præcipitur, ne induatur habitu, neue ad professionem admittatur, nisi Præpositi Generalis facultate impetrata; si non seruentur, arbitror nō ob id irritam esse eorum professionem, si aliàs dicti Nouitij idonei sint, & apti ad Religionis onera supportanda: quia Constitutio illa, licèt prohibeat; non tamen prohibet irritando: & forma, quæ præcipitur non potest dici essentialis, sed accidentalis; cùm ea omissa, non ob id violetur æquitas, iuxta ea, quæ supra diximus.

7 Eisdem rationibus non potest dici nulla professio eius, qui fuit receptus absque illius domus patrum licentia, in quam prius, vt ingrederetur, petierat, contra Constitutionem, de qua in *d. cap 5, nostr. Constit par. 2.* Imò idem puto dicendum de professione illius Nouitij habita contra formam decreti Capituli Generalis anni 1610. de quo *par. 2. nostr. Decret. cap. 4. nu. 16.* ità se habentis: *Quotiescunque decretum fuerit à Capitulo domus, ne aliquis ad professionem admittatur; ne liceat aliud cogi Capitulum, quo prius decretum abrogetur; sed protinus dimittatur: at si interim noui quicquam acciderit, ad P. Generalem deferatur.* Nam si eiusmodi Nouitius erat idoneus, & ex falsa causa fuerat per prius decretum per Capitulum domus ad professionē non admissus; si deindè, abrogato priori Capitulo, admittatur; eius professionem non ob id puto esse irritam, quia decretum illud nō statuit irritando: & forma à dicto decreto tradita, nempè, vt tali casu res ad P. Generalem referatur, non potest dici substantialis, sed accidentalis, cùm ex eius omissione non videatur æquitas violari.

8 Vndè ex dictis arbitror, ad validitatem professionis alicuius Nouitij satis esse, si ad illum habitu induendum, & ad professionem admittendum interueniat consensus maioris partis Capituli, iuxtà Constitutiones supra relatas, quòd Nouitius legitimam habeat ætatem, & quòd sit elapsus probationis annus, iuxta ea, quæ habentur in *Conc. Trid sess. 25. cap. 15. & 16. de Regular.* Imò professio, licèt nec fieri, nec recipi debeat infra tempus probationis; nihilominus facta, ac recepta tenet, dummodò vtriusque interuenerit consensus, Nouitij scilicet in profitendo: & Monasterij in recipiendo, & acceptando illius professionem, vt supra diximus ex *tex in cap ad Apostolicam, de Regular.* qui quidem *tex.* per *Conc. Trid.* an videatur abrogatum hoc casu, vt infra latius dicemus *sec. 18. vers Rursùs.* Consensum autem maioris partis Capituli ad Nouitium habitu induendum, & ad professionem admittendum, idcircò substantialē esse arbitror, & eo non interueniente vitiari professionem; quia talis Nouitius non diceretur admissus ad annum probationis, & ad professionem à Monasterio; quod representet maior pars Capituli, vt aliàs diximus. Siquidem tempus probationis à SS. Patribus fuit indultū, tum in fauorem conuersi, tum etiam Monasterij, vt & ille asperitates istius, & illud mores illius valeat experiri, vt in *d. cap. ad Apostolicam,* de

de Regular. Et contra naturalem æquitatem videtur, vt quis recipiatur in aliquo Collegio absque illius, de cuius præiudicio agitur, consensu: & propterea cùm eiusmodi professio sit contra formam substantialem à nostris Constitutionibus traditam, irrita, ac nulla proculdubio censetur; etiam si Constitutiones clausulam non adijciant irritantem, iuxta ea, quæ suprà diximus ex *Suar.* & alijs ab eo relatis *lib. 5. de legib. cap. 31.*

An Præpositi peccent, si non suffragentur alicui ex eo tantùm, quòd illum sciant criminosum esse in confessione.

SEC. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Prælatus saluo confessionis sigillo, non suffragari ei, quem criminosum scit in confessione.*

2 *Hodiè Superiori, haud licet ad externam gubernationem vti notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habet.*

1 IN hac re *Graff. lib. 3. decis. cap. 5. num. 117. par. 1.* partem negatiuam tuetur; atque ideò ex eiusdem dictis colligitur, posse Prælatum, saluo confessionis sigillo, non suffragari in fauorem Nouitij propositi ad professionem emittendam; etiam si criminosum eum esse sciat in confessione dumtaxat.

2 Sed quicquid sit de hac re apud scribentes; hodiè tamen non licet Superiori vti ea notitia ad externam gubernationem, quam de aliorum peccatis in confessione habuit, vt constat ex decreto Clem. VIII. cuius meminimus aliàs, & ità se habet: *Tàm Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij; qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligẽter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerant, ad exteriorem gubernationem vtantur.*

De nonnullis alijs culpis, in quas incidere possunt Abbates, Præpositi, & alij similes Prælati Regulares.

SEC. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Abbates, Præpositi, alijque similes Regulares Prælati peccant, irritando subditorum vota in casibus non permissis.*

An huiusmodi præfati facultatem habeant irritandi subditorum vota.

2 *Prælati supradicti Regulares irritare non possunt vota Professorum, qui vouerunt transire ad strictiorem Religionem.*

3 *Non nulli existimant, Prælatum non posse irritare votum Religiosi, quo vouit vitare certum quoddam speciale peccatum.*

4 *Regulares Prælati irritare non possunt vota realia, tàm professorum, quàm Nouitiorum. Et quarè. Nec Superiores equitum ordinum. Et militarium irritare non possunt vota subditorum, qui tantum vouent castitatem in sæculo.*

5 *Peccant Regularium Prælati si Nouitios admittant ante legitimam ætatem, vel ante probationis annum.*

6 *Possunt supradicti Prælati differre professionem ex aliqua legitima causa.*

7 *Peccant Præpositi, & similes Regularium Prælati, si subditis concedant vsum superfluũ bonorum mobilium, vel immobilium.*

1 PEccant multis alijs modis Abbates, Præpositi, & alij similes Prælati Regulares. Primò peccant irritando subditorum Religiosorũ vota in casibus non permissis. Etenim licet Regularium Prælati eiusmodi facultatem habeant irritandi suorum subditorum vota, vt latè habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 88. ar. 8. Sanch. lib. 4. sua summ. cap. 33. Reginal. lib. 18. sua prax. num. 321. & seq.* cum alijs, quos allegant. Imò etiam Summus Pontifex hanc facultatem habet, quoad Regulares, & si Laicorum, & Clericorum vota irritare non possit, cùm super Laicos, & Clericos non habeat potestatem dominatiuam, sicut super Religiosos, vt post alios innumeros, cum communi docet *Sanch. loco citato, cap. 24. nu. 17. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 15. num. 70. & 71.* atque ideò Papa quoad Laicos, & Clericos habet tantum iurisdictionem dispensandi, & commutandi vota. Nihilominus in multis casibus Religiosorum Prælati nequeunt subditorum vota irritare. Siquidem irritare non possunt professorum vota, qui vouerunt transire ad strictiorem Religionem, cùm id subdito concedatur ex iuris dispositione, in quo non est subditus suo Prælato, vt post non nullos docet *Sanch. loco citato, num. 2 & seq. & Molfes. d. cap. 15. num. 79.* qui id limitant in Rom. Pontifice, qui pro bono communi Religionis, & ad Religiosorum quietem id potest agere; nempè, vt transitum ad strictiorem impediret Regula. Et multò minùs possunt irritare vota Nouitiorum, qui ante professionẽ, vel in sæculo vouerunt ingredi arctiorem. Est tamen verum, quòd vt is, qui vouit ingredi strictam Religionem prohibitus sit in laxiori professionem emittere; si tamen in laxiori profiteatur, valet professio, *cap. pen. de Regular. in 6.* & *Suar. lib. 5 de legib. cap. 25.* & diximus suprà *sec. 16.* Item Prælati Regulares non possunt irritare particularia vota quarundam Religionum, vt est votum vitæ quadragesimalis in Religione S. Francisci de Paula vltra tria vota substantialia Religionis; & quartum votum obediendi Romano Pontifici in Societate Iesu, vt per eundem *Sanch. d. cap. 33. num. 5.* Siquidem tàm ipsa materia, quàm actus vouendi sunt extra dominium Prælatorum. Item Regularium Prælati non possunt irritare vota, quæ sunt necessaria ad salutem, quoniam in ijs non dependent à suis Superioribus, vt sunt vota de seruãdis præceptis, & alijs eiusmodi, de quibus latè *Molfes. par. 1. sua summ tr. 11. cap. 13 num. 27. & seq.*

3 Sunt tamen aliqui existimantes non posse

Prælatum irritare votum Religiosi, qui vouit vitare certum quoddam speciale peccatum, nẽpè furtum, detractionem, &c. vt habetur ex *Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. dub. vlt.* & ex alijs. Sed contrariam sententiam meritò docent *Nauarr. in Man. cap. 12. nu. 65. Sot. Azor. Sayr. Less. Valenz. Suar.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanchez d. cap. 33. num. 7. Reginal. lib. 18. sua prax. sub num. 321. §. Aduerte autem, & Molfes. d. c. 15. num 84.* Mouentur ex generali regula, quæ se habet, vt nullum votum Religiosi dicatur validum ex omni parte, ac firmum citra Prælati consensum, atque ideò impetio Prælati subditum. Confirmatur, quia si tale votum subditur dispensationi, & commutationi Ecclesiæ, ità etiam potestati Superioris. Et quamuis materia voti non subdatur Prælato, vt est res licita, & de præcepto; subditur tamen quoad nouam obligationem voti, quod non potuit subditus firmiter emittere sine consensu Prælati.

4 Prætereà non possunt Regulares Prælati, vt supra irritare realia vota, tàm professorum, quã Nouitiorum. Non inquam possunt irritare vota professorum, quoniam vota realia professorũ sunt ipso iure nulla; atque ideò non indigent irritatione, sicut sunt omnia alia vota, quæ pendent ex approbatione Superioris, vt benè declarat *Molfes. ibid. num. 77.* Nec possunt irritare vota realia Nouitiorum; quia Nouitij habent modum ea adimplendi. Est tamen verum, quod posset Prælatus aliquo casu ex iusta, ac rationabili causa implementum talium votorum ad tẽpus suspendere, sicut alia Nouitiorum vota, vt post alios declarat, idem *Molfes. d. cap. 15. num. 80. & 87.* Denique Superiores equitum ordinũ Militarium non possunt irritare vota subditorum, qui vouent tantum castitatem coniugalẽ in sæculo, quoniam hanc facultatem non habent. Imò quidam volunt, hanc facultatem nec etiam habere Superiorem Equitum Hierosolymitanorum, licet sint verè Religiosi, & profiteantur castitatem perpetuam; cùm eorum votum obedientiæ non sit, quoad omnes eorum operationem, sed limitatum; atque ideò si consuetudine legitima id non fuerit introductum, hanc facultatem eorum Superior non habet: & multò minus, quoad vota realia; quoniam in vita habent administrationem bonorum, licèt in morte non possint disponere, vt docent *Sanch. lib. 4. sua summ. cap. 33. num. 24. Molfes. d. cap. 15. num. 76. & in suis Commentar. ad Consuetud. Neap. cons. 24.*

5 Rursùs peccant Regularium Prælati, vt supra ante legitimam ætatem, vel ante probationis annum admittentes Nouitios, & professio nulla est, vt habetur ex *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 15.* ità se habente: *In quacunque Religione, tàm virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante decimumsextum annum expletum: nec qui minori tempore, quàm per annũ post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Nec validatur per diuturnam commorationem in Religione, nisi professus ante legitimam ætatem, & ante annum probationis professionem denuò emitteret: nam eo casu posset, nec indigeret noua receptione, vel per S. Pontificem eius professio fuisset confirmata, vt habetur ex *Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. nu. 14. & 22.* Nec obstat *tex. in cap. ad Apostolicam, de Regular.* vbi habetur, quòd licet professio nec fieri, nec recipi debeat infra tempus probationis; nihilominus facta tenet; quoniam quidã volunt, per *Concil. Trident.* fuisse derogatum *d. cap. ad Apostolicam*: quod verum esse alij putãt, nisi concurrat vtriusque consensus, nempè Nouitij, & Monasterij, vt supra adnotauimus *sec. 16.* prope finem: quæ quidem limitatio satis dubia nobis videtur, cùm Concilium generaliter loquatur, nec distinguat, *leg. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. & l. de pretio, de publ. in rem act.* In omnem euentum illud certum est

6 quòd licet idem *Conc. loco citato cap. 16.* præcipiat, vt finito tempore Nouitiatus, Superiores, Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, nihilominus si ex aliqua legitima causa moueantur ad differendam professionem, non peccant, & professio dilata post finitum annum probationis erit valida. Et ità respondisse Sacram Congregationem, testatur *Graff. ibidem, num. 16.* his verbis: *Concilium noluit quempiam minori tempore, quàm per annum stare in probatione, idque expressim disposuit. Ne autem hoc tempus longius extendi possit non prohibuit, idque arbitrio Superiorum extendi, & prorogari poterit.*

7 Denique peccant Regularium Præpositi, & alij similes Prælati, reliquis prætermissis si concedant eorum subditis vsum bonorum mobilium, aut immobilium superfluum, cùm id expresè prohibetur ex *Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 2.* quod tamen declara, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, *sec. 9. 10. & 11.*

De Vicarijs, ac Prioribus Regularium Conuentuum, seu Monasteriorum, & eorum culpis.

S E C. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Priores quidam perpetuo instituuntur per Canonicam Capituli electionem, ac Superioris confirmationem, quidam vero sunt Abbatis Vicarij ad nutum amouibiles.*

2 *Priores, seu Vicarij in Congregatione Theat. primum locum tenent post Prælatum, Visitatores, ac Consultores, habentque iurisdictionẽ in temporalibus, & spiritualibus in eius absentia.*

3 *Præpositus abesse dicitur, quando est extra Conuentum, seu Monasterium.*

4 *Si habeat casum reseruatum, non potest petere licentiam à Vicario, illud confitendi vni ex Confessarijs ordinarijs domus, stante absentia Præpositi ab eius domo, & Ecclesia, non autem a Ciuitate.*

Imò etiam à Ciuitate, si eadem die est reuersurus, & commodè differri possit, vsque ad eius regressum.

5 *Vicarij, & substituti ipsorum Prælatorum, irrita-*

ritare num possint vota subditorum.

6 *Præpositi munus si vacet per eius mortem, non expirat Vicarij munus.*

7 *Viceprepositus S. Syluestri Theat. non habet maiorem authoritatem, quam domorum Vicarij, licet solent P. Generales ei dare totam gubernationem prædictæ domus. Et post quos sedeat Viceprepositus.*

In quo loco sit collocandus Vicarius Sanctæ Mariæ de Tauro, & quod priuilegium habeat, & post quos sit collocandus Viceprepositus S. Syluestri.

8 *Viceprepositus si sit Consultor, in electione Cõsultoris duo habebit vota.*

Et mortuo Viceprepoſito Consultore, tenetur Pater Generalis alium creare Viceprepositũ antequam ad electionem Consultoris deueniat.

9 *Pater Viceprepositus in quo sit inferior alijs Vicarijs.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicẽda erunt, est adnot. quod Priores sunt in duplici differẽtia: nam quidam perpetuò instituuntur per Canonicam electionem Capituli, & confirmationem Superioris, qui citra legitimam causam amoueri non possunt, vt in *cap. 2. §. Priores, de statu Monac.* Quidam verò Priores per Canonicam electionem non creantur; sed sunt Abbatis Vicarij ad nutum amouibiles, vt in *cap. cùm ad Monasterium, §. tales, eod. tit. & Glosa in d. cap. 2. in verf. Non mutentur.* De Prioribus primis generis hoc loco non loquimur; nàm isti sunt Prælati: & propterea, quę diximus de Prælatis Regular. de ijs etiam dicta censeantur. Sola igitur controuersia est de Prioribus Abbatum secundi generis, qui sunt ad nutum Abbatis amouibiles: & de Vicarijs

2 Præpositorum particularium Domorum. Eiusmodi Priores, seu Vicarij in nostra Congregatione præcipuè tenent primum locum post Pręlatum, Visitatores visitationis tempore, & Consultores: & in eius absentiam administrationẽ habent in temporalibus, ac spiritualibus, cùm eorum vicem gerant, vt de Vicarijs nostræ Cõgregationis habetur 3 *par. nostr. Constit cap 9. in verf. In singulis domibus,* his verbis: *Absente Præposito, eius vicem gerat: dùm adest, nihil agere, aut præcipere, neque in domus regimine se ingerere audeat, nisi in ijs, quæ Præpositus commiserit.*

3 Dicitur autem abesse Præpositus, quando est extra Conuentum, seu Monasterium: quia sicut in factis concernentibus totam Prouinciam, existentes in Prouincia dicuntur præsentes: In concernentibus Diœcesim, omnes, qui sunt in Diœcesi: In concernentibus autem Ciuitatem, seu Castrum, illi qui sunt in Ciuitate, seu Castro, vt habetur ex *Panorm. in cap. fin. num. 3. de maior. & obed.* ita etiam Præpositus in concernentibus regimen propriæ domus, seu Ecclesiæ dicitur præsens, quando est in ipsa domo, vel Ecclesia: & è conuerso, si absens, quando est extra domum, vel Ecclesiam. Verum tamen est,

4 quod si quis casum habeat reseruatum, & petat licentiã a Vicario confitendi vni ex ordinarijs domus Confessarijs, aut alteri, stante absentia Præposit: ab eius domo, & Ecclesia, non tamen à Ciuitate, hanc facultatem non debet concedere Vicarius: imò nec si extra Ciuitatem reperiatur ipse Præpositus eadem die ad eam regressurus, si commodè differri possit, vsque ad eius regressum: & id per Constitutionẽ in *d. cap. 9. 3. par. nostr. Constitut.* ita se habentem: *Absente Præposito, Vicarius, vel Vicario absente, senior, qui Præpositi vices gerit, ea tantùm exequatur, quæ in aduentum Præpositi commodè differri non poterunt. Caueat autem, ne minimum quid agat, quod à Superioris sui voluntate senserit esse alienum.* Etenim licentia illa commodè differri potest vsque ad aduentum Præpositi, nec præsumendum est, aliter eum velle; nisi expressè suam voluntatem declarauerit. Quòd si habens casum reseruatum sit Sacerdos, qui hic, & nunc non possit differre celebrationem citra scandalum, aut notabile incommodum Ecclesiæ, tunc adeundo Vicarium pro supradicta facultate, puto, quòd citra culpam, & licitè concedatur: cùm Vicarius vi dictæ Constitutionis omnia possit exequi, quæ in aduentum Præpositi commodè differri non poterunt. Et eadem ratione si Vicarius ipse in eadem celebrandi necessitate reperiatur, arbitror eum posse adire aliquem ex Confessarijs deputatis, vel si eos nõ habeat confidentes alium Sacerdotem ex nostris, cui præbeat facultatem eum absoluendi à peccato reseruato; etiam si Præpositus reperiretur in eadem Ciuitate, vbi adest ipsius domus, & Ecclesia.

5 Maior autem est difficultas de huiusmodi Vicarijs, & substitutis ipsorum Prælatorum, an possint subditorum vota irritare. Et quamuis in hac re multi multa dicant; nihilominus verior est opinio negatiua; nempè, vt nullo pacto possint, vbi Prælati sunt in eadem Ciuitate: imò etiam si sint absentes eadem die ad Monasteriũ reuersuri; quia votorum irritatio potest commodè differri ad aduentum Superioris. Cæterũ si Prælati ita sint absentes, vt necesse sit eos pernoctare extra Ciuitatem, cùm tota gubernatio Conuentus, seu Monasterij spectet ad ipsos Vicarios, & vice Prælatorum fungantur, & re vera sint Prælati, proculdubio possunt subditorum vota irritare, vt habetur ex *Sanch. lib 4 suæ summ. cap. 33. num. 16.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 1. suę summ. tr. 11. cap. 5. num. 69.* Et multò magis possunt eo casu Vicarij Confessarium sibi eligere, à quo possint à reseruatis absolui.

6 Cæterum si Præpositi munus vacet, per eius mortem, aut quouis alio modo, Vicarij munus non expiret, donec sufficiatur alter, vt patet ex nostris Decretis 3. *par. cap 7 num. 13. in vltim. editione, & num. 34.* in illis verbis: *Absente, vel mortuo, aut muneri suo in Capitulo Generali, vel quouis alio modo abdicante Prępoſito, Vicarius munus suũ exerceat donec alius Prępositus sufficiatur, domumque suam adeat. Vbi primum in suam aduenerit domum Prępositus, Vicarius abdicato munere, ad suum professionis locum se conferat.* Vndè donec aliter Præpositus sufficiatur, & domum suam adeat, Vicarius domus, vel vocalis, qui habent regimen domus in absentia Præpositi, & Vicarij, potest facere omnia, quæ potest Præpositus agere; quia eius vices gerit, vt patet ex *nostr. Constit. par. 3. cap 9.*

cap. 9. §. In singulis domibus, vers. Absente Præposito, &c. atque ideò potest recipere Nouitios, & receptos ad habitum, & professionem admittere, & facit *tex. in cap. fin. de Regular. in 6. & Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. num. 67.* Quòd si Præpositura non vacat, sed Præpositus est absens, non debet Vicarius, aut vocalis supradictus eiusmodi functiones agere incõsultò Præposito, dum differri possunt. At si de facto fierét tenerent: quia licet prohibeantur per nostram Constitutionem; actus tamen ipsa Constitutio non annullat, vt rectè declarat *Peregr. in suis Commentar. ad nostras Constitutiones 2. par. tr. 5. §. 2. litt. C. vers. Dico primò, & vsque ad §. 3.*

7 De P. Vicepræposito nostræ Domus S. Syluestri pauca dicam. Non enim habent aliam auctoritatem, quàm Vicarij domorum. Verum tamen est, quòd à P. Generali dari solet tota gubernatio dictæ domus S. Syluestri; etiam si P. ipse Generalis Romæ reperiatur, vt habetur ex *P. Peregr. in suis Commentar. ad nostras Const. par. 3. cap. 7. §. 4. 9. vers. Potest item solus, quem voluerit.* Item Vicepræpositus sedet post Præpositos, & Visitatores visitationis tempore non solum in prædicta domo S. Syluestri, sed etiam in cunctis alijs nostrę Congregationis domibus, ut habetur in nostris *Constit. par. 3. cap. 7. §. P. Generalis, vers. Ipse vero:* uncto *Decreto par. 3. cap. 7. num. 16.* Vicarij uero Domorum habent dictum locum in eorum domibus, in alijs autem sedent in loco ipsorum professionis, vt in *d. cap. 7. Decretor. num. 15. in noua edit.* ità se habente: *Vicarij Domorum in ea tantum domo, cuius Vicarij sunt post Præpositũ, in cæteris vero domibus suo quique professionis loco collocentur. Vicarius tamen S. Mariæ de Tauro Ciuitatis vici Aequensis suo priuilegio gaudeat. Vicepræpositus vero Sãcti Syluestri sẽper, & in quauis domo, ne dum S. Syluestri ante quoscunque Vicarios collocetur.* Priuilegium autem, quod habet Vicarius prædictus S. Marię de Tauro est, vt præcedat similiter omnibus, etiam si alterius essent domus, eique professionis ordine Superiores, modò ne sint Præpositi, aut Visitatores visitationis tempore. Quando Neapoli commorari contingerit post Præpositum, Visitatores visitationis tempore, & Vicarium sedeat. Vt in *d. cap. 7. Decr. num. 17.* Habet denique Vicepræpositus S. Syluestri hoc speciale supra omnes alios Vicarios, vt Præpositos, ac Visitatores, vt cum P. Generali, & PP. Consultoribus, ac P. Præposito S. Andreæ possit interuenire electioni Consultoris in locum præmortui, vt constat ex nostris *Constit. 3. par. cap. 5. § Si Consultorum,* tenoris sequentis: *Cõsultorum aliquem diem suum obire, vel munus quauis ratione contingat deponere, P. Generalis conuocet, præter Consultores reliquos, Præpositũ S. Andreæ, & Vicepræpositum S. Syluestri, & vna cum illis per secreta suffragia, de consensu maioris partis in demortui, vel abdicati Consultoris locum sufficiat alterum.*

8 Est tamen adnot. ex *P. Peregrino in suis Cõmentar. ad nostras Constit. d. par. 3. cap. 5. §. Si Consultorum,* quòd si Vicepræpositus sit Consultor, in electione Consultoris habebit duo vota, cùm vices plurium personarum gerat, iuxtà *tex. in cap. cum inter, il 2. de elect.* Et si Cõsultor mortuus fuisset quoque Vicepræpositus, tenetur P. Generalis alium Vicepræpositum in locum præmortui, antequam deueniretur ad electionem Consultoris mortui, vt adimpleatur forma data à nostr. Constit. quæ vult, vt interueniat Viceprępositus. Et tunc electores possunt eligere in Consultorem, non solùm Vicepræpositum, sed etiam Præpositum S. Andreæ, & si ipse electioni consentiat cessat esse Prępositus: siquidem Præpositus, & Consultor ex vsu nostræ Religionis non post quis esse simul, & eodem tempore.

9 Est autem P. Vicepræpositus inferior alijs Vicarijs in hoc, quòd per obitum P. Generalis, aut eius muneris abdicationem statim cessat auctoritas ipsius Vicepræpositi, & ex Consultoribus professione senior P. Generalis vicem sibi vendicat, vt constat ex nostris Constitutionibus *3. par. cap. 5. §. Per P. Generalis obitum.* At auctoritas Vicariorum per obitum Præpositorum, aut eorum munerum abdicationem non cessat, vt supra ostendimus, *vers. Cæterùm.* Hæc satis de Prioribus, Vicepræposito, ac Vicarijs dicta sint; quia cum absentibus Præpositis vices ipsorum gerant, in easdem culpas incidere possunt, in quas incidere solent eorum Prælati.

De Vocalibus in Regularium domibus assignatis, & eorum culpis.

SEC. XX.

SVMMARIVM.

1 *Vocales in duplici sunt differentia, vel tales dicuntur eo quod vocem dant in Capitulo Generali, vel sunt vocales particularium domorum.*

2 *Peccant vocales domorum, qui ad ordines suscipiendos, ad confessiones audiendas, &c. cõspirant ne dignus eligatur, vel vt eligatur indignus.*

3 *Peccant vocales domorum si in quocunque negotio, definiendo in Capitulo, etiam si de alterius præiudicio non tractetur, secretò non ferant suffragia.*

4 *Peccant vocales, recusantes domorum Capitulo interesse, si nouerint ob id esse indignum eligendum, aut non eligendum dignum, vel iniustè aliquem damno, seu iniuria afficiendum.*

5 *Decretum prædictum fuit declaratum ab admodum R. P. G. D. Vincentio Giliberto, & A. R. P. Generali D. Philippi Guadagno, & quomodo.*
Et quando pœna prædicti Decreti censeatur tacitè remissa.

6 *Peccant vocales nostrę Congregationis, si suffragia ferant pro grauanda domo ęre alieno extra casus à iure permissos.*

7 *Peccant domorum vocales alijs suffragantes, vt sibi suffragentur.*

8 *Peccant vocales domorum, qui nullo præuio tractatu ad electionem procedunt vocalis, qui mittendus est ad Capitulum Generale, ad electionem Magistri Nouitiorum, &c. Et*

multò

multò magis peccat P. Præpositus, & quãdo.

9 *Electiones prauio tractatu esse faciendas, est per Sacros Canones dispositum.*
Memorantur litteræ Sacr. Congregat. directæ P.D. Thomę de Afflicto.

10 *Peccant domorum vocales, eligentes Magistrum Nouitiorum, qui non habeat conditiones, quas requirit Clem. VIII. in sua Constit. edita de anno 1603.*

11 *Magistri Nouitiorum eiusdemque socij nostræ Congregationis, quamuis quoad ętatem, Nouitios recipiendos, ac Nouitiatum instituendum non alligentur, nec subsint prædictę Cõstitutionis regulis, reliquas tamen conditiones habere debent, & quas.*

12 *Peccant vocales si in electione per accessum, aliqui ex eis dolosè conueniant, vt talis sit primus, qui suffragium ferat, adhoc vt is, cui fuerit suffragatus, dum accedit ad se ipsum, suffragium tertij remaneat inane, & qui primo fuit suffragatus delusus.*

1 PRO explicatione tituli *sec.* huius est adnot. quòd vocales sunt in duplici differentia. Nam quidam dicuntur tales eo, quòd vocem habent in Capitulo Generali, de quibus non potest assignari certa regula; quoniam quęlibet Religio suas proprias habet Constitutiones, & leges; quæ potius huic, quàm illi Religioso vocem concedunt in Capitulo Generali, vt plurimum vltra P. Generalem ad Generale Capitulum aduocantur Prouinciales, Præpositi, seu Priores, & Guardiani, Abbates, Visitatores, & Discreti, quos singulæ domus Prouinciæ sibi deligunt, vt Generali, aut Prouinciali Capitulo valeant interesse. Quidam verò vocales sunt particularium domorum, iuxta vnius cuiusque Religionis varias, ac diuersas Constitutiones: nam quidam in domo, in qua sunt assignati habent vocem actiuam tantùm: quidam vocem actiuã, ac passiuã: quidam votum consultiuum dumtaxat: alij tandem votum decisiuum, vt sunt omnes vocales nostræ Congregationis, quorum suffragijs vtuntur Præpositi; cum aliquis Nouitius ad Religionem est recipiendus, habitu induendus, ad ordines promouendus, ad confessiones audiendas exponendus: aut si Nouitius aliquis antę professionem à Religione sit dimittendus: vel cum magni, & extraordinarij sumptus sunt faciendi: & quæ grauiora videntur sunt tractanda, iuxta ea, quæ habentur in nostris *Constit. par. 3. cap. 9. §. Pręposit*us *quandoque*. Nos igitur hoc loco primò agemus de vocalibus particularium domorum: & deinde de vocalibus, qui vocem habent in Capitulo Generali, & videbimus, an, & quando peccent in ferendis eorum suffragijs.

2 Peccant igitur primò vocales domorum si conspirent contra hunc, vel illum dignum ad ordines suscipiendos, ad confessiones audiendas, &c. vt non eligatur, aut conspirent, vt indignus eligatur, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *sec. 14. vers. Secundò peccant Consultores. & sec. 15. vers. Sextò peccant Domorum Pręposití.* Idem dicendum est, si citra conspirationem aliquam ferant suffragium pro indigno, vel contra dignum, odio, amore, timore, spe, aut pecunia, vel pro quacunque alia re temporali, quo casu solet etiam ab eis contrahi crimen simoniæ, vt patet ex ijs, quæ supra adnotauimus *d. sec. 14. vers. Consultores igitur: & vers. Tertiò peccãt Consultores.* Vnde simoniam proculdubio cõmittunt vocales pecuniam recipientes pro recipiendis Nouitijs, pro eisdem admittẽdis ad habitum, vel ad professionem, vt in *c. quoniam simoniacus, de simon. & c. 2. de statu Monachi.* Et si indigni sint, multò maiorem culpam incurrunt; sicut, & ferentes suffragia pro dimittẽdis Nouitijs à Religione, cùm dimitti non debeant: aut pro non recipiendis cum recipi deberent: pro ordinandis, vel exponendis ad confessiones, cùm nouerint eos indignos: vel è contrà suffragia negauerint pro ordinandis, vel exponendis ad confessiones, cùm nouerint esse dignos. Imò vocales peccant quocunq; modo suffragia ferant contra eorum conscientiam, etiam si eligant dignum, aut ob id non sequatur electio indigni. Siquidem agentes contra conscientiam erroneam, semper peccant, vt latè declarat *Sayr. lib. 1. Clau. Reg. cap. 4. num. 14. cum plurib. seq.*

3 Secundò peccant vocales domorum si in quocunque negotio in Capitulo definiendo, etiam si non tractetur de alterius præiudicio suffragia secretò non ferant, iuxta *Decretum 3 p. c. 7. num. 28. in 2. edit.* ità se habens: *In Capitulis domorum cœpto de qualibet re proposita scrutinio, Prępositus definitionem in aliud tempus ne protrahat, sed confecto scrutinio, statim per secreta suffragia, non autem viua voce quoduis negotium, etiam in odium, pręiudiciumuè alicuius non vergens definiat.* Imò post lata suffragia; quid actum sit, nemo ante tempus potest propalare, vt habetur in nostris *Constit par. 3. cap. 2. §. quicquid in Capitulo*, vbi ita definitum extat: *Quęcunque item vel à toto Capitulo, vel à solis Definitoribus, vel a Consultoribus, vel à vocalibus in priuata aliqua domo pertractantur, præsertim si prolata pacem violare posse videãtur, sedulò celentur: ac ne illa quidem, quę paulò post publicanda sunt, ante tempus indicentur. Neue quis, cui aduersatus cui suffragatus sit significat. Qui contrafecerit itidem grauiter puniatur.* Hæc eadem Constitutio fuit confirmata, & determinata pœna contra eam violantes, per Decretum Capituli Generalis anni 1568. de quo *3. p. cap. 7 sub nu. 24. in noua edit.* quod est tenoris sequentis: *Vt charitatis, pacisque fœdus minimè turbetur, caueant patres ante præstitutum tempus aliquo modo detegere, vel aperire, quę siuè in Generalibus Capitulis acta fuerint, quæue in noxam, aut praiudicium essequeunt; qui secus fecerit, tanquam violati secreti reus prima vice à vocis ferendo suffragio per quadrimestre secunda vice per semestre suspendatur. De modo autem inquirendi in huiusmodi criminis reos id seruetur, quod in murmuratores statutum est. Quòd si Præpositus in hoc crimen inciderit, res ad P. Generalem deferatur.*

4 Tertiò peccant vocales recusantes domorũ Capitulo interesse, si nouerint ob id esse eligendum indignum, aut non eligẽdum dignum; aut iniustè aliquem damno, vel iniuria afficiendũ. Etenim quamuis liberi sint vocales se abdicare à munere eligendi; nihilominus si viderint abdicationem eiusmodi tendere in præiudicium com-

communitatis,aut alicuius tertij, cũ ob id fortè non reciperetur dignus ad ordinem, non promoueretur ad ordines, non exponeretur ad cõfessiones:vel è cótra indignus reciperetur, promoueretur,aut exponeretur ad confessiones,citra culpam non possunt se abdicare, etiam si id vergeret in damnum proprium: siquidem dum vocalis munus susceperunt, ex iustitia tenentur procurare bonum communitatis, ob quod vocales creantur, atq;ad id obligantur ratione officij, vt habetur ex *Molfes.par.1.sup summ tr. 6.cap.16.num.116.& 117.* vbi etiam *num.18.* inquit, quòd si quis ex vocalibus inueniatur in loco electionis, & certò sciret, vocales certam personam electuros, aut non electuros contra iustitiam, & bonum commune, adhuc tamen non debet se abdicare; sed obligatur aperire veritatem alijs: nam multoties euenit, vt trahatur alij in sententiam vnius. Hac de re extat decretum Capituli nostri Generalis,anni 162 -de quo *3.par Decr.cap.7.num.22.in 2.edit.* ita se habens: *Ad Capitulum cuiusque domus omnes prorsus eius domus vocales conueniant, qui pro suo libito per tres continuas vices absfuerit, per trimestre actiuo,& passiuo suffragio puniatur.*

5 Verumtamen est,quòd supradictum Decretum fuit declaratũ ab A.R.P. Generali D. Vincentio Gilibetto: & ab A. R. P.Generali Don Philippo Guadagno die 7. Nouemb. 1625. & die 14.Martij 1628. vt apparet ex libro consultationum,fol.23.in primis,vt vocalis transgressor dicti Decreti,non intelligatur priuatus suffragio per tres menses; nisi per sententiam sit declaratus suspensus.Secundò, supradicta pęna suspensionis proferenda à Capitulo domus, incipit currere à die publicationis,& insinuationis sententiæ. Et tertiò, vt condemnatus ad dictam pœnam,remaneat suspensus consequẽter, non solùm facultate interueniendi Capitulis, sed etiam facultate dandi benedictionem, & omnibus actibus pertinentibus ad vocales, vt vocales sunt.Nec prædicta pœna censetur tacitè remissa,si talis vocalis ante condemnationem Capitulo interueniat, licet actus, cum eius interuentu antequam condemnetur definitus sit validus, vt rectè probat *P. Peregr.in suis Comment ar.ad nostras Constitut.par.3.cap.9. §.13. litt.T.* vbi tamen addit condemnationem fieri debere causa cognita: nam multæ sunt causæ excusantem vocalem à dicta pœna: imò si causam iustam, quam allegar non possit probare, inquit ipse *Pereg* quòd statur ipsius vocalis iuramento, cùm non tractetur de alterius præiudicio. Dicitur autem vocalis quoque non adesse Capitulo, quando patres conueniunt capitulariter alicui cõtractui,aut alteri actioni, & abfit: quoniam illa patrum conuocatio computatur pro Capitulo,vt per eundem P. *Peregr.* ibi, *vers. Septimò verum.*

6 Quartò peccant vocales nostrę Congregationis suffragia ferentes pro grauanda domo ære alieno extra casus permissus à iure, vel à nostra Constitutione, de qua *3 par.nostr. Constit.c.9. §.Nulla*,& ita se habet:*Nulla ex nostris domibus possit ęre alieno grauari, etiam de consensu vocalium,nisi pro necessario victu, atque vestitu,& pro necessaria fabricę restitutione.vel tãdem pro euidenti vtilitate in re, quę differri minimè possit,vt puta pro emendis contiguis nostrę domui locis.* Pœna autem contra violantes eiusmodi Constitutionem habetur in decreto lato in nostro Capitulo Generali anni 1624. die 5. Maij, quod est tenoris sequentis: *Ne domus nostrę nimis ęre alieno pręmantur, quod non nisi serius solui queat, teneantur Pręposìti quot annis sub initium Quadragesimę rationes accepti, ac expensi à vocalibus subscriptas Romã ad Patrem Generalem transmittere. Qui æs alienum contraxisse absque vocalium consensu extra victus,vestium,ac necessarię alicuius restaurationis necessitatem compertus fuerit,resici in Prępositum eo anno nequeat.*

7 Quintò peccant pariter vocales domorum si alijs suffragentur, ut sibi suffragetur; unus, u.g. suffragatur alteri pro eo eligendo inMagistrum Nouitiorum,ut ille alter suffragetur ipsi, ut eligatur in uocalem mittendum ad Capitulum Generale, & alia eiusmodi: siquidem tales electiones simoniam proculdubio sapiunt,ut supra ostendimus *sec.14 vers. Consultoris igitur: & vers.Tertiò peccant Consultores.* Idem dicendũ est de rogantibus,ac sollicitantibus collectores, minantibus, &c. nam isti quoque mortaliter peccant, ut sæpè diximus, & infra latius dicemus de uocalibus Capituli Generalis agentes.

8 Sextò peccant uocales domorum, qui nullo pręuio tractatu procedunt ad electionem uocalis,qui mittendus est ad Capitulum Generale, ad electionem Magistri Nouitiorum: ad electionem exponendorum ad cõfessiones audiẽdas: ac in negotijs grauibus ferunt suffragia absque matura consideratione, & tractatu. Et multò magis peccat P. Præpositus, qui in electione facienda Magistri Nouitiorum,aut procuratoris domus nullum proponat, sed dicens omnes habere idoneos,nullo pręmisso tractatu, seu scrutinio de uita,moribus,legalitate,ac sufficientia eligendorum,iuxta ea, quæ infra dicemus *vers.Septimò peccant vocales*,pręcipit deueniri ad electionem. Etenim in electionibus cum suffragia feruntur non præmisso tractatu, ac scrutinio personæ eligendæ, electio dicitur fieri casu,& peior esset illa, quæ fieret per sortes,ut post alios docet *Molfes.par.1.sup summ. tr.6.cap.16.num.82.86.& 89.* Vbi etiam addit, quòd in electione A.R.P. Generalis debẽt electores prius considerare, ac examinare necessitates Religionis tunc existentes, & remedia inuestigare, quibus occurri possit huiusmodi necessitatibus.Deindè tractare debent de persona habili,ac idonea,quæ prędicta exequi ualeat,& sufficiens sit pro tali munere: quæ si non fiant electio casu potius dicitur fieri, non autem per

9 scrutinium. Imò,quòd electiones præmisso tractatu fieri debeant,est secundum Sacrorum Canonum dispositionem: siquidẽ ob id cùm fuisset Decretum per nostrum Capitulum Generale, ut in electione uocalis mittendi ad Generale Capitulum non fiat tractatus,habito recursu ad S.D.N.D.Vrban.VIII.fuit prouisũ, & rescriptum per Dominum Secretarium Fagnanum ad P.D.Thomam de Afflicto tunc Consultorẽ nostræ Congregationis, ut infrá: *Molto Reuerendo Padre. La Santità di Nostro Signore, hauendo hauuto notitia del Decreto fatto nell'vltimo Capitulo Generale celebrato in S. Siluestro,*

stro, e qui di *Monte Cauallo*, *nel quale se prohibisce non solo il trattato, mà ancora il parlare in qualsiuoglia modo di materia di elettione del vocale capitolare sotto pena di Scommunica, da incorrersi ipso facto: hà comandato, che si faccia sapere per mezzo del P. Generale, e di Consoltori à tutte le case della Religione, che Sua Beatitudine vuole, che non ostante detto Decreto, e le pene contenute in esso, sia lecito nell'elettione medesima il legitimo trattato, conform'alla dispositione de Sacri Canoni. Lo significo à V.P. acciò lo faccia sapere al P. Generale, & à suoi Colleghi, & a chi bisogna, e mi raccomando alle sue orationi. Di casa alli 10. di Ottobre 1626. Di V.P. Affettionatissimo per seruirla. P. Fagnano. Al P. D Tomaso d'Afflitto.*

10 Septimò peccant uocales Domorum eligentes Magistrum Nouitiorum, qui non habeat cõditiones, quas exigit Clem. VIII. in sua Const. edita sub die 19 mensis Martij 1603. quam refert *Steph. Quaranta in summ. Bullar. ver. Monasteria, & Conuentus*, & est tenoris sequentis: *Tàm Nouitiorum Magister, quàm socius alijs omnibus officijs, oneribusque vacationem habeant, quæ Nouitiorum curam, & regimen impedire valerent. Ipse Magister Sacerdotali ordine sit initiatus, ac in quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ annum constitutus, & per decennium à professione emissa in Religione præstiterit: Socius verò trigesimũ excedat; sintque ambo doctrina, & quantum per Superiorũ diligentiam, & vires fieri poterit, vitæ etiam ante actæ exemplo præstantes, orationis præterea & mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graues; Zelum Dei tum mansuetudine præferentes, ab omni cordis, & animi perturbatione, ira præsertim, & indignatione, quæ in se, & erga alios charitatem impedire consueuerunt, quam longissime alieni: & tales demum, qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum præbeant, vt ij, qui eorum curæ subsunt, illos non tàm metuant, quàm revereantur, nec illis vnquam detrahere quicquam possint.* Et quamuis,

11 quoad ætatem Magistri Nouitiorum, & eiusdẽ socij nostra Congregatio, & multæ aliæ non alligentur, nec dictæ Constitutionis Regulis subsint: circa Nouitios recipiendos, Nouitiatum instituendum, &c. ut ex eiusdem Clem. VIII. Constit. constat, edita sub die 20. Iunij 1599. cuius etiam meminit *Steph. Quaranta loco citato*; nihilominus reliquas conditiones omninò habere debet, qui præficiendus est in Nouitiorum Magistrum. Vndè in nostris Constitutionibus, 3. *par. cap.* 5. §. *vbi primum*, ità fuit constitutum: *Deligatur autem ex Sacerdotibus qui præcipua vita integritate, morumque grauitate sit prædictus; qui prudentia, & discretione polleat, qui mansuetudine, & seueritate, pro rerum, & personarum qualitate vti optimè nouerit: qui nostræ Congregationis communes labores libenter, & assidue cum alijs subeat: qui rebus Diuinis, & Ecclesiasticis non mediocriter sit eruditus: qui mandata Dei, atque consilia, perfectionisque viam verbo, & exẽplo alios edocere valeat, &c.* Ob id extat Decretum quoque Capituli Generalis anni 1610. de quo 2. p. *Decr. cap.* 4. *num.* 6. ità se habens: *Definitores in Capitulo Generali designent Sacerdotes quosdã idoneos ad educandos, moderandosque Nouitios. Hos P. Generalis apud se notatos habeat, & cùm opus fuerit, eorum aliquos deligat, & Præposito, ac vocalibus domus significet qui ex præscripto in Constitutionibus, & Decretis Clem. VIII. super educatione Nouitiorum forma, vnum eorum creent Magistrum Nouitiorum. At si fortè Patres domus alium à præscriptis idoneum Sacerdotem ad Patrem Generalẽ referant, is si P. Generali videbitur, eligi, & creari poterit.*

12 Octauò peccant vocales si in electione per accessum aliqui ex eis dolosè conueniant, vt talis sit primus, qui suffragium ferat, adhoc, vt is cui fuerit suffragatus, dum accedit ad se ipsum, suffragium tertij vocalis remaneat inane, & qui primò fuit suffragatus, delusus. Siquidem eiusmodi electio est captiosa: & si decepti ignorẽt, quid nam sit electio per accessum, electio est nullius momenti, cùm libera dici nequeat, prout de iure exigitur, vt in *cap. vbi periculum, de elect. in* 6. latè *Molfes par.* 1 *sua summ. tr.* 6. *cap.* 16. *num.* 52. 53. & 98. *cum plur. seq.* Hæc fraus de facili potest adhiberi in electione vocalis Capitularis, mittendi ad Capitulum Generale, vbi in aliqua domo sint tres tantùm vocales, & maximè si vnus ex vocalibus actiuam vocem habeat dumtaxat. Et quoniã in electione eiusmodi vocalis Capitularis, seu Discreti facienda à Domorum vocalibus multæ difficultates solẽt occurrere; idcircò eas omnes per sequentes sectiones duximus definiendas.

An Canonica dicatur electio Capitularis vocalis in ea domo facta, vbi tantùm sunt vocales, quorum vnus sit actiuæ tantum vocis.

SEC. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Affertur pars affirmatiua, quod electio sit valida, & probatur.*
Et an si Collegium restringatur ad duos potest vnus alterum eligere, & num. 4.

2 *Verior est contraria sententia, cum nulla dicatur electio, quæ coarctatur ad eligendam certam, & determinatam personam.*

3 *Electio, vt dicatur libera satis non est, vt electores sint liberi ad non eligendum, sed etiã ad eligendum vnum ex pluribus, vel saltem vnum ex duobus.*

4 *Tunc potest vnus alterum eligere, si Collegium redigatur ad duos, quando electio fit per compromissum, vel per accessum, secus verò per scrutinium.*

5 *Non est contra Concilij decretum electio, quæ vnus alterum eligat, si Religionis status id permittat.*

6 *Decretum nostri Capituli Generalis de anno 1610. Quare fuit emanatum, & an hodiè cesset, stante electione trium vocalium vtriusque vocis in qualibet domo.*

3 *Qui alba schedula in electione vocalis vtitur, qua pœna puniatur.*

1 IN hac re pro parte affirmatiua dicendum est, eiusmodi electionem esse validam, quoniam si inualida foret, id esset ex defectu libertatis; sed consequens est falsum: ergò, & antecedens. Maior patet. Probatur, quia vocales vtriusque vocis, licèt liberi non sint ad eligendum potius hunc, quam alium; sunt tamen liberi ad non eligendum, ergò ex hoc capite libera est electio huiusmodi, atque ideò valida. Secundò si Collegium restringatur ad duos, potest vnus alium eligere: imò si omnes Cardinales exeant à Collegio, & vnus solus remaneat, ille solus posset Papam eligere; ex quo solus repræsentat totũ Collegium, vt habetur per *Glos. in Clem. ne Romani §. porrò in vers. Omnes, de elect. Panorm. in cap. 1. num. 6.* & ibi, *Dec. num. 10. eod. tit.* Ergò idem dicendum est in casu nostro, cũ militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud ff. ad leg. Aquil.* Tertiò probatur ex declaratione Sacræ Congreg. *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 6.* ità se habẽte: *Vbi sunt tres tantùm vocales, quorum vnus non potest eligi in Discretum, & per consequens necesse est, vt alter illorum duorum, qui remanent, det alteri vocem suam, & ità electio non potest esse secreta; dubitatum fuit, an possit fieri electio Discreti, quæ non sit contra huius Decreti formam? Congregatio censuit posse, si ita status Religionis permittit.* Denique probatur hæc sentẽtia apertè ex Decreto nostri Capituli Generalis anni 1610. *3. par. Decr. cap. 1. num. 7. & 8.* cuius tenor est, qui sequitur: *Si qua in Domo, vbi tres tantùm vocales extant, vnus actiua solùm, & reliqui duo actiuæ, & passiuæ vocis, fiat electio alterius ex duobus in vocalem Capituli Generalis, sit, & habeatur firma, ac rata, & Canonica: ac taliter electo ius veniendi ad Capitulum Generale legitimè cõpetat. At si vnus ex duobus actiuæ, & passiuæ vocis electionis tempore se ab electione subtraxerit, electio, quæ fiat ab illo, qui actiuæ tantùm vocis suffragium habet, erit firma, rata, & Canonica.*

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto veriorem esse, quam docet *Pater Molfes. par. 1. suæ summ. tr. 6. cap. 16. num. 112. 113. & 114.* Probatur hæc sententia ex eo, quod nulla dicitur electio, quæ coarctatur ad eligendam certam, ac determinatam personam, vt habetur ex *Alex. cons. 106. perspectis ijs, lib. 2. Tusch. vers. Electio concl. 62. num. 3. Mirand. in Man. Prelator. par. 2. q. 23. ar. 23. Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q. 53. ar. 11. Molfes. loco citato, num. 102.* & ex alijs. Etenim electio eo casu non esset libera; eo quod tolleretur libertas eligendi, quæ consistit in eligendo vnum ex pluribus eligibilibus. Sed electio, de qua agitur est coarctata ad certam, ac determinatam personam, cum vocales vtriusque vocis cogerentur se eligere inuicem, atque ideò is tantùm, qui actiuam dumtaxat habet vocem liber remaneat ad eligendum hunc, vel alterum ex vocalibus habentibus vocem, tàm actiuam, quàm passiuã. Etenim eligere est secernere à pluribus, & unũ ad placitum assumere, ut in *cap. cùm dilectus, de consuet. cap. Abbate, de verb. signif. Nauarr. in cap. accepta, in §. oppos. de restit. spoliat. & Flamin. Paris. lib. 13 de resign. benefic. q. 2. nu. 15.* Vndè sicut non potest dari homo, nec per Diuinam potentiam, ut uerè sit homo, & non sit animal rationale; ità nõ potest dari electio, quæ uerè sit electio, & non fiat ex pluribus eligibilibus, sed sit coarctata ad unam certam, ac determinatam personam; siquidem id esset contra essentiam illius, ut patet ex ijs, quæ supra diximus, & quæ habentur ex *Calder. cons. 49. aliàs 3.* incipit, an ualeat electio, *Tusch. loco citato, num. 1. Molfes. d. cap. 16. num. 103.* & alijs.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

3 AD primum respondetur negando consequentiam. Nàm licet electores in casu, de quo agitur dicantur liberi ad non eligendũ; id tamen satis non est, vt dum eligunt electio libera dicatur; quoniam libertas debet esse, non solùm ad eligendum, & non eligendum, ut homo sit liber non eligere; uerum etiam ad eligendum unum ex pluribus, uel saltem unum ex duobus: aliàs dum uult unum solùm eligere, nõ liberè illum eligit, dum non est liber ad eligẽdum alium; atque ideò liber diceretur ad non eligendum dumtaxat; non autem ad eligendum si uult eligere; quia cogitur illum solum eligere, ut habetur ex *D. Anton. 3. p. suæ summ. tit. 21 cap. 2. § 3. Panorm. in cap. licet, de elect. Anchar. in cap. 1. num. 5. eod. tit. Francisc. Marc. decis. 318. nu. 5. & decis. 836. num. 7.* & ex alijs, quos refert idem *Molfes. loco citato, num. 102.* Secundò responderi potest, quod hoc casu electores, nec liberi quidem sunt ad non eligendũm; quoniam in nostra Congregatione extant duo decreta Capituli Generalis sub anno 1607. & 1610. de quibus *3. par. cap. 1. num. 2. 3. & 4.* quibus statuitur, ut uocales teneantur eligere sub pœna priuationis utriusque suffragij, ut ex eorum tenore constat: ergò non sunt liberi ad non eligendum: & dum eligant, adhuc coactè dicuntur eligere ad effugiendam pœnam.

4 Ad secundùm dicimus, quod antecedens est uerum, atque ideò illud concedimus, quando agitur de electione facienda per compromissũ, uel per accessum ad se ipsum; negamus tamen electionem per scrutinium, de qua agitur, posse fieri eo modo, ut probat idem *Molfes. ibi, à nu. 107. vsq; ad num. 112.*

5 Ad declarationem Sacrę Congreg. respondet ipse *Molfes. ibidem, num. 104.* quòd declaratio illa fundatur in uerbis Concilij, an scilicet electio secreta esse censeatur, & Congregatio censuit, ut non dicatur contra Concilij Decretum; si ita status, idest obseruantia Religionis permittat: nam potest reduci ad electionem, quæ fit aperto scrutinio. Et sic nõ determinat, an ualeat electio coarctata: quę re uera nõ ualeret secundùm Sacros Canones: eo quòd coarctata esset ad certam, ac determinatam personam. Secundò respondetur, quòd dato, & non concesso, quòd Sacra Congregatio uoluerit electionem illam iustam; nihilominus id censuit non simpliciter; sed sub conditione: *Si ità status Religionis permittit.* Vt quia fortè sint adeò pauci eli-

eligibiles in Congregatione, ut nō possint plures in qualibet domo adscribi, vt in eo statu nuper reperiebatur nostra Congregatio, cùm paucissimi adscriberentur in numerum vocalium vtriusque suffragij: & propterea dicta declaratio non potest locum sibi vendicare hodiè in nostra Congregatione, quæ adeò est ad præsens multiplicata, Deo fauente, vt in qualibet domo non solùm duo vocales vtriusque vocis, sed etiā octo, & plures adscribi possint, vt de facto adscribuntur etiam domibus paruulis: & in magnis reperiuntur assignati 20. 25. 30. & plures vocales vtriusque vocis, vndè, quod per necessitatem indulgetur non est trahendum in argumentum, quia necessitas non habet legem: & quod non est licitum in lege, necessitas facit esse licitum, vt in *cap. quod non est licitum, de regul. iur. lib 5.* & nos latè declarauimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 36. num. 22. & 23.* Tertiò potest responderi, quòd in casu talis declarationis saluatur libertas ad nō eligendum, cùm non constet electores vi consuetudinis, aut alicuius statuti sub aliqua pœna posse ad eligendum compelli: at in casu nostro supra probauimus vigore supradictorum Decretorum non saluari libertatem non solùm ad eligendum; sed nec quidem ad non eligendum: & propterea ex diuersis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Et denique hodiè ex Bulla S. D. N. D. Gregor. XV. cum fuerint prohibitæ declarationes sub nomine Sacræ Congregationis *Concil. Trid.* typis traditæ, de supradicta declaratione fortè non est habenda ratio.

6 Ad Decretum nostri Capituli Generalis dicitur, quòd illius editionis tempore erat maxima penuria vocalium vtriusque vocis, & proindè status nostræ Congregationis, stante tali necessitate exigebat emanationem dicti Decreti, deindè, quia post dictū Decretum fuerunt creati quamplurimi vocales eligibiles, atque ideò vtriusque vocis, idcircò Capitulum Generale anni 1615. videns cessare rationem necessitatis decreuit, vt in qualibet domo tres saltem assignentur vocales vtriusque vocis tum actiuæ, tū passiuæ, vt patet 3 *par. Decr. cap. 7. num. 20. in noua edit.* & in antiqua *num. 16.* & sic per hoc vltimum Decretum saluatur libertas ad eligendum vnum ex pluribus. Et quamuis ob paucitatem numeri electorum non possit in eligendo seruari forma tradita in *cap. quia propter, de elect.* possunt tamen electores vti forma à *Conc. Trid.* præscripta *sess. 25. cap. 6.* qua nostra Congregatio, & multæ aliæ vtuntur in praxi, nempè, vt conuocatis electoribus, & electis duobus scrutatoribus eiusdem Collegij, uel extra, & præstito eis iuramento de seruando secreto electionis, & tractatus in ea, & exercendi scrutinium ritè, & rectè, absque vlla fraude, & à singulis electoribus suffragijs in vrna positis, scrutatores ipsi illa ab urna extrahunt: & si inter suffragia schedulam albam inuenerint, à numero electorum tollunt tot, quot schedulas albas inuenerint: & perlectis alijs schedulis, si in una persona conueniat maior pars electorum, qui remanserunt, deductis schedulis albis, illa persona censetur electa, iuxtà *Gloss.* communiter receptam in *Clem. quo circa, de elect.* & latè *Man. Pralat. q. 27. ar. 20.* relatus à *Molfes. d. cap. 16. num. 151.* Et demum scrutatis suffragijs, si adsit electio, vnus ex scrutatoribus dicit electoribus, adesse electionem; sed non publicat personam electam, nisi præses, aut electores mandauerint, vt publicent personam; quam elegerunt, vt habetur ex *Molfes. loco citato, num. 43. cum plurib. seq.*

7 Verum tamen est, quòd in nostra Congregatione circa schedulā albam fuit specialiter statutum 3. *p. nostr. Decret. cap. 1. num. 5. & 6.* his verbis: *Qui alba schedula in electione vocalis vtetur, ne dum actiuo, & passiuo suffragio in ea electione careat; verum etiam postmodum per triennium ipso facto, absque vlla declarationis sententia à iure ferēdi suffragium cadat: nec in pristinum suffragij ius restitutus intelligatur, nisi post aliud Capitulum Generale.* Si fortè reperiatur aliquando à scrutatoribus alba schedula in electione vocalis, ille erit electus, in quē maior consenserit numerus eligentium (nempè vocalium, qui in *d. cap. pro electione* interfuerunt) numerato (nimirum inter vocales supradictos) etiam eo, qui alba schedula vsus fuerit. Et sic, quoad schedulam albam discrepant Decreta nostræ Congregationis à iure communi.

An si Capitulum reducatur ad tres solùm vocales, quorum vnus sit actiuæ tantùm vocis, ex defectu aliorum vtriusq; qui electionis tēpore ab ea se subtraxerint, cùm tali vocalium numero, ac qualitate possit fieri Canonica Discreti, seu Capitularis vocalis electio.

SEC. XXII.

SVMMARIVM.

1 *In nostra Congregatione adsunt duo Decreta, circa vocales eligendos, & quæ.*
2 *Additur prima fronte pars negatiua, cum talis electio videatur contra formam Decreti de anno 1615. & num 4.*
3 *Contraria sententia probabilis est, & quare.*
4 *Probabilior est sententia negatiua, si non saluetur libertas electionis.*

1 PRO explicatione tituli quęstionis est adnot. quòd vt supra diximus *sec.* præcedenti in nostra Congregatione sunt duo Decreta, alterū anni 1610. decernens, quòd vbi in aliqua Domo tres tantum vocales extant, vnus actiuæ solùm, & reliqui duo actiuæ, & passiuæ vocis, fiat electio alterius ex duobus in vocalem Capituli Generalis, sit, & habeatur firma, rata, & Canonica: ac taliter electo ius veniendi ad Capitulū Generale legitimè competat. Alterum verò Decretum fuit editum anno 1615. quo decernitur, vt in qualibet domo tres saltem assignentur vocales vtriusque vocis, tàm actiuæ, quàm passiuæ. Supponamus modo, quòd A. R. P. Generalis in hac nostra Domo S. Eligij assignauerit quatuor vocales, nempè tres, tam actiuæ, quàm passiuæ vocis: & quoque actiuæ tātum, & quod

aduenientre tempore electionis faciendæ vocalis Capituli Generalis, R. P. Præpositus conuocet Patres vocales pro dicta electione habenda, & quòd vnus ex vocalibus vtriusque vocis ab ipsa electione se subtrahat. Quæritur igitur, an tres illi vocales, quorum tantùm vnus sit actiuę solùm vocis, possint prosequi electionem dicti vocalis Capitularis, ita vt si sequatur sit Canonica electio.

2 In hac re videtur prima fronte negatiuè respondendum esse. Etenim huiusmodi electio esset contra formam dicti Decreti nostræ Congregationis anni 1615. quo decernitur, vt in qualibet domo tres saltem assignentur vocales vtriusque vocis: quod decretum fuit editum, vt electio vocalis Capitularis sit libera, vt diximus *sec.* præcedenti: per quod Decretum fuit reuocatum supradictum aliud Decretum anni 1610. quo coarctabatur electio ad certam, ac determinatam personam contra iura humana, ac Diuina, vt *d. sec.* præcedenti ostendimus.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto probabiliorem esse. Etenim eo casu status talis Capituli exigit electionem Discreti, seu vocalis Capitularis eo modo faciendam, nempè per illos tantùm tres vocales, quorum vnus supponitur unius tantum uocis. Nam uocalis utriusque uocis, qui se subtraxit, poterat se subtrahere. Et infra biduum, infra quod facienda est Discreti electio, non potest transmitti ab alia domo ad hanc alteram uocalis utriusque uocis in locum subtracti, eo magis, quia hoc casu exigitur consensus A. R. P. Generalis, & omnium PP. Consultorum, nemine discrepante, qui sine maxima difficultate haberi nequit. Vnde stante tali necessitate si sequatur electio, ipsa erit valida: nam quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum, ut in *d. sec.* præcedenti probauimus in *resp. ad* 3. Confirmatur ex decreto eiusdem nostræ Congregat. 3. p. num 8. ità se habente: *At si vnus ex duobus actiua, & passiua vocis electionis tempore se ab electione subtraxerit, electio, quæ fiet ab illo, qui actiua tantùm vocis suffragium habet, erit firma rata, & Canonica.* Ergò idem dicêdum est casu nostro, & multò magis cùm adsit libertas ad eligendû ex parte habentis vnam uocem tantùm, qualis non est in casu dicti decreti, quod fuit editum in eodem Capitulo Generali anni 1610. quo fuit editum Decretum illud, per quod decernitur ualida electio Discreti facta cum interuentu trium uocalium; duorum scilicet actiuæ, ac passiuæ uocis simul; & tertij actiuæ tantùm. Et id ob penuriam, quę tunc temporis erat uocaliû utriusque uocis, ut diximus *sec. præced. in resp. ad vltimum.* Nec obstat decretum prædictum anni 1615. quo præcipitur, ut in singulis domibus assignentur saltem tres uocales utriusque uocis, quoniam per Superiores Decretum ipsû adimpletum fuit per assignationem trium uocal um, tàm actiuæ, quàm passiuæ uocis: quod posteà Capitulum fuerit redactum ad duos, id prouenit ex culpa uocalis ab electione subtracti, atque ideò per accidens, quod in moralibus non attenditur.

4 Dixi, quòd hanc sententiam puto probabilê; quia si in electione facta per tres uocales, quorû unus est actiuæ tàtùm uocis, non saluatur libertas, ut uidetur non saluari per ea, quæ superiori *sec.* adnotauimus, contraria opinio est probabilior, imò vera, cùm libertas sit de ratione electionis, atque ideò non modo de iure humano, sed etiam de iure naturali, ac Diuino, quę infra transgredi non licet non obstante supradicta necessitate.

Dato, non tamen concesso, quòd electio præcedentis sectionis sit valida: An si vnus ex duobus vocalibus vtriusque vocis in vrna ponat schedulã, hęc verba continentem: *Non eligo.* Et vocalis vnius vocis suffregetur alteri, ille censeatur Canonicè electus.

S E C. XXIII.

S V M M A R I V M.

1 *Factũ supponitur pro explicatione quæstionis.*
2 *Electionem huiusmodi esse validam prima fronte probatur.*
An duo possint facere Collegium, & habeant iura Collegij.
3 *Verior est de iure contraria sententia, hãc scilicet electionem inualidam esse.*
4 *Si ex vi nostrarum Constitutionum inhiberetur vsus schedulæ (non eligo. &c.) tales Constitutiones essent iniustæ, & iniquæ.*
5 *Schedula in qua dicitur (non eligo) differt à schedula alba.*
6 *Dato, & non concesso, quod Constitutiones, & Decreta nostræ Congregationis ab electorum numero illos amoueant, qui recusant aliquem in scrutinio eligere, possunt tamen verificari tantum, quando electio refertur ad plures personas eligibiles, non verò, quando electio, respectu eligentis, ad certam personam esset terminanda.*
7 *Titio, Meuio, & Pamphilo existentibus electoribus cum voce actiua, & passiua si Titius in scrutinio vtatur schedula (non eligo Pamphilum v. g.) Ius eligendi statim deuoluitur ad reliquos duos.*
8 *Magna est differentia inter non eligentem, & ab electione se subtrahentem.*
9 *Electio in casu proposito licet respectu vocalis, habentis vocem actiuam tantum sit libera, respectu tamen alterius vocalis vtriusque vocis dici libera non potest.*
10 *Quamuis Collegium possit ad duos reduci, si electio fieret iure Collegij, non posset vnus alterum eligere; secus si electores iure proprio eligerent.*
Et quomodo fieri debeat hoc casu electio, vt omnis tollatur dubitatio.
11 *In nostra Congregatione non datur, nec vsus, nec consuetudo aliqua contra supradicta, & qualiter esse debeat consuetudo.*
12 *Capitulum si reducatur ad duos vtriusque vocis, & ad alium actiua vocis tantum, & vnus ponat schedulam hoc modo (non eligo, &c.) nõ incidit in pœnas, statutas contra vtẽtes schedula alba.*

Casus

13 *Casus iste accidit mutinæ in quodam Collegio.*

1 PRO explicatione tituli huius quæstionis est adnotandum, quòd nos supponimus in hac Domo S. Eligij fuisse assignatos quatuor vocales, quorum vnus est vocis actiuæ duntaxat; reliqui verò vocis, tàm actiuæ, quàm passiuæ. Cõuocatis autem ipsis vocalibus pro eligendo vocali Capitulari, seu Discreto, vnus ex tribus vocalibus vtriusque vocis subtraxit se ab electione, atque ideò Capitulum fuit redactum ad tres tantùm vocales, quorum duo sunt vtriusque vocis, tertius actiuæ tantùm. Vnus verò ex dictis duobus vocalibus vtriusque vocis remansis ad electionem faciendam vnà cum illo actiuæ tantùm, videns quod subtrahendo se ab electione, vi nostrarum Constitutionum ipso facto priuatur passiua voce, voluit interuenire electioni, atque adeò noluit se ab ea subtrahere. Verum posuit in vrna schedulam huius tenoris: *Non eligo D. Franciscum*, qui est alter vocalis ex duobus vtriusque vocis. Supponamus modo, quòd vocalis actiuæ tantùm vocis ferat suffragium pro ipso D. Francisco contempto altero vocale, & à iure eligendi amoto, quæritur igitur, an præfatus D. Franciscus censeatur Canonicè electus?

2 In hac difficultate videtur prima facie dicendum supradictam electionem esse validam, atq; ideò dictum D. Franciscum à supradicto vocali actiuæ vocis dumtaxat Canonicè fuisse electum; alterumque vocalem meritò fuisse contemptum: imò eum incidisse in pœnas in nostris decretis statutas contra vtentes schedula alba in electionibus. Probatur primò, quia dum supradictus vocalis schedulam prædictam in vrna posuit continentem verba illa: *Non eligo Don. Franciscum*. Et sic alter vocalis, perindè est, ac si schedula alba fuerit vsus, atque ipso facto fuit actiuo, & passiuo priuatus suffragio, vt constat ex Decreto Capituli nostri Generalis 3. *par. cap. 1. num. 5.* ita se habente: *Qui alba schedula in electione vocalis vtetur; ne dum actiuo, & passiuo suffragio in ea electione careat, verum etiam postmodum per triennium ipso facto absq; vlla declarationis sententia à iure ferendi suffragium cadat, nec in pristinum suffragij ius restitutus intelligatur, nisi post aliud Capitulum Generale.* Ergò meritò eo contempto, fuit ipse D. Franciscus electus à vocali vocis tàntùm actiuæ. Secundò probatur, quia dum dictus vocalis schedulam prædictam in vrna posuit, continentem verba illa: *Non eligo D. Franciscum*, perindè se habet, ac si subtraxerit se ab electione: ergò poterat vocalis actiuæ tantùm vocis eligere dictum D. Franciscum, vt patet ex Decreto nostri Capituli Generalis 3. *par. cap. 1. num. 8.* ita se habente: *Si vnus ex duobus actiuæ, & passiuæ vocis electionis tempore se ab electione subtraxerit, electio, quæ fiet ab illo, qui actiuæ tantùm vocis suffragium habet, erit firma, rata, & Canonica.* Tertiò electio huiusmodi est libera iuxta *tex. in cap. vbi periculum, §. cæterum, de elect. in 6.* In ea enim saluatur libertas vocalis actiuæ tantùm vocis, qui D. Franciscum elegit; eo quòd poterat illum non eligere. Etenim quãuis potestas Collegij non possit in vno originari; potest nihilominus in vno residere, vt rectè docet *Anton. de Butr. in cap. gratum, num. 2. & seq. de postul. Prælat.* Et ideo si à principio fuit statutum, vt in Ecclesia essent duo Clerici collegialiter, tunc isti faciunt Collegium, & cùm habeant iura Collegij, possunt sibi ex se ipsis Prælatum eligere, ut habetur ex *Panor. in cap. 1. de elect. in 6.* Imò si omnes Cardinales mortui essent, præter duos, illi poterunt Papam eligere, & unus poterit eligere alium; dummodò alius cõsentiat electioni de se factæ. Ita *Io: Ant. in cap. fin. de accusat. & Panor. in cap licet deuitanda, num. 15 de elect.* Quæ quidem fieri non posset, nisi in dictis casibus saluaretur libertas, cùm ipsa sit de intrinseca ratione electionis: nam non est electio, ubi non est libertas, ut in *d. cap. vbi periculum, § cæterum, eod tit.* Quartò circa dictam electionem, & alias similes, quæ inter Regulares fieri solent, standum est consuetudini, & eorum Constitutionibus; quia forma electionis tradita in *cap. quia propter, de elect.* in Prælatorum electionibus locum habet, ut latè habetur per *Io: Andr. Anton. de Butr. Panor.* & alios in *d. cap quia propter, & Syl. in summ. vers Electio 2. à num. 2. ad 5.* Cùm igitur electio, de qua agitur iuxta formam à nostris Constitutionibus traditam 3. *par. Decr. cap. 1. num. 8.* appareat celebrata, censenda uidetur omninò Canonica, ac firma; atque adeò d. uocalem, qui schedulam electionem non continentem in urna posuit, incidisse in pœnas in nostris Constitutionibus cõtentas contra alba schedula utentes. Nam pro alba habetur schedula, quæ electionem non cõtinet, quamuis scripta maneat: quoniam paria sunt aliquid non esse, & inutile esse, ut in *cap. 1. de trãsl. Episc. & l. fin.* ubi *Glosa, C. ad l. F. lau. de plag.*

3 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror de iure ueriorem esse. Constat enim supradictum D. Franciscum fuisse electũ altero uocale utriusque uocis contempto, & ex electorum numero indebitè amoto. Vndè ipso prosequente saltem contemptum electio ueniit retractanda, iuxta ea, quæ docet *Panor. in d. cap. quia propter, num. 12* & alij. Non enim ex eo priuari poterat iure suo prædictus uocalis, quòd in scrutinio fuerit usus schedula illa, hæc uerba scripta continente: *Non eligo D. Franciscum*: nam eiusmodi scrutandi modus nullo iure, nec à nostris Constitutionibus damnatus reperitur; sed illarum uigore schedula alba dumtaxat uti prohibemur, ut ex earum tenore supra relato, clarissimè constat. Militat namque ratio longè diuersa inter eum, qui in electionibus alba utitur schedula, & inter utentem schedula nigra, quæ uerba continet clara, electionem pœnitus excludentia, ut in casu de quo agitur: siquidem schedula alba, certam electoris uoluntatem non manifestat, cum se teneat per modum tacentis, qui non fatetur, nec utique negare uidetur, *cap. is qui tacet, de regul. iur. in 6.* Vndè sicut tacere est quodam medium inter expressam uoluntatem, & expressam contradictionem, ut benè docet *Glosa in d. cap. is qui tacet, in princ.* per illum *tex.* & per *l. qui tacet ff. eod.* ita schedula alba mediam electoris uoluntatem indicat inter eligere, & non eligere: & consequenter certum, & clarum electorum uotum, prout de iure in electionibus exigitur, per illam schedulam albã non

non aperitur, contra *tex. in cap. 2. de elect. in 6.* At verò qui nigra vtitur schedula, electionem vt supra penitus excludente, votum suum clarissimè manifestat, cùm determinet se ad hoc aliquid, iuxta voti definitionem, quod est animi deliberatio cum beneplacito determinans se ad hoc aliquid, vt per *Bald. in d. cap. quia propter num. 20. de elect. & Lambert. de iure patr. par. 2. lib. 2. ar. 5. q. princ. num. 2.* Vndè cùm dictus vocalis, nec contra Canones, nec contra nostras Constitutiones crimen aliquod commisisse dici possit, pœnam imponentes vtentibus schedula alba in electionibus, indebitè fuit contemptus, ab electorum numero expulsus; atque ideò suo iure cum iniuria priuatus. Satis enim peruersum, & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, vt suis quis priuetur officijs, quem sua culpa, vel facinus ab officij, quo fungitur gradu non deijcit, ait *tex. in cap. satis peruersũ. 56. d.* & in terminis electionis, seu præsentationis, latè *Lãbert. de iure patr. lib. 2. ar. 6. q. prin. num. 8.* Hac fortè ratione fuit declaratum non vsum fuisse quendam schedula alba in quodam Collegio, quippè qui schedulam hanc scripturã continentem in vrnam immisit: *E che credeui, Merlotto, ch'io te la voleua dare*, quoniam verba illa expressam voluntatem non eligendi denotant.

4 Secundò probatur, quia si in casu, de quo agitur, prædicta schedula vti, qua dictus vocalis fuit vsus, vi nostrarum Constitutionum inhiberetur, huiusmodi Constitutiones iniustas, iniquas, & irrationabiles non vna dumtaxat, sed pluribus ex causis censendas. Essent enim primò iniustæ, & iniquæ, ac irrationabiles: quia non eligens, cù n ex electorum numero repelleretur, sine sua culpa suo iure priuaretur: quod quidem satis peruersum esse inquit *tex. in d. c. satis peruersum.* Secundò sequeretur in eiusmodi casibus ad vocalem actiuæ vocis tantùm spectare Capitularis vocalis electionem: nam alij duo electores vtriusque vocis, siuè velint, siuè nolint eligere, electio semper terminaretur in eo, quem ipse elegerit. Vndè contra omne iustitiæ, ac rationis debitum, prudẽtioris, ac sanioris voto cõtempto, minus prudentis, ac sapientis votum, vt plurimum attenderetur; atque ideò nulla ratio haberetur dignitatis, auctoritatis nec personarũ meriti, contra *tex. in l. Pomponius. ff. de iudic.* Tertiò sequeretur, prædictas Constitutiones nõ pro communi Congregationis bono, sed in priuatorum vtilitatem omninò fuisse editas, contra finem legis, de quo in *cap. erit autem lex, 4. d. & l. nulla, ff. de legib.* cùm per eas præberetur occasio ingrediendi ouile Domini per aliud, quã per hostium, iuxta ea, quę supra diximus. Quartò si præfatus scrutandi modus per nostras Constitutiones prohiberetur, libertas in electione, de qua agitur omninò tolleretur, non solùm ad eligendum, verùm etiam ad non eligẽdum. Tolleretur ad eligendum; quia cum electio duorum uocalium, utramque uocem habentium sit coarctata ad certam personam nõ potest fieri ex pluribus. Tolleretur denique libertas ad non eligẽdum; quia si dictus vocalis non potuisset uti schedula, qua fuit usus, citra pęnam non potuisset uti: quoniam uigore nostrarum Constitutionum nolentes nominare, uel interesse electioni priuaretur pro illa uice suffragio, tùm actiuo, tũ etiam passiuo, ut constat ex *Decr. Cap. Gener. p. 3. cap. 1. num. 3.* in illis uerbis: *Qui sua spontè electioni huiusmodi interesse noluerit, actiuo, & passiuo priuetur suffragio.* Hinc ad saluandam libertatem saltem ad non eligendum, quæ in electionibus exigitur, consuetudine meritò introductum est, non solùm in nostra; sed in nonnullis alijs Congregationibus, & Collegijs, ut quotiescunque tractatur de suffragijs ferendis pro certa, ac determinata persona, nempè pro recipiendo aliquem Nouitium, pro promouendo aliquem ad ordines, &c. utuntur calculis nigris, & albis, ita ut qui in scrutinio calculo utitur albo, dicatur eligere: qui uero nigro, non eligere intelligatur. Imò in electione Capitularis uocalis in nostra Congregatione, ut habetur *3. par. nostr. Constit. cap. 1.* quando duo tantùm sunt electores in aliqua domo potestate æquales, ad saluandam libertatem saltem ad non eligendũ, si nullus sit, qui velit ex eis alterum eligere, nullus pœna aliqua multabitur, ad neminem deuoluitur electio, & neuter ad Capitulum Generale accedere potest.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

5 AD primum negatur antecedens, quoniam schedula, de qua agitur, differt à schedula alba, vt supra ostẽdimus, vndè Decretum loquens de schedula alba non potest extendi ad referentem schedulam illam continentem verba prædicta: Non eligo, &c. cum simus in pœnalibus, in quibus fit strictè interpretatio, *cap. odia, de regul. iur. in 6.* eo maximè, quoniam diuersa militat ratio. Nam qui alba vtitur schedula, irrationabiliter agit, eo quòd illa schedula certam voluntatem electoris nõ exprimit, cùm se teneat per modum tacentis, qui non dicit, nec negat; sed est in potentia ad vtrumque: quod quidem à iure reprobatur, & electores huiusmodi meritò ab electorum numero repellũtur, & ad reliquos deuoluitur electio, vt in *d. cap. 2. de elect. in 6.* At verò, qui nigra vtitur schedula, electionem, vt supra penitus excludente, rationabiliter vtitur; quoniam votum suum clarissimè, prout à iure requiritur, aperit: & ideò eiusmodi scrutandi modus ex vi nostrarum Constitutionum non censetur prohibitus.

6 Sed dato, & non concesso, quòd Constitutiones & decreta nostræ Congregationis principaliter statuant contra eligere aliquem in scrutinio recusantes, ab electorũ numero illos amouendo, & ad reliquos electores electionem deuoluendo; nihilominus talis dispositio non potest verificari, vt locum habeat in casu, de quo agitur; quando scilicet electio respectu eligentis ad certam, ac determinatam personam esset terminanda; sed verificatur quãdo respectu eligentis electio refertur ad plures personas eligibiles, ex quibus elector alteram liberam habeat eligendi facultatem: nempè vbi tres sunt saltem electores, actiuam, & passiuam vocem habentes. Quòd autem hanc reciperent interpretationem Constitutiones prædictæ, patet, tum ex earum verbis; tum etiam quoniam hoc pacto intelle-

te'lectæ, iusta, ac rationabilis, & iuri consona dici potest earum dispositio: & aliàs iniusta, ac irrationabilis, vt supra ostendimus. Quòd Constitutionum nostrarum verba nostræ faueāt interpretationi, ex eo patet, quòd statuunt, vt qui aliquem nominare nolit, de electorum moueatur numero, vt 3. *par. nostr. Cōstit. cap.* 1. §. *Nulla electio*, ibi: Qui aliquem, &c. Ponderetur quęso, dictio illa, *aliquem* quoniam secundum proprium, verum, & gramaticalem eius significationem vim habet pluralem, quamuis singulariter proferatur. Dicitur enim aliquis grecè, quasi alius quis, ex quo non est aliquis, nisi de multis: Vndè, & apud veteres uario genere, ac numero proferebatur. Sic *Terent. Aperite aliquis ostium*, atque ideò si dictio illa, *aliquem*, uerificaretur in multis eligibilibus, dispositio sic statuens non tolleret in eligendo libertatem: siquidem elector ex ui talis dispositionis non compelleretur eligere certum, & determinatam personam, quod à iure prohibetur; sed cogeretur eligere aliquem de certo genere personarum, quod per Canones conceditur; ex quo saluatur libertas eligentis, ut benè docet *Panor. in cap. licet deuitanda, sub num.* 12. *de elect. & in cap. Abbate, num.* 4. *de verb signif.* latè *Anton. de Butr. in cap. cum terrà, num.* 13. *& cap. cum in iure, num.* 27. *eod. tit.*

7 Hinc sequitur, quod Titio, Meuio, ac Pamphilo existentibus u.g. electoribus, tum actiuā, tum etiam passiuam uocem habentibus, si Titius in scrutinio utatur simili schedula, in qua sit scriptum: *Non eligo Pamphilum*, tunc eo ipso ui nostrarum Constitutionum, modo quo supra intellectarum, Titius amoueri posset de numero electorum, & electio ad reliquos deuolui, quia tunc uotum suum manifestè non aperuit, iuxta *tex. in d. cap* 2 *de elect. in* 6. Nam nō ex eo, quòd Titius propalauit uotum suum, dicens: *Non eligo Pamphilum*, censetur eligere Meuium coelectorem. Licèt enim electio unius inducat renunciationem alterius, ut in *l. quod in harede*, § *eligere*, & ibi, *Alex.* & alij *ff. de trib. electior.* cùm electio uim habeat repudiationis, quoad reliqua, per ea. quæ habentur per *Bald. in l.* 1. *C. de furt* Tamen negatio electionis unius, non inducit electionem alterius, ex quo non probatur hoc esse, quod ab hoc contingit abesse: quia non ex eo, quod Titius dicat: *Non eligo Pamphilum*, censetur eligere Meuium: posset enim non eligere Pamphilum, nec Meuiū eligendi uoluntatem habere. Quòd si clarè constaret, per exclusionem Pamphili, Titium noluisse eligere Meuium, tunc cùm uotum illius appareat certum, & si expresse non elegerit Meuium; elegit tamen illum tacitè: ac taciti, & expressi eadem est ratio, *l. cùm quid*, & ibi, *Iason.* & al j *ff. si cert. petat.* si denique quatuor essent electores, aut plures æqualiter actiuam, & passiuam uocem habentes; & eorum aliquis simili in electione utatur schedula, tunc cùm illius uotū esset penitus incertum, iuxta nostras Constitutiones supradicto modo interpretatas, omninò ueniret ab electorum numero remouendus, & electio ad reliquos deuolueretur.

8 Ad secundum negatur quoque antecedens: magna enim differentia est inter non eligētem, & ab electione se subtrahentem: nam qui non eligit, est in electione præsens, & uotum aperit, quod est nō eligendi. At qui se subtrahit ab electione, non est electioni præsens, nec votum suū manifestat. Sic in electione, quæ fit calculis nigris, & albis, qui ponit in urna calculū nigrum non dicitur eligere, & tamen est præsens in electione, & votum suum dicitur exprimere: quæ non ageret, qui se ab electione subtraheret.

9 Ad tertium respondetur, quòd electio supradicta respectu vocalis actiuæ tantum vocis, licèt sit libera, cùm potuisset citra vllam pœnam D. Franciscum eligere; nihilominus respectu alterius vocalis vtriusque vocis non potest dici libera, si vi nostrarum Constitutionum non esset ei liberum vti schedula, qua fuit vsus: quoniam non eligendo veniret pœna mulctandus, prout de facto cum recusauerit eligere ipsum D. Franciscum in pœnam fuit de electorum numero amotus, & electio ad collectorem deuoluta. Præterea electio esset coarctata ad certam personam, non solùm libertas deesset ad non eligēdum; sed etiam ad eligendum, cùm non fiet ex

10 pluribus, vt supra diximus. Et quamuis Collegium possit reduci ad duos; nihilominus, inquit *Ioann. Andr. in cap fin. de instit. & in cap. in toto. num.* 5. *de regul. iur. in* 6 quòd si electio fieret iure Collegij, non posset vnus alium eligere; quia non fieret electio a maiori parte: secus autē quando electores eligerent iure proprio. Vndè ait, quòd ad tollendam omnem dubitationem debent dicti duo electores, in quibus tunc residet Collegium, compromittere in tertium, qui facultatem habeat eligendi vnum ex dictis, vel saltem electio fieri deberet eo casu per accessū, vt benè post alios docet *Molfes. par.* 1. *sua sum. tr.* 9 *cap.* 16. *num.* 109 vbi *num* 111. probat etiā, quòd qui solus remaneret in Collegio etiā Cardinalium, posset quidem eligere, sed vnum ex pluribus; quoniam ille solus tunc aduocare potest testes, corā quibus declarare potest personā, quam eligit; non tamen posset se ipsum eligere. Sed hoc iure nos vtimur in nostra Religione; nàm quando Collegium reducitur ad vnum tātum vocalem, is non accedit ad Capitulum Generale, nec potest alium eligere, vt patet ex nostris *Constit par.* 3. *cap.* 1. ibi: *vbi vnus est vocalis, is ne accedat.*

11 Ad quartum respondetur, quod in nostra Cōgregatione non datur, nec vsus, nec consuetudo aliqua contra ea, quæ supra diximus: & si in aliqua Religione talis vsus esset, nunquam sufficeret ad inducendam consuetudinem, quantumuis præscriptus, quia non valet consuetudo, per quā tollitur libertas in eligendo, ut inquit *Panor. in cap. Abbate, num.* 4. *de verb signific.* Præterea omnis consuetudo debet esse rationabilis, aliàs non esset cōsuetudo, ut in *cap fin.* & ibi, *Doctor. de consuet.* modo talem usum multum, irrationabilem, & perniciosum esse, ex supradictis clarissimè patet; ergò non est satis ad inducendā veram consuetudinem. Nec obstat relatum Decretum Capituli Generalis 3. *par. cap.* 1 *num.* 8. se habens, quòd si unus ex duobus actiuæ, & passiuæ uocis electionis tempore se ab electione subtraxerit, electio, quæ fiet ab illo, qui actiuæ tantum uocis suffragium habet, erit firma, rata, & Canonica: quoniam, ut supra ostendimus in *resp. ad secundum*, magna differentia est

inter

inter non eligentem, & ab electione se subtrahentem; atque ideò dictum Decretum non potest adduci in argumentum; eo magis, quia Decretum illud est intelligendum, ut electio eo modo fiat, quo de iure fieri potest: sed de iure non potest fieri iure Collegij, & sic per scrutinium, ergò fieri debet iure compromissi, aut per accessum ex communi consensu, ut de compromisso supra diximus, ex *Panor. in d. cap. quia propter. de elect.* & de electione per accessum extat Constitutio 3. *par. nostr. Constit. c. 1. §. Nulla*, in illis uerbis: *In nulla vnquam electione possit quis accedere ad se ipsum, augendo numerum, & electionem perficiendo; nisi prius omnes, & singuli electores id fieri consentiant*.

12 Vndè his reiectis firma remanet conclusio; quòd si Capitulum reducatur ad duos uocales utriusque uocis, & ad alium actiuæ tantùm, & alter ex duobus ponat in urna schedulam continentem: *Non eligo D. Franciscum*, suum scilicet collectorem; in pœnas contra alba schedula utentes à nostris Constitutionibus statutas non incidit; nec potest censeri ab electione se subtraxisse, atque ideò eo contempto non potest electio deuolui ad collectores: & si qua electio ex eis oriatur est nullius momenti.

13 Hic casus accidit Mutinæ in quodam Collegio, ubi post latam prędictam schedulam ab altero ex duobus uocalibus utriusque uocis, & post publicatam, subdit, se esse illum, qui schedulam prædictam in urnam intulit: eo quod nō intendit eligere, nec eligit ipsum D. Franciscū: uerum si Constitutio aliqua eius Congregationis, tali schedula uti prohiberet, tunc ui dictæ Constitutionis compulsus, & ad euitādum maius malum eligit dictum D. Franciscum. Quæritur igitur.

An per illa verba palàm prolata post dictam schedulam publicatam, electio de dicto D. Francisco facta à vocali actiuæ tantùm vocis, valeat.

S E C. XXIV.

S V M M A R I V M.

1 *Electio facta à vocali actiua vocis tātū de eo, qui fuit exclusus à vocali vtriusque vocis per schedulam (non eligo) valida est. Et probatur.*

2 *Verior est in contrarium sententia ex duplici capite.*
Quænam vota conditionalia, & incerta prohibeantur.

3 *Elector debet in scrutinio votum suum purè, & apertè manifestare, ac uti verbis indicatiui temporis.*

1 PRima facie videtur dicendum, præfatam electionem factam à vocali actiuæ tantum vocis de dicto D. Francisco hoc casu validam esse. Probatur ex eo, quòd electio palàm facta de eodem Francisco ab altero vocale vtriusque vocis est conditionalis: Ergò meritò sic eligens fuit ab electorum numero amotus, atque ideò Canonica fuit electio vocalis actiuæ vocis tātū de ipso Francisco: Antecedens patet ex illis præfati vocalis verbis: *Verum si Constitutio aliqua eius Congregationis, tali schedula in electionibus vti prohiberet, tunc vi dictæ Constitutionis compulsus, & ad euitādum maius malum, eligit dictum D. Franciscum*, hæc autem electio proculdubio est conditionalis; cùm sit facta per dictionem illam, *Si*, quæ conditionem denotat, vt in *l. 2. & l. 4. §. si ita scriptum, ff. de condit. & demonstr.* Consequentia probatur ex *tex. in cap. 2. de elect. in 6.* vbi vota conditionalia, & alternatiua, ac incerta in electionibus reprobantur, & qui eis vtitur, priuatur pro illa vice iure ferendi suffragium, his verbis: *In electionibus, & postulationibus, ac scrutinus, ex quibus ius oritur eligendi, vota conditionalia, alternatiua, vel incerta penitus reprobamus, statuentes, vt huiusmodi votis pro non adiectis habitis, ex puris consensibus celebretur electio: vace illorum, qui non purè consenserint, ea vice in alios residente.* Ergò cum vocalis, de quo agitur votum suum conditionaliter protulit, vt supra, & propterea priuatus remanet de iure facultate ferendi suffragium pro illa vice, & deuoluta facultas in collectores; meritò fuit contemptus, & amotus à iure eligendi, & cum vocalis actiuæ tantum vocis dictum D. Franciscū elegerit, valida erit eiusmodi electio.

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror esse veriorem. Moueor ex eo, quòd *tex. in d. cap. 2. de elect in 6.* non facit ad rem nostram ex duplici capite. Primò, quia illa dumtaxat conditionalia, & incerta in *d. tex. prohibentur*, quæ inducunt incertitudinem respectu substantiæ electionis, vel personæ eligendæ: sed persona existente certa, & electione certa, quamuis alia extrinseca incertitudo occurrat, per dictum *tex.* electio non annullatur. Vndè si dico, *Eligo Titium si debeo*, hæc electio est certa, & persona certa, & illud, quod addo, *si debeo*, fit potius ad cautelam; & sub intelligebatur, etiā si non fuisset appositum, vt habetur ex *Gemin. in d. cap. 2. sub num. 7.* Cùm igitur vocalis, de quo agitur supradicto scrutādi modo fuit vsus, D. Franciscum sub conditione eligendo dicens: *Verum si Constitutio, &c.* perindè est, ac si dixerit: *Eligo D. Franciscum si debeo*, idest si vi nostrarum Constitutionum compellor. Vnde eiusmodi conditio, cùm non inducat incertitudinem, nec respectu substantiæ electionis, nec personæ eligendæ, non incidit in pœnam in *d. c. contentam*; atque ideò indebitè fuit ab electorum numero amotus. Secundò respondetur, quod *tex. in d. cap. 2.* loquitur, vt suppolito, quod aliquis velit eligere, debeat in scrutinio

3 votum suum purè, & apertè manifestare; non autem votum ferre conditionatum, alternatiuū, & incertum. Debet enim elector verbis vti indicatiui temporis, ut, *Eligo Titium. Bald. in cap. quia propter, nu. 20.* ubi etiam *Anton. de Butr. num. 27. & in cap. Genesi, de elect.* & non uti uerbis incertis, & cōditionalibus, ut si quis dicat: *Eligo Titium, si Antonius voluerit. Eligo illum, quem Titius voluerit. Eligo Seium, vel Meuium*, huiusmodi namque scrutandi modus de iure prohibetur. At in casu nostro uocalis, de quo agitur, expressè uotum suū propalauit, di-

cens:

cens: *Non eligo D. Franciscum.* Vndè cùm diuersi sint casus, ex diuersis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Vndè ex responsione ad *d. cap. 2. de elect. in 6.* remanet firma conclusio, quod vocalis, de quo quæritur fuit indebitè contemptus, & ab electorum numero amotus, atque ideò electio de D. Francisco à vocali actiuæ tantum vocis est nulla.

An stante casu, vt supra proposito, si in electione secretè habita, vocalis actiuæ tantum vocis fuerit suffragatus vocali, qui schedulam protulit excludentem D. Franciscum, & eidem fuerit quoque suffragatus idem D. Fracíscus, sit valida electio dicti vocalis.

SEC. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Supponitur in facto pro explicatione tituli.*
2 *Electio in casu supposito facta de Pamphilo subsistit, electio vero de Meuio nulla, & inualida est.*
3 *Alius supponitur casus, qui pariter accidit in quodam Collegio.*

1 PRO explicatione tituli huius quæstionis supponamus, quòd in quadam domo sint quatuor vocales, tres vtriusque vocis, nempè Titius, Meuius, & Pamphilus: & quartus nomine Sempronius actiuam tantum vocem habēs. Demus insuper, quòd Titius vnus ex vocalibus vtriusque vocis spōtè se subtraxerit ab electione facienda de vocale Capitulari, seu Discreto: & quod reliqui singuli singulas schedulas secretò in vrna posuerint, ita vt Meuius schedulā continentem electionem Pamphili protulerit, & Sempronius actiuæ tantùm vocis similiter suā schedulam continentem electionem ipsius Pāphili tribuerit. At Pamphilus putans, fortè Meuium esse indignum, posuit schedulam continētem hæc verba: *Non eligo Meuium.* Scrutatores igitur facto scrutinio, intertogari dixerunt esse electionem in personam Pamphili; verum adest schedula continens dicta verba: *Non eligo Meuium.* Pamphilus igitur audit exurgens palàm dixit se esse illum, qui dicta schedula fuit vsus, eo quòd non intendit eligere, nec eligit dictum Meuium; verum si adest Constitutio in Congregatione, quæ schedula eiusmodi in electionibus vti prohiberet, tunc vi dictæ Constitutionis cōpulsus, & ad euitandum maius malum eligit ipsum Meuium. Hæc audientes Sempronius, & Meuius declarauerunt electionem factam in persona Pamphili nullam, & eo amoto ex numero electorum, congratis iterum Capitulariter, Sempronius actiuę tantum vocis elegit Meuium, quæritur igitur, quid de iure in hac sit respondendum.

2 Ad hanc difficultatem respondetur breuiter, electionem primò loco factam de Pamphilo subsistere; illam vero Meuij esse nullam, atque inualidam. Probatur ex ijs, quæ supra adnotauimus *sec. 23. & 24.* dum ostendimus, quod quando Collegium reducitur ad tres tantum vocales, duos scilicet vtriusque vocis, & tertium actiuæ tantum, illos duos vocales, aut eorum alterum posse vti schedula continente: *Nolo eligere, &c.* ad saluandam libertatem ad non eligendum: ergò Pamphilus iure licito dicta schedula fuit vsus, atque ideò nullam pœnam contraxit: cum igitur ei fuerint suffragati, tam Meuius vtriusq; vocis, quam Sempronius actiuæ dumtaxat, ad eiusdem electionem spontè concurrit Capitulū pro maiori parte: & vterque vocalis liberè; nam Sempronius erat liber ad non eligendum, & ad eligendum Meuium, aut Pamphilum, & Meuius erat quoque liber ad eligendum, vel non eligendum ipsum Pamphilum. Quòd deindè inualida sit electio facta à Sempronio de Meuio, patet, quia si prior fuit valida, posterior, necessariò sequitur, quòd est inualida: nam non possunt dari duæ electiones duarum personarum pro Discretis in vna, & eadem domo, quæ ambæ sint validę. Confirmatur, quia electio de Meuio fuit facta à Sempronio, indebitè amoto ab electorum numero, ac contempto Pamphilo, ergò nulla, ac inualida est posterior electio.

3 Sed iuxta hæc quæritur, quid erit dicendum de sequenti casu, qui in quodam Collegio pariter accidit, in quo quatuor sunt vocales, nempè Titius, Meuius, & Pamphilus vtriusque vocis, & Sempronius actiuæ vocis tantùm. Qui quidem legitimè congregati ad eligendum Discretum pluries suffragia tu'erant secretè, ut decet, & non fuit subsecuta electio; ex eo, quòd Sempronius actiuæ tantùm vocis, & Titius vtriusque suffragati fuerant Pamphilo, & Meuius, ac Pamphilus Titio suffragia dederant: Vndè licèt Pamphilus duo suffragia haberet; nihilominus satis non erant ad electionem faciendam, quæ exigit maiorem partem Capituli. Quò circa, vt electio succederet in persona Pamphili, Titius subtraxit se à Capitulo, ac ab electione Discreti: pro pter, quod Meuius nolens Pamphilum eligere, & videns vigore Constitutionum sui Collegij priuari voce actiua, & passiua si se subtrahat, alta, ac intelligibili voce dixit: Eligo Titium, & non Pamphilum: quod intelligentes Sempronius, & Pamphilus, & existimantes, electionem ad ipsos esse deuolutam, Sempronius actiuæ vocis tantū eligit in vocalem Capitularem Pamphilum. Quæritur modo.

An electio in supra relato casu subsecuta sit valida, ac Canonica.

SEC. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Pars affirmatiua probatur, & quare.*
6 *Non se subtrahit ex Capitulo, qui votum suum protulit, non eligendo Pamphilum, sed Titiū. Et an possit eligi, qui se è Capitulo abdicauit.*
3 *Probabilior videtur pars negatiua, & qua ratione.*
4 *Forma eligendi per vota secreta locum habet in electione Prælatorum dumtaxat.*
5 *Meuius non videtur hoc casu ab electione se*

subtraxisse, sed potius vim vi propulsare, quod à natura omnibus, insitum est.

6 *Non poterat Sempronius vocalis actiua vocis tantum suffragium ferre in fauorem Pamphili, contempto Meuio, nec in pœnam aliquam incidit, nominando Titium, & quare.*

7 *Electio Discreti in aliquibus domibus aliquãdo non fit ob discrepantiam vocalium.*

1 PRO parte affirmatiua facit, quia in dicto Collegio adest pariter Constitutio, vt si vnus ex duobus vocalibus actiuæ, ac passiuæ vocis electionis tempore se ab electione subtraxerit, electio quæ fiet ab illo, qui actiuæ tantùm vocis suffragium habet, sit firma, rata, & Canonica. Cùm igitur in casu nostro Collegium fuerit redactum ad duos vocales vtriusque vocis, & ad vnum vnius tantùm per subtrationem Titij à Capitulo: & deindè ex reliquis duobus uocalibus actiuæ, ac passiuæ vocis Meuius quoque se subtraxerit, cùm recusauerit dicto Pamphilo suffragari, ex vi dictæ Constitutionis electionem factam in personam ipsius Pamphili per Sempronium videtur esse validam.

2 Nec obstat si dicatur, quòd Meuius ex Capitulo non se subtraxit, cùm expressè votum suum protulit, non eligendo Pamphilum; sed tantùm Titium; quoniam respondetur, quòd ex quo Titius è Capitulo se abdicauit, non poterat eligi vigore alterius Constitutionis dicti Collegij, priuantis ipso facto se abdicantem voce actiua, & passiua, & deuoluentis electionem ad aliquos; electio ipso facto deuoluta fuit ad dictos Pamphilum, & Sempronium, à quibus meritò Meuius fuit ab electorum numero expulsus: & cùm electio fieret per vota secreta, non poterat ipse Meuius palàm nominare Pamphilum eligendo, vel nõ eligendo; sed id saltem per schedulam secretam. iuxta ea, quæ in *sec.* præcedentibus diximus, debebat manifestare.

3 Pro parte negatiua, quæ nobis videtur probabilior, facit primò, quia dictus Meuius indebitè fuit amotus ab electorum numero; & propterea ipso saltem prosequẽte contemptu, electio nulla redditur, atque inualida, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor.* & alijs in *d. cap. quia propter, de elect.* Quòd non poterat amoueri ex eo, quod manifestè declarauit non eligere Pamphilum, patet ex eo, quòd votum illud perindè se habet, ac si in schedula id scripsisset, & posteà palàm propalasset; sed in præcedenti *sec.* probauimus eum, qui dicta schedula fuit usus; indebitè fuisse amotum ab electorum numero: ergò idem dicendum est in casu, de quo agitur. Nec obstat,

4 quod d. Meuius uotum suum non poterat propalare; quoniam forma eligendi per uota secreta habet locum in electione Prælatorum dumtaxat, ut patet in *d. cap. quia propter, de elect.* & in *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap 6.* & habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tract. 6. cap. 16. num.* 153. Nec etiam dici potest ipsum Meuium ab electione se subtraxisse; quoniam dicendum potius est, in ea totis eiusdem uiribus permansisse; postquam uotum suũ tulit, quo apertè manifestauit, se nolle eligere Pamphilum; neque eiusmodi uotandi modus de iure, nec ex aliqua Cõstitutione dicti Collegij damnetur. Etenim si damnaretur, id quidem fieret per aliquem Canonem, aut peculiarem aliquam Constitutionem: quoniam eiusmodi modus eligendi non est cõtra ius naturale, ac contra rationem electionis, siquidem solus electorum consensus est de ratione electionis, & is attenditur in eiusmodi electionibus Discreti, ac similium, quæ non sint Prælatorum, ut habetur ex *Panor.* & alijs in *d. cap quia propter, de elect.* & in *cap. Ecclesia, eod. tit.* dum ait, quod in electionibus, ubi non est necessariò seruanda forma *d. cap quia propter*, non sunt necessaria uerba; dummodò constet de consensu eligentium: & consequenter multò minus necessaria est scriptura. Et hanc sententiam sequitur *Syl. vers. Elect 2 sub num. 3. & 4.* qui specialiter loquens de electione Discreti, ait, satis esse si electio fiat, & sic consensus prestetur collegialiter, nec necesse est, ut consẽsus exprimatur uoce, uel scriptura.

5 Et re uera tantum abest, ut Meuius ab eiusmodi electione se subtraxerit, quin potius in ea permanens uim, quæ per subtrationem Titij ab electione, sibi inferebatur, fortiter propulsauit per illum uotandi modum: nam dùm arctaretur ad eligendum Pamphilum, palàm dixit, se nolle illum eligere, vim ui quodammodò repellendo, quod à iure naturæ omnibus est insitum, ut in *l. vt vim. ff. de iust. & iur.*

6 Ad contrarium modo patet responsio. Non enim Sempronius, contempto Meuio, poterat suffragium ferre in fauorem Pamphili, cùm nulli iuri, aut Constitutioni contrafecerit utendo illo uotandi modo. Nec in pœnam aliquam incidit nominando Titium, cùm putaret, ipsum Titium non potuisse, sicut re uera nõ potuit citra culpam ab electione se subtrahere, in præiudicium ipsius Meuij, & fortè etiam communitatis. Etenim si ipse Titius, nulla legitima causa subsistente abdicauit se, sed tantùm, ut Pamphilus eligeretur, qui erat inferior, & fortè indignus: & ipse Meuius, & Titius digniores: Licet enim electores regulariter possint se abdicare à munere eligendi; id tamen agere non debẽt in præiudicium aliorum, præsertim communitatis, cùm ex tali abdicatione soleat fieri electio de indigno, vt habetur ex *Syl. in summ. in vers. Electio, 1. q. 5. in fine, P. D. Franciscus de Aponte, cons 44. vol. 2.* quem refert, & sequitur, *P. Molfes. par. 1. sua sum. tr 6. cap. 16. num. 116. & 117.* Et si abdicatio dicti Titij fuerit procurata à Pamphilo, aut ab alijs coelectoribus, ipso sciente, ut in eiusdem persona sequatur electio, cùm dolus, & fraus nemini patrocinari debeat, *cap. ad nostram, de empt. & vend.* quamuis cætera omnia ad Canonicam electionem requisita interuenerint; nihilominus eiusmodi electio tanquam ambitiosa, & fraudulenta, ac scienter de indigno, uenit irritanda, per ea, quæ habentur per *Doctor. in cap. quamquam de elect in 6.* & ibi *Glosa, & Azor. par. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 14. q. 8. §. Is autem, vers. Et qui scienter.*

7 Et quoniam electio Discreti per scrutinium aliquando in aliquibus domibus ob uocalium discrepantium non fit, propter quod domus, in qua non contingit Discreti electio sine culpa sua priuatur suo Discreto, quem mittat ad Capitulum Generale, ut suæ consulat necessitati. Quæritur igitur.

An

An electio Discreti possit fieri per sortes, vt infallibiliter subsequatur in qualibet domo.

SEC. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur prima facie responsio affirmatiua, & probatur, & de veritate, num. 8.*
2 *Sortes ex quamplurimis iuris ciuilis legibus permittuntur.*
3 *Apud Romanos etiam tempore Vespesiani Imperatoris erant in vsu sortes.*
Sortiumque vsus optimum est remedium ad dirimendas lites.
4 *Iure Canonico sortium vsus non censetur malus. Et qualiter electiones Superiorum, & officialium à fratribus minoribus de obseruantia fieri debeant.*
5 *Ex instituto, vsu, & consuetudine nõnullarum Religionum fit electio Discreti, & vocalium per sortes. Et adducitur tenor Constitutionis Canonicorum Regularium Saluatoris, cap. 29.*
6 *In electione Discreti, seu Conuentualis Monachi Cassinenses vtuntur, etiam sortibus.*
7 *Per hunc eligendi modum, per sortes, non modò odia vitantur, inimicitiæ, ac contẽtiones, sed etiam conspirationibus via praecluditur, ambitioni, ac simoniacis pactionibus.*
8 *Verior est sententia, illicitam esse Discreti Conuentualis electionem per sortes. Et probatur.*
9 *Electiones per sortes maximè in publicis officijs solent esse iniqua, & contra legem naturalem.*
10 *Non tantum est prohibita electio per sortes ad dignitates Ecclesiasticas officia, & beneficia, sed etiam in eligendis, ac nominandis compromissarijs ad electionem faciendam.*
11 *Excepta triplici electionis forma, scrutinij, scilicet, compromissi, & inspirationis, cæteræ omnes improbantur.*
12 *Nullus debet per sortem inquirere, quæ per suam industriam cognoscere, & ad effectum producere potest.*
13 *In casibus in Sacra Scriptura relatis Sancti prædicti vsi fuerunt sortibus ex Diuina dispensatione Et quarè in veteri testamẽto fuerunt permissæ sortes.*
14 *In temporalibus licitè possumus vti sortibus ad discordias sedandas.*
15 *Sortium vsus, licet ex sui natura non sit malus, potest tamen esse causa mali, propterea iure Canonico prohibetur.*
16 *Electio Discreti, seu Conuentualis, quæ fit per sortes à prædictis Regularibus, quare sustineatur.*
17 *Licet electiones seculares non prohibeantur fieri per sortes, melius tamen ab eis est abstinendum, ne eligatur indignus.*
Quot modis contingat vti sortibus in dignitatibus temporalibus.
18 *Sortium vsus in electionibus Ecclesiasticis, licet bonus sit, solius tamen Spiritus Sancti inspiratione fieri debent huiusmodi electiones.*
19 *Electio Discreti non potest subijci sortibus, etiã si vocem non haberet in Generali Capitulo.*
20 *Probatur, huiusmodi vocalem, seu Discretum, & Conuẽtualem iure habere officium, quamuis vocem non habeat in Capitulo.*
21 *Electio Discreti, seu vocalis huiusmodi, licet prohibeatur fieri per sortes, si tamen de facto fiat, non est ipso iure nulla, & num. 25.*
22 *Ex dispensatione Romani Pontificis potest fieri electio talis Discreti per sortes.*
23 *Licet in tali electione per sortes cesset timor eligendi indignum, non tamen cessat timor eligendi digniorem.*
24 *Sortium vsus omninò videtur execrabilis, & minus malum est statuere, vt in Conuentibus non fiat Discreti electio, quã fieri per sortes.*
25 *Electio per sortes de iure prohibetur, facta tamen tenet, licet peccent electores, & electus, sortibus vtentes.*
26 *In Congregatione Theatinorum Discreti, seu vocalis Capitularis electio fit per scrutiniũ. Et quod nam Decretum fuerit interpositum de anno 1627. vt infallibiliter sequatur talis electio. De secunda electione vide Addit. cum Bull. Pont.*

1 IN hac re videtur prima facie affirmatiuè respondendum esse. Probatur primò ex nonnullis Sacræ Scripturæ, tàm veteris, quàm nouæ testimonijs, quibus licitus ostenditur sortiũ vsus. Etenim ea, quæ à Sanctis seruata in Sacra Scriptura conspiciuntur, illicita nullatenus esse possunt: Sed Sanctos viros non solùm in veteri; sed etiam in nouo testamento legitur sortibus vsos fuisse; ergò sortium vsus non est illicitus; atque ideò Discreti, seu vocalis Capitularis electionem, qui Generali Capitulo debeat interesse per sortes citra omnem culpam fieri posse videtur. Maior patet. Probatur minor ex illo *Ioan. cap.* 1. vbi Ionas à facie Domini fugiens sorte deprehensus est, & in mare deiectus. *Lucæ quoque cap.* 1. legitur, quòd Zaccharias sorte exijt, vt incensũ poneret. Samuel pariter 1. *Reg. c.* 10. Diuino monitu compulsus applicauit omnes tribui Israel, & cecidit sors super tribum Beniamin, ex qua Saul in Regem Israelitico populo fuit constitutus. Et Matthias demum *Act.* 1. sorte in Apostolatum ab Apostolis fuit electus. Et id non immeritò quidem, quoniam *Prouer. c.* 6. habetur, quòd *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.* Et *cap* 18. *Contradictiones compromisit sors.*

2 Secundò probatur ex quamplurimis iuris ciuilis legibus, quibus sortes permittũtur. Nam in *l. si duobus, C. commun. de legat.* determinatur, vt Legatarij, & hæredes, quibus æqua data est potestas eligendi seruum, vel rem aliam de electione contẽdentes sortibus vtantur, his verbis: *Sancimus in huiusmodi casibus rei Iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhibendam, vt quem sors prætulerit, is quidem habeat potestatem eligẽdi.* Hoc idem respondet Caius Iurisc. in *l si quæ sunt cautiones, ff. famil. ercisc.* inquiens: *Si autem omnes ijsdem ex partibus hæredes sint, nec inter eos conueniat, apud quem potius esse debeant, sortiri eos oportet. Vlp.* quoque in *l. sed cum ambo, ff. de iudic.* sic ait:

Sed cùm ambo ad iudicium pronocant, sortes discerni solet. Ad idem facit *tex. in §.optionis, in instit. de legat.* Apud Romanos etiam Vespesiani Imperatoris tempore, refert *Cornelius Tacitus lib. 10. annal.* quòd cùm occasione cuiusdam legationis altercatio circa ferenda suffragia in senatu contigisset, obtinuit *Marcelli* sententia, vt secundùm vetera exempla, quæ sortem legationibus posuerant, eo quoque tempore idem retineretur, & res non nominatim, sed vrna decerneretur, vt ambitioni, aut inimicitijs via præcluderetur. Nec huiusmodi leges reputari possunt iniquæ, cùm sortium vsus sit optimum remedium ad dirimendas lites, & nulli parti sit iniuriosus, iuxta illud *Prouerb. cap. 18. Contradictiones compromisit sors.* Hinc *Bald. in l. si duobus, num. 1. C. commun. de legat.* expressè ait, quòd mittere sortes nô est peccatum, cum sortium iudicium, ex *Seneca ad Lucill c. 7.* appelletur iudicium, & vis Diuina, cuius Dux est Deus, *l. fluminum, §. seruius, ff. de dam. infect.* Si igitur iure ciuili sortes approbantur, & signanter in electione legati, & citra omnem culpam mittuntur; ergò eisdem pariter vti possumus in electione Discreti, seu vocalis Capitularis; quippè qui legati officio fungitur, cùm ad id eligatur, ut referre fideliter debeat Definitoribus omnia, quę ipsi à fratribus committuntur, eorum utilitatem, & Domus, à qua mittitur côcernentia, ut patet ex *Constitut. Cassin. par. 1. cap. 5.*

4 Tertiò probatur, quoniam iure Canonico sortium usus non censetur malus, ut in *cap. 1.* & ibi, *Glosa, & Doctor. 26. q. 2. & cap. 2. in princ. ead. causa, & q.* ubi *Diuus August.* sic ait: *Sors non est quid mali, sed res in humana dubietate Diuinam indicans voluntatem.* Hinc *Felin.* & alij, quos allegat in *cap. Capitulum, sub nu. 21. de rescr.* dicunt, Rom. Pontificem posse de iure eligi per sortes. Confirmatur ex Bulla Sixti V. quæ incipit, omnis cura, edita sub die 29. Iulij 1587. Pontificatus sui anno tertio, qua specialiter sancitur circa fratres minores de obseruantia, ut electiones Superiorum, aut officialium per ipsos fratres faciendæ semper fiant per schedulas obsignatas, ita ut suffragia, seu uota, ac ipsorum eligentium nomina omninò sint secreta, & occulta, & nunquam publicentur; ac peracto scrutinio, schedulæ, & omnia huiusmodi scripta coram omnibus uocalibus illico comburantur. Si igitur specialiter fuit sancitum, quoad prædictos fratres minores, ut in eorum electionibus scrutinio tantùm utantur, ut supra; ergò regula iuris communis est in contrarium; atq; ideò, quoad alios non censetur prohibitum, ut in eorum electionibus non solùm utantur scrutinio; sed etiam sortibus, quia priuilegia singulorum communem legem non faciunt, *cap. cùm non exemplo, 26. q. 2.* Dum itaque de iure Canonico, permissa est electio per sortes, etiam in S. Pontificem; ergò multò magis licita erit Discreti, seu uocalis electio, qui Generali Capitulo debeat interesse, cùm de præiudicio longè minori tractetur, *arg. tex. in auth. multò magis, C. de Sacros. Eccles.*

5 Quartò probatur ex instituto, usu, ac consuetudine nonnullarum Religionum, quæ in eligendo Discreto, seu uocali, de qua agitur, utuntur sortibus, ut patet ex *Constit. Canon. Regul. Congregat. S. Saluatoris, cap. 29.* cuius tenor est qui sequitur: *Singuli Prælati in suis Conuentibus ad sonum claustralis Campanulæ, congregent Capitulum, ad quod omnes conueniant, & inuocata gratia Spiritus Sancti more consueto per Hymnum: Veni Creator Spiritus, &c. exeāt omnes, qui non sunt de corpore Capituli, & remanente Prælato cum omnibus Sacerdotibus procedatur ad electionem hoc modo. Habeantur duæ pyssides, seu duo bussula super mensa adhoc parata, in quorum vno sint nomina omnium Sacerdotium diuisim in paruulis schedulis scripta: in altero verò sint tot sferulæ siue suffragia parua, rotunda, & æqualia, ac prorsus similia, quot Sacerdotes ipsi electioni interueniunt: inter quas tamen sferulas sit vna tantùm aurea seu Cruce, vel aliquo diuerso ab alijs colore signata. Tunc, sedente Prælato, ad præfatam mēsam, & Sacerdotibus in locis suis, vnus ex Collegio, cui iussum fuerit, accedens ad bussulum schedulorum, purè, & simpliciter extrahat vnā ex illis, legatque & qui in ea scriptus, ac nominatus fuerit, surgat reuerenter, & accedens ad bussulum, sferularum eodem modo purè, & simpliciter extrahat vnam ex illis, quæ si non erit illa aurata, seu Cruce, vel diuerso ab alijs colore signata, deposita ea, ante Prælatum ad locum suum, reuertatur. Et sic deinceps modo prædicto procedatur, donec illa, quæ solo inter cæteras aurata, vt diximus, seu Cruce, vel diuerso colore signata est, ab aliquo extrahatur: & qui Deo permittente, hanc ipsam ab alijs dissimilem sferulam extraxerit, sit socius, & pro socio Abbatis, seu Præpositi, seu Prioris euntis ad Capitulum Generale ab omnibus habeatur.* In electio-

6 ne quoque Discreti, seu Conuentualis Cassinēses Monachi utuntur pariter sortibus, ut constat ex eorum *Constitut. par. 1. cap. 3.* Hoc ipsū seruatur à nonnullis alijs Religionibus à S. A. approbatis: ergò nostri Discreti, seu vocalis electio eodem modo per sortes citra omnem culpā fieri potest, cùm non sit uerisimile, ut tot insignes Religiones in tanti momenti, dici, quod errauerint, & in ipso errore, adhuc permaneant; si mala, & contra iura esset per sortes Discreti electio.

7 Denique per huiusmodi eligendi modum per sortes, non modò odia, inimicitiæ, rixæ, ac contentiones uitantur; sed etiam conspirationibus, ambitioni, simoniacis promissionibus, & alijs eiusmodi abominationibus, quæ in electionibus per scrutinium fieri posset, uia omninò præcluditur: & electio in omnibus Conuentibus infallibiliter subsequitur; atque adeò domus, à quibus Discreti mitterentur priuatæ non venirent subsidio, ac utilitate, quam in Capitulo Generali, subsecuta Discreti electione, consequi possent: sicut nonnullæ sunt, quæ aliquando tali caruerunt emolumento ob electionem non subsecutam; cùm fallax sit, & incerta per scrutinium electio. Vndè si electio, mediante scrutinio, non obstantibus supradictis incommodis, de iure approbatur, multò magis approbata cēseri debet electio per sortes, qua tot incommoda uitantur, & ex ea utilitates percipiuntur.

8 His tamen non obstantibus contrariam sententiam puto de iure ueriorem esse; atque ideò illi-

illicitam esse censeo Discreti Conuentualis electionem per sortes. Probatur primò ex *tex. in c. fin. de sortil.* ubi electiones Ecclesiasticæ per sortes omninò prohibentur. Ergò Discreti, seu uocalis Capitularis electio per sortes prohibita quoque censetur. Clara consequentia; quoniam electio huiusmodi dicitur Ecclesiastica iam ex parte eligentium, & electorum cùm sint personæ Ecclesiasticæ; quàm ex parte finis, cùm dirigatur ad regendas Ecclesias. Antecedens probatur ex *d. cap. fin. verbis*, ibi: *Sortis vsum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*. Etenim *tex.* per dicta uerba indefinitè loquitur, & ideò cùm indefinita æquipolleat uniuersali, *arg. tex. in l. de quibus*, & ibi, *Bart. ff. de legib. l. de pretio. ff. de public. in rem actione, Glosa in c. vt circa, in vers. Aliorum, de elect. in 6.* & latè *Panor. Anton. Franc.* & alij in *cap. in Genesi, sub num. 2. eod. tit.* Vniuersaliter est intelligendus de omnibus electionibus saltem Ecclesiasticis: siquidem lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. & d. l. de pretio*. Ita hunc *tex.* interpretatur *Suar. tom. 1. de Relig. de irreligiosit. lib. 2. de superst. cap. 12. num. 5.* inquiens, prohibitionem illam extendi ad omnem Ecclesiasticam electionem: *quia textus* indefinitè loquitur, & per huiusmodi locutiones generales regulæ constituuntur; sicut in doctrinalibus, quod maximè necessarium esse docet in *l. prohibente*: nàm prohibitio includit virtualem negationem, quæ vim habet distribuẽdi. Ait enim, electiones huiusmodi per sortes in publicis of-

9 ficijs maximè solent esse iniquæ, & contra legẽ naturalem, etiam si nulla esset humana prohibitio: quæ quidem iniquitas non consistit in superstitione, nec est contra Religionem, sed contra iustitiam distributiuã, cui repugnat, vt id, quod secundum merita conferendum est, per sortem detur: & contra commutatiuam, ac legalem, cũ id repugnet debitæ administrationi Reip. eiusq; communi bono. Hæc ipsa interpretatio concordat cum communi Doctorum sententia in vniuersum execrantium electiones Ecclesiasticas per sortes, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 95. ar. 8. in corp.* & in eum *Caiet. Angel. in sum. vers. Sors, sub num. 2. vers. Primò in rebus temporalibus. Syl. vers. Superstitio num. 9.* & ex alijs. Et rationem hanc esse aït *D. Thom. loco citato*, quẽ Doctores communiter sequuntur; quia electiones Ecclesiasticæ Spiritus Sancti inspiratione fieri debent. Vndè refert *Beda super Act. Apostol.* dixisse: *Matthias ante Pentecostem ordinatus sorte quæritur; quoniam scilicet non dum erat plenitudo Spiritus Sancti in Ecclesia diffusa. Septem autem Diaconi postea, non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati.* Tertiã rationem affert *Panor. in d. c. fin. de sortil.* quia in electionibus per sortem posset eligi indignus.

10 Secundò probatur hæc ipsa sententia; quia per *tex. in d. cap. fin. de sortileg.* non tantum prohibetur electio per sortes ad dignitates Ecclesiasticas, officia, ac beneficia; sed etiam in eligendis, ac nominandis compromissarijs ad electionem faciendam: nam ibi dicitur, fuisse reprehẽsione dignum, quòd potestas nominandi, seu eligendi compromissarios, vni per sortem delata fuerit, vt benè aduertit *Suar. loco citato*, qui hãc esse rationem ait; quòd etiam tunc prouisio Ecclesiæ immediatè reducitur in sortem: & eadem incommoda in illa sortitione inueniuntur: fierique namque potest, vt ille, qui per sortem assumitur ad compromissarios nominandos indignus sit, & ineptus ad illud munus: ex quo electio Episcopi, aut alterius similis postea pendet. Sed electio Discreti, seu vocalis, de quo agitur, si res rectè perpendatur, non dicitur alia, quàm electio compromissarij: quoniam in eum compromittitur potestas, seu facultas eligendi Præpositum Generalem, Definitores, Consultores, Visitatores, Præsidentes, &c. ergò per dictum *tex.* expressè, ac specialiter prohibita censetur Discreti, seu vocalis electio per sortes, qui Capitulo Generali debeat interesse.

11 Tertiò probatur ex *tex. in cap. quia propter, de elect.* vbi excepta triplici electionis forma, nempè scrutinij, compromissi, & inspirationis, reliquas omnes improbat, & annullat; ergò annullare, & improbare quoque censetur electionem per sortem, cùm sub illis tribus nullo modo comprehendatur. Quo circa meritò *Panor. in d. cap. fin. num. 3. & 5. de sortil.* inquit, quod sors nullo pacto potest interuenire in actu electionis; quia tanquam nulla, & contra *tex. in d. cap. quia propter, damnatur*. Eadem ratione *Bald. in d. l. si duobus num. 10. in fine. C. comm. de legat.* expressè negat, electionem Papæ posse committi sortibus.

12 Quartò, & vltimò: Nullus debet ea sorte inquirere, quæ per suam industriam cognoscere, & ad effectum perducere potest: siquidem recurrere ad sortes in ijs, quibus opera humana prouideri potest, est tentare Deum, vt habetur ex *D. Thoma opusc. 25. cap. 5.* sed electio Discreti, de quo agitur, cognosci, & ad effectum perduci potest per humanam operam; atque industriam; ergò non est per sortes inquirenda.

Ad contraria facilè respondetur.

13 AD primum respondet *Gratian. in c. sors, § his itaque, & in cap. non exemplo. 26. q. 2.* quòd in illis casibus in Scriptura relatis, prædicti Sancti fuerunt vsi sortibus dispensatione Diuina: & propterea non est eis indifferenter credendum; quia priuilegia singulorum communem legem facere non possunt, vt in *d. cap. non exemplo*. Præterea in veteri testamento fuerunt permissę sortes; quoniam non dùm in Ecclesia erat effusa plenitudo Spiritus Sancti. At tempore gratiæ tanquam perfectionis status, cùm electiones Ecclesiasticæ inspiratione Spiritus Sancti fieri debeant, vt supra diximus, idcircò vsus sortiũ in eis est de iure omninò prohibitus. Et in temporalibus dignitatibus, quæ ad temporalem dispositionem, ordinantur, ita demum licitum est in sortibus, si necessitas subsit, vt benè declarat *Gratian. in d. cap. sors, & trib. seq.* ac *D. Thom. 2. 2. q. 95. ar. 8. in corp.* Vel denique respondetur, quòd sortes ante legem Euãgelicam mittebantur; quoniam non erant aliqua lege Diuina, aut humana prohibitę: sed quia hodiè de iure Canonico omninò damnantur in electionibus maximè Ecclesiasticis, vt patet ex iuri-

iuribus supra relatis, idcircò electiones Ecclesiasticæ hodiè non possunt fieri per sortes.

14 Ad secundùm respondetur, quòd in temporalibus, quoad casus in dictis iuribus contentos licitè possumus vti sortibus ad discordias sedãdas: at in electionibus Ecclesiasticis id non est licitum, per *tex. in d. cap. fin. de sortileg.* & per rationes supra relatas.

15 Ad tertium dicitur, quòd licèt sortium vsus de se, & ex sui natura non sit malus; tamen quia potest esse causa mali, ideò de iure Canonico simpliciter prohibetur in electionibus Ecclesiasticis, vt in *d. cap. fin. de sortileg. & in d cap. sors, cum plur. seq. 26. q. 2.* Quæ quidem prohibitio extenditur, etiam quoad electionem Papę, vt per *Bald. in d. l. si duobus, nu 10. C. commun. de legat.* Nec *Felin. in d. cap. Capitulum, sub nu. 21. de rescr.* contrarium sentit; sed tantum ait, quòd si contentio sit inter duos electos in Papam, de Papatu, & hinc indè adsit paritas probationum, tunc posse vti sortibus ad sedandum Schisma: quo casu electio non dicitur fieri per sortes; sed potius declaratio per sortes, quis ex duobus sit legitimè electus in Papam, & quem eorum elegerit Deus; quod quidem sortilegium Cõsultorium potius dicitur, quàm diuisorium: & hoc modo volunt aliqui, Apostolos fuisse vsos sortibus in electione Apostoli Matthię. Ad Bull. Sixti V. respondetur, quòd cum electio superiorum, & officialium de iure communi possit fieri per scrutinium, per compromissum, & per inspirationem, vt in *cap. quia propter*, & ibi, *Doctor. de elect.* Romanus Pontifex d. ctam Cõstitutionẽ edidit tria specialiter statuẽdo, quoad fratres minores. Primum, quòd electio Superiorum, & officialium non possit aliter fieri, quã per scrutinium, atque ideò tollit modos eligendi per compromissum, & per inspirationem. Secundùm, quòd fiat per schedulas obsignatas. Tertium, quòd peracto scrutinio, schedulæ cõburantur illico coram omnibus vocalibus. Vndè non ob id supponit de iure communi esse licitas eiusmodi electiones per sortes: nam de iure damnatas esse supra probauimus: quapropter cessat argumentum, quod ex prædicta Bulla in contrarium fuit allatum. Vltra quod non est inconueniens, vt id, quod de iure communi cauetur, speciali Constitutione alicui communitati prohibeatur.

16 Ad quartum dicimus, quod electio Discreti, seu Cõuentualis, quæ fit per sortes à dictis Regularibus habet vim ex Cõstitutionibus approbatis à Rom. Pontifice, quo derogatur iuri communi: & eo sublato per se electio huiusmodi mala non est, vt rectè docet *Suar. loco citato, sub num. 9.* vbi etiam ait, quòd hac ratione potest defendi Matthiæ electio; quia tunc temporis nulla erat prohibitio Diuina positiua, vel humana de talium sortium vsu. Neque ex natura rei in illa erat periculum prauæ electioni: nã sortes mittebantur inter duos tantum selectos, & iudicatos idoneos, ac dignos, & fortè Apostolis non constabat, quis esset dignior, qui semper est præferendus alteri, quamuis digno, vt in *cap. 1.* & ibi, *Panor. de maior. & obed. l. honores, ff. de Decur. Glos. in cap. licèt, 8. q. 1. Feder. cons. 95.* & alij; & ideò miserunt sortes. Vndè idem *Suar. ibid. sub num. 15. vers. Vt ergo*, ait, vt huiusmodi sortes in electionibus interdum liceant, oportet aliquo modo curare, vt solùm mittantur inter eos, qui ita sunt digni officio, vt vix possit inter eos, manifestus excessus iudicari. Sic enim vitatur periculum illud eligendi indignum, & non alio modo. Quapropter Canonici Regulares, qui in electione Discreti vtuntur sortibus, in fine d. Constitutionis 29. ita statuerunt: *Curent autem Definitores tempore Capituli Generalis in ordinatione Conuentuum tot Canonicos ad huiusmodi electionem habiles in singulis Monasterijs assignare, vt ritè, & secundum ordinem fieri electio socij huiusmodi possit.*

17 Et quoniam difficile est hanc cautionem adhibere, idcircò *Panor. in d. cap fin. num. 3. de sortil.* licèt non prohibeat electiones sæculares fieri per sortes; melius tamen putat ab eis abstinendum, ne eligatur indignus; atque ideò quãuis electio per sortes ex se non sit mala; nihilominus interdum potest esse iniqua, etiam in publicis officijs ciuilibus, & contra legem naturalem, dato, quòd nulla sit humana prohibitio, vt supra declarauimus. Hinc *Caiet. in D. Thom. 2. 2. q. 95. ar. 8.* ait, quòd dupliciter contingit vti sortibus in dignitatibus temporalibus. Primò promiscuè, vt vnusquisque de populo bonus, & malus, aptus, & ineptus sorti subsit principatus, seu regiminis habendi: & id cùm sit cõtra naturalem dignitatem rationalis creaturæ, cui datum est, vt ratione prouideat sibi, & alijs, & è cõtra sortiri Reip. commune bonum, quod quilibet debeat in tuto, & nõ in discrimine ponere, peccatum est fatuitatis, & iniquitatis contra commune bonum. Alio modo contingit sortibus vti in huiusmodi temporalibus dignitatibus post nominatos multos, qui pro idoneis ad huiusmodi officia communiter habentur; ita vt super illos tantum nominatos, seu conscriptos sortes cadere possint: & tunc citra vllam culpã super dignitatibus mittuntur sortes.

18 Ad vltimum patet responsio: nam licèt sortiũ vsus in electionibus Ecclesiasticis, cùm per eas præcludatur via, odijs, inimicitijs, dissentionibus, conspirationibus, & alijs eiusmodi, his rationibus bonus sit; nihilominus, quia in electionibus prædictis pax Dei, quæ superat omnem sensum, pręcipuum bonum est, atque ideò solius Spiritus Sancti inspiratione fieri debeant, meritò de iure sortibus subijci prohibentur: & eo magis, quia sortiũ vsu indignus eligi potest. Vndè minus malum est non subsequi Discreti electionem, quàm subsequi, & per sortes eligi indignum.

19 Vndè his reiectis firma remanet conclusio, quod Discreti, seu vocalis electio, qui Generali Capitulo debeat interesse per sortes de iure nullatenus fieri potest.

Ampliatur supradicta conclusio, vt Discreti electio non possit subijci sortibus, etiam si vocẽ non haberet in Generali Capitulo. Nam iura prohibentia electiones Ecclesiasticas per sortes, intelliguntur de qualibet electione, per quam, vel iurisdictio, vel ius eligendi, aut nominandi, aut Ecclesiastica dignitas, vel beneficium, aut officium, seu administratio Ecclesiastica cõfertur, vt ex communi Doctor. sententia, docet *Suar.* in supra relato loco, sub *num. 5 in fine*.

Modò

Modò licèt vocalis, de quo agitur, si vocem non habeat in Capitulo, non dicatur habere ius eligendi, seu nominandi, nec dignitatem aliquam, iurisdictionem, aut beneficium, dicitur tamen habere officium; tum quia officium est generale nomen pertinens ad omne ministerium, vt per *Glos. in l. legatis, § 1 vers. Si ex officio, ff. de legat. 3.* & latè *Felin. in rub. de offic. deleg. sub num. 3.* tum etiam, quia cùm fungatur officio legati, seu Nuncij, qui propriè dicitur habere officium, vt constat ex *rubr. de offic. leg.* meritò censetur eligi ad officium Ecclesiasticum. Confirmatur, quia officium est habere orationem ad populum: Vndè prohibens habere officium, non potest habere orationem ad populum: quapropter Prædicator dicitur habere officium, *c. quod Dei timorem, de statu Regular.* Sicut etiã, & Procurator, *cap si quidem, de procurator. in 6.* & ipsum officium appellatur intercessio, vt per *Bart. in l licèt, § si filius familias, num. 3. ff. de pecul.* & latè *Felin loco citato:* ergò, & vocalis electus, vt supra, dicitur electus ad officium: Etenim fungitur officio non solùm legati, sed etiam procuratoris illius domus, in qua fuit electus, & oratoris, & intercessoris.

20 Demique, quod talis vocalis, seu Discretus; & Conuentualis verè dicatur habere officium, patet ex ijs, quæ habentur ex *Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q 51. ar. 8. & ex Constit. Monachorum Casinentium, par. 1. cap. 5.* vbi titulus, seu rubrica, ita inscribitur: *De ijs, quæ pertinent ad officium Conuentualis,* deindè ponitur Constitutio, cuius tenorem hoc loco inserere, operè pretium esse duximus, vt sciatur quando culpam contrahat Discretus ab eius munere deficiens: *Ordinamus, quòd Conuentuales teneant secretissima ea, quæ sibi tradentur in scriptis, solis Definitoris portanda, aut verbo referenda, ac etiam ea ex quorum relatione notabile orietur scandalum aut verisimiliter posset oriri. Fratres quoq; qui talia scribunt, aut ambasciatas huiusmodi imponunt, nemini reuelent, aut nominẽt, nisi ipsis Definitoribus, quod si contrafecerint eligi nõ possint vsque ad triennium. Insuper omnia quæ verbo eis fuerint imposita redigant in quadam cedula. prout infra statutum est in Capitulo decimo quinto, de electione scribæ, scribendo nomen fratris, nihil addendo, & nihil diminuendo, vt ea possit fideliter referre Definitoribus. V. g. D. talis dicit sic, allegando causas ibi expressas à fratre in specie, & pro breuiori, & certiori informatione Diffinitorum colligant in vnum singulas materias, v. g. si agendum de Prælato, aut Priore, aut Cancellario concludãt talem materiam inducendo dicta singulorum, & causas antequam ad aliam materiam diuertant, ita quod non sit necesse eadem sæpius repetere. quam schedulam penes scribam Capituli dimittant, vt in visitatione Monasteriorum possit haberi plenior, & verior informatio de relatis Capitulo. Quòd si ipsi Conuentuales aliquid ex se ipsis dicere voluerint, eadem scribant in eodem suo memoriali, in quo cæterorum fratrum vota conscripta sunt, vt si opus fuerit, possint Definitores de omnibus diligenter inquirere, & cognoscere. Aliquid præterea ne ipsi Conuentuales accipiant in commissis à fratribus, nisi ea, quæ acciderint post visitationem sui Monasterij; nisi ex vrgentissima causa ad hoc cogeretur, quam eam narrare volens explicabit, simul declarans, cur eadem Visitatoribus non fuerint dicta. Curent etiam, vt Prælatus portet taxam sibi congruentem ad Capitulum: portet etiam, & litteras de eorum electione fidem facientes, Capitulo Generali portandas.* Quæ quidem omnia si non seruent Discreti, cùm faciant contra eorum munus, proculdubio peccant.

21 Sic ampliata limitatur eadem conclusio primò, vt electio Discreti, seu vocalis, de quo agitur, licèt per sortes de iure fieri prohibeatur; si tamen de facto fiat, non dicitur ipso iure nulla: quia etsi in electionibus Ecclesiasticis sortium vsus sit prohibitus, per *tex. in d. cap. fin. de sortil.* nihilominus, nec *tex.* ille, nec alius reperitur, qui electionem huiusmodi irritandam statuat. Et *tex. in d. cap quia propter, de elect.* de sola electione ad Ecclesiam facienda formam præscribit, & sola illa aliter facta annullatur, vt benè aduertit *Suar. loco supra citato, num. 10. circa fin. & Conc. Trid sess. 25. de Regular. cap. 6.* licèt statuat irritando, de sola Superiorum electione loquitur. Pro qua re faciunt etiam ea, quæ supra adnotauimus, *sec. 16. de Constit. & Decret.* prohibentibus agentes, quæ clausulam irritantem non habent.

22 Secundò limitatur, vt Discreti, seu Conuentualis electio per sortes ex dispensatione Rom. Pontificis fieri possit. Nam sortitio in tali electione non est mala ex natura rei: quia Discretus huiusmodi maximè in nostra Congregatione, eligitur ex idoneis, ac dignis, & propterea cessat timor eligendi indignum. Etenim illi de corpore Capituli, ex quibus facienda est electio Discreti, seu vocalis, qui Generali nostro Capitulo debeat interesse, mediante rigoroso scrutinio in Capitulo Generali, dum ad vocem actiuam, ac passiuam admittantur, non solùm ad id munus, verum etiam in Præpositos, & ad omnia Religionis officia, ac dignitates reputãtur idonei. Vndè facta derogatione iuri communi per dispensationem Rom. Pontificis, & eo sublato, electio huiusmodi per se mala non est.

23 Nec obstat si dicatur, quòd licèt in tali electione per sortes cesset timor eligendi indignũ: tamen non cessat timor non eligendi digniorem: at electionem fieri debere de digniori supra ostendimus *disp. 4 sec. 8.* atque ideò si prætermisso digniori, bonum, & idoneum quis eligat, lethaliter peccat, vt habetur ex *D. Thoma, Adriano, Soto, Ledes. D Anton Syl. Tab. Nauar. Couarr.* & alijs, quos refert, & sequitur *Azor. par. 2. instit. moral lib. 6. cap. 15.* quam sententiam veram esse inquit, siue quis eligatur ad Ecclesiam curam animarum habentem; siue ad aliud beneficium, quod animarum curam non habeat. Et digniorem eum esse dicit, qui doctior est, ac sanctior, *cap. licèt, 8. q. 1.* Quoniã respondetur, quòd licèt hęc opinio probabilior, & verior esse cõiter; nihilominus cùm non desint, qui velint, quòd electio digni, prætermisso digniori in alijs, quàm ad curam animarum, & ad magnas dignitates non sit peccatum mortale, vt habetur ex *Angelo, vers. Electio, num. 21.* & ostendimus *d. disp. 4 sec. 16.* & eiusmodi electio sit valida, vt per eundem *Azor. loco citato,* arbitror ex natura rei, electionem Discreti, vt supra,

supra, per sortes nõ esse malam: nam esto, quòd non eligatur aliquando dignior; sed tantùm dignus, & idoneus; tamen communitati detrimẽtum aliquod non videtur afferre: & compensatur, si quod esset per alia bona, quæ electionem subsequuntur, & mala, quæ vitantur, de quibus supra diximus.

24 Quòd si sortium vsus omninò videatur execrabilis, etiam quoad Discreti electionem, cũ ex duobus malis, minus sit eligendum, vt in *c. Nerui*, 15. *d.* minus malum fore arbitror, si statueretur, vt in Conuentibus in futurum, prædicti Discreti non fiat electio, quàm fieri, & per scrutiniũm celebrari. Nec id maximum absurdum (quæso) videatur. Nàm fratres minores de obseruantia; cùm Discreti electio per sortes aliquando ab eis fieret, existimantes vigore supra relatæ Bullæ Sixti V. ipsis interdici sortium usum, quoad electionem Discreti, decreuerunt in Capitulo Generali Romæ celebrato, anno 1600. in Conuentu Aræ Cœli, vt nulli in Conuentibus Discreti eligantur ad Capitulum Prouinciale. Ita testatur *Rodriq. tom.* 2. *qq. q.* 51. *ar.* 8. *circa fin.*

25 Ex dictis igitur patet, quòd electio Discreti per sortes de iure prohibetur, quamuis si de facto fiat, teneat. Peccant tamen electores, & electus, qui sortibus vtuntur contra prohibitionẽ, *tex in d. cap. fin. de sortil.* Nam omnia, & singula verba prohibitiua, & præceptiua posita in lege Ecclesiastica, & Canonica, in dubio denotant, conditorem eius habere animum obligandi ad mortale; nisi aliud in ea expressum cõtrarium indicet, vt in *Clem. exiui*, §. *cùm autem, de verb. signif.* & nos latè de hac re tractauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib.* 3. §. 7. *q. vlt.*

26 In nostra autem Congregatione fit per scrutinium Discreti, seu vocalis Capitularis electio; verum, vt infallibiliter sequatur eiusdem electio anno 1627. in Capitulo Generali fuit interpositum Decretum tenoris sequentis, 3. *p. cap.* 1. *nu.* 9. *Vt certa sit vocalis ad Capitulum Generale interfuturi, electio si per tres vices, secretis datis schedulis, nemo fuerit electus; in quarto schedularum scrutinio, nisi in eo contingat electio, duo ex scrutatoribus declarent, quibus plures numero vocales fuerint suffragati. quòd si in quarto scrutinio tres, aut quatuor paria suffragia habuisse comperiantur; duos professione ex eis seniores palam denuncient scrutatores: & horum alter per secreta postea eligatur suffragia; quę si fortè paria fuerint, antiquior professione electus censeatur. In qua domo tres tantũ, aut quatuor erunt vocales cùm in quinto scrutinio nemo fuerit electus, vocalis professione antiquior, cui tamen aliquis suffragatus fuerit electus habeatur.* Quæritur igitur de iustitia, ac validitate dicti Decreti. Sed

† Addo hic tres Constitutiones Põtificias circa hanc materiam electionis, nempè Clementis VIII. quæ communis est omnibus Religiosis, quæ est legenda ante electionem vocalis interfuturi ad Generalia Comitia, & Alexandri VII. super numero vocalium pro Capitulis Generalibus Cler. Reg. & Clem. IX. super forma electionis vocalium pro Capitulis Generalibus eiusdem nostræ Religionis; idque, vt præmanibus illo tempore habeantur; Etenim nostræ Constitutiones, & Decreta faciliter vbique habentur, & hic ponere non est necesse, cùm partim etiam sint mutata ob præfatas duas Constitutiones; nempè S. P. Alexandri VII. quæ fuit flagitata nomine totius Religionis ab Adm. R. P. D. Augustino Bozomo Præp. Gen. viro à suggestu, & omni doctrinarum genere vbique notissimo; & Clem. IX. expostulata ab Adm. R. P. D. Petro Paulo Nobiliono eo æuo Præp. Gen. meritissimo, cuius conatu inter alia præclara facinora Apotheosis nostri præcipui Fundatoris DIVI CAIETANI THIENÆI, & Congregatio Eremitarum Theatinarum ad perfectionem fuerunt omninò perductę. Decreta igitur, quæ sunt legenda Clem. Papæ VIII. pro Reformatione Regularium, tum Monachorum quàm Mendicantium cuiuscunque Ordinis, & Instituti incipientia: *Nullus omninò*; circa peculiare de electione dumtaxat sunt sequentia.

CLEMENS PAPA VIII.

VT omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes à directa, vel indirecta votorũ, seu suffragiorum procuratione, tàm pro se ipsis, quàm pro alijs, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque pariter inhabiles habeantur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à Nobis, vel successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius, etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

In Superiorum, & Officialium omnium electionibus forma præscripta à Sacro Conc. Trident. & ordinis Constitutionibus inuiolabiliter seruetur, iurentque Electores secundum veritatem cuiusque conscientiæ probiores, ac magis idoneos se electuros, ac propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur Constitutiones de qualitate, & requisitis eligendorum, ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligãtur, qui possint, & consueuerint Regulas Ordinis, & Constitutiones obseruare, præsertim, quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitũ, & victum communem.

CONSTITVTIO

Super numero Vocalium pro Comitijs Generalibus Congregationis Clericorũ Regularium Theatinorũ nũcupatorũ.

ALEXANDER PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

FÆlici, prosperoque regimini, & gubernio Cõgregationis dilectorum filiorum Clericorum Re-

Regularium Theatinorum nuncupatorum: pro commissa nobis cælitus Pastoralis officij cura, salubriter quantum cum Domino possumus prouidere cupientes, motu proprio, ac ex certa sciẽtia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & decernimus, vt in Capitulo Generali eorundem Clericorum Regularium Theatinorum ius suffragandi habeant infrascripti dumtaxat, & non alij; videlicet Præpositi Generales, tam pro tempore existentes, quã officio functi: quatuor Consultores, & Procurator Generalis pro tempore: ex Prouincia Galliæ Cisalpinæ, quæ in primam, & secundam visitationem diuiditur, duo Visitatores, tres Præpositi, & tres vocales pro qualibet visitatione: ex vtriusque Siciliæ Regnis, quæ in duas etiam Prouincias diuiduntur: itidem duo Visitatores pro qualibet Prouincia: Præpositi quatuor, & totidem vocales ex Prouincia Neapolitana, Præpositi duo, & vocales duo ex Prouincia Siciliæ; dummodò ex hac eligantur duo Visitatores, sicuti ex Prouincia Neapolitana ex Hispania vnus: ex Gallia Transalpina vnus: & ex Romanis domibus vnus. Præpositorum quidẽ electio ad hunc planè modum fiat. Nouembri mẽse Præpositi ad vnam è sua Prouincia domibus, à Præposito Generali, & Consultoribus designandam se conferant. Constituta vero die, quę erit vltima eiusdem mensis, vnà omnes, dato signo, conueniant, fusisque de more precibus, de singulis Præpositis sua Professionis ordine singula habeantur scrutinia; Scrutatores, quæ cuiq; contigerint suffragia numerent, atque in schedula distinctè notent. Tum scrutinijs absolutis, illi censentur ad Generale Capitulum electi, in quos maiorem eligentium numerum consensisse, scrutatores significauerint. Quorum paria fuerint suffragia, ex ijs professione senior accedat, si quempiam ex electis Præpositis obire diem suũ contigerit, ille subrogatus intelligatur, qui maiori suffragiorum numero proximè succedit in dicta scrutatorum schedula, quę statim Romã transmittatur Præposito Generali, & Consultoribus, eorundem scrutatorum manu subscripta, & obsignata, resignanda videlicet ab eodẽ Præposito Generali, & Consultoribus, cum subrogatio postulauerit. Præpositi si fuerint legitimè impediti, aliquem è suæ domus vocalibus ablegare ad Prouincialia hæc Comitia possint. Qui vocalis, si fuerit electus, non ipse, sed Præpositus, electus censeatur. Quod si è Præpositis aliquis, neque accesserit ipse, neque alium miserit suo nomine, is passiuo in eo Conuentu suffragio, ne gaudeat. Electus verò ad Comitia generalia, mittere, si fuerit impeditus, è suis vocalibus quem libuerit, possit. Qui Conuentum hunc Præpositorum conuocet, curetque, vt ritè omnia peragantur, sit senior ex Præpositis. Vocalium verò duplex fiat electio; Prior in singulis domibus, vti moris est, ad Instituti, ac Decretorum formam, intra Italiam quidem, die Septembris prima, extra Italiam vero prima Iulij, posterior, Septembri mense extra Italiam, Nouembri vero intra Italiam. Ex vocalibus electis, scilicet, qui in priori Domorum electione renunciati vocales fuerint, alterum deindè Conuentum, eadem qua Præpositi, die, non eadem domo, sed quam Præpositus Generalis, & Consultores destinauerint, celebrent; atque ad eundem prorsus modum, eodemque suffragiorum ritu, quo peracta est Præpositorum electio, fiat vocalium, qui adire Generale Capitulum debent, quemadmodum de Præpositis significatum est. Caueant maximè electores in electione vocalium, nè quem eligant, tam in prima, quam in secunda electione, qui à Definitorio nondum fuerit ad sacras, tum virorum, tum mulierum confessiones audiendas admissus, neuè in secundo Conuentu eos, qui prima vice ex Cõstitutionum præscripto, ad vtrũque suffragium admissi non fuerint, nisi à die admissionis ad passiuam vocem, per sex annos eorum virtus probata fuerit. Alioquin electio sit eo ipso nulla, absque alia declaratione si quis primæ electionis vocalis adire ex causa secunda Comitia nequiuerit, alter iuxta Decreta Ordinis ritè eligatur; qui autem secundæ electionis vocalis impeditus quauis ratione fuerit, ne ad Generale Capitulum, conueniat, illi nemo subrogetur. Porrò in secunda vocalium electione, senior ex illis, quod de Præpositis dictum est, Patres ritè cogat. Suum peculiare Conuentum habeant, Præpositus S. Andreæ Romæ, electus eiusdem domus vocalis, & electus domus Quirinalis, qui collatis inter se votis, vnum ex se ipsis eligant. Hispaniarum Præpositi, & electi vocales, suum item Constituta die Conuentũ agãt, & eodem modo vnum ex se ipsis eligant. Similiter Præpositus, & vocalis electus Parisiensis. Vbi duo tantum fuerint, siuè Præpositi, siuè vocales, ij suffragijs ne agant, sed sorte, quod si illorum alter alteri consenserit, illi Capitulum Generale adeundi ius esto. Si fortè in aliquibus Comitijs nemo eligatur, professione antiquiores electi censeantur. Nullus autem de cætero, in visitatorem eligi possit, nisi postquam creatus fuerit vocalis vtriusque suffragij, septennium ad minus expleuerit, totoque eo tempore prudentia, & probata vita exemplo præstiterit. Sanè in electione Præpositi Generalis, Consultorum, & Procuratoris Generalis, iuniores, cæteris paribus, senioribus ne præferantur. Si aliqua oriatur difficultas, aut dubitatio circa prædicta, Præpositus Generalis cum Consultoribus eam declarent, aut interpretentur, vt fit de Constitutionibus. Postremò præcipimus, & mandamus, vt hæ ordinationes ab omnibus ad quos spectat, inuiolabiliter obseruentur, & si quis eas impugnauerit, aut eis parere aliqua ex parte detrectauerit, arbitrio Præpositi Generalis, & Consultorum grauiter puniatur. Decernentes easdẽ præsentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissimè suffragari, sicque in præmissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nõ obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis; nec non dictæ Cõgregationis, eiusque Prouinciarum, & Domorum Regulariũ quarumlibet, & alijs quibusuis etiã iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis

nis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis, habentes illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt earundem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quę pręsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitę, vel ostensę. Datum Romę apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris, die 10. Ianuarij 1661. Pontificatus nostri anno Sexto.

S. Vgolinus.

CONSTITVTIO SANCTISS. D.N. CLEMENTIS PAPA IX.

Super forma electionis Vocalium pro Capitulis Generalibus Clericorum Regularium.

CLEMENS PAPA IX. Ad perpetuam rei memoriam.

COMMISSA Nobis cœlitus dispensationis ratio exigit, vt paternam Religiosorum virorum, vberes bonorum operum fructus in Ecclesia Dei proferre assiduè satagentium curam gerentes, felici, prosperoque illorum regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus salubriter prouidere studeamus. Nuper siquidē pro parte dilectorum filiorum Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum nuncupatorum, Nobis expositum fuit, quod ipsi in nouissimo eorum Capitulo Generali congregati, consideratis grauissimis incommodis dictæ Congregationis ex forma electionis vocalium Capituli Generalis, his vltimis annis seruata, resultantibus, nouam electionis vocalium huiusmodi formam sub nostro, & huius Sanctæ Sedis beneplacito ediderunt, tenoris qui sequitur, videlicet, Forma electionis vocalium, qui Capitulis Generalibus interesse debent, approbata in Capitulo Generali anni 1668. In singulis domibus, quę sunt erectæ in Præposituram, vel in posterum erigentur, fiat electio vocalis ad Instituti, ac Decretorum formam intra Italiam quidem die 2. Nouemb. extrà Italiam verò 1. Iulij. Inter Prępositum autem, & vocalem electum statuta die, quę erit in Italia 2. proximi mensis Ianuarij, extrà Italiam verò prima Septembris, coram omnibus vocalibus propriæ domus capitulariter Congregatis, fusis de more precibus, & publicè proiectis in vrnam duobus calculis, quorū vnus sit albus significans Præpositum, & alius niger significans vocalem electum, mittantur sortes per extractionem alterius eorum, & super quem sors ceciderit, is accedendi ad Capitulum Generale, & in eo ferendi suffragium ius habeat. Inter Præpositum verò S. Andreæ Romæ, & nedum electum eiusdem domus vocalem, sed, & simul electum Domus Quirinalis sorte agatur eodem planè modo, sed calculis diuersi coloris singulos eorum indicantibus. Præpositus sorte electus ad Comitia Generalia mittere, si fuerit impeditus, è suis vocalibus, quem libuerit, possit, vt antea: vocalis verò ad eadem Comitia sorte electus; nedum alterum ex vocalibus mittere nequeat; sed nec Præposito assentiri, vt suo loco accedat. Quod si idem vocalis nolit, vel non possit accedere (seu renunciet electioni, vel impeditus sit ante, vel post sortes missas cum Præposito) fiat noua electio inter vocales, qui remanent. Quod si quouis tempore omnes vocales ab electione se retrahant, & cedant iuri; tunc Præpositus à iure censeatur electus ad Capitulum Generale. Si fortè contigerit Præpositum sorte electum diem suum obire, succedat iuri adeūdi Generale Capitulum vocalis à Domo electus, & vice versa; si verò moriatur Præpositus D. Andreæ Romæ sorte electus, mittantur denuò sortes inter electum eiusdem Domus, & electum S. Syluestri Quirinalis. Quod si alter electus ex his duobus obierit Præposito superstite, sorte agatur inter eum, qui remanet, & Præpositum. In cæteris autem Domibus, si decedat Præpositus, antequam mittantur sortes, vocalis electus accedat ad Capitulum Generale. Si verò pariter ante sortes diem suum obierit vocalis à Domo electus alter à Capitulo domus vocalis eligatur, inter quem, & Prępositum mittantur sortes. In Domibus, vbi fit electio, tres saltem sint vocales eligibiles, exceptis Domibus extra Italiam, in quibus electio fiat à vocalibus, qui inibi assignati reperientur. Quod si vnus tantummodò ibi sit vocalis, ille à iure cēseatur electus. In reliquis, firmis manentibus ordinationibus Constitutionis Pontificiæ fel. rec. Alexandri Papæ VII. super numero vocalium, quę incipit, Fœlici. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat per hanc nouam formam, itinerum, & expēsarum, ac absentię vocalium à suis Domibus Regularibus, è medio tollantur incommoda; ac conseruationi charitatis, aliisque memoratę Congregationis vtilitatibus salubriter consulatur: Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, vt sibi in præmissis opportunè prouidere, & vt infrà indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excōmunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac Constitutionis fel. rec. Alexandri Papę VII. prædecessoris nostri, super numero, & electione vocalium Capituli Generalis dictę Congregationis die x. Ianuarij M.DC.LXI. editę tenorem, pręsentibus pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præinsertam nouam electionis vocalium Capituli Generalis formā cum

cum omnibus, & singulis in ea contentis, Auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, & illam in posterum seruari præcipimus. Præterea iustis de causis statuimus, nè quis de cætero in Præpositum Generalem, Consultorem, Visitatorem, aut Procuratorem Generalem Congregationis prædictæ eligatur, qui saltem per tres annos Præpositi alicuius Domus Regularis, vel saltem Vicepræpositi Domus S. Syluestri in Monte Quirinali de Vrbe eiusdem Congregationis munere functus non fuerit. In reliquis verò firmas manere volumus ordinationes, & dispositiones prædictæ Constitutionis Alexandri prædecessoris. Si autem circà prædicta oriatur aliqua difficultas, aut dubitatio, Præpositus Generalis, cũ Consultoribus dictæ Cõgregationis eam declaret, aut interpretetur, vt fit de Constitutionibus ipsius Congregationis. Decernentes easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab illis respectiuè inuiolabiliter obseruari; Sicque in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his à quoquam quauis auctoritate sciẽter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus prædictæ Alexandri prædecessoris, alijsque Cõstitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictæ Congregationis, eiusque Prouinciarum, & Domorum Regularium, & alijs quibusuis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis in contrarium premissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenorem presẽtibus pro plenè, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad premissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresiè derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt presentium litterarum transumptis, seu exemplis etiã impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo persone in Ecclesiastica dignitate constitute munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, que presentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibite, vel ostense. Dat. Rome apud S. Mariã Maiorẽ sub Annulo Piscatoris die xxvj. Octob. M.DC.LXVIII. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

I.G. Slusius.

† Igitur Constitutio S.P. Alex. VII. fuit rogata pro reductione vocalium ad minorem numerũ ad vitandas expensas itinerum, & incommoda Domorum, quæ per aliquot menses erant orbatæ seruitio Ecclesiæ pro Diuino cultu, & cultura animarum, frequentia odæi, aliarumque rerum magni ponderis; verùm quia iterum visum fuit hac reductione non satis fuisse adhibitum oportunum remedium; nam opus erat, vt Præpositi, & Discreti, seu vocales electi conuenirẽt in vnũ in aliquo determinato loco, vbi ex omnibus Præpositis eligebatur ferè tertia pars, & itidem ex omnibus vocalibus à domibus priùs electis, vt conuenirent postea cum Præpositis etiam electis ad Generale Capitulum; & hoc interuallo temporis iterum reuertebantur ad vnamquamque suam domum, vt atque iterum suo tempore Romam versus proficiscerentur; & videbatur hæc secunda electio imitari quoddam Prouinciale Capitulum, & sæpè numero contingebat, vt vna domus etiam parua haberet ad Generalia Comitia vocalem electum, & Præpositum simul; & altera præcipua neutrum; ideò fuit prouisum (annuente Clemente IX. qui permaximè adamauit nostrum Ordinem) vt vnaquæque domus sortiretur suum vocalem electum, aut suum Præpositum adire Generale Capitulum, cum minori iactura expensarum, & incommodo domorum, imò cum emolumento earum, cum haberent certam personã, quæ notas faceret suas ægestates, circa temporalem, vel spiritualem profectum; & talis electio per sortes inter Præpositum, & vocalem electum non videtur contraria opinioni mei Patrui, qui ideò non assentiebatur ob metum, quod cadere poterat in indignum, aut minus dignum, relicto digno, vel digniore; sed in hac electione ambo sunt digni, ambo digniores; imò dignissimi, cum Præpositus fuisset electus à Diffinitoribus, & Consultoribus, & Præposito Generali tempore Generalis Capituli, vel extra id tempus ab ipsomet P. Præposito Generali, & quatuor Consultoribus, & sic fuit habitus dignus, imò cæteris dignior; similiter Capitulum Domus in eligendo Discretum inter dignos, digniorem; & hoc ita se habet, sicuti dixit meus Patruus supra, *ad Quartum dicimus*, cum abfit periculum prauæ electionis; & hoc modo, ait *Suarez* ibi, quod potest defendi S. Matthiæ electio, cum sortes mitterentur inter duos selectos, & iudicatos idoneos, ac dignos, & fortè Apostolis non constabat, quis esset dignior, qui semper est præferendus alteri, quàm digno, licet etiã in hoc extat opinio in contrarium in vocalibus eligendis, vide ipsum meum Patruum supra, sed sicut diximus de electione digniorum, euenit prima vice in nostra Paulina Domo, vbi secundò erat Præpositus P.D. Carolus de Palma, successor P.D. Francisci Maria Carafa, qui fuit electus Discretus, seu vocalis ipsius Domus, vterq; igitur erat dignus, imò dignissimus ob cõtinuas in Religione præfecturas, in qua nũquam feriari permissi sunt, cum omnia munera absoluissẽt, tum Consultoris, & Visitatoris, tum Magistri Nouitiorum, & Præfecti, nec non etiam Lectoris, ac Sacri Oratoris, cum prudentię, ac integritatis laude; & sors extracta ab vrna manifestauit Carafam electum, de qua electione fuit multum gauisus ipsemet Præpositus Palma; & vtriq; visum fuit arrisisse Diuinam prouidentiam; sicuti contigit Matthiæ, & Iosepho, qui vocabatur iustus; nam iste remansit in suo munere, libentissimè subeundo laborem pro apparatu Apotheosis DIVI CAIETANI; & ille fuit electus Procurator Generalis, qui ope sui Germani purpurati D. Caroli Carafæ plurimum iuuit Religioni, ac nouo Indigeti cõditori, & ob perfunctos strenuos labores, vitam cum morte Religiosissimè

commutauit vsque ad extremum halitum commendans assistenti purpurato Germano Religionem, ac causam Beatificationis Venerabilis Pauli de Aretio C. R. & S. R. E. Cardin. & Archiep. Neap. cui erat addictissimus in ipso etiam mortis articulo ob G. A.

An Decretum ipsum extendatur ad electionem Consultoris Capitularis. SEC. XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Notantur verba Decreti.*
2 *Affertur responsio negatiua de iure verior, & probatur.*
3 *Decretum prædictum esse nullum ex defectu substantiæ probatur.*
4 *Decretum prædictum est contra ius naturale, & quare.*
5 *Est etiam contra bonos mores, & quare.*
6 *Decretum prædictum an extendi possit ad electionem Consultoris Capitularis.*
7 *Capitulum generale fingendi facultatem non habet, cum fictio sit solius legis.*

1 INter cætera supra relato Decreto contenta sunt verba, quæ sequuntur. *In qua domo tres tantùm, aut quatuor vocales adsunt, si post quintum scrutinium nemo electus sit, professione antiquior pro electo habeatur.* Quòd decretum huiusmodi de domorum vocalium, non autem de Capitularis Consultoris electione intelligatur, est adeò verum, vt citrà omnem controuersiam ab omnibus concedatur. Sola igitur difficultas est de forma eligendi domorum vocales per dictum decretum tradita, vt electio infallibiliter sequatur, extendatur ad electionem Consultoris, qui Capitulo Generali debeat interesse?

2 Ad hanc difficultatem breuiter respondens, partem negatiuam de iure veram esse arbitror. Moueor primò ex eo, quòd præfatum decretum est nullum, atq; inualidum ex defectu potestatis. Etenim nostra Congregatio quamuis in Generali Capitulo condendi Constitutiones, & Decreta à Clem. VII. facultatem habeat, eam tamẽ sub hac limitatione obtinuit, quòd bonis moribus, ac Sacris Canonibus non sint contraria, vt testatur *P. Peregr. in compend. nostr. priuil. p. 1. tit. Constitutiones.* At dictum decretum non solum bonis moribus, & Sacris Canonibus; sed etiam ciuilibus legibus est contrarium. Siquidẽ de iure, vt electio per scrutiniũ maximè valeat, à maiori electorum parte fieri debet; & id regulare est in omnibus Vniuersitatibus, Concilijs, Collegijs, & Capitulis, *cap. 1. & fin. de his, quæ fiunt à maiori par. Capit. c. 1. 70. d. l. quod maior. ff. ad Munic. Panor. in c. Ecclesia vestra, il 2. n. 1 7. 11. & 13. de elect. Tusch ver. Electio, concl. 66. n. 1.* & alij communiter. Est igitur prædictum Decretum nullum, ac inualidum ex defectu potestatis: quoniam nostra Congregatio facultatem non habet condendi Constitutiones, & Decreta, quæ sacris Canonibus aduersentur. Quòd si Decretum huiusmodi est nullum, & irritum, ad electionem Capitularis Consultoris extendi non valet: Siquidem non entis nullæ sũt partes, *l. eius qui, § fin. ff. si cert. petat.*

3 Secundò Decretum, de quo agitur est nullum ex defectu substantiæ; atque adeò est contra naturam, & substantiam electionis: siquidem pro electo decernit post quintum scrutinium haberi eum, qui à maiori electorum parte fuerit electus. Etenim quòd fiat electio à maiori parte eligẽtium est ipsi essentiale; & iure quodammodò naturali sibi debitum: pugnat enim electionem esse factam, & non esse factã à maiori parte, cùm facta dici nequeat à toto Collegio, seu Vniuersitate, vt in *d. l. quod maior. ff. ad Municipal.* Hinc *Innoc. in c. quod sicut, nu. 8. de elect.* docuit electionem de iure naturali subsistere, si interueniat electorum consensus, qui tantùm eo iure expostulatur: & hunc quidem consensum ex maiori eligentium parte constare debere, rectè post *Bald. cons. 316. lib. 3.* declarat *Tusch. ver. Electio, concl. 6. num. 1 2. & 3.* his verbis: *Omnis electio ex duobus substantialibus consistit, ex substantia consensus, & ex substantia forma. Consensus substantia in eo consistit, quod maior pars consentiat electioni, itaut vna vox saltem requiratur vltra dimidiam: aliàs si fiant duæ electiones per vota paria, neutra valet.* Si igitur supradictum Decretum est nullum, atque inualidum ex defectu substantiæ, sine qua actus consistere non potest, vt per *Glos. in l pacta conuenta, ff. de cõtrah. empt. Menoch. cons. 37. nu. 6. Surd. cons. 318. nu. 26. in fine,* & alij communiter, extendi proculdubiò non valet: non enim pellis, quæ non est, distendi potest: siquidem paria sunt aliquid non esse, & inutile esse, vt in *cap. inter corporalia,* & ibi *Panor. nu 16.* & latè ad ipsum *Adden. de transl. Episc.*

4 Tertiò prædictum decretum est contra ius naturale, non solùm ex eo quòd est contra naturã, & substantiam electionis, verùm etiam quoniã est contra bonos mores; siquidem de facili contingere potest, vt electio senioris non solùm fit de minus digno; sed etiam de penitus indigno cõtra communem omnium Theologorum sententiam, qua tenemur eligere semper digniores; alias contra facientes, etiam si dignum eligant, mortale crimen cõtrahunt, vt latè probat *Azor. 2. p. Instit. moral. lib. 6. c. 15. q. 1. Mirand in Man tom. 2. q. 23. num. 13. Reginal. in sua praxi lib. 30. c. 14. n. 195. Vasq. de Benefic. c. 2. § 3. dub. 1. 2 & 3.* cum alijs, quos allegant. Dignior autẽ aliquo beneficio, vel officio is dicitur, non qui sanctior, aut doctior; sed qui ad officiũ, ad quod est assumendus aptior, & industria, ac arte alios antecellit. Siquidem contingere potest, vt quis non sit doctior, aut sanctior, & nihilominus sit magis idoneus fini, ad quem eligitur; atq; adeò à fine, ad quem eligitur, pensandus est eligendus, vt dignior censeatur, vt per *Azor. loc. cit. Reginald. d. lib. 30. n. 199 & Vasq. de Benefic. d. dub. 1. nu. 49.* vbi etiam admonet cauendum esse, ne peccator quantumuis industrius eligatur. Est tamen verũ, quòd cæteris paribus ex duobus idoneis semper probior est præferendus, vt patet ex ijs, quæ statuta fuerunt per s. m. Clem. VIII. *in Decr. de refor. nu. 36* ità se habentem: *Iurentque Electores secundùm veritatem cuiusq; conscientia probiores, ac magis idoneos se electuros: &*

prop-

propterea priusquam ad electionem deueniatur, in primis, & ante omnia prælegantur constitutiones de qualitate, ac requisitis eligendorum, ad officia, gradus, & Prælaturas illi præcipuè eligantur, qui possint, & consueuerint regulas ordinis, & constitutiones obseruare præsertim quæ pertinent ad seruitium Chori, ac vestitum, ac victum communem. Quod quidem Decretum proculdubiò comprehendit non solùm Consultoris Capitularis, sed etiam domorum vocalium capitularium electionem: hi enim verè dicuntur ad officia eligi, vt latè sup. ostendimus *Sec. præcedenti, ampl. 1. per totam.* Quibus adde, quod huiusmodi vocales capitulares, vt plurimum in Religionibus appellantur Syndici, seu Procuratores, vt testatur *Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q. 5. a. ar. 5. in fin.* at Syndicos, & Procuratores officia habere citrà omnem controuersiam docet *Archid. in c. 1. de consuet.*

5 Est quoq; contra bonos mores præfatum Decretum cùm aperiat viam fraudibus, & tribuat peccandi occasioné: nam professione antiquior, vt ipse electus remaneat, poterit in illis quinque scrutinijs ità votum suum variare, suffragandò modò vni, modò alteri, vt in eis nulla sequatur electio; atq; ideò ipse dolosè remaneret electus. Præterea professione antiquior poterit suffragari, si variare nolit, minus digno, vel cui credit, cæteros electores non suffragaturos; eo quòd careat requisitis debitis, quibus eligi valeat, vt ipse tandem tanquam senior electus foret. Rursùs in facultate senioris esset mittere ad Capitulum indignum, aut ipsum electum remanere. Hæc omnia cùm sint absurda, & cótra bonos mores, consequenter fit, vt sint irrationabilia, atq; ideò contra ius naturale, cùm ius naturale non sit aliud, quàm recta ratio, ac dictamen rationis: & propterea Decretum, de quo agitur, tanquam rationis expers, & iuri naturali contrarium, nullum, & inualidum, cùm nulla lex, aut consuetudo contra ius naturale subsistat, vt in *cap. non est peccatum, §. fin. iuncto c. qua contra*, & ibi *Doctor. 8. d.* proculdubiò nullam patitur extensionem. Et re vera non video quomodo præfatum Decretum ad electioné Capitularis Consultoris extédi possit, cùm ab eo tempore, quo fuit editũ à doctis viris tum ex nostris Patribus, tum etiã ex extraneis fuit habitum pro nullo, ac inualido: & ad id ostendendum nonnulli nonnullas iuriũ allegationes ediderunt, nec adhuc in praxi fuit deductum.

6 Nec obstat si dicatur, prædictum decretum posse extendi ad electionem Consultoris Capitularis ex identitate rationis, vt videtur sentire *P. Peregr. in suis Commẽtar. ad nostras Constit. p. 3. c. 1. §. 4. in fine;* quoniam respondetur, quòd dictum decretum cùm sit contra Canones, cótra leges ciuiles, & contra ius naturale, vt sufficienter sup. ostendimus, per consequens omni penitus caret ratione: siquidem quæ sunt contra ius canonicum, ciuile, ac naturale, sunt contra rectã rationem; nam ius naturale est recta ratio, seu ditamen rationis, vt sup. diximus, proueniens à lege Dei æterna, & est lex scripta in cordibus nostris: & ius Canonicum quamuis subalternetur iuri Diuino; habet tamen pro fundamento ius naturale; sicut & idem ius pro fundamento habet ius Ciuile: nam ob id ratio dicitur anima legis; quia, ea cessante, cessat lex. Si igitur Decretum prædictum omnis rationis est expers, non video quomodo extendi valeat ex identitate rationis. Præterea huiusmodi decretum est exorbitans, ac iuris correctorium, nec est per Rom. Pontificem confirmatum: ergò etiam si per impossibile daretur esse validum, ac rationabile, & à Rom. Pontifice ex certa scientia confirmatum, prout re vera omninò inualidum est, & omni penitus ratione, ac Pontificia confirmatione carens; adhuc tamen non extenderetur, non solùm ex identitate; sed nec quidem ex maioritate rationis: quia in exorbitantibus, & correctorijs non habet locum extensio, non modò si eadem, verùm nec si quidem maior militaret ratio, vt ex communi Doctor. sententia docet *Alex. in Auth. quod sine, num. 3. C. de testam. Corn. cons. 188. lib. 2. & Castr. cõs. 119. lib. 1.* dum ait, quòd statutum corrigens ius commune, quod frater non succedat, non habet locum in sorore, quamuis successio magis conueniat fratri ad agnationem conseruandam, quàm sorori. Demq; nulla potest excogitari rationis identitas, quæ Decretum illud ad Capitularis Consultoris electioné valeat extendi; quoniam illud decretum fuit editum, vt vocalium domorum vota paria forent in Capitulo Generali: quæ ratio cessat in electione Capitularis Consultoris. Non igitur ex identitate rationis extendi potest lex, quæ est contra iuris rationem, & quæ non solùm rationis identitate, sed omni penitus ratione caret, *l. quod verò contrà, ff. de legib.*

7 Neq; etiam refragatur, si quis dicat, quòd Decretum professione antiquiorem eo casu non decernit esse electum; sed haberi pro electo; atque ideò seniorem fingit electum, licèt non sit electus: quoniam respondetur, quòd Capitulum Generale fingendi facultatem non habet, cùm fictio sit opus solius legis, vt habetur per *Bart. in l. is qui pro emptore, num. 24.* vbi etiam *Ias. num. 175. de vsucap.* & alios apud *Gasper. Roder. in suo tract. de ann. reddit. lib. 1. q. 3. nu. 6.* Præterea vi fictionis huiusmodi decretum, de quo agitur, derogaret nostris constitutionibus 3. p. c. 1. per quas præscribitur Canonica tum vocalium capitularium, tum etiam capitularis Cõsultoris electio: quæ quidem cõstitutiones cùm fuerint per Romanum Pontificem ex certa sciẽtia confirmatæ, vim habent Pontificiarum constitutionum: At constitutioni ex certa scientia per Rom. Pontificem confirmatę, non potest derogari per aliam cõstitutionem, etiam si per Papam confirmata esset in forma communi: ergò tãtò minus potest ei derogari per dictum decretum, quod nullo modo fuit Pontificia auctoritate confirmatum. Rursus Decretum prædictum fictionem induceret irrationabilem; cùm fingeret, Capitulum Generale habuisse pro electo, quem non nouit cótra iuris dispositionem, personam cognitam ad electionem exposcentem, vt per *Abb. Panor. in cap. bonæ memoriæ, il 2. nu. 15. de postul. Prælat.* Demq; hæc ipsa fictio esset irrationabilis contra bonos mores, contra ius naturale, ciuile, & canonicum, sicut & ipsum decretum: & propterea nullam potest sibi vendicare extensionem, per ea, quæ sup. adnotauimus.

An

An illegitimus, per Comitem Palatinum legitimatus, Religionem ingressus, & in Discretum electus, vocem habeat tum actiuam, tum etiam passiuam.

SEC. XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Casus fingitur, & quæstiones proponuntur.*
2 *Per approbatæ Religionis ingressum an tollatur omnis illegitimationis irregularitas tum quoad Sacros Ordines, tum etiam quoad Prælaturas.*
3 *Comes Palatinus, cum dignitatem habeat sæcularem, ad Prælaturas Ecclesiasticas quemquam legitimare non potest*
4 *Supposita potestate Comitis Palatini, quod possit legitimare ad Prælaturas Ecclesiasticas potest taliter legitimatus eligi in Discretum, & in Prelatum.*
5 *Supposito quod non potuit N. taliter legitimari, vel quod non fuerit per Comitem Palatinũ legitimatus ad dignitates Ecclesiasticas, non potest iste N. eligi in Priorem, aliamq; Prælaturam, licet Religionem sit ingressus, ibique professionem emiserit.*
6 *Supposita nullitate supradictæ legitimationis, factæ per Comitem Palatinum quoad dignitates Ecclesiasticas, si fuerit electus in Discretum N. vocem nec actiuam quidem habet in Capitulo Prouinciali.*

1 CONsultus de sequenti casu, vt infra respondendum esse mihi censui. N ex patre coniugato, & matre libera natus, existens in sæculo, per Comitem Palatinum fuit legitimatus: deindè D. Augustini Religionem ingressus, & professus, fuit tandem electus in Discretum pro Capitulo Prouinciali. Quæritur modò de duobus. Primò, an in ipso Capitulo vocem actiuam habeat ad eligendum. Secundò, an possit promoueri in Priorem, aut ad alias Prælaturas Ecclesiasticas? Ex resolutione autem huiusmodi casus, Sectio prædicta sufficienter remanet explicata.

2 Pro cuius rei determinatione est adnot. quòd licèt per approbatæ Religionis ingressum nonnulli velint tolli omnem illegitimationis irregularitatem non solùm quoad Sacros Ordines; verùm etiam quoad omnes prælationes, ac dignitates; nihilominus in communi sententia. Et hodie absoluta est controuersia per Constitutionem Gregor. XIV. moderatem Bullam Sixti V. contra illegitimos Regulares promulgatam, & decernentem, legitimationem Regulariũ quoad dignitates, & Prælaturas vigore eorum priuilegiorum debere fieri cum Capitulo Generali, aut Prouinciali, seu intermedio, & non aliàs. Ex quibus verbis manifestè patet, ipsos illegitimos modò non fieri legitimos quoad Prælationes per professionem in approbata Religione emissam; sed ad Prælationes ipsas cum Religiosis illegitimis solus Pontifex dispensat: vel Religiones illæ, quibus ex speciali priuilegio dispensandi facultatem dedit, seruata supradicta forma à Gregor. XIV. præscripta, vt rectè declarat *Roder. tomo 1. qq. Regular. q. 13. ar. 5. & 6.*

3 Secundò est adnot. quòd dum supponitur, præfatum N. in sæculo permanentem, ante Religionis ingressum per Comitem Palatinum fuisse legitimatum, inspicienda est potestas legitimationis: siquidem Comes Palatinus cùm dignitas hæc sit sæcularis, non videtur posse legitimare illegitimos quoad Prælaturas, & dignitates Ecclesiasticas, cùm hec facultas non nisi à Rom. Pontifice tribui possit; sed tantùm quoad successiones, ac dignitates sæculares. Imò dato, quod Comes Palatinus ex priuilegio Rom. Põtificis absolutam potestatem habeat dispensandi cum illegitimis, eosdemq; legitimandi quoad omnes dignitates tum sæculares, tum Ecclesiasticas, ad successiones, & ad omnia munera; adhuc tamen inspiciendus esset legitimationis tenor: non enim pugnat, vt quis legitimari possit ad successiones, ac dignitates sæculares; sed non ad dignitates, ac Prælaturas Ecclesiasticas; cum hæ omnes sint inter se diuisæ, & ex vna nõ infertur alia. His breuitèr sic adnotatis, fit

PRIMA CONCLVSIO.

4 SVpposita potestate Comitis Palatini dispensandi cum illegitimis ad Ecclesiasticas Prelaturas, & dignitates, si N. existens in sæculo per ipsum Comitem fuerit legitimatus simplicitèr ad dignitates, & Prælaturas, Religiosus deindè factus, potest in sua Religione in Discretum, & Prælatum eligi citra nouam dispensationem: siquidem per huiusmodi legitimationẽ redditur simpliciter habilis ad omnes Prælaturas, & dignitates Ecclesiasticas, tam sęculares, quàm Regulares. Etenim illegitimus dispensatus in sæculo, vt beneficiũ curatum obtinere possit, Religiosus postea factus, licèt indigeat noua dispẽsatione, vt possit esse Prælatus Regularis, vt habetur ex *Nauar. lib. 4. consil. tit. qui fil. sint legit. cons. 2. in prima impressione*; nihilominus si in sæculo existens legitimatus fuerit ad quæcumque beneficia, & qualiacumque, per hæc verba redditur simpliciter habilis ad omnia, & quæcumque de iure canonico erat habilis; atq; ideò Religiosus factus, potest in sua Religione citra dispensationem aliquam Prælatus esse, vt benè probat *Rodriq. d. q. 13. art. 10. col. penult. vers. Quo posito.*

SECVNDA CONCLVSIO.

5 SVpposito, N. in sæculo permanentem non potuisse legitimari, aut si potuit, non fuisse legitimatum per Comitem Palatinum ad dignitates, ac Prælaturas Ecclesiasticas, tunc proculdubiò licèt fuerit per Comitem Palatinum legitimatus, Religionem deindè ingressus, & si professionem emiserit; nõ tamen poterit in Priorem, aut in aliam Prælationem eligi. Etenim, vt sup. ostendimus in 1. not. illegitimus per Religionis ingressum, eiusdemq; professionem non censetur legitimatus ad Prælaturas, ac dignitates Ecclesiasticas, & Regulares; sed vt ad eas promoueri possit, indiget Pontificia dispensatione: vel si ipsius Religio ex priuilegio hanc facultatem habet, debet cum eo dispensare in Capitulo

in Generali, aut Prouinciali, vel intermedio Capitulo, aut Congregatione intermedia, & nō aliàs, iuxta supra relatam constitutionem à Gregor. XIV. editam. Quod quidem adeò verum est, vt si illegitimus in Capitulo Generali, Prouinciali, aut intermedio vt sup. scienter in Prælatū eligatur, non præterea dispensatione, quamuis quoad forum interius remaneat dispensatus, si talis fuerit Patrum intentio, per ea, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 25. num. 64.* nihilominus quoad forum exterius electio nulla est, vt post eundem *Nauar.* docet *Rodriq. d. q. 13. art. 16.* Siquidem ait, hanc esse differentiam inter Papam, ac Prælatos inferiores, quod Papa præbens aliquid ei, quem scit iure humano ad id inhabilem, cùm sit super omnia iura ipso facto sine dispēsationis expressione censetur habilem facere. At Prælati inferiores id non possunt, cùm citra legitimam causam in iure communi non valeant dispensare. Et multò magis electio illegitimi in Prælatum erit nulla, si natalium defectus Electoribus fuerit occultus; quoniam tunc nullo modo censerentur cum eo dispensare.

TERTIA CONCLVSIO.

6 SVpposita nullius momenti suprad. dictiN. legitimatione habita per Comitem Palatinum quoad dignitates, & Prælaturas ecclesiasticas ex vi electionis in Discretum, ipse N. nec actiuam quidem vocem habet ad eligendum in Capitulo Prouinciali. Etenim quamuis Discreti, qui vocē tantùm actiuam habent in Capitulis possint in Discretos eligi ad Capitulum Prouinciale citrà illegitimationis dispensationem aliquam, cùm huiusmodi munus non sit dignitas, neq; prælatio, neq; personatus cum iurisdictione ordinaria; nihilominus quia ex institutione supradictæ Religionis D. Augustini, & aliorum Discreti nō solùm habent vocem actiuam in dicto Capitulo, verùm etiam passiuam; ratione cuius possunt eligi in Definitores, Priores, &c. qui de corpore Capituli eliguntur, non possunt illegitimi in Discretos eligi antequam cum ipsis dispensetur, vt in terminis nostris probat idem *Roderiq. q. 13. ar. 19.* vbi id verum esse ait, etiam si illegitimi in Discretos ad Prouinciale Capitulum electi vocem passiuam renunciarent, ratione cuius non poterant eligi, nisi dispensatione præuia: siquidem dicto iuri Discreti renunciare non possunt, cùm vox passiua illis non solùm in eorum fauorem concedatur; sed etiam in fauorem Conuentus eligentis. Et ità, &c.

An in electione per calculos si in vrna reperiantur vnus, vel etiam alter calculus supra numerum Electorū, quibus tamen demptis maior pars consentiat eligendo valeat illius electio.

SEC. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Tum in Capitulis domorum, tum etiam in Capitulo Generali, multa solent per calculos albos, & nigros definiri.*
Et proponitur casus.

2 *Duo vota inutilia satis non sunt ad annullandam electionem factam à maiori parte votorum vtilium. Vtile enim per inutile non vitiatur.*
An valeat Authoritas præstita à duobus Tutoribus, quorum vnus erat legitimus, alter verò illegitimus.
Proponuntur duo alij casus, in quibus vtile non vitiatur per inutile.

3 *Electio, quæ in sua essentia habet debitam formam, non vitiatur per id, quod inutiliter additur.*

1 SOlent in Capitulis domorum, ac etiam Capitulo Generali nonnulla definiri per calculos albos, ac nigros. Accidit in quadam domo, in qua cùm essent congregati capitulariter sexaginta vocales proposito negotio, & satis secretò calculis, fuerunt reperti à Scrutatoribus in vrna calculi sexaginta duo 38. scilicet pro negotio, & conclusione ipsius, & sic pro parte affirmatiua: & 24. pro negatiua, atque ideò pro eiusdem negotij exclusione. Fuit quæsitum, an standum sit definitioni Capituli factę per prædictos 38. non obstantibus duobus calculis superfluis in vrna repertis: an sit declaranda definitio ipsa nulla, ac inualida.

Fuit responsum, determinationem prædictam factam per 38. calculos esse validam, atq; ideò negotium fuisse ritè, & rectè conclusum, non obstantibus dictis duobus calculis superfluis in vrna repertis. Etenim quamuis duo calculi appareant vltrà numerum Electorum; determinatio tamen fuit facta à maiori parte Capituli; etiā illis duobus superfluis non numeratis: quoniam de iure in Vniuersitatibus, & Collegijs regulariter præualet id quod fit à maiori parte, & quādo concurrunt alia requisita, vt *in cap. 1.* & ibi *Panor. in princ. de his, quæ fiunt à maiori par. Capit. cap. dudum il 1. & cap. Ecclesia vestra, de elect.* & eo maximè quando id fit per vota secreta, in quibus non habetur ratio meriti, ac zeli, vt habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tract. 6. c. 16. num. 144.*

2 Et quamuis dicta duo vota sint inutilia; nihilominus satis non sunt ad annullandam determinationem iam factam à maiori parte votorū vtilium; siquidem de iure, quando vtile potest separari ab inutile, vt in *cap. vtile,* & ibi *Dyn. & Doctor.* communiter, *de regul. iur. in 6.* Ob id si in contractu pupilli interponant auctoritatem duo Doctores, quorum alter esset verus, ac legitimus, & alter falsus, & illegitimus; contractus tamen erit validus ratione legitimi tutoris; licèt interuenerit in eo etiam falsus tutor; quoniam falsus tutor potest separari à legitimo, vt in *l. 1. § Sed Pomponius, ff. quod falso tut. auct. &c.* Sic etiam si quis in testamento ita dixerit: Volo, vt hæres meus, & Hispaniarum Rex dent decem aureos Francisco, legatum est validum respectu hæredis, ita ut hæres remaneat obligatus præstare legatum Francisco, non autem Hispaniarū Rex, respectu cuius legatum est inutile; eo quod Hispaniarum Rex, qui non poterat à testatore grauari, potest separari ab hærede, qui poterat à testatore grauari, vt in *l. si duobus, § heres ff. d legat.*

legat. 1. Denique donatio excedens summam quingentorum aureorum facta absque interuētu Iudicis, licèt nulla sit pro ea quantitate, quæ excedit dictam summam; valet tamen pro quingentis aureis, quia vtile per inutile non vitiatur, *l. sancimus, C. de donat.* Quòd si hæc vera sunt in dictis casibus, vera etiam erunt, quæ dicimus de electione, quæ agitur, vt in specie habetur ex *Anton. de Butr. in cap. Massana, in fine, de elect.*

3 Confirmatur nostra conclusio ex eo, quod dicit *Bald. in d. c. Massana, in fine, de elect.* quòd quando electio in sua essentia principali habet debitam formam, qualis est electorum consensus collegialiter, vt sæpè diximus, non vitiatur ab eo, quod inutiliter additur, ad quod allegat *tex. in l. eum, qui ita, §. te, & Titium, ff. de verb. obligat.* Non igitur vitiatur determinatio de qua agitur, quæ in sua essentia principali non peccat, cum habeat consensum electorum pro maiori parte, datum capitulariter: licet duo calculi inutiliter fuerint additi.

Denique patet hæc ipsa conclusio ex ijs, quæ infra dicemus in sequenti sectione, vbi agemus de eo, qui in vrna dolosè non posuit calculum nigrum, nec album.

An si vnus ex electoribus dolosè in vrna calculum nō intulit album, nec nigrum: & maior pars electorum fuerit suffragata pro negotio proposito sit valida determinatio. SEC. XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Affertur breuiter responsio affirmatiua.*
2 *Licet de iure schedulæ albæ non numerentur, ex vi tamen nostrorum Decretorum numerantur.*
Adducuntur verba Decretorum.

1 AD difficultatem respondetur breuiter affirmatiuè, vt post alios probat *Molfes. p. 1. suæ summ. tr. 6. cap. 16. num. 111.* vbi eo casu inquit, vnum ex electorum numero de iure esse auferendum, & tunc si maior pars electorum consenserit pro negotio proposito, negotiū iam erit legitimè definitum. Idem dicendum putat idem *Molfes. ibidem, num. 45.* de electione, quæ fieret per schedulas, & vna schedula in vrna reperiretur alba, aut plures: quoniam ex numero electorum tot sunt auferendi, quot sunt schedulę albæ, ac si electioni non interfuissent: & si maior pars electorum cōcurreret ad electionem vnius, ille erit electus. Et id non alia ratione, nisi quia re vera maior pars electorum fuit suffragata in fauorem illius: & qui vti fuerunt schedulis albis inter electores non connumerantur, cùm sint inutiles, atque inanes; sicut superiori *sect.* diximus de calculis supra numerum electorum in vrna repertis, qui non connumerantur, atq; ideò quod vtile est separatur ab inutili, iuxta regulā, *cap. vtile,* & ibi, *Dyn.* & alij, *de regul. iur. in 6.*

2 Est tamen verum, quòd licet de iure schedulæ albæ non numerantur, vt probat *Molfes. loco cit. sub num. 111.* Ex vi tamen nostrorum *Decret. 3. p. cap. 1. num. 6.* numerantur, his verbis: *Si fortè reperiatur aliquando à scrutatoribus alba schedula in electione vocalis, ille erit electus, in quem maior consenserit numerus eligentium; nempè vocalium, qui in d. Capitulo pro electione interfuerunt: numerato nimirum inter vocales supradictos etiam eo, qui alba schedula vsus fuerit.* Quod Decretum cùm in specie loquatur de electione vocalis Capitularis, puto non esse extendendum ad alias electiones, sed attendendum esse ius commune, cùm in exorbitantibus non habeat locum extentio, etiam ex maioritate rationis, vt supra ostendimus *sec. 28 vers. Nec obstat.* Imò si dictum Decretum non est confirmatum à Rom. Pontifice, id arbitror non subsistere, cum nostra Congregatio non habeat potestatem statuendi contra ius Canonicum, vt ostendimus supra *d. sec. 28. vers. Ad hanc difficultatem.*

An vocales in eligendo possint sibi inuicem schedulas, aut calculos citra culpam ostendere. SEC. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *In electionibus, quæ per vota secreta fiunt, non possunt vocales schedulas, & calculos sibi ostendere citra culpam.*
Et an peccent mortaliter.
2 *Non solum peccant vocales si schedulas sibi ostendant, sed etiam nulla est electio.*
3 *Pœna contra electos per vota non secreta non solum locum habet contra Superiores masculos, sed etiam contra fœminas Regulares.*
4 *Non solum peccant mortaliter vocales in eligendo, ostendentes sibi schedulas, electique incurrunt pœnas prædictas, ac electio fit irrita, sed etiam si fit electio per schedulas aliquo signo patenti signatas.*
5 *Non habet locum conclusio in eo electore, qui simplicem ostensionem fecerit schedulę alteri secreto, ad finem, vt videat quem ipse eligat.*
6 *Vbi electi aliqui fuerint ab electoribus, qui omnium vota recipiant, eiusmodi electio reputatur secreta, & Canonica.*
7 *Disposita per* Concil. Trid. *locum habent in electionibus, quę fiunt per scrutinium, nō autem in electione per compromissum.*
8 *Conclusio in quibus electionibus locum sibi vendicet.*

1 AD hanc controuersiam respondetur, quod in electionibus, quæ per vota secreta fieri pręcipiuntur, ac mandātur non posse vocales schedulas, & calculos in eligendo citra culpam sibi ostendere. Etenim leges Canonicę maximè si sint præceptiuæ obligant ad earum obseruantiam sub culpa mortali, etiam si pœnales sint, vt ostendimus in nostris *Comment. in Bull. Cœnę, lib. 3. § 8. q. 2. nu. 33.* Hinc sequitur, quod *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 6.* cùm præcipiat electionem Superiorum Regularium, & eorum

eorum officialium fieri per vota secreta, electores si ostendant sibi schedulas, proculdubio peccant mortaliter, quoniam tunc electio nō diceretur fieri per vota secreta; eo magis, quia Concilium ibi id districtè præcipit, vt in illis verbis: *Districtè precipit omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina nunquam publicentur*. Et multò magis peccant vocales nostræ Congregationis, qui in eligendo Discreto in particularibus eiusdem Cōgregationis domibus, aut in electionibus in Capitulo Generali faciēdis ostendunt sibi schedulas, & calculos: siquidem extat Decretum Capituli Generalis anni 1621. de quo 3.p. *Decr.c.1.num 11.* cuius vigore, iuramento se astringūt non contrauenite, ita se habens: *Antequam ad quamuis electionem in Capitulo Generali per secreta suffragia, vel in priuatis domibus ad vocalem eligendum Capitulo Generali interfuturum, deueniatur, singuli vocales in manibus Presidis, aut P. Generalis in Capitulo Generali, vel Prepositi in suis Domicilijs, iurent ex prescripta forma se nimirum minimè, nō modo ante, verum nec post ipsam electionem, nec directè, nec indirectè, seu quouis alio pacto schedulam ostensuros, quo significent, cui suffragati, vel refragati fuerint*.

2 Ampliatur hæc conclusio, vt vocales ostendentes sibi schedulas, non solum peccent, vt supra ostendimus, sed etiam electio est nulla, ac irrita, & electi grauiter puniūtur, vt patet ex eodem *Conc.Trid.* ibidem in illis verbis: *Si vero contra huius Decreti Constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit: & is, qui ad hunc effectum se in Prouincialem, Abbatē, aut Priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat. Facultatesque super his concessa eo ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ concedantur, tanquam subrectitiæ habeantur*.

3 Secundò ampliatur, vt pœnæ contra electos per vota non secreta, & sic per ostēsionem schedularum non solum locum habeant contra Superiores masculos, sed etiam contra Regulares fœminas: quia vi d. Concilij præcipitur electiones fieri per vota secreta, tam Superiorum Regularium masculorum, quam fœminarum, vt constat ex illis verbis *d.cap.6.in princ.* ita se habentibus. *In electione Superiorum quorumcumque Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque aliarum Prepositarum, &c.* Nec obstat si dicatur, quod ipsum Concilium in statuendis pœnis loquitur tātùm de Prouinciali Abbate, ac Priore, & sic de Regularibus masculis; quoniam respondetur, quòd masculinum a lege, vel Canone prolatum, etiam in pœnalibus concipit fœmininum, quando pœnæ statutæ masculis conueniunt etiam fœminis. Hinc excommunicatio lata contra quencunque percutientem Clericum, non solum alligat masculum percutientem Clericum, sed etiam fœminam, vt in *cap si quis suadente Diabolo*, & ibi, *Archid.* & alij 17.q 4. Et sub edicto lato contra quoscunque corrumpentes album Prætoris, comprehenduntur non solū masculi, sed etiā fœminæ, vt in *l.si quis id quod*, & ibi *Doctor.ff.de iur isd.omn.iudic.* & nos latè de hac re egimus supra *tom.1.* §.1. *disp.1.sec.4.*

4 Tertiò ampliatur, quod nō solùm in eligendo vocales ostendentes sibi schedulas, peccāt mortaliter, & elect. incurrunt supradictas pœnas, ac electio sit irrita; sed etiam si per schedula aliquo patenti signo signatas, vt innotescat scrutatoribus, vel vni ex illis, quod electores eligunt illos nominatos ex schedulis: siquidem huiusmodi electiones non sunt secretæ, & contra dispositionem *Conc.Trid.* atque ideò sic electum factum de hoc certum teneri resignare Prælaturam, siue officium, vel petere a S.Pontifice confirmationem cum dispensatione. ita *Emman.Rodriq. tom.2 qq.Regular.q.52 ar,9.* & alij, quos refert, & sequitur *Barb. in addit. ad alleg.100. litt. A. de offic, & potest. Episc fol mihi 923.*

5 Sic ampliata limitatur hæc conclusio, vt locū non habeat in eo electore, qui simpliciter ostensionem schedulæ fecerit alteri secreto ad effectū, vt videat quem ipse eligat, quoniam id non tollit, quin electio subsequens immediatè sit secreta, vt habetur ex *Nauar.conf.7.in antiq.& 4.in nouis, de elect. Rodriq in summ.par.1. cap.102. de elect.num 4.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Barb.loco citato, & P. Molfes p.1. sua sum. tr.6 cap.16.num.153* qui tamen volunt ad irritandam electionem exigi publicationem maioris partis suffragiorum, atque ideò si vna, vel altera schedula ostendatur, non ita erit dicendum, cùm electio, adhuc diceretur secreta. Imò *Molfes.ibidem, num.154.* probat, electionem dici secretam ad mentem *Trid.* quoties, ad scrutatorū aures singuli electores nominant personam eligendam, ad quod adducit duas declarationes Sacræ Congregationis, quoad electionem quoque Abbatissarum idem statuentis. Puto tamen ex vi dicti Decreti nostræ Congregationis non excusari à periurio, etiam si vnus tātum ex electoribus ostendat schedulam, qua significet cui suffragatus, vel refragatus fuerit, vt consideranti patet. Et id maximè verum esset, quando ostensio cedulæ vnius, aut plurium est realis causa, vel præsumptiua rationabiliter, quòd electio sequatur in hanc, vel illam personam particularē ex vi talis ostensionis, vt per *Barbos.loco citato, vers. Puram circa fin.* qui in hoc casu putat esse intelligendam Rot. Rom. in illa Tricueten. Abbatiæ S.Maximi, dum ait, electionem esse nullā, etiam si vnum tantùm suffragium publicetur. Putat tamen ex *Castell. de elect cap.4.num.61.* vt attenta dispositione *Conc. Trid.* si post electionem factam in Bullis confirmationis, seu patentibus exprimerentur nomina eligentium, electio esset nulla.

6 Secundò limitatur vbi electi fuerint ab Superioribus aliqui, qui vota omnium eligentium recipiant; quoniam eiusmodi electio æstimatur secreta, ac Canonica, vt habetur ex *Garz.de benefic par 5.cap.4.num.189. Riccius in decis Curiæ Archiep. Neap. dec.197.* & ex alijs apud eundē *Barb.ibid sub litt.B vers. Si electi.*

7 Tertiò limitatur, vt disposita per *Concil.Trident.* locum habeant in electionibus, quæ fiunt per scrutinium; nō autem in electione per compromissum, vt per *Barbos loco citato, vers. Eligentes, sub litt B. in fine*: qui pro hac re allegat *Nauar.conf 4.in antiq.& 9. in nouis, de elect.*

8 Quartò limitatur ipsa conclusio, vt locum sibi vendicet in electionibus personarum, qua-

 rum

rum meminit *Conc. Trid.* & in nostra Congregatione in electionibus in supra relato Decreto contentis: in reliquis autem, si non adsit alia particularis ordinis, seu Congregationis Constitutio, quæ aliter statuat, si electores in eligendo schedulas, aut calculos sibi ostendant regulariter puto eos non peccare, nec electionem esse irritam: quia in odiosis fieri debet stricta interpretatio, *c. odia, de regul. iur. in 6.*

Multa quoque *seq. sec.* dicemus, quæ communia sunt vocalibus particularium Domorum, & propterea hic prætermittimus, ne bis idem repetere videamur.

De vocalibus, qui vocem habent in Capitulo Generali, & eorum culpis. SEC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Ad Capitulum Generale, qui nam aduocentur.*
2 *Conuocato Capitulo Generali, ante omnia legitimari solent vocales.*
Et in quibus peccare possunt.
3 *Peccant vocales, ad quos pertinet Capituli Generalis conuocatio, si aliquem vocalem scienter omiserint aduocare.*
4 *Vocatio absentium, licet non sit de substantia electionis, est tamen de iustitia.*
An si non vocati prosequantur contemptum possit electio retractari.
5 *Cum aliquis ex electoribus reperitur infirmus an, & quando nominare potest aliquem de eodem Collegio.*
6 *Peccant vocales ad Generale Capitulum congregati, si compromittant in aliquem ius eligendi, vno ex eis discrepante.*
7 *Peccant vocales congregati ad Generale Capitulum, si ad dignitates, ac officia Ecclesiastica, indignos eligant, ac etiam priuati sunt pro ea vice potestate eligendi.*
8 *Peccant vocales ad Generale Capitulum congregati, si eligant sollicitantem pro sua electione.*
9 *Peccant vocales congregati ad Generale Capitulum, si eligantur ipsi, vel alij simoniacè.*
Et quid sit simonia in electionibus.
10 *Peccant vocales ad Generale Capitulum congregati, contra aliquem conspirantes, & simul iurantes aliquem dignum non eligere.*
11 *Peccant vocales ad Generale Capitulum congregati, ad vitã, & mores Sacerdotum scrutandos, qui etiam crimina priuata reuelent, & quæ non tendunt ad perniciem publicam.*
12 *Capitulares prædicti cõtra prædictam doctrinam facientes tuti non sunt in conscientia.*
Nec ex dicto vnius, vel alterius, & neque ex plurium singularium reuelantium occulta crimina ex numero vocalium quis remoueri potest.
13 *Quid statutum sit in nostra Cõgregatione circa suffragia ferenda, & scrutinium faciendũ.*
14 *Dicto vnius non est standum, quoad crimina occulta, etiam circa Præpositos eligendos singularium Domorum, Visitatores Prouinciarũ, ac Consultores.*
15 *Peccant vocales congregati ad Generale Capitulum, compellẽtes aliquem minis, aut alio quouis modo ad suffragandum pro certa, ac determinata persona.*
16 *Peccant vocales ad Generale Capitulum congregati si nullo præmisso tractatu eligant Generalem, Consultores, Definitores, aut Præsidentem.*
17 *Peccant vocales ipsi, si concurrant ad statutũ faciendum, vt habentes electionem teneantur certam nominare personam.*
18 *Peccant vocales huiusmodi, si in electione discordantes, vt electio fiat per sortes, conueniãt.*
19 *Peccant vocales electi, vt Capitulo Generali intersint, si citra rationabilem causam se excusent, vel recusent, Capitulum ipsum adire, vel ei interesse.*

1 Tractauimus supra de vocalibus particularium Domorum Regularium; modo cõpetenti ordine videndum est de vocalibus, qui vocem habent in Capitulo Generali, an, & quãdo vt tales sunt, culpam contrahant. Ad Capitulum Generale, vt diximus supra *sec. 20.* aduocantur multi, ac diuersi Regulares, iuxta varias, ac diuersas Religionum Constitutiones, ac decreta: & propterea in ijs non potest assignari certa Regula. Vt plurimum autem vltra P. Generalem aduocantur Prouinciales, Præpositi, seu Priores, Guardiani, Abbates, Visitatores, & Discreti, quos singulæ Prouinciarum domus sibi deligunt, vt Generali, aut Prouinciali Capitulo valeant interesse. Multa possunt dici de huiusmodi vocalibus, quæ supra diximus de particularium domorum vocalibus agentes, *sec 20. cum plur. seq.* Nos igitur hoc loco cumulabimus ea, quæ solent in Generali Capitulo pertractari: nã cùm in multis conueniant cum ijs, quæ tractantur in Prouinciali, de vocalibus Prouinciali Capitulo interessentibus verba facere prætermittimus.

2 Conuocato igitur Capitulo Generali, cùm ante omnia legitimari soleant vocales, ne quis Capitulo interueniat, qui de iure, aut ex vi Constitutionum Ordinis impediatur suffragium ferre; possunt in primis peccare vocales si suffragiũ ferant pro legitimatione alicuius, qui interesse non debeat, aut contra aliquem, qui Capitulo debeat interesse; vt cùm agatur de re graui, tum ex parte communis Religionis boni, tum etiam ratione legitimati, cùm non debuerit legitimari, vel è contra, proculdubio peccant mortaliter si scienter, ac dolosè id agant; aut ex ignorantia crassa, vel affectata; quia huiusmodi ignorantia æquiparatur scientiæ, ac dolo, vt in *l. cedere diẽ, § vlt. l. lata, & l. magna, ff de verb. signif.* Secus autem si ex ignorantia probabili errẽt, quoniam ignorantia probabilis etiam iuris excusat à culpa, vt latè de hac re egimus in nostris *Cõmentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 2 q. 5 num. 16.*

3 Secundò peccant vocales, ad quos pertinet Capituli Generalis conuocatio, si aliquem vocalem scienter omiserint aduocare: siquidem Capitulum celebrari debet, præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, ac possunt congruè interesse; idest habentes vocem de iure communi, vel speciali, vt in *cap. cum Ecclesia sutrina, de causa possess. & propriet. cap. 1. de elect. & c. quia*

propter,

propter, & ibi *Panor. & alij, eod. tit.* qui tamen *num.* 12. addit, quòd non ob id aliquorum contemptus inducit nullitatem electionis; quia aduocatio absentium non est de forma substantiali, vt *in c. sicut, c. bone, & c. Ecclesia, 2. tit. cit.* Imò *Ioan. Andr.* relatus ab eodem Panor. ibi, inquit, non valere decretum, seu statutum Episcopi, & Capituli inducens nullitatem propter defectum aliquorum non aduocatorum: quia non potest statutum eiusmodi immutare formam *d. c. quia propter;* & sic non potest infringere electionem validam, nec validare nullam: siquidē constitutio inferioris non potest immutare, nec detrahere in aliquo constitutioni Superioris, vt in *Clem. nè Romani, de elect.*

4 Est tamen verùm, quòd licèt vocatio absentiū non sit de substantia electionis; Est tamen de iustitia, & ideò si non vocati prosequantur contemptum, potest electio retractari. Quod puto verum, quando non vocati poterant commodè interesse, si vocati fuissent. Vndè si non poterant commodè vocari propter nimiam distantiam, potest electio sine illorum præsentia fieri, & legitimè facta non potest amplius retractari ex capite contemptus, vt habetur ex eodem *Panor. in d. c. quia propter, sub num.* 5. vbi etiam, & sub *num.* 4. ait, quòd illi qui nolunt Capitulo interesse, non debent compelli, nisi intersit Ecclesiæ; nam tunc possunt cogi, nec debent computari in numerum duarum partium; atque adeò non oportet, quòd congregentur duæ partes, ex quo aliqui facientes duas partes nolunt interesse. Quocircà cùm dicitur, quòd ab initio debent duæ partes Vniuersitatis conueniri, vt in *l. nulli, & l. planè. ff. cuius. Vniuers. nom.* id intelligendū est in electionis negotio de duabus partibus eorum, qui volunt, ac debent, & possunt commodè interesse: quod est valdè notandum.

5 Cùm autem aliquis ex Electoribus in eodem Monasterio infirmus reperitur (si non est ei prohibitum per particulares constitutiones) potest nominare aliquem de eodem Collegio, qui nomine suo suffragium ferat: vel ad eum possunt mitti scrutatores, qui ab ipso suffragium suscipiunt. Vel se potest pro illa vice ab eligendi munere abdicare, quod tutius est, quando electionis causa discussionem exigit, vt habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. c. 16. num* 82. 83. & 84. & ante ipsum *Syl.* post *Hostien. & Inn. ver. Electio 1. num. 6.* Hinc est, quod hoc casu Patres Capituli non tenētur ire ad cubiculum infirmi, & ibi tractare ea, quæ capitulariter sunt tractanda; sed satis est, quòd scrutatores si sint de corpore Capituli, & si scrutatores non sint de Capituli corpore, duo vocales de eiusdem corpore, mittantur ad infirmi cubiculum, cui referant, quæ in scrutinio dicta sunt; & deindè eiusdem votum requirant, vt habetur ex P. *Peregr. in suis Commentar. ad nostras Constit. p. 3. cap. 9. vers. Vnà conuocet, litt. H. fol.* 357. Et ita ego vidi seruari in nostra Congregatione tum in Capitulo Generali, tum etiam in Capitulis particularium domorum; siquidem præsens dicitur esse non solùm, qui est in eadem domo, sed etiam, qui est in hortis, vt in *l. 1. iuncta l. 5. ff. de procurat.* Vndè cùm hæc praxis sit secundùm iuris dispositionem, illi standum est: eò magis, quia per nostra decreta 3. *par. Decr. c. 7. num. 23. in fine in* 2. *impress. fol.* 22. fuit definitum, vt eo casu cum ægrotis agatur, prout de iure.

6 Tertiò peccant vocales ad Generale Capitulum congregati compromittentes ius eligendi in alterum, aliquo ex eis discrepante: siquidem ad validitatem compromissi requiritur consensus omnium, & singulorum; atque ideò vnus solus potest impedire, ne fiat compromissum super electione; quoniam singulorum interest, ne quis priuetur voce sua, vt in *d. cap. quia propter,* & ibi *Panor. de elect.* vbi etiam inquit, quòd nō valet pactum in compromisso, vt eligatur certa persona, *arg. tex. in l. quidē, & in l. item si vnus, ff. de arbitr.* Quod tamen quomodo procedat, benè declarat *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. c. 16. à num. 95. vsq; ad num.* 115. Quod diximus de electione per compromissum, vt exigatur omnium consensus, extendimus ad electionem per accessum: & id maximè in nostra Congregatione ex vi *nostr. Constit. 3. par. c. 1. §. nulla,* in illis verbis: *In nulla vnquam electione possit quis accedere ad seipsum augēdo numerum, & electionem perficiendo, nisi prius omnes, & singuli Electores id fieri consentiant.* Vndè supradicta locum sibi vendicant non solùm in electionibus, quæ fiunt in Capitulo Generali; sed etiam in alijs electionibus.

7 Quartò peccant vocales ad generale capitulum congregati eligentes ad dignitates, & ad officia Ecclesiastica sciētèr indignos, & insuper priuati sunt pro prima vice potestate eligendi, vt in *cap. cum in cunctis, de elect.* atque ideò si omnes electores scienter elegerint indignum, deuoluitur electio ad Rom. Pontificem, & si aliqui tantùm id faciant, electio deuoluitur ad reliquos de Collegio, qui id ignorarunt, *c. quamquam,* & ibi *Glosa, de elect. in 6. Azor. p. 2. Instit. moral. lib. 6. c. 14. q. 8. §. ius autem, vers. Et qui scienter.* Imò si maior pars Capituli scienter eligit indignum, valet electio de digno à minori parte facta, vt in *c. congregato, de elect.* Itē peccant etiam mortaliter eligentes dignū, omisso digniori, vt latè probat *Lelius Zecch. par. 2. sua sum. de accept. person. c. 77. & P. Molfes. p. 1. sua sum. tr. 6. c. 6. n. 58.* vbi hanc esse communē opinionem testantur, & declarant, quisnam dicatur dignior, & quando citra culpam eligi possit aliquando dignus, omisso digniori: quibus adde quæ supra cumulauimus *disp. 4. sec. 8. & disp. 6. sec. 9.*

8 Sextò peccant vocales ad Generale Capitulum congregati eligentes solicitantem pro sua electione; quoniam scienter dicuntur eligere indignum: siquidem eo ipso quod quis solicitat electores pro sua electione ad aliquam dignitatem, reddit se ad illam indignum, quia probatur ambitiosus, vt in *c. per inquisitionem,* & ibi *Panor. num. 5.* & alij *de elect.* quod tamen declara iuxta ea, quæ sup. adnotauimus *sec. 13. & 14. vers. Consultores igitur.* Ob id adest Decretum in Generali Capitulo editum 3. *p. c. 10. num. 2.* tenoris sequentis: *Nemo insuper nostrum palam, vel occultè petat, aut ambire audeat, vt Præpositus, aut Visitator, aut Definitor, aut Consultor, aut Vicarius, aut Magister Nouitiorum, aut vocalis ad Generale Capitulum interfuturus ipse creetur. Vel vt ad ferenda suffragia, confessiones audiendas, sacrosuè Ordines suscipien-*

dos admittatur. Qui secus fecerit, non modò inhabilis ad id muneris eo anno habeatur, verùm & alia etiam pœna Superioris arbitrio decernenda puniatur. Quod quidem decretum quomodo sit intelligendum, *d. sec.* 13. declarauimus.

9 Septimò peccant vocales ad Generale Capitulum congregati, si eligant, vt eligantur ipsi, vel alij iuxta ea, quæ sup. adnotauimus *sec. 14. vers. Consultores igitur: vers. Secundò peccant: & vers. Tertiò peccant.* Hi enim, vt plurimum in crimen simoniæ incidunt, vt diximus *d. sec. 14. vers. Tertiò peccant, & sec. 20. vers. Quartò peccant.* Hanc culpam de facili possunt eiusmodi vocales contrahere si occæcari sinant ab ambitione, & dominandi desiderio. Etenim simonia est citra omnem controuersiam in electionibus ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas pactũ, vt alter in vna electione suffragetur vni, & alter sibi, vel alteri, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 23. sub num. 100. vers. Secundò quod:* ibi, Nam cùm quis: *& cons. 21. alias 8. de sim.* quem refert, & sequitur *Zecch. p. 2. sua sum. de sim. c. 94. sub num. 29* & ante ipsos *Syl. in sum. ver. Simonia q. 13. vers. Quartum.* Ob id inquit *Nauar.* & alij, quòd taliter electi sunt excommunicati, & ante excommunicationem celebrantes, efficiuntur irregulares: & tertius, qui sciat vi talis conuentionis fuisse electum, statim tenetur renunciare: siquidem eo casu datur ius spirituale cum onere, vt fiat aliquid quasi pro pretio rei spiritualis, vel causa principali immediata eam habendi, vt inquit *Nauar. in Man. loco cit.* Et quamuis *Zecch. d. c. 94. num. 7. vers. Hæ tamen pœna videatur tenere*, eiusmodi pœnas procedere in simonia commissa in ordine, vel beneficio ecclesiastico, aut si fiat in ingressu Religionis cùm sit loco beneficij; nihilominus quicquid sit de eius opinione, eo modo eligentes, & scienter electi pœna saltem extraordinaria veniunt plectendi.

10 Octauò peccant vocales ad generale Capitulum congregati, contra aliquem conspirantes, & simul iurantes aliquem non eligere, cùm tamen sit dignus, iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus, *sec. 14. vers. Secundò peccant, sec. 15. vers. Sextò peccant, & sec. 20. vers. Peccant igitur primò.* Dixi: *Cùm tamen sit dignus*, quia si conspiraręt contra indignum nullam culpam contraherent, quin potius pręmium merentur. Nam licèt conspiratio sonet in malum; nihilominus datur etiã conspiratio bona, vt in *c. sanè, 16. q. 1.* Panor. *in c. fin. de testib. cogen. & c. exhibita de Iudic.*

11 Nonò peccant vocales in Generali Capitulo congregati ad scrutandum vitam, & mores Sacerdotum, qui iuxtà nostras constitutiones maximè admittendi sunt ad voces actiuam, ac passiuam, si etiam crimina priuata, quæ non tendũt in perniciem publicam, & sunt omninò occulta, reuelent. Etenim quando quis solus erit crimen fratris non potest illud manifestare, nec quidem Prælato, vt Patri, nec Prælatus potest compellere subditum, saltem non præuia monitione: quoniam fama subditi apud Prælatum magni æstimanda est. Imò Visitator in visitatione debet monere, vt occulta peccata non denuncientur, nisi non obstante denunciatione peccator adhùc in suo crimine perseueret, vt latè habetur ex *Soto de Tegen. Secr. m. 2. q. 4. dub. 3.* vbi affert Regulam D. August. quæ licèt id habeat, ante inductionem testium denunciandum esse Fratrem Prælato tanquàm Patri; non tamen id permittit antè monitionem, & in nostra Congregatione extat constitutio *3. p. c. 8. §. Cùm primùm*, quæ prohibet emendata crimina Visitatoribus proferri, his verbis: *Nenè odio, aut amore ducti, quæ dicenda sunt, taceant, aut è cõtrà emendata iam, siue, quæ charitatem violare possint, ea ipsi proferant.*

12 Quòd si hæc vera sunt, non video, quomodò tuti sint in conscientia Capitulares prædicti cõtra prædictam doctrinam facientes. Nec video, quomodo ex dicto vnius, vel alterius, aut etiam plurium singularium reuelantium occulta crimina, vt supra, denegetur alicui adscriptio in uocalium numerum, si reliqua concurrant, quæ reddant illum idoneum, non sine magna eiusdẽ infamia: nam in nostra Congregatione, adueniente tempore, qui non adscribitur in uocaliũ numerũ, si non repellatur ex causa notoriæ ægritudinis, repulsus omninò habetur, uel ex capite ineptitudinis, uel capite alicuius criminis. Quocirca caueant Capitulares, ut in hac re magna cautela vtantur, & suffragia non denegent ob crimen delatũ occultum ex dictu vnius dumtaxat; sed illud debet constare ad minus per duos contestes, & fide dignos, iuxtà *tex. in l. 2. & 3. & l. vbi numerus, ff. de testib.* Imò de delictis in Capitulo Generali delatis contra eiusmodi Sacerdotes, quæ asseruntur fuisse commissa ante visitationem, non debet haberi de facili ratio; nisi à reuelante sufficiens ratio assignetur, cur ea in visitatione non manifestauerit. Vndè meritò in nostris constitut. *p. 3. c. 3. de Sacerd. in vocal. num. adscrib. vers. Diligenter*, ità statutum optimè reperitur:

13 *Diligenter deindè inquirant singulorum merita. Et primùm quidem Visitatores de Sacerdotibus sua quique Prouincia, tum vocales electi à domibus, vbi illi adsunt, tum cæteri omnes suam quisque sententiam palam absq; vlla animi perturbatione dicant ingenuè. Deindè per secreta suffragia singillatim cuiusque, de quo tractari debet, rite, ordine, agitetur electio, &c.* Patres igitur Capitulares non debent esse faciles ad deneganda suffragia huiusmodi Sacerdotibus, vt supra adscribendis in numerum vocalium: eò magis; quia de iure cõmuni in Ecclesijs Collegiatis, præsertim Cathedralibus, siue sæculares sint, siue regulares, electionem habent omnes de Collegio, dummodò ad Subdiaconatus saltem ordinem sint promoti, vt in *c. 1. & ibi Glosa de elect.* iũcta *Clem. 2. de etat. & qualit. Conc. Trid. sess. 23. de refor. c. 4.* atq; ideò consuetudo in quibusdam Religionibus, quà restringitur electio ad certos electores, à nonnullis improbatur, vt habetur ex *Nauar. cons. 2. de consuet.* & alijs apud *Molfes. par. 1. sua sum. tract. 6. cap. 16. num. 61.*

14 Quæ diximus de vocalibus adscribendis, idẽ dicendum puto de Præpositis singularum Domorum, de Visitatoribus Prouinciarum, & Cõsultoribus eligendis. Non enim vnius tantùm dicto est standum, quoad crimina occulta, & quæ non tendant in perniciem publicam, de quibus supra egimus *disp. 3. sec. 10.* si cætera concurrant, quominus sequatur electio. Est tamen

ve-

verum, quòd si is, ad quem spectat electio sciat solus, promouendum esse criminosum, potest ei licitè denegare suffragium, tacito tamen eius crimine occulto, ne coram alijs veniat diffamãdus: nam penes ipsum electorem iste talis efficitur indignus: & propterea non potest, nec debet eum eligere. Quod quidem locum sibi vendicare dicimus, quando elector extra confessionem sciat promouendum esse criminosum: secus autem in confessione. Nàm quamuis controuersia sit inter Doctores, an Superiores vti possint ea notitia, quam de aliorum criminibus in Sacramentali foro habuerunt ad exteriorem gubernationem; hodiè tamen absoluta est quæstio per Decretum Clem. VIII. *de casib. reser. Regular.* quod supra retulimus *tom.* 1. §. 1. *disp.* 8. *sec.* 11. *concl.* 5. in illis verbis: *Tàm Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt ad exteriorẽ gubernationem vtantur.*

15 Decimò peccant vocales in Generali Capitulo congregati compellentes aliquem minis, aut quocunque alio modo, ad ferendum suffragium pro certa, ac determinata persona, vt si v. g. Præpositus alicuius Domus, & vocalis eiusdem ad Capitulum congregati dissentiant in eligendo A. R. P. Generalem, & Præpositus metum incutiat vocali accusandi eum de aliquo crimine, aut priuandi illum aliquo bono, si sibi suo suffragio non adhereat: & insuper electio nulla esset, cùm non fuerit libera: siquidem non est liberũ, quod quoquo modo est coarctatum, *cap. vbi periculum, §. caterũ,* & ibi, *Doctor. de elect. in* 6. *Bald. in cap. quia propter, num.* 18. *& cap. cum terra, num.* 12. *extra de elect.* & alij apud *Molfes. par.* 1. *sua sum. tr.* 6. *cap.* 16. *num.* 54. vbi optimè declarat, quando libera, & quando coacta dicatur electio.

16 Vndecimò peccant vocales in Generali Capitulo congregati, si nullo præuio tractatu P. Generalem, Consultores, Definitores, aut Præsidentem eligant. Est enim de iure ferendum suffragium post tractatum de persona eligenda, & non antea; aliàs nullum esset, ac irritum tanquã prolatum sine rationabili causa, & ex abrupto, *cap. pen. §. fin.* & ibi *Glosa, in verf. Votum, de elect. in* 6. *Scip. Rouit.* post alios, in *pragm.* 7. *Regni Neap. num.* 2. *& Molfes. loco citato, num.* 8. quibus adde, quę adnotauimus supra *sec.* 20. *verf. Sextò peccant vocales Domorum,* vbi egimus de tractatu, qui debet præmitti in specie de P. Generali.

17 Duodecimò peccant vocales in Generali Capitulo congregati si concurrant ad statuendum, vt habentes electionem teneantur certam personam nominare, vt habetur ex *Alex. conf.* 106. *perspectis ijs, lib.* 2. *Tusch. verf. Electio, conclus.* 61. *num.* 3. *Miran. in Man. Prælat. par.* 2. *q.* 23. *ar.* 23. cum alijs, quos allegat, & *Molfes. d. cap.* 16. *num.* 95. *&* 100. vbi etiam refert *Rodriq. to.* 2. *qq. Regular. q.* 53. *ar.* 11. & alios dicentes nullam esse electionem; etiam si ad duas, tres, vel quatuor personas determinatas fieret coarctatio; siquidem esset contra Sacros Canones disponentes electores debere habere libertatem eligendi omnes de Collegio, *cap. cum terra, de elect.* eo quod est contra bonum communitatis, cùm non ita bono communi consuli possit, prout consuleretur, si omnes de Collegio eligi possent. Et quamuis hanc sententiam indistinctè veram esse neget *Molfes. d. cap.* 16. *num.* 101. sed intelligi debere quoties plures essent personæ eligibiles, & sine iusta, ac rationabili causa fieret talis coarctatio, alias secus; nihilominus, idẽ *Molfes. ibid. num.* 102. ex prædictis necessariò deducit consequentiam, electionem nullam esse, ac inualidam quoties ad vnam, ac determinatam personam coarctaretur; quoniam tolleretur libertas eligendi, & electio non esset libera, prout de iure esse debet. Vndè ob id *Panor. in c. quia propter, de elect.* inquit, quod non ualet cõpromissum, quo teneantur compromissarij certam personam eligere, quia electio non esset libera, & id esset contra essentiam illius, ad quod *Molfes. loco citato, num.* 103. allegat *Calder. conf.* 49. *alias* 3. incipit, an ualeat electio, *Tusch. verf. Electio, conclus.* 61. *num.* 2. & alios, quibus adde, quæ supra adnotauimus, *sec.* 21. *verf. His tamen non obstantibus.*

18 Tertiodecimò peccant uocales ad Capitulũ Generale congregati, si in electione discordantes conueniant, ut fieret electio per sortes, quia, dum adest humanum cõsilium, quo maturè fieri possint electiones, irrationabiliter remittuntur sortibus: Etenim per sortes de facili potest eligi indignus non sine maximo Ecclesiæ detrimento. Vndè meritò sortium usus est à iure omninò damnatus, ut in *cap. Ecclesia, de sortileg. Suar. tom.* 1. *de Relig. tr.* 3. *lib.* 4. *de sim. cap.* 12. *Tusch. verf. Electio, concl.* 79. & alij apud *Molfes. par.* 1. *sua summ. tr.* 6. *cap.* 16. *nu.* 35. ubi etiã ait ex *Rouito in pragm.* 2. *num.* 39. *de administrat. Vniuerf.* quòd quando electores discordant, id deferendum est Superiori, qui præfigit terminum electoribus à se denuò congregandum pro electione facienda cum comminatione, ut si infra talem terminum electio non subsequatur, ad ipsum Superiorem censeatur deuoluta. Non tamen electio per sortes diceretur cõtra rectam rationem, atque ideò contra ius naturale, si electis prius duobus, uel tribus de Collegio æquè idoneis per scrutinium, ex illis posteà vnius fieret electio per sortes. Etenim hoc modo Apostoli elegerunt D. Matthiam ad Apostolatum, vt habetur *Act. Apost. cap.* 1. cùm hoc casu cesset periculum eligendi indignum. Cæterùm, quia electiones per sortem sunt de iure prohibitæ, nec supradicto modo fieri possunt de Prælatis maximè, citra dispensationẽ Rom. Pontificis. An autem electio Discreti fieri possit per sortes, supra de hac re latè egimus, *sec.* 27.

19 Quartodecimò peccant vocales electi, vt Capitulo Generali intersint, si citra rationabilem, ac necessariam causam se excusent, ac recusent Capitulum ipsum adire, eidemque interesse. Etenim ex ui nostrorum *Decr. par.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. uocalis electus pro Capitulo Generali, tenetur electioni de se factæ assentiri: nec potest mittere ad Capitulum Generale Procuratorem: quia in nostra Congregatione interdicitur, electionem fieri per Procuratorem, excepto P. Præposito, qui si impeditus non possit Capitulo Generali interesse, potest aliquem ex uocalibus in sua ipsius Domo assignatis ad Capitulum mittere, ut patet

patet ex nostris *Constit. par.3.cap.1.in princip.* ibi. Igitur Præpositi: *& §.nulla electio*, ubi §.1. *litt. B.P.Peregr.in suis Commētar.ad ipsas Cōstit.* inquit, impedimentum debere esse iustum; iuxta ea, quæ habentur ex *Panorm.in cap. quia propter, de elect. & Syl. vers. Electio, 1. num.4. vers. Secundùm*, cuius iusti impedimenti probatio incumbit Præposito, qui mittit procuratorem, ut in *l.frustra, & l.actor, C.de procur.* Et ad Capitulum Generale pertinet talis iusti impedimenti iudicium, ut per eundem P. *Peregr.* ibi: Vndè proculdubio peccant Præpositi si citra iustum impedimentum procuratorem ad Generale Capitulum mittant, quoniam ui nostrarum Constitutionum id eis indulgetur ex capite iusti tantùm impedimenti, ut patet ex *d. cap.5.nostr. Constit.in princ.* in illis uerbis: *Igitur Præpositi omnes venient ad Capitulum Generale. Quòd si eorum aliquis fuerit impeditus, suo loco mittere potest quem voluerit ex vocalibus in sua ipsius Domo assignatis.* Et multò magis peccant Præpositi si uocales, & sic procuratores mittant in præiudicium communitatis: quoniam licet electores possint se abdicare ab eligendi munere; id tamen citra culpam non agunt in præiudicium communitatis. Nec excusari possunt, si ad proprium detrimentum uitandum se abdicant, mittentes tales uocales, si id vergat in commune damnum: siquidem vtilitas communis præferri debet priuatæ, *l. vtilitas, C.de primip. lib. 10.* & cùm voluntarie acceperint munus electoris, ratione officij ex iustitia tenentur publico potius, quàm particulari commodo consulere. Imò si in electionis loco reperirentur, & viderent electionem alicuius haberi pro conclusa, quæ tenderet in præiudiciū boni communis; adhuc tamen tenentur eorum votum fideliter aperire: siquidem sæpè accidit, vt trahantur alij in sententiam vnius, etiam inferioris, vt habetur ex *D. Thoma 2.2.q.27.art. 7.& q.115.ar 4 & Molfes.* post alios *d.cap.16. à num.116.vsque ad num.120.*

Quamplurima quoque diximus supra *sec.20. & seq.* de vocalibus particularium Domorum, quæ communia sunt quoque vocalibus Capitulo Generali interessentibus, idcircò in dictis locis nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

De Magistro Nouitiorum, & Præfecto, ac eorum culpis.

S E C. XXXIV.

S V M M A R I V M.

1 *Peccant in primis Nouitiorū Magister, eiusq; socius, ac Præfectus Clericorum professorum, qui non dum promoti ad Diaconatum se minus idoneos cognoscentes, & debitas conditiones non habentes, hoc munus subire præsumunt.*

2 *Peccat specialiter Magister Nouitiorum, qui negligens est in docendo Nouitios, & in curando, vt seruent, quæ per Clem VIII. præcipiuntur.*

Refertur Constitutio dicti Clem. VIII. inter cætera.

3 *Constitutio prædicta Clementis VIII. licet specialiter sit edita pro quibusdam Religionibus, ad vnguem tamen seruatur in nostra Congregatione ex eiusdem Constitutione.*

4 *Quid seruare debeat Magister Nouitiorum Conuersorum, notatur eadem Constitutione Clem.VIII.*

5 *Refertur Decretum nostræ Congregationis circa eosdem Nouitios Conuersos, circa quos omnia ferè seruantur, quæ in dicta Constitutione Clem. VIII statuta sunt.*

6 *Peccant Nouitiorum Magistri grauissimè, si videntes aliquos ex Nouitijs non esse aptos ad sustinenda Religionis onera, & contrariū referant Prælatis, vt eos ad professionem admittant.*

7. *Adducitur statutum per dictam Constitutionē Clem VIII. quoad Præfectum, seu Magistrū Clericorum professorum secundæ Classis.*

8 *Ab hoc statuto, quæ nam Religiones sint exemptæ.*

9 *Refertur pariter Decretum nostræ Congregationis, quoad nouos professos, eorumque Præfectum.*

10 *Italicè referuntur Ordines, quos professi ipsi nouiter seruare tenentur.*

1 PEccant in primis Magister Nouitiorum, eius socius, ac Præfectus Clericorum professorum, qui non dum ad Diaconatus ordinem non sunt promoti, si se minus idoneos cognoscentes, & conditiones non habentes, de quibus supra egimus *sec. 20. vers. Septimò peccant*, & infra latius dicemus, & præsertim in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum non præbentes, hæc munera subire, & acceptare non verentur, & non potius pro iuribus studeant ab eiusmodi oneribus abstinere. Etenim si ex *Cōcil.Trid sess.25.de refor. cap.1.* leuia delicta in omnibus Clericis maxima sunt, quanto maiora erunt, si in eiusmodi personis cōspiciantur: postquam Nouitij, & adolescentes tales fiunt; quales eorum Magistri erunt. Quibus adde, quę supra diximus de Præpositis agentes *sec. 15. vers. Secundò peccant, & seq.*

2. Secundò specialiter peccat Magister Nouitiorum, qui negligens sit in docendo Nouitios & in curando, vt seruent ea, quæ præcipiuntur per Clem. VIII. in Constitutione edita sub die 19. Martij 1603. quam retulimus supra *d. sec. 20. vers. Septimò peccant*, & inter cætera, ità se habet: *Curam adhibeat diligentem, vt Nouitij omnes in regulari disciplina sedulò exerceātur, agnoscātque præcipuè diuinæ (qua digni facti sunt) vocationis pręstantiam, & excellentiam, quę vera sit, atque perfecta votorum solēnium, & quam necessaria cuiusque ordinis Constitutionum obseruantia, modum in oratione, tum vocali, tum mentali, fructuosè persistendi, illicitas passiones, & vitia (ad quę natura per peccatum labefacta omni tempore prona est, atque procliuis) per sensuum custodiam, & mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilitia, disciplinas, conscientię puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiā (confessionis præsertim) quę bis saltem singulis mensibus fiat, per apertionem quotidianam motuum internorum, cordis, & tentationum manife-*

manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium. Quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat vnusquisque secundum propriam capacitatem, & ordinem sibi à Magistro præscriptum, ac pluries in die propriam conscientiã vnusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli, Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Licet tamen Superiori etiam locali si ita expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis in anno eorundem Nouitiorum confessiones audire. Quotidie Missæ sacrificio intersint, & statutis horis in Choro, nocturnis, diurnisque diuinis officijs assistant. Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quæ in solitario loco, & commodo extra Nouitiatum semel in hebdomoda, vel in alterius saltem hebdomatibus longior statuatur, fiatque semper Magistro præsente, vel socio, qui multum inuigilent, ne duo ab alijs commoventur disiuncti, atque eo tempore cuiusque, in quam natura feratur propensionem scrutentur. Non liceat eis durante Nouitiatus, & probationis tempore vna cum professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in cœnaculo tempore refectionis, commorari: nec permittatur eis professos domo exeuntes comitari.

3 Hæc quoad Nouitios Clericos per supradictam Constitutionem Clem. VIII. quę licet specialiter pro quibusdam Religionibus sit edita; nihilominus in nostra Religione, quoad nostros Nouitios ad vnguem ferè seruatur; sicut antequam edita fuerit, hæc omnia seruabantur, & specialis extat Constitutio 2. *par. nostr. Constit. cap.* 5. § *vbi primum*, ita se habens: *Deligatur autem ex Sacerdotibus, qui præcipua vitæ integritate, morumque grauitate sit præditus: qui prudentia, & discretione polleat: qui mansuetudine, & seueritate pro rerum, & personarũ qualitate vti optimè nouerit: qui nostræ Congregationis communes labores libenter, & assiduè cũ alijs subeat: qui rebus Diuinis, & Ecclesiasticis non mediocriter sit eruditus: qui mandata Dei, atque consilia, perfectionisque viam verbo, & exemplo alios edocere valeat. Is pro facultate sibi à Proposito concessa diligenter, & sollicitè informet Nouitios sibi commissos Deum ex animo amare, mũdi huius voluptates, & illecebras cõtemnere; paupertatem, & humilitatem in rebus omnibus colere, obedientiam prompto, & alacri animo amplecti; puritati, & vitæ innocentię magnoperè studere; bis saltem in die conscientiã examinare; ter in hebdomada confiteri; diebus Dominicis vna conuenire, ac coram Magistro culpas suas dicere. Hortetur etiam eos tentationes, atque adeò cogitationes singulas Magistro suo quam citissimè, & sua spontè detegere: tempus in rebus inutilibus non conterere, vanas sæculi occupationes deuitare: silentium opportunis locis, ac temporibus seruare: orationis feruorem, & assiduitatem diligere: rebus Diuinis magnoperè delectari, ac cætera Religionis nostræ instituta diligentissimè tueri.*

4 Et quoniam, quoad Nouitios conuersos non nulla fuerunt statuta per supradictam Constit. Clem. VIII. & in nostra Congregatione distinctus Nouitiorum Magister eis constituitur: & cum Clericis Nouitijs non conuersantur, vt fuit Decretum in Capitulo Generali, anni 1610 2. *par. nostr. Decr. cap.* 4. *num.* 21. idcircò referre operæ prætium esse duximus verba dictæ Constitutionis Clem. VIII. vt sciat Magister Nouitiorum, quomodo erga eos habere se debeat, & negligens existens qualiter peccet. Sunt igitur verba ipsius Constitut. quæ sequuntur: *Cùm autem (licèt Clericorum benè instituendorum cura debeat esse præcipua) Conuersorum tamen Religiosa instructio non sit prætermittenda, quin potius æquanimiter amplexanda: quandoquidẽ satis exploratum est, istorum etiam, cùm decorẽ, & ornamentum, tùm alijs Christi fidelibus, ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre. Conuersis ipsis à Clericorum Nouitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commodè fieri poterit) assignari præcipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro Nouitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, & Conuentuum, iuxta cuiusque Ordinis statuto, & Constitutiones subditi esse, & obedientiam præstare debebunt, à quo non tantum, circa corporalia obsequia probandi, & exercendi, verum etiam pro eorum capacitate de spiritualibus, præsertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt, quod vt commodius fiat, ad Capitula, & spirituales conciones quæ per Magistros Nouitius fieri soleat, accersiri debeant, & in Ecclesijs statutis horis conueniant, nisi tunc in suis officijs actualiter occupati fuerint. Tempore verò probationis elapso, ij tantum, qui non solùm Religiosæ perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, nouo, ac diligenti examine reperti fuerint (dummodò ætatis suæ annũ quoad Clericos 16. quo vero ad Conuersos 21. excesserint) ad professionem admittantur. Sed qui ad Conuersorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durãte tempore probationis non possint, &c.*

5 In nostra verò Congregatione in *d. cap.* 4. *nostr. Decr. num.* 10. 21. & 22. quoad eosdem Nouitios conuersos hæc omnia ferè seruantur: & insuper ita fuit Decretum: *Qui ad Congregationem nostram pro fratribus laicis admittuntur, vel iam admissi fuerint, non nisi quinquennio expleto nostræ Religionis habitu induantur. Laici Nouitij cum Clericis Nouitijs ne versentur. Quolibet anno cogatur Capitulum domus, & discutiatur de vita, & moribus Nouitiorum laicorum: qui spiritu minimè feruentes, & ad Religionis onera nequaquam idonei reperientur, eijciantur; nisi fortè ij maiori experimento indigere viderentur.* Vnde licèt nihil de nostrorum conuersorum ætate, qui ad professionem admittendi erunt, mentio habeatur, & propterea satis esset ad professionem emittẽdam, si 16. annum habeant expletum, iuxta *Decret. Concil. Trid. Decretum, sess.* 25. *de Regular. cap* 15. nihilominus cùm vi supradicti Decreti statuatur, vt nisi post quinquennium nostræ Religionis habitum induantur; atque adeò non nisi sexennio expleto, ad professionem admitti non soleant, vix, aut nunquam in nostra Congregatione ad professionem admittitur, nisi annum 21.

ex-

excesserit, cùm ante 16. annum suæ ætatis numquã ipse viderim in nostra Congregatione quẽquam in conuersum fuisse receptum; atque ideò in re Constitutio nostra reducitur, quoad hoc etiam ad dispositionem supradictæ Constitut. Clem. VIII. exigentis ad professionem conuersorum 21. annum. Si igitur Nouitiorum Magistri negligenter se habeant in seruandis, & seruari faciendis ijs, quæ in dictis Constitutionibus, & Decretis statuta fuere, proculdubio peccant.

6 Tertiò peccant Nouitiorum Magistri grauissimè, si videntes aliquos Nouitios non esse aptos ad sustinenda Religionis onera, referãt Prælato, & vocalibus, ad quos spectat eos ad professionem admittere, esse aptos, ac idoneos. Etenim hi proditores, proculdubio dicendi sunt, &c. Congregationum. Et multò magis peccant Magistri Nouitiorum è conuerso; si tempore professionis, quos nouerint esse idoneos, & aptos ad ferenda Religionis onera, odio, vel alia passione inducti, referant Patribus non esse tales, ne ad professionem admittẽtur; siquidem hi non Magistri Nouitiorum; sed animarum potius interfectores dicendi sunt, & sanguis, &c. ex ipsorum manibus exquiretur.

7 Quo vero ad Præfectum, seu Magistrum Clericorum professorum secundæ Classis, est adnotandum, quòd in d. Constitutione Clem. VIII. ita fuit pariter statutum: *Vbi autem Nouitij iã in professorum numerum (sic vt præmittitur) recepti melius in bono spiritu, Regularisque disciplinæ obseruantia stabiliantur, & confirmentur, mandatur, vt statim post professionem emissam si in Conuentibus aut Monasterijs pro Nouitiatibus assignatis locus aderit secundi Nouitiatus, siue professorij ab eo qui Nouitiorum est, atque antiquorum professorum habitatione distinctus, & segregatus, ibi collocentur. si Monasterium, aut Conuentus eos alere queat: sin minus in alium commodiorem cõuentum, aut Monasterium transferantur in quo is locus cum requisitis ad Nouitiatum supranarratis reperiatur, vel accomodetur, aut de nouo construatur.*

8 *Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ suarum Constitutionum seu institutorum vigore maioris temporis cursu nouos professos intra Nouitiatum detinere consueuerunt, quibus in hac parte non derogatur: illis tamen permittitur, vt prædictis earum Constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi ac Religioni magis expedire diudicauerint, quibus in locis degant sub regulis & eo modo viuendi, adhuc arctiori, quàm seruent antiquiores professi; ita quòd in negotijs Monasteriorum, aut Conuentuum non se intromittere nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiæ officium exercere debeant ibique permaneant quousque ad ætatem sacris ordinibus suscipiendis sufficientem deueniant, vel saltem per triennium post professionem quo etiam tempore poterunt, quinimò, & debebunt litterarum studijs operam nauare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Nouitiorum Magistrum præditum esse oportere dictum est.*

9 In nostra pariter Congregatione extat quoque Decretum, quoad huiusmodi nouos professos, & eorum Præfectum 2. *par. nostr. Decr. cap. 4. num. 20. sub anno* 1610. tenoris sequentis: *Clerici etiam post emissam professionem sub Magistri Nouitiorum disciplina degant. At si contingerit aliquem, vel aliquos studiorum causa in aliam domum se conferre, Præpositus Sacerdotem deligat, sub cuius institutione, ac disciplina vsque ad Diaconatus ordinem subsint.* Pro quibus professis regendis ab Adm. R. P. nostro Generali, & eius Consultoribus fuerant factæ sequentes ordinationes, vt constat ex ordinatio-

10 num Codice, sub fol. 1. *tit. Ordini per li fratelli Chierici professi. &c.* in secunda editione.

1 *S'assegni loro vn Prefetto, quale deue essere eletto, conforme al Decreto par. 2. cap. 4 nu. 19. Clerici. E questo habbia di loro diligente cura, ammaestrandoli così nello spirito, come nell'osseruanza Regolare, e nelle ceremonie Ecclesiastiche, secondo l'vso della nostra Religione, corrigendoli ancora, conform'il bisogno. A cui obedischano, e ricorrano con ogni confidenza, come à loro Superiore.*

2 *Non conuersino, nè parlino con altri, tanto Secolari, quanto de nostri, ne meno con Lettori fuor che nel tempo, nel quale conuengono tutti insieme in Scuola, ò con particulare licenza del Prefetto, senza la quale non scriuano, nè riceuano lettere da chi si sia.*

3 *Non si vandino per Compagni d'altri, e quando essi haueranno da vscire per ricreatione, vadano col Prefetto: E s'egli è impedito con altro Sacerdote à sua sodisfatione. Osseruisi il medesimo stile se alcuno di loro per graue necessità si dee mandar fuori per bisogno particulare di alcuno negotio, ò di pigliare aria.*

4 *Non si diano loro obedienze communi. E quando vanno in Choro, in Refettorio, ouero à fare dell'altre vbbidienze, vadano tutti insieme, e con saputa del Prefetto.*

5 *Il giorno di ricreatione mancino insieme in tauola separata, e sia con loro il Prefetto. E di digiuno vadino tutti alla prima colatione.*

6 *All'oratione mentale conuengano tutti in Choro, e la Classe che hà l'essentione del Matutino, la faccia parimente nell'hora, e luogo determinato dal Prefetto.*

7 *Leggano ogni giorno alcuno libro spirituale assegnato dal Prefetto, ò in commune, ò da se. E le Domeniche facciano l'essercitio col Prefetto; & ogni sera doppò cena vnitamente se faccia l'essame della conscienza, e se riceuano i pũti da meditare per la mattina, e poscia ciascuno se retiri in cella e vada presto à dormire.*

8 *Se confessino oltre alle Domeniche, e le feste di communione, almeno vn'altra volta la settimana osseruando nel rimanente le Constitutioni, e decreti, a quali non intendiamo di pregiudicare punto con questi ordini.*

† Adde. vt non peccent Præfecti imitari debẽt integerrimum virum D. Franciscum Maria Carafa ex Rocellæ Principibus, qui pluries abdicatis infulis, in Religione penè omnibus præfecturis exercitis, etiam ægra valitudine, virtutũ omnium, & exactarum obseruantiarum exemplo præcellebat cæteros; & educationi Nouitiorum, vel professorum totus addictus erat; & quia in tenerrima ætate nostræ Religioni nomen dedit, puritate, ac vitæ innocentia, adeò excelluit,

cellnit, vt ego cum decem annorum spatio in Nouitiatu, & studiorum curriculo fuissem eius indiuisus comes, & in posterum, numquam audierim ex eius benedicto ore otiosum verbum prolatum; Quapropter satagebat, vt tales essent sui alumni, qui à Nouitiatu ad eum mittebantur; Quamobrem vnius saltem anni spatio, non solum vt Tyrones exercebat, verum etiam maiori cum studio, circa eorum profectum satagebat, primùm, vt melius caperent ob emissam professionem, & votorum vincula magis esse deuinctos tendendi ad perfectionem, & virtutum apicem: secundò, ne repentina status mutatio veluti amnis inundans faceret eos non placido cursu fluere, sed rapido impetu erumpere, ac dilabi; & vti dixi per integrum annum, plusquam Tyrones exercebat, cohibebat, admonebatque, ac neque ad publicas Thæsium altercationes, conciones, & solemnitates aliarum nostrarum domorum ire permittebat, ne per illam vagationem distraherentur, ac dilaberentur: Quapropter dicere solebant alij nostri Patres, & ipsi Præfecti, ad quos postmodum deuenerant, adeptos fuisse non studentes, sed benè morigeratos Tyrones, cum magna sui nominis gloria, ac adolescentium, domorumque emolumento.

De Prædicatoribus, & eorum culpis. SEC. XXXV.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Prædicatores, si prædicabunt absque eo, quod mittantur.*
Nec Regulares prædicare possunt, etiam in propria Ecclesia absque suorum Superiorum licentia, & benedictione Episcopi.

2 *Prædicatori, qui fuerit ordinario præsentatus, si idoneus sit non est ab ordinario deneganda licentia prædicandi.*

3 *Peccant Prædicatores, prædicantes tantum lucri temporalis gratia, & simoniam an committant.*

4 *Potest Concionator pro sola obligatione concionandi exigere pretium, locando libertatē.*
Sicut, qui aliquid accipit pro mutuo, propter solam obligationem mutuandi, vsuram non committit.

5 *Ob hanc etiam rationem potest Prædicator licite petere stipendium, & expensas.*
Et qui nam debeant stipendium, & expensas Prædicatori ministrare. Et an sit in optione Episcopi Prædicatores eligere, & deputare.

6 *An, & quando stipendium, & expensa Prædicatoris spectent ad Parochum.*

7 *Peccant Prædicatores non solum prædicantes turpis lucri gratia, sed etiam, propter inanem gloriam.*

8 *Peccant Prædicatores, si hoc munus suscipiant, agnoscentes se esse vita reprehensibiles, moribus non maturos, corde non impauidos, & spiritu non feruentes.*

9 *Peccant Prædicatores si munus prædicationis suscipiant, si se agnoscant, non solum vita reprehensibiles, sed etiam ignaros Sacræ Scripturæ.*

10 *Regulares Concionatores possunt ab Episcopis examinari de doctrina, dum licentiam petunt concionandi.*

11 *Peccant Prædicatores, falsa miracula prædicantes, vel mendacia, etiam si id faciant ad inuitandum populum ad deuotionem.*

12 *Peccant Prædicatores, qui in eorum concionibus plusquam par est se extendunt, & prolixi sunt. Et quibus comparentur huiusmodi Prædicatores.*

13 *Prædicatores in eorum concionibus non debēt esse multum prolixi, ne auditoribus odiosi efficiantur.*

14 *Peccant Prædicatores, qui metu persecutionū, à munere desistunt prædicandi. Et mercenarij, ac canes muti a Diuo Gregorio appellantur.*

15 *Peccare possunt Prædicatores multis alijs modis remissiuè.*

1 PEccant primò Prædicatores prædicantes absque eo, quòd mittantur, vt in *cap. adycimus, 16. q. 1. c. cum ex iniusto, de hæretic. Glos. in cap secundum, vers. Vel qualis, 19. d.* Vnde, nec ipsi Regulares sine eorum Superiorum licentia, & Episcopi Diœcesani benedictione, nec in propria quidem Ecclesia prædicare possunt. Et in aliena vltra licentiam suorum Superiorū exigitur quoque Episcopi licentia, vt in *Concil. Trid. sess. 5 de reform cap. 2.* Imò contradicente Episcopo, nullus etiam in suorum ordinum Ecclesijs prædicare potest, vt in *eod. Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 4.* & extat Bulla Gregor. XV. quæ incipit: Inescrutabili, edita sub die nonis Febr. 1622 Est tamen verum, quod locus ille *Concil. Trid.* intelligendus est de Regulare prędicare volente in propria Ecclesia, contradicente Episcopo, eo tempore, & hora, qua Episcopus prædicare voluerit, aut coram se facere solemniter prædicare; autem alias, ne *Conc.* ipsum sibi ipsi contradicere videatur, dum primò scilicet *d. sess. 5. cap. 2.* concedit, prædicatores Regulares prædictos in Ecclesijs suorum ordinum cum sola Episcoporum benedictione posse prædicare, etiam non habita expressa licentia; postea vero *d. cap 4.* præcipiat, vt nullus, &c. vt post alios inquit *Barbos. de potest. Episcop. alleg. 75 nu. 20.* Et ita fortè intelligenda est prędicta Bulla Gregor. XV. §. 3. quæ est 18. quæ ita se habet: *Atque vt Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prędicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur. In Ecclesiis vero quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentia: contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis, prædicare præsumant.* Sed re vera cùm Bulla ipsa generaliter loquatur, & non distinguat, videtur indistinctè, ac generaliter esse intelligendam: siquidem lex, quę generaliter loquitur, generaliter est intelligenda, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. § generaliter, ff. de legat. præst. & l de pretio, de public. in rem act.* Vnde limitatio illa *Barbos.* & aliorum, hodiè non videtur procedere, stante dispositione prædictæ Bullæ Gregor. XV.

2 Sed quicquid sit de hac re, illud tamen certū est, quod si Prædicator fuerit ordinario præsentatus, qui sit idoneus, iuxta Decretum *Concil.*

 Trid.

Trid. sess. 5. de reform. cap. 2. non ei deneganda est licentia prædicandi: quoniam ordinarius nõ potest ad sui libitum, & citra rationabilem causam suspendere à prædicatione, vt habetur ex *Armendar. in addit. ad recopil.* legum *Nauar. lib. 4. tit. 30. l. 3. de Prædicator. num 8. & 9.* quē refert, & sequitur *Barbos. d. alleg. 75. num. 21.* qui tamen *nu. 22.* ait, quòd si ordinarius suspendat Prædicatorem à munere prædicandi, non tenetur causam suspensionis exprimere, vt fuisse decisum, testatur *Franc. Leo in thesauro fori Eccl. par. 1. cap 8. num. 9 & Campan. in diuers. iur. Can. rub. 12. cap. 13. nu. 8.* Adde, quod si Regularis citra Episcopi licentiam prædicet in Ecclesijs non suis, non ab Episcopo, sed à suo Prælato venit puniendus, vt post alios inquit *Barbos. d. alleg. 75. nu. 24.*

3 Secundò peccant Prædicatores prædicantes lucri temporalis gratia dumtaxat, aut illius causa principaliter, & non propter animarum spirituale emolumentum, ad quod prædicatio ordinatur. Vndè si Prædicatores ex eorum prædicatione per se primò stipendium intendant, & non salutem animarum, simoniam procul dubio committunt; quoniam Dei verbum, quod est quid spirituale, pro stipendio, & sic pro re temporali censetur vendere, quod est contra rubricam, de simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur, vel repromittatur, *lib. 5 & cap veniẽs, cap. tua nos, eod. tit.* Vndè laudabiliter faciunt nonnullæ Religiones, quæ pro concionibus nihil recipiunt, sed expensis, seu victu dumtaxat earum Prædicatores dum prædicant, sunt contenti.

4 Non tamen negamus, quin Concionator possit pro sola obligatione concionandi exigere pretium locando libertatem, vt inquit *Tolet. lib. 5. suæ sum cap. 88 num. 6. Vgolin. de simon. tab. 1. cap. 9. §. 1. num 6. & §. 2. num. 3. & cap. 44. §. 2. num. 19. in fine*, quos sequitur *Barbos. de offic. & potest. Episcop alleg. 75. num. 10.* Siquidem licet concio ipsa sit res spiritualis; obligatio tamẽ concionandi est temporalis, & pretio æstimabilis, atque ideò Prædicator stipendium recipit pro re temporali, non autem pro re spirituali, quod non est simonia. Sic etiam quamuis accipiens aliquid ex mutuo in pretium mutui, vsuram committat, cùm faciat contra præceptum Domini, dicentis: *Mutuo date nihil inde sperãtes*, vt patet ex illo *Lucæ*, de quo in *cap. consuluit de vsur.* nihilominus accipiens aliquid ex mutuo, propter obligationem mutuandi, vsuram nõ committit, eo quòd illa obligatio est pretio æstimabilis; atque ideò non percipit lucrum ex mutuo, sed ex obligatione mutuandi, quod est licitum; quia ex obligatione iustè recipitur par obligatio, vt per *Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 20. num. 61. Sot. eod. tr. lib 2. q. 1. ar. 2. vers. Ex quo rursus. Rebell. lib. 8 de oblig. iust q. 4. de vsur sub num. 16. in fine, Bann. in D Thom 2. 2. q. 78. ar. 2. casu 3. concl. 2 & Azor. par. 3. instit. moral lib. 7. cap. 7. q. 5. vers. Quia si Titius.*

5 Hac igitur ratione Prædicator, non solùm potest licitè stipendium, & expensas recipere; sed etiam petere: quoniam dignus est operarius mercede sua, iuxta illud *Lucæ cap. 10.* & latè supra quoque ostendimus *disp. 12 sec. 17.* Debent autem stipendium, & expensas Prædicatori subministrare, qui debent, vel qui solent, vt in *Cõcil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 4.* in illis verbis: *Impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent.* Quæ verba declarans *Barbos. loco citato*, post alios, *num. 11.* inquit, quòd in optione Episcoporum est, vtrum ipsi malint Prædicatores eligere, aut deputare, quando populus illos, etiam ab immemorabili tempore eligere, & nominare consueuisset, aut prædictam nominationem ex immemorabili consuetudine relinquere; ita tamen, vt si Episcopus Prædicatorem nominare, seu deputare velit, ad subministrandas eidem expensas, & eleemosynas ipse teneatur, & populum non compellat. Quòd si populum eiusmodi facultate eligendi Prædicatorem vti sinat Episcopus, ipsum populum cogere poterit ad eas expensas, & eleemosynas Prædicatori præstandas, quas ipse populus in hanc causam præstare solitus est. Et ita testatur fuisse decisũ *Armendar.* quem refert *Barbos. loco citato*: qui *num. 12. & seq.* ea quæ diximus, quamuis intelligat habere locum in Ecclesijs Cathedralibus; nihilominus in Ecclesijs inferioribus ait, quòd standum est consuetudini, cui si nolit stare Episcopus, & velit nominationem Prædicatoris sibi vendicare, quam habeat populus ab immemorabili tempore, tunc pro dictis expensis, & eleemosynis non potest populum molestare. Si verò populus ex consuetudine facultatem non habeat nominandi Prædicatorem, sed ex publico ærario soleat Concionatori eleemosynam dare, tunc standum est consuetudini. Quòd si nullum

6 adsit solitum, ac consuetudo, & agatur præsertim de expensis, & eleemosynis præstandis Prædicatori pro Quadragesima, tunc ad Parochum pertinet prædictas expensas erogare, si redditus habeat sufficientes; aliàs tenetur populus, vt rectè declarat *Barbos. loc. cit. num. 16.*

7 Tertiò peccant Prædicatores, non solùm prædicantes turpis lucri gratia, vt sup. ostendimus; sed etiam propter inanem gloriam: & non potiùs docentes, quæ, quibus, & quando oporteat: & quæ loqui congruit, reticentes, vt habetur in *tex in cap. dispensatio*, iuncto *§. pariter, 43. d.* ità se habentibus: *Dispensatio est nobis cælestis seminis iniuncta: ve si non sparserimus; ve si tacuerimus. Quod cum electionis vas formidet, & clamet; quanto magis cuilibet exiguo metuendum est? proindè sicut non leue discrimen incumbit Pontificibus siluisse, quod congruit, ita ijs (quod absit) non mediocre periculũ est, qui cum debeant parere, despiciunt. Pariter quoq; obseruare debet Sacerdos, ne indignis, & non intelligentibus secreta mysteria sua prædicatione reserare incipiat. Qui enim ea docet, quæ ab auditoribus non valent intelligi, non ad eorum vtilitatem, sed sui ostentationem facit. Vndè in expositione Beati immaculati, &c. dicitur, vitium animi est indignis secreta vulgare: quod fit vel loquacitate incauta, dum sine iudicio volat irreuocabile verbum; vel adulatione, vt ei placeat, cui sacra reuelat: vel iactatione scientiæ, vt plura scire videatur. In quibus omnibus professò datur intelligi, quanta debeat esse discretio in prædicatione Sacerdotis, qua si forsè caruerit, tanquam torto naso Sacerdotis officij indicatur indignus.*

8 Quartò peccant Prædicatores Concionatoris mu-

munus suscipientes, cùm se agnoscant vita esse reprehensibiles, moribus non maturos, corde non impauidos, & spiritu non feruentes: ait enim *tex. in c. oportet*, 8. *q.* 1. Eum, qui docet, & instruit animas rudes, debere esse irreprehensibilem, maturum, pauidum, &c. Ob id non desunt, qui velint, quòd peccant Prædicatores in peccato mortali prædicantes, non præuia confessione, vel saltem contritione cum proposito confitendi. Legitur enim in Psal. 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuũ, &c.*

† Adde quod id affirmat *D Th. in 4. dist.* 19. *q.* 2. *art.* 4. *questiunc.* 2. *Caietanus in* 3 *p. q.* 64. *ar.* 6. *Palud. Nauarr.*, & alij apud *Dianam* 3 *p. tract.* 4. *res.* 297. probant, vel quia prædicare est actus ordinis sacri, quod perdoctè noster *P. Quartus* reijcit in *Commentarijs Rubr. Missal. Rom. par.* 2. *tit.* 6. *de epist. dub* 7. cum pluribus *Auct.* nempè *Suarez, Posseuino, Sayro, Vgolino*, & alijs, quos citat, & sequitur *Barbosa*, & ideò prædicatio est licita tempore cuiuscumq; interdicti, quia non est actus alicuius ordinis, vt ait præfatus *Barbosa*, & etiam si quis excommunicatus, vel suspensus prædicationis munus exerceat etiam solemniter, & quasi ex officio non fit irregularis contra *Nauar. cap.* 27. *n.* 165. quia prędicatio nõ est actus ordinis, ità *Filiucc.* citans *Angelum, Maiolum, & Toletum*, vide ipsum *P. Quartum* ibidem, qui insuper affirmat posse Episcopos committere etiam Clericis nõ in sacris hoc munus prædicandi, attenta tamen scientia, & bonitate, licet decens sit, vt non cõmittatur nisi Diaconis aliter insuper probant, vel quia Prædicator est immediatus Dei Minister, & organum Spiritus sancti, & eius munus valdè dignum, & sanctum, ergò requirit statum gratię in ministro; alioquin grauis iniuria fieret Spiritui sancto; sed negat ipse *P. Quar.* consequentiam: nam Minister Dei, & Spiritus sancti organum potest opus bonum exercere absque peccato, etiam si sit in peccato habituali, vt docent communiter *DD* & ipse *Suar.* Et ratio est euidens, quia nullibi constat de tali præcepto, & tam graui obligatione vide ipsum *P. Quar. ibid.* Verùm per accidens potest hic interuenire peccatum mortale, vel ratione scãdali, si peccatum sit publicum, cum idem dicemus de Iudice ferente sententiam contra Reum, publicè coinquinato eadem pice; & sic verbum Dei fieret contemptibile, vel si abutatur concione tanquam profana declamatione.

9 Quintò peccant Prędicatores prædicationis munus, suscipientes non solum cùm se agnoscant vita esse reprehensibiles; sed etiã si ignaros sacræ scripturæ se cognoscant. Debet enim esse verbi Dei Prædicator quoad fieri possit doctus, ac eruditus, vt possit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere, vt in *d. c. oportet*, 8. *q.* 1. ita se habente: *Oportet eum, qui docet, & instruit animas rudes esse talem, vt pro ingenio discentium semetipsum possit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere. Debet ergò ipse præcipuè apprimè esse eruditus, & doctus, &c.* & fusiùs hoc ipsum docet *tex. in c.* 2. §. *Ecce*, 36 *d.* ità inquiens: *Quia Prædicatores per quos Ecclesia circumfertur, sacris literis semper debent insistere, ne tunc quærant discere, cùm ex officio alios debeant docere. Hinc etiam Dauid prius ex gratia Spiritus S. donum scientia percepit, & postea administrationem Regni assecutus est. Salomon quoq; non diuitias, non longa tempora huius vitæ; sed sapientiam à Deo poscit, & impetrauit. Hinc etiam Dominus prius ponit verba sua in ore Prophetæ, & postea constituit eum super gentes, & Regna, dicens ad Hieremiam: Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce constitui te hodie super gẽtes, & super Regna, &c. Hinc etiã Malachias ait: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituum est. Hinc etiam Saluator noster priùs in medio Doctorum sedit, audiens illos, & interrogans, & postea prædicare cœpit: quia priùs quisq; discere, & postea prædicandi officium vsurpare debet. Hinc etiam Salomon priùs ait: Tempus tacendi: & postea; Tempus loquendi: quia veritas prius tacendo discitur, & postea loquendo prædicatur Hinc idem Dominus ait: Qui audit, dicat, veni. Hinc etiam prius Apostolos docuit; deindè eos ad prædicandum misit, dicens, Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Sic etiam post resurrectionem prius illis sensum aperuit, & scripturas explanauit, & postea dixit eis: Euntes in Mundum vniuersum, &c. Vndè cùm de quinq; panibus, quinque millia hominum vellet reficere, prius panes accipiens fregit, & postea Discipulis dedit, & per eos demum turbis apposuit: quia Sacramenta legis, & Prophetarum prius differendo exposuit, & postea eorum scientiam Discipulis dedit, & per eos tandem illam Fidelibus dispensauit. Hinc & Petrus, cùm Rectoribus Ecclesiæ scriberet, ait: Parati esse debetis reddere rationem omnibus poscẽtibus vos satisfactionem de ea fide & spe, quæ in vobis est Hinc etiam Paulus scribens ad Timotheum ait: Attẽde lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Ex quibus omnibus liquidò constat, quòd non sufficit Prædicatoribus bona conuersatio, & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ.

10 Ob id quidam volunt, Regulares Concionatores posse ab Episcopis examinari de doctrina, dum petunt licentiam concionandi, vt docent *Henriq in sum lib.* 10. *c.* 23. *in Addit. lit. L. & Emman. Rodriq. tomo* 3. *quæstion. Regular. q.* 32 *ar.* 6. Quam quidem opinionem videtur sequi *Barb. de offic. & potest. Episc. alleg.* 75. *sub num.* 23. si inoleuit examinandi consuetudo; quoniã Episcopi interdum examinãt Prædicatores. Est tamen verum, quod id non colligitur ex *Conc. Trid. sess.* 5. *de refor. c.* 2. vt aliqui arbitrantur, vt rectè aduertit *Mirand. in Man. Prælat. q.* 50. *ar.* 2. *concl.* 1. *in medio.* Imò ex dicto loco Concilij colligitur contrarium: nam Prædicatorum examen de vita, moribus, & scientia Superioribus committitur, seu potiùs de iure supponitur esse commissum: Sed quia Concilium non inficit consuetudinem in contrarium; idcircò si alicubi longo vsu obtentum esset, Concionatores examinari per Episcopum de doctrina, standũ est consuetudini, etiam quoad Regulares, vt habetur ex *Campan. in Diuersorio iur. Canon. c.* 13 *num.* 9. quem refert, & sequitur *Barb.* loco cita-

citate. Quæ quidem consuetudo esset satis rationabilis; nam sæpè Prædicatores ignorantia laborantes, errores, & hæreses disseminat, quorum cognitio pertinet ad Episcopum tanquam Ordinarium Inquisitorem, vt declarat *Barb.* post alios *d.alleg.75.num.48.& 49.*

11 Sextò peccant Prædicatores falsa miracula, vel mendacia prædicantes, etiam si id agant, vt populum excitent ad deuotionem: siquidem eiusmodi mendacia euacuant auctoritatem Ecclesiæ, & Christi fidem; atq; ideò peccant mortaliter, nisi mendacium esset de re leui, vt habetur ex *Reginaldo lib.18. sua prax. sub nu. 130. §. Tertium peccatum est.* Imò Prædicatores nec suas quidem inspirationes, seu reuelationes veras prędicare citra licentiam Rom. Pontificis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Apostolicæ Sedi reseruatæ, vt habetur ex *Barb. de offic.& potest. Episc. allegat. 75. sub num.49. circa finem.*

12 Septimò peccāt Prędicatores, qui in eorum Concionibus plusquam par est se extendunt, & prolixi fiunt. Id enim à Sacris Canonibus meritò detestatur, vt in *c. si rector, 43. d.* vbi D. Gregor. huiusmodi Prædicatores seminis fluxum patientibus comparat, inquiens: *Prouidendum est solicita intentione Rectoribus, vt ab eis non solum praua nullo modo; sed nec recta quidem nimiè, & inordinatè proferantur: quia sæpè dictorum virtus perditur, cùm apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur: & auctorem suum hac eadem loquacitas inquinat, quæ seruire auditoribus ad vsũ profectus ignorat. Vndè benè per Moysem dicitur: Vir, qui fluxum seminis patitur, immundus est. In mente quippe audientium, semen secutæ cogitationis est qualitas auditæ locutionis; quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Vndè & ab huius mundi sapientibus Prædicator egregius seminiverbius est vocatus. Qui ergò fluxum seminis patitur, immundus asseritur; quia multiloquio subditus, ex eo se inquinat, quod si ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset: dumq; incautus per loquacitatem defluit, non ad vsum generis, sed ad immunditiam semen effundit.* Nō igitur Prædicatores in eorum Concionibus prolixi multum debent esse, ne auditoribus odiosi efficiantur. *Origin.*

13 enim *homil.6. ad lib. Iudicum,* sic etiā ait: *Breuitatem auctores diligunt: nam breuis, & prudens sermo, & auditur libentius, & attentiùs, ac meliùs memoria comendatur.* Et è contrario *Gregor. Nazian. in orat. de Sancto Lauacro,* inquit: *Satietas inimica est auribus quemadmodum est superfluus cibus corporibus.* Hanc eandem sermonis breuitatem, vt Prædicatores in suis concionibus adhibeant, non obscurè præcipit *Concil. Trid. sess. 5. de refor cap.2.* inquiens: *Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docēdo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: annunciandoq; eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.*

14 Octauò peccant Prædicatores, qui metu persecutionis desistunt à munere prædicandi. Hos enim Mercenarios, & canes mutos appellat *D. Greg. in d.c. Si Rector 43. d.* dicens: *Sæpè namque Rectores improuidi, humanā amittere gratiam formidantes loqui liberè recta pertimescunt, & iuxtà veritatis vocem nequaquam iam gregis custodia, pastorum studio, sed mercenariorum vice deseruiunt: quia veniente Lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt.* Hinc namq; eos per Prophetam Dominus increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare.* Imò Prædicatores eiusmodi nō solùm mercenarios, sed homicidas appellat idem *D. Gregor.* de quo *in c. Ephesijs, ead. causa, & q.* inquiens: *Ephesijs Paulus dicit, Mundæ sunt manus meæ à sāguine omnium vestrum: non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis. Mundus ergò à sanguine eorum non esset, si eis Dei consilium annunciare noluisset; quia cũ increpare delinquētes noluerit, eos proculdubio Pastor occidit.*

15 Nonò possunt peccare Prædicatores, vt tales sunt multis alijs modis, de quibus latè tractat *Reginald. lib. 18. sua prax. sub nu. 130. & Molfes. p.1. sua sum. tract. 8 c.12. num. 54. & seq.*

De Monialibus, & earum Abbatissis, seu Priorissis, & qualiter peccent, vt tales sunt.

SEC. XXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Moniales, si post emissam professionẽ è Monasterio egrediantur citra legitimam causam ab Episcopo approbatam. Idque in omnibus Monialibus cuiuscunque Religionis, vel ordinis, ac etiam militiarum locum habet.*

2 *Id limitatur in Monialibus Conuersis, & professis pro colligendis Monialium eleemosynis, modo sint ætatis annorum 40. & extra Monasterium degant in domibus contiguis.*

3 *Possunt Moniales de Monasterio exire ob iustam causam, puta, magni incēdij, infirmitatis lepræ, epidemia, & ab Episcopo approbatam.*

Quid si periculum esset in mora, & non posset, tam citò haberi recursus ad Episcopum, an exire possint citra culpam, etiam non obtenta licentia.

4 *Peccant Moniales permittentes aliquem ingredi Monasterij septa siuè masculus sit, siuè fœmina cuiusuis ætatis sine licentia in scriptis obtenta.*

An id sit prohibitum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

An sint reuocata indulta, & priuilegia cōcessa Ducissis Marchionissis, alijsque Principibus ingrediendi Monasteria Monialium, eisque sit prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

5 *Non peccant Moniales permittentes, aliquem ingredi earum Monasteria sine licentia, ne pereat, aut ne patiatur damnum graue in vita, bonis, vel honore.*

6 *Peccant Regulares, loquentes cum Monialibus absque licentia Romani Pontificis.*

An, &

An, & quando peccent Regulares, accedentes ad Monasteria Monialium, & an peccent si loquantur per interpositam personam.

7 *Contra legem facit, qui verba legis amplectēs, contra legis nititur voluntatem.*

8 *Religiosus Anglus v.g. si accedat ad Monasterium Monialium Genuensium, easque alloquatur per interpretem, an dicatur violator Decreti prohibentis allocutionem cum Monialibus.*

9 *Ex vi Decreti prædicti non solum prohibetur collocutio cum Monialibus, sed etiam tractatio.*

10 *Peccant Moniales dantes, vel recipientes conuiuia, iocalia, vel alia huiusmodi ex pacto, vel statu pro Religionis ingressu.*

11 *Cur Moniales dotem recipientes à volente Religionem ingredi, non peccent, ac etiam à labe simoniæ excusentur.*

12 *Adducitur circa rem hanc declaratio Sacr. Congregationis Regularium edita die 6. Septembris 1604.*

13 *Peccant Monialium Superiores, concedentes Monialibus vsum rerum mobilium, excedētem paupertatis statum.*

14 *Non interdicitur Monialibus, in communi viuentibus, quin habere possint Cellam aliquam, quoad vsum, pecuniam, & alia mobilia, quæ vulgò appellantur deposita.*

Apud quam Monialem manere debeant prædicta deposita, & non ad libitum Superioris applicanda in totum, vel in partem.

15 *Peccant Abbatissa, Priorissa, seu Præfectæ Monialium, quæ non viuunt in communi, si licētiam dent suis subditis faciendi munera immoderata.*

16 *Peccāt Abbatissæ, aut quæuis Monialium Superiores, concedentes, seu promittentes alicui puellæ, ad habitum Regularem recipiendæ loca per obitum Monialium intra numerum decedentium, vacatura.*

17 *Peccat Abbatissa, & ab officio suspendatur si ante mensem, quam nouitia professionē emittat, certiorem non faciat Episcopum ad eius voluntatem explorandam.*

18 *Peccant Abbatissæ, aliæque Monialium Superiores, quæ scientes aliquam virginem, viduam, vel quācunque aliam mulierem non sponte ingredi Monasterium, eamque recipiunt, & ad habitum, ac professionem admittunt.*

Idque locum habet, siuè Clerici, vel Regulares sint siuè Laici, & quauis dignitate fulgentes.

An simili anathemati subyciantur, qui Sanctam Virginum, vel mulierum voluntatem habitum accipiendi, vel voti emittendi, sine iusta causa impediant.

19 *Peccant Abbatissæ, aliæque Moniales scienter admittentes puellas ad habitum ante annum 12. & ad professionem ante annum 16.*

20 *Peccant Abbatissæ, & aliæ Præfectæ Monialium, si vigilantes nō sint, ac discretæ, in præficiendis Monialibus anfianis, vetulis, & irreprehensibilibus.*

21 *Peccant Abbatissæ si negligentes sint in corrigendis Monialibus, maximè si id agant, vt propriæ vtilitati consulant.*

22 *Peccant Moniales resistentes reformationibus faciendis per Superiores, circa tollendas maximè proprietates, aliosque abusus.*

23 *Peccant Moniales permittentes eligi in Abbatissam vltra triennium, vel electæ per triennium, vltra triennium in officio durauerint.*

24 *Peccant Moniales dantes, vel recipientes munera.*

25 *Peccare possunt Moniales multis modis contra tria vota substantialia Religionis.*

An Regulares gloriari possint de eorum nobilitate, & ad quam nobilitatem, vt perueniāt, studere debeant.

Et an peccent Regulares suscipiendo filios Secularium de baptismo.

An denique peccent se transferendo ad aliam Religionem absq; iusta & rationabili causa.

26 *Si post petitam licentiam, sed ante transitum ad aliam Religionem Monachus aliquid acquisierit, vel sub conditione sibi donatum fuerit, Priori Monasterio acquiritur.*

Quid si sub conditione fuerit aliquid sibi legatum.

1 PEccant primò Moniales post emissam professionem è Monasterio egredientes citra legitimam causam ab Episcopo approbatam. Id enim per *Conc. Trid. sess. 25 de Regular. cap. 5.* expressè eis interdicitur, etiam per breue tempus, per hæc formalia verba: *Nemini autem Sāctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breue tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque, & priuilegys non obstantibus.* Hanc eandem Constitutionem primò edidit Bonifac. VIII. vt patet ex *cap. vnico, de stat. Regular.* in 6. & deindè Pius V. Constit. 8. quæ incipit, Circa pastoralis officij: & Constitut. seq. ipsam confirmauit, vna cum d. Decreto *Conc. Trid.* & ipsas Constitutiones, ac decreta amplauit, vt locum sibi vendicēt in omnibus Monialibus cuiuscunque Religionis, ac ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolym. siuè professionem emiserint expressè, siuè tacitè, etiam si conuersæ sint, aut quocunque alio nomine nuncupentur, vt patet ex d. Constitut. 8. § 1. Imò Constitutione seq. quæ est declaratoria d. Constitut. 8. vult, vt dicta decreta, & Constitutiones comprehendant, non solùm Moniales cuiuscunque ordinis; sed etiam cuiuscunque gradus, etiam à Regia, vel illustri prosapia ortas, vt in § 2. vbi quasqueMoniales ipsas contrauenientes, & illarum receptatrices excommunicationis maioris vinculo ipso facto alligat, à qua præterquam à Romano Pontifice, nisi in articulo mortis, à nemine absolui possint. Et § 3. reuocat omnes, & quascunque facultates ipsis Monialibus concessas exeundi à Monasterijs, & extra illa standi.

2 Limitatur tamen id quod diximus, vt locum nō habeat in aliquibus Monialibus Conuersis, & Professis pro colligendis ipsarum Monialiū eleemosynis; dummodò sint ætatis annorum quadraginta, & extra Monasterium degant in domibus contiguis, vt decernitur in *d. const. 8. Pÿ V.* § 5. ità se habente: *Porrò ne Moniales, & Tertiariæ prædictæ propter hanc clausuram, detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad* illa-

illarum victum patiantur, sed vt eis opportunè consulatur, auctoritate Apostolica prafata statuimus, decernimus, pracipimus, atq; mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, vt curent colligi Fidelium eleemosynas per Conuersas, qua non sint professa, vel si professa fuerint, sint tamen atatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium degant, & non ingrediantur clausuram aliarũ Monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis: & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, & earum Superiorum. Quibus adde *Const. Greg. XIII.* & quæ habentur ex *Steph. Quar. in sum. Bullar. ver. Monasteria Monialium.*

3 Item prædicta limitantur, vbi iustam exeundi causam è Monasterio Moniales ipsæ haberent, nempè causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ: & ab Episcopo approbata, vt habetur in d. Bulla Pij V. declaratoria præfatæ Bullæ 8. §. 2. in illis verbis: *Alia occasione, & pratextu, nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepra, aut epidimia; qua tamen infirmitas, prater alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiã si pradicta Monasteria ab Episcoporum, & Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiãtur, cognita, & expresè in scriptis approbata sit, à Monasterijs prafatis exire, sed nec in pradictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere, &c.* Est tamen verum, quòd si Monasterium minaretur ruinam, aut incenderetur, & periculum esset in mora, & non posset tam citò recursus haberi ad Episcopum, tunc citrà culpam, etiam nõ obtenta licentia licitum esset Monialibus Monasterium egredi. Et idem dicendum est, si exirent è Monasterio ad effugiendum hostium incursum: siquidem lex humana; imò & Diuina positiua lata pro eo, quod non est intrinsecè malum, nunquam censetur obligare ad sui obseruantiam cum periculo vitæ, aut bonorum magnum detrimentum, vt latè probauimus in nostris *Commẽtar. in Bull. Cana, lib. 1. c. 2. q. 2. concl. 3. num. 19. 20. & 21.* At Moniales è Monasterio egredi, non est intrinsecè, & ex obiecto malum; sed tantùm malum, quia prohibitum: aliàs nunquam liceret Monialibus è Monasterio exire.

4 Secundò peccant Moniales permittentes ingredi earum Monasteriorum septa aliquem, siue masculus sit, siue fœmina cuiuscumq; ætatis sit sine licentia in scriptis obtenta. Etenim sub sub pœna excommunicationis latæ sententiæ per Conc. Trid. omnibus, & quibuscumque est interdictus ingressus, vt in *c. 5. de Regular. sess. 25.* ità se habente: *Ingredi autem intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscumq; generis, aut conditionis, sexus, vel atatis fuerit sine Episcopi, vel Superioris licẽtia in scriptis obtẽta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrẽda.* Vndè cùm actio cooperantis sumat speciem ab actione eius, cui cooperatur, & agentes, ac consentientes pari pœna puniantur, *c. quãta, de sent. excomm.* sicut peccant ingredientes vt sup. sanctimonialium Monasteriorum septa, ità etiam peccant ipsæ Moniales consentiẽtes. Imò extat Constitutio Gregor. XIII. 28. quæ incipit, *Vbi gratia*, quæ reuocans omnia indulta, & priuilegia concessa Ducissis, Marchionissis, & alijs Principibus ingrediendi Monialium Monasteria, & præcipiens sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ne illis vtantur, eisdem pœnis afficit Moniales admittentes eas intra claustra prætextu dictorum indultorum, ac priuilegiorum ità statuens §. 4. *Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrẽdis prohibemus, ac interdicimus omnibus, & quibuscumq; personis Ecclesiasticis, & Sacularibus, ac etiam Ordinum quorumcumq; etiam Mendicantium Regularibus, ne pratextu licẽtiarum ab Episcopis, vel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantùm ex Decreto Conc. Trid. tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus vrgentibus dumtaxat ingredi: neue Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere presumant, non obstantibus pramissis, &c.* Hanc eandem Constitutionem confirmat Paul. V. Const. 74. & idem Gregor. XIII. declarans per aliam Constitutionem editam sub die 23. Decemb. 1581. & publicatam die 30. Decemb. 1582. quæ incipit, *Dubijs*, statuit, vt nec Superiores ingredi possint Monialium Monasteria extra casus necessarios. Vndè citrà culpam Moniales non possunt procurare, Confessarij earum, & nec Episcopi quidem ad Monasterium ingressum citra legitimam, ac necessariam causam.

5 Limitatur tamen id, quod diximus, vt non habeat locum in sanctimonialibus permittentibus aliquam personam ingredi earum Monasteria sine licentia vt supra; ne pereat, aut ne patiatur graue damnum in vita, bonis, aut in honore: quoniam sicut ingrediens septa Monasterij in illis casibus non peccat, eo quòd excusatur ab obseruantia Decreti Conc. Trid. & aliarum Pontificiarum constitutionum; cum lex positiua non censeatur obligare ad sui obseruãtiam cum tanto rigore, vt sæpè diximus; ita etiã Sanctimoniales permittẽtes ingredi personam illam, sunt ab omni culpa immunes, cùm actio cooperantis bona, vel mala dicatur iuxtà bonitatem, vel malitiam actionis eius, cui cooperatur. Addę quòd sub dispositione Concilij Trid. & aliarum Pontificiarum Constitutionũ non comprehendantur Moniales recipiẽtes intra septa Monasteriorum puellas educationis causa, vt fuisse rescriptum à Sacra Cõgregatione Episcopo Hieracensi testantur *Adden. ad Steph. Quar. ver. Monasteria Monialiũ*, quoad prædictam Constit. Gregor. XIII. editam anno 1575. his verbis: *Reuerendissime Domine, &c.* quibus adde 17. Sacræ Congreg. declarationes circa receptionem puellarum, quas refert *Rodriq. tomo 1. qq. Regular. q. 46. ar. 10.* Imò mulieri nuptæ permanere volenti in Monasterio ex causa rationabili, non repugnat *c. vnic. de statu Regular. in 6.* nec Conc. Trid. & similes Pontificiæ Cõstitutiones, vt habetur ex *Nauar. cons. 5. de Diuor. in nouissimis cum Apostilla:* & *Addent. ad Steph. Quaran. loc. cit.*

6 Tertiò peccant Moniales loquentes cum Regularibus absq; licentia Rom. Pontificis contra formam Decreti Sacræ Congreg. Regular. editi Nonis Maij 1590. quod refert *Steph. Quar. in sum.*

sum. Bullar. in ver. Monasteria Monialium, quo prohibentur Religiosi accedere ad Monasteria Monialium citra licentiam prædictam, nisi in casibus in ipso Decreto contentis: siquidem prædicti Religiosi contrauenientes peccãt mortaliter, vt nos latè probauimus in nostris *Commẽtar. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 8. q. 2.* vbi retulimus inter alia decretum Sac. Congreg. latũ sub die 1. Iulij 1606. ita se habens: *Sacra Congregatio S. R. E. Card. negotijs Regularium præposita censuit, & declarauit, Regulares accedẽtes ad Monasteria Monialium contra formam decreti, quo huiusmodi accessus per Sacram Congregationem prohibetur, vltra pœnas priuationis officiorum, & vocis actiuæ, & passiuæ. incurrere etiam pœnam peccati mortalis*. Vndè cùm peccent ipsi Regulares contrauenientes; peccant ipsę Moniales consentientes per ea, quæ sup. diximus. Id autem verum esse dicimus, non solum si Regularis accedat ad Monasterium, & stans ad cratem locum distinctum ad colloquendum, per se loquatur cum Monialibus; sed etiam si loquatur per interpositam personam, seu per interpetrem, qui habeat cum eisdem loquendi facultatem.

7 Probatur hæc ampliatio ex *ten. in l. non dubium, C. de legib.* vbi is dicitur facere contra legem, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem; sed qui loquitur per interpositam personam cum Monialibus accedendo ad earum Monasterium, & ad cratem vt supra, licèt non faciat contra verba dicti decreti; nihilominus facit contra eiusdem mentem; ergò verè facit contra ipsum decretum, idemq; violat. Maior patet ex *d. l. non dubium*. Probatur minor, quoniam per supradictum decretum prohibetur accessus ad Monasteria Monialium ad colloquendum, siue tractandum cum eis, vt patet ex illis verbis: *Ad Monasteria, seu domus quarumcumq; Monialium, vel Sororum, siue sui, vel alterius cuiusuis Ordinis ad colloquendum, siue tractandum cum eis, &c.* Et id ne Regulares amicitias, & familiaritatem habeant cum Monialibus: nam ex huiusmodi amicitijs, & familiaritatibus nonnulla solent oriri scandala: at familiaritas, & amicitia contrahitur nõ solùm per allocutionem per se, sed etiam per interpositam personam & interpetrem. Ad hoc etiam facit *tex. in c. mulieres, §. illi verò, de sent. excom.* vbi licèt mandans percuti Clericum nõ dicatur verè eum percutere; dicitur tamen verè committere contra *cap. Si quis suadente Diabolo, 17. q. 4.* atque ideò contra legem, vt declarauimus in præallegato nostro *Commentar. in Bull. Cœna, num. 22.* Confirmatur; quia qui per interpetrem confitetur, verè dicitur confiteri: ergò & qui per interpetrem loquitur verè dicitur loqui.

8 Rursùs, demus Religiosum aliquẽ Anglum, v. g. qui Italam linguam non intelligat, & accedat modo, quo supra ad Monasterium Monialium Genuensium, quæ Anglicam linguam non percipiant, & loquantur per interpositam personam, seu interpetrem, qui tum Anglicæ, tum Italæ linguæ sit intelligens; quisnam audebit negare huiusmodi Religiosum dicti decreti esse violatorem: quod si ita est; ergò idem dicẽdum erit si locutio per interpositam personam, vt supra fieret per Religiosum cũ Monialibus eiusdem linguę cùm assignari non possit diuersitatis ratio. Præterea, vbi lex redderetur inutilis si secundum eius verborum proprietatem intelligeretur; tunc ne reddatur inanis, patitur interpetrationem extẽsiuam, ac latiorem, etiam contra proprietatem verborum, vt in *c. si Ciuitas, de sent. excom in 6.* vbi Interdictum latum in Ciuitatem, extenditur etiam ad Suburbia, ne fiat inutile: & tamen appellatione Ciuitatis nõ veniunt Suburbia, & continentia ædificia, vt in *d. c. si Ciuitas*, & ibi *Doctor.* Sed si decretum, de quo agitur, esset intelligendum de accessũ ad Monasteria Monialium ad colloquẽdum cum eis formaliter, & non includeret allocutionem prædictam per interpetrem, seu per interpositã personam, efficeretur inutile, cùm quilibet posset ità colloqui cum Monialibus: Ergò ne decretum illud fiat inutile, extendi debet etiam ad casum, de quo agitur. Deniq; vt dicti decreti non solùm prohibetur locutio; sed etiam tractatio cum Monialibus, ità vt ad violandum illud sufficiat collocutio, vel tractatio, vt constat ex illis verbis dicti decreti: *Ad colloquendum, siue tractandum cum eis.* Ergò Religiosus, de quo agitur, loquendo cum Monialibus per interpetrem vt supra, dato, quòd secundum proprietatem verborum non dicatur colloqui cum eis; nihilominus dicitur verè, ac propriè, & secundum proprietatem verborum cum eisdem tractare; atque ideò, dato, & non concesso, quòd sub præfato decreto non comprehendatur vt loquens; comprehenditur tamen, vt tractans cum Monialibus.

9

10 Quartò peccant Moniales conuiuia, iocalia, & alia eiusmodi ex pacto statuto, aut consuetudine recipientes, vel dantes pro Religionis ingressu. Et insuper si sint singulares personæ, excommunicationis: si conuentus, vel capitulum, suspensionis sententias ipso facto incurrunt, vt in *extrauag. 1. de simon.* qui *tex.* loquitur de *Regular. vtriusq; sexus*; atq; ideò non solùm Moniales; sed etiam quicumq; alij Religiosi pro Religionis ingressu dantes, aut recipientes res illas, aut alias ui alicuius statuti, aut consuetudinis, peccant mortaliter, & in præfatas censuras incidunt. Dixi: *Ex pacto, statuto, vel consuetudine*; quia si spontè, & liberè hæc & alia donent, vel recipiant, non peccant, nec in aliam pœnam incidunt, ut in *d. extrauag. de simon.* in illis uerbis: *Illa dumtaxat, quæ personæ ipsæ ingredientes purè, & spontè, & plena liberalitate, omniq; pactione cessante dare, offerre. Ecclesijs, & Monasterijs, Prioratibus, domibus, & locis huiusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè receptum* Ex enim supradictis casibus simonia non committitur, arg. *tex. in c. tua nos, de simon.*

11 Sed dices; quomodo Moniales, quæ ad earũ Monasterium nullam recipiunt, nisi volens ingredi dotem explicat, à simoniæ labe excusentur, atq; ideò non peccent, cum dos detur, ac recipiatur Religionis intuitu. Ad hanc difficultatem respondetur, quòd licèt regulariter recipi non debeant plures Moniales in aliquo Monasterio, quã ex redditibus Monasterij ali possint, vt in *c. 1. §. sanè, de statu Regular. in 6.* & in *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. c. 3.* Nihilominus

nus iura illa non prohibent alias Moniales recipi supranumerarias cum competenti dote, adhoc, vt possint alimentari, cùm non suppetant Monasterij redditus etiã pro supranumerarijs: aliàs id cederet in præiudicium antiquarum Monialium; quoniam necessariò subtraherētur ea, quæ aliàs erant debita; id autem non est illicitum, nec simonia aliqua contrahitur; quoniam dos recipitur à supranumerarijs non intuitu ingressus Religionis, sed propter necessariam earum sustentationem, vt rectè declarat *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 15. nu. 64.* Imò *Zecch. par. 2. sua summ. de simon. cap. 94. sub num. 27.* probabiliter putat, posse exigi dotem; etiam si Monasterium commodè alimenta subministrare posset proprijs sumptibus alijs Monialibus supranumerarijs, præter eas quas habet; dummodò semper recta habeatur intentio dandi, & accipiendi dotem ipsam pro sustentatione; non autem pro Religionis ingressu; quòd quidem non placet *Turrecr. 1. q. 2. in sum.* quia si Monasterium non indigeat, non potest recipi dos pro sustentatione; nisi recipiatur pro alia iusta, ac rationabili causa, nempè pro reparatione, aut ampliatione Monasterij, pro paramentis, aut pro alijs rebus ad Diuinum cultum pertinentibus, & tunc à spontè tantum, ac liberè dantibus.

12 Sed circa rem hanc extat declaratio Sacræ Congregationis Regular. edita die 6. mensis Septembris 1604 quam refert *Steph. Quar. in sum. Bullar. vers. Monasteria Monialium*, cuius tenor est, qui sequitur: *Quemadmodum sacri olim Canones, & nouissimè Sacr. Concil. Trid. summa ratione, decreuit, vt in Monasterijs, & domibus, tàm virorum, quàm mulierum bona immobilia possidētibus, is tantùm numerus Cōstituatur, ac in posterum conseruetur, qui, vel ex redditibus proprijs Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari, ita quoque Sacra Congregatio S. R. E. Cardinaliū, quæ negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeest, antiquius nihil est, quàm salutaria huiusmodi decreta debitè executioni demandari curare, sæpius locorum ordinarijs rescripsit, vt certum numerum in singulis Monasterijs Monialium, etiam cura Regularium, seu militiarum subiectis, iuxta cuiusque Monasterij facultates præscriberent: & si qua supra statutum numerum reciperentur, duplicem eleemosynam afferre, & supranumerariarum locum tenere deberent. Verum quia in dubium plerumque venit, num supranumeraria prædicta aliquibus ex numero in quolibet Monasterio definito decedentibus, in earum locum subrogari possent, aut deberent; Eadem Sacra Congregatio, quæ peculiariter super ea re sæpè numero rescripsit, prouidere volens, ne quis deinceps dubitationis locus relinquatur, huius generalis Decreti tenore statuit, & declarat, Moniales, quæ supranumerum in quolibet Monasterio constitutum recipiuntur, in locum Monialium decedentium intra numerum nequaquam subrogari, neque impedimento esse quin aliæ in locum earundem ex numero demortuarum recipi eo modo valeant, quo in singulis Monasterijs Moniales intra numerum possunt admitti: qui nimio easdem sic supra numerum receptas, supranumerarias semper, quoad hoc remanere; etiam si in cæteris ab alijs nihil differant; sed illis in omnibus pares, & æquales, iuxta cuiusque Monasterij institutum esse debent.*

Declarat insuper Sacra Congregatio duplicis eleemosynæ nomine intelligi semper debere duplicatam summam eius, quæ in receptione cuiusque Monialis intra numerum in quolibet Monasterio cōstitutum erogari pro tempore consueuerit: ita tamen, vt vbi summa, quæ confertur minor est scutis ducentis, ibi saltem ratione duplicatæ eleemosynæ soluenda sint scuta quadrigenta, & non minus. Eadem quoque Sacra Congregatio districtè prohibet, ne loca per obitum Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura, cuiquam puellæ ad habitum Regularem recipiendæ concedantur, neque promittant, nisi secuta vera, & reali illarum vacatione; atque ita demum, & non antea de eis disponi, ac in Monialis *demortuæ locum, promissionem, aut receptionem in Capitulo, seu quouis alio modo fieri iubet, dummodò tunc temporis puella ipsa recipienda, & ætatem habeat idoneam, & cæteras qualitates requisitas; quibus etiam prædictas esse debere vult eas puellas, quæ sup. numerū recipiendæ sunt, iā tunc cum eis loca, vel promittuntur, vel dantur: Si quid verò contra à quoquam fieri contigerit, irritum, & inane, ac nullius roboris, & momenti fore, & esse decernit. Ac nihilominus Abbatissas, Priorissas, & alios quoscunque* Monasteriorum *Superiores, qui cuiusuis puellæ receptioni, vel admissioni, aut locorum vacaturorum promissioni, seu concessioni aduersus præsentis Decreti dispositionem consenserint, priuationi vocis actiuæ, & passiuæ, aliisque arbitrio eiusdem Congregationis infligendis pœnis obstrictos, & obnoxios fore declarat, saluis etiam semper, & in suo robore permanentibus alijs quibuscunque ipsius Congregationis Decretis aliàs latis præsenti Decreto non contrarijs; præsertim circa* Monialium *admissionem, & receptionem ad habitum, & professionem, & circa eleemosynarum depositionem, solutionem, & erogationem in bona stabilia, quibus nullatenus derogare vult, & intendit.* Ex qua declaratione patet, quod omnes Moniales hodiè, tàm supranumerariæ, quàm intra numerum dotes exoluunt, ita vt supranumerariæ duplicatam eleemosynam afferant, vt supra.

13 Quintò peccant Monialium Superiores concedentes Monialibus vsum rerum mobilium excedentem paupertatis statum; sicut, & rerum immobilium, etiam si eas concederent, vt conuentus nomine ab eis possideantur; atque ideò possidentes tutæ in conscientia; quoniam id expressè prohibetur ex *Conc. Trid. sess. 25. cap. 2. de Regular.* his verbis: *Nemini igitur Regularium, tàm virorum, quàm mulierum liceat bona mobilia, vel immobilia, cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquisita tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus possidere, vel tenere; sed statim ea superiori tradantur, Conuentuiq; incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vsumfructum, vel vsum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conuentuum ad solos officiales eorundem ad nutum Superiorum amouibiles pertineat. Mobi-*

billum verò vsum ita Superiores permittant, vt eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut conuictus fuerit, is biennio actiua, & passiua voce priuatus sit, atque etiam, iuxta sua Regula, & Ordinis Constitutiones puniatur. Et insuper contrauenientes, tanquam proprietariæ nouerint esse in statu damnationis, nec possunt eis Sacramenta administrari: & Confessarius peccat mortaliter absoluendo illas, nisi resipiscant, etiam si talis consuetudo viuendi diù fuerit in eorum Monasterijs: siquidem non consuetudo, sed corruptela potius dicitur, vt ait *Antonius in Cathec. Neap. lib. 1. cap. 56.*

14 Verum tamen est, quòd per huiusmodi Decretum non interdicitur Monialibus non viuentibus in communi, quin possint habere aliquam cellam, quoad vsum, & habere pecuniam, & alia bona mobilia, quæ vulgò appellantur deposita, quibus possint proprijs necessitatibus consulere; dummodò dicta bona maneant depositata apud aliquam Monialem ad id specialiter deputatam, & de eis disponant, iuxta beneplacitum, & licentiam Superioris, in cuius facultate sit, bona illa depositata applicare Monasterio, aut alteri Moniali indigenti, in totum, vel in parte ad sui libitum: nec id est contra votum paupertatis, vt constat ex ordinationibus factis per Sacram Congregat. Regular. super reformatione Sanctimonialium Neap & Salern. quas refert de verbo ad verbum *Steph. Quar. in sum. Bullar. vers. Monasteria Monialium*, editis die 4. mensis Iulij 1589. *cap. 46.* his verbis: *In Monasterijs, in quibus similiter retinentur hactenus prouisiones, & subuentiones, & non omnia in communi conferuntur, concedatur licentia accipiẽdi aliquam subuentionẽ de manibus tamẽ Abbatissa, seu Prafecta Monasterij, siue Depositaria ad nutũ tamẽ Abbatissa, seu Prafecta predicte pro suis Religiosis necessitatibus: qua verò supersunt, Abbatissa erogare teneatur in communes vsus Monasterij. Ac ordinarij, siuè Superiores Monastery quotannis exigant rationem à Depositaria, & Abbatissa, seu Prafecta prędictis de huiusmodi prouisionibus, subuẽtionibus, ac depositis, & in eas trãsgrediẽtes grauiter animaduertãt.* His adde, quæ sup. adnot. *sec 9. per tot.* & insuper est animaduertẽdũ, quòd Moniales Neapolitanę, ac Salernitanę nõ seruãtes supradictas Sacræ Congregationis ordinationes quadraginta sex capita continentes, peccant mortaliter, sicut alię cuiuscunque loci Moniales non seruantes Superiorum Ordines, nisi excusentur ratione paruitatis materiæ, aut ratione imperfectionis actus.

15 Sextò peccant Abbatissæ, Priores, seu Pręfectæ Monialium, quæ non viuunt in communi, vt supra, si licentiam dent suis subditis faciendi munera immoderata, & maximè quibusdam personis ad eas non pertinentibus, & non potius quæ eis supersunt pro Religiosis earum necessitatibus erogent in communes vsus Monasterij: nàm ad id tenentur pro conseruando paupertatis voto, etiam si supradictum Decretum nõ fuerit latum.

16 Septimò peccant Abbatissæ, & quæuis Monialium Superiores concedentes, seu promittentes loca per obitum Monialium intra numerum decedentium pro tempore vacatura alicui puellæ ad habitum Regularem recipiendæ: id enim est eis interdictum, nisi secuta vera, & reali illorum vacatione. Id enim eis interdicitur sub pœnis contentis in Decreto Sacræ Congregationis lato sub die 6. mensis Septembris 1604. quod supra de verbo ad verbum retulimus *vers. Quartò peccant, & vers. Sed circa rem hanc.*

17 Octauò peccat Abbatissa, & ab officio suspẽditur, si ante mensem, quam nouitia professionẽ emittat, certiorem non faciat Episcopum ad explorandam eam. Id enim statutum fuisse cõstat per *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 17.* vbi etiam de ætate puellæ ad habitum suscipiendæ, & de libertate professionis statuitur his verbis: *Libertati professionis Virginum, Deo dicandarum prospiciens Sancta Synodus statuit, atque decreuit, vt si puella, qua habitum Regularem suscipere voluerit maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, Virginis voluntatem diligenter, an coacta sit, an seducta, sciat, quid agat, & si voluntas eius pia ac libera cognita fuerit, habueritq; conditiones requisitas, iuxta Monasterij illius, & Ordinis Regulam, nec non Monasterium fuerit idoneum, liberè ei profiteri liceat, cuius professionis tempus, ne Episcopus ignoret teneatur Prafecta Monasterio eum ante mensem certiorem facere: quod si Prafecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiù Episcopo videbitur ab officio suspensa sit.*

18 Nonò peccant Abbatissæ, & aliæ Superiores Monialium, & ipsæ Moniales in excommunicationem incidunt, quæ scientes aliquam Virginem, viduam, aut quãcunque aliam mulierem spontè non ingredi Monasterium, eam recipiũt, ad habitum, aut professionem admittunt, aut quoquo modo actui præsentiam, vel consilium, vel auctoritatem interposuerint, exceptis tamen casibus in iure expressis: & eadem censura alligantur, impedientes virginem habitum, vel professionem emittere volentem, vt in *Concil. Trident. sess. 25 de Regular. cap. 18.* quod locum sibi vendicat, non solum contra Moniales, sed etiã contra quoscunque alios cogẽtes, aut impediẽtes, vt supra, his verbis: *Anathemati Synodus subijcit omnes, & singulas personas, cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam Clericos, quàm Laicos, Sęculares, vel Regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam aut aliam quamcunque mulierem inuitam, prę-terquam in casibus, in iure expressis ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittẽdam professionem: quique consilium, auxilium, vel fauorem dederint: quique scientes eam non spontè ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere quoquo modo eidem actui, vel prȩsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. Simili quoque anathemati subijcit eos, qui Sanctam Virginem, vel*

aliam mulierem voluntatem, vel accipiendi, vel voti emittēdi, quoquo modo sine iusta causa impedierint. Eaque omnia, & singula, quę ante professionem, vel in ipsa professione fieri oportet, seruentur non solùm in Monasterijs subiectis Episcopo; sed in alijs quibuscunque. Ab his tamē excipiuntur mulieres, quę pœnitentes, aut conuersę appellantur, in quibus Constitutiones earum seruentur.

19 Decimò peccant Abbatissæ, & aliæ Moniales scienter admittentes puellas ad habitum ante 12. annos: & ante 16. annum ad professionem: aut quas post susceptum habitum, per annum in probatione non steterint, ad professionem admittant: & insuper professio nulla est, vt in *Cōcil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 15.* quo ita statuitur: *In quacunque Religione, tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem ante facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obseruationem, aut ad alios quoscunque effectus.* Est tamen verum, quòd per susceptionem habitus ante 12. annum, si professio fiat post 16. annum completum, non vitiatur, quia *Concil. Trid. d. sess. 25. c. 17.* non statuit annullando; sicut statuit in hoc *cap. 15.*

20 Vndecimò peccant Abbatissæ, & aliæ Præfectæ Monialium si vigilantes non sint, ac discretæ in præficiendis Monialibus ansianis, vetulis, & irreprehensibilis vitæ, quæ curam habeant portæ Monasterij, assistant Monialibus in Cratibus, seu Rotis, &c. cum Sæcularibus, & alijs cum ipsis loquentibus, Sacrestiæ, & alijs similibus obedientijs: siquidem ex diligentia, & negligentia harum officialium omne bonum, aut malum prouenit Monasterio, & eius Monialibus.

21 Duodecimò peccant Abbatissæ si negligentes sint in corrigendis Monialibus, & maximè si id agant, vt propriæ ipsarum vtilitati consulant, vt supra diximus de Superioribus Regularibus agentes supra *sec. 12. vers. Septimò peccat: & sec. 15 vers. Tertiò peccant*, vbi ostendimus, quòd Superiores, qui humanam gratiam perdere pertimescentes, errantes non corrigunt, non pastores, sed mercenarij vocantur; & canes muti non valentes latrare.

22 Tertiodecimò peccant Moniales resistentes reformationibus faciendis per Superiores circa tollendam maximè proprietatem, & alios abusus; & impedientes ipsarum visitationem: & si monitæ non resipiscant, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt: & idem dicendum est de quolibet alio, vt supra impediente, vt in *Clem. attendentes, § fin. de statu monac.* in illis verbis: *Si qui verò visitatores ipsos in pręmissis impedire præsumpserint, seu aliquo pręmissorum, nisi moniti resipiscant, ipso facto excommunicationis sententiam nouerint incursuros, priuilegijs, statutis, & consuetudinibus quibuslibet in contrarium minimè valituris.* Quibus adde *Sayr. de censur. lib. 3. c. 25. nu. 14. qui d. Clem.* rectè declarat.

23 Quartodecimò peccant Moniales si vltra triennium permittant eligi in Abbatissas: aut per triennium electæ in officio vltra triennium durauerint. Etenim hodiè in Italia Abbatissæ, & aliæ Superiores eiusmodi non possunt esse perpetuæ, sed tantùm triennales, vt patet ex Constitut. Gregor. XIII. 80. §. 2. in illis verbis: *Cum primum Abbatissę, aut alię Prefectę huiusmodi regimini, & administrationi ipsorum Monasteriorum cesserint, etiam apud S. Apostolicam, vel decesserint, earum Abbatissatus, seu Prefecturas vacare contigerit, Abbatissę, aut alię Prefectę non amplius perpetuę, seu ad vitam; quarum nomē, ac titulum ex nunc, prout ex tūc, Apostolica auctoritate ex certa nostra scientia, deque Apostolicę potestatis plenitudine, tenore presentium perpetuo extinguimus, & abolemus, sed triennalis tantum à Conuentu vniuscuiusq; Monasterij, & aliàs iuxta Decreta Sacr. Concil. Trid. & Regularia eorum instituta eligātur, & prȩficiantur, quę postmodum, elapso triennio, suis officijs perfunctę preesse desinant, omnique prorsus careant, auctoritate, ac à regimine, & administratione Monasterij per triennium à die finitę administrationis inchoandum, abstineāt, quo elapso, seruata eadem forma Concil. Trid. iterum, & pluries eligi possint.* Eliguntur autem Abbatissæ, & aliæ Præpositæ Monialium, iuxta formam *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 6.* per vota secreta. Quæ autem forma specialiter sit seruanda in electione Abbatissarum Monasteriorum Monialium Congregationis Cassinēsis Ordinis S. Benedicti, traditur ab eodem Gregor. XIII. Constit. 15. quæ incipit: *Ex nostri pastoralis officij.*

24 Quintodecimò peccant Moniales dantes, vel recipientes munera; id enim eis interdicitur per Constitut. Clem. VIII. 28. quæ incipit: *Religiosę Congregationes*; publicatam Romæ, die 2. Iulij 1594. quam refert *Steph. Quar. in sum. Bull. vers. Monasteria Monialium.* Est tamen verum, quòd dicta Constitutio non seruatur, & fortè abijt in desuetudinem: atque ideò eorum tantū munerum largitio videtur interdicta, quæ fit citra Superioris consensum, & adeò esset magna, vt paupertatis statui sit inconueniens, vel si munera data sint, vel recepta à personis, cum quibus sinistra suspicio de facili oriri potest.

25 Sextodecimò possunt peccare Moniales multis alijs modis contra tria vota substantialia Religionis, nempè obedientię, paupertatis, & castitatis, de quibus supra egimus *sec. 1. 2. 3. cum plur. seq. alijs seq.* de Regularibus virorum agētes: S. quidem quamplurima, quæ diximus de Regularibus virorum, conueniunt etiam Regularibus mulierum, atque adeò Monialibus, & propterea ea omnia hoc loco omittimus, ne bis idem repetere videamus. His tamen adde, quod Regulares, tàm virorum, quàm mulierum citra culpam non possunt gloriari de eorum nobilitate: siquidē inaniter quis gloriatur de eo, quod non habet. Religiosus enim per Religionis ingressum, ac professionem desinit esse nobilis, vt per *Glos. in cap. 1. vers. Ingenuis. de purgat. Can.* latè *Tiraq. tract. de nobilitate, cap. 26. & Rom. singul. 37.* incipit: *Vtrum nobilis per ingressum*: qui diffusè rem hanc disputant. Quo circa Regulares studere debent peruenire ad summam nobilitatem, quæ in eo consistit, vt clari sint virtuti-

tutibus, *cap. non loca, 40. d. cap. ante omnia, & cap. pen. de preb. & cap. nasci, 56. d.* Est tamen verum, quod in multis habetur nobilitatis ratio, de quibus *Glosa in extrauag. execrabilis, vers. Generis, de praeben. & dignit. Henr. in cap. si quē de sent. excom. & in cap. venerabilis, de preben.* Item Regulares vtriusque sexus peccant se implicantes, & familiaritatem nimiam habentes cum Saecularibus, accipiendo eorum filios de Baptismo, aut pro aliquo lucro captando Saecularia negotia agentes, & alia eiusmodi. Vnde *Eugen. Papa in c. placuit, il 2. 16. q. 1.* de tali Monacho loquens, ita ait: *Sedeat itaque solitarius, & taceat; quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Agnoscat nomen suum. Monos enim graecè, latinè, vnus; Achos graecè latinè, tristis. Vndè dicitur Monachus, idest vnus tristis. Sedeat ergò tristis, & officio suo vacet.* His etiam adde, quae ex *D. Hieronymo habentur in cap. Monachus, & cap. si cupis, ead. causa, & q.* Et denique caeteris praetermissis, peccant Regulares siue viri sint, siue mulieres ad aliam Religionem se transferentes absque iusta, ac rationabili causa; etiam si concurrat Superioris licentia: quoniam id citra leuitatem, & prioris Monasterij detrimentum fieri non potest. Est autem legitima, ac iusta causa si austeritas Regulae Prioris Monasterij, est supra talis Regularis vires. Vel si Prioris Monasterij Regula laxata fuerit: aut aliqua ei superuenit infirmitas, vt per *Franch. in cap. cum singulis, §. prohibemus, de praeben. in 6.*

26 Est tamen adnot. quòd si post petitam licentiam, sed ante transitum ad secundam Religionem Monachus aliquid acquisierit, vel sub conditione sibi donatum fuerit, illud Priori Monasterio acquiritur: quia in contractibus spectatur tempus promissionis, *l. filius familias ff. de verb. oblig.* & conditio retrotrahitur ad diem contractus initi, *l. praetor, §. videamus, ff. qui potior in pign. haben. l. qui balneum ff. de peric. & com. rei vend.* latè *Zabarel. in Clem. fin. q. 14. de elect.* Dixi: *Vel sub conditione sibi donatum fuerit; quia aliter dicendum est si sub conditione aliquid fuerit legatum: nam si ante conditionis euentum Monachus transeat ad aliam Religionem, aut efficiatur Episcopus, tunc posteriori Monasterio, vel Episcopatui legatum acquiritur: quia in vltimis voluntatibus conditio non retrotrahitur, l. 1. §. 1. ff. ad Syllan. & ibi Doctores.* His quoque adde, quae habentur ex *Sayro de censur.* vbi quamplurima alia peccata Religiosorum, & censurae recensentur.

De Nouitijs Regularium, tàm virorum, quàm mulierum, & eorum culpis. SEC. XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Nouitius, siue vir, siue mulier, si vouerit ingredi strictiorem Religionem, & laxiorem ingrediatur.*

2 *Peccat quoque, si cum firmo proposito ingrediatur perpetuò in ea permanendi, deinde mutet animum, & velit Religionis onera experiri. Idque probatur iuribus, & rationibus, & de veritate num. seq.*

3 *Haec sententia quamuis satis sit probabilis, cōtrariam tamen veriorem complures DD. existimant, idque probant ex definitione voti.*

4 *Peccant Nouitij cuiussis sexus sint non seruātes ea, quę eis pręcipiuntur per Religionis Regulam.*

5 *An Nouitius, qui alteri confitetur, quam Nouitiorum Magistro culpam aliquam contrahat, aut Sacramentalem confessionem nulliter faciat.*

Adducitur prima sententia, quod inualida sit confessio, multisq; iuribus, & rationibus probatur, & num. 7.

6 *Nouitij à Parochorum, ac Episcoporum cura eximuntur, & cura Prelatorum Regularium subijciuntur.*

7 *Contraria tamen sententia probabilior existimatur, & qua ratione, & num. 12.*

8 *Non semper verba imperatiui modi indicant pręceptum, sed multoties consilium.*

9 *Licet Nouitij exempti sint à cura, & iurisdictione Episcoporum, & subijciantur curę, ac iurisdictioni Prelatorum Regularium, id tamen non intelligitur, quoad actus, praeiudicium non concernentes Religionis in foro exteriori, quale est confiteri.*

Et quo tempore acquiratur domicilium.

10 *Alia datur ad supradictum argumentum de subiectione responsio.*

11 *Si Nouitius ingrediatur Religionem animo dumtaxat experiendi eius onera, & ad finem deliberandi, si confiteatur alicui Religioso eiusdem, vel alterius Monasterij, confessio erit valida.*

Quis nam cognoscat de delictis infra tempus probationis per Nouitium commissis, & an ratione delicti quis sortiatur forum.

12 *Nouitij etiam si non confiteantur eorum peccata proprio eorum Magistro, vel alijs ex Confessarijs praedictis, valida erit confessio.*

13 *Peccant Nouitij, Religionem ingredientes, si parentes habeant in necessitate constitutos, ac ipsis indigentes.*

14 *Peccant Nouitij Religionem ingredientes, si debita occultant, quae in seculo contraxerint, aut crimina, quae commiserint.*

15 *Peccant Nouitij si occultent, se esse bigamos, seruilis conditionis, &c.*

16 *Peccant Nouitij, ingredientes Religionem simoniacè.*

17 *Peccant Nouitij, qui ante aetatem legitimam, vel infra annum probationis, scienter, & dolosè ad professionem se admitti faciunt.*

Et quando dicatur Nouitius tacitam professionem emittere.

1 Peccat primò Nouitius siue vir sit, siue mulier, ingrediens Religionem lassiorem, cum vouerat ingredi strictiorem: & tenetur ad obseruantiam simplicis voti; eo quòd illud non impleuit per ingressum laxioris: imò quodammodo violauit, contra illud Domini, *Vouete, & reddite.* Benè verum est, quòd si in lassiori professionem emittat, tenet professio: & pro voto simplici non adimpleto est illi imponenda poenitētia, vt in *cap. penult. de Regular. in 6.* vbi hanc esse rationem ait; quia voto simplici per solemne censetur derogatum; non tamen valeret pro-

 fessio

fessio si faceret se oblatum; quoniam oblatio nõ est tantæ virtutis, vt per *Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 3. num. 3.*

2 Secundò peccat Nouitius, siue vir sit, siue fœmina, si Religionem ingressus, cum firmo proposito in ea perpetuò permanendi, deindè mutet animum, & velit Religionis onera experiri: & si non placeat sibi Regularis status, ab ea egredi, & Sæcularem vitam ducere. Etenim *Innoc. & sequaces in cap. consulti, de Regular.* volunt, propositum huiusmodi habere vim voti solemnis, atque adeò talem Nouitium cogi posse ad permanendum in Religione: vel saltem ex *Palud. in 4. d. 38. q. 1. vers. Secunda definitio, conclus. 2. & D. Anton. par. 2. tit. 11. cap. 2.* propositum illud æquipollet voto simplici; ita vt Religionem ingressus cum proposito perpetuò permanendi in ea, si habitum suscipiat, teneatur in illa, vel in alia Religione professionem emittere: non quia propositum sit votum; sed ob præceptum Ecclesiæ, ita præcipientis in *d. cap. consulti, de Regular.* vbi qui Religionem ingredi proposuerat, & monachalem habitum susceperit, præcipitur in ea permanere. Idem statuitur in *cap. statuimus, & cap. super eo, eod. tit.* Confirmatur etiam ex *tex. in cap. beneficium, de Regular. in 6.* vbi habetur, quòd beneficium Clerici Religionem ingressi intra annum probationis alteri conferri non potest; nisi constet, quòd absolutè voluit mutare vitam: & sic propositum mutandi vitam cum habitus susceptione habet vim voti solemnis; aliàs non spoliaretur Clericus suo beneficio. Denique hoc ipsum patet ex *cap. neque viduas, 27. q. 1.* vbi *Pelag. Papa* sic ait: *Neque viduas ad nuptias transire patimur, quæ in Religionis proposito diuturna obseruatione permanserunt.* Ex quibus verbis videtur colligi, propositum permanendi in Religione, suscepto Religionis habitu, inducere voti obligationem.

3 Hæc sententia re vera videtur satis probabilis, tum propter iura supra relata, tum propter auctoritatem *Innoc. in d. cap. consulti, de Regular.* cuius sententia licèt necessitatem non inducat, cùm non vt Papa, sed vt particularis Doctor loquatur; nihilominus est magnæ auctoritatis in interpretanda voluntate prædecessorum Pontificum, & Conciliorum; tum etiam propter auctoritatem supra relatorum Doctorum, & *Henriq. Boich in d. cap. statuimus*, & aliorum. Verũ his non obstantibus contrariam sententiam quamplurimi Doctores existimant esse veriorẽ, nempè *Panor. in cap. litteraturam, num. 3. de voto, & voti redemp. Nauar. in Man. cap. 12. nu. 26. Petr. de Arag. 22. q. 88. ar. 1. in fin. Couarr. Valent. Rodriq.* quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 6. Clau. Reg. par. 2. cap. 2. num. 7. & 8. & Sanch. lib. 4. sua summ. cap. 1. sub num. 20.* Mouentur ex eo, quòd ad essentiam uoti non tantùm exigitur propositum; sed etiam omninò requiritur promissio: siquidem uotum, vt ex eius definitione patet, est essentialiter promissio: at propositũ differt à promissione: nam *Sanch. ex Valen. loco citato, num. 19.* hanc differentiam esse ait inter nudum propositum, & promissionem, quòd illud prouenit ex deliberatione solius conueniẽtiæ rei faciendæ: promissio uerò ex deliberatione acceptandæ obligationis, sibi imponendæ. Confirmant pariter eorum opinionem ex *tex. in d. cap. litterarum, de voto*, ubi quidam, qui morbo laborans proposuit Religionis ingressum, liber ab obligatione iudicatur: eo quod tantùm illud proposuerit. Denique votum solemne est contractus quidam vltro, citroque obligatorius: atque ideò non potest esse citra vtriusque partis consensum: at Monasterium habitũ Religionis alicui tribuens, non ob id censetur in illius professionem consentire, vt in *cap. ad Apostolicam, de Regular.* & propterea quantumuis aliquis propositum habeat perpetuò manendi in aliqua Religione, & suscipiat habitum, solemni voto nõ videtur astrictus; sed potest à Religione egredi, & aliam non obligatur ingredi, atque ideò potest matrimonium contrahere; quia censetur habitum suscepisse secundum dispositionem iuris Canonici, vt per annum scilicet experiatur Religionis onera, vt deliberare valeat, an velit in ea permanere, vel potius ab ea egredi, vt in *d. cap. ad Apostolicam, de Regular.* Vndè si talis Nouitius habitum Religionis dimiserit, ait *Nauar. in Man. cap. 12. num. 47.* non modo mortaliter; sed nec venialiter quidem peccabit; nisi id agat ex animi leuitate. Ad contraria igitur ex *d. cap. consulti*, & alijs iuribus, respondent præfati *Doctor.* iura illa non esse intelligenda de simplici proposito; sed de proposito cum promissione coniuncto, siue promissio explicita sit, siue implicita, cùm ita Religionem ingressi censeantur probationis anno renũciasse.

4 Tertiò peccant Nouitij, siue Regularium virorum sint, siue mulierum, non seruantes ea, quę eis præcipiũtur per Religionis Regulam, & Cõstitutiones, cuius habitum susceperunt. Etenim Nouitij infra probationis annum, licet non dicantur propriè Religiosi, vt dicit *Bars. in l. illa, ne Sacr. Bapt. reit. Imola in l. quoties in stipulationibus*, & ibi etiam *Angel. de verb. obligat. & in l. si idem.* vbi *Paul. Castr. ff. de iurisd. omn. iudic. Rom. & Bald. in l. non solum in princ. & §. annus*, per illum *tex. ff. de excusat. tutor.* nec obligentur ad præcepta Regulæ, nisi sicut alij Christiani, *Syl. in sum. vers. Religio, 5. num. 6. Angel. eod. vers. nu. 18. & Sayr. lib. 7. Thesauri, cap. 13. num. 6.* nihilominus, quia non seruantes præcepta, & obseruationes Regulæ exponũt se periculo expellendi à Religione, atque ideò priuandi tanto bono, & redeundi ad Seculum non sine magno scandalo, & eorum animarum periculo; hac ratione saltem quamuis habeant animum seruandi Regulam post professionem, culpam contrahunt: eo magis, quia Nouitij dicuntur personæ Ecclesiasticæ, ita vt offendentes eos in excommunicationem incidant, contenta in *cap. si quis suadente Diabolo, 17. q. 4.* vt est *tex. in c. Religioso, de sent. excom. in 6.* & quoad forum in causis ciuilibus, & criminalibus infra annum probationis occurrentibus, cognoscuntur ab ipsismet Religionis Prælatis, vt latè probat *Nauar. lib. 3. suor. cons. de Regular. cons. 58.* Quapropter satis quidem irrationabile foret eiusdem Religionis præcepta, & ordinationes transgredi, cuius forum in omnibus sortitur. Sed tu adde, quod dicit *Not. Not. in summ. P. Diana*, quod scilicet Nouitius dimittens habitum sine causa peccat tantum venialiter.

5 Sed iuxta hoc quæritur, an Nouitius si confiteatur alteri, quam eius Nouitiorum Magistro,

culpam

culpam aliquam contrahat, aut Sacramentalem confessionem nulliter faciat? In hac pugnantes extant opiniones. Nàm prima sententia est *Corduba lib. 1. suæ summ. q. 30. Llamas par. 1. suæ methodus, cap. 5. §. 7. in fin. P. Peregr. in suis Cõmentar. ad nostr. Constitut. par. 2. cap. 5. litt. R. fol. 216. & P. Megall. par. 1. instit. Peregr. lib. 1. cap 8 num.* 20. dicentium, inualidam esse Nouitiorum cõfessionem alteri factam, quàm eorum Nouitiorum Magistro. Probatur primò eorum sententia: quia dum Nouitius Religionem voluntariè ingreditur, censetur se eius Religionis Regulis subijcere: at in omnibus ferè Religionibus adest Regula, vt Nouitij Sacramentalem confessionem faciant proprio Magistro: Pro qua re extat etiam Constitutio Clem. VIII. edita sub die 19 Martij 1603. cuius meminit *Steph. Quaranta in summ. Bullar. in vers. Monasteria, & Conuentus*, ita se habẽs in §. *Quilibet Nouitius: Ipsi autem Magistro soli, Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicauerit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum semel aut bis in anno eorundem Nouitiorum confessiones audire*. Non igitur Nouitius validè confiteri potest alteri, quàm proprio Magistro; nisi in casibus in d. Constitutione cõtentis. Etenim dicta Constitutio disponendo vtitur verbis imperatiuis, vt constat ex illis verbis: *Committatur, liceat, &c.* quę quidem verba imperatiui modi, quando non constat de contraria uoluntate disponentis, saltem per probabiles coniecturas, continent præceptum, vt habetur ex *Panor. in cap. vestra*, per illum *tex. nu. 1. de cohabit. Cler. & mulier. & in cap. Clerici, num. 1. de vit. & honest Cler. Ioann. de Sal. de legib. disp* 10. *sec. 9 num.* 51. *in vers De verbis autem: & in vers. Et licet Vasq.* vbi declarans verba *Nicolai in c. nullus, 32. d.* dicentis: *Nullus Missam audiat* Presbyteri, *quem scit concubinam indubitanter habere*, ait, illa verba præceptum denotare. Idem probatur in *cap. Clericus, de vita & honest. Clericor.* ibi: *Clericus, neque comam nutriat, neque barbam*. Et in *d. cap. Clerici, eod tit. Clerici officia, vel commercia Sæcularia non exerceant, maximè inhonesta; Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intẽdant, &c.* Hoc ipsum patet ex nostro *cap omnis vtriusque sexus*, & ex alijs iuribus Si igitur Cõstitutio illa continet præceptum; ergò obligat ad culpam mortalem, vt extat communis sententia, tum Theologorum, tum etiam Canonistarum, quam testatur *Suar. lib. 5. de legib. c. 3. num. 6.* & nos latè in nostris *Commentar. in Bull. Cœna; lib. 3. §. 8. q. 2. num. 3.* Quod si obligat sub lethali culpa; ergo Nouitius alteri confitendo, quàm proprio Magistro, nulliter confitetur; quia in ipso actu confessionis committit lethalem culpam. Confirmatur, quia Rom. Pontifex in d. Constitut. vtitur verbis non solùm præceptiuis; sed etiam prohibitiuis: nam dum vult Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi curam committi, censetur prohibere omni alij audire Nouitiorum confessiones: at omnia, & singula verba præceptiua, & prohibitiua posita in lege Ecclesiastica, & Canonica significant in dubio conditorem eius habere animum obligãdi ad mortalem culpam, vt probauimus in d. nostris *Commentar. lib. 3 §. 7. qu. 2. num. 2.* ergò Nouitius alteri confitendo, quã proprio Magistro, nulliter confitetur ex defectu debitæ contritionis.

6 Secundò probatur hæc ipsa sententia, quia Nouitij à Parochorum, & Episcoporum cura eximuntur, & subijciuntur curæ, ac iurisdictioni Prælatorum Regularium, quorum Religionem ingrediuntur, tum quoad forum externum circa causas ciuiles, & criminales infra tempus probationis occurrentes, vt supra diximus ex *Nauar lib. 3 suorum cons. de Regular. cons. 56.* tum etiam quoad forum internum, cùm efficiãtur subditi ratione domicilij, ad quod acquirendum satis est habitatio inchoata in aliquo loco, cum perpetuo animo ibi permanendi, vt in *l. domicilium, ff. ad munic. Felin. in cap. dilectus, il 2. num. 11. & 12. de rescrip.* & nos latè explicauimus in d. nostris *Commentar. Bullæ Cęnæ, lib. 2. can. 10 q. 11. num* 5. Etenim Nouitij habitant in Monasterio, & vt plurimum habent animum perpetuò in Religione manendi. Confirmatur ex *Concil. Trid. sess 24. cap. 11. de reform* vbi licet Concilium subijciat ordinariorum iurisdictioni oblatos, & quomodocunq; Monasterijs addictos; nihilominus excludit actu seruientes, & prędictis locis. & intra eorum septa, & domos residentes, ac sub eorum obedientia viuentes. Et Sacra Congregatio censuit, posse Prælatos, seu Confessarios ab eis deputatos confessiones illorum Sæcularium audire, qui sunt de familia, & continui commensales citra licentiam, & approbationem Episcoporum, non obstante *Concil. Trid. sess 23. cap. 15.* vt refert *Rodriq. in compil. priuileg. Regular. tom. 2. in fine Bullæ Greg. XIII.* Hoc ipsum confirmatur magis ex *Concil. Trid. de refor. sess. 25. cap. 11.* vbi subijciens iurisdictioni Episcoporum exercentes curam animarum Sæcularium in Monasterijs, quibus talis imminet cura, excipit eos, qui illam exercent, quoad eas personas, quæ sunt de illorum Monasteriorũ, & locorum familia: at Nouitij citra vllam controuersiam sunt de familia Monasteriorum, quæ ingrediuntur, illis actu seruiunt, sub eorum Prælatorum obedientia viuunt, & intra eorundem Monasteriorum septa resident; ergò omninò subijciuntur iurisdictioni non solùm externæ, sed etiam internæ Regularium Prælatorum: & proptèrea si alijs, quàm eorum Magistris peccata confiteantur, culpam contrahunt, & confessiones ipsorum sunt inualidæ.

7 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto esse probabiliorem, quam docent *Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 21. ar. 11 Coriol. p. 1. de casib. reser. sec 3. ar. 14. Nauar. de elect. fori, sec. 2 q. 63 nu. 15. Henriq. lib. 6. suæ sum. cap. 16 num. 3. in Glosa litt. X. Faust. in Theol. Morali, par. 2. lib. 8. q. 53. Aloys. Bariola in Aphor. litt. N. vers. Nouitij, § 15. P. Moises. par. 1. sua summ. tr. 7. cap. 14. num* 81 *cum plur. seq.* qui tamen arbitratur, quòd si comprehendatur aliquis Nouitius alij confiteri, quàm proprio Magistro, ob id potest à Religione expelli. Hanc eandem opinionem docet *P. Alfons. de Leone*, quem refert, & sequitur *P. Diana, 3. par tr. 2. resolut. 4.* vbi quamplurimos alios allegat, & *par. 4. resol. 5.* & testatur de communi. Mouetur ex eo, quòd Nouitius donec professionem emittat, est ad instar

stat Sæcularis in hoc:& propterea sicut Sæcularium confessio valida est, si fiat Confessario ab eorum ordinario approbato, ita etiam Nouitij. Confirmatur, quia nullibi inuenitur contrarium determinatum. Denique patet hæc ipsa sententia ex contrariorum solutione. Nàm ad primum dicimus, quòd licet Nouitius voluntariè Religionem ingrediatur; numquam tamen censetur habere voluntatem se obligandi ad Obseruantiam Regulæ, nisi post emissam professionē: & propterea citra violationem voti paupertatis potest apud se habere pecuniam, & alia bona, non solùm quoad vsum; sed etiam quoad dominium, & proprietatem.

8 Ad Bullam Clem. VIII. dicitur, quòd non sēper verba imperatiui modi indicant præceptū; sed multoties consilium denotant, vt patet *Luca 6. & Matt. 5. Si quis te percusseris in vna maxilla, prabe ei, & alteram: Si quis petat tunicam, da ei pallium.* Illa enim verba: *Si quis te percusserit, &c.* ad consilium referuntur, vt ait *D. Augustin Epist. 5. & lib. 22 contra Faust.* sic etiam consilium denotat illud *Matt. Vade, & vende, &c.* Et dato, quòd verba imperatiui modi aliquando præceptum denotent; nihilominus cū significet etiam aliquando consilium, vt constat ex supradictis, & ex *c. magna, de voto, & Clem. exiui, §. & quia de verb. signif.* vbi Rom. Pontifex declarans illa verba *Ps. 75. Vouete, & reddite,* inquit, primum ad consilium; secundum verò ad imperium referri, cùm simus in materia odiosa, & non constet de voluntate disponentis, in dubio verba illa debent interpetrari in benigniorem partem, vt consilium potius, quàm præceptum denotent, *arg tex. in cap. odia, de regul. iur. in 6. l. si Præses, & l. interpretationis, ff. de pen.* Præterea dato, & non concesso, quòd dicta Constitutio sit præceptiua; præceptum tamen nō imponitur Nouitijs, vt soli eorum Magistro peccata confiteantur; sed præceptum dirigitur ad Superiores Religionum, vt curam audiendi Nouitiorum confessiones committant eorum Magistro soli, vt constat ex illis verbis: *Ipsi autē Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur.* Et quamuis per dictionem illam, *Soli*, dicta Constitutio possit dici prohibitiua; tamen prohibitio refertur ad Superiorē, nempè, vt curam audiendi confessiones non cōmittat alij, quam eorum Magistro: non autem refertur ad ipsos Nouitios. Nec omnis lex prohibens annullat actum, sed ita demum si procedat vlterius irritando actum, aut alias constet de voluntate Legislatoris, vt habetur ex *Suar. lib. 5 de legib. cap. 25. num. 22. & cap. 29 num. 1.* & nos late supra declarauimus *sec. 16. sub ver. His tamen non obstantibus.*

9 Ad secundum argumentum responder *Molfes. loco citato*, quòd licèt Nouitij exempti sint à cura, & iurisdictione Episcoporum, & Parochorum, & subijciantur curæ, ac iurisdictioni Regularium, id tamen non est intelligendum, vt citra eorum voluntatem subijciantur, & quoad actus, qui non concernunt præiudicium Religionis in foro exteriori, vt est confiteri alij, quā proprio Magistro, cùm ijdemet Prælati Regulares concedere valeant professis, vt alijs Confessarijs etiam extra Religionem eorum peccata confiteantur. Nec ratione domicilij possunt dici, quoad Sacramentale forum subijci Nouitij Regularium Prælatis; quia domicilium in aliquo loco, ait ipse *Molfes.* de iure non acquiritur, nisi per decēnium, vel dum illuc transfert omnia bona sua, vel maiorem partem bonorum suorum. Sed hæc responsio non videtur tollere vim argumenti: nam licèt concedamus, Nouitios per voluntarium Religionis ingressum, voluntariè quoque subijci curæ, ac iurisdictioni Regularium: illa tamen voluntaria subiectio dicitur talis initiatiuè tantùm ratione voluntarij Religionis ingressus; non autem formaliter: siquidem formaliter illa subiectio, supposita Nouitiorum voluntate permanendi in Religione, non est voluntaria, sed necessaria, cùm Religionis ingressum necessariò consequatur. Sicut est in libertate alicuius moueri, & non moueri: at supposito, quòd uelit currere, & actualiter currat, necessariò mouebitur; atque adeò licèt moueri initiatiuè sit voluntarium, quatenus voluntariè voluit currere; nihilominus dum actu currit, necessariò mouebitur: quia motus necessariò consequitur cursum. Nec verum est ad domicilium acquirendum, vt quis in aliquo habitet per decennium; vel eò transferat omnia bona sua, vel maiorem partem bonorū suorum; quoniam id locum sibi vendicat, quoad domicilium præsumptum; nempè vt quis præsumatur habere domicilium in aliquo loco, in quo habitauit per decennium, aut eò transtulit maiorem partem bonorum suorum: aliàs sequeretur, quod quis in duobus locis non posset habere duo domicilia: quod est manifestè falsum, vt per *Syl. in summ. in verf. Confessor 1. num. 10. in fine, & Sanch. lib. 3 de matr. d. sp. 24. sub num. 3.* Vndè ad domicilium habitationis comparandum duo tantùm copulatiuè requiruntur; nempè habitatio inchoata, & animus perpetuò habitandi: & ita fuisse decisum, refert *Rot. Rom. in nouissimis, par. 2. decis. 150. num 4. & sub num. 6.* & nos latè declarauimus in *Commentar. Bulla Cœna lib. 2. can. 10. q. 11. num. 5. & seq.* Denique quid, quid sit de domicilio Nouitij per Religionis ingressum acquirunt saltem habitationem, ad quā acquirendam non est necesse, vt quis in aliquo loco habitet per annum, vel per maiorem partē anni; sed satis est si animum habeat ibi habitandi per maiorem partem anni, vt habetur ex *Sanchez loco citato:* at Sacramentale forum per solam habitationem acquiri supra aliàs probauimus.

10 Quocircà ad vim supradicti argumenti aliter respondendum esse arbitror; atque adeò licèt cōcedatur, Nouitium per Religionis ingressum acquirere domicilium, vel saltem habitationem in ipsa Religione, & in ea sortiatur Sacramentale forum; nihilominus non ob id sequitur, quòd Nouitius si alij, quàm proprio Magistro confiteatur sua peccata, inualidam confessionē faciat: postquam citra præiudicium domicilij, ac habitationis potest quilibet de familia Monasterij confiteri Prælato, aut Confessarijs ab eo deputatis, vt supra ostendimus: & propterea si Nouitius tanquam vnus ex familia Monasterij confiteatur Prælato, aut alicui ex Confessarijs ab eo deputatis, non tamen ob id confessionem efficit inualidam. Est tamen verum, quòd si Nouitius Religionem ingrediatur animo perpetuò

in

in ea commorandi cùm domicilium in ea fuerit sortitus, & omninò exemptus à cura, & iurisdictione Episcopi, tunc arbitror, eum non posse alijs Confessarijs Regularibus eiusdem, vel alterius Monasterij,& Religionis confiteri,quãuis fuerint approbati ab Episcopo, & ordinario loci ad audiendas Sæcularium confessiones; sed omninò teneri confessionem Sacramentalem facere Prælato, aut Confessarijs ab eo deputatis: quia cum ordinarius Nouitij sit Prælatus, cuius Religionem,& Monasterium ingreditur,ad audiendas confessiones ipsius satis non est Cõfessarij approbatio ab Episcopo, ac ordinario loci; sed omninò exigitur, vt Confessarius, qui vult audire Nouitiorum confessiones sit approbatus & deputatus à proprio eius Prælato, tanquam eiusdem ordinario.

11 Quòd si Nouitius Religionem ingrediatur, vt experiatur dumtaxat eius onera ad finem deliberandi,an velit in ea perpetuò manere, vel ab ea discedere, cùm ad summum in Religione nõ fuerit sortitus forum Sacramentale, nisi ratione habitationis, tunc si domicilium habeat extra Religionem; cùm quis possit in vno loco habere domicilium;& in alio habitationem tantùm, vt diximus loco citato *nostr. Commentar. in Bull.Cœnæ*,puto, quòd si confiteatur alicui Religioso eiusdem,vel alteriusMonasterij,aut Religionis, aut cuilibet alij Confessario approbato ab Episcopo, in cuius Diœcesi habeat domicilium,eius confessio erit valida: quia talis Nouitius ratione domicilij nõ esset exemptus à iurisdictione ipsius Episcopi.Nec obstat si dicatur quòd imò Nouitius est exemptus à iurisdictione sui Episcopi,cùm de delictis commissis infra tempus probationis à Nouitijs,cognoscant eorum Regulares Prælati,vt aliàs diximus;quoniã respondetur, quòd ideò ratione delicti Nouitius non est exemptus à iurisdictione Prælati; quia forum sortitur ratione delicti in Territorio ipsius Prælati commissi, dum supponimus delinquere intra tempus probationis in eiusdẽ Monasterio exempto ab ordinarij iurisdictione:nam ratione delicti efficitur quis de iurisdictione alterius, vt in *cap licet, de foro compet. cap.1.de raptor.& cap.ibi causa,3 q.6.* Et multò magis id locum sibi vendicat, vbi Nouitius per voluntatem perpetuò manendi in Religione in ea acquisierit domicilium, iuxta ea,quæ supra adnotauimus: nam tunc sortiretur forum,non solùm ratione delicti; sed etiam ratione domicilij,vt in *d.cap.licet. de for. compet.* sed tunc esset omninò exemptus à iurisdictione Episcopi etiã quoad forum Sacramentale, & non posset sua peccata confiteri, nisi ipsius Regulari Prælato, aut Confessarijs ab eo deputatis, vt supra declarauimus.

12 Vndè his reiectis,patet, quòd Nouitij etiam si non confiteantur eorum peccata proprio eorum Magistro,vel alijs ex Confessarijs supradictis valida erit confessio; atque ideò quilibet Confessarius Sæcularis,aut Regularis potest absoluere Nouitios, etiam à peccatis in Religione reseruatis,& à censuris;si Nouitij per talem Confessarium poterant absolui in Sæculo permanentes,vt post alios probat *P.Diana d.resol. 5.par.4. & par.3.tr.2. resol.4.* Et id maximè si Nouitij ingrediantur Religionem, vt experiantur dumtaxat eius onera, iuxta ea,quæ supra diximus. Idem dicendum est de nostris Clericis professis secũdæ Classis, nam licèt habeant Præfectum,cui eorum peccata confiteantur;possunt tamen confiteri R P.Præposito,aut Confessarijs domus ab eo deputatis,vt rectè declarat *P. Diana d.resol.4.* Benè verum est,ob alias causas cõtingere posse,Nouitiorum confessiones fieri inualidas;quando scilicet absque iusta,ac rationabili causa confiteãtur alteri, quàm proprio Nouitiorum Magistro: siquidem tales proculdubio se exponunt periculo ruinæ,& à Diabolo de facili superantur, & trahuntur ad quamplurimas culpas,cùm proprio Magistro nolint esse fideles. Item exponuntur manifesto periculo expellendi à Religione,atque ideò priuandi tanto bono. Etenim non solum *Molfes. & Diana*, sed omnes Doctores conueniunt,quòd huiusmodi Nouitij sunt expellendi à Religione, cùm eo ipso efficiantur indigni, quòd proprio Magistro cõscientias suas non aperiunt. Et dum multi tenẽt, confessionem factam à Nouitio alij quàm ipsius Magistro esse inualidam, si cum tali formidine confiteatur,& absolutionem recipiat, non deposito dubio, culpam lethalem committeret in ipso actu confessionis, & sic irrita esset confessio.Idem dicendum est de Confessario,qui cũ eodem dubio Nouitiorum cõfessiones audiret; nam mortaliter peccaret: & si Confessarius esset eiusdem Religionis, posset acriter puniri, vt habetur ex *Molfes.d cap.14.num 84.*

† Adde.Nouitij Regularium à die ingressus in Religionem non ligantur reseruatione casuum facta ab Episcopis, seu à locorũ ordinarijs; quia eximuntur, tum à iurisdictione, & tum à reseruatione,sicuti ipsi Regulares professi,cùm fruãtur ijsdem priuilegijs, vt ex communi sententia DD.probat noster *P.Diana p.3. tr.2. resol.73.*

Et insuper non ligantur reseruatione facta à PrælatoRegulari pro suis subditis professis,quia Nouitij ante professionem non ligantur legibus Religionis, vel præceptis Superiorum Regularium,sed voluntariè illa obseruãt, vt possint admitti ad professionem;nam vera obligatio oritur ex votis,à quibus Nouitij sunt liberi. Ita *Villalobos, Petrus Fay. Coriolanus,Vega*,& alij plures,quos refert,& sequitur *Diana par.3.tract.2. resol.100.*& hæc intelliguntur in foro conscientiæ;nam in foro fori possunt puniri, & expelli à Religione ob causas supra relatas ab ipsomet meo patruo; & cum insuper sæpissimè careant contritione,& necessaria attritione,cum quamplurimi visi sint eodem modo peccare in Sacramentum pœnitentiæ,sicuti,qui peccant in confidentiam Iubilæi; nàm sic de facili committunt peccata, imò multoties conueniunt peccare hac spe confitendi sua peccata extraneo,quod est fomes, & incentiuum peccati, sicuti proprius Magister esset frænum non labendi.

Quamobrem aiebat meus Magister D. Andreas Filingerius, eximiæ sapientiæ,prudentiæ, sanctitatis,ac experientiæ vir,quod multum Anceps erat; si magis sacrilegus se redderet Nouitius confitendo alteri, an verò accedendo incõfessus ad communicandum; nam considerans defectum veri doloris, existimabat illum, esse duplicis sacrilegij reum. Et insuper aliud notabile damnum suspicabatur;nempè facilius posse con-

conuerti non cōfitentem, cum is continuo in se sentiret remorsum conscientiæ, quàm malè confessum, qui sibi palliata conscientia suaderet esse in gratia; & sic si primus aliquando, secundus verò nunquam resipuisset.

Igitur, quando Nouitij, vt Nouitij confiterētur, iuxta præscriptum Regularum Religionis, requireretur necessariò approbatio, vel deputatio Prælati Regularis, & sunt exempti à casuum reseruatione, tàm ipsius Prælati Regularis, quā Episcopi, seu ordinarij loci, quando verò extra præscriptum Regulæ (quod nisi clam faciunt) deberent confiteri Confessario approbato ab Episcopo, seu ab ordinario loci, quia tunc confiterentur more Sæcularium, ita *Molfes. Portell. Rodriquez*, & alij plures, quos refert, & sequitur *Diana par. 3. tr. 2. resol. 4. & par. 4. tract. 4. resol. 5.* & tunc subiacent casibus reseruatis ab Episcopo, seu ordinario loci. Ita *Auersa de pen. q. 17. sect. 1. §. 7.* & rationem affert, quia non cōfitentur secundum Regulas Religionis. Sed noster *Pater Quartus de cas reser. sect. 2. cap. 3.* aduersatur, non admittendo hanc limitationem. Quia Nouitij fruuntur hoc priuilegio, quandiù sunt verè Nouitij, & quædam pars communitatis Religiosæ, seu Conuentus Regularium; sed non desinunt esse Nouitij, nec pars Conuentus Regularis ex eo, quod recedant ab hac, vel ab illa obseruantia Regulari; sed solùm quando trāseunt ad sæculum, & desinunt esse Nouitij. Et ad fruendū hoc priuilegio satis est si Nouitij subijciantur non leui incommodo clausuræ, & cæteris asperitatibus Religionis.

13 Quartò peccant Nouitij Religionem ingredientes, si parentes habeant in necessitate constitutos, qui ipsis indigeant. Quod verum est etiā si necessitas non sit extrema, vt quia oporteret parentes mendicare, aut alij seruire cum notabili proprij status indecentia, vt habetur ex *Graff. lib. 3 decis. cap. 5. num. 37 par. 1.* vbi id ampliat ex *Nauar.* vt si tales Nouitij profiteantur, teneātur exire, & eis subuenire si possint, & citra peccati periculum possint in Sæculo permanere. Quòd si post professionem superueniat parentū necessitas deobligatur à cura impendenda parētibus, vt habetur ex *Syl in summ. verf. Religio, 2. q. 7.* Debet tamen quantum fieri potest salua ordinis obedientia curare, vt per se, vel per alios eis subueniatur. Et si re vera necessitas sit extrema, arbitror, eos debere Religionem egredi, si egrediendo possent, & non aliter subuenire parentibus: quia ad id obligatur quilibet, vt suo loco latius, Deo duce, dicemus.

14 Quintò peccant Nouitij Religionem ingredientes, occultantes debita, quæ contraxerint in Sæculo, aut crimina, quæ commiserint Siquidē Sixtus V. anno 1587. per quandam Constitutionem, quæ incipit: *Cùm in omnibus*, statuit contra criminosos, & eos, qui debita contraxerunt, vt ad Religionem nō recipiantur, & recepti eorum professio irrita habeatur.

15 Sextò peccant Nouitij Religionem ingrediētes, & occultantes se fuisse bigamos, seruilis cōditionis, Curiæ, aut publicarum rerum nexibus implicatos, aliqua publica pœnitentia notatos, infirmos, aut aliquo modo corpore esse viciatos. Hi enim Religionem ingredi prohibentur, vt in *c. priscis, d. 55. c fin d 77. & Graff. p. 1. dec. lib. 3. cap. 5. num. 11. & 35.*

16 Septimò peccant Nouitij per simoniam Religionem ingredientes: Etenim recipientes aliquid, aut dantes Religionis ingressus intuitu, simoniam committunt, & incidunt in excommunicationem Papalem, vt in *extrauag 1. de simonia*: & insuper per simoniam ingressus potest per Prælatum cogi ad ingressum alterius Religionis strictioris, vt habetur ex *Graff. loc. cit. nu. 12. & num. 152.*

17 Octauò peccant Nouitij si ante legitimam ætatem, vel infra probationis annum scienter, ac dolosè ad professionem admitti se faciant: & professio est ipso iure nulla, vt habetur ex *Concil. Trid. de Regular. sess. 25. cap. 15.* Nec validatur persistendo per multos annos in Religione, vt habetur ex eodem *Graff. ibidem, num. 14. & 22.* vbi etiam *num. 24.* ait, quòd si professus ante ætatem, vel ante annum probationis velit completa ætate, vel anno probationis professionem emittere, potest, nec indiget noua receptione. Potest quoque dici Nouitius tacitam professionem emittere per habitus delationem; dummodò tria concurrant. Primum, quòd habitus, quem defert Nouitius non sit distinctus à professorum habitu, vt in *cap. 1. §. qui verò, de Regular. in 6.* Secundùm, quòd deferat illum in Monasterio, vt in *d. §. qui verò, & Clem. eos*, & ibi, *Glosa, verf. in aliqua, de Regular.* Et tertium, quòd illud deferat intra Monasterium per annū continuum; nisi eundem deferret extra Monasterium de licentia Superioris: Siquidem Nouitius de licentia Superioris potest tempus probationis complere, vt habetur ex *Graff par. 1. dec. lib. 3. cap. 5. num. 18. 26. & 27.* Siquidem Regularis manens extra Monasterium sub obedientia Superioris, & cum eius licentia, censetur residere intra illud, iuxta ea, quæ habentur ex *Panorm. in cap. cum illorum, de sentent. excom. & in cap. ex rescripto, num. 5. de iureiur.* ac *Nauar. lib. 3. fuor. conf. de Regular. conf. 42.* Quod quidem patet etiam exemplo Milit. Hierosolym. qui verè, ac formaliter sunt Religiosi, tria vota substantialia profitentes; & nihilominus post susceptum habitum Religionis deferunt illum extra Monasterium bellando, aut alia negotia faciendo de licentia Superioris, & currit ei tempus probationis; nisi aliter constet de Superioris mente. Nec eiusmodi tacita professio prohibetur per *Conc. Trid* & potest compelli Nouitius, vt faciat professionem expressè. Quod quidem verum esse arbitror, si ipse Nouitius habitum, vt supra deferat animo profitēdi: nam si talem animum non habeat, non valet professio, etiam si professionem expressè emittat: siquidē qui professionem emittit non intendens se obligare, nec profiteri, non est professus, cùm votum sit promissio facta Deo, *cap. non dicatis, 12. q. 1. & Graff. ibidem, num. 28. cum plur. seq.* Quod procedere puto, quoad forum conscientiæ, non autem quoad forum exterius: quia quoad forum exterius is censetur professus; nisi præcesserit protestatio, quòd nolit profiteri, & constet de tali protestatione.

† Adde. Nouitius Sacris Ordinibus non initiatus non peccat negotiationem exercendo, ita perdoctus purpuratus *de Lugo*.

Nouitius insuper potest tempore Nouitiatus beneficia simplicia Ecclesiastica retinere, imò noua habere, ita DD.

De

De Laicorum culpis, nempè Dominorũ temporalium, eorum vaxallorum, ac militum, & ipsorum officialiũ, seu Ducum, à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

D I S P. XVII.

TRACTAVIMVS hucusque de Ecclesiasticorum culpis, tum Sæcularium, tum etiam Regularium, à Romano Pontifice incipientes: & deindè successiuè tractantes de quamplurimis alijs, tàm in dignitate constitutis, quàm non constitutis, & eisdem inferioribus. Modo consequenti ordine restat agendum de Laicis, seu Mundanis, qui cœlibem vitam non ducunt, & ab Ecclesiasticis omninò distinguuntur, incipiẽtes ab Imperatore, Regibus, & alijs Principibus absolutis, qui Superiorum non recognoscunt: deindè agemus de alijs Dominis temporalibus, Superiorem recognoscentibus, eorum vaxallis, subditis, militibus, Magistratibus, Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, & alijs Curialibus. Denique agemus de peccatis emptorũ, venditorum, locatorum, conductorum, sociorũ, & aliorum contrahentium, mercatorum, ac negotiatorum, & artificum.

De peccatis temporalium Dominorum, Superiorem non recognoscentiũ. S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Peccant Domini temporales, & ex Dominis serui fiunt, si quæ docet hoc nomen (Dominus) non seruent.*
Quæ doceat hoc nomen (Dominus)
2 *Princeps pro posse debet populo satisfacere, ita vt nec seuerum, sed reuerendũ se exhibeat, familiam honestam, & Curialem habeat, &c. Et super omnia procurare debent Religiosos, verbum Dei prædicantes.*
3 *Peccant Domini temporales, si proni sint ad reddendum malum pro malo, & multò magis quàm priuati homines.*
4 *Peccant Domini temporales, si eorum dominium, principatum, vel Regnum iniustè possideant.*
5 *Peccant Domini temporales, si iniustè bellum inferant, & tenentur ad omnia damna, expẽsas, ac interesse, per se, vel per milites illata quibuscunq;*
6 *Peccant Domini temporales, qui quamuis Superiorem non recognoscant, & iustam habeãt bellandi causam, attamen recta ratione non mouentur.*
An, & quando peccent inferendo bellum ad propulsandam iniuriam.
7 *Peccant Domini temporales, bellum indicentes, quod dubitant esse iustum.*
8 *Peccant Domini temporales, confœderationes facientes cum Paganis, ac Saracenis.*
9 *Peccant Domini temporales indicentes bellũ Summo Pontifici, & Ecclesiæ, & subditi obedire non tenentur.*
10 *Peccant Domini temporales, qui bella gesserũt, si inuicem componant de damnis, subditis illatis, citra eorum consensum.*
11 *Peccant Domini temporales, facientes noua castra, seu propugnacula cum alterius iniuria.*
12 *Peccant Domini temporales, capientes in bello, quamuis iusto bona Clericorum, & Ecclesiarum.*
13 *Peccant Domini temporales, bellum non indicentes, cum id Reipub. interesse nouerint.*
14 *Peccant Domini temporales, si bona, capta in bello, quantumuis iusto, Dominis, à quibus fuerunt ablata, non restituant.*
15 *Peccant Domini temporales, si per se præcipiãt interfici in bello iusto innocentes, etiam si infideles sint.*
16 *Peccant Domini temporales, citra necessitatẽ, tradentes Ciuitates, maximè Christianorum militibus diripiendas.*
17 *Peccant Domini temporales, non seruantes promissiones, quas in bello spopõderunt, & tenentur ablata restituere, ac damna, & interesse reficere.*
18 *Peccant Domini temporales duella permittentes, & in excommunicationem incidunt.*
19 *Peccant Domini temporales, ludos, & spectacula vana, ac periculosa, aut turpes repræsentationes, cum magno populi scandalo fieri facientes.*
20 *Peccant Domini temporales vsurarios publicos in eorum terris tolerantes, propter lucrũ, & læsis restituere tenentur.*
21 *Peccant Domini temporales permittentes in terris suis Iudæos habere publica officia, ac nouas Sinagogas erigere.*
22 *Peccant temporales Domini, qui propter pecuniam, aut aliam quãcunque causam permittunt hæreticos in terris suis commorari, amittuntque in perpetuum eorum terras.*
23 *Peccant Domini temporales, Romano Pontifici non obtemperantes, incidũtque in excommunicationem Bullæ Cœnæ, si ab eius obediẽtia recedunt.*
24 *Peccant temporales Domini, prohibentes Episcopos, aut Inquisitores familiam habere armatam.*
25 *Peccant Domini temporales, eorumque Magistratus, atque in excommunicationem incidunt, qui ter moniti, ab Episcopis, alijsque Ecclesiæ Prælatis iustitiam illis super eorum causis ministrare non procurant.*
26 *Peccãt temporales Domini, Supremique Principes, occidentes subditos, aut occidi mandantes, vel quocunque modo contra eos sententiam ferentes, non secundum allegata, & probata, sed per priuatam eorum scientiam.*
27 *Vbi Reus aliter capi non potest, aut futurum damnum, scandalum, &c. imminerent Reipub. aut Principi, siuè alteri innocenti, posset per Supremum Principem occidi.*
28 *Peccant Domini temporales, si non iudicent secũdum leges, a se, vel maioribus suis editas.*
29 *Peccant temporales Domini, si negligentes sint in*

in purgandis eorum terris, ac territorijs malis hominibus, ac puniendis, coercendisuè eorum delictis.

30 *Princeps, maximè Superiorem non recognoscens totam pœnam, vel eius partem, an, & quando remittere possit, vel corporalem, in pecuniariam commutare.*

31 *Peccant Domini temporales tollentes ius quæsitum alteri, nisi reddant ei excambium.*

32 *Peccant Domini temporales, præficientes, in Magistratus, & Iudices indignos, & malos homines, atque indoctos, omniaque damna tenentur reficere.*

33 *Peccant Domini temporales, excitando factiones, vel eas non sedando, iustas, & necessarias leges non ferendo, Reipub. non consulendo.*

34 *Peccant temporales Domini, non solum pecunias irrationabiliter congerentes, grauando subditos notabiliter, sed etiam si prodigis largitionibus, adeò vacent, vt probabili periculo, se exponant vsurpandi aliena.*

35 *Peccant Domini temporales; si leges iniustas ferant, vel latas non abrogent, aut si subditos taleis, & exactionibus grauent, viduas pupillos, &c. non defendant, &c.*

36 *Peccant temporales Domini vsurpantes sibi bona communitatis, & quæ.*

37 *Peccant Domini temporales, non permittentes suis subditis, ad libitũ de bonis suis in morte disponere, aut mensuras, & pondera iniusta permittant.*

38 *Peccant Domini temporales, si in faciendis aucupationibus, venationibus, aut piscationibus, nimium grauent subditos, maximè si hæc fieri fecerint diebus festiuis.*

39 *Quæ dicta sunt de Principibus Supremis, ad magnatos quoque, seu Dominos Superiorem recognoscentes extenduntur.*

40 *Peccant temporales Domini, bona vaxallorũ confiscantes, qui velint ad alium locum, vel Dominum se conferre; committuntque rapinam.*

In multis alijs peccant temporales Domini, remissiuè casibus.

1 PEccant in primis Domini temporales; atque ideò ex Dominis serui fiunt, nam qui facit peccatum, seruus est peccati, & tot Dominorũ, quot vitiorum. Peccant inquam Domini, si quæ nomen istud *Dominus* docet, non seruent. Plura enim docet eiusmodi nomen, Dominus, quæ facere oporteat Dominum. Etenim dicitur Dominus, quasi do minus, propter parcitatem, qua vti debet erga domum suam, ne propter prodigalitatem raptor efficiatur alienorum, vt infra dicemus *vers. Trigesimoprimò*. Non se Domini ad propria commoda, non ad diuitias, aut luxum; sed ad labores, & sollicitudines pro Dei gloria, vti eius Ministros vocatos esse intelligant: & propterea mores suos ita componere debent, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantoperè commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Siquidē quales Principes sunt, tales subditi esse student. Populi Sichimorum videntes Principem eorum Hemor, Hebræorum circumcisionem suscepisse, atque ideò veram tunc temporis Religionem, se ipsos quoque circumcidi passi sunt, vt legitur *Gen. cap. 34.* Et è contra *lib. 1. Reg. cap. 3.* refertur de Armigero Saulis, qui videns ipsum Regē suum Saulem mortem sibi consciuisse, ipse quoque se ipsum interemit: & hoc ideò, quoniam subditi Dominorum facta imitantur, siue bona sint, siue mala. Vndè cæteris paribus, longè grauiora sunt peccata Principum, quàm subditorũ: nã quò gradus altior, eò casus grauior, *c. Principum, de pœnit. d. 2. cap. homo, 40. d.* & grauiora delicta facit sublimitas peccantium, *cap. nulli fas, 25. q. 1.* Et id non ob aliud nisi ratione scandali. Dicitur quoque temporalis Princeps, Dominus, quasi do minas, propter eius rationabilē seueritatem erga malos subditos: siquidem publicè interest, vt delicta puniantur, vt vnius pœna sit aliorum exemplum, vt in *l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil.* & inf. a latè de hac re agemus infra *vers. Vigesimoseptimò peccant*. Appellatur tertiò Princeps Dominus, quasi do manus, propter eius pietatem præcipuè erga pauperes, ac miserabiles personas. Et denique Princeps vocatur, Dominus, idest do munus, remunerando dignos, & omnibus tribuendo, quod suum est, vt rectè declarat *D. Anton. 3. par tit. 3. cap. 1. §. 7. & par. 4. tit. 2. c. 6. §. 1.* Vbi etiam probat, Prin-

2 cipem pro posse debere populo satisfacere, ita, vt non se seuerum, sed reuerendum exhibeat: familiam honestam, & curialem habeat: sapientes consiliarios consulat: iustos iudices apud se habeat; benefacientes dignè præmiet, & delinquentibus pœnas debitas infligat. Rēpublicam prouideat victualijs, ne penuria afficiatur, de litterarum studijs pro pueris erudiendis, pro iuris peritis promouendis, & alijs sapientibus. Procuret super omnia Religiosos verbum Dei prædicantes, Cleros honestos Diuina celebrantes, & reliqua ad animarum salutem pertinentia. Debent enim Domini temporales studere præcipuè, vt Deo placeant per eorum bona opera, cum proprium Dominorum temporalium munus sit, subditos ordinare ad finem debitum: quod quidem adimplere non valet temporalis Dominus; nisi prius pro viribus conetur se ipsum ordinare in Deum. Id maximè faciet, si iustitiam diligat: legitur enim *Sap. cap. 1. Diligite iustitiã qui iudicatis terram.* Siquidem iustitia est omnis virtus, nec Lucifer est ita clarus, ait *Arist. 5. Ethic.* E contrario verò si Princeps bonitate careat, atque prudentia, omnem diligentiam adhibebit, vt omissis virtutum operibus, diuitijs affluat, & ob id efficietur spoliator boni communis, depredator populi, omnium subditorum oppressor, & ruinæ Ciuitatis, seu Regni.

3 Secundò peccant Domini temporales multò magis, quàm priuati homines, si proni sint ad reddendum malum pro malo. Debet enim Princeps, constans esse in aduersis, ac benignus, & facilis ad ignoscendum, vt sic fiat non solum dignus Dei Minister; sed etiam filius, iuxta illud Domini, *Matt. cap. 4. Vt sitis filij Patris vestri, qui in Cœlis est*. Et insuper si iniuriæ efficiatur immemor, munificè se habens ad inimicos, eos facilè ad se trahet. Sic enim Ioseph se habuit erga fratres suos, Cæsar August. & nonnulli alij Principes erga inimicos suos, de quibus *D. Anton. p. 3. tit. 3. c. 1. §. 6.*

4 Tertiò peccant Domini temporales si eorum Dominium, Principatum, aut Regnum iniustè possi-

possideant, nempè per electionem eorum, ad quos de iure non spectat electio, vel quia nec per legitimam successionem ea possident, aut per emptionem, donationem, institutionem, legitimam præscriptionem, nec etiam per iustum bellum. Siquidem, qui aliquo ex dictis titulis illa non potitur, ac Dominus efficitur, is non Donus quidem dicitur, sed fur, & latro, & principatum resignare tenetur, si citra notabile periculum animarum, corporum, aut rerum fieri potest, *cap. si res*, 14. q. 6. & *cap. falsas, de penit. d.* 15. & insuper tenetur ad restitutionem omnium redditruum, damnorum, & interesse: & si quos per se, vel per suos officiales occiderit; estò, quòd mortem meruerint, propter commissa per eos crimina, vt homicida censetur, vt in *cap. si non licet*, 23. q. 5. Et denique subditi obediētiam ipsi præstare non tenentur, si citra scandalum fieri possit, vt in *cap. Iulianus*, 11. q. 3. *D. Anton* 3. *p. tit.* 3. *c.* 1. § 1. *Syl. in sum verſ Dominium, qu.* 4. *Tab. verſ. Dominus, num.* 5. & alij.

5 Quartò peccant Domini temporales, ininstè bellum inferentes, & tenentur ad omnia damna, expensas, & interesse illata per se, & suos milites quibuscunque, etiam suis vaxallis ab aduersario datis; eo quòd rapinam dicuntur committere, vt habetur ex *D. Thoma* 2. 2 *qu.* 66. *art.* 8. *Syl. in sum. verſ. Bellum*, 1 *q.* 10. *Tab. eod. verſ. num.* 13. *Zecch tom.* 1. *sua sum. de bello, cap.* 18. *sub num.* 10. *Sayr. lib.* 7. *Clauis Regia, cap.* 13. *num.* 3. & *seq. Reginald.* & alij apud *Molfeſ. p.* 2. *sua sum. tr.* 12. *cap.* 3. *à num.* 159. *vsque ad nu.* 163. vbi declarant, quando bellum dicatur iustum, vel iniustum, & explicant conditiones vtriusque belli; inter quas illa est adnotanda, vt non possit bellum indici aduersus infideles ex eo solùm, quòd sint infideles, nec contra idolatras, etiam à Papa, vel Imperatore, quamuis peccent in ijs, quæ pugnant cum lumine naturæ; quoniam per solam infidelitatem nemo amittit dominium rerum suarum, nec Ecclesia punit infidelitatem in ijs, qui fidem nunquam susceperunt, vt in *cap. diſpar*, 23. *q.* 8. *l Christianis, C. de Pagan.* & *Sacrific. D. Thom.* 2. 2. *q.* 12. *ar.* 2. & *Molina tract.* 2. *de iustit & iure, diſput.* 106. Tunc enim licitum est bellum infidelibus inferre, quando detinent Prouincias olim ad iurisdictionem Christianorum spectantes, vel si Christianos persecuntur, aut impediunt Euangelij prædicationem in eorum Prouincijs, & fidem Christianam admitti, vt habetur ex *Couar. in regula peccatum, par.* 2. §. 9. & 10. *de regul. iur. in* 6 Est tamen verum, quòd si innocentes immolent, vt eorum carnibus vescantur, aut eos tirannicis legibus opprimant, ac similia agant, quæ solo naturæ lumine prohibentur: nam potest Princeps Christianus, sub cuius imperio sūt, hæc, & alia, quæ naturali lumine damnantur eis interdicere, & contrauenientes punire, ac contumaces etiam bello impetere, vt per *Molin.* & *Couar. locis citatis*, ac *Zecch. d. cap.* 18. *num.* 6. vbi etiam ait ex *Turrecr. in cap.* 1. 23. *q.* 7. quòd vbi infideles fidem susceperunt, si postea fiant hæretici, aut apostatæ, potest eos Ecclesia punire sicut alios Christianos, qui in hæresim, & apostasiam inciderunt, & vt tales sunt, possunt bello impugnari, & eorum subditi à iuramento absolui, vt in *c. cum secundum, de haret. in* 6.

6 Quintò peccant Domini temporales, qui quāuis in temporalibus Superiorem non cognoscāt, atque ideò habeant potestatem bellum indicēdi, vt in *l. hostes, ff. de capt.* & *l. hostes. ff. de verb. signific.* & iustas habeant bellandi causas, quas colligit *Zecch. loco citato*, post alios, sub *num.* 5. nihilominus non mouentur recta intentione ad bellum inferendum, vt decet; nempè ad solam propulsandam iniuriam, & boni communis intuitu; sed id agunt nocendi cupiditate, vlciscendi crudelitate, aut dominandi libidine, vt in *c. quid culpatur*, 23. *q.* 1. Non tamen hoc casu tenentur ad restitutionem, vt habetur ex *Molina loco citato, diſp.* 107. post *Couar. d.* §. 9. *Zecch d. cap.* 18. *nu.* 7. *Tab. in sum. verſ. Bellum, sub nu.* 4. *in fine*, & *Sayr. loco citato, num.* 8. Imò Domini temporales indicentes bellum ad propulsandam iniuriam, aliquando peccant; nempè si nouerint ex iniuriarum vltione maius damnum imminere Dominis ipsis, & eorum Regnis: hoc enim casu tenentur sub mortali ab vlciscenda iniuria cessare, vt per supra relatos Doctores locis citatis. Sic etiam peccant Domini temporales quamuis iustum bellum inferant, si deprędādi animo, aut malitiosè damnum inferant, cùm aliàs possint sibi consulere: & insuper ad restitutionem tenentur: siquidem bellum est remedium subsidiarium, sicut excommunicatio; atq; ideò antequam indicatur bellum, sunt adhibenda remedia ordinaria; nempè debent mitti Legati ad inuicem, & alia seruari, quæ colligit *Molfeſ. post alios par.* 2 *sua sum. tr.* 12. *cap.* 3 *nu.* 16. Idem dicēdum est, si vltra id, quod sibi, suisque fuerit satisfactum; vel donec se aduersarius offerat ad satisfactionem, plus abstulit, aut damnificauit; quoniam illud plus tenentur restituere; nisi hostis talis esset, vt bona eius iustè fuerint publicata, vt benè declarat *Syl. in sum. verſ. Bellum.* 1. *q.* 9. *verſ. Secūda Dominus:* & *verſ. Quinta habens.* Et *Zecch. d. cap* 18. *nu.* 12. *verſ. Aduertendum est:* & *verſ. Sextò in bello*. Peccant pariter Domini temporales, quamuis iustam bellandi causam habeant, si bellum inferant ijs, qui parati sunt satisfacere, & damna reficere; aliàs bellum redderetur iniustum, & restitutioni efficerentur obnoxij, vt habetur ex *Molina d. tr.* 2. *diſp.* 103. & rectè declarat *Zecch. d. cap.* 18. *sub num.* 9 Non enim est indicendum bellū, nisi ex necessaria causa, & pace prius oblata.

7 Sextò peccant Domini temporales indicentes bellum, quod dubitant esse iustum. Non enim bellum est indicendum, nisi prius iustitia causæ diligenter discussa. Vndè legitur de Traiano Imperatore, quòd nunquam in prælio fuit victus, eo quòd nullum, nisi apertè iustum bellum susceperit. Quod quidem quomodo fieri debeat, rectè declarat *Molina loco citato, Zecch. dicto cap.* 18. *num.* 8. 9. & 10. *Sayr. d. cap.* 13 *num.* 6. & *Molfeſ. par.* 2. *sua sum tr.* 12. *cap.* 3. *num.* 164. *cum plur. seq.*

8 Septimò peccant Domini temporales confederationes facientes, cum Paganis, & Saracenis, cùm id eis expressè prohibeatur per *Clem.* 1. §. *Porrò, de iureiur.* Et multò magis, si infideles aduocent contra Principes fideles, etiam pro eorum, suorumque Regnorum iustam defensionē; nisi quinque copulatiuè concurrant: quorum primum est, vt iustum gerant bellum; Siue te-

defendendo, siue offendendo. Secundum, quod aduocationis tempore non adsit bellum inter Christianos, & alios infideles. Tertium, vt Principes auocantes nō possint se, suaque aliter tueri. Quartum, quòd aduocatio fiat citra scandalum, & periculum fidei. Et denique, vt complero bello, Principes ipsi, vt supra auocantes, & confederationes inentes, omni diligentia curent auferre ab ipsis infidelibus arma, & alia bellica instrumenta, eis tradita, ne vllo vnquam tempore contra Christianos vti valeant. Quòd si Principes negligerent arma, & alias res prohibitas recuperare, incident in *cap. 7. Bulla in Cœna Domini*, vt latè post alios de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bullam Cœna, lib. 2. c. 7. q. 36. num. 85.* vbi etiam *num. 87.* ostendimus huiusmodi auocatiōnes, & confederationes nūquam fieri debere; nisi consulto Rom. Pontifice, ad quem pertinet iudicare, an id expediat. Etenim confederationes cum infidelibus, vt plurimum tendunt in perniciem Catholicæ fidei.

9 Octauò peccant Domini temporales indicentes bellum S. Pontifici, ac Ecclesię, & subditi nō tenentur obedire: siquidem Domini temporales sunt aduocati Ecclesiæ, atque ideò tenentur eam defendere: nec possunt eam impugnare, vt in *c. conquerente, de restit. spoliat.* Imò indicendo bellum contra Ecclesiam, merentur perdere priuilegium indicendi bellum, cùm illo abutentur *cap. priuilegium, 11. q. 3.* Et Romanus Pontifex est cunctis Superior, ita vt ad eum pertineat Imperatorem electum examinare, approbare, & inungere, ac coronare, si est dignus: vel reijcere si est indignus, vt in *cap. venerabilem, de elect. Tab in sum. vers. Bellum, 1. q. 1. § Secundò cùm indictum: & §. Quartò quæritur.*

10 Nonò peccant Domini temporales, qui bella gesserunt, componentes inuicem de damnis subditis illatis citra eorum consensum: siquidem qui bellum mouit iniustè, non potest subditis præiudicare per suam compositionem, vbi ipse obligatur de proprio; nisi ipsi in culpa pariter fuerint cum eo. Et qui habuit iustum bellum procurare debet, vt subditis ab Aduersarijs damna reficiantur, aliàs ipse tenetur eis damna reficere; nisi aliter videatur agendum pro bono pacis: quoniam in tali casu vtiliter dicitur agere negotium subditorum, vt benè declarat *Syl. loc. citato q. 12 Tab. eod vers. q. 13. num. 16. & Zecc. d. cap. 18 de bello, num. 13.* post *Molin. tract. 2. de iust. & iur. disp. 123.* & alios.

11 Decimò peccant Domini temporales facientes noua castra, seu propugnacula cum iniuria, & emulatione alterius: & propterea Episcopus, & omnes alij interesse prætendentes possunt instare pro eorum demolitione, vt in *cap. Pisanis*, & ibi *Innoc. & Hostien. de restit. spoliat.* Idem dicendum est de volentibus incastellare vetera castra, quæ non probantur habitata, vt in *l. 3. C. de edif. priuat. & Tab. ibidem, q. 14. numer 17.* Dixi: *Cum iniuria, & emulatione alterius*, quia si id agant pro conseruatione patrimonij, à culpa excusantur, etiam si alteri damnum, aut timorem inferant, arg. *tex in l. in meo ff. de aqua plu* quam allegat *Syl. loc. cit. q. vlt.*

12 Vndecimò peccant Domini temporales bona Clericorum, & Ecclesiarum capientes in bello quantumuis iusto, & ea non restituentes: & idē dicendum est de bonis peregrinorum existentium in terra illius, contra quem bellum geritur, quod tamen quomodo procedat, rectè declarat *Tab.* ibi post alios, *q. 16. & 17. num. 19. & 20. & Syl. vbi supra, q. 9. §. Tertiò habens.*

13 Duodecimò peccāt Domini temporales bellum non indicentes, cùm id Reip. interesse nouerint, & certa adsit spes victoriæ, vt habetur ex *Mol. de iust. & iur. tr. 2. disp. 99.* quem refert, & sequitur *Zecch. d. cap. 18. de bello, num. 11.* Etenim ad Principem spectat Remp. tueri: & finis belli est Reip. pax, & Principi obedientia, *l. 1. C. de Iustin. Cod. confir.* Vnde fortitudo, quæ bello tuetur Patriam, domi defendit infirmos, vel à latronibus socios plena iustitia est, *c. fortitudo, 23. q. 3.* Etenim Domini temporales tali casu bellum gerere contemnentes peccant mortaliter, & tenentur reficere subditorum damna. Idem dicendum est de Domino temporali, qui habens iustum bellum fuit negligens in defendendo suos: is enim peccat mortaliter, & tenetur ad damnorum refectionem, iuxta ea, quæ habentur ex *Syl. in sum. vers. Bellum, 1. qu. 10. & Tab. eod. vers. q. 9 num. 12 circa fin.* Siquidem ob id à subditis tribuitur Domino census.

14 Tertiodecimò peccant Domini temporales si bona capta in bello quantumuis iusto, non restituant Dominis, à quibus iniustè fuerunt sublata ab ijs, quibus modo bellum infertur: nam eiusmodi bona non efficiuntur capientium: secus autem si iustè fuerint sublata; quoniam eorum dominium pertinet ad capientes, vt benè declarat *Molin. loco citato, disp. 118.* Nisi consuetudo sit inter Christianos, vt capta à Turcis sint capientium, & non restituantur Prioribus Dominis: quod quidem quomodo procedat, rectè explicat *Zecch. d. cap. 18. de bello, sub num. 12. vers. Quòd si capta in bello.*

15 Quartodecimò peccant Domini temporales per se primò præcipientes interfici in bello quātumuis iusto innocentes, etiam si infideles sint: siquidem fas non est, etiam in bello contra Turcas occidere infantes, ac mulieres, quæ non cooperantur ad bellum, nec Mercatores, & Peregrinos, qui ibi reperiuntur per modum transitus: & multò minus Clericos, ac Religiosos, Agricolas, & alios enumeratos in *cap. innouamus, de treg. & pace*: quod verum est nisi bellum sit cōtra hæreticos, in quo licitum est etiam mulieres adultas occidere, si apostatæ sint, aut hæreticę, vt habetur ex *Couar. in regul. peccatum, 2. p. §. 3. num. 4. Molin. loco citato, disp. 119. & Zecch. in d. cap. 18 num. 12. vers. Quintò tametsi.* Dixi: *Per se primò præcipientes; quia per accidens licet intentione interficiendi nocentes, occidere etiam innocentes eis mixtos, vt cum expugnatur Ciuitas, castrum, nauis, aut galea, in quibus adsint fideles, cum infidelibus admixti, innocentes cum nocentibus: nec ex hoc oritur obligatio reficiendi damna ipsis innocentibus; aliàs extingueretur iustitia contra nocentes. Imò innocentes si quomodo adiuuent in bello portando sarcinas, & alia eiusmodi, tanquam nocentes occidi, & in seruitutem redigi possunt; nisi sint Christiani: siquidem ex cōmuni consuetudine non fiunt Christianorum serui, vt declarat ibi Zecch.*

16 Quintodecimò peccant Domini temporales citra necessitatem tradentes Ciuitates maximè Chri-

Christianorum militibus diripiendas. Etenim ex hoc proueniunt innocentium cœdes, stupra, profanationes templorum, &c. Dixi: *Citra necessitatem*; quia si id iudicetur necessarium in iusto bello ad animandos milites, & hostes terrendos, id citra culpam fieri potest. Debent tamen Duces prohibere infantium, mulierum, Clericorum, ac Religiosorum cædes, Templorum violationes, stupra, adulteria, & alia sæua, & quantum fieri potest ea impedire, vt habetur ex *Mol. tr. 2. de iust. & iur. disp 122. in princ.* Quod quidem intelligendum est in conflictu belli; quoniã tunc licitum est occidere omnes ex aduerso pugnantes: secus autem post conflictum, & habita victoria: tunc enim nulli militum fas est aliquẽ etiam nocentem occidere; sed nocentes in iudicio sunt conueniendi, cùm tunc cesset ius belli, vt declarat *Molina loco citato, & Zecch. d. cap. 18. sub num. 12. vers. Octauò in conflictu, & ver. Nonò post conflictum*, exceptis tamen casibus relatis à *Sayr d. cap. 13. sub num. 9. & 10.*

17 Sextodecimò peccant Domini temporales, promissiones, quas in bello spoponderant, non seruantes, & ablata restituere, ac damna, & interesse reficere tenentur: siquidem fides etiam hostibus est seruanda, vt in *l. conuentionum. ff. de pact.* cum alijs cumulatis per *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13. num. 99. & Zecch. par. 1. sua sum. cap. 18. de bello. sub num. 12. vers. Sextò in bello, &c.*

18 Decimoseptimò peccant Domini temporales, & in excommunicationem incidunt, duella in suis Terris permittentes, vt in extrauag. Pij V. quæ incipit: *Ea qua*, & habetur in *Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap 19.* ita decernente: *Detestabilis duellorum vsus, fabricante Diabolo, introductus, vt cruenta corporum morte animarũ etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur: Imperator Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad monachiam in terris suis inter Christianos cõcesserint, eo ipso sint excommunicati, ac iurisdictione, & dominio Ciuitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent priuati intelligantur & si feudalia sint, directis Dominis statim acquirãtur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetua infamia pœnam incurrant, & vt homicida, iuxta Sacros Canones puniri debeant, & si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consiliũ in causa duelli tam in iure, quàm facto dederint: aut alia quacunque ratione ad id quemquã suaserint: nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetua maledictionis vinculo teneantur: non obstante quocunque priuilegio, seu praua consuetudine, etiam immemorabili.*

19 Decimoctauò peccant Domini temporales, ludos, & spectacula vana, ac periculosa, aut turpes repræsentationes cum magno populorum scandalo fieri facientes: etsi cum agitatione Taurorum, excommunicationem contrahunt, vt habetur in Bulla 48. Pij V. quæ incipit: *De salute*, §. 2. & seq. in illis verbis: *Nos igitur considerantes hæc spectacula, vbi Tauri, & feræ in circo, vel foro agitantur, à pietate, & charitate Christiana aliena esse, ac volentes hæc cruenta, turpiaque Dæmonum, & non hominum spectacula aboleri, &c.*

20 Decimononò peccant Domini temporales, propter lucrũ publicos vsurarios in eorum terris tolerantes, & læsis tenentur satisfacere. Etenim vsuræ non possunt tolerari, nisi ad euitandũ maius malum spirituale; sicut toleratur meretricium ad euitandum adulterium, vt latè de hac re tractauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap. 4. q. 7 à num. 52. vsque in fin.* vbi etiam ostendimus, quòd Principes in eorum terris ita demum tolerare possunt exercitium vsurarum ad euitandum maius malum spirituale, si licentiam obtineant à Rom. Pontifice. Imò vsuræ promissæ in casibus, in quibus tolerantur, non debentur, & solutæ repeti possunt: & iudices scienter iudicantes vsuras promissas deberi, aut solutas non esse repetendas, sunt ipso facto excommunicati, sicut, & eorum officiales super vsurarum solutionem statuentes, vt in *Clem. 1. & cap post miserabilem, de vsur.* Et quamuis dicta iura in nonnullis Prouincijs non seruentur; nihilominus, an id rectè fiat, alij iudicent, inquit *Salon. in D Thom. 2 2. q. 78 ar. 3 contr. 9 num 7 in fine.* Cæterum nos, loco supra citato, probauimus huiusmodi exactiones fieri nequaquam posse citra culpam, & tam exigentes vsuras, quàm Iudices cooperantes ad illarum exactionem, aut restitui negligentes, esse restitutioni obnoxios, non obstant: quacunque consuetudine in contrarium: quia cùm vsuræ sint contra ius Diuinum, ac naturale, aduersus dicta iura locum non habet consuetudo, *cap. qua contra, 8. d.*

21 Vigesimò peccant Domini temporales in terris suis permittentes Iudæos habere publica officia, aut nouas Sinagogas erigere: id enim est ipsis interdictum per extrauag. S. M. Pauli IV. nostræ Congregationis Fundatoris, quę incipit: *Cùm nimis*; & in Bullario est 3. in ordine, vbi etiam eis præcipitur distincta habitatio, & distinctus habitus à Christianis: & in *cap. in nonnullis, de Iudæis, & Sarac.* in publicum eos progredi in die Passionis Domini.

22 Vigesimoprimò peccant temporales Domini, qui propter pecuniam, aut aliam quamcunque causam permittunt hæreticos commorari in terris suis; & insuper amittunt in perpetuum eorum terras, vt habetur ex *Conc. Tolos. cap. 3. & 4.* & si illos recipiant hæresis gratia incidunt in excommunicationem contentam in *cap. 1. Bulla Cœna*, vt latè ostendimus in nostris *Commentar. in d. Bull lib. 2. cap. 1. q. 33. & 37.*

23 Vigesimosecundò peccant Domini temporales Rom. Pontifici non obtemperantes, & si ab eius obedientia recedunt, incidunt in excommunicationem contentam in *cap. 1 Bulla Cœna*, vt habetur ex *Tol. lib. 1. sua summ. cap. 19. num. 10. & 11. & lib. 4. cap. 11. num. 2.* Quod tamen verum puto, quando schismaticè recedunt; Secus autem si in via, vel alia re nolint Papæ obedire, non vt Papa est; sed quia eius personam infestam habent, vt contra ipsum *Tolet. ex Vgol. Sanch* & alijs probauimus in nostris *Commentar. in eandem Bull. lib. 1. can. 1 q. vlt. num. 16.* Verum tamen est, quòd si à præceptis, ordinatio-

tionibus, seu mandatis Rom. Pontificis appellẽt ad futurum Concilium, aut ad id auxilium præstant, contrahunt excommunicationem in 2. c. d. *Bulla comprahensam*, vt ibi latè de hac re egimus.

24 Vigesimotertiò peccant Domini temporales prohibentes Episcopos, aut Inquisitores habere familiam armatam: siquidem Episcopi, & Inquisitores possunt eam habere, vt ostendimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœna, lib. 2 q. 33. concl. 2. num. 22 cum plur. seq.* Imò si statuant, quòd nullus arma deferat; nisi sit de familia Domini temporalis, cùm consequenter, qui sunt de familia Episcopi, aut Inquisitoris non possent arma deferre; indirectè dicerentur statuere contra libertatem Ecclesiasticam: & propterea inciderent in *cap. 15. Bulla Cœna*. Et si id agerent, vt impedirent officium inquisitionis, & gratia hæresis, inciderent in *can. 1. eiusdem Bulla*, tanquam hæreticorum fautores, & defensores, vt in *d. q. 33. diximus.*

25 Vigesimoquartò peccant Domini temporales, & eorum Magistratus, & in excommunicationem incidunt, qui tertiò admoniti ab Episcopis, aut ab alijs Ecclesiasticis Prælatis, iustitiam eis super eorum causis ministrare non curant, vt in *cap administratores, 23. q. 5.* Idem dicendum est de Dominis temporalibus impedientibus Episcopos, & alios ordinarios Prælatos, & Iudices Ecclesiasticos, quominus sua iurisdictione vtantur: siquidem hi contrahunt excommunicationem contentam in *cap 16. Bulla Cœna*, quod quomodo verum sit, satis explicauimus in nostris *Commentar. in eandem Bull. lib 2 d. cap. 16 per totum*: præsertim *q. vlt. cum suis ampliationibus, & limitationibus.*

26 Vigesimoquintò peccant Domini temporales, & Supremi Principes, subditos non secundũ allegata, ac probata occidentes, aut interfici mãdantes, aut quocunque modo sententiam in eos ferentes per priuatam dumtaxat eorum scientiã, etiam si certò sciant esse Maiestatis criminis reos: siquidem de iure naturali, ac Diuino est, ne quis citra legitimas probationes nõ auditus, nec citatus condemnetur, occidatur, puniatur, supra quod ius non est Princeps quantumuis Supremus, vt in *cap Deus, cap. primo semper, 2. q. 2.* iuncto *tex in Clem Pastoralis, § caterum, in fine, de sent. & re iud. cap qualiter, & quando, il 2. de accusat. Caiet. in summ vers. Homicidium, in princ. § vel ex parte modi*; dum ait, homicidij reos esse occidentes veneno, vel aliàs secreto de mandato Dominorum, non citatos, nõ auditos, non damnatos, etiã si rei sint Maiestatis. Nec excusat auctoritas Principis, etiam si eidẽ constaret, vt personæ priuatæ, quod mereretur mille mortes. Hoc idem tenet *Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 1. ar. 3. ad primum, & q. 4. ar 3 D. Anton. 3. par. tit 9 cap 15. § 3 Syl. in sum. vers. Index, 1. q. 5. vers. Secundum: Nauar. in Man. c. 25. num. 9. & 10 Petr. Nauar. lib. 2 de restit c. 3. par. 2. dub. 5. num. 181. Cord. lib. 1 q 37.* ad secundam rationem secundæ opinionis, circa finẽ quæst. *Petr. de Arag. 22 q 67. ar 2 dub. 1. Couar. lib. 1. var. resol cap. 1. num 7. ver. Tertium, & Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap. 8 num. 22 23. 24. & 25* Quæ diximus de causis criminalibus, extendimus quoque ad causas ciuiles. Etenim gratiter peccant Domini temporales sola scientia priuata priuantes aliquem honoribus, dignitatibus, bonis, &c. & non secũdum allegata & probata, vt habetur ex *Petro Nauar. loco citato. nu. 195. & Mart. Nauar. d. cap. 25. nu 9 vers. Vigesimoquartò*, & idem *Sayr. loco paulò supra relato, num. 26.*

27 Limitantur tamen, quæ diximus, quoad causas criminales, vbi reus aliter capi non posset, aut si futurum damnum, scandalum, infamia, & cætera eiusmodi immineret Reip. aut Principi, vel alteri innocenti: tunc enim reus etiam non citatus, nec legitimis probationibus conuictus posset per Supremum Principem occidi: siquidem supradictis casibus non videretur occidens potestate vindicatiua iudicis; sed iure defendẽdi innocentes. Nam si quilibet priuatus ad sui defensionem posset aliquem sine strepitu, & figura iudicij occidere, quando aliud remedium euadendi non haberet; eò magis Princeps ad sui, Reip. aut aliorum tutelam id agere potest, vt per Doctores supra citatos, præsertim *Sayr. d. num. 26.* qui quoad causas ciuiles prædicta quoque limitat locum non habere in causa restitutionis faciendæ; atque ideò si Princeps certò sciat, Titium debere Meuio centum aureos, & Meuius debitum probare non possit; tunc Princeps potest; imò quilibet Iudex debet Titium cogere ad soluendum debitum: eo quod hoc casu non vtitur iure vindictæ, & potestate iudiciali; sed iure defensionis rerum proximi ab iniusto inuasore, & possessore: quod etiam priuatus facere posset. Etenim quando via iuridica debitum recuperari non potest, licitum est Domino secretò rem accipere in cõpensationẽ sui debiti; sicut etiam alicui tertio rem proximi innocentis illo modo vindicare; ergò multò magis id erit licitum Iudici certò scienti rem debere, illam præcipere, vt debitor soluat; etiam si id per attestationes non fuerit comprobatum. In quo licèt potestate coerciua quodammodo vtatur; præcipuè tamen vtitur iure defensionis proximi, ad quod etiam potestate publica, qua fungitur plurimum adiuuatur. Quæ ratio non militat in impositione pœnæ ex sola lege humana ob delictũ infligendæ, vt infra latius declarabimus, *disp. 18. de Magistratibus, & Iudicibus agentes, sec. 1. vers. Vigesimoquintò peccant.*

✠ Addo hic obiter tres sequentes propositiones damnatas ab Alex. VII. P.M. Nempè

Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere nõ videtur si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Iudicem, à qua iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum euitare.

Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehensam.

28 Vigesimosextò peccant Domini temporales si non iudicent secundum leges à se, vel maioribus suis æditas, quotiescunque ex earum obseruantia nihil sequitur, quod legi Diuinæ, aut naturali sit contrarium. Etenim leges cùm sint cõsti-

stitutiuæ iusti secundum regiones, ac temporum conditiones, quamuis ante legis constitutionem licitum erat Principi aliter iudicare; post tamen illas conditas, secundum eas debet sententiam promulgare, cùm naturalis ratio dictet, vt patiatur quisque legem, quam tulit. Ita *D. Thom. 2. 2. q. 60. ar. 5*, & in eum *Salon. & Petr. de Aragon. Sot. lib. 3. de iust. & iur. q. 4. ar. 5. Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 4. pun. 2. & Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap 9. sub num. 3.* vbi id intelligendũ esse, ait quantum ad illas leges, quæ concernunt Legislatores non minus, ac alios inferiores, qualis est lex de recto iudicio faciendo: secus autem quoad illas leges, quæ ex æquitate naturali non debent intelligi comprehendere Legislatorem: vt si caueatur, ne quis sericas vestes induat, ensem deferat, & alia eiusmodi. Dixi: *Si ex earum obseruantia nihil sequatur, quod legi Diuinæ, aut naturali sit contrarium*; quoniam vbi ex legis obseruantia sequitur aliqua iniquitas, tunc non solùm Princeps; sed nec inferior Iudex secundum eas iudicare debet, sed secundum æquitatem, ac rationis dictamen, seu epicheiam: Siquidem lex simpliciter, aut ex circumstantia iniqua, lex non dicitur, sed corruptela; atque ideo non alligat, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 60. ar. 5. ad 2. Sot. lib. 3. de instit. & iure, q. 4. ar. 5. & Sayr. loco citato num. 4.* vbi etiam enumerat quamplurimos casus, in quibus non est licitum iudicare secundum verba legis; sed tantum secundum epicheiam, seu secundum naturalem æquitatem.

29 Vigesimoseptimò peccant Domini temporales si negligentes sint in purgandis eorum terris, & territorijs malis hominibus in puniendis, ac coercendis delictis: siquidem publicè interest, vt delicta puniantur, *l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil.* & insuper tenentur ad damna, & interesse, quæ subditis, ac communitatibus inferũtur ratione talis negligentiæ. Etenim ob id terrarum Dominis tributa præstantur; nempè vt populi ab ipsis protegantur, & defendantur à malis: Ad Principem enim pertinet Remp. tueri: & propterea non sine causa gladium portat, vt cùm expediat bono publico, possit illud euaginare, & liberare innoxios de manu nocentium, iuxta illud *Apost ad Rom cap. 13.* & latè habetur ex *D Thoma 2. 2. q 40 ar. 1.* cum alijs post *Zecch. d. cap. 18 de bello, sub num. 11.* Siquidẽ Domini temporales non obuiantes criminibus resistendo, & puniendo facinorosos homines, cùm possint, ipsi dicuntur crimina ipsa moraliter committere, & approbare; nam error, cui nõ resistitur, approbatur: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare, vt in *cap. error, 53. d. cap. non ferenda, 23. q. 3.* vbi habetur, quòd qui socij non repellit iniuriam, cùm possit, tàm est vitio, quàm ille: qui facit iniuriam, vt in *l. qui non facit, ff de regul. iur. & cap quanta de sent. excom.* omissio enim ex *D Thoma 1. 2. qu. 71. ar. 6. ad 1. & qu. 72. eod. ar.* reducitur ad genus cõmissionis saltem interpretatiuè, vt ostendimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœna, lib. 2. can. 9. q 8. num. 8.* Spectat igitur ad Principes, & temporales Dominos non solùm subditos, & eorum necessitates cognoscere, sed etiam illis congruenter prospicere, delinquentes compescere, malos condignis pœnis plectere, falsitates euellere, periuria resecare, veritatem fouere, bonos amare, & præmijs remunerare, conscientiæ puritati semper studere, censuras Ecclesiasticas reuereri, Ecclesiam, & Ecclesiasticam libertatem, ac immunitatem defendere, Consiliarijs insignibus, ætate, prudentia, industria, & rerum experientia prædictis, ac præcipuè timoratis vti. Ita post *Isid. lib. 3. de sum. bono, cap. 47.* ait *Molfes. p. 1. suæ summ. tr. 8 cap. 13. num. 4.*

30 Et quamuis Princeps maximè Superiorem non recognoscens totam pœnam, aut illius partem remittere possit, aut commutare corporalẽ in pecuniariam; id tamen non potest, nisi videat in Dei honorem cedere, aut in vtilitatem Reip. vt cum Reus vtilis esset populo, *l. ad bestias, ff. de pen.* Vel si videat inde nullum damnum publicum euenturum, & adsit consensus partis offensæ, seu aduersæ. Vndè si præuideat, aut præuidere debeat occasionem delinquendi per talem remissionem præberi, quæ vt plurimum præbetur ignoscendo homicidarijs, latronibus, & iniquis iudicibus, ac grauiter peccat, licèt pars aduersa in his consentiat, vt habetur ex *Caiet. in summ. vers. Iudicis peccata, & Nauar. in Man. cap. 25. sub num. 14.* Est tamen verum, quòd Princeps Supremus, cùm habeat plenariam potestatem, potest ex iusta causa pœnam Reo relaxare, etiam contra voluntatem accusatoris, ac partis offensæ. Nàm quamuis regulariter Supremus Princeps pœnam Reo remittere non debeat citra partis remissionem; nihilominus si pœnæ relaxatio expediens sit bono communi, adhuc ipso accusatore renuente, poterit eam Supremus Iudex relaxare, vt puta si Reus esset maximè Reip. necessarius, vt latè probat *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. c. 12. sub num 2.*

31 Vigesimoctauò peccant Domini temporales tollentes ius quæsitum alteri, nisi reddat ei excãbium; quoniam nec Princeps non potest, vt in *l. venditor, §. si constat. ff commun. præd l. serui, C. ex quib caus. ser. lib. accip. Paul. Castr. cons. 517. in fine, vol. 1. & Dec. cons. 286 num. 6 vers. Non obstat aliud* Quod quidem verum est, vbi Princeps id citra iustam causam ageret. Etenim ratione publici boni potest Princeps ius tertiò quæsitum tollere citra omne excambium, vt latè probat *Surd. cons. 313. num. 100. vol. 3. D. Franc. de Ponte in tract. de potest. Proreg. tit 5. de tract. num. 10. & seq. Rouit. in Pragm. 5. de censib. num. 3. Rodriquez lib. 1. de ann. reddit. q. 3. sub num. 43 vers. Tertiò & Molfes par. 2. suæ sum. tr. 12 cap. 6 num 92.* vbi à *nn 85. vsque ad 94.* probat, licitè potuisse Principem, sicut, & S.P. reducere annuum censum ad minorem sũmam, nempè à decem pro quolibet centenario ad septem.

32 Vigesimonono peccant Domini temporales præficientes in Magistratus, & Iudices, indignos, malos, ac indoctos, & tenentur reficere omnia damna, quæ subditis ob eorum causam proueniunt: & multò magis si officia vendant personis indignis; quoniam licèt possit Princeps officia vendere; debet tamen ea vendere personis idoneis, & iusto pretio, ita vt ex tali venditione subditis non proueniant detrimenta; aliàs teneretur ad omnium damnorum refectionem, vt ex *D. Thoma*, & alijs benè declarat *Nauar. in Man.*

Man. cap. 25. *num.* 7. vbi etiam tractat, an, & quando liceat Dominis temporalibus officia vendere: quibus adde *Molfes. par.* 1. *suæ sum. tr.* 8. *cap.* 13. *num.* 11.

33 Trigesimò peccant Domini temporales excitando factiones, vel eas non sedando, si iustas, & necessarias leges non ferant, & Reip. periculis non consulāt, armis eam prouidendo, & equis, arces muniendo, ne subditis rebellionis occasionem præbeāt, & alijs necessarijs ad eius defensionem non prouideāt. Peccant quoque si annonæ Ciuitatis non prouideāt, & per incuriam nō habentes armenta bouum, & greges ouium, & alia eiusmodi, aut agros non colant, quibus triticum, hordeum, & alia frumenta sibi, suisque necessaria colligant, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thom. de Regim. Princ. lib.* 1. *cap.* 15. & *lib.* 2. *cap.* 5. & 6. latè *Nauar. in Man. cap.* 25. *num.* 1 & 2.

34 Trigesimoprimò peccant Domini temporales non solùm pecunias irrationabiliter congerentes, grauādo notabiliter subditos ob solam auaritiam; sed etiam prodigis largitionibus adeò vacantes, vt probabili periculo se exponāt vsurpandi aliena, vel tributa maiora irrationabiliter exigendi, aut debita statis diebus non soluendi, vt habetur ex *Nauar. post D. Thom. & alios d. cap.* 25. *num.* 3 vbi etiam addit, ipsos temporales Dominos peccare, si viarum refectionem non curent, ac earum custodiam in graue subditorū detrimentum, si pauperibus extremè maximè indigentibus non consulant, & prauas consuetudines ex suis terris non extirpēt, & alijs modis, de quibus per *Nauar. d. cap* 25.

35 Trigesimosecundò peccant Domini temporales, non solùm si leges iniustas ferant; sed etiā si latas non abrogent, si suos subditos in taleis, & exactionibus grauent, si viduas, pupillos, & alias miserabiles personas non defendant, si inexorabiles sint, si expensas inutiles faciant, vanitatibus vacantes, & multis alijs modis, de quibus *Antonuc. in Cathec. Neap. lib.* 1. *c.* 26. 27. & 28. & *Molfes. p.* 1. *suæ sum. tr.* 8. *c.* 13.

36 Trigesimotertiò peccant Domini temporales vsurpantes sibi communitatis bona, nempè siluas, campos, pascua, nemora, &c. siquidem rapinam committunt, & ad restitutionem tenētur vna cum fructibus perceptis, vt in *cap si res*, 14. *q.* 6. Idem dicendum est si exigant à vaxallis, & subditis seruitia indebita, ita vt citra mercedē congruam faciat eos in proprijs terris elaborare vna cum eorum animalibus, ligna deferre, & alia eiusmodi. Et si hæc omnia die festo fieri faciant, præter rapinam, quam committunt, peccant quoque contra legis præceptum: *Sabbata sanctifices*, vt declarat *D. Anton.* 3. *par. tit.* 3. *c.* 4. §. 4.

37 Trigesimoquartò peccant Domini temporales non permittentes suos subditos de proprijs bonis in morte disponere ad sui libitum: si mēsuras, & pondera iniusta in suis terris permittāt, aut res minus infirmo pretio distrahi statuant, & alia eiusmodi: & insuper vltra culpam tenentur ad interesse reficiendum, vt per *D. Anton. loco citato*, & §. 5. & *seq.* vbi etiam peccare inquit Dominos temporales si subditos matrimonium contrahere cogant, aut contrahere prohibeant, vel cum alia, quam velint, & alijs modis, de quibus per *D. Anton. vbi sup.*

38 Trigesimoquintò peccant Domini temporales si in faciendis aucupationibus, venationibus, piscationibus, & alijs eiusmodi nimium grauēt subditos; & maximè si hæc fieri fecerint diebus festiuis, vt in *cap. an putatis*, 86. *d.* Idem dicendum est si venationem, aut aucupationem subditis interdicant. Non enim Principes quantumuis supremi venationem, aut aucupationem prohibere possunt, vt in *l.* 1. & 2. *ff. de acquir. rer. domin.* & § *feræ in inst. de rer. diuis* Siquidem venatio, & aucupatio, sicut, & piscatio, cùm sint de iure naturali secundariò; Principes non possunt contra illud statuere; nisi iusta, ac rationabili causa subsistente; nempè ex causa publicæ vtilitatis prohibeatur venatio, vel piscatio certis temporibus, in quibus animalia solent esse grauida: aut si venatio esset adeò magna, vt animalium genus aliquod extingueretur, vt habetur ex *Gramm. decis.* 67. cum alijs ab eo relatis, *Marta de iurisd. par.* 4. *casu* 57. & nos adnotauimus in *Commentar. Bullæ Cœnæ, lib.* 2. *cap.* 15. *q.* 17. *num.* 44. quibus adde ea, quæ latissimè tractat *Sayr lib.* 11. *Clauis Regiæ, cap* 9. *num.* 8. *cum plur. seq.* vbi licèt probet, Princeps Supremus non possit sibi reseruare omnia loca, syluas, & paludes sibi ad venandum, & piscandum, cùm id naturali rationi, ac æquitati repugnet; nihilominus aliquorum locorum, quorum dominium proprietatis ad ipsum solum pertinet; sed etiam aliorum moderatum numerum reseruare potest, tum ad sui honestam recreationem, tum ob maiorem dignitatem, quàm Regius status, & Reip. splendor expostulat. Etenim id ad publicum bonum quodammodo pertinet, vt ipse curis publicis melius vacare possit, animum quandoquè honestè relaxando. Tenetur tamen Princeps aliquam compensationem facere non solùm priuatis hominibus ibi prædia habentibus, iuxta damnum indè prouenturum; sed etiam populis, quorum loca illa erant communia: quod quidē præstare potest remittendo illis quædam tributa, quæ iustè ab illis posset exigere, aut alia eiusmodi. Imò tenetur ad omnia damna, quæ locis communibus, vel priuatis occasione venationis, vel piscationis proueniunt.

39 Quæ diximus de Principibus Supremis, extendimus ad Magnates, seu Dominos Superiorem recognoscentes: siquidem in locis, quorum dominium proprietatis habent, & in suis territorijs pro tempore, & modo venationem, & piscationem vetare possunt; citra tamen fraudem: & sub ea moderatione, ne totaliter subditis facultas venandi, ac piscandi auferatur: & quatenus id vtilitati communi condecens esse videtur. Et id non pro solo arbitratu eorum; sed licētia Principis Supremi expressa, vel tacita, aut vi alicuius contractus, aut consensu populorum, qui ipsis subditi sunt; dummodò liberè consentiant, vel ratione legitimè præscriptæ consuetudinis, vt per *Molfes. p.* 2. *suæ sum. tr.* 12 *c.* 3. *num.* 115. & 116. Nec aliter possunt eiusmodi Magnates, & Domini, propriæ vtilitatis, & recreationis animi gratia, omne genus, vel tale genus venationis, aut piscationis vetare, vt rectè declarat *Sayr. lib.* 11. *Clauis Regiæ, c.* 9 *num.* 8 *cum plur. seq.* & *Molfes. loc. cit. à n.* 109. *vsq; ad* 134. vbi latè hanc materiam pertractat.

Tri-

40 Trigesimoquintò peccant Domini temporales bona vaxallorum confiscantes, qui velint ad alium locum, vel Dominum se conferre: & insuper rapinam committunt; nisi tale onus inuestitura feudi expresse fuerit ipsis vaxallis iniunctum; quoniam id tunc tolerari posset, vt rectè declarat *D. Anton. 3. p. tit. 3. c. 4. §. 3.*

Trigesimosextò peccant Domini temporales, tàm absoluti, quàm Superiorem recognoscentes, & incurrunt in censuras in Bulla Cœnæ contẽtas, in multis casibus, de quibus *sec seq.* dicemus, ne bis idem repetere videamur.

De peccatis Dominorum temporalium Superiorem recognoscentium.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Domini temporales, qui Superiorem recognoscunt; si bellum inferant absque suorum Principum licentia.*

2 *Peccant huiusmodi Domini, si noua pedagia imponant, & nouas gabellas absque eorum Superiorum licentia. Et cuius sit effectus noua pedagia imponere.*

3 *Peccant huiusmodi Domini, si citra licentiam Supremi Principis, populique consensum, aut citra legitimam præscriptionem, vel consuetudinem, venationem prohibent, aucupationem, vel piscationem.*

4 *In multis alijs casibus peccare possunt tales Domini, & censuras incurrere, ac pœnas Bullæ Cœnę. Et primò si à præceptis appellant Romani Pontificis ad futurum Generale Cõcilium.*

5 *Peccant quoque, & in Bullam Cœnæ incurrunt si piratas defendant, aut cursarios, seu latrũculos maritimos, discurrentes mare Pontificium à monte argentario, vsque ad Terracinam.*

6 *Eandem Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrunt, si bona auferant naufragorum.*

7 *Sic si arma equos, & alia in septimo Canone eiusdẽ Bullæ enumerata, ad Saracenos mittant, vel ad Turcas, Hereticos, & alios Christiani nominis hostes.*

8 *Peccant similiter huiusmodi Domini temporales, & in eandem incidunt excommunicationem si inuadant, impediant, vel perturbent necessaria ad vsum Romanæ Curiæ.*

9 *Peccant quoque tales Domini temporales, ac etiam Ecclesiastici, & excommunicationem contrahunt capitis 9. Bullæ predictæ si iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Romano Pontifice, eiusque Iudicibus non habentes, eam sibi vsurpant.*

10 *Excommunicationem quoque incurrunt, & peccant Domini temporales, si eijciant, aut eijci mandant à suis Diœcesibus, Territorijs, ac Dominijs S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c.*

11 *Prohibentes, literas Apostolicas, exequutioni demandari, nisi ab eisdem prius examinentur, & assensum pręstent, peccant, & in excõmunicationem Bullæ Cœnę incidunt.*

Sic etiam si Clericos, qui beneficium à S. Apostolica obtinuerunt, possessionem adipisci non sinunt, sine eorum beneplacito, aut prohibeat ne quis ad Romanam Curiam accedat pro suis negotijs, &c.

12 *Peccant etiam Domini, & potentes temporales, & excommunicationem incurrunt Bullæ prædictæ, auocantes ad se causas beneficiales de facto, & propria auctoritate, cæterasque causas spirituales.*

13 *Peccant similiter Domini, & potestates temporales, ac Ecclesiastica, & excommunicatione prædicta Bullæ ligantur, si contra libertatem Ecclesiasticam statuant, & personas Ecclesiasticas trahant ad eorum Tribunalia.*

14 *Peccant etiam Domini, & potestates temporales, simulque Ecclesiastica qui auctoritatiuè, & quasi iure proprio sibi vsurpant redditus, fructus, & prouentus Ecclesiasticos, & incidunt etiam in excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

15 *Peccant quoque temporales Domini, ac etiam Ecclesiastici, & in eandem excommunicationem incidunt, imponentes collectas, & alia onera Clericis, eorumque Ecclesiis.*

Eandemque censuram contrahunt mandantes, auxilium, & fauorem præstantes.

16 *Eandemque censuram, & peccatum incurrunt Domini temporales, interponentes se in causis criminalibus Ecclesiasticorum absque licentia Sedis Apostolicæ.*

An in excommunicationem incidant, contentam in capite 19 eiusdem Bullæ.

17 *Eandem Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrunt temporales Domini, si per se, vel per alios directè, vel indirectè inuadunt, occupant, destruunt, &c. Prouincias, Ciuitates, &c. ad Romanam Ecclesiam pertinentes.*

18 *Peccant Domini temporales, & censura ligãtur Concil. Trid. si vsurpent ius patronatus alicuius Ecclesiæ.*

19 *Peccant quoque, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt Domini temporales, si gabellas exigant à personis Ecclesiasticis pro suis rebus, quas deferunt, & transmitti faciũt, non causa negotiationis.*

20 *Peccatum sacrilegij committunt, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt quotiescunque Domini, & potestates temporales aliquem delinquentem extrahi faciunt per vim ab Ecclesiis.*

1 Peccant primò Domini temporales Superiorem recognoscentes si bellum inferant sine licentia eorum Supremorum Principum: Siquidem Domini recognoscentes Superiorem nõ possunt vti bello aggressiuo, licèt iustam habeant bellandi causam citra eiusmodi licẽtiam; sed tãtùm vti possunt bello defensiuo, iuxta ea, quæ habentur ex *Zecch. tom. 1. sua sum. cap. 18. de bello, sub num. 5.* post *Bann.* & alios; & *Tab. in sua sum. vers. Bellum, sub num. 2.* cum alijs, quos allegat: eo quòd vim vi repellere de iure naturali est, *l. vt vim, ff. de iust. & iur.* Et multò minus ipsis Dominis Superiorem recognoscentibus licitum est contra proprium Superiorem bellum gerere, sed debent recurrere ad Romanum Pontificem, qui potest illum excommunicare, & crescente contumacia, dare ei facultatem in-

Man. cap. 25. *num.* 7. vbi etiam tractat, an, & quando liceat Dominis temporalibus officia vendere: quibus adde *Molfes. par.* 1. *sua sum. tr.* 8. *cap.* 13. *num.* 11.

33 Trigesimò peccant Domini temporales excitando factiones, vel eas non sedando, si iustas, & necessarias leges non ferant, & Reip. periculis non consulāt, armis eam prouidendo, & equis, arces muniendo, ne subditis rebellionis occasionem præbeāt, & alijs necessarijs ad eius defensionem non prouideāt. Peccant quoque si annonæ Ciuitatis non prouideāt, & per incuriam nō habentes armenta bouum, & greges ouium, & alia eiusmodi, aut agros non colant, quibus triticum, hordeum, & alia frumenta sibi, suisque necessaria colligant, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thom. de Regim. Princ. lib.* 1. *cap.* 15. & *lib.* 2. *cap.* 5. & 6. latè *Nauar. in Man. cap.* 25. *num.* 1 & 2.

34 Trigesimoprimò peccant Domini temporales non solùm pecunias irrationabiliter congerentes, grauādo notabiliter subditos ob solam auaritiam; sed etiam prodigis largitionibus adeò vacantes, vt probabili periculo se exponāt vsurpandi aliena, vel tributa maiora irrationabiliter exigendi, aut debita statis diebus non soluendi, vt habetur ex *Nauar. post D. Thom. & alios d. cap.* 25. *num.* 3 vbi etiam addit, ipsos temporales Dominos peccare, si viarum refectionem non curent, ac earum custodiam in graue subditorū detrimentum, si pauperibus extremè maximè indigentibus non consulant, & prauas consuetudines ex suis terris non extirpēt, & alijs modis, de quibus per *Nauar. d. cap* 25.

35 Trigesimosecundò peccant Domini temporales, non solùm si leges iniustas ferant; sed etiā si latas non abrogent, si suos subditos in taleis, & exactionibus grauent, si viduas, pupillos, & alias miserabiles personas non defendant, si inexorabiles sint, si expensas inutiles faciant, vanitatibus vacantes, & multis alijs modis, de quibus *Antonuc. in Cathec. Neap. lib.* 1. *c.* 26. 27. & 28. & *Molfes. p.* 1. *sua sum. tr.* 8. *c.* 13.

36 Trigesimotertiò peccant Domini temporales vsurpantes sibi communitatis bona, nempè siluas, campos, pascua, nemora, &c. siquidem rapinam committunt, & ad restitutionem tenētur vna cum fructibus perceptis, vt in *cap si res*, 14. *q.* 6. Idem dicendum est si exigant à vaxallis, & subditis seruitia indebita, ita vt citra mercedē congruam faciat eos in proprijs terris elaborare vna cum eorum animalibus, ligna deferre, & alia eiusmodi. Et si hæc omnia die festo fieri faciant, præter rapinam, quam committunt, peccant quoque contra legis præceptum: *Sabbata sanctifices*, vt declarat *D. Anton.* 3. *par. tit.* 3. *c.* 4. §. 4.

37 Trigesimoquartò peccant Domini temporales non permittentes suos subditos de proprijs bonis in morte disponere ad sui libitum: si mēsuras, & pondera iniusta in suis terris permittāt, aut res minus infirmo pretio distrahi statuant, & alia eiusmodi: & insuper vltra culpam tenentur ad interesse reficiendum, vt per *D. Anton. loco citato*, & §. 5. & *seq.* vbi etiam peccare inquit Dominos temporales si subditos matrimonium contrahere cogant, aut contrahere prohibeant, vel cum alia, quam velint, & alijs modis, de quibus per *D. Anton. vbi sup.*

38 Trigesimoquintò peccant Domini temporales si in faciendis aucupationibus, venationibus, piscationibus, & alijs eiusmodi nimium grauēt subditos; & maximè si hæc fieri fecerint diebus festiuis, vt in *cap. an putatis*, 86. *d.* Idem dicendum est si venationem, aut aucupationem subditis interdicant. Non enim Principes quantumuis supremi venationem, aut aucupationem prohibere possunt, vt in *l.* 1. & 2. *ff. de acquir. rer. domin.* & § *fera in inst. de rer. diuis* Siquidem venatio, & aucupatio, sicut, & piscatio, cùm sint de iure naturali secundariò; Principes non possunt contra illud statuere; nisi iusta, ac rationabili causa subsistente; nempè ex causa publicæ vtilitatis prohibeatur venatio, vel piscatio certis temporibus, in quibus animalia solent esse grauida: aut si venatio esset adeò magna, vti animalium genus aliquod extingueretur, vt habetur ex *Gramm. decis.* 67. cum alijs ab eo relatis, *Marta de iurisd. par.* 4. *casu* 57. & nos adnotauimus in *Commentar. Bullæ Cœnæ, lib.* 2. *cap.* 15. *q.* 17. *num.* 44. quibus adde ea, quæ latissimè tractat *Sayr lib.* 11. *Clauis Regiæ, cap* 9. *num.* 8. *cum plur. seq.* vbi licèt probet, Princeps Supremus non possit sibi reseruare omnia loca, syluas, & paludes sibi ad venandum, & piscandum, cùm id naturali rationi, ac æquitati repugnet; nihilominus aliquorum locorum, quorum dominium proprietatis ad ipsum solum pertinet; sed etiam aliorum moderatum numerum reseruare potest, tum ad sui honestam recreationem, tum ob maiorem dignitatem, quàm Regius status, & Reip. splendor expostulat. Etenim id ad publicum bonum quodammodo pertinet, vt ipse curis publicis melius vacare possit, animum quandoque honestè relaxando. Tenetur tamen Princeps aliquam compensationem facere non solùm priuatis hominibus ibi prædia habentibus, iuxta damnum indè prouenturum; sed etiam populis, quorum loca illa erant communia: quod quidē præstare potest remittendo illis quædam tributa, quæ iustè ab illis posset exigere, aut alia eiusmodi. Imò tenetur ad omnia damna, quæ locis communibus, vel priuatis occasione venationis, vel piscationis prouenuint.

39 Quæ diximus de Principibus Supremis, extendimus ad Magnates, seu Dominos Superiorem recognoscentes: siquidem in locis, quorum dominium proprietatis habent, & in suis territorijs pro tempore, & modo venationem, & piscationem vetare possunt; citra tamen fraudem: & sub ea moderatione, ne totaliter subditis facultas venandi, ac piscandi auferatur: & quatenus id vtilitati communi condecens esse videtur. Et id non pro solo arbitratu eorum; sed licētia Principis Supremi expressa, vel tacita, aut vi alicuius contractus, aut consensu populorum, qui ipsis subditi sunt; dummodò liberè consentiant, vel ratione legitimè præscriptæ consuetudinis, vt per *Molfes. p.* 2. *sua sum. tr.* 12. *c.* 3. *num.* 115. & 116. Nec aliter possunt eiusmodi Magnates, & Domini, propriæ vtilitatis, & recreationis animi gratia, omne genus, vel tale genus venationis, aut piscationis vetare, vt rectè declarat *Sayr. lib.* 11. *Clauis Regiæ, c.* 9 *num.* 8 *cum plur. seq.* & *Molfes. loc. cit. à n.* 109. *vsq; ad* 134. vbi latè hanc materiam pertractat.

Tri-

40 Trigesimoquintò peccant Domini temporales bona vaxallorum confiscantes, qui velint ad alium locum, vel Dominum se conferre: & insuper rapinam committunt; nisi tale onus inuestitura feudi expressè fuerit ipsis vaxallis iniunctum; quoniam id tunc tolerari posset, vt rectè declarat *D. Anton. 3. p. tit. 3. c. 4. §. 3.*

Trigesimosextò peccant Domini temporales, tàm absoluti, quàm Superiorem recognoscentes, & incurrunt in censuras in Bulla Cœnæ contẽtas, in multis casibus, de quibus *sec seq.* dicemus, ne bis idem repetere videamur.

De peccatis Dominorum temporalium Superiorem recognoscentium.
SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Domini temporales, qui Superiorem recognoscunt; si bellum inferant absque suorum Principum licentia.*

2 *Peccant huiusmodi Domini, si noua pedagia imponant, & nouas gabellas absque eorum Superiorum licentia. Et cuius sit effectus noua pedagia imponere.*

3 *Peccant huiusmodi Domini, si citra licentiam Supremi Principis, populique consensum, aut citra legitimam præscriptionem, vel consuetudinem, venationem prohibent, aucupationem, vel piscationem.*

4 *In multis alijs casibus peccare possunt tales Domini, & censuras incurrere, ac pœnas Bullæ Cœnę. Et primò si à præceptis appellant Romani Pontificis ad futurum Generale Cõcilium.*

5 *Peccant quoque, & in Bullam Cœnæ incurrunt si piratas defendant, aut cursarios, seu latrũculos maritimos, discurrentes mare Pontificium à monte argentario, vsque ad Terracinam.*

6 *Eandem Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrunt, si bona auferant naufragorum.*

7 *Sic si arma, equos, & alia in septimo Canone eiusdẽ Bullæ enumerata, ad Saracenos mittant, vel ad Turcas, Hæreticos, & alios Christiani nominis hostes.*

8 *Peccant similiter huiusmodi Domini temporales, & in eandem incidunt excommunicationem si inuadant, impediant, vel perturbent necessaria ad vsum Romanæ Curiæ.*

9 *Peccant quoque tales Domini temporales, ac etiam Ecclesiastici, & excommunicationem contrahunt capitis 9. Bullæ prędictæ si iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Romano Pontifice, eiusque Iudicibus non habentes, eam sibi vsurpant.*

10 *Excommunicationem quoque incurrunt, & peccant Domini temporales, si eijciant, aut eijci mandant à suis Diœcesibus, Territorijs, ac Dominijs S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, &c.*

11 *Prohibentes, literas Apostolicas, exequutioni demandari, nisi ab eisdem prius examinentur, & assensum pręstent, peccant, & in excõmunicationem Bullæ Cœnę incidunt.*

Sic etiam si Clericos, qui beneficium à S. Apostolica obtinuerunt, possessionem adipisci non sinunt, sine eorum beneplacito, aut prohibeat ne quis ad Romanam Curiam accedat pro suis negotijs, &c.

12 *Peccant etiam Domini, & potentes temporales, & excommunicationem incurrunt Bullæ prædictæ, auocantes ad se causas beneficiales de facto, & propria auctoritate, cæterasque causas spirituales.*

13 *Peccant similiter Domini, & potestates tempoles, ac Ecclesiastica, & excommunicatione prædictæ Bullæ ligantur, si contra libertatem Ecclesiasticam statuant, & personas Ecclesiasticas trahant ad eorum Tribunalia.*

14 *Peccant etiam Domini, & potestates temporales, simulque Ecclesiasticæ qui auctoritatiuè, & quasi iure proprio sibi vsurpant redditus, fructus, & prouentus Ecclesiasticos, & incidunt etiam in excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

15 *Peccant quoque temporales Domini, ac etiam Ecclesiastici, & in eandem excommunicationem incidunt, imponentes collectas, & alia onera Clericis, eorumque Ecclesijs.*

Eandemque censuram contrahunt mandantes, auxilium, & fauorem præstantes.

16 *Eandemque censuram, & peccatum incurrunt Domini temporales, interponentes se in causis criminalibus Ecclesiasticorum absque licentia Sedis Apostolicæ.*

An in excommunicationem incidant, contentam in capite 19 eiusdem Bullæ.

17 *Eandem Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrunt temporales Domini, si per se, vel per alios directè, vel indirectè inuadunt, occupant, destruunt, &c. Prouincias, Ciuitates, &c. ad Romanam Ecclesiam pertinentes.*

18 *Peccant Domini temporales, & censura ligãtur Concil. Trid. si vsurpent ius patronatus alicuius Ecclesiæ.*

19 *Peccant quoque, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt Domini temporales, si gabellas exigant à personis Ecclesiasticis pro suis rebus, quas deferunt, & transmitti faciũt, non causa negotiationis.*

20 *Peccatum sacrilegij committunt, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt quotiescunque Domini, & potestates temporales aliquem delinquentem extrahi faciunt per vim ab Ecclesijs.*

1 PEccant primò Domini temporales Superiorem recognoscentes si bellum inferant sine licentia eorum Supremorum Principum: Siquidem Domini recognoscentes Superiorem nõ possunt vti bello aggressiuo, licèt iustam habeant bellandi causam citra eiusmodi licẽtiam; sed tãtùm vti possunt bello defensiuo, iuxta ea, quæ habentur ex *Zecch. tom. 1. sua sum. cap. 18. de bello, sub num. 5.* post *Bann.* & alios; & *Tab. in sua sum. vers. Bellum, sub num. 2.* cum alijs, quos allegat: eo quòd vim vi repellere de iure naturali est, *l. vt vim, ff. de iust. & iur.* Et multò minus ipsis Dominis Superiorem recognoscentibus licitum est contra proprium Superiorem bellum gerere, sed debent recurrere ad Romanum Pontificem, qui potest illum excommunicare, & crescente contumacia, dare ei facultatem in-

inferendi bellum, vt post alios habetur ex *Syl. in sum. vers. Bellum*, 1. q. 4.

2 Secundò peccant Domini temporales Superiorem recognoscentes imponentes noua pedagia,& nouas gabellas citra eorum Superiorum licentiam. Etenim noua pedagia, seu noua tributa imponere, aut augere, est effectus supremæ iurisdictionis, vt in *l. 3. C. de nou. vectig. cap. innouamus, de censib. cap. super quibusdam*, & ibi, *Doctor. de ver. signif.* Vndè noua tributa, seu gabellas illi tantùm imponere possunt, qui in temporalibus Superiorem non habent, quales sunt Papa, Imperatores, Reges, Concilium Generale, Ciuitates liberæ merum, & mixtum Imperium habẽtes, vt sunt Veneti, Genuenses, &c. Magnus Dux Florentiæ, Dux Sabaudiæ, & alij similes Superiorem non recognoscentes, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 5 q. 2. & 6.* vbi etiam declarauimus, an, & quando temporales Principes, tam Supremi, quam Superiorem recognoscentes noua tributa imponentes incidant in excommunicationem in d. Bulla contentam.

3 Tertiò peccant Domini temporales Superiorem recognoscentes, si citra licentiam eorum Supremi Principis, consensum populorum, aut citra legitimã, & præscriptam consuetudinem, vel validum, ac legitimum contractum, in suis locis prohibeant venationem, aucupationem, aut piscationem: quod quomodo procedat etiam quoad Dominos temporales Superiores non recognoscentes fusiùs egimus, *sec. præcedenti, ver. Trigesimoquintò peccant, per totum*, in qua *sectione* tractauimus quoque de nõnullis alijs casibus, in quibus peccant non solùm Domini tẽporales Superiorem non recognoscentes; verum etiam Domini temporales, qui Superiorem recognoscunt, vt consideranti facilè patet; sicut, & in sequentibus casibus.

4 Quartò possunt peccare Domini temporales tam Supremi, quam Superiorem recognoscentes, & contrahere censuras, & pœnas in Bulla Cœna contentas in multis alijs casibus. Horum

Primus casus est, si temporales Domini, siue Supremi sint, siue non Supremi, & quicunque alij, appellent à præceptis, & ordinationibus Romani Pontificis ad futurum Generale Concilium, aut ad id auxilium præstent: hoc enim casu non solùm peccant, sed etiam incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vt latè declarauimus in nostris *Commentarijs in dictam Bullam, lib. 2. cap 2. per totum.*

5 Secundus casus est, vbi Domini temporales, vt supra, sicut, & omnes alij fauẽt, receptant, aut defendunt, Piratas, Cursarios, & latrunculos maritimos: & si hæc agant ad discurrendum mare Pontificium à monte argentario vsque ad Terracinam, excommunicationem contrahunt latam in *cap. 3. Bullæ Cœnæ*, vt in d. nostris *Commentar.* ibidem sufficienter explicauimus, præsertim *q. 12.*

6 Tertius casus est, si Domini temporales, aut alij, vt supra, Naufragorum bona auferant; siquidem hi excommunicatione Bullæ Cœnæ vinculo ipso facto alligantur, non obstante quacũque consuetudine, ac priuilegijs: quod quidẽ quomodo verum sit, in nostris *Commẽtar. cap. 4. eiusdem Bullæ*, definiuimus.

7 Quartus casus est, si temporales Domini, & alij quicunque mittant arma, equos, & alia in *cap. 7. Bullæ Cœnæ* enumerata, ad Saracenos, Turcas, Hæreticos, & alios Catholici, aut Christiani nominis inimicos, & hostes: eosdemque certiores faciunt de rebus, statum Reip. Christianæ concernentibus in Christianorum perniciem, & damnum, siquidem peccant, & excõmunicatione alligantur, quæ omnia declara, iuxta ea, quæ in nostris *Commentarijs in d. cap. 7. dictæ Bullæ* adnotauimus.

8 Quintus casus est, si Domini temporales, vt supra, sicut alij quicunque inuadant, impediant, vel perturbent, necessaria ad vsum Rom. Curiæ deferentes, ne adducãtur, vel afferantur: hi enim similiter peccant, & excommunicationem Bullæ Cœnæ contrahunt vna cum eorum defensoribus: vt habetur *cap 8. eiusdem Bullæ*. Est tamen verum, quòd Domini temporales si impediant deferentes, vt supra, vt dicta bona in proprijs Ciuitatibus remaneant, si ibi caritas annonæ grauis esset, à dicta excommunicatione, & ab omni culpa excusarentur, vt probabiliter diximus in nostris *Commentar. d. cap. 8 q. 4.*

9 Sextus casus est, si Domini temporales, aut etiam Ecclesiastici iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à Romano Pontifice, aut eius Iudicibus non habentes illam sibi temerè vendicent contra morantes in Curia Rom. Hi nanque peccant, & in excommunicationem incidunt *cap. 9. d. Bullæ.* vbi eandem excommunicationẽ contrahunt offendentes accedentes ad S. Apostolicam: quæ quidem quomodo vera sint latè in *d. cap. explicauimus in d. nostris Commentar. qu. 26.*

10 Septimus casus est, in quo Domini temporales peccant, & excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrunt, cùm eijciunt, aut eijci mandant à suis Diœcesibus, Terris, & Territorijs, seu Dominijs S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, S. Apostolicæ Legatos, vel Nuncios: aut eos hostiliter insequuntur, vulnerant, capiunt, interficiunt, &c. vt patet ex *can. 11. d. Bullæ*, quem nos latè explicauimus in *d. nostr. Commentar.*

11 Octauus casus est, in quo peccant Domini, & potestates temporales, & excommunicationem contrahunt in Bulla Cœnæ contentam, *cap 13.* prohibentes litteras Apostolicas executioni demandari; nisi prius ab eisdem examinentur, & assensus præstetur, quod tamen limita, iuxta ea, quæ in prædictis *nostr. Commentar. in eodem cap. 13. q 6.* cumulauimus, vbi etiam *q vlt. num. 7.* ostendimus in eandem excommunicationem incidere nolentes in suis Terris, Clericos, qui beneficium à Sede Apostolica obtinuerunt, eorum possessionem adipisci sine eorum beneplacito: & prohibentes, ne quis ad Romanam Curiam accedat pro suis negotijs prosequendis, gratijs impetrandis, &c quod explica, iuxta ea, quæ diximus *d q. vlt num. 15. cum plur. seq.* excommunicationem ipsam quoque incurrunt molestantes consanguineos, affines, & familiares eorum, qui in *d. cap. 13.* recensentur, vt ibidem declarauimus *d. q. 7.*

12 Nonus casus est, in quo peccant, & in excommunicationem *cap. 14. Bullæ Cœnæ*, incidunt Domini, & potestates temporales auocantes sibi

de

de facto, & auctoritate propria causas beneficiales, decimarum, spirituales, & spiritualibus annexas à Iudicibus Ecclesiasticis, aut per statum, aut alias partes actrices compellētes ad reuocandum citationes, inhibitiones,& alias litteras eis decretas. Eādem excommunicationem contrahunt hæc ipsa mandantes: quæ omnia declara, iuxta explicationem, quam ibi habuimus in nostris *Commentar. ad ipsam Bullam Cœnæ, q. 3. & vlt.* vbi *q. 9. & 10.* idem quoque dicendū esse ostendimus de impedientibus executionem litterarum Apostolicarum, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, quod tamen limitauimus *d. q. 10.* vbi etiam *Addent. fol. 223.*

13 Decimus casus est, in quo Domini, & potestates temporales, ac Ecclesiasticæ peccant, & excommunicatione Bullæ Cœnæ alligantur cōtenta in *cap. 15. eiusdem Bullæ*, statuentes contra libertatem Ecclesiasticam, & trahentes ad eorum Tribunalia personas Ecclesiasticas, vt latè tractauimus in *d. nostr. Commentar. in explicatione eiusdem cap. 15. q. vlt. concl. 1. & 2.* Easdem multipliciter ampliantes, ac limitantes. Statuta verò contra libertatem Ecclesiasticam, quę nam dicantur, ibidem sufficienter declarauimus *q. 19.* vbi nonnulla statuta diuersorum Principum, ac communitatum retulimus: & qualiter Principes peccent, & excommunicationem ipsius Bullæ contrahant, statuentes, ac prohibentes Ecclesias ædificari citra eorum licentiam explicauimus *num. 68. cum plur. seq.*

14 Vndecimus casus est, quando Domini, & potestates Sæculares, ac etiam Ecclesiasticę auctoritatiuè, & quasi iure proprio sibi vsurpant iurisdictiones, fructus, redditus, ac prouentus Ecclesiasticos; & citra expressam licentiam sequestrant: hi nanque non modo mortaliter peccant; sed etiam incurrunt excommunicationem, quæ habetur in *cap. 17. Bullæ Cœnæ*, vt de hac re diffusè ibidem egimus *q. 2. & vlt.* rem ipsam varijs modis ampliantes, ac limitantes: & conuenientias, ac differentias assignantes inter *d. cap. 17. & cap. 11. Conc. Trid. de reform. cap. 22.*

15 Duodecimus casus est, in quo peccant Domini temporales, ac etiam Ecclesiastici, & in excommunicationem incidunt *cap. 18. Bullæ Cœnę*, imponentes collectas, & alia onera Clericis, & eorum Ecclesijs: & eandem censuram cōtrahunt mandantes, auxiliantes, fauorem, & cōsilium præstantes. Quę omnia intelligenda sunt, amplianda, ac limitanda, iuxta ea, quæ ibi adnotauimus in *nostr. Commentar. q. vlt.*

16 Tertiusdecimus casus est, vbi Domini temporales, vt supra se interponunt in causis criminalibus Ecclesiasticorum absque speciali S. Apostolicæ licentia, præcipiendo maximè suis officialibus, vt in eiusmodi causis procedant, eos processando, banniendo, capiendo, &c. quoniam id tendit in præiudicium iurisdictionis, & immunitatis Ecclesiasticæ; atque ideò peccant. Nō tamen incidunt in excommunicationem contentam in *cap. 19. d. Bullę*, quia sub eius excommunicatione comprehenduntur tantùm Magistratus, Iudices, Notarij, Scribæ, executores, subexecutores, Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, & Vicecancellarij; verum de Dominis nulla fit mentio.

17 Quartusdecimus casus est, quando temporales Domini per se, vel per alios directè, vel indirectè inuadunt, destruunt, occupant, & detinent Prouincias, Ciuitates, Terras, loca, & iura ad Romanam Ecclesiam pertinentes, & pertinentia. Isti enim vltra grauem culpam contrahunt quoque excommunicationem in *cap. 20. Bullæ Cœnę* contentam. Quod quidem multipliciter ampliatur, & limitatur, vt ostendimus ibidem in *d. nostr. Commentar. q. vlt.*

18 Quintusdecimus casus est, in quo peccant Domini temporales, & excommunicationem incurrunt, si sibi vsurpent ius patronatus alicuius Ecclesiæ, vt habetur in *Conc. Trid. sess. 22. de reform. cap. 11.* vbi idem statuitur contra alios, & signanter contra Clericos mediatores, & consentientes. Vndè non incurrunt excommunicationem *Bullę Cœnæ, cap. 17.* cùm quis vsurpando ius patronatus alicuius Ecclesiæ, nō censeatur vsurpare eiusdem iurisdictionem, seù fructus.

19 Sextusdecimus casus est, vbi Domini temporales à personis Ecclesiasticis pro suis rebus, quas deferunt, & transmitti faciunt, non causa negotiationis gabellas exigunt: isti enim peccāt, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt, vt adnotauimus in *d. cap. 18. eiusdem Bullæ, q. 8. & vlt.* vbi rem hanc multis etiam modis ampliauimus, & limitauimus.

20 Decimusseptimus casus est, quotiescunque Domini, & potestates temporales per vim aliquem delinquentem extrahi faciunt ab Ecclesijs. Etenim peccatum sacrilegij committunt cōtra immunitatem Ecclesiasticam; atque ideò incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ: quod quidem quomodo procedat, satis explicauimus in supra relatis nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 15. q. 16. num. 19. cum plurib. seq.* An autem Domini temporales in bello ad Ecclesiam cōfugientes possint indè extrahere: & an citra culpam aliquando in iusto bello incendantur Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum bona auferantur, latè habetur ex *Tab. in sum. verf. Bellum, num. 18. 19. & 20.*

De peccatis vassallorum, ac subditorum. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Peccant vassalli, si iuramentum non seruent fidelitatis. Et in quot consistat hoc fidelitatis iuramentum.*

2 *Peccant vassalli, seu subditi, si promissum in inuestitura tributum, seu consuetum reddere recusant.*
In quibus casibus possit Dominus à vassallis vltra consuetum tributum exigere.

3 *Peccant vassalli, ac subditi, si eorum Domino obedientes non sint.*

4 *Peccant proculdubio vassalli, mortaliter in re graui, & venialiter in re leui, non obedientes ex contemptu, cum ea, quæ sibi à Domino prę-cipiuntur, iusta sunt, ac debita.*

5 *Multò magis peccant subditi, Domino non obedientes, quando pręceptum est de re satis tuta, vt si pręcipiat studere, infirmis seruire.*

6 *Prę latus, si sub pręcepto interroget secretum ali-*

aliquod, citra alicuius periculum, & dubius sit subditus, an Prælatus ius habeat præcipiēdi, tenetur subditus secretum reuelare.

7 *Idque locum non habet, si subditus dubius graue damnum pateretur.*

8 *Neque locum habebit, si Prælatus, aut Dominus aliquid præcipiat, & subditus ex probabili causa dubitet de iustitia, ac rectitudine præcepti. Et an, & quando tutior pars sit eligenda.*

9 *Vbi subditus dubius est de iustitia præcepti Superioris, tam per principia intrinseca, quam extrinseca, non peccat non obediendo tali præcepto.*

10 *Subditus si dubitet, se commisisse homicidium, & Superior ipsi præcipiat, vt celebret, celebrare non debet.*

11 *Peccant subditi, non obedientes Romano Pontifici, quamuis eis iubeat, aliquod bonum intermitti: aut durum aliquod præcipiat, vel iniustum: dummodò peccatum non continet iniustum illud.*

Quid si Pontifex vellet indigno beneficium prouidere, an esset ei parendum.

Vel quid si ex eo dubitetur futurum scandalū.

12 *Papa si præcipiat alicui Seculari, sibi non subiecto, vt sibi tribuat bona sua, obtemperare non tenetur.*

13 *Quæ diximus de subditis Secularibus, vt non teneantur obedire Prælatis, nisi quoad spiritualia, extendimus etiam, vt non teneantur obedire Dominis temporalibus, quoad spiritualia.*

14 *Peccant subditi Clerici Seculares, non obediētes suis Prælatis Ecclesiasticis, dummodò præceptum sit in spiritualibus, & Ecclesiasticis.*

15 *Commune commodum priuato præfertur.*

16 *Peccant subditi Religiosi, Superioribus non parentes: & multipliciter, & quibus in casibus Prælato obedire non teneantur.*

17 *Subditus Prælato obedire non tenetur præcipienti ea, ad quæ ipsius auctoritas non se extendit.*

18 *Prælatus Regularis præcipere non potest ieiunium, disciplinam, & alia, quæ non continentur in regula: nisi ad obseruantiam Regulæ præcipiat.*

19 *Verus obediens debet simpliciter Prælato obedire promptè, & alacriter, quoad extra præcepta subeunda, secus quoad honores, dignitates acceptandas.*

20 *Peccant subditi quicunque legibus, ac Constitutionibus ab eorum Dominis latis, non obtemperantes.*

21 *Ex quibus verbis colligatur mens Superioris volentis obligare ad culpam lethalem.*

22 *Leges præsertim Ecclesiasticæ si præceptiuæ sint, ad mortale obligant transgressores.*

23 *Multi volunt, legem purè pœnalem, etiam si præceptum expressè non contineat, obligare ad mortalem culpam.*

24 *Quæ sit ratio quare lex purè pœnalis obliget ad culpam.*

25 *Lex humana si præcipiat aliquod sub pœna temporali, qui nec Diuina, nec naturali lege extat prohibitum, non semper obligat ad mortalem culpam.*

26 *Leges obligant ad mortale, quādo aliquid statuant sub excommunicationis pœna.*

27 *Leges obligant ad mortale, etiam in re leui, vbi Legislator culpam sibi, vel alijs reseruēt.*

28 *Sic ad mortale obligant, quotiescunque feruntur super materia graui.*

29 *Peccant subditi cuiusuis generis sint, Superioribus non obtemperantes secundum rationem superioritatis.*

1 PEccant vassalli primò, si fidelitatis iuramentum non seruent: quod regulariter consistit in sex; nisi aliter fuerit conuentum, aut consuetudine introductum. Iurat enim primò vassallus Domini personam, non solùm non offendere; sed pro viribus defendere. Secundò non impedire, aut difficile reddere, quod Dominus iustè facere intendit. Tertiò iurat non reuelare Domini secretum alicui in eius damnū. Quartò iurat non agere contra Domini iustitiam, & honestatem. Quintò iurat Domino non solum dānum in temporalibus non illaturum; sed nec etiā vtilitatem impediturum. Sextò iurat, vt ipsi Domino fideliter consilium præbeat, quoad verba: auxilium quoad res suas, & personam, vt in *cap. 1. de for. fidel. in lib. feud. cap. ego, de iureiur. & cap. de forma, 22. q. 5.* latè *Syl. in sum. vers. Feudum, q. 12. & D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 5. §. 1.*

2 Secundò peccant vassalli, seu subditi si Domino promissum in inuestitura tributum, vel consuetum reddere recusant. Imò in multis casibus potest Dominus à vassallis, ac subditis exigere vltra consuetum, & conuentum tributum; quorum primus casus est defensio propriæ Ciuitatis, pro qua tenentur vassalli non tantùm propria bona, sed etiam se ipsos exponere, vt in *cap. fortitudo, 23. quæst. 3. cap. peruenit, de immunit. Eccl.* Secundus casus est, vbi Dominus vult se conferre ad bellum indictum ab Ecclesia contra Hæreticos, & Paganos: nam ob id potest exigere moderatum subsidiū, vt habetur ex Doctoribus infra citandis. Tertius casus est redemptio eiusdem Domini à captiuitate. Quartus casus est, si Dominus velit Principem adire pro obtinendo priuilegio protectionis specialis pro se, & subditis. Quintus casus est pro maritanda filia. Sextus casus est pro faciendo filium militem. Septimus, vbi consequitur feudum, quod erat suum, vel nouum acquirit. Octauus casus est pro refectione Pontium, ac viarum. Et nonus denique quando Dominus ex diuite factus est pauper, dummodò illud aliquod aliud, quod exigitur sit moderatum, vt in *cap. vnio, 10 q. 3 cap. de forma fidelitatis, 22. q 5. cap. cum Apostolus § prohibemus, de cēsib.* & latè declarat *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 4 § 6.*

3 Tertiò peccant vassalli, ac subditi si eorum Domino non sint obedientes: sunt enim Domini Dei Vicarij, atque ideò Dei locum tenentes: & propterea qui Domino non obtemperat, Deo proculdubio desinit obtemperare, iuxta illud *Luc. cap. 10 & Matt. 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit: & qui me spernit, spernit eum, qui misit me. Apostol quoque ad Rom. cap. 13. Omnis potestas a Deo est, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et *D. Petr. Subiecti estote omni humanæ creaturæ,*

propter

propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis. Quod quidem locum habet, etiam si Domini discoli sint, iuxta illud *Petr. loc. cit. Subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiã discolis.* Et *Matt. 23. Super Cathedram Moyses sederunt Scribæ, & Pharisei: omnia ergo quæcũque dixerint vobis seruate, & facite, &c.* Hæc autem intelligenda sunt vbi ea, quæ à Dominis præcepta sunt, iusta fuerint, atque honesta, & quæ à subditis ipsi debeantur; aliàs non sunt audiendi, vt habetur ex *Ludouico Lopez par. 1. instr. cap. 55. Nauar. in Man cap. 17. nu. 22.* & ex alijs, quos refert, & sequitur, *Sayr. lib. 7. Clau. Reg. cap. 7 num. 12. vers. Nunc satis.*

4 Cæterum cùm ea quæ à Dominis vassallis, ac subditis præcipiuntur iusta sunt, ac debita, vassalli proculdubio peccant mortaliter in re graui non obtemperantes: & in re leui venialiter, nisi subditus non obediat ex contemptu; vt quãdo recusat obedire Domino, vt Dominus est: nã tunc peccaret mortaliter, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thoma 2. 2. q. 105. ar. 1.* Secus autem si in re leui recusaret obedire ex ira, aut concupiscẽtia, vt per eundem *D. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 3. Syl. in sua sum. vers Contemptus, Sanch. lib. 1. in Decal. cap. 5. num. 8. & seq. Reginal. lib. 15. sua prax. num. 62. & seq. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 8. num. 85. & seq.* cum alijs, quos allegat. Adde, quod vassalli, ac subditi tenentur eorum Dominis obedire nõ solùm in rebus manifestè licitis, ac debitis; verum etiam in rebus, de quibus dubitat, an licita sint, vel debita: siquidem, an aliquid sit contra præceptum Dei, standum est præcepto Domini, seu Prælati: nam etsi sit contra Deum; tamen propter obedientiæ bonum non peccat subditus; sed Dominus, ac Prælatus. Ita *Henr. quodlib 8. D. Bonauent. 2. d. 39. ar. 1. q. 3. ad vlt. Palud in 4. d. 19. q 4. in fine, Alex. de Ales. par. 2. q. 120 mem. 3 ar. 2. Dyonis. Carthus 2 d. 39. q. 3. Angel. vers Obedientia q. 4. num. 6. Syl. eod. vers. q 2. & in vers. Bellum, 1 q. 9. vers. Tertia, & vers. Quarta, Gregor. de Valen. tom. 2. disp. 2. q. 14. pun. 4. q 4 & tom. 3. disp. 7. q. 3 pun. 2. vers. Tertiò sequitur.* Et facit *tex in cap. quid culpatur, 23. q. 1* ex *D. August.* hic habetur: *Non est potestas, nisi à Deo siue iubente, siue sinente. Ergò vir iustus si fortè etiam sub Rege, & homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si vice pacis ordinem seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est; vel vtrum sit, certum non est; ita vt fortassis reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostẽdat ordo seruiendi.*

5 Id autem multò magis verum est, quãdo præceptum Domini est de re satis tuta, vt si præcipiat studere, infirmis seruire, & alia eiusmodi, vt per *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 58. num 8.* & nullum immineat periculum bono publico, aut alicui tertiæ personæ: nam tunc subditus citra omnem controuersiam obligatur Domini, ac Superioris præcepto in dubio obtemperare. Etenim Dominus ex vna parte est in possessione iuris imperandi omne id, de quo euidenter non constat esse malum, aut extra limites auctoritatis eius. Ex altera verò parte obediẽtia virtus est perfectissima: nec conuenit subdito omnium præceptorum rationem exigere; sicut nec Dominus tenetur reddere; maximè quãdo id, quod præcipitur non est ita euidenter malum; & eo magis, quia ad subditum non pertinet examinare iussa Superiorum in ijs, quæ non sunt per se mala, vt per *Sayr. lib. 6. Clau. Reg cap 9 sub nu. 13.* Vndè ob hanc rationem subditus ad bellum à Principe vocatus obedire tenetur; quamuis nõ constet illi de iure belli, vt in *d cap. quid culpatur, 23. q. 1.*

6 Hac ipsa ratione si Prælatus interroget sub præcepto secretum aliquod citra alicuius periculum; & subditus dubius sit, an Prælatus ipse ius habeat præcipiendi, tunc tenetur subditus secretum reuelare, præsertim si reuelatio illius secreti iuuat ad tollendam malam suspicionem Prælato. Imò si agatur de inquisitione alicuius criminis publici, quale est crimen hæresis, proditionis patriæ, læsæ Maiestatis, &c. & testis interrogatus probabiliter dubitet, an Iudex habeat ius interrogandi; tunc tenetur testimonium dicere, & veritatem aperire in periculum hæretici; etiam si rationes sint aliquanto probabiliores pro parte contraria: siquidem in re dubia illa pars est eligenda, vbi minus est periculum, arg. *tex in cap. duo, d. 13.* Sed minus periculum est, vt priuata persona iniustè occidatur, quàm si Re.p. damnum inferatur; ergò, &c, vt benè declarat *Graff. p. 1. decis. lib. 2 cap. 58. sub num. 8.*

7 Limitatur tamen hoc, quòd diximus multipliciter, primò vbi subditus, vt supra dubius graue incommodum pateretur; quoniam in re dubia non teneretur statim obedire. Vndè si Dominus, aut Prælatus præciperet longum, ac difficile quoddam iter, tũc subditus, cui sit præceptum si probabiliter dubitet de iure præcipiendi ipsius Domini, seu Prælati, non tenetur statim cũ tanto discrimine obtemperare; donec ei constet de iure præcipiendi. Ita *Sot. in relec. de secr. tegen mem. 3 q. 2 Barth. Med. 1. 2. q. 19 ar 6 dub. 4. Rodriq. in summ. par. 2. cap. 9. vers. Obedientia, cõcl. 7. & Sayr. lib. 1. Clau. Reg. cap. 13. dub. 8 propos. 3. num. 49.* Eadem ratione si Romanus Pontifex præciperet libero coniugi reddere debitum vxori, quam dubitat esse seruam; licèt possit, nam reddendo debitum censetur ratificare matrimonium, si animo maritali reddat, & animo fornicario non potest, nec debet; nihilominus non potest cogi, quia tractatur de magno eius præiudicio: siquidem si re vera vxor libera non esset, cogeretur ducere in vxorem seruam, vt habetur ex *D Thoma in 4. d 36. in explicatione litteræ, in fine,* & alij relati à *Sayr. loco citato.*

8 Limitatur secundò si Prælatus, aut Dominus aliquid præcipiat, & eius subditus ex probabili causa dubitet de iustitia, ac rectitudine præcepti: nam tunc subditus non obligatur statim obtemperare; sed in eam partem debet inclinare, vbi minus est periculum. Etenim quando dubiũ deponi non potest, tutior pars est amplectenda: quòd si neutra pars tuta fuerit, illa potius eligenda est, quæ minus est periculosa, quoniam hoc casu minus periculum pro ratione habetur. Ita *Sot. loco citato, concl. 2. Medina vbi supra, concl. 4. Sayr. d. cap. 13 num. 4 & Salon. 22 qu. 69. ar. 1. contr. 3.* Qui quidem *Sayr.* ex hac doctrina infert, quòd si Prælatus præcipit manife-

statio-

stationem criminis occulti, tunc inspiciendum est, an ex occulto crimine manifestato pereclitetur vita, aut fama alterius in perpetuum: nam si ita est non est manifestandum, atque ideò obediendum Prælato, quando subditus dubitat de iure præcipiendi; quoniam maius damnum est mors alterius, aut perpetua eius infamia, quàm semel non obedire Prælato. Imò si Prælatus interroget subditum de crimine contra personam dignissimam, Reip. multum vtilem, etiam si subditus opinetur à Iudice legitimè interrogari cũ probabili tamen dubio partis contrariæ, poterit tuta conscientia non testificari, ac celare crimen, & credere, Iudicem iuridicè non interrogare; quoniam periculum graue, ne persona dignissima, præter ius occidatur, facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni. Ita *Sot. d. concl. 2. & Rodriq. loc. cit. concl. 12.*

9 Limitatur tertiò, vbi subditus, tàm per principia intrinseca, quàm extrinseca dubius est de iustitia præcepti sui Superioris: Siquidem permanente in eo tali dubio, nullatenus obtemperare potest, nec debet; quoniam id est agere cõtra conscientiam dubiam, quod nunquam licet. Est tamen verum, quòd si dubium illud deponi potest per principia extrinseca, vt sæpè contingit; vt quia ipsemet subditus est doctus, & videt in ea re esse opinionem probabilem pro parte Superioris: vel quia ipse Superior est doctus, & discretus: vel quoniam alij viri docti id licitum esse docent, tunc subditus potest, & tenetur, vt plurimum tale dubium deponere, ac obedire: & idem dicendum est si subditus opinionem habeat de iniustitia præcepti: nam per principia extrinseca aliquando posset; imò teneretur obedire, vt declarat *Sayr. lib. 1. Clau. Reg. cap. 12.* Dixi: *Vt plurimum*, quia aliquando potest non obedire, nempè quando graue damnum subdito dubitanti proueniret, aut alicui dignissimæ personæ, si obediat, iuxta ea, quæ supra diximus.

10 Limitatur quartò vbi dubium est de facto aliquo. Vndè si subditus dubitet commisisse homicidium, & Superior præcipiat subdito ipsi, vt celebret; tũc subditus non debet celebrare; quoniam in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario non potest inferior à S. Pontifice dispensare, vt rectè declarat *Sayr. lib. 1. Clau. Reg. cap. 13. dub. 8. propos. 1. num. 38.*

11 Quartò peccant subditi non obtemperantes Rom. Pontifici, etiam si bonum aliquod intermitti iubeat: aut durum aliquod præcipiat, vel iniustum; dummodò iniustum illud non contineat peccatum: nec ex eo dubitetur futurum scãdalum animarum, vel corporum in aliqua communitate: siquidem tolerandum est iugum, quod à S. Sede imponitur, licèt intolerabile videatur, vt in *cap. in memoriam, 19. d.* Et aliquando per obedientiam debet bonum, quod agnit intermitti, vt in *cap. quid ergo. 11. q. 3.* Dixi: *Dummodò iniustum illud non contineat peccatum*, quoniam aliàs non est ei obediendum, etiam si præceptum venialem culpam superet. Vndè obtemperandum non est à subdito Rom. Pontifici rescribenti pro notoriè indigno, vt assignetur ei certum beneficium; sed si expresfè de eius intentione non constat, debet expectare secundum mandatum: siquidem quãdoque Princeps, propter nimiam importunitatem, vel per surreptionẽ non concedenda concedit, vt in *cap. si quando, & in cap. cùm adeò*, vbi *Ioann. Andr. de rescrip. & cap. significauit, de offic. ordin.* Quòd si præcisè constat, Rom. Pontificem velle tali indigno prouidere: & tunc, aut Papa potest in illo actu dispensare, & illi obediendum est, quoniam eo casu videtur dispensasse. Aut dispensare non potest, vt quia tanta est indignitas, vt sine peccato fieri non possit; & tunc non est illi parendum, vt habetur ex *Ioann. Andr. loco citato, Syl. in sum. vers. Obedientia, q. 5. in fine, & Tab. eod. vers. §. Sextò, num. 7.* Dixi quoque: *Vel ex eo non dubitetur futurum scandalum, aut malum aliquod spirituale, aut temporale*, quoniam si ex obediẽtia probabiliter timeatur Ecclesiæ statum esse vehementer perturbandum, vel aliud malum, aut scandalum futurum, tunc est S. Pontifici rescribendum, & interim supersedendum; etiam si præceptum in se contineat pœnam excommunicationis ipso facto, vel aliam pœnam: quia id fit legis auctoritate, vt in *d. cap. si quando*, vbi *Panor. & cap. cùm adeò, de rescr. Syl. & Tab. locis citatis*: vbi ait, notandum esse singulariter hoc dictum: siquidem multum allegabatur in fauorem Cardinalium; qui recesserunt à Gregorio, & Benedicto, & reuocabãtur ab eis sub pœna excommunicationis; nam contendebant non teneri ad obtemperandum; eo quòd fuisset impeditum Concilium, & vnitas Ecclesiæ; atque ideò ex tali præcepto mala præsumebantur futura, aut Ecclesiæ status periculum, aut scandalum futurum.

12 Dixi denique: *Et præceptum fiat in spiritualibus, & Ecclesiasticis*, pertinentibus scilicet ad salutem, & bonorum morum conseruationem; non autem in temporalibus, nisi ei subiecti ratione personæ, vel causæ. Vndè si Papa præcipiat alicui Sæculari sibi non subiecto ratione Ecclesiæ, causæ, vel personæ, vt sibi tribuat bona sua, non tenetur ei obtemperare; quia non est sibi subditus, nec ratione causæ, nec ratione personæ in temporalibus; secus autem si præciperet spirituale, aut Ecclesiasticum aliquod: vt si Sæcularibus vsuras prohibeat, prout prohibitæ fuerũt in *Clem. 1. de vsur. & in cap. 1. cap. conquestus, cap. in Ciuitate, & cap. super eo, eod. tit.* vel eisdem iubeat, prout iussit audire sacrũ diebus festiuis, abstinere ab esu carnium 6. fer. Sabbato, vigilijs, quatuor temp. & Quadragesimæ, ac cætera eiusmodi. Idem dicendum est vbi indiceret continentiam certò personarum generi, eis resistentibus; quoniam continentia persuaderi potest, non tamen imperari, *cap. integritas, 32. q. 1.* & habetur ex *Panor. in cap. cùm olim, de Cler. coniug. Syl. loco citato, & q. 6. & Tab. d. §. sextò.*

13 Quæ diximus de subditis Sæcularibus, vt nõ obligẽtur obedire Prælatis Ecclesiasticis, quoad temporalia, sed tantùm quoad spiritualia, nempè quoad peccatum vitandum, & bonum prosequendum, iuxta ea, quæ habentur ex *Tab. vers. Obedientia. §. Nono, num. 10.* extendimus etiam vt non teneantur obedire Dominis temporalibus, quoad spiritualia, vt rectè declarat *Innoc. in cap. inquisitioni, de sent. excom. Panor. in d. cap. cùm olim, de Cler. coniugat. & Syl. loco citato, qu. 6.*

14 Quintò peccant subditi Clerici Sæculares suis Præ-

Prælatis Ecclesiasticis non obtemperantes. Ijs enim tenentur obedire, non secus, ac Papæ, iuxta ea, quæ supra diximus. Quod quidem verum est; etiam si Episcopus mandet Sacerdoti, vt denunciet excommunicatum aliquem, quem nouit esse innocentem. Idem dicendum est si mandet excommunicare innocentem, si de eius innocentia notoriè non constet; alias secus, vt declarat *Syl. verf. Obedientia, q.7.* Limitatur tamē ea, quæ diximus, vt locum habeant in ijs, quæ pertinent ad Prælatos Ecclesiasticos, vt tales sūt, ita vt præceptum fiat in spiritualibus, & Ecclesiasticis, in quibus Clerici Sæculares sunt subiecti ratione Ecclesiæ, causæ, vel personæ. Vndè si Episcopus præcipiat Clerico, vt Romam se conferat pro negotijs propriæ Ecclesiæ, tenetur obedire, nec potest se excusare dicens, alios esse idoneos magis; quia in eiusmodi legationibus talis ordo seruandus non est, vt in *l. sciendum, §. pe-*

15 *nul. ff. de legat.* Nec etiam potest allegare curam rei familiaris; quoniam commune commodum præfertur priuato, *cap. bona, 1. de postul. Prælat.* Secus autem si Episcopus præcipiat Clerico, vt tribuat sibi suos libros, vel eius nepoti, aut beneficio renunciet, quia vult illud alteri conferre: Etenim id non pertinet ad Episcopum, *cap. quia frater, 7. q. 1.* nisi Episcopus cognoscat Clericum esse ineptum ad ediscendum: nam tunc licitè posset ei præcipere, vt libros suos alteri comodet bonę indolis ad ediscendum apto: tunc enim communis vtilitas Ecclesiæ præfertur, vt habetur ex *Syl. d. verf. Obedientia, qu.7. & Tab. §. 7. & 8.*

16 Sextò peccant subditi Religiosi non obedientes eorum Superioribus multipliciter, vt supra ostendimus *disp. 15. sec. 1.* Quæ vera esse declarauimus, vbi præcipiuntur eis, quæ sub Regula continentur explicitè, vel implicitè; aut ad Regulam quocunque modo reducuntur, vt sunt omnia, sine quibus ordo Regularis, & plenior obseruatio conseruari non posset: Siquidem Religiosi obedientiam profitentur quantum ad Regularem conseruationem, secundum quam suis Prælatis subduntur, vt habetur ex *D. Thoma quodlib. 10. ar. 10. Syl. verf. Religio 6. qu. 6. Tab. verf. Obedientia, § 5.* & post *Vasq. Sal.* & alios *Molses par. 1. sua sum. tr. 1. cap 6. num. 30. in fine.* His autem quæ adnotauimus *d. disp. 15. sec. 1.* adde, quòd licet Religiosus non teneatur obtemperare Prælato sibi aliquid præcipienti contra Regulam, & multò magis si sit contra legem Diuinam, vel Ecclesiasticam, quibus vltimis casibus non modo non tenetur, sed nec debet quidem obedire, *cap. si Dominus,* iuncto *c. si quis Episcopus, 11. q. 3.* nihilominus si Prælatus facultatem habeat dispensandi in ijs, quæ præcipiuntur per Regulam; vt non vesci carnibus, etiā infirmitatis tempore: aut lineis vestibus non indui, tunc Prælatus si præcipiat subdito, vt vescatur carnibus, vel induatur lineis, tenetur subditus obedire, maximè si dubitet de præcepto, an sit ex iusta, ac rationabili causa, & sic an bonum sit, vel malum; secus si certò sciat, irrationabile esse, & citra omnem causam, *arg. tex. in cap. quid culpatur, 23. q. 1. Syl. in sum. verf. Religio 6. sub q. 6. & Tab. in sum. verf. Obedientia, § quintò, sub num 6.*

17 Adde etiam, subditum non teneri obedire Prælato præcipienti sibi ea, ad quæ Prælaturæ auctoritas non se extendit; vt si præciperet iterationem confessionis peccatorum, quæ semel ritè fuit confessus: aut præciperet confessionem venialium, & alia eiusmodi, de quibus per *Tab. loco citato verf. Quartò si præcipiat.* Idem dicēdum est si Prælatus subdito mandet interiorem actum voluntatis: vt si pręcipiat alicuius dilectionem, vel odium: siquidem Prælatus non habet potestatem super actus merè internos, cùm secretorum cognitor sit tantùm Deus, *cap. erubescant, 32. d.* & in ijs homo homini non subditur: nisi quatenus actus interni sunt principia actuum externorum: nam ob id Ecclesia excommunicat Inquisitores odio, vel amore inquirentes, aut inquirere omittentes in causa hæresis, vt in *Clem. 1. § verum, de hæretic.* Sic etiam excōmunicantur Monachi Curias Principum adeūtes intentione inferendi damnum eorum Prælatis, aut Monasterijs, *Clem 1. § quia verò de stat. Monac.* Et Ecclesia præcipit horas Canonicas recitari attentè, ac deuotè, *cap. dolentes, de celeb. Missar.* & nos latè de hac re egimus *lib. 2. nostrorum Commentar. in Bull Cœna, cap. 1. q. 24. sub num. 2. & 28 Syl. verf. Obedientia, q. 1. in fine, & Tab. eod. verf. § 4. num. 5.* Præterea subditus non tenetur obedire Prelato pręcipienti sibi martirium subire, se affligere inedia, seruire pestilentia percusso, & alia eiusmodi: quoniam licèt hæc omnia cedant in augmentum meriti; ad ea tamen non extenditur Prælati auctoritas: quod quidem quomodo procedat, benè declarat *Tab. loco citato, & in verf. Episcopus, § 5. num. 6.* vbi latè tractat, verum Prælati Religiosorum, imminente periculo pestis, si non inueniāt aliquem, qui velit se periculo mortis spontè exponere ad seruiendum, vel administranda Sacramēta subditis pestilentiatis, possint alijs subditis præcipere, vt se exponāt: Et concludit, quòd non; nisi pestilentiati ob id animæ detrimentū paterentur, cùm obligemur animæ proximi nostri salutem corporali nostræ vitæ præponere. Eadem ratione non tenetur subditus obedire Prælato, quoad ea, quæ pertinent ad corpus, vt si prohibeat necessaria ad victum, & vestitum, iuxta Regulam, vel prohiberet, ne mingat, ne medicinam sumat, & alia eiusmodi. Idem dicendū est si Prælatus subdito præcipiat, vt dentes sibi euellat, se nudet coram hominibus, &c. Siquidem ad hæc ipsa Prælaturæ auctoritas non se extendit, vt habetur ex *D. Thoma,* & alijs, quos referunt *Syl. & Tab. locis citatis.*

18 Denique est adnot. quòd licèt Prælatus non possit præcipere subdito ieiunium, disciplinam, & alia eiusmodi, quæ in Regula non continentur; nihilominus si hæc præcipiat ad obseruantiam Regulæ, vt quia videt talem subditum ad incontinentiam procliuem; quod vitium regulariter ieiunijs, vigilijs, & disciplinis curatur, cū tale præceptum tendat ad obseruantiam voti castitatis, tenetur subditus obedire. Idem dicendum est si tali subdito Prælatus præcipiat, ne cum mulieribus loquatur, ne mulieres aspiciat, ne mulierum confessiones audiat, &c iuxta ea, quæ habentur ex *Tab. verf. Obedientia § 5. sub num. 6. & Syl. verf Religio 6. sub q. 6.* Et cum subditus teneatur Prælato obedire, vbi præcipiuntur ei, quæ in Regula continentur explicitè, vel

tè, vel implicitè, vt supra ostendimus, hinc fit, subditum teneri obedire Prælato præcipienti sibi susceptionem ordinum, audientiam confessionum, dignitatem, aut honorem aliquem in Religione; quoniam hæc omnia tacitè continétur in Regula, & ad ordinis vtilitatem pertinent, vt rectè declarat *Tab. loco citato, & verſ. Ordo 2. q. 16. ſub num. 17.* Eſt tamen verum, quòd licet verus obediens debeat ſimpliciter Prælato obedire, promptè, & alacriter, iuxta illud *D. Baſil. in Conſtit. Monaſtic. cap. 23. & D. Bernard. in Epiſtola de obedientia;* nihilominus id locum ſibi vendicat quoad onera præcepta ſubeunda; non autem quoad honores, & dignitates acceptandas: nam tunc ſubditus tutius aget ſi præceptum obedientiæ expectet, quo caſu tenetur ſubditus obedire, vt habetur ex *Leſſ. lib. 2. de iuſtit. & iur. cap. 46. num. 33.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Molfeſ. par. 1. ſua ſum. tr. 1. cap. 6. num. 28.* Et id etiam ſi cognoſcat, ſe eſſe indignum, & non habere ſcientiam ſufficientem, ſecúdum *Petr. de Pal. in 4. d. 19. q. 1.* Etenim quamuis *D. Gregor.* velit, indignum non debere obedire, intelligendus eſt de indigno per irregularitatem, niſi diſpenſetur: alioquin non habens tale impedimentum quilibet bonus poſſet his caſibus nō obedire, cùm reputet ſe indignum; atque ideò indigni duntaxat promouerentur. Vndè qui inuitus ſuſcipit Prælaturæ onus non habens ſufficientem ſcientiam, non peccat; ſecus ſi ſponte: & idem dicendum eſt, quoad confeſſiones Sacramentales audiendas, ordines ſuſcipiendos, &c. vt benè declarat *Tab. verſ. Obedientia, §. 5.*

20 Septimò peccant ſubditi omnes, ſiue Sæculares ſint, ſiue Eccleſiaſtici non obtemperantes legibus, ac Conſtitutionibus ab eorum Dominis latis. Etenim legum tranſgreſſores peccant mortaliter, quando conſtat maximè de volútate Legiſlatoris volentis obligare ſubditos ad obſeruantiam legis ſub lethali culpa: quod quidem verum eſt citra omnem controuerſiam, quando Legiſlator expreſsè declarat ſuam mentem, ac voluntatem obligandi per ſuam legem ſubditos eiuſdem tranſgreſſores ad lethalem culpam. Vndè tota difficultas conſiſtit in Legiſlatore non exprimente dictam ſuam volútatem, an, & quãdo ipſius lex obliget tranſgreſſores ad mortalẽ culpam. Circa quam difficultatem eſt adnot. quòd multis modis, quoad leges Eccleſiaſticas colligitur mens Legiſlatoris volentis per ſuas leges obligare ſubditos ad lethalem culpam.

21 Primò enim colligitur ex verbis eiuſdem legum; nempè quando in eis apponuntur hæc verba: *In virtute ſanctæ obedientiæ,* vt per *Gloſ. in Clem. ſi dominium. § ideò, de reliq. & vener. Sanct. Sub obteſtatione diuini iudicij. Clem. 1. de immun. Eccleſ.* Item ſi dicatur: *Arctè, vel arctius prohibemus, vel præcipimus. Clem. ductum in princ. de ſepult.* Idem dicendum eſt ſi dicatur: *Sub pœna Diuinæ indignationis,* vt in *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de refor. cap. 2.* ſic etiam vbi dicitur: *Sub obteſtatione Diuini iudicij, & in terminatione maledictionis, cap. 1. §. fin. de ſtatu Regular. in 6.* Præterea illa verba: *Indignationẽ Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli.* ſignificant obligationem ad lethalem culpam, vt habetur ex *Felino in cap. veniens, num. 1. de reſcr. Sayr. lib. 1. Theſ. cap. 11. num. 16. tom. 1.* Imò verba illa præter culpam denotant quoque pœnam aliquam extraordinariam, vt habetur ex *Gloſa in extrauag. 1. inter commun. in fine, ver. Indignationem, de cenſib. Bald. in l. cunctos populos, C. de ſum. Trin. & fid. Cath.* & nos latè in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, §. vlt. q. vlt. num. 1.*

22 Secundò leges præſertim Eccleſiaſticæ obligant tranſgreſſores ad mortale, quãdo ſunt præceptiuæ, vt habetur ex *Soto in 4. d. 20. q. 1. ar. 4. verſ. Hinc fit, & lib. 1. de iuſt. & iur. q. 6. ar. 4. & 5.* & hanc ſententiam communem eſſe, tũ Theologorum, tum etiam Canoniſtarum; teſtatur *Suar. lib. 5. de legib. cap. 3. num. 6.* & alij, quos nos retulimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. vlt. q. 3. num. 33.* vbi oſtendimus leges præceptiuas obligare tranſgreſſores ad culpam etiam ſi ſint quoque pœnales. Verba autem præceptum denotantia regulariter ſunt verba imperatiui modi, quando aliter non conſtat de voluntate diſponentis, ſaltem per probabiles coniecturas, vt habetur ex *Panor. in cap. veſtra,* per illum *tex. num. 1. de cohab. Cler. & mulier. cap. Clerici, num. 1. de vita, & honeſt. Cler. cap. nullus, 32. d.* & nos latè oſtendimus in d. noſtris

23 *Commentar. §. vlt. q. 1.* Imò non deſunt, qui velint, legem purè pœnalem, etiam ſi præceptum expreſsè non contineat obligare ad mortalem culpam; niſi Legiſlator expreſsè declaret non eſſe intentionis ſuæ obligare ad culpam, vt habetur ex *Innoc. in cap. quod ſuper his, de voto, Io: Andr. in cap. relatum, ne Cler. vel Monac. Gemin. in cap. vt animarum, de conſtit. in 6. Sylu. verſ. Inobedientia in fine, Sot. lib. 1. de iuſtit. & iur. q. 6. ar. 4. & 5. Couar. in reg. peccatum, par. 2. §. 5. num. 2. Med. q. 96. ar. 4. dub. 3. Sayr. lib. 3. Theſ. tom. 2. cap. 9. num. 7. & ſeq. Salon. 22. q. 77. ar. 1. contr. 7. & 8. Viual. par. 4. Candel. cap. 9. num. 8. in fine, Rodriq. tom. 1. ſua ſumm. cap. 195. Azor. lib. 5. inſtit. moral. cap. 6. q. 4. Ioann. de Sal. de legib. diſp. 15. ſec. 1. nu. 9. & 10. Graff. par. 1. deciſ. lib. 2. cap. 57. num. 6. cum plur. ſeq. Reginal. lib. 13. ſua prax. num. 266. cum ſeq. Molfeſ. par. 1. ſua ſum. tr. 9. cap. 9. num. 25.* vbi ait, opinionem *Nauar.* contrarium ſentientis communiter reprobari, quamuis *Azor. loco citato* dicat, quòd ſi quis ſequeretur in practica opinionem *Nauar.* & ſequacium non peccaret; propter auctoritatem grauiſſimorum Doctorũ, illam docentium; quorum aliquos retulimus in d. noſtris *Commentar. q. 1. ſub num. 16. ver. Probatur hæc ſententia.*

24 Rationem autem, cur lex purè pœnalis obliget ad culpam, dicunt non eſſe illam, quam in dictis noſtris *Commentar.* attulimus; nempè, quòd ſit imperceptibile dari legem purè pœnalem, quæ non habeat culpam annexam, cum ſine culpa nemo puniri valeat: ſiquidem non ſolùm culpa eſt cauſa pœnæ; ſed quælibet alia tranſgreſſio præbet iuſtam cauſam pœnæ. Etenim multi plectuntur pœna citra propriam eorum culpam; licèt non ſine cauſa. Conſtat enim ex peccato primi noſtri parentis omnes morientes in peccato originali pœna damni puniri. Vndè meritò Legiſlator poteſt obligare ad pœnam, & aliquando de facto obligat, & non ad culpam, vt patet in quamplurimis Religionibus, quarũ Regula obligat tranſgredientes ad pœnam tantum,

tum, non autem ad culpam. Vndè hanc rationē esse volunt: quoniam per expresionem pœnæ præsumitur, tantò magis Legislatorem obligare ad obseruantiam legis, quò maiori odio, & sic per pœnam prosequitur contrauenientes. Et eò magis, quia omnis lex, vt lex est ex vi verborum præceptum continet, & propterea ad culpā obligat, siue pœnalis sit, siue non pœnalis, vt rectè declarat *Molfes. loco citato, à nu. 23. ad 33.*

25 Est tamen verum, quòd vbi lex humana præcipit aliquid sub pœna temporali, quod nec Diuina, nec naturali lege prohibitum extat, non semper obligat ad lethalem culpam, sed quandoque ad mortalem; quandoque verò ad venialem. Ad mortalem quidem quando aliquid statuit sub pœna capitis, aut membri mutilationis, aut publicæ fustigationis, exilij, aut omnium bonorum, vel maioris partis, aut perpetui carceris: nam supposito, quòd ad statuendum iusta causa subsit, certum est huiusmodi pœnas non nisi pro peccato mortali infligi, vt habetur ex *Medina de iciun. tr. 4. q. 7. Sot. lib. 1. de iust. & iure, q. 6. ar. 5. & Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 57. sub num. 6.* Quòd si leuem pœnam statuat, signum est, eam obligare ad leuem tantùm culpā, nisi aliud addat, nempè arctè, districtè, &c. vt benè declarat *Graff. loco citato*, vbi plura circa rem hanc cumulat. Idem dicendum est si materia esset leuis, vt si lex prohibeat indui sericis, non equitare mulas, &c. quoniam talis inobedientia non esset plusquam culpa leuis, vt habetur ex *Sot. vbi supra, ar. 4.* quem refert, & sequitur *Graff. d. cap. 57. num. 5.*

26 Tertiò leges obligant ad mortale, quando aliquid statuunt sub pœna excommunicationis, etiam si præceptiuæ non sint; vel id, quod præcipitur, sit leue: siquidem excommunicatio non fertur, nisi ob grauem culpam, vt in *cap. nemo, 11. q. 3.* latè *Sot. in 4. d. 22. q. 1. ar. 2. col. 2. in fine.* Idem dicendum est cùm aliquid præcipitur sub pœna suspensionis, interdicti, aut irregularitatis: nam licet supradictæ censuræ, & irregularitas aliquando contrahantur citra culpam, vt in *cap. si Ciuitas, cap. si sententia, de sent. excom. in 6.* tamen cùm hæ pœnæ infliguntur ab homine, regulariter imponi solent pro culpis mortalibus vt post alios inquit *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 57 num. 3.*

27 Quartò leges obligant ad mortale, etiam si de re leui agatur, vbi Legislator transgressionis culpam sibi, aut alij reseruat: siquidem casuum reseruatio semper fieri solet de peccatis mortalibus, vt per *Glos. in cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6.* & habetur in *Concil. Trid sess. 14. cap. 7.* Etenim cùm Prælatus possit etiam id, quod non est peccatum facere mortale, censetur id egisse reseruando casum, vt benè declarat idem *Graff. loco citato, num 4.* Benè verum est, quod qui transgreditur præceptum Superioris, aut legis ciuilis maximè, quod fuit receptum à certo genere personarum; ab alio verò non, à culpa excusatur saltem post longa tempora: secus si de eodem genere personarum maior pars recepit; quoniam minor non excusatur, vt declarat idem *Graff. ibidem, cap. 58 num. 15.*

28 Quintò leges obligant ad mortale, quotiescunque feruntur super materia graui, necessaria ad iustitiam, & ad publicam vtilitatem. Vt cum lege constituitur certum, ac determinatum pretium frumento, vino, oleo, &c. tunc enim excedentes notabiliter in pretio, mortaliter peccant, vt latè declarat ibi *Graff. à num. 8. ad 20.* & nos latius, Deo duce, infra dicemus, de emptore, ac venditore tractantes.

29 Octauò peccant subditi omnes cuiuscunque generis, si non obediant Superioribus secūdum rationem superioritatis: vt Miles Duci in spectātibus ad bellum: seruus Domino in seruilibus: filius patri in spectātibus ad disciplinam, & curam domesticam maximè, & sic de alijs, vt habetur ex *Syl. in sum. vers. Obedientia, q. 1. in fin.* vbi id limitat, *q. 2. & 3.* & nos latius dicemus de Domino, ac seruo: & de patre, ac filio agentes. Adde, quòd peccant subditi, non solùm Superiorum suorū pręceptis, ac legibus nō obtemperantes; verum etiam si eis debitum honorem, ac debitam reuerentiam non exhibeant. Etenim hi vices Dei tenent in terris, cùm omnis potestas à Deo sit, & ipsi vigilant quasi rationem reddituri pro animabus nostris, iuxta illud *Apost. ad Hebr. cap. 13.*

De peccatis Militum, ac eorum officialium, seu Ducum.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Milites, ac hostibus de omnibus damnis datis tenentur, suisq; de damnis acceptis, si scienter ad iniustum bellum se conferant.*
Quando teneantur Milites ad huiusmodi damna insolidum reficienda.

2 *Peccant Milites, ad bellū accedētes, quamuis iustum, non tamen moti zelo iustitiæ, &c.*

3 *Peccant Milites, occidentes pueros, fœminas, aliosque innocentes in ipso belli conflictu, & multo magis post partam victoriam.*
An possint occidi nocentes parta victoria.

4 *Peccant Milites, occidentes tempore belli, Presbyteros, Monachos, Conuersos, Peregrinos, & rusticos &c.*

5 *Peccant Milites, & ad restitutionem obligantur pro damnis, & deuastationibus, in bello factis, quamuis iusto, si alias potuissent sibi consulere.*

9 *Peccant Milites, & ad restitutionem tenentur incendiantes domos, agros, & victualia, etiā hostium citra Superioris iussum.*

7 *Peccant Milites, ad bellum accedentes, cum Clerici sint; prohibetur enim sub pœna excōmunicationis arma deferre.*

8 *Peccant Milites, circa militiam non se exercentes, vt sciant eorum officium, decēter exercere.*

9 *Antiquitus Milites iurabant in genu Principis, se non vitaturos mortem pro salute Reipublica.*

10 *Peccant Milites militiæ desertores, eorumque Principi, vel Duci infideles, ac tenentur ad recepti stipendij restitutionem.*
Refertur factum de quodam Milite, qui obtinuit remunerationem à Philippo III. ex falsa causa in supplicatione adiecta, vtrum in conscientia poterat remunerationem retinere.

11 *Peccant Milites, fidem non seruando hostibus.*
12 *Peccant Milites, qui non contenti proprijs stipendijs, plus exigunt cum aliorum iniuria, detrimento ac violentia.*
13 *Peccant Milites, in hospitijs constituti, si cibis appositis, qui satis sint, non contenti, hospites ipsos minis, ac violentijs extorquent.*
14 *Peccant Milites, ac restituere insolidum tenetur si simul concurrant ad inferendum aliquod damnum iniustè.*
15 *Peccant Duces Militum, ac Capitanei, fraudantes Militum stipendia, ac priuati dignitate, ad quatruplum tenentur.*
16 *Peccant Militum Duces, ac Capitanei ponentes in rollo plures Milites, quàm veritas se habeat, & ob id plures cartellas in hospitio recipiant, & ad restitutionem tenentur ablatorum.*
17 *Peccant Duces, ac Capitanei Militum, & ad restitutionem tenentur pro damnis, concussionibus, &c. per suos Milites ex eorum incuria & negligentia commissis.*
18 *Peccant Militum Duces, ac Capitanei, recipientes plures transitus quàm a statutis, legibus, vel Principum pragmaticis fuerit taxatum.*
Idemque dicendum est si pro sua persona Dux plura dona, vel cartellas in hospitio recipiat seu etiam actu non maneat in hospitio.

1 TRactauimus supra de Dominis temporalibus, eorum vassallis, ac subditis, qualiter, vt tales sunt culpam contrahant. Et quoniam Milites, & ipsorum Duces sub aliquo ex Dominis temporalibus militant, meritò sub eadem *disp.* duximus discutiendum de Militum peccatis, & eorum Ducum. Peccant igitur primò Milites, & tenentur Hostibus de omnibus damnis datis: & suis de damnis receptis ab aduersarijs iustè repugnantibus, si scienter ad iniustum bellum se conferant, vt habetur ex *Syl. in sum. vers. Bellum, 1. q. 10. Tab. eod. vers. q. 10. nu. 13.* cum alijs relatis per *Reginald. lib. 21. sua prax. num. 87. 88. & 89.* Verum tamen est, quòd tunc Milites tenentur insolidum ad reficienda huiusmodi damna, quando ita iuuant in bello iniusto, quòd sine illis bellum non fieret; vel simul conuenerint ad faciendum insultum, aut rapinam: siquidem omnes hoc casu sunt principales; secus autem, si absque eis bellum adhuc fieret: quoniam tunc non tenentur, nisi de damno, quod inferunt verbo, aut opere, vt habetur ex eodem *Syl. loco citato, & in vers. Sexta omnes: ac vers. Septima quando.* Dixi: *Si scienter ad iniustum bellum, &c.* quoniam si bona fide existimantes bellum esse iustum militent, tunc non peccant, nec tenétur ablata restituere, si consumpta sint; secus si extarent, & quatenus facti sunt locupletiores: siquidem satis est militibus ad iustitiam belli, si sciant, bellum ipsum publico consilio, seu auctoritate fuisse indictum: & tunc tantùm cessare tenentur, quando eis clarè constat de iniustitia belli, vt post *Molin.* & alios docet *Molfes. p. 2. sua sum. tr. 12. cap. 3. num. 162. & 163.* Idem dicendum est, vbi subditi dubitarent de iustitia belli: quia eorum Principi tenentur obtemperare, atque ideò militare: sic etiam si essent milites adscripti militiæ, quia cogerentur obedire, vt in *cap. quid culpatur, 23. q. 1.* & habetur ex *Nauar. in Man. cap. 15 num. 15. Sayro lib. 7. Clau. Reg. cap. 13. sub num. 6.* Non enim ipsi causam examinare debent, sed licitum, & iustũ præsumere, vt per *Victor. in relec. de iure belli, Bann. 22. q. 40. ar. 1. dub. 6. Petr. Nauar. lib 2. de restit. cap. 3. num. 270. & seq. & Gregor. de Valent. tom. 3. disp 3. qu. 16. pun. 2.* Secus autem si subditi non essent, & spontè se militiæ scriberent; nam hi si dubitent de iustitia belli, tunc debent deponere dubium, & credere, Principem habere iustam causam bellandi; aliàs si dubium non deponant, & militent, dicuntur contra conscientiam militare, & propterea sunt in mala fide, & tenentur omnia ablata restituere. Ita *Reginald. lib. 21. sua prax. num. 104. & 105. Molina de iustit. & iure tom. 2. disp. 114.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes d. cap. 3. sub num. 163.*

2 Secundò peccant Milites accedentes ad bellum quantumuis iustum, non tamen moti iustitiæ zelo, non ad obtinendam iustam rei ablatæ compensationem, seu ad rem ipsam recuperandam, non ad iniuriam iustè vindicandam; non ad pacem firmandam, non ad fidem Catholicã defendendam; quæ causæ iustæ sunt ad bellum indicendum, cæteris concurrentibus: sed moti nocendi cupiditate, vlciscendi crudelitate, rapiendi auiditate, aut inanis gloriæ gratia, vt habetur ex *D. August.* relato in *d. cap. quid culpatur, 23. q. 1.* Idem dicendum est de Milite stipendiario, qui non cogitat de iustitia, vel iniustitia belli; sed tantùm de stipendio: nam is dicitur esse in malo statu, nec debet absolui, nisi renunciet arti, vel sit paratus non esse in bello, nisi iusto, vel quod probabiliter nouerit iustum, vt per *Syl. vers. Bellum, 1. q 9. in fine.*

3 Tertiò peccant Milites in ipso belli conflictu occidentes pueros, fœminas, aut alios innocentes; & multò minus post habitam victoriam, nec ad pacem quidem firmandam. Imò nec etiam nocentes, parta victoria, & rebus extra periculũ positis; nisi ad pacem firmandam id fieri oporteat; quoniam tunc citra culpam possunt nocentes occidi, vt idem *D. August.* inquit in *Epist. 207.* ad Bonifacium Comitem, his verbis: *Sicut rebellanti, ac resistenti violentia redditur; ita victo, vel capto misericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.* Etsi hostes fidem fregerint, possunt quoque iustè interfici obsides, si sint de numero nocentium; & qui se spontè dederunt; nisi cauerint sibi, vt salua essent eorum capita, vt habetur ex *Victor in relec. de iure belli, num. 43. & 49. Bann. & Gregor. de Valent. locis citatis, & Sayr. d. cap. 13. num. 9. & 10.* Cæterùm nullo vnquam tempore licitum est innocentes ex proposito, & per se primò occidere; etiam si infideles sint, iuxta ea, quæ habentur ex *Molina tom. 2. de iustit. & iure, disp. 106. & Zecch. par. 1. sua sum. cap. 18. de bello, num. 6.* Sed id licet tantùm per accidens, & præter intentionem, quando scilicet hostes aliter expugnari non possunt; nisi etiam cum nocentibus innocentes occidantur, vt habeatur ex *Sayro loco citato, Syl. vers. Bellum, 1. q. 10. in vers. Tertiò habens, in fine, Zecch. par. 1. sua sum. de bello, cap. 18. sub num. 12. vers. Quintò tametsi,* & ex alijs.

4 Quartò peccant Milites occidentes tempore belli

belli Præsbyteros, Monachos, Conuersos, Peregrinos, Mercatores, rusticos, euntes, vel redeuntes, aut in agricultura existentes, ac animalia, quibus arant, & semina portant ad agrum. Etenim eiusmodi personæ tempore belli securitatē habent, vt in *cap. innouamus, de treg. & pace*. Idem dicendum est si dictas personas expoliēt, & restitutioni sunt obnoxij; nisi licentiam habeant à Prælatis Ecclesiasticis eisdem Superioribus: vel Ecclesiastici adiuuēt hostes, & in alijs casibus relatis à *Molfes.* post alios, *par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 3. num. 187. cum plur. seq. Tab. in sum. vers. Bellum, q. 16. num. 19.* cum alijs, quos allegant: & ante ipsos *Syl. loco citato, q. 10 vers. Tertia habens:* vbi etiam ait, quòd subditi Domini iniustè bellantis, non præstantes consiliū, auxilium, vel fauorem directè, vel indirectè nō sunt spoliandi, vel in aliquo puniendi: secus autem si hostes dictis bonis vsuri sint adue sus bellum inferentes; quoniam tunc licitum est in bello spoliare huiusmodi bonis, etiam innocentes, auferendo eis arma, naues, pecuniam, triticum, equos, &c. Imò, & agros licet deuastare, quantum iudicatur satis esse ad vires hostium minuendas, & eos superandos, vt rectè declarat *Zecch par. 1. sua sum. de bello, cap. 18. sub num. 12. vers. Sexto in bello iusto*, vbi multa ad rem hanc pertinentia optimè quoque pertractat.

5 Quintò peccant Milites, & ad restitutionem obligantur pro damnis, & deuastationibus factis in bello, quamuis iusto; si aliàs potuissent sibi consulere: quod tamen quomodo procedat, benè declarat *Tab. in sum. vers. Bellum, q. 9. & Syl. eod. vers. q. 10.* Idem dicendum est si Milites ex proposito incēdant, aut quocunque alio modo deuastent Ecclesias, nisi fuerint incastellatæ vt alias diximus, & habetur ex *Tab. loco citato, q. 15. num. 18. & Molfes. d. cap. 3. num. 187. 188. & 189.* vbi declarat, quando licita sit Ecclesiæ incastellatio.

6 Sextò peccant Milites, & ad restitutionem tenentur, incendentes domos, agros, & victualia, etiam hostium citra Superioris iussum; etiam si bellum sit iustum, vt per *Syl in sum. vers. Bellū, 1. q 10 vers. Quarta qua in bello:* & rectè declarat *Molfes par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 3. nu. 183.* Et multò magis peccant si Princeps neget militibus facultatem nocendi hostibus, cum ordinis Principis efficiātur transgressores. Imò si Principis prohibitio ideò facta esset; quoniam æquitas, aut iustitia belli, vel pietas Christiana id expostularet, tunc restitutioni quoque damnorū sunt obnoxij: secus autem dicendum est si prohibitio simplex fuerit, vt seruaretur disciplina militaris; quoniam licet lethalem culpam contraherent transgrediendo præceptum; non tamē tenerentur damna reficere: siquidem non præsumitur esse talis Principis voluntas, vt docet *Molina tom. 1. de iustit. & iure. disp. 101. Reginald. lib. 21. sua prax num. 105. & Molfes par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13. num 105.*

7 Septimò peccant Milites ad bellum accedētes cùm sint Clerici: siquidem Clerici regulariter militare prohibentur, cùm sub pœna excōmunicationis prohibeantur arma deferre, *cap. 2. de vita, & honest. Cler.* Quod quidem limita, nisi iussu Rom. Pontificis Milites fiant, & in alijs casibus relatis ab eodem *Molfes.* ibi, *num. 176. & 177.* Idem dicendum est de militibus in bello per vim extrahentibus ad Ecclesiam cōfugientes; nisi Ecclesiam incastellauerint, iuxta ea, quæ supra diximus, *vers. Quintò peccant:* aut inde impugnauerint iustos hostes; quoniam nō debent Ecclesiæ immunitate gaudere, quam ipsi violauerunt. Eodem modo dicimus de reponētibus in Ecclesia victualia, vt habetur ex *Tab. vers. Bellum, q. 17 num. 20.*

8 Octauò peccant Milites circa militiam non se exercentes; nempè in cursionibus equorum, in telis projiciendis, in armis gestandis, & in alijs eiusmodi, vt sciant eorum officium decenter exercere: singuli enim si tenentur scire omnia ad eorum munus pertinentia; multò magis ea scire debent Milites, qui militiæ adscribuntur, vt publicæ deseruiant vtilitati. Est tamen verum; quòd interdicitur eis torneamentorū vsus, pugna singularis inter socios, & his similia, quę potius ad virium ostentationem geruntur, non sine proximi nocumento; quàm ad rectum vsū militiæ, vt habetur ex *Syl. in sum. vers. Miles, q. vnica & Tab. eod. vers. q. vlt.* Ob id Militibus, vt militaribus vacent exercitijs interdicitur negotiatio, *l. 1. C. Negotiat. ne Milit. lib 12.* Imò Milites antequam ad militiam assumantur, debent examinari, an ad militiam sint idonei. Etenim Miles, licèt à militia dicatur, idest à duritia, quam sustinere debet secundum aliquos; nihilominus alij volunt, militiam dici à militia, seu multitudine, ac à numero millenario; quia ex mille hominibus eligebatur vnus strenuus, & præcipuus, *l. 1. C. qui Milit. non poss lib. 12.* Vndè Miles dicitur quasi electus ex millibus, vel quia primò electi sunt mille à Romulo, ex

9 *D. Thoma lib. de regim. Princ.* Adde, quòd antiquitùs Milites iurabant in genu Principis se mortem non vitaturos pro salute Reip. aut à signis, seu stationibus sibi traditis non recessuros, *l. 1. §. Miles, ff de re milit. & l penul ex quib. caus. maior. & Rouit. in pragm. Regni Neap sub rub. de milit.* Signabantur etiam in bracchio, vt per illud signū exterius eius electio, & adscriptio in numero militum denotaretur, *l. 3. C. de fabric. lib. 11.* Accingebatur eis pariter ensis, *l. miles, ff de testam. milit.* Et denique ascribebantur in rollo, seu in matricula aliorum militum, vt habetur ex *Afflicto in Constit. Regni*, intentionis, & ex alijs apud *Molfes par. 1. sua summ. tr. 8. cap. 13. num. 94. & 95.* Et hi propriè dicebantur milites, & gaudebāt priuilegio militari. At hodiè milites nostri temporis non iurant, nec insignia veteris obseruantiæ; sed nouæ, vt ait *Bald. in l. 1. C. qui bon. ced. poss.* neque gaudent priuilegijs militaribus, quia eorum militia non est priuilegiata, & proptereà in eorum actibus debet vti communi iure, vt per *Cyn.* & alios in *l. 1. C. de iur. & fact. ignor. Bart. in l. filius familias, §. veterani, ff. de procur. Tab. in sum vers. Miles, num. 1. in princ. & Syl. eod. vers.* vbi inquit, tales non esse propriè milites.

10 Nonò peccant milites militiæ desertores, ac eorum Principi, vel Duci infideles, & tenentur ad stipendij accepti restitutionem, iuxta ea, quæ habetur ex *Reginaldo* post alios *lib. 2. sua prax. sub num. 38. §. 18.* Sicut enim Principes tenentur militi ad stipendij solutionem; ita è conuerso miles pro stipendio tenetur cum vitæ discrimine, &

ne,& sub lethali culpa seruare signa,siue stationes,& præstare,quod sibi commissum fuerit, cũ obligatione reficiendi omnia damna, quæ ex omissione eius,quoad id,quod tenetur,subsecutur, vt habetur ex *Reginal. lib.21. sua prax.nu.* 106.cum alijs quos allegat.Et *Molfes.par.1.suę sum.tr.8.nu.106. cum plur.seq.*vbi narrat quẽdam casum nuper euentum de quodam milite, qui è castris fugam arripuit,cum quadam licẽtia falsa, se habente, fuisse dimissum ex capite impotentiæ seruiendi. Et deindè cùm idem miles iterum ad seruiendum militię redijsset,& asserens in quadam supplicatione data Regi Philippo III.quòd illi seruiuit duobus annis,& in seruitio morbo correptus domi suę proprijs expensis oportuit se curare: quapropter petita ab eo seruitiorum remuneratione, & à Rege sibi concessa,fuit dubitatum, an in foro conscientiæ valida fuerit illa concessio saltem pro parte, cũ supplicatio pro parte vera esse diceretur: eo quòd verum fuerat duorum annorum seruitiũ; quamuis pro parte falsa, cùm occasione seruitij non fuerit infirmatus:& è contra multos multa dicentes,negatiuè simpliciter asserit, respondisse;quoniam causa principalis,qua Rex fuit motus ad remunerandum huiusmodi militem non tantùm fuit seruitium militare; sed infirmitas ratione seruitij; at hoc casu licèt adsit seruitiũ; non tamen fuit infirmitas;imò aderat fuga,quę irrogat fugienti pœnam mortis, *l.desertorem, ff. de re milit.* & in Regno est *pragmat. 2. de milit.*& ibi,*Rouit.num.2.* atque ideò si id à Rege fuisset scitum, miles ille punitus potius, quã remuneratus fuisset.Et eò maximè, quia milites desertores tenentur Domino resarcire damna occasione fugæ ipsi prouenta, vt habetur ex *Molfes.tom.2.de iust.& iure,disp.116. §. miles relinquere.* Et denique hoc ipsum confirmat, quoniam hæc concessio est mera gratia,& ideò vitiatur ex falsa causa, *cap.gratiosè, de rescr.l.si quis obrepserit.ff.de fals.*& de stylo est clausula: *Si preces veritati nitantur*, latè *Mascard.de probat.conclus.276.num.17.* cum alijs,quos allegat: quod quidem verum est, etiam in gratijs motu proprio concessis; quia motus proprius non potest firmare gratiam contra Principis voluntatem concessam, vt habetur ex *Ioanne de Selua par.3.de benefic.q.11.num.41.* & ab alijs relatis ab eodem *Molfes.* ibi sub *num.* 107. vbi *num.*108. idem dicendum esse probat, si dicta gratia superet naturam cõtractus, quoniam adhuc vitiaretur ex falsa causa, *l.si quis fundum,ff. de condit.& demonstrat.*

11 Decimò peccant milites non seruando fidem hostibus: siquidem fides etiam hosti seruanda est,*l.conuentionibus,ff.de pact.cap.noli,23.q.1.* quod quidem verum est quousque hostes ipsi à promissis non recedunt; aliàs licitum est,vt frãgenti fidem,fides frangatur eidem,*l.cùm proponas,C.de pact.*

12 Vndecimò peccant milites si non contenti de proprijs stipendijs, plus exigant cum aliorum iniuria, violentia, ac detrimento contra illud, quod habetur ex Domini præcepto *Luc. cap.3.* vbi interrogatus à militibus, quid faciemus, & nos? respondit illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis,& contenti estote stipẽdijs vestris.* Neminem debent concutere,aut calumniari recaptando,fraudando, bona auferendo,& cætera huiusmodi:sed debent esse contenti stipendio, ita vt nec cœnam quidem vltra possint à populis petere, *l.3. C.de erogat.milit. annon.lib.12.Rouit.in pragm.Regni 3.num.11. de milit.*Nec excusari possunt ex eo, quòd Duces exercitus non soluant illis stipendia;quoniã eorum iniquitas non debet cedere in detrimentum populorum. Verum tamen est, quòd si milites in graui reperiantur necessitate,licitum est eis aliquid depredari ad comparandum cibaria, & vestes,vt habetur ex *Angelo in l.2. §. cum in eadem*, per illum *tex ff.ad l.Rhod. de iactu,& Rouit.in pragm.4.de milit.*

13 Duodecimò peccant milites in hospitijs constituti si non contenti cibis sibi appositis,qui satis sint, hospites suos minis, & violentijs extorquent: aut assignatum eis hospitium relinquant ob extortam ab hospite pecuniam, & cum socijs ad aliud hospitium se conferant, & ad restitutionem tenentur, vt latè *Molina de iustit. & iure,tom.2.disp.*101.

14 Tertiodecimò peccant milites, & insolidum ad restitutionem obligantur, si simul concurrãt ad inferendum aliquod damnum iniustè; nempè intrando vineam, possessiones, aut armenta alicuius auferendo,vt habetur ex *Couar.in reg. peccatum,par.2.§.11.num.2.* Quod verum est si inuicem se adiuuent ad irrogandum totum damnum, aut ex condicto id agerent: aliàs singuli pro rata tenerentur,vt habetur ex *Nauarr. in summ.cap.17.num.22.& Less lib.2.de iustit. & iure,cap.13.num.37.*quibus etiam adde ea, quæ adnotauimus in nostris *Commentar.in Bull.Cœna,lib.2.cap 4.q.12.* vbi egimus, an,& quando singuli singulas res minimas fidelium naufragantium surripientes, quæ simul iunctæ facerent quantitatem magnam, incidant in excommunicationem *d. cap.* & ad restitutionem teneantur insolidum.Benè verum est,quòd Dux militum tenetur ad totum damnum illatum per ipsos milites,cùm ex officio teneretur illud impedire.

15 Quartodecimò peccant militum Duces, & Capitanei, defraudantes militum stipendia, & priuati dignitate tenentur ad restitutionem in quadruplum,*l.2.vers.Nam si vsurpauerint, C. de offic. Praefect. Prator. & Rouit.in pragmat. Regni,in rub.de milit.num.5.* quæ quidem vera sunt,quoad forum exterius tantùm; nam in foro conscientiæ vltra culpam non tenentur ad aliud,quàm ad damnum illatum, vt rectè docet *Molfes.in d.cap.3. num.*110. vbi *num.* 111. ait, esse quoque adnotandum, quòd eiusmodi Duces, & Capitanei, si dum curant eorum milites vestibus esse prouidendos, cum aliquo mercatore conuenirent,vt in eius fundaco,seu apothechis vestes emerent, & ob id ipsi Duces emolumentum aliquod consequerentur;si hoc non resultaret in militum detrimentum; vt quia non fraudarentur,nec in pretio, nec in qualitate vestium, emolumentum illud iustè detinere sibi possunt,tanquam mediatores.

16 Quintodecimò peccant militum Duces, & Capitanei plures milites in rollo ponentes, quã veritas se habeat: & ob id etiam plures cartellas in hospitio recipientes: & insuper ad restitutionem tenentur ablatorum; cùm furtum, & rapinam

nam contra iustitiam dicantur committere, vltra pœnas, quibus in exteriori foro subijciūtur, de quibus *Molfes. tom. 2. de iustit. & iur. disput. 116. Rodriq. in sum. par. 2. cap. 127. & Molf. loco citato, num. 112.*

17 Sextodecimò peccāt Militum Duces, seu Capitanei, & ad restitutionem tenentur pro damnis, concussionibus, ac delictis per suos milites ex eorum incuria, ac negligentia cōmissis; quoniam ex officio tenentur suos milites custodire, ac curare, ne quemquam offendant in persona, vel bonis, vt per eundem *Molfes. d. cap. 3. num. 104. in fin. & num. 113.*

18 Septimodecimò peccant militum Duces, seu Capitanei recipientes plures transitus quando mittuntur ad hospitium, quàm à statutis, legibus, ac pragmaticis Principum fuerit taxatum, indebitè populo grauando, & ab eisdem pecuniā extorquendo: aut milites grauantes accelerando iter vltra numerum transitus, vt supra taxatū: vel in ipso hospitio non seruantes taxam, à pragmaticis, & statutis factam, & tenentur ad restitutionem. Idem dicendum est, si pro sua persona Dux plures domos, aut cartellas recipiat in hospitio: vel etiam si actu non maneat in hospitio. Et denique si compositiones faciunt cum Vniuersitatibus, & alia huiusmodi: quæ optimè declarat, ampliat, & limitat idem *Molfes. ibidem à num. 114. vsque in fin.*

De culpis, quas contrahere solent Doctores, Magistri, ac eorum Discipuli, à discretis Confessoribus explorandis.

DISP. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Doctores, & Magistri quodammodo dicuntur milites, eorumque Discipuli Tyrones, legesque dicuntur armare homines.*

1 VIDIMVS supra de peccatis, quæ à militibus, vt milites sunt, contrahi contigit; & quoniam Doctores, ac Magistri milites quodāmodo dicuntur, maximè, qui iuris sunt periti, & eorum Discipuli Tyrones, vt in *l. aduocati, C. de aduoc. diuers. iudic.* Vndè leges dicuntur armare homines, vt in *l. cùm vir, C. ad leg. Iul. de adult. & Iustin. Imperator in proœm. instit. in princ.* Consequenti igitur ordine postq; egimus de militum culpis, hoc loco agendum esse duximus de peccatis, quæ contrahi solent à Doctoribus, seu Magistris, & eorum Discipulis. Itaque ad euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quòd licèt Magistrorum appellatione comprehendantur Doctores cuiuscunque scientiæ, vt habetur ex *Panor. in cap. 1. de loc.* Vndè Romanus Pontifex in *proœm. compil. Decr. in 6.* quemlibet Magistrum, Doctorem appellat: imò docentes artes liberales, & qui artes profitentur, Magistri dicuntur: nihilominus vtriusque iuris peritos dumtaxat, Doctores quidam volunt esse appellādos: quod quidem apud Italos tantum id recipi, ait *Glosa in Clem. 2. ver. Doctoratus, de Magistr.* Siquidem apud vltramontanos non solùm doctorati in Theologia, & in artibus, ac docentes septem artes liberales appellantur Magistri; sed etiam vtriusque iuris Doctores. Nec quisquam denominationē ægrè ferre debere ait ibidem *Glosa*: nam Magister dicitur quasi maior in statione; sicut Minister, quasi minor. Et Christus Dominus ita à Discipulis vocabatur: atque ideò *Ioan. 13.* acceptando hoc nomen ipse Dominus ait: *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benedicitis, sum etenim.* Nos igitur hoc loco agemus, non solum de vtriusque iuris peritis, sed etiam de Doctoribus, & Magistris cuiuscunque scientiæ, ac etiam artium liberalium, & eorum peccatis: & in sequenti sec. tractabimus deindè de peccatis eorum Discipulorum.

De Doctorum, seu Magistrorum culpis.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Magistri, seu Doctores, gradum doctoratus assumentes, cum idonei non sint ad eorū munus exercendum.*

2 *Magistrandus in Theologia, non solum tenetur scire Theologiam, sed etiam humanas scientias, & quas.*
An debeat habere varias linguas: idque ad bene esse.

3 *Peccant multò magis Doctores, & Magistri, qui cum minus idonei sint faciunt se per preces, & munuscula in Magistros promoueri. Idque in omni scientia locum sibi vendicat.*

4 *Peccant mortaliter Doctores, atque Magistri, legētes Theologiam, ac Sacram Scripturam, si notoriè maneant in lethali culpa; Non tamen si legant alias scientias.*

5 *Peccant Doctores, seu Magistri, ad pompam tantum legentes, & non vtiliter.*

6 *Peccant Doctores, & Magistri, legentes artem magicam, astrologiam iudiciariam, aliasque scientias damnatas, falsas, atque inutiles.*

7 *Peccant Doctores, & Magistri, debitam diligentiam non adhibentes in docendis Scholaribus, & ad recepti salarij restitutionem, iuxta negligentiam tenetur.*

8 *Peccant Doctores, seu Magistri, detrahentes ex inuidia alijs praeceptoribus, aliorum scripta sibi tribuentes, & se ipsos iactantes.*

9 *Peccant Doctores, seu Magistri recusantes legere die festo, qui de se celebrandus non est.*

10 *Peccant Doctores, seu Magistri, etiam idonei, qui Cathedram appetunt, & legunt principaliter ambitionis, & inanis gloriæ gratia.*

11 *Peccant Doctores, seu Magistri habentes salarium à publico, aut beneficium ad id collatū, si accipiant aliquid vltra à Scholaribus.*

12 *Peccant Doctores, & Magistri, ac simoniam committunt, si beneficium accipiant sub pacto docendi in Scholis.*

13 *Peccant Doctores, & Magistri, imponentes aliquas collectas pro die, aut pro die festo, &c.*

14 *Peccant Doctores, & Magistri, praecedentiam, sibi non competentem, adscribentes.*

Pec-

15 *Peccant Doctores, & Magistri, non seruantes statuta, ab eis iurata.*

16 *Peccant Doctores, & Magistri, si modum excedant in Scholaribus corrigendis.*

17 *Peccant Doctores, & Magistri, qui habentes beneficium cui annexum est onus legendi Sacram Scripturam, per se non legunt, cum idonei sunt.*

18 *Peccant Doctores, & Magistri, qui legunt, non emissa fidei professione.*

19 *Peccant Doctores, & Magistri legum, vel medicinæ, qui admittunt ad se audiendum Religiosum, Præsbyterum, vel Clericum dignitate aliqua Ecclesiastica fulgentem.*

20 *Peccant Doctores, & Magistri, admittẽtes ad eorum Scholas Scholares prauos, ac malè morigeratos, & multò magis excommunicatos.*

21 *Peccant Doctores, & Magistri, ad quos pertinet insignia doctoratus tribuere, ac doctorandos examinare, si dignum reprobent, ac indignum admittant ad lauream.*

22 *Peccant Doctores, & Magistri, ad quos pertinet licentiam tribuere docendi, si aliquid ob licentiam prædictam percipiant.*

1 PEccant in primis Magistri, seu Doctores doctoratus gradum assumentes, cùm idoneos se non cognoscant ad eorum munus exercendum. Etenim indignus lauream affectans, proculdubio præsumptionis culpam contrahit, vt habetur per *Glos.* post alios in *Clem. 2. de Magistr. vers. Honorem*, vbi etiam, inquit è conuerso, quòd laureæ honorem sine peccato quis postulat in quacunque scientia sit dignus; quoniam per id petit opportunitatem cõmunicandi, quod habet, & quod laudabile est; & ad charitatem pertinens, iuxta illud *Sapient. 7. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico*. Et 1. *Petri Apost. cap. 4. Vnusquisque prout accepit gratiam in alterutrum illam administrantes*. Dicitur autem laurea dignus, ac ad docendum idoneus, qui præter scientiam, solertiam, & fidem, de quibus in proœmio *instit. §. cumq; hoc*, moribus primum, deindè facundia excellit, vt in *l. Magistros, C. de Professor. & Medic.* Scholares enim non solùm scientia, sed etiam moribus, vt plurimum imbuuntur Magistrorum; atque ideò Magistri praui, tam eorum prauitatũ, ac scelerum rei sunt, quàm Scholarium, qui Magistrorum malo exemplo labuntur. Opinatur autem *Augusl. de Anchona*, relatus à *D. Anton.*

2 *3. par. tit. 5. cap. 2.* Magistrandum in Theologia teneri scire, non solùm Theologiam, sed etiam humanas scientias; nempè metaph. rethoricam, & politicam; nam cùm Magister in Theologia teneatur Diuinam Scripturam declarare intelligibiliter, docere eloquenter, & contra impugnantes defendere fideliter; ad hæc tria plurimũ valent scientiæ humanæ. Item Magistrandus in Theologia debet habere varias linguas, præsertim hebraicam, & græcam, propter infidelium conuersionem, & Scripturæ Sacræ pleniorem intelligentiam. Vndè in *Clem. 1. de Magistr.* statuitur, vt in Vrbe, & multis alijs locis habeant docentes huiusmodi linguas. Non tamen magistrandus tenetur prædictas scientias humanas, & linguas necessariò, & simpliciter habere; sed tantũ ad bene esse: aliàs paucissimi fierẽt Magistri. Sic etiam magistrandum in Theologia, idẽ *August. de Anch.* censet teneri scire ius Canonicum, vt magistratus, & expertus assumeretur in his, quæ sunt necessaria ad consulendum saluti animarum: nam scientia Canonica est quædam practica Theologia: at cõtemplatio Dei, ad quam ordinatur Theologia, tanquam ad finem, acquiri non potest verè, & vtiliter, nisi per charitatem, & virtuosa opera, ac obseruationem mandatorum, quę pertinet ad practicam: & ideò sicut magistrandus in Theologia debet prius scire scientias humanas, vt clarius, & subtilius possit intelligere Sacram Scripturam; ita & multò magis debet scire Sanctos Canones, vt melius, & fructuosius possit consulere saluti animarum. Benè verum est, quòd vt supra diximus de humanis scientijs, magistrandus in Theologia non tenetur scire ius Canonicum de necessitate; sed tantùm de congruitate, vt habetur ex eodem *D. Anton. d. cap. 2. §. 2.*

3 Multò magis Doctores, & Magistri peccant, qui cùm minus idonei sint, faciunt se per preces, & munuscula in Magistros promoueri, *cap. quanto, de Magistr. D. Anton. par. 3. tit. 5. cap. 2. §. 10.* Quod quidem verum est, non solum in indigno suscipiente Doctoratus lauream in Theologia, & in Medicina, maximè si sufficientem doctrinam non habeat ob periculum animarum, & corporum, prout in his tantùm lethaliter peccare, docet *Caiet. in summ. vers. Doctoratus*: verum etiam id locum sibi vendicate in omni alia scientia, tenet *D. Anton. loco citato*, *Syl. in sum. vers. Doctor, qu. 5. Nauar. in Man. c. 25. num. 55. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 22. sub num. 10. vers. Hinc Doctores*, vbi ex communi Doctor. sententia affirmant, Aduocatum, seu quemcunque alium suscipientem gradum indignè, peccare mortaliter; eo quòd affert damnum proximo, & occupat locum dignioris in Collegio. Imò lauream indignè adeptus ex defectu scientiæ si munus huiusmodi exerceat, nõ solùm lethalem culpam contrahit; sed etiã obligatur salarium consecutum restituere, cùm sub eius disciplina Scholares non proficiant, nec valeãt proficere, propter quod tribuitur salarium. Est tamen verum, quòd si cùm sit sufficiens Cathedram procurauit modis illicitis, licet peccauerit; non tamen tenetur ad salarij recepti restitutionem, vt habatur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13. num. 31.*

4 Secundò peccant mortaliter Doctores, seu Magistri legentes Theologiam, & Sacrã Scripturam in Scholis, si notoriè permaneant in lethali culpa, vt habetur ex *Graff* post *D. Thom.* & alios, *par. 1. decis. cap. 11. sub num. 1.* Non tamen si legant alias scientias, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 25 sub num. 55.* vbi rationem ait afferri à *D. Thoma in 4. sentent. dist. 19. q. 2. art. 2. quæstiuncula 2. §. ad quartum dicendum.*

5 Tertiò peccant Doctores, seu Magistri ad põpam tantùm legentes, & non potius vtiliter ad Scholarium profectum, & possunt meritò reprobari, vt est *tex. in l. grammaticos*, & ibi. *Addentes ad Bart. C. de Profess. & Medic. lib. 10.*

6 Quartò peccant Doctores, ac Magistri, artem magicam, astrologiam iudiciariam, & alias scientias damnatas, ac falsas, & inutiles legentes,

tes,ac docentes: siquidem ita legentes, in destructionem, non autem in ædificationem labores dirigunt: etsi libros habeant talia docentes non sunt absoluendi; nisi eis ad Inquisitorem delatis: quoniam huiusmodi Doctores si prædictos libros habeant, aut legerint, incidunt in censuras in indice, & quandoque in Bulla Cœnæ côtentas, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna lib. 2. cap. 1. q 35.*

7 Quintò peccant Doctores, seu Magistri debitam diligentiam non adhibentes in docendis Scholaribus, vt alijs negotijs vacarent, & ad recepti salarij restitutionem tenentur, iuxta negligentiam, & Scholarium detrimentum: siquidem salarium laboranti est tribuendum, non autem ijs, qui non laborant.

8 Sextò peccant Doctores, seu Magistri ex inuidia alijs præceptoribus detrahentes, aliorum scripta sibi tribuentes, & se ipsos iactantes, vt eis discipulos auferrent: etsi notabile damnum ob id eisdem inferrent, tenentur ad damnorum, & interesse refectionem, vt habetur ex *D. Anton. 2. par. tit. 2. cap. 2. §. 1. Nauar. in Man. cap 25. sub num. 57. vers. Quintò peccat, & Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 11. sub num. 5.*

9 Septimò peccant Doctores, seu Magistri recusantes legere die festo, qui de se celebrandus non est: & si data pecunia legant, simoniam cômittunt, vt ex *Ray.* docet *Antonuc. in Cathec. Neap. lib 2. cap. 32.* Non tamen peccabunt, si legant diebus festis, etiam propter lucrum; sicut qui die festo dant consilium, instruunt, aut informant iudicem; quoniam hæc non sunt opera seruilia; atque ideò si licitè possunt fieri eo tempore citra lucrum; possunt etiam fieri ob lucrum, vt habetur ex *Nauar. in suo Man. cap. 13. num. 12. in fine* Quod verum est, nisi illis horis, & tam diù legant, vt verisimiliter auditores fore, vt Missam non audiant, vt rectè limitat *Nauar. in Man. cap. 25. sub num. 57. vers. Quintò peccat, in fine, Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 11. num. 5.*

10 Octauò peccant Doctores, & Magistri, etiam idonei, si Cathedram appetant, & legant principaliter ambitionis, & inanis gloriæ gratia, aut propter alium finem malum, aut etiam principaliter propter lucrum: siquidem finis Doctoris debet esse bonum commune, & Scholarium profectus, vt habetur ex *D. Anton. par. 2. tit. 3. cap. 5 §. 6.* & latius *par. 3. tit. 5. cap. 2 § 10. in fine, & Syl. in summ. vers. Doctor, q. 44. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 56. in fine*, vbi concludit, quòd qui per inanem gloriam legit, non peccat plusquam venialiter.

11 Nonò peccant Doctores, seu Magistri si habentes stipendium de publico, aut beneficium ad id collatum accipiunt aliquid vltra à Scholaribus, arg. *tex. in cap pœnale, 14 q 5.* Imò quidam volunt simoniam committere, vt habetur ex *Host in cap. quia, de Magistr. & Archid. in cap de quibusdam 32. d.* Dixi: *Si habentes, &c.* aliàs iustè accipiunt stipendium; quoniam dignus est operarius mercede sua. Idem dicendum est, si stipendium non sufficiat; quia necessitas Magistri subleuanda est, vt in *d. c. quia, & Syl. vers. Doctor, q. 10.* quibus casibus possunt salariũ exigere, etiam à pauperibus; dummodò extremè non egeant, iuxta ea, quæ habentur in *l. 2. §. fin. ff. de orig. iur. & Nauar. in Man. cap 25. num. 58.*

12 Decimò peccant Doctores, & Magistri, & insuper simoniam committunt, beneficium aliquod Ecclesiasticum accipiẽtes, cum pacto docendi in Scholis, vt contra *Panor.* & alios in *c. quia nonnulli, de Magistr.* tenentes opus legendi esse quid spirituale, quod aliquo modo ad quandam permutationem cum beneficio spirituali accomodari possit, docet *Nauar. in Man. cap 23. sub num. 100. vers. Ex qua definitione, in fine, & cap 25. sub num. 58. Graff par. 1. dec. lib. 3. cap. 11. sub num. 5. vers Octauò*, vbi id limitant, quando cum onere tali beneficio vacanti imposito, legendi onus suscipiant; quia tunc non peccant, nec simoniam committunt, *cap. significatum, de preb.*

13 Vndecimò peccant Doctores, & Magistri, collectas aliquas discipulis imponentes, aut pro die festando, aut aliquo festo celebrando ab eisdem aliquid exigunt: siquidem hoc casu vltra culpam simoniam contrahere, inquit *Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 2 cap. 32.*

14 Duodecimò peccant Doctores, & Magistri, præcedentiam sibi ascribentes, quæ ipsis non competat. Debent enim Theologi præcedere, ac præferri Canonistis, Canonistæ, Legistis, & Legistæ Medicis, vt habetur ex *Panor. in cap. Clerici, de iudic.* Et inter pares Doctores ille præfertur, qui approbatus est à Superiore, & digniore, etiam si alij fuerint ante in dignitate, vt habetur ex *Gemin. in cap. hi qui, de preben. in 6.* & latè *Syl. in sum. vers. Doctor, q. 2.*

15 Tertiodecimò peccant Doctores, & Magistri si statuta ab eis iurata non seruent, & in periurium incidunt, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 25. num. 57.* Verum tamen est, quòd circa eiusmodi iuramenta seruanda attenditur consuetudo; nam censentur delata, prout reperiuntur in obseruantia.

16 Quartodecimò peccant Doctores, & Magistri si in Scholaribus corrigendis modum excedant: permittitur enim eis leuis tantum coercio, quando talem facultatem habent; quales sunt Magistri grammaticæ, & litterarum humanarum: siquidem Præceptoris nimia seuitia culpæ assignatur, *l. Præceptoris ff. ad leg. Aquil. c. presbyterum, de homic.* Et si erga Clericos eiusmodi seuitia vtantur, in excommunicationem incidunt, *cap. si quis suadente Diabolo, 17. q. 4* vt habetur ex eodem *Nauar. cap. 25. num. 58. vers. Septimò peccant, Graff. d. cap. 11. num. 4.* quod limitatur in casibus exceptis per ipsum *Nauar. in Man. cap. 27, num. 80. & 81.*

17 Quintodecimò peccant Doctores, & Magistri, qui habentes beneficium, cui annexum sit onus legendi Sacram Scripturam, per se non legant, si idonei sint; sed per substitutum. Etenim huiusmodi Doctores ante *Conc. Trid.* si idonei non fuissent, potuissent per substitutum legere; nihilominus hodiè tale beneficium non confertur, nisi idoneo, qui per se possit Sacram Scripturam legere, vt in *Conc. Trid sess. 5. cap. 1 de reform.* relato à *Nauar. d. cap. 27. sub num. 58. vers. Quæ quidem in re.*

18 Sextodecimò peccant Doctores, & Magistri legentes, non præuia fidei professione iuxta Bullã Pij IV. de anno 1564. Idibus Nouembr. cuius memi-

meminit,& eam refert *Steph Quar.in sum.Bullar. vers. Fidei professio*. Quod quidem verum est,vbi publicè legunt; secus autem si priuatim legerent,vt cõmuniter Religiosi consueuerũt: & propterea si eã non emittant, saltè vigore cõsuetudinis à culpa excusantur, vt habetur ex *Molfes.par.1.sua sum tr.8. cap.13. num.33. & tr 1. cap.2.à num 29. ad 54.* vbi formam professionis fidei,post *Quar.*tradit,& *Conc.Trid.sess.24. cap.12 de refor. & sess.25. cap.2.* refert, præcipiens dictam fidei professionem,non solùm Magistris omnibus, etiam si grammaticam tantum doceant;sed etiam Prædicatoribus ; quamuis id consuetudine non fuisse receptum, dicat idem *Molfes.ibi,num.30.* Idem dicendum est de prouisis beneficijs curatis: nam hi tenentur professionem fidei emittere in manibus Episcopi, aut ipsius Vicarij intra duos menses ad minus à die adeptæ possessionis. Sic etiam Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi tenentur fidei professionem emittere in prima Synodo Prouinciali, cui interfuerint: aliàs si beneficiarij professionem ipsam non emittant, efficiuntur fructuum restitutioni obnoxij,etiam ante iudicis sententiam,iuxta ea,quæ habentur ex *Garz.* post alios,*de benefic.par.3.num.35. & seq.* licèt verior opinio sit in contrarium, quam docet *Sanch. lib. 2. in Decal. cap.5. num.* 10.cũ alijs, quos refert,& sequitur *Molfes.loco citato, num.* 31.vbi etiam *num.* 32. addit ex *Sanch.* & alijs, quòd si prædicti emisissent professionem fidei titulo doctoratus, aut quouis alio titulo, tunc excusarentur à noua fidei professione emittenda.Imò multi volunt,huiusmodi fidei professionem non modo fieri posse per se ipsos;sed etiam per Procuratores: quam sententiã,ait *Molfes.* practicari posse in casu necessitatis tantùm, postquam contraria opinio est probabilis.

19 Decimoseptimò peccant Doctores, & Magistri legum,aut Medicinæ, ad eorum lectionem Religiosum,Præsbyterum,aut Clericum aliqua dignitate Ecclesiastica præditum ad se audiendum admittentes, & vltra lethalem culpam in excommunicationem incidunt,vt in *cap. 2. ne Cler.vel Monac.lib.6* Imò professor cuiuscunque facultatis, etiam Theologiæ admittens aliquem Religiosum in suo habitu,citra licentiam Superioris,aut cum licentia,sed sine habitu, est excommunicatus ratione participationis in crimine, vt habetur ex *D. Anton.2. par.tit.24. & 38. Nauar. in Man.cap.25.sub nu.56. vers.Secundò peccat,& cap.27.num.*134.

20 Decimoctauò peccant Doctores,& Magistri ad eorum Scholas admittentes Scholares prauos,ac malè morigeratos;& multò magis excõmunicatos, vt per eundem *D. Anton.3 par.tit. 5.cap.2.§.10.* Quod ita demum verum esse, putat *Nauar. in Man. d. cap.25.num.56.* vbi excommunicati essent cũ participantibus expresso Doctore,iuxta *tex.in cap.statuimus,de sent.excomm.in 6.* Et quoad moribus deprauatos, tunc Doctor non debet admittere ad suam Scholam, quando super Scholares habet iurisdictionem: aliàs non tenetur, nisi præcepto correctionis fraternæ;sicut alij de iure Diuino.

21 Decimonono peccant Doctores, & Magistri, ad quos pertinet Doctoris insignia tribuere, seu doctorandos examinare, si laurea dignum reprobent,& laurea indignum approbent.Imò dignum irrationabiliter reprobantes, vltra culpã grauissimam,quam contrahunt, tenentur etiam ad damnorum, & interesse refectionem, vt habetur ex *Nauar.in Man d.cap.25. num.57.* vbi in *vers Quintò peccat*,id ampliat,quoad culpam in Procuratoribus, vt creetur notabiliter minùs dignus, maximè quando, & vbi electores, aut prouisores iuramento, statuto, aut alio præcepto ad dignissimum eligendum sub pœna peccati mortalis tenentur. Est autem adnot. quòd Scholaris non solùm reprobari potest à doctoratus laurea ex defectu scientiæ;sed etiam ex defectu morum,vt in *l.Magistros, C de Profess. & Medic.lib.10.& Clem.2.de Magistr.* Et ita de consuetudine seruari testatur *Syl.in sum.versic. Doctor,q.5.*vbi etiam sex conditiones enumerat in promouendo ad dignitatem Magisterij;quarum prima est docendi peritia. Secunda docendi facundia.Tertia subtilitas interpretãdi.Quarta dicendi copia. Quinta excellentia morum. Et sexta morus fortitudinis, vt rectè cõditiones ipsas rectè declarat.

22 Vigesimò peccant Doctores, & Magistri, ad quos pertinet licentiam tribuere docendi si aliquid pro dicta licentia percipiant:quod tamen quomodo procedat, & quando hoc casu committatur simonia,benè declarat *D. Anton. 3. p. tit.5.cap.2.§.6.& Syl.loco citato,q.11.* Idem dicendum est de Prælatis recusantibus dare licentiam Clericis eundi ad studium;nisi data eis pecunia,vt per eundem *D.Anton.ibi,§.7.*

De Scholarium peccatis,seu culpis. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Scholares, qui eorum Doctoribus, ac Magistris non obtemperant.*
2 *Peccant Scholares dirigentes eorum studia ad ambitionem,inanem gloriam,& honorem, ac lucrum principaliter.*
3 *Peccant Scholares studio non vacantes,aut illis scientijs incumbentes, quas nescire melius est,quàm scire.*
4 *Peccant Scholares, qui in obscuris ad se ipsos recurrunt, ac erubescunt ab alijs inquirere, quod ipsi nesciunt.*
5 *Peccãt Scholares, qui alios Scholares subtrahunt ab alijs Doctoribus,vt suum audiant.*
6 *Peccant Scholares, in disputationibus pertinaciter contra veritatem contendentes, & de suo ingenio superbientes,&c.*
7 *Peccant Scholares Clerici, qui sine Superioris licentia audiunt legis, vel Medicinæ scientiam.*
8 *Peccant Scholares, qui alios perturbant strepitando, vel aliud efficiendi quominus alij studeant.*

1 PEccant in primis Scholares, eorum Doctoribus, ac Magistris non obtemperantes, quatenus Magistri sunt, ac Doctores. Etenim quilibet tenetur obedire Superiori secundum rationem superioritatis,vt Miles, Duci in bellicis:Seruus Domino in seruilibus:Filius Patri in dome-

domesticis, vt declarat *Syl. in sum vers. Obedientia, q. 9. vers. Quartum.* Vndè meritò reprehenduntur à *D. Anton. 3. par. tit. 5. cap. 2. §. 11.* dicente, quòd aliquando volunt esse supra Magistros suos, impugnantes eorum dicta cum quadam proteruia magis, quàm ratione, cùm tamen dicatur *Lucæ cap. 6.* Non est Discipulus supra Magistrum, *cap. Sacerdotes, 6. q. 1.* Et volunt fieri Magistri, qui Discipuli legitimi non fuerunt, *cap. relatum, 32. d.* Idem dicendum est si inobedientes sint Rectoribus Vniuersitatis, statuta transgredientes, quæ iurant obseruare, vel resistunt Magistris, quorum verberibus sunt subijciendi, qui coercendi modus à Magistris artiū liberalium, & à parentibus quoque circa Clericos exhiberi solet, vt habetur ex *D. Anton. loco citato.*

2 Secundò peccant Scholares, dirigentes eorū studia ad ambitionem, inanem gloriam, & honorem principaliter, aut lucrum principaliter captandum. Etenim, qui scire volunt, vt sciant, curiosi sunt: qui scire, vt sciantur, vani: qui scire volunt, vt lucrentur, cupidi sunt; si maximè lucrum intēdant per fas, & nefas. Vndè de his habetur, *Sapient. 13. Vani sunt omnes homines, in quibus non est scientia Dei.* Et *Eccles. 1. In multa scientia, aliàs sapientia multa est indignatio.* Et *Apostol. Corinth. 8. Scientia inflat.* Qui tandem scire volunt, vt ædificent alios, vel ædificētur in se, hi à charitate studere præcipiuntur, vt habetur *Sapien. cap. 10. Dedit illi scientiam Sanctorum, honestauit illum in laboribus.* Vndè Scholares studere debent primò, ac principaliter ad Deum cognoscendum, & omnia alia ad Deum finaliter. Secundò ad cognoscendum se ipsum. Ob id *D. August.* breuissimè orans, ita dicebat: *Deus semper idem: nouerim te: nouerim me:* Sicut omnium bonorum, ita & scientię dator est Deus, quapropter Dauid à Deo illam postulans, ita orabat: *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.* Vndè ad acquirendam veram scientiam prius à Scholaribus debet procurari bonitas, quoad interiorem affectum: Secundò disciplina, quoad compositionem, & exteriorem actum: & tertiò scientia, quoad certiorem cognitionem. Vndè meritò, ait *Apostol. 1. Corinth. 13. Si nouero omnia mysteria, nempe, quoad Sapientiam Diuinorum: & habuero omnem sciētiam; scilicet quoad notitiam naturalium: charitatem autem nō habuero, nihil sum.* Charitas autem est illa, quæ facit hominem simpliciter bonum, vt hæc omnia rectè declarat *D. Anton. 3. par. tit. 5. cap. 2. §. 1. & 2. cum plurib. seq. & Nauar. in Man. cap. 25. num. 59.*

3 Tertiò peccant Scholares studio non vacantes: aut illis scientijs incumbentes, quas melius est nescire, quàm scire, iuxta illud *D. Augustini in cap. quamuis, 32. d.* Non quòd aliqua scientia sit mala; sed propter abusum eius, vt sunt scientiæ prohibitæ. Hi enim non possunt tuta conscientia vti priuilegio fructuum beneficiorum in studio, & perceptos restituere tenentur; quoniam fraudulenter eos recipiunt, vt in *cap. fin. de Magistr. & D. Anton. loco citato, §. 11. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 12. sub num. 1. vers. Secundò si negligit.* Idem dicēdum est de Scholaribus quærentibus scire incomprehensibilia, & ea, quæ superant eorūm capacitatem, curiosa, subtilia, & parum vtilia, vacantes nouis inuentionibus, aut in pluribus facultatibus, modò in Philosophia, modò in Medicina, modò in Theologia, modò in iure, &c. & in nullo proficiunt, iuxta illud *Apost. Tim. 3. Semper discentes, & nunquam ad veritatis scientiam peruenientes.*

4 Quartò peccant Scholares, qui in obscuris ad se ipsos recurrunt, & erubescunt ab alijs inquirere, quod per se nesciunt: Vndè stulti, & Magistri efficiuntur erroris, *cap. de Constantinopolitana, 22. d.* Idem dicendum est de Scholaribus, qui nihil curant memoriæ mandare, & cum alijs conferre: Scriptum est enim *Prouerb. 1. Audiens sapiens, sapientior erit.*

5 Quintò peccant Scholares si alios Scholares ab alijs Doctoribus subtraxerint, vt suum audirent: siquidem vltra culpam mortalem, quam incurrunt, obligantur quoque ad damnorum, & interesse refectionem, vt probat *Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 12 sub num. 2. vers. Sextò si fecit practicas: Antonuc. in Cathec. Neapol. lib. 2. c. 33.* Quod tamen verum puto si id agant, non propter vtilitatem Scholarium; aliàs secus: vt quia nouerint, suum Doctorem esse doctiorem, & illorum minus sufficientem, & ineptum ad docendum: tunc enim nullam culpam contrahunt, nec ad aliquam restitutionem obligantur.

6 Sextò peccant Scholares in disputationibus contra veritatem procaciter contendentes, de suo ingenio superbientes, rixas, & factiones excitantes, malas, & turpes societates habentes, bona irrationabiliter prodigentes, libros vendentes, vt meretricibus, ludis, ac commessationibus vacent, libros profanos, & contra bonos mores legentes, postposita sacrorum lectione. His enim conuenit illud *Hieron. in cap. gloria, 12. q. 2. Non Hyerosolimis fuisse, sed benè vixisse laudabile est.*

7 Septimò peccant Scholares Clerici audientes sine Superiorum licentia scientiam Medicinæ, legis, &c. vt supra diximus *sec. praced.* de Magistris agentes. Et si Curati sint, in eorum Ecclesijs bonos Vicarios non præficiant, *cap. cùm ex eo, de elect. in 6.* Et si debita contraxerint, & ex studio recesserint, debitis non solutis.

8 Octauò peccant Scholares, si alios turbent, perstrepant, aut aliud efficiant quominus alij studeant; quoniam tunc præter culpam, possunt compesci, vt desistant: & id vtili actione, vt declarat *Graff loco citato, nu 3.* Quibus adde, quæ habentur ex *Nauar. & D. Anton. locis supra relatis.*

De Magistratibus, Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, Scribis, seu Notarijs, executoribus, ac alijs iustitiæ Ministris, & eorum peccatis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

DISP. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Magistratus vnde sic dicti, & in quo differant à Iudicibus.*

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac disputatione dicenda erunt, est adnot. quòd Magistratus ex eo dicuntur, quòd reliquis de populo sint maiores. Vndè Magistratus sunt veluti Principis membra, vt in *l. quoties, C. ad leg. Iul. Maest.* Horum autem quatuor præcipuè sunt ordines. Nam quidam appellantur magni ac illustres, quales sunt Præfecti Prætorio Oriẽtis, Aphricæ, Romanæ Vrbis, & Illyrici, *l. præcipimus, C. de appellat.* Quidam dicũtur medij, ac spectabiles, vt ProConsul, Præfectus Egypti, qui dicitur Augustalis, vt in *rub. de offic. Præfect. August.* Et huiusmodi sunt hodiè Regnorũ Gubernatores, seu Proreges. Alij Magistratus sunt minores, & clarissimi, vt sunt Prçsides Prouinciarum, qui in Regno vocantur Gubernatores, seu Proreges Prouinciarum, vt in *l. Præses Prouinciæ, & l. 3. ff de offic. Præsid.* Reliqui denique Magistratus vocantur minimi: & isti sũt Defensores, ac Gubernatores Ciuitatum. Differunt autem Magistratus à Iudicibus: nam Iudices à iudicando deriuantur; eo quòd secundum leges, & iura iudicare tenentur: & dicunt relationem ad Magistratus; quoniam alicuius Magistratus sunt Iudices, siue iurisdictionem ordinariam habeant, siue delegatam, vt in toto *tit. de iurisd omn. iudic.* Est tamen verum, quòd non implicat, aliquem posse simul esse Magistratum, & Iudicem si iuris habeant scientiam, vt nos declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 19. q. 2.* & propterea in sequenti *sec.* simul agemus de peccatis, tam Magistratuum, quàm Iudicum.

De Magistratuum, ac Iudicum peccatis. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Magistratus, ac Iudices, acceptantes officia, cum se idoneos, haud cognoscant, & multò magis si affectent; Insuperque ad restitutionem tenentur omnium damnorum, quæ Reip. ex eorum insufficientia proueniunt.*
An hoc verum sit in Iudice Ordinario secùs in Delegato.

2 *Peccant Magistratus, & Iudices in exercendis eorum officijs, & ad restitutionem tenentur pro damnis illatis, non solum ex capite ignorantiæ, sed etiam negligentiæ,*
An teneantur in foro conscientiæ ex negligentia si talia munera non affectauerint, nec se obtulerint ad ea exercenda.

3 Magistratus, *& Iudices à peccato non excusãtur. nec à restitutione damnorum, quæ alijs per negligentiam intulerunt, si horis consuetis audientiam præstare neglexerint litigãtibus, vel causas celeriter expedire, aut in rebus dubijs magis peritos consulere. &c.*

4 *Peccant Magistratus, & Iudices, qui pecuniã accipientes iustitiam violant, & puniuntur, vt malè iudicantes scienter. Et cui teneantur restituere pecuniam acceptam.*

5 *Peccant Iudices, & Magistratus pecuniam accipientes, etiam vt benè iudicent, & iustitiam administrent, pecuniamq; acceptam tenentur restituere ei, qui dedit.*

6 *Peccant Magistratus, & Iudices, pecuniam accipiendo pro iustitia celeriter administranda, & quarè.*

7 *An possint citra culpam mercedem accipere, si sufficiens stipendium non habeant.*

8 *An possint munera percipere, vel xenia, sportulasque consequi.*

9 *Si quis post susceptum officium viderit, mutatas esse rerum conditiones, potest aliquid percipere vltra taxatum stipendium.*

10 *Iudices, qui post latam sententiam, & iam trãsactam in rem iudicatam aliquid vltra stipendium, seu pandectam accipiunt citra omne pactum, & per modum liberalitatis, restituere non tenentur.*

11 *Assessori ab ordinario Iudice Ecclesiastico assumpto, de suo proprio debet stipẽdium tribui. Quid si fuerit Iudex delegatus, an assessor possit stipendium accipere à partibus.*

12 *Peccant Iudices, & Magistratus, extendentes eorum potestatem, in ijs, super quibus potestatem non habent. Et in quibus casibus incurrant censuras.*

13 *Peccant* Magistratus, *& Iudices, & in Bullam Cœn. incidunt Carcerantes, detinentes, vel ab eorum Diœcesib. expellentes Cardinales.*

14 *Peccant* Magistratus, *& Iudices, ac excommunicationem incurrunt Bullæ Cœnæ qui per se, vel per alias personas Ecclesiasticas, vel Seculares ad Romanam Curiam recurrentes carcerant, vel impediunt.*

15 *Peccant Iudices, & Magistratus, ac in Canonem 13. Bullæ Cœnæ incidunt impedientes exequutionem litterarum Apostolicarum.*

16 *Peccant* Magistratus, *& Iudices auocãtes causas beneficiales, & quascunque spirituales à Iudicibus Ecclesiasticis, & in excommunicationem incurrunt.*

17 Peccãt *Iudices, &* Magistratus *Seculares trahentes ad eorum Tribunalia personas Ecclesiasticas, & in Can. 15. Bull. Cœn. incurrunt.*

18 Peccant *Magistratus, & Iudices, & quicunque alij impedientes Episcopos, Archiepiscopos, &c. ne sua iurisdictione vtantur, & in Can. 16. Bull. Cœn. incidunt.*

19 Peccant *Magistratus, & Iudices, ac etiam incidunt in excommunicationem Bullæ Cœn. vsurpantes iurisdictiones, fructus, redditus, & prouentus ad S. P. & Sedem Apostolicã, &c. pertinentes.*

20 Peccant *Magistratus, & Iudices, & in Can. 18. Bull. Cœn incurrunt imponentes taleas, & collectas personis Ecclesiasticis, aut impositas vt soluant decernentes, auxiliũ præstãtes &c.*

21 Peccant *Magistratus, & Iudices Seculares quicunque Notarij, & Scribæ, &c. quomodolibet se intromittentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, & in Can. 19. Bull Cœn. incidunt.*

22 Peccant *Magistratus minores, & pœna confiscationis bonorum plectuntur, si negligentes sint in hæreticis insequendis.*

23 Peccant *Magistratus, & Iudices prohibentes Episcopos, ac Inquisitores, ne familiam armatam teneant.*

24 *Peccant Magistratus, Iudices, & quicunque alij officiales, condentes, scribentes, atque dictantes*

stantes statuta, quibus vsura permittuntur, ac solui compelluntur.

25 Peccant Magistratus, & Iudices Ecclesiastici oretenus censuras ferentes, aut non praecedente trina munitione, & per mensem ab ingressu Ecclesiae suspenduntur.

26 Peccant Magistratus, seu Praelati, ac Iudices Ecclesiastici temporalem iurisdictionem habentes, si Iudicem Saecularem non constituãt, qui audiat causas sanguinis.

27 Peccant Magistratus, & Iudices, compellentes partes ad compositionem.

28 Peccant Magistratus, & Iudices, non compellentes potentiores ad cauendum de non offendendo, & contumelijs non afficiendo viliores.

29 Peccant Magistratus, & Iudices, non praestantes brachium Ecclesiastico contra subditum, ei resistentem de facto, secus de iure.

30 Peccant Magistratus, ac Iudices, praetermittẽtes victum victorẽ cõdemnare in expẽsis, nulla legitima subsistente causa.

31 Peccant Magistratus, seu Iudices, qui tam in ciuilibus, quam in criminalibus non iudicant secundum allegata, & probata etiam contra veritatem, priuatim, sibi notam, & num. 34. & 36.

32 Iudex in iudicãdo fungitur auctoritate publica, non autem priuata.

33 Iudex ferre sententiam non potest, iuxta scripturam sibi exhibitam, aut coram Notario, & testibus, nisi in iudicio praesentetur.

34 In quibus casibus Iudex iudicare non possit, secundum allegata, & probata contra propriã, & priuatam scientiam.

35 Minister, seu exequutor iustitiae, sciens condẽnatum esse innocentem si praeuideat, posse innocentem liberari sine magno suo incommodo debet se ab exequutione sententiae abstinere; aliàs secus.

36 Rex, seu Princeps non solum potest, sed etiam tenetur liberare, quem scit innocentem ex priuata sua conscientia, contra falsò allegata, & probata.

37 Peccant Magistratus, & Iudices, prohibentes subditis, ne ab Ecclesiasticis emant, eisque vendant.

38 Peccant Magistratus, & Iudices extrahentes de loco sacro confugientes ad illum, siue pro causa ciuili, siue criminali, & excommunicationem contrahunt ipso facto.

An excusentur ab excommunicatione, qui ex ignorantia crassa, & affectata extraxerint.

39 An contrahant excommunicationem ipsam statim, ac extraxerint, vel postquam Ecclesiae non satisfecerint restituendo extractum.

40 Peccant Iudices, & Magistratus, qui damnatis ad mortem non dant tempus confitendi, ac Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumendi.

41 Peccant Magistratus, ac Iudices non concedẽtes Aduocatos, & Procuratores personis miserabilibus, etiam non petentibus in eorum causis.

Vel qui Peregrinos, aliasque miserabiles personas negligunt notabiliter praeferre alijs in iure sibi reddendo.

42 Peccant Magistratus, & Iudices cogentes, seu praecipientes celebrari tempore interdicti.

43 Peccant Magistratus, & Iudices, si non iudicant secundum leges, Constitutiones, & Pragmaticas vniuscuiusque Ciuitatis.

44 Peccant Magistratus, & Iudices, qui videntes aliquod grauamen intulisse litigantibus, appellationibus, etiam in causis, in quibus admitti non debet appellatio non parent.

45 Peccant Magistratus, & Iudices, qui capientes aliquem in habitu Clericali, & dicentem se esse Clericum, aut manifestè constet talem esse, statim non remittunt Iudici Ecclesiastico, & in excommunicationem incidunt.

Quid si Iudex Laicus Clericum capiat ex eo, quia ei per vim abstulit processum.

46 Peccant Magistratus, & Iudices trahentes mulieres inuitas, ad ferendum testimonium.

Vel die festo recipientes testium iuramenta.

47 Peccant Magistratus, & Iudices, non iudicando, secundum communem, vel saltem probabilem Doctorum opinionem, & ad restitutionem tenentur.

Idemque dicendum est, quando sunt duae opiniones probabiles ex parte iuris, altera tamẽ est probabilior Et quid si sint aequè probabiles ex parte facti.

48 Peccant Magistratus, seu Iudices inferiores, sententiam ferentes, etiam iustam, non tamen seruato iuris ordine.

An Magistratus Superiores possint in iudicio ordinem praetermittere.

Et an peccant Iudices procedentes in criminalibus contra aliquem non praeuia denunciatione iudiciali, vel Canonica, vel per inquisitionem legitimis indicijs non praecedentibus, vel saltem diffamatione.

49 Seruatur in praxi, vt Iudices ad inquisitionẽ procedant, non praeuia diffamatione, dummodò adsint sufficientia indicia.

Et quae indicia satis sint ad inquirendum.

50 Peccant Magistratus, & Iudices, interrogantes Reum per solam famam, eidemque iuramentum deferentes de veritate dicenda.

51 Peccant Magistratus, & Iudices interrogantes Reum confessum, vel conuictum de socijs occultis, contra quos nulla adsunt indicia.

In quibus casibus possint huiusmodi Reum de his socijs interrogare.

52 Peccant Magistratus, & Iudices, deferentes iuramentum Reo, vel eum torquentes, legitimis non praecedentibus indicijs. Et in quibus casibus possit Reo tortura inferri.

53 Peccant Magistratus, & Iudices Reum decipientes, promittendo illi aliquid pro extorquenda veritate delicti; promissionesque adhibitas tenentur implere.

54 Peccant Magistratus, & Iudices inferiores relaxantes poenam Reis, etiam remittente parte.

Vel ementes aliquid à subditis negotiationis causa.

55 Peccant Magistratus, & Iudices, qui sententiam ferunt, licet iustam dum in mortali peccato permanent. Idque intelligitur, tam de Ecclesiasticis, quam de Saecularibus, & num. seq.

56 Secundum communem, & magis receptam opinionem non peccant Iudices, sententiam ferentes in peccato mortali, si eorum peccata

occulta sint, & non publica, seu scandalosa. Et quibus alijs modis peccent Magistratus, & Iudices remissiue.

1 PEccant in primis Magistratus, & Iudices, qui cùm se idoneos non cognoscant officia ipsa acceptant; & multò magis si affectent: & insuper ad restitutionem omnium damnorum, Populis, ac Reipub. obuentorum occasione eorum insufficientiæ, ac ignorantiæ. Etenim lex, tàm naturalis, quàm humana prohibent, ne quis artem, quam ignorat, exerceat, vt in *cap. non est sine culpa, de regul. iur. in 6.* Imò estò, quòd Magistratus, & Iudices, qui non idonei, nec sufficientes sunt, nullum damnum adhuc intulerint; nihilominus non sunt absoluendi, nisi actu renuncient, vel proponant quæsita officia, quamprimùm renunciare: siquidem dum permanent in eorum exercitio sunt in proxima occasione quamplurima damna populis inferendi, quibus præsunt, vt habetur ex *Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 18.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clauis Regiæ, cap. 13. sub num. 1.* Quod maximè verum est in Iudice ordinario, qui debet ita esse peritus, vt quærere nō debeat ab alijs quicquid eum loqui oporteat, *cap. ex litteris, de consang. & affin. & in auth. de iudic. in princ. col. 6. & Syl. in sum. vers. Iudex, 1. q. 4.* Secus autem in Iudice delegato, qui ab obedientiæ necessitate compulsus iudicat, & bona fide, ac de consilio peritorum: nam licèt iniustè iudicet, non peccat, nec ad restitutionem tenetur; sed tota culpa, & obligatio restituendi transfertur in eius Assessorem, *l. 2. ff. quod quisq; iur.* Dummodò eum Assessorem elegerit, qui habeatur doctus, & bonæ opinionis: aliàs non excusaretur, vt habetur ex *Tab. in sum. vers. iudex q. 20. num. 21. & Syl. loco citato*; vbi etiam ait, quòd Iudex si sit illitteratus, & habeat consuetudinem, & peritiam iudicandi, potest ei causa committi, *l. certi iuris, C. de iurisd. omn. iud.* Iudex autem Ecclesiasticus esse nemo potest, nisi sit peritus saltem mediocriter in iuris scientia, vt in *cap. 1. 20. d. & c. cùm nobis olim, de elect. Glosa in cap. sciscitatus, de rescr.* Vndè *Panor.* ibi infert, quòd contra Iudicem delegatum imperitum potest excipi, quòd Iudex esse nequeat; nisi peritiam iudicandi haberet ex consuetudine, vt supra. Nec oportet Iudicem esse peritissimum, cùm ex defectu scientiæ possit illi concedi Assessor sumptibus partium, *cap. statutum, §. Assessor, de rescrip. in 6.* Imò Assessor quoque excusatur à culpa si in iudicando errauerit ob ignorantiam iuris obscuri; quoniam ignorantia iuris obscuri excusat à peccato, vt latè probat *Ioann. Andr.* communiter receptus in *cap. 1. de postul. Prælat. in sextò, & Nauar. lib. 5. suorum consi. consi. 20. seu 4. sub tit. de vsur.*

2 Secundò peccant Magistratus, & Iudices in exercendis eorum officijs, & ad restitutionem tenentur pro damnis illatis, non solùm ex capite ignorantiæ, sed etiam ex capite negligentiæ, vt per *Glos. in cap. quoniam contra, vers. Negligentia, de probat.* Debent enim Magistratus, & Iudices eam diligentiam saltem adhibere in causis expediendis, quæ in iudicio prudentum, & peritorum in sua arte censebitur sufficiens pro ratione, & qualitate causæ: siquidem omnibus exercitium aliquod exercentibus hæc communis obligatio inest, vt illud cum debita cautela, & diligentia exerceant, vt per *Abb. in ad aures, num. 3. 4. & 6. de ætate, & qualit. Salon. 22. q. 7. ar. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap. 22 sub num. 11.* Est tamen verum, quòd si Magistratus, & Iudices eiusmodi munera non affectauerint, nec se obtulerint ad ea exercenda, non tenentur saltem in foro cōscientiæ de negligentia, seu culpa leui, sed tantùm de dolo, & lata culpa, vt per *Tab. in summ. vers. iudex, q. 10 num. 20. & vers. Aduocatus, §. 14. num. 16. & in vers. Arbitror, §. 10. nu. 14.* ad quod allegat *Panor. in d. cap. quoniam contra, de probat. & in cap. quia plerique, de immunit. Eccles.* ac *Innoc. in cap. sicut dignum, de homicidio*, dum volunt, quod in foro animæ non tenetur quis ad emendam damni, nisi fuerit in dolo, vel lata culpa. Secus autem puto dicendum, si Magistratus, & Iudices eiusmodi in tales promoueri, & creari procurauerint; quoniam tunc probabiliter arbitror eos teneri, etiam de leui culpa; sicut de arbitro tenet idem *Tab. vers. Arbitrer, §. 10. num. 14* nisi velimus illum intelligi, quoad forum exterius. Cogita tamen, quia vera nobis videtur hæc sententia, etiam quoad forum interius, si Iudex maximè, & Magistratus stipendium consequantur pro eorum munere exercendo: sicut dicimus de depositario, qui pro deposito mercedem accepit, quo casu tenetur, etiam de leui, vt in *cap. bona fides, de depos. & Tab. in sum. vers. Depositum, sub num. 22.*

3 Vndè Magistratus, & Iudices puto non excusari à peccato, ac restitutione damnorum, quę per eorum negligentiam alijs intulerunt, si per negligentiam horis consuetis audientiam non præstarent litigantibus, causas celeriter non expedirent, aut in rebus dubijs magis peritos consulere neglexerint, aut per negligentiam nō studendi iniustam sententiam protulerint. Et multò magis obnoxij censentur, si dolosè, & minus fideliter eorum munera exercentes, hæc, aut similia patrauerint, vt habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13 nu. 17. & Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 1. cap. 29.* atque ideò tenentur ad refectionem omnium damnorum, expensarum, & interesse, non solùm si positiuè ad eorum illationem concurrant, efficiendo, scilicet, pręcipiēdo, mandando, exequendo, consulendo, consentiendo, &c. sed etiam si negatiuè, nempè tacendo, non puniendo delicta, non obstando, & non manifestando, cùm possint, & ex officio debeāt; atque ideò, cùm ex officio teneantur Prouinciā purgare malis hominibus, vt in *l. 3. & l. congruit ff. de offic. Præsid.* obligantur inquirere delicta: & si id negligant, peccant mortaliter, & tenentur in sindicatu ad omnia damna, &c. vt habetur ex *Syl.* post alios, *vers. Iudex, 1. q 7. vers. Sextū.*

4 Tertiò peccant Magistratus, & Iudices multò magis, si pecuniam accipientes iustitiam violēt: & insuper puniuntur, vt scienter malè iudicantes: & pecuniam acceptam pro iustitia violanda tenentur restituere, non ei qui dedit, cùm turpiter dederit; sed ei, in cuius iniuriam pecuniam ipsam recepit, vt in *cap. iubemus, 1. q. 1. cap. si quis in atrio, 17. qu. 1.* Quod verum esse, ait *Syl. in summ. vers. Iudex, 1. q. 12. & Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num. 5.* in foro causarum; non autem

autem in foro conscientiæ: Siquidem in foro cõscientiæ obligantur ad interesse tantùm parti læsæ reficiendum; nisi possint inducere illum, pro quo iustitiam violarunt, ad integram satisfactionem, vt in *l. fin. C. de pœn. qui malè iudic. & in cap. quatuor*, 11. q. 3. & eis pœnitentia est imponenda, tanquam pro grauissimo crimine, *c. quicunque, ead. causa, & q.* vbi etiam ait, quòd hoc crimen est grauius rapina; quia abutendo auctoritate Diuina dicuntur iniuriam inferre Deo, & si Iudex, qui pro pecunia iustitiam violauit, suspensus efficitur per annum ab executione officij, & parti venit condemnandus ad æstimationem litis, *cap. cũ aeterni, de sent. & re ind. in 6.*

5 Quartò peccant Magistratus, & Iudices, pecuniam accipientes, non solùm, vt iustitiam violent, & malè iudicent, vt supra ostendimus; sed etiam si pecuniam accipiant, vt benè iudicent, ac iustitiam administrent: & pecuniam acceptam tenentur reddere ei, qui eam dedit: siquidem cũ ex vi sui muneris teneatur gratis iudicare, & benè, proculdubio pecuniam eiusmodi turpiter accipit, *cap. non sanè*, 14. *q.* 5. *& cap. qui rectè*, 11. *q.* 3. cuius formalia verba, hoc loco, referre, operepretium esse duximus. Ait igitur *tex.* ille: *Qui rectè iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetuat: quia iustitiã gratis impertiri debuit acceptione pecuniæ vendit. Bonis malè vtuntur, qui pro temporali lucro iustè iudicant. Tales quippè ad veritatem non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat; quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à iustitiæ confessione recedunt. Acceptio nummorum prauaricatio veritatis est. Vndè & pro iusto dicitur. Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.*

6 Quintò peccant Magistratus, ac Iudices pecuniam, aut aliam rem accipientes pro iustitia celeriter ministranda, atque ideò pro causa celeriter terminanda. Hi enim non modò peccant mortaliter; sed etiam ad rei perpetuæ restitutionem tenentur: Siquidem, iurgantium lites celeri sententia terminari, æquitati conuenit, atque rigori, ait *tex. in cap. iurgantium, de sent. & re iud.* Eò magis, quoniam donans semper præsumitur dare inuitus, & non gratuitò, vt ex communi *Doctor.* sententia, docet *Sayr. lib.* 12. *Clau. Regiæ, cap.* 13 *sub nu.* 7. Est tamen verum, quòd licitum est Iudicibus, tàm Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis emolumentum aliquod percipere à litigantibus pro iustitiæ officio exercendo loco stipendij. Nam licèt opus ministrandi iustitiam sit spirituale, qua ratione simonia quodãmodo committitur aliquid accipiendo pro ea administranda; nihilominus pro obligatione, quam Iudex exhibet pro suo munere exercendo, si aliquid pro eo exercendo exigitur, simoniæ criminis Reus non efficitur, vt habetur ex *Sayro loco citato, num.* 8. dummodò stipendium sit moderatum, & secundum loci consuetudinem, iuxta ea, quæ docet *Syl. in sum. vers. Iudex*, 1. *q.* 10. Quod quidem locum sibi vendicat quando sufficiens stipendium eis non est assignatum.

7 Etenim possunt hi citra omnem culpam mercedem percipere, vt in *cap. charitatem*, 12. *q.* 1. *cap. cum non ab omni, de vita, & honest. Cler. cap. rescriptum*, §. *Assessorem, de rescrip. in 6.* Secus autem si stipendium habeant. Vnde Iudex, cui de publico merces exhibetur, omne id, quod vltra stipendium accipit; etiam à spontè dantibus restituere tenetur: certis scilicèt personis, si certò sciantur; & difficilis non sit eis restitutio: aliàs pauperibus erogare obnoxij fiunt. Etenim ideò statuuntur stipendia ex publico, ne priuatæ personæ molestentur, vt habetur per *Bald. in auth. Sed hodie, C. de Episc. & Cler. Couar. in regula peccatum, par.* 2. § 3. *num.* 1. *Nauar. in Man. c.* 17. *num.* 35. *& Graff. par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 123. *num.* 6. *&* 7. vbi post alios inquit, eos non excusari ex capite consuetudinis; quoniam consuetudo non excusat à rapina, & isti verè dicuntur rapinam committere. Idem dicendum est de Iudice Ecclesiastico officium habente beneficium habens annexum; quia debet esse beneficio contentus; etiam si tenue esset, ac insufficiens ad alimenta subministranda.

8 Imò nec munera quidem, ne xenia eiusmodi Iudices percipere possunt, nec sportulas consequi, siue beneficiati Iudices Ecclesiastici sint ordinarij, siue delegati: nam beneficium datur, propter officium loco stipendij: Et propterea sibi imputatur, qui officium acceptat, si beneficiũ non sit ad alendum sufficiens. Et quamuis aliqui id limitent locum non habere, quando mutatæ fuerint rerum conditiones, vt in simili de Medico remunerato, loquitur *Syl. vers. Medicus, q.* 6. nihilominus id non est ita de facili admittendũ, ne detur eis rapiendi aditus sub hoc prætextu, quòd tempore sanctionum, seu pandectarum taxantium stipendium, vel tempore constituti beneficij pro tali officio, res vilius, & non adeò carius, vt hodie vẽdebantur: & non solùm sint aucta pretia rerum, sed etiam labores ob negotiorum multiplicitatem.

9 Est tamen verum, quòd si quis post susceptum officium videtit mutatas rerum conditiones; tunc probabiliter puto, eum posse aliquid aliud accipere vltra taxatum stipendium: Secus autem si eo tempore, quo incipit administrare iam fuerint mutatæ rerum conditiones; quoniam tunc sibi imputatur, qui acceptauit officium, vt habetur per *Graff. par.* 1. *decis lib.* 3. *cap.* 123. *num.* 12. ad quod allegat *tex in cap.* 1. *de pact.* vbi etiam *num.* 13. inquit, quòd Iudex Sæcularis delegatus Principis, vel ordinarij; & etiam Iudex Ecclesiasticus delegatus à Principe, cùm extra domicilium proficiscuntur, possunt a partibus moderatas expensas expetere, æqualiter à partibus exhibendas, quarum instantiam fuerint destinati, *arg. tex. in l.* 4. §. *si argumento, ff. fin regund. & cap. nonnulli, de rescr.* quo casu possunt expensas percipere, non solùm pro victu; sed etiam pro vecturis equorum, & alijs eiusmodi, vt in *cap. statutum*, §. *insuper, de rescr. in 6.* Nec tenentur deducere eas, quas domi fecissent, vt hab tur ex *Panor. in cap. cùm ab omni, de vita, & honest. Cler.* Et si hac occasione infirmetur equus, aut à latronibus spolietur familia, aut ipse Iudex infirmetur, ob quas causas, aut earum alteram oporteat eos diutius commorari, possent à partibus expetere omne id, quod in domo sua non expendissent: siquidem nemo cogitur suis stipendijs militare, & munera, non autem sumptus prohibentur, *cap. Iudices*, 1. *q.* 1.

10 Sic etiam Iudices si post latam sententiam, quæ fecerit transitum in rem iudicatam aliquid vltra

vltra stipendium, seu pandectam acceperint citra omne pactum per modum liberalitatis, dūmodò non receperint pro pretio, neque pro causa principali, non tenentur restituere, vt habetur per eundem *Graff. loco citato, num.* 15. Quibus omnibus adde ea, quæ benè collegit *Sayr.* post alios *lib.* 12. *Clau. Reg. cap.* 13. *à num.* 8. *vsque in finem:* vbi id ampliat in iudicibus Sæcularibus, siue ordinarij sint, siue delegati: quia de iure cōmuni possunt petere sportulas; nisi iure aliquo speciali eis interdicatur: & *num.* 17. & 18. idem probat dicendum de Iudice Ecclesiastico delegato ab alio, quàm à Papa, & delegato quocunq; Sæculari: & *num.* 19. de omnibus iudicibus tàm Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, vt accipere possint xenia, nempè exculenta, & poculenta; quæ intra paucos dies, nempè duos, vel tres cōsumi solent, vt in *cap. statutum,* §. *insuper,* & ibi, *Franch. de rescr. in* 6. *l. solent. ff. de offic. Proconf. Caiet. in summ. verf. Iudicis peccata in fine.* Modò eiusmodi xenia non petantur; sed spontè dentur: quia tunc non præsumuntur dari ad corrumpendum Iudicem; sed ad liberalitatem, vt in *cap. si quæstiones de simon. Graff par.* 1. *decif. lib.* 2. *cap.* 123. *num.* 11. cum alijs ab eo allegatis.

11 Quoueró ad Assessorem si ab ordinario Iudice Ecclesiastico fuerit assumptus, ab eo debet de suo proprio stipendio illi tribui: siquidem Iudices ordinarij Ecclesiastici habent redditus sibi assignatos, vndè debent gratis iustitiam administrare, & habere debent peritiam iudicandi, vt in *cap. cognonimus,* 10. *q.* 3. & *cap.* 1. *de consang. & affin* & latè *Panor. in cap. cùm ab omni, num.* 14. vbi etiam *Innoc. de vita, & honest. Cler.* Dixi: *Si ab ordinario Iudice Ecclesiastico fuerit assumptus,* quia si ab ordinario Iudice Sæculari assumatur, potest ipse Iudex salarium petere pro Assessore, cùm Iudex Sæcularis leges scire non teneatur; sed satis sit habere experientiam de causis, *l certi, C. de iudic. Syl.* cum alijs ab eo allegatis, *in sum. verf. Iudex,* 1. *q.* 10. Quòd si Iudex sit delegatus, tunc Assessor salarium potest accipere à partibus, vt in *cap. non licet,* 11. *q.* 3. & illud habebit, quamuis delegatus moriatur ante causam terminatam, aut si post conclusionem partes ante sententiam se componant, vt rectè declarat *Syl. loco citato.* vbi id limitat, nisi Assessor fuerit assumptus in fraudem.

12 Sextò peccant Magistratus, & Iudices eorum potestatem extendentes in ijs, super quibus potestatem non habent: quia Iudex, vt rectum iudicium ferat, debet habere potestatem in iudicando; aliàs iudicium elusorium redditur, & sententia ab eis lata inualida est, vt habetur ex *D. Thom.* 2. 2. *q* 60 *ar.* 2. & 6. *Sot lib.* 3. *de iust. & iur q.* 4. *ar.* 2. & 6. & latè *Sayr. lib.* 12. *Clauis Reg cap.* 7. *num.* 2. Imò multoties ex defectu potestatis in nonnullas incidunt censuras: nam qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à S.P. vel à suis iudicibus non habentes illam sibi temerè vendicantes capiunt, & detinent, &c. in Romana Curia commorantes, peccant mortaliter, & insuper incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ contentam in *cap.* 9. *eiusdem,* vt latè hanc rem explicauimus in nostris *Comment. in ipsam Bull. eod. cap q.* 26. 34. 35. & 36. *lib.* 2. Eandem excommunicationem contrahunt Iudices, Magistratus, & quilibet alius, detinentes, capientes, &c. ad S. Apostol. venientes, & ab ea recedentes: quod quomodo procedat, ibidem per quamplurimas quæstiones explicauimus.

13 Septimò peccant Magistratus, & Iudices, & insuper in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt, carcerantes, detinentes, &c. aut ab eorum Diœcesibus, & terris eijcientes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Episcopos, &c. Nec non mandantes, auxilium, & consilium præstantes, vt latè declarauimus in d. nostris *Commentar. lib.* 2. *can.* 11.

14 Octauò peccant Magistratus, & Iudices, & omnes alij, & in excommunicationem incurrūt *cap.* 12. *Bullæ Cœnæ,* qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascunque, vel Sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac in eadem Curia prosequentes, procurantes, negotiorum gestores, Aduocatos, Procuratores, Auditores, Iudices, &c. quæ omnia amplia, & limita, iuxta ea, quæ ibi adnotauimus in nostris *Commentar. lib.* 2. *q. vlt.*

15 Nonò peccant, & in *can.* 13. *Bullæ Cœnæ* incidunt Magistratus, & Iudices impedientes executionem litterarum Apostolicarum, aut ne Notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione instrumēta, vel acta conficerent cōfecta parti, cuius interest tradere debeant, impediunt, &c. vt rem hanc multipliciter ampliauimus, & limit. in explic. *d. can. q. vlt.*

16 Decimò peccāt Magistratus, & Iudices, auocantes causas beneficiales, decimales, & quascūque alias spirituales, & spiritualibus annexas à Iudicibus Ecclesiasticis, & illarum cursum prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt: & insuper contrahunt excommunicationem contentā in *cap.* 14. *Bullæ Cœnæ:* & eandem excommunicationem incurrunt, qui partes, quę illas fecerūt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendū citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas: & ad faciendum, vel consentiēdum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt à censuris, & pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, etiam quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, cōsilium, aut assensum pręstant; etiam prętextu violentiæ prohibendæ, vel aliarū prætensionum: seu etiam donec ipsi ad S.A. informandam supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationem huiusmodi coram S.P. & S. Apostol. legitimè prosequantur; eo quòd in ijs, & in alijs supradictis omnibus carent legitima potestate, vt in d. nostris *Comment.* latè nos declarauimus *lib.* 2. *d. cap.* 14.

17 Vndecimò peccant Magistratus, & Iudices Sæculares trahentes ad eorum tribunalia directè, vel indirectè personas Ecclesiasticas, & excommunicationem contrahunt *cap.* 15. *Bullæ Cœnæ:* & eadem censura alligantur statuentes contra libertatem Ecclesiasticam, & eisdem statutis vtentes, publicantes, &c. vt nos latè rem hāc declarauimus, & multis modis ampliauimus, & limitauimus in d. nostris *Comment. d. c.* 15. *q. vlt. lib.* 2.

18 Duodecimò peccant Magistratus, & Iudices, & alij quicunque impedientes Episcopos, Archie-

chiepiscopos, & omnes Iudices Ecclesiasticos ordinarios, ne ordinaria eorum iurisdictione vtantur: & insuper in excommunicationem incidunt contentam in *cap.16. Bullæ Cœnæ*, vbi rẽ ipsam sufficienter declarauimus in nostris *Cõmentar.lib.2.d.cap.16 q.vlt.*

19 Tertiodecimò peccant Magistratus, & Iudices, & excommunicatione Bullæ Cœnę alligantur, vsurpantes iurisdictiones, fructus, redditus, prouentus ad S.P. & S.A. & ad quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes: aut etiam quauis occasione, vel causa, sine Rom. Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant, vt diximus in nostris *Commentar.in ipsam Bullam, lib.2.cap.17.per totũ*, & plenè explicauimus.

20 Quartodecimò peccant Magistratus, & Iudices, & excommunicationem *cap.18. Bullæ Cœnæ* incurrunt, taleas, & collectas imponentes personis Ecclesiasticis, aut impositas, vt soluant decernentes, compellentes, auxilium, consilium, aut fauorem præstantes; quod quidem multipliciter ampliatur, ac limitatur, vt adnotauimus in *d.cap.18 q.vlt.lib.2.*

21 Quintodecimò peccant Magistratus, & Iudices Sæculares quicunque Notarij, & Scribæ, executores, & subsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententiam contra illos proferendo, & exequendo, sine speciali, specifica, & expressa S.A. licentia: & insuper in excommunicationem Bullę Cœnæ incidunt cõtentam in *cap.19.* vbi diffusè de hac re egimus in nostris *Commentar.* Adde, quòd Iudices etiã Ecclesiastici legitimam potestatem habentes, peccant, & in *cap.si quis suadente Diabolo, 17.q.4.* incidunt, iniustè torquentes, carcerantes, aut detinentes personas Ecclesiasticas, vel ponentes custodiam, vt capiant eas si de domo exeant; etiã si manus in eas non iniiciant, vt habetur ex *Nauar.in Man.cap.27. num.177.vers.Quinta*, vbi hoc ipsum ampliat si ad frenũ equi alicuius Ecclesiastici manus admoueat, aut eum adeò furiosè persequantur, vt cogant se dare præcipitẽ, vel aliud discrimen subire ad se liberandum: & *num.78.* ampliat etiam excommunicationem ipsam in mandantes. Et quamuis Ioseph Angles, censura illa Iudices tantùm Sæculares velit alligare, & non Ecclesiasticos, vt refert *Sayr. lib.3.de censur. cap.22 nu.13.* nihilominus nos putamus comprehendere, tàm Sæculares, quàm Ecclesiasticos Iudices iniustè supradicta committentes in personas Ecclesiasticas: quoniam in *d.cap.si quis suadente*, iniuria violenta pensatur, non autem persona iniuriam inferens: & propterea non modo Laici; sed etiam Clerici percutientes Clericos excommunicationem d. Canonis contrahunt. Vndè meritò *Nauar.* & alij relati à *Sayro* ibi indistinctè loquuntur de iniuria afficientibus personas Ecclesiasticas, vt sup. Idem dicendum est si Magistratus, & Iudices obuiare possent, ne personæ Ecclesiasticæ huiusmodi, & similes violentias patiantur, & non obuiant; nam præter lethalem culpam in *d. cap.* quoque censuram incidunt, vt in *cap.quanta, de sent.excom.* quod declara, iuxta ea, quę habentur ex *Sayr.loc.cit.num.24.*

22 Sextodecimò peccat Magistratus minores; nempè Balliui, & pœna confiscationis bonorum plectuntur, si negligentes sint in hæreticis insequendis, vt habetur ex *Concil.Tolos.cap.6.*

23 Decimoseptimò peccant Magistratus, & Iudices, prohibentes Episcopos, & Inquisitores, ne familiam armatam habeant: aut statuentes, quod nullus arma deferat, nisi sit de familia Domini temporalis: nam consequenter, qui sunt de familia Episcopi, aut Inquisitoris non possent arma deferre; atque ideò impeditur officium inquisitionis directè, vel indirectè. Etenim tàm Inquisitores, quàm Episcopi habere possunt familiam armatam: & propterea impedientes eam, & statuentes, vt supra, de facili possunt incidere in excommunicationem *cap.15. Bullæ Cœnæ:* vt ibi de hac re latè egimus, *q.33. concl.2. num.20. cum plur seq.*

24 Decimoctauò peccant Magistratus, & Iudices, & quicunque alij officiales, condentes, scribentes, & dictantes statuta, quibus vsuræ permittantur, aut solui compellantur, vel repeti prohibeantur postquam fuerint solutæ, & sunt ipso facto excommunicati, vt in *Clem.1.de vsur.* vbi simili pœna plectuntur Iudices, qui scienter iudicare præsumpserint, vt vsuræ soluantur, aut solutæ non restituantur: & supradicta statuta infra tres menses non cancellantes. Et quamuis supradicta *Clem.* in nonnullis Prouincijs non seruetur; nam in illis vsuræ ab infidelibus exerceri permittuntur, & promittentes eas à Magistratibus soluere compelluntur; nihilominus contrauenientes à culpa, & à restitutione non sunt immunes; estò, quòd excusentur à pœna: quoniam sicut fœnerari est contra ius naturale; ita etiam cooperari ad fœnerandum, iuxta ea, quæ habentur ex *Salon.22.q.78. ar. contr.9.num.7. in fin.*

25 Decimonono peccant Magistratus, & Iudices Ecclesiastici oretenus censuras ferentes, aut non trina monitione pręcedente, & per mensem ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, & si interim celebrent, efficiuntur irregulares, cum quibus solus Papa dispensare potest, vt in *cap.1.de sent. excom.in 6.* iuncto *cap sacro, eod.tit.* & habetur ex *Panor.in cap.sicut, de sent.& re iud.& Suar. de censur.disp.3 sec.13.* Verum tamen est, quòd non ob id censura irrita censetur: sed ita demum si nulla præcesserit monitio; quoniam Romanus Pontifex noluit illam formam, vt essentialem præscribere; sed solùm vt necessariam ex præcepto ipsi iudici facto, vt habetur ex *Sayro*, cum alijs, quos allegat *lib.1. Thes. tom 1.cap.13.nu.2.* Imò si hæc forma non seruetur à Prælatis Regularibus in ferendis censuris Ecclesiasticis, à supradicta pœna excusantur: siquidem in huiusmodi Prælatis non seruatur iuris ordo, vt habetur ex *Felino in d cap.sacro, num.7. Tol.lib.1. sua sum. cap. 9.* & nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar in Bull.Cœnæ.lib.1. cap.1. q.4. num. 8.* vbi id maximè locum habere diximus, quando Prælati vigore statutorum proprij ordinis, vel approbatę consuetudinis, aut vbi periculum est in mora censuras pronunciãt. Quod etiam militat in omnibus, qui sub prædicta forma censuras proferunt, vt docet *Syl.in sum.ver. Excommunicatio, 1.num.14.*

Vigesimò

26 Vigesimò peccant Magistratus, seu Prælati, ac Iudices Ecclesiastici habentes temporalem iurisdictionem si non constituant Iudicem Sæcularem, qui audiat causas sanguinis: quoniam Ecclesiastici se intromittere non possunt; licèt possint mandare, vt fiat iustitia, etiam speciali super homicidio, aut alio maleficio citra irregularitatem, vt in *cap. Episcopus, ne Cler. vel Mon. in 6. Syl.* post alios in *summ. verf. Iudex*, 1. q. 6.

27 Vigesimoprimò peccant Magistratus, & Iudices compellentes partes ad compositionem. Nàm licèt Iudices, tàm Sæculares, quàm Ecclesiastici possint, & debeãt partes ad concordiam, & pacem reducere, & compellere, vt habetur ex *Panor. in rubr. de treg. & pace*, & est *tex. in cap. si quis, cap. contristatus, & cap. placuit*, 90. *d.* in causa tamen ciuili non possunt ad compositiones eas inducere, etiam si Principes essent ex potestate ordinaria, vt in *l.* 1. *ff. de noui oper. nunc.* Quod verum est, nisi lis longa sit, & intricata, & iura partium sint obscura, vt rectè inquit *Syl. in summ. verf. Iudex.* 1. *q.* 7.

28 Vigesimosecundò peccant Magistratus, & Iudices, non compellentes potentiores ad præstandam cautionem de non offendendo, & cõtumelijs non afficiendo viliores, vt in *l. illicitas, §. ne potentiores, ff. de offic. Præsid.* Et idem dicendum est de quolibet aduersario, vt possint, ac debeant eum compellere ad præstandam dictam cautionem de non offendendo actorem, & suos, quando talis verisimiliter timens implorat eius officium, vt in *d. §. ne potentiores*, & ibi, *Bart. l. denunciamus, C. de his, qui ad Eccl. confug.* & alij apud *Syl. loco citato.*

29 Vigesimotertiò peccant Magistratus, & Iudices, non præstantes bracchium Ecclesiastico contra subditum ei resistentem de facto: secus autem si de iure, vt quia appellauit ad Superiores, vt habetur ex *Panor. in cap.* 1. *de offic. ordin. & Syl. loco citato, verf. Septimum.*

30 Vigesimoquartò peccant Magistratus, seu Iudices, nulla legitima causa subsistente, prætermittentes victum victori in expensis condemnare, cùm id præcipiatur per *tex. in cap. calumniam, de pen. & l. properandum, § sin autem alterutra, Cod. de iudic.* & habetur ex *Nauar. in Man. cap* 25. *sub num.* 15.

31 Vigesimoquintò peccant Magistratus, seu Iudices non iudicantes secundum allegata, & probata, atque ideò iuxta probationes publicas, etiã contra veritatem sibi priuatim notam, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt habetur ex *D. Thom.* 2. 2. *q.* 67. *num.* 2. & in eum *Caiet. & Bann. Salon. Petr. de Arag. ibidem, & Syl. verf. Iudex*, 2. *q.* 5 *Sot. lib.* 5. *de iust. & iur. q.* 4. *art.* 2. *Nauar. in Man. cap.* 25 *num.* 9. & 10. & *in cap. si quis, de pen. d.* 7. *num.* 129 *Gregor. de Valen. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 11. *par.* 2. *Tol. lib.* 5 *suæ sum. cap.* 56. *Bart. in l. illicitas, § veritas, ff de offic. Præsid. Turrecr. in cap. iudicet*, 3. *q* 7. *Couar.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib.* 12. *Clauis Reg. cap.* 8 *num.* 13. vbi testatur, hanc esse communẽ opinionem, & in praxi seruandam. Probatur ex *cap. summoperè*, 11. *q.* 3. vbi inter alia *D. Gregor.* ita inquit: *Secundum quod constitutum est, idest per testes, definitiua proferatur sententia.* Confirmatur ex *tex. in cap. Pastoralis, §. quia vero, de offic. deleg.* vbi Innoc. III. præcipit, vt ordinarius ad mandatum delegati exequatur sententiã, etiam si certò sciat esse iniustam. Idem probatur ex *tex. in d. l. illicitas, §. veritas, ff offic. Præsid.* Sed re vera ad illa, & alia iura, quæ ad id probãdum afferuntur, potest responderi, loqui quando ea, quę afferũtur à testibus vera sunt; atque ideò si constaret iudici contrarium, non deberet procedere secundum falsas probationes, & falsa, ac simulata instrumenta.

32 Vndè melius hæc sententia probatur ex eo, quòd Iudex in iudicando fungitur auctoritate publica, non autem priuata, nimirum si eius sententia debet fundari super probationibus publicis, non autem priuatis, & sic iudicare secundum scientiam publicam, non autem priuatam. Confirmatur, quia aliàs quies, & pax Reip. conturbaretur, ob quam iudicia instituta sunt: nam si iudex non teneretur iudicare secundum allegata, & probata; sed secundum scientiam priuatam populus scandalizaretur, & daretur materia iudici iniquo pro libito à veritate in iudicãdo declinare. Nec iudex ita iudicando dicitur facere contra conscientiam; sed tantùm contra suam priuatam scientiam. Neque ob id iudex censetur condemnare innocentem: quia innocens licèt talis dicatur, secundum rei veritatem, & priuatam iudicis scientiam; nihilominus est Reus, & nocens secundum scientiam publicam; atque ideò secundum allegata, & probata, secundum quam scientiam iudicandi potestatem accepit à Rege, vel communitate.

33 Ex quo infertur, quòd iudex non potest ferre sententiam, iuxta scripturam priuatam sibi exhibitam; aut coram Notario, & testibus; nisi in iudicio præsentetur, vt ex ea ius actoris, vel rei cognoscere valeat, vt in *cap. cùm dilecti, de fide instr. l. adoptio, ff. de adopt.* Et *Couar. lib.* 1. *var. resol. cap.* 1. *num.* 5. Imò satis non est producere instrumentum coram iudice ante litis contestationem ad articulum aliquem incidentem; sed produci oportet tempore, quo causa principalis publicè in iudicio discutitur, vt per *Couar. loco citato, Salon.* 22. *q.* 67. *ar.* 2. *arg.* 5. & alij relati per *Sayr. d. cap.* 8. *sub nu.* 15. Est tamen verum,

34 quòd hæc omnia intelligenda sunt, ac limitanda primò, vt tunc iudex possit secundum allegata, & probata iudicare contra propriam, & priuatam scientiam; quando id iuri naturali non repugnare existimaret, aut dubitaret; aliàs citra culpam non posset ferre sententiam; quoniam tunc agens contra huiusmodi iudicium practicum, & conceptum animi sui, contra propriam conscientiam ageret; quæ nihil aliud est, nisi dictamen iudicij practici in ordine ad opus, quo iudicamus actionem aliquam nostram in particulari hic, & nunc licitè fieri: at qui agit contra propriam conscientiam, peccat mortaliter, iuxta illud *Apost. ad Rom.* 14. *Quod non est ex fide, idest ex conscientia, peccatum est.* Ita *D. Thom.* communiter receptus loco supra citato. Secundò limitantur, vt supradicta vera sint, quando iudex non potest alia via innocentem liberare; quoniam si posset, ad id teneretur, & non posset sententiam ferre secundum allegata, & probata; quia tunc ageret contra charitatem, & contra iustitiam: siquidem iudex ex charitate, ac iustitia obligatur omnes vias quærere, vt innocentem liberet. Tertiò limitantur, vt iudex inferior, qui

nulla

nulla alia via commodè potest innocentis vitã saluare, tenetur pro aliquo tempore sententiam differre; non tamen tenetur officium suum deponere, & pro innocente deindè testificari, secundum veriorem sententiam, quam tenet *Caiet. 2.2. q. 67. ar. 2.* vbi etiam *Salon. & Arag. Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 4.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clauis Reg cap 8. sub num. 16.* cùm neque ad id teneatur ex iustitia, nam qui suo iure vritur neminem afficit iniuria: neque ex charitate; nàm licèt teneretur deponere officium suum, quando id commodè facere posset sine aliquo suo magno detrimento in fama, honore, aut in bonis, ad vitam innocentis saluãdam; si tamen citra magnum suum detrimentũ officium suum deponere nequit, ad id à charitate non cogitur: siquidem charitatis leges non obligant aliquem cum tanto sui detrimento innocentem liberare à damno, quòd ipse non intulit; sed testes, quibus Reus conuincitur, iuxta illud *Deut cap. 17. In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur, manus testiũ prima interficiet eum.*

35 Idem dicendum est de Ministro, seu executore iustitiæ, qui si sciat condemnatum esse innocentem, & præuideat posse innocentem liberari sine magno suo incommodo, debet ab executione sententiæ se abstinere: & maximè si videant sententiam manifestam iniquitatem continere. At si id non valeret citra suum maximum detrimentum, non tenetur proprium officium renunciare, vt in *cap. Pastoralis, §. quia verò, de offic. deleg Couar. lib. 1. var. resol cap. 1 num. 10. Syl. in summ vers. iudex, 2. q 6.* & alij Doctores supracitati. Benè verum est, quod tàm iudex, quàm executor in omni euentu, quo compelluntur sententiam dicere, vel exequi contra particularem eorum innocentiam; tunc tenentur coram omni populo Rei innocentiam manifestare. Etenim innocens ille, cùm in extrema necessitate reperiatur constitutus ob testium iniquitatem, ex officio, & ex charitate tenentur omnem modum inquirere pro innocentis liberatione. Nec eo casu aliqua iniuria testes dicuntur affici: nam cùm scientes iniquitatem fecerint, sibi imputatur, vt ex communi sententia tenent *Nauar. Sot.* & alij supra relati, & *Sayr. loco citato, sub num. 5.* Hæc

36 ipsa limitantur quartò, vbi iudicium delatum fuerit ad Regem, aut alium Supremum Principem: nam tunc posset; imò tenetur Princeps secundum priuatam eius conscientiam contra falsò allegata, & probata innocentem liberare, vt habetur ex *Caiet. 2.2. q. 67. ar. 1. in fine, Couar. loco citato, num 7. vers. Tertium, Felin. in d. c. Pastoralis § qui verò, Alber in l. illicitas, §. veritas. ff. de offic. Præsid. & Sayr.* cum alijs ab eo allegatis *d cap. 8. num. 19.* vbi hanc esse rationẽ dicunt; quoniam Princeps habeat potestatem condendi leges, & eisdem conditis derogandi; potest etiam quamcunque pœnam legis in alteram commutare, & iudicare secundum priuatã eius scientiam. Tenetur tamen id populo propalare: parti læsæ, & communi bono satisfacere: siquidè sua priuata scientia non potest in alterius

37 præiudicium iudicare, vt habetur ex *Caiet.* ibi, & alijs. Non tamen Supremus Princeps secundum priuatam suam scientiam, & contra allegata, ac probata, vel contra communem populi opinionem posset aliquem condemnare, aut occidere in suis iuribus non auditum; etiamsi certò sciat per scientiam suam priuatam esse criminis læsæ Maiestatis Reum; nisi ad sui defensionem id ageret, vt habetur ex eodem *Sayro, loco citato, num. 21. cum plur. seq.* & supra declarauimus *disp 16. sec. 1. vers. Vigesimoquintò peccant.*

37 Vigesimosextò peccant Magistratus, aut iudices prohibentes subditis, ne emant ab Ecclesiasticis, aut eisdem vendant, vt in *cap. eos, de immunit. Eccles.* per quem *tex.* isti tales ipso facto excommunicantur. Et si super hoc statuant, incidunt in excommunicationem 13. Bullæ Cœnæ: quoniam eiusmodi statuta sunt contra libertatẽ Ecclesiasticam, etiam si in Ecclesiam stabilia tantùm alienari prohibeat, vt latè nos declarauimus in nostris *Commentar in d. Bull. lib. 2. cap. 15. q. 19. num. 83. cum plurib. seq.*

38 Vigesimoseptimò peccant Magistratus, & iudices extrahentes ex loco sacro per vim eos qui ad illud confugerunt, vt in *c. si quis contumax, & cap. Reum. 17. q. 4.* Etenim confugientes ad Ecclesiam, seu locum sacrum, ab eo extrahi non possunt pro quacunque causa ad eum confugiant, siuè causa ciuilis sit, siuè criminalis: & propterea pro debito confugiens ad Ecclesiam, sicut, & pro crimine, gaudet immunitate, siue debitum publicum sit, siue priuatum: & siue debitor de fuga sit suspectus, siue non, vt habetur ex *Farinac. in sua praxi crimin par. 1. q. 28. nu. 30. 31. & 32. cum plur. seq.* Imò hoc priuilegio gaudent quicunque sint, qui ad Ecclesiam, seu locum sacrum confugiant: siue liberi sint, siue serui: Fideles, aut infideles secundum quosdam, licet contrarium doceat *Farinac.* cum alijs ab eo allegatis loco citato, & benè, vt latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 2. cap. 15. q. 16. sub num. 15. cum plur. seq.* & insuper extrahentes, vt supra contrahunt excommunicationem ipso facto, vt patet ex Bulla Gregor. XIV. in fine, edita die 28. Maij 1591. cuius meminit *Steph. Quar. in sum. Bullar. vers. Reuerentia Ecclesiarum* & est vnus ex quinque casibus, quos Sedi Apost. reseruauit Clem. VIII. in sua Bulla relata ab eodem *Steph Quar. ibidem, vers. Casus reseruati* Quæ quidem excommunicatio tunc alligat, quando contrauenicns factũ coniunxerit cum præsumptione, per verba illud, *præsumpserit in d. Bulla contentam.* Quocirca contrauenientes ex ignorantia, etiam crassa, & affectata à censuris prædictis excusantur, per ea quæ diximus in *Commentar. eiusdem Bullæ loco citato, sub num. 20. & lib. 2. cap. 1. quæst. 36. 37. & 38.*

39 Imò cùm de iure huiusmodi contrauenientes non excommunicentur absolutè, sed sub conditione, nisi Ecclesiæ satisfaciant, & Reum restituant, vt habetur ex *Suar. tom 1. de Relig. tr. 2. lib. 3. cap 13. num. 7. circa fin.* Estò, quòd ipso facto vigore supradictæ Bullæ Gregor. XIV. excommunicationem contrahant; probabiliter tamen videtur dicendum ex eodem *Suar.* ibidem, vt excommunicationem ipsam non incurrant eo ipso, quòd confugientes, vt supra ab Ecclesia extrahant; sed ita demum si Ecclesiæ non satisfaciant, & Reum restituant: siquidem pro tali delicto commisso non fertur excommunicatio, nisi quatenus pendet in futurum, seu habet tractũ

successiuum, quoad emendationem, quam sententiam, licèt nos probabilem esse dixerimus in d. nostris *Commentar. lib. 2. cap. 15. q. 16. nu. 21.* nihilominus magis tutam; imò probabiliorem censemus opinionem, quam docet *D. Cæsar meus Germ. in addit. ad d. nostra Commentaria sub d. num. 21 litt. R fol. 581. in secunda edit.* dum probat, quòd quamuis ante dictam Constitutionem de iure delinquentes ipsi non eo ipso incurrant prædictam censuram, hodiè tamen, attenta dispositione d. Bullæ Gregor. XIV. ipso facto eã contrahunt. Est tamen verum, quòd multi sunt casus, in quibus confugientes ad Ecclesiam, & locum sacrum, non gaudent eius immunitate, vt sunt publici viarum grassatores: d populatores agrorum: qui homicidium, vel mutilationes in ipsis Ecclesijs commiserint, vel in Cœmeterijs: qui proditoriè proximũ occiderint: Assassini: læsæ Maiestatis Rei, & in personam Principis insurgentes: qui ex loco sacro occidunt, aut mutilant alium extra locum sacrum: qui ex Ecclesia educunt aliquem, & eductum occidunt: & qui in Ecclesia mandauerint alicui, vt occidant aliũ extra Ecclesiam, vt *d q. 16 num. 22. & 23.* declarauimus. Extra hos casus confugientes ad Ecclesiam, aut locum sacrum gaudent immunitate; etiam si in Ecclesia deliquerint sub spe immunitatis Ecclesiasticæ, atque ideò, quoad hoc derogatur *tex. in cap fin de immun. Eccles.* Etenim hi tantum non gaudent immunitate Eccles. qui excipiuntur à d. Bulla Gregor. & non alij, vt diximus in *d q. 16. sub num 26.* quibus adde, quæ post alios cumulat, idem *D. Cæsar. in d. addit. ad d. q. 16. litt. A fol 385 in 2. edit.*

40 Vigesimoctauò peccant Magistratus, & iudices, qui damnatis ad mortem non dant commoditatem confitendi, ac sumendi Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum: nec ex capite consuetudinis excusantur, cùm non consuetudo, sed corruptela potius sit dicẽda, vt habetur in *Clem. 1.* & ibi *Glos.* communiter recepta, *de pœnit. & remiss.* Non tamen eo ipso die, quo damnatus Sanctissimum Viaticum suscipit, est suspendendus ob tanti Sacramenti reuerentiam: vel saltem post tantum temporis spacium, quo iudicatur Sacramenti species esse digestas. Hinc Romæ fertur adesse consuetudinem, vt damnato ad mortem denuncietur sententia post mediam noctem vt liceat ei confiteri, & communicari ante quatuor horas, quàm ducatur ad patibulum, vt habetur ex *Nauar in Man cap. 25. sub num. 23.*

41 Vigesimonono peccant Magistratus, & iudices non concedentes Aduocatos, & Procuratores personis maximè miserabilibus, etiam non petentibus in eorum causis, præsertim si criminales sint, etiam citra stipendium, vt in *l. prouidendum C de postulat. l. nec quicquam, § fin de offic Proconf. & Syl. in sum. vers. Aduocatus q. 18.* Peccant pariter carceres non visitantes, & nõ curantes vitæ necessaria carceratis ministrari, vt in *l. iudices, C. de Episc Aud. cap pasce, 86.*

Trigesimò peccant Magistratus, & iudices, qui Peregrinos, Viduas, pupillos, & alias miserabiles personas negligunt notabiliter præferre alijs in iure sibi reddendo, *cap. Regum, 23. q. 5. Richar. in 4. d. 15. ar. 5. q. 4.*

42 Trigesimoprimò peccant Magistratus, & Iudices cogentes, aut præcipientes tempore interdicti celebrari: aut ne excommunicati, ac denunciati à Diuinis expellantur: & insuper contrahũt excommunicationem contentam in *Clem. grauis, de sent. excomm.* Idem dicendum est de ijs, qui minis, aut metu absolutionem extorquent, aut excommunicationem, vel interdictum reuocari faciunt, *cap. 1. de his, quæ vi, met. causa fiunt in 6.* Et de ijs, qui facultatem faciunt comprehendendi, aut vexandi iudices Ecclesiasticos in personis, vel in bonis, eo quod contra ipsos censuras tulerint, vel eorum mandatis non obtemperauerint, *cap quicunque de sent. excom. in 6.*

43 Trigesimosecundò peccant Magistratus, & iudices si non iudicent secundum leges, constitutiones, & pragmaticas vniuscuiusque Ciuitatis, Prouinciæ, aut Regni, & eorum consuetudines. Vndè si Magistratus, & iudices sint legum ignari, aut de iure dubitent, debent sibi virum eruditum sibi constituere, quem consulant; aliàs mortaliter peccant, & ad damnorum refectionẽ obligantur. Verum tamen est, quod si legum, & consuetudinem Regnorum, & Ciuitatum aliquæ sint contrariæ legi Diuinæ, vel naturali, tũc Magistratus, ac iudices non tenentur, nec debent secundum illas iudicare: quoniam lex, quæ simpliciter, aut ex circumstantia est iniqua, legis nomen non meretur, cùm lex sit sanctio sancta iubens honesta, & prohibens contraria: & proptereà vim obligatiuam non habet, vt per *D. Th. 2. 2. q 60. ar. 5. ad 2. Salon. & Arag.* in eum. *Sot. lib. 3. de iust. & iur. q. 4. ar. 3. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 9. num. 4.* vbi plures casus enumerat, in quibus nullo modo secundum verba legis, sed secundum epicheiam est iudicandum.

44 Trigesimotertiò peccant Magistratus, & iudices, qui videntes grauamen aliquod intulisse litigantibus, appellationibus, etiam in causis, in quibus non debet admitti appellatio, vt rectè declarat *Nauar. in Man. cap. 25. sub num. 15.*

45 Trigesimoquartò peccant Magistratus, & iudices si capientes aliquem in habitu Clericali, & dicentem se esse Clericum, aut manifestò constet talem esse, statim illum non restituant iudici Ecclesiastico: & insuper in excommunicationẽ incidunt contentam in *cap. si iudex, de sent. excomm. in 6.* Imò hoc adeò verum est, vt locum sibi vendicet, etiam si iudex Laicus Clericum capiat ex eo, quòd vi ei abstulit processum, & retineat, donec illum restituat; quoniam adhuc debet ad Ecclesiasticum iudicem eum remittere, per ea, quæ habẽtur ex *Panor. Felino,* & alijs *in cap. cùm non ab homine, de iudic.* Quòd si in habitu Clericali eum non deprehendant, nec manifestò constet esse Clericum, non tenentur reddere Ecclesiastico, donec eis de Clericatu cõstet, vt in *d. cap si iudex.* Nec tunc si Clericus est coniugatus, nisi probet, quòd vnam solam, & virginem vxorem duxerit, & habitum, & tonsuram Clericalem gestauerit, *cap. 1. de Cler. coniug. in 6. & Nauar in Man. cap. 25. sub nu. 24. vers. Decimoquartò.* Et nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap 15. q. 4. concl. vlt.* Est tamen verum, quòd in quamplurimis casibus Clericus, etiam si non incedat in habitu, ac tonsura, gaudet priuilegio fori, quos enumerauimus *d. cap. 15 q 11. nu. 64. & seq.* & latius *Don Cæsar Germanus meus in addit. ad d. q. litt. A fol. 565.* vbi inter alia probat,

bat, *vers. Adde*; quòd quamuis Clericus habitum,& tonsuram non deferens,aut Ecclesiæ sibi præscriptæ non deseruiens, iuxta *Concil. Trid.* dispositionem, forum iudicis Sæcularis declinare non possit; non tamen decretum huiusmodi obstat Episcopo quominus iure suo vti possit in eiusmodi Clericum si delinquat, & adhuc Clericus permaneat. Regulariter autem cognitio Clericatus pertinet ad iudicem Ecclesiasticum dumtaxat,non autem Sæcularem, vt in *d. cap si iudex;* ita se habente:*Si iudex laicus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti: vel Curia ipsa eum, tanquam suum Clericum repetat,iudice illum inficiante Clericum, ac ob hoc minimè remittendum, dubitationis huiusmodi, an scilicet sit,qui repetitur Clericus ad iudicem Ecclesiasticum:quia de re Ecclesiastica, & spirituali, vocato tamen iudice Sæculari, vel alio, cuius interest, cognitio pertinebit*. Et ita practicari regulariter,testatur *Clar. in sua prax.crim. lib.5.§ fin.cap.36.num.*18.Quamuis referat in quibusdam locis contrarium seruari:nam Clericus, contra quem procedit iudex Sæcularis pro aliquo crimine exhibet coram iudice Sæculari iura Clericalia, quibus actis ipsum remittit ad iudicem suum Ecclesiasticum.

46 Trigesimoquintò peccant Magistratus, & iudices inuitas trahentes mulieres ad ferendum testimonium, imò Religiosas, nec volentes quidem:siquidem ad earum testificationes recipiendas mittere debent aliquem, vel ipsi personaliter ad eas se conferre, nec accessum fingere possunt citra excommunicationem, vt in *cap. mulieres, de iud.in 6.*

Trigesimosextò peccant Magistratus, & iudices die festo recipientes testium iuramenta, aut alium iurisdictionis actum agentes, qui meræ executionis non esset,aut aliqua necessitatis causa non subsistat,vt in *cap.1.& fin.de fer.& Nauar.in Man.cap.25.num.25.*

47 Trigesimoseptimò peccant Magistratus, seu iudices, & ad restitutionem tenentur non iudicando secundum communem,vel saltem probabilem Doctorum opinionem, vbi accidit casus in legibus,ac constitutionibus,& loci consuetudinibus, & non comprehensus: & hanc sectando non solùm non peccant;sed nec etiam tenentur in Syndicatu,vt habetur ex *Felino in cap.1. de constit.num* 55. Verum tamen est,quòd quãdo est conflictus opinionum ad vtramque partem, & vtraque est probabilis,tunc iudex potest sectari,quam maluerit, vt habetur ex *Sayro lib. 12.Clau.Reg cap.9.num.1. & lib.1. cap.11. nu. 4.* Quod verum est, quando opiniones sunt de iure ex æquo probabiles. Imò,secluso scandalo, posset iudex pro amico iudicare modo secundũ vnam,modo secundum aliam opinionem. Nam ex vi iustitiæ distributiuæ, & officij sui non tenetur bonum illud fauorabile magis vni,quàm alteri conferre, cùm æquale ius vtrique competat. Idem dicendum est, quando sunt duæ opiniones probabiles ex parte iuris; altera tamen probabilior:tunc enim iudex in iudicando,sicut omnis alius fidelis in suis priuatis actionibus potest,dimissa probabiliori,sequi probabilem, quam iudicat esse veram,nec necesse est,vt iudicet illam veriorem. Dixi:*Debere iudicare illam veram*,quia si iudicet falsam,tunc deberet iudicare secundum probabiliorem,quam veram putat, & non secundum probabilem, quam putat falsam,vt rectè probat *Salon.22.q 63 ar.4.controu.2.concl.4. Gregor. de Valent. tom.3 disp 5. q.7.pun.4.dub.3.propos.2.& Sayr.d.cap.11.nu. 8.dub.1 propos 2.* vbi etiam *sub num. 11. versic. Addit etiam*, ex *Petro de Arag.*limitat ea,quæ diximus, vt tunc iudex possit sequi opinionem probabilem,quam putat veram,omissa probabiliori,quando vsu,& consuetudine non est abrogata: aliàs teneretur iudicare secundum probabiliorem. Quòd si duæ opiniones ex parte facti ex æquo probabiles sint, vt quia vtraque habet æquales probationes; tunc si causa est criminalis, iudex obligatur iudicare secundum opinionem, quæ Reo est fauorabilis: siquidem leges magis tendunt ad soluendum,quam ad ligandũ, *l. Arrianus ff.de action & obligat.* Si vero causa est ciuilis, tunc iudex debet componere partes inter se: vel si res sit diuisibilis,diuidat eam inter partes,vt habetur ex *Salon.loc.cit.concl.2* Si denique duæ opiniones ex parte facti probabiles sint,sed ita,vt vna earum sit probabilior, in ciuilibus tenetur iudex iudicare iuxta probabiliorẽ: nam iudex obligatur iudicare secundum merita causæ; at qui factum probat per testimonia meliora, & probabiliora habet maiora causæ merita. Ita *Salon.ibidem, Petr.de Arag.vbi supra,ar.4. dub. vlt.ad 3. Gregor.de Valent.dict. dub.3. propos.3.* & latè *Sayr. lib 1. Clauis Reg. cap.11 num.22.& 23.dub.1.propos.3.& 4.*

48 Trigesimo octauò peccant Magistratus, seu iudices inferiores sententiam ferentes, licet iustam,non seruato iuris ordine: siquidem iudex inferior non habet facultatem derogandi legibus; aliàs vltra culpam efficitur restitutioni obnoxius damni subsecuti,vt habetur ex *D Anton. par.3.tit.9.cap.15 §.3.Couar.lib.1.var.resolut. cap.1.num.7. vers. Tertium, Petr.de Arag 22. q.67. ar.2. Petr. Nauar. lib.2. de restit.cap.3.p. 2.dub.5. num.180. & Sayr lib.12. Clauis Reg. cap.8.num.21.*Dixi:*iudices inferiores*:quoniam Magistratus, seu iudices supremi possunt in iudicio iuris ordinem prætermittere, cùm eius sit leges soluere,cuius est condere. Ita Doctores supra citati. Ex hoc infertur peccare iudices procedentes in criminalibus contra aliquem, non præuia denunciatione iudiciali, vel Canonica: aut non præuia inquisitione,vel accusatione, iuxta *tex.in cap.qualiter,& quando,il 2. de accus.* Idem dicendum est si procedant per inquisitionem; non tamen legitimis præcedentibus indicijs: vel saltem diffamatione, vt latè habetur ex *Panor.*& alijs *in d.cap.qualiter,& quando,de accusat.* & rectè quoque declarat *Clar. Foller.* & alij Criminalistæ in eorum *prax. crimin. & Sayr.lib.12.Clau.Reg.cap.10.per totum*, & fusiùs *cap.11.*vbi *num.5.& 6.* contra communem docet,ad inquisitionem formandam omninò debere præcedere infamiam, seu clamosam insinuationem; nec satis esse indicia: ad quod allegat *tex.in cap.inquisitionibus, §.Tertiæ dubitationis,de accusat.*vbi Innoc.III expressè statuit, non posse iudicem inquirere contra aliquem nõ diffamatum; etiam si duo, vel tres testes iurati omni exceptione maiores asserant, se vidisse hominem hoc,vel illud crimen patrasse. Hanc ipsã

ſententiam docet *Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. coroll. 48. num. 580. & in Man. cap. 18. num. 38. & Cord. in ſum q. 64. pun. 1.*

49 Sed re vera licet ſententia eiuſmodi ſit iuri conformis; nihilominus aliter vidi ſeruari in praxi, ita vt iudices ad inquiſitionem proceſſerint, etiam non præuia diffamatione; dummodò adſint ſufficientia indicia: quam ſententiam docet *D. Th.* & in eum *Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 2. Sot. lib. 5 de iuſt. & iur. q. 6. ar. 2 cõcl. 5. & in relect. de tegen. ſecr. memb. 2. q. 6. poſt concl. 1. dub. 1. ante finem, verſ. Quãdo verò proceditur, & dub. 3. in fine, ac dub. 4 Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 4. par. 2. dub. 4. num. 168. Anton. de Butr.* & alij in *cap. cùm oporteat, de accuſat.* dum volunt quòd indicia, propter quæ populus vehementer ſuſpicatur, aliquem deliquiſſe, ſatis ſunt ad ſpecialiter inquirendum contra ipſum. Nec per ſuſpicionem intelligi poteſt clamoroſa inſinuatio, vt *Sayr.* putat; quia ſuſpicio vehemens eſt idem quod indicium. Hanc eandem opinionem tenet *Foller. in ſua praxi crim. par. 3. in rubr. Et ſi cõfitebuntur, num. 9* & latius *par. 2 in rubr. Capiat informationem, num. 55.* vbi etiam ait, id maximè verum eſſe, quando proceditur ex officio iudicis, & non ad petitionem, & querelam alterius. Adde hic etiam *Iul. Clar. in ſua praxi,* & alios. Vndè hodiè ſaltem per communem conſuetudinem, & ſtylum Curiarum videtur derogatum *d. cap. inquiſitionibus, §. Tertiæ dubitationis, de accuſat.* Cui Canoni potuit derogari per conſuetudinem, cum non fundetur in iure naturali, aut Diuino: quoniam non eſt de iure Diuino, vel naturali, vt inquiſitionem præcedat diffamatio; ſed tantùm de iure poſitiuo, vt habetur ex ipſo *Sayro* poſt alios *d. cap. 11. nu. 8.* vbi etiam *num. 9. cum plur. ſeq.* refert nonnullos caſus, in quibus procedi poteſt, etiam ſine ſpeciali inquiſitione.

50 Trigeſimononò peccant Magiſtratus, & iudices interrogantes Reum per ſolam famam; eidemque iuramentum deferentes de veritate dicenda: ſiquidem fama etiam ſi legitimè probata fuerit, ſatis eſt ad inquirendum dumtaxat: & propterea ſi inquirendo nullum aliud probetur indicium, vel adminiculum conformiter ad famam ipſa ſola numquam ſufficiet: nam deficientibus indicijs, talis fama diceretur mera infamia nullo veritatis fundamento innixa, vt contra *Salzed.* & alios docet *Spat. de modo corrig. Regular. tr. 9. cap. 5. num. 4.* Eodem modo peccant Magiſtratus, & iudices ſi Reum interrogent dubitantes, an iuſtè ad inquiſitionem procedant: quod quomodo procedat, benè declarat *Sayr. lib. 12. Clau. Reg cap. 16 num. 10. cum plur. ſeq.* Idem dicendum eſt, ſi Magiſtratus, aut iudices interrogent Reum de vno crimine conuictum: & deindè de alijs criminibus occultis, à ſe commiſſis, de quibus nulla indicia, aut probationes extent: ſiquidem conuictus de vno crimine regulariter interrogari non poteſt de alijs occultis: nec interrogatus obligatur ea propalare, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 69. ar. 2.* vbi etiam *Caiet. in princ. Salon. controu. 8. Bann. dub. 1. concluſ. 3. & Petr. de Arag.* vbi id ampliat, etiam quoad Prælatos Religioſorum, & quoad teſtes: nam ſicut Reus quamuis Religioſus non poteſt interrogari de alio crimine, de quo non eſt infamatus; ita etiam teſtis de alijs criminibus, de quibus Reus non eſt diffamatus. Hoc idem probat *Spat. de modo corrigendi Regulares, tr. 9. de Reis, cap. 5. num. 10.* quibus adde *Sot. lib. 5 de iuſtit. & iur. q. 6. dub. 5. Nauar. in c inter verba, 11 q. 3. concl. 6. coroll. 51. nu. 588. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 5. par. 2. dub. 5. nu. 170. Tolet. lib. 5. ſua ſumm. cap. 58. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg cap. 16. num. 1. 2. & 3.* vbi ſoluit cõtraria, & limitat dupliciter, primò, quando crimen, de quo eſt iuſtè diffamatus, ita moraliter eſt cum alio coniunctum, vt ſit ſufficiens indicium alterius: ſecundò, quando vnum crimen cognoſci perfectè nequit ſine cognitione alterius; ita vt ſit quaſi alterius circumſtantia, vt in exemplis ab eo allatis.

51 Quadrageſimò peccant Magiſtratus, ac iudices interrogantes Reum confeſſum, vel conuictum de ſocijs occultis, contra quos non adſint indicia. Etenim fas non eſt procedere, ſeu inquirere contra aliquem in particulari, non præuia diffamatione, indicijs, vel accuſatione: ergò non poſſunt iudices Reum conuictum, vel confeſſũ interrogare de ſocijs occultis: quia id eſſet inquirere, aut procedere contra eos, non præcedente infamia, & ſine accuſatore. Ita *Caiet. tom. 1. opuſc. tr. 31. in reſp. 5. dub. & 2. & 2. 2 q 69 art. 2.* vbi etiam *Salon. cõtr. 8. dub. 2. Petr de Arag. dub. 3. & Bann. dub. 1. concl 2. Sot. lib. 5 de iuſt. & iur. q. 6. ar. 2. cõcl. 5. & in relect. de tegen ſecr. membr. 2. q. 6. con. 1. dub. vlt. & concl. 4. Nauarr. in Man. cap. 18. num. 58. & 59. & in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. coroll. 49. num. 584. & coroll. 51. num. 589. Petr. Nauar lib 2. de reſtit. cap. 4. par. 2. dub. 5. num. 173. & 174. Tolet. lib. 5. ſua ſum. cap. 58. Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 17. ſub num. 5.* & alij. Quod quidem verum eſt, non ſolùm de iure Canonico, vt in *cap. veniens il 1. de teſtib. & in cap. cum Monaſterium, de confeſſ.* ſed etiam de iure ciuili, vt in *leg. 1. §. Diuus Antoninus, & l. repetita. ff. de quæſtion. l. fin. C. de accuſat.* Verum tamen eſt, quòd id limitatur primò in crimine læſæ Maieſtatis, vt in *d. cap cùm Monaſterium, de confeſſ. cap. nemini, 15. q. 3. & l quiſquis, C. ad leg. Iul. Maieſt* quo caſu licitum eſt de ſocijs interrogare, etiam ſi nulla adſint indicia contra ſocios. Secundò limitatur in crimine hæreſis, & in proditione, ac coniuratione in Patriam, cùm ſimiliter eadem ratio, vt per *Gloſ. in d. l. fin. C. de accuſat. & Sot. loco citato.* Tertiò in crimine falſæ monetæ, *l. 1. C. de falſa mon.* Quartò in crimine latrocinij publici, *l. Prouinciarum, C. de fer. l. Diuus Adrianus. ff. de cuſtod reor. l. quarta, §. mandatis, ff. ad leg. Iul. pecul.* Quibus caſibus; ſicut Iudex poteſt interrogare Reum, & teſtes de ſocijs; ita etiam Reus, & teſtes tenentur non ſolùm ad interrogationem, ſed etiam ſpontè reuelare: nam bono communi conſulendum eſt, non obſtantibus quibuſcunque priuatis commodis. Quintò limitatur in crimine, quod eſt contra iuſtitiam, & innocentiam tertij, vt ſi tractetur de conſpiratione multorum contra tertium, & vnus ex eis capiatur: is enim interrogari poteſt de ſocijs. Quæ quidem omninò intelligenda ſunt, quando delictum pendet in futurum; ſecus ſi præteritum eſſet, & complices fuerint emendati: quoniam tunc Reus, & teſtes non debent eos reuelare;

lare; etiam à iudice interrogati. Sextò limitatur in criminibus priuatis,quæ publica sint,& ex vi sui natura complicem requirunt;secus si fuerint occulta,vt rectè declarat *Sayr. loco citato,nu 7. cum plur.seq.*& alij Doctores supra relati.

52 Quadragesimoprimò peccant Magistratus,& iudices deferentes iuramentum Reo, vel eum torquentes, legitimis non præcedentibus indicijs.Non enim Reo potest tortura inferri,aut iuramentum deferri, nisi in casibus, in quibus tenetur Reus ipse respondere, & iudex valeat interrogare; at neque iudex potest Reum interrogare,nec Reus tenetur respondere, nisi præuia notorietate facti, aut infamia legitima, vel præcedentibus indicijs illi æquipollentibus, vt infra,Deo duce dicemus de Reo agentes, ergò neque potest Reum torquere, aut ei iuramentum deferre; siquidem iuramentum dicitur animæ tortura, vt per *D Thom.2.2.q.33.ar.7.ad 5. & q.69.* & in eum *Caiet. ar.2. Glosa,& Bart.in l. maritus,ff.de quæstion.Nauar.in cap.inter verba,11.q.3.concl 6.coroll.66.num.746.Clar.in praxi crim.q.45.& Sayr.*post alios *lib.12.Clauis Reg.cap.12.sub num.1.* & latè *cap.16. nu.9. 23. cum plur.seq.* vbi etiam tractat de indicijs, quę sufficientia sint ad torturam: & insuper *nu.26.* probat, quòd quando iudex per iniustam torturam illatam,grauem metum,aut vim extorquet à Reo confessionem delicti proprij, complicis, vel alterius, non potest ex tali confessione, & dicto Rei extorta procedere ad condemnationem Rei,vel complicis,aut alterius, qui occultus est, & non diffamatus, si non sequatur scandalum ex eo, quòd non punitur, vt habetur ex *Soto in relect.de tegen.secreto, memb. 3. q.1. concl.5.Salon.22.q.69.ar.2. contr.9. conclus.2. Bart in l.pen.ff.de quæstion.*

53 Quadragesimosecundò peccant Magistratus, & iudices Reum decipientes aliquod ei promittendo pro extorquenda veritate delicti: & promissiones adhibitas tenentur adimplere, cum etiam hosti sit adimplenda fides, *cap. nolo existimare,29.q.1.*vbi *Glosa.* Vel si de facto fidem frangat, nunquam potest Reum ordinaria pœna damnare,sed alia minori,vt habetur ex *Dec.in l.ea est natura cauillationis,ff.de regul.iur. Alciatus in l. natura cauillationis, ff. de verb.significat.Couar lib.1.var resol.cap 2.* Est tamen verum, quòd licitum est iudici vti simulatione bona ad delicti veritatem inuestigandam, vt in *cap.vtilem,22. q.2. & cap afferte, de præsumpt.* Imò quidam volunt posse iudicem Reum fictè condemnare ad mortem, quando contra illum est semiplena probatio,vel indicia manifesta,vel maxima infamia: siquidem eiusmodi fictio est quoddam torturę genus,vt habetur ex *Sayr loc. cit.sub nu.28.* cuius sententia nobis non probatur vbi delictum constet, nisi per solam famam, & non adsint alia saltem adminicula, per ea, quæ habentur ex *Spat. de modo corrig. Regul.tr.9.c. 5 num.3.& 4.*

54 Quadragesimotertiò peccant Magistratus, & iudices relaxantes pœnas Reis, etiam remittente parte, si sint inferiores; secus autem si sint supremi,& legitima remittendi adesset causa: quoniã tunc etiam renuente parte, possent pœnam remittere; aliàs secus, & Reus non esset in conscientia tutus. Quod quidem declara, amplia,& limita, vt per *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap.12. num.2.cum plur.seq.*

Quadragesimoquartò peccant Magistratus, & iudices ementes aliquid negotiationis causa. Etenim eis tantum permittitur emere pro victu, ac vestitu pro se, & sua familia; non autem negotiationis causa, vt habetur ex *Scacc.de commerc.§.1 q.1.sub num.557.& q.7.par.3.lim.17. sub num.16. & Molfes. par.2 sua sum. tr.12.c. 5.sub num.121.in fin.*

55 Quadragesimoquintò peccant Magistratus, seu iudices,qui in mortali peccato permanentes sentẽtiam ferant,licèt iustam, iuxta illud *Apost. ad Rom.cap. 2. Inexcusabilis es, qui iudicas alium:in quo enim alterum iudicas,te ipsum cõdemnas;id enim facis quod iudicas.*Et Christus Dominus *Ioan.cap.8.*in causa adulteræ,ait: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidẽ mittat,*facit etiam *tex.in cap. vlt. de tempor.ordinat.*Et hanc sententiam,tàm de Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, docet *Alex.de Ales par.3. sum q.40.* Et specialiter de Ecclesiasticis iudicibus, *D.Thom.in 4 d.19 q.2.ar.2.quæstiunc. Palud.ibid.q.3.ar.3. Syl.vers.Correctio, q.16.* Est tamen verum, quòd dicta sententia non est simpliciter,& indistinctè vera: nam ita demum iudex in peccato permanens, peccat mortaliter, etiam si iustam ferat sententiam, quando permanet in peccato publico, ac scandaloso: & id non quia peccatum mortale ex se contrariatur rectitudini requisitæ ad iudicium, nempè lumini rationis, aut inclinationi ad ius suum alteri tribuendum,aut auctoritati iurisdictionis; quoniam hæc omnia benè reperiri possunt, cum lethali culpa; aliàs sequeretur, Gentiles omnes cũ iudicarunt, & iudicant, semper peccauisse, ac peccare, tanquam in peccato mortali permanẽtes:sed ideò peccant mortaliter, quia ex peccato publico,& scandaloso iudicis,oritur scandalum aliorum,& iustitia vilipenditur: & eo maximè si iudex alios punit,in quo ipse deliquit,vt rectè docet *D Thom. 2. 2.q.60. ar.2.vbi in resp. ad 3.*exponendo illud *Ioann cap.8.*ait,ibi: Dominum per illa verba voluisse solùm confundere Iudęos, & ostendere, quod eos deceat, & vt eorum crimen agnoscant; non autem quòd peccatum aduersetur rectitudini requisitæ ad iudicium.

56 Vndè secundum communem, & magis receptam opinionem, iudices in mortali peccato permanentes,si iudicent,non peccare mortaliter, si eorum peccata sint occulta,& non publica,seu scandalosa,siue iudices Ecclesiastici sint,siue sęculares,vt habetur ex *D.Thom loco citato,* & in eum *Caiet Salon Petr.de Arag.& Bann.& q. 33 ar. 5. Sot. lib.5.de iust. & iur q.4.ar.2. Gregor.de Valent.tom 3 disp.6.q.4.par.2.Petr.Nauar.lib.2.de restit cap.4.par.4.dub.4.num.455. & Sayr.lib.12.Clauis Reg.cap.13. num.4.& 5.* vbi etiam ait, quòd iudex existens in peccato mortali,quamuis non publico,& scandaloso,iudicando peccat saltem venialiter;quia licèt non vtatur officio suo indignè contrariè, cùm directè non agat aliquid iusto iudicio contrarium; tamen indignè vtitur officio suo priuatiuè, cùm priuatus existat conditione, quam natus est habere,vt condignè omninò officium iudicis exerceat,& actum iustitiæ ex affectu,& inclinatione iusti-

occulta sint, & non publica, seu scandalosa. Et quibus alijs modis peccent Magistratus, & Iudices remissiue.

1 PEccant in primis Magistratus, & Iudices, qui cùm se idoneos non cognoscant officia ipsa acceptant; & multò magis si affectent: & insuper ad restitutionem omnium damnorum, Populis, ac Reipub. obuentorum occasione eorum insufficientiæ, ac ignorantiæ. Etenim lex, tàm naturalis, quàm humana prohibent, ne quis artem, quam ignorat, exerceat, vt in *cap. non est sine culpa, de regul. iur. in 6.* Imò estò, quòd Magistratus, & Iudices, qui non idonei, nec sufficientes sunt, nullum damnum adhuc intulerint; nihilominus non sunt absoluendi, nisi actu renuncient, vel proponant quæsita officia, quam primùm renunciare: siquidem dum permanent in eorum exercitio sunt in proxima occasione quamplurima damna populis inferendi, quibus præsunt, vt habetur ex *Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 18.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clauis Regia, cap. 13. sub num. 1.* Quod maximè verum est in Iudice ordinario, qui debet ita esse peritus, vt quærere nō debeat ab alijs quicquid eum loqui oporteat, *cap. ex litteris, de consang. & affin. & in auth. de iudic. in princ. col. 6. & Syl. in sum. vers. Iudex, 1. q. 4.* Secus autem in Iudice delegato, qui ab obedientiæ necessitate compulsus iudicat, & bona fide, ac de consilio peritorum: nam licèt iniustè iudicet, non peccat, nec ad restitutionem tenetur; sed tota culpa, & obligatio restituendi transfertur in eius Assessorem, *l. 2. ff. quod quisq; iur.* Dummodò eum Assessorem elegerit, qui habeatur doctus, & bonæ opinionis: aliàs non excusaretur, vt habetur ex *Tab. in sum. vers. iudex q. 20. num. 21. & Syl. loco citato;* vbi etiam ait, quòd Iudex si sit illitteratus, & habeat consuetudinem, & peritiam iudicandi, potest ei causa committi, *l. certi iuris, C. de iurisd. omn. iud.* Iudex autem Ecclesiasticus esse nemo potest, nisi sit peritus saltem mediocriter in iuris scientia, vt in *cap. 1. 20. d. & c. cùm nobis olim, de elect. Glosa in cap. sciscitatus, de rescr.* Vndè *Panor.* ibi infert, quòd contra Iudicem delegatum imperitum potest excipi, quòd Iudex esse nequeat; nisi peritiam iudicandi haberet ex consuetudine, vt supra. Nec oportet Iudicem esse peritissimum, cùm ex defectu scientiæ possit illi concedi Assessor sumptibus partium, *cap. statutum, §. Assessor, de rescrip. in 6.* Imò Assessor quoque excusatur à culpa si in iudicando errauerit ob ignorantiam iuris obscuri; quoniam ignorantia iuris obscuri excusat à peccato, vt latè probat *Ioann. Andr.* communiter receptus in *cap. 1. de postul. Prælat. in sexto, & Nauar. lib. 5. suorum consf. consf. 20. seu 4. sub tit. de vsur.*

2 Secundò peccant Magistratus, & Iudices in exercendis eorum officijs, & ad restitutionem tenentur pro damnis illatis, non solùm ex capite ignorantiæ, sed etiam ex capite negligentiæ, vt per *Glos. in cap. quoniam contra, vers. Negligentia, de probat.* Debent enim Magistratus, & Iudices eam diligentiam saltem adhibere in caussis expediendis, quæ in iudicio prudentum, & peritorum in sua arte censebitur sufficiens pro ratione, & qualitate causæ: siquidem omnibus exercitium aliquod exercentibus hæc communis obligatio inest, vt illud cum debita cautela, & diligentia exerceant, vt per *Abb. in ad aures, num. 3. 4. & 6. de ætate, & qualit. Salon. 22. q. 7. ar. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap 22 sub num. 11.* Est tamen verum, quòd si Magistratus, & Iudices eiusmodi munera non affectauerint, nec se obtulerint ad ea exercenda, non tenentur saltem in foro cōscientiæ de negligentia, seu culpa leui, sed tantùm de dolo, & lata culpa, vt per *Tab. in summ. vers. iudex, q. 10 num. 20. & vers. Aduocatus, §. 14. num. 16. & in vers. Arbitror, §. 10 nu. 14.* ad quod allegat *Panor. in d. cap. quoniam contra, de probat. & in cap. quia plerique, de immunit. Eccles.* ac *Innoc in cap sicut dignum, de homicidio,* dum volunt, quod in foro animæ non tenetur quis ad emendam damni, nisi fuerit in dolo, vel lata culpa. Secus autem puto dicendum, si Magistratus, & Iudices eiusmodi in tales promoueri, & creari procurauerint; quoniam tunc probabiliter arbitror eos teneri, etiam de leui culpa; sicut de arbitro tenet idem *Tab. vers. Arbitrer, §. 10. num. 14* nisi velimus illum intelligi, quoad forum externum. Cogita tamen, quia vera nobis videtur hæc sententia, etiam quoad forum internum, si Iudex maximè, & Magistratus stipendium consequantur pro eorum munere exercendo: sicut dicimus de depositario, qui pro deposito mercedem accepit, quo casu tenentur, etiam de leui, vt in *cap. bona fides, de depos. & Tab. in sum. vers. Depositum, sub num. 22.*

3 Vndè Magistratus, & Iudices puto non excusari à peccato, ac restitutione damnorum, quę per eorum negligentiam alijs intulerunt, si per negligentiam horis consuetis audientiam non præstarent litigantibus, causas celeriter non expedirent, aut in rebus dubijs magis peritos consulere neglexerint, aut per negligentiam nō studendi iniustam sententiam protulerint. Et multò magis obnoxij censentur, si dolosè, & minus fideliter eorum munera exercentes, hæc, aut similia patrauerint, vt habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13 nu. 17. & Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 1. cap. 29.* atque ideò tenentur ad refectionem omnium damnorum, expensarum, & interesse, non solùm si positiuè ad eorum illationem concurrant, efficiendo, scilicet, pręcipiēdo, mandando, exequendo, consulendo, consentiendo, &c. sed etiam si negatiuè, nempè tacendo, non puniendo delicta, non obstando, & non manifestando, cùm possint, & ex officio debeāt; atque ideò, cùm ex officio teneantur Prouinciā purgare malis hominibus, vt in *l. 3. & l. congruit ff. de offic. Præsid.* obligantur inquirere delicta: & si id negligant, peccant mortaliter, & tenentur in sindicatu ad omnia damna, &c. vt habetur ex *Syl.* post alios, *vers. Iudex, 1. q 7. vers. Sextū.*

4 Tertiò peccant Magistratus, & Iudices multò magis, si pecuniam accipientes iustitiam violēt: & insuper puniuntur, vt scienter malè iudicantes: & pecuniam acceptam pro iustitia violanda tenentur restituere, non ei qui dedit, cùm turpiter dederit; sed ei, in cuius iniuriam pecuniam ipsam recepit, vt in *cap. iubemus, 1. q. 1. cap. si quis in atrio, 17. qu. 1.* Quod verum esse, ait *Syl. in summ. vers. Iudex, 1. q. 12. & Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num. 5.* in foro causarum; non

autem

autem in foro conscientiæ: Siquidem in foro cõscientiæ obligantur ad interesse tantùm parti læsæ reficiendum; nisi possint inducere illum, pro quo iustitiam violarunt, ad integram satisfactionem, vt in *l. fin. C. de pœn. qui malè iudic. & in cap. quatuor*, 11. q. 3. & eis pœnitentia est imponenda, tanquam pro grauissimo crimine, *c. quicunque, ead. causa, & q.* vbi etiam ait, quòd hoc crimen est grauius rapina; quia abutendo auctoritate Diuina dicuntur iniuriam inferre Deo, & si Iudex, qui pro pecunia iustitiam violauit, suspensus efficitur per annum ab executione officij, & parti venit condemnandus ad æstimationem litis, *cap. cũ æterni, de sent. & re iud. in 6.*

5 Quartò peccant Magistratus, & Iudices, pecuniam accipientes, non solùm, vt iustitiam violent, & malè iudicent, vt supra ostendimus; sed etiam si pecuniam accipiant, vt benè iudicent, ac iustitiam administrent: & pecuniam acceptam tenentur reddere ei, qui eam dedit: siquidem cũ ex vi sui muneris teneatur gratis iudicare, & benè, proculdubio pecuniam eiusmodi turpiter accipit, *cap. non sanè*, 14. q. 5. & *cap qui rectè*, 11. q. 3. cuius formalia verba, hoc loco, referre, operepretium esse duximus. Ait igitur *tex.* ille: *Qui rectè iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat: quia iustitiã gratis impertiri debuit acceptione pecuniæ vendit. Bonis malè vtuntur, qui pro temporali lucro iustè iudicant. Tales quippè ad veritatem non iustitiæ defensio, sed amor præmij prouocat; quibus si spes nummi subtrahitur, confestim à iustitiæ confessione recedunt. Acceptio nummorum præuaricatio veritatis est. Vndè & pro iusto dicitur. Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.*

6 Quintò peccant Magistratus, ac Iudices pecuniam, aut aliam rem accipientes pro iustitia celeriter ministranda, atque ideò pro causa celeriter terminanda. Hi enim non modò peccant mortaliter; sed etiam ad rei perpetuæ restitutionem tenentur: Siquidem, iurgantium lites celeri sententia terminari, æquitati conuenit, atque rigori, ait *tex. in cap. iurgantium, de sent. & re iud.* Eò magis, quoniam donans semper præsumitur dare inuitus, & non gratuitò, vt ex communi *Doctor.* sententia, docet *Sayr. lib. 12. Clau. Regiæ, cap. 13 sub nu. 7.* Est tamen verum, quòd licitum est Iudicibus, tàm Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis emolumentum aliquod percipere à litigantibus pro iustitiæ officio exercendo loco stipendij. Nam licèt opus ministrandi iustitiam sit spirituale, qua ratione simonia quodãmodo committitur aliquid accipiendo pro ea administranda; nihilominus pro obligatione, quam Iudex exhibet pro suo munere exercendo, si aliquid pro eo exercendo exigitur, simoniæ criminis Reus non efficitur, vt habetur ex *Sayro loco citato, num.* 8. dummodò stipendium sit moderatum, & secundum loci consuetudinem, iuxta ea, quæ docet *Syl. in sum. vers. Iudex, 1. q. 10.* Quod quidem locum sibi vendicat quando sufficiens stipendium eis non est assignatum.

7 Etenim possunt hi citra omnem culpam mercedem percipere, vt in *cap. charitatem, 12. q. 1. cap. cùm non ab omni, de vita, & honest. Cler. cap. rescriptum, §. Assessorem, de rescrip. in 6.* Secus autem si stipendium habeant. Vndè Iudex, cui de publico merces exhibetur, omne id, quod vltra stipendium accipit; etiam à spontè dantibus restituere tenetur: certis scilicèt personis, si certò sciantur; & difficilis non sit eis restitutio: aliàs pauperibus erogare obnoxij fiunt. Etenim ideò statuuntur stipendia ex publico, ne priuatæ personæ molestentur, vt habetur per *Bald. in auth. Sed hodie, C. de Episc. & Cler. Couar. in regula peccatum, par. 2. § 3. num. 1. Nauar. in Man. c. 17. num. 35. & Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num. 6. & 7.* vbi post alios inquit, eos non excusari ex capite consuetudinis; quoniam consuetudo non excusat à rapina, & isti verè dicuntur rapinam committere. Idem dicendum est de Iudice Ecclesiastico officium habente beneficium habens annexum; quia debet esse beneficio contentus; etiam si tenue esset, ac insufficiens ad alimenta subministranda.

8 Imò nec munera quidem, ne xenia eiusmodi Iudices percipere possunt, nec sportulas consequi, siue beneficiati Iudices Ecclesiastici sint ordinarij, siue delegati: nam beneficium datur, propter officium loco stipendij: Et propterea sibi imputatur, qui officium acceptat, si beneficiũ non sit ad alendum sufficiens. Et quamuis aliqui id limitent locum non habere, quando mutatæ fuerint rerum conditiones, vt in simili de Medico remunerato, loquitur *Syl. vers. Medicus. q. 6.* nihilominus id non est ita de facili admittendũ, ne detur eis rapiendi aditus sub hoc prætextu, quòd tempore sanctionum, seu pandectarum taxantium stipendium, vel tempore constituti beneficij pro tali officio, res vilius, & non adeò carius, vt hodie vẽdebantur: & non solùm sint aucta pretia rerum, sed etiam labores ob negotiorum multiplicitatem.

9 Est tamen verum, quòd si quis post susceptum officium viderit mutatas rerum conditiones; tunc probabiliter puto, eum posse aliquid aliud accipere vltra taxatum stipendium: Secus autem si eo tempore, quo incipit administrare iam fuerint mutatæ rerum conditiones; quoniam tunc sibi imputatur, qui acceptauit officium, vt habetur per *Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 123. num. 12.* ad quod allegat *tex in cap. 1. de pact.* vbi etiam *num.* 13. inquit, quòd Iudex Sæcularis delegatus Principis, vel ordinarij; & etiam Iudex Ecclesiasticus delegatus à Principe, cùm extra domicilium proficiscuntur, possint a partibus moderatas expensas expetere, æqualiter à partibus exhibendas, quarum instantiam fuerint destinati, arg. *tex. in l. 4. §. si argumento, ff. fin regund. & cap. nonnulli, de rescr.* quo casu possunt expensas percipere, non solùm pro victu; sed etiam pro vecturis equorum, & alijs eiusmodi, vt in *cap. statutum, §. insuper, de rescr. in 6.* Nec tenentur deducere eas, quas domi fecissent, vt hab tur ex *Panor. in cap. cùm ab omni, de vita, & honest. Cler.* Et si hac occasione infirmetur equus, aut à latronibus spolietur familia, aut ipse Iudex infirmetur, ob quas causas, aut earum alteram oporteat eos diutius commorari, possent à partibus expetere omne id, quod in domo sua non expendissent: siquidem nemo cogitur suis stipendijs militare, & munera, non autem sumptus prohibentur, *cap. Iudices, 1. q. 1.*

10 Sic etiam Iudices si post latam sententiam, quæ fecerit transitum in rem iudicatam aliquid vltra

vltra stipendium, seu pandectam acceperint citra omne pactum per modum liberalitatis, dũmodò non receperint pro pretio, neque pro causa principali, non tenentur restituere, vt habetur per eundem *Graff. loco citato, num.* 15. Quibus omnibus adde ea, quæ benè collegit *Sayr.* post alios *lib. 12. Clau. Reg. cap. 13. à num. 8. vsque in finem:* vbi id ampliat in iudicibus Sæcularibus, siue ordinarij sint, siue delegati: quia de iure cõmuni possunt petere sportulas; nisi iure aliquo speciali eis interdicatur: & *num.* 17. & 18. idem probat dicendum de Iudice Ecclesiastico delegato ab alio, quàm à Papa, & delegato quocunq; Sæculari: & *num.* 19. de omnibus iudicibus tàm Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis, vt accipere possint xenia, nempè exculenta, & poculenta; quæ intra paucos dies, nempè duos, vel tres cõsumi solent, vt in *cap. statutum, §. insuper,* & ibi, *Franch. de rescr. in 6. l. solent. ff. de offic. Proconf. Caiet. in summ. vers. Iudicis peccata in fine.* Modò eiusmodi xenia non petantur; sed spontè dentur: quia tunc non præsumuntur dari ad corrumpendum Iudicem; sed ad liberalitatem, vt in *cap. si quæstiones de simon. Graff par. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num.* 11. cum alijs ab eo allegatis.

11 Quoad vero ad Assessorem si ab ordinario Iudice Ecclesiastico fuerit assumptus, ab eo debet de suo proprio stipendio illi tribui: siquidem Iudices ordinarij Ecclesiastici habent redditus sibi assignatos, vndè debent gratis iustitiam administrare, & habere debent peritiam iudicandi, vt in *cap. cognouimus,* 10. q. 3. & *cap. 1. de consang. & affin* & latè *Panor. in cap. cùm ab omni, num.* 14. vbi etiam *Innoc. de vita, & honest. Cler.* Dixi: *Si ab ordinario Iudice Ecclesiastico fuerit assumptus,* quia si ab ordinario Iudice Sæculari assumatur, potest ipse Iudex salarium petere pro Assessore, cùm Iudex Sæcularis leges scire non teneatur; sed satis sit habere experientiam de causis, *l. certi, C. de iudic. Syl.* cum alijs ab eo allegatis, *in sum. vers. Iudex, 1. q.* 10. Quòd si Iudex sit delegatus, tunc Assessor salarium potest accipere à partibus, vt in *cap. non licet,* 11. q. 3. & illud habebit, quamuis delegatus moriatur ante causam terminatam, aut si post conclusionem partes ante sententiam se componant, vt rectè declarat *Syl. loco citato.* vbi id limitat, nisi Assessor fuerit assumptus in fraudem.

12 Sextò peccant Magistratus, & Iudices eorum potestatem extendentes in ijs, super quibus potestatem non habent: quia Iudex, vt rectum iudicium ferat, debet habere potestatem in iudicando; aliàs iudicium elusorium redditur, & sententia ab eis lata inualida est, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 60 ar. 2. & 6. Sot. lib. 3. de iust. & iur. q. 4. ar. 2. & 6.* & latè *Sayr. lib. 12. Clauis Reg cap. 7. num.* 2. Imò multoties ex defectu potestatis in nonnullas incidunt censuras: nam qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam à S.P. vel à suis iudicibus non habentes illam sibi temerè vendicantes capiunt, & detinent, &c. in Romana Curia commorantes, peccant mortaliter, & insuper incidunt in excommunicationem Bullæ Cœnæ contentam in *cap. 9. eiusdem,* vt latè hanc rem explicauimus in nostris *Comment. in ipsam Bull. eod. cap q. 26. 34. 35. & 36. lib. 2.* Eandem excommunicationem contrahunt Iudices, Magistratus, & quilibet alius, detinentes, capientes, &c. ad S. Apostol. venientes, & ab ea recedentes: quod quomodo procedat, ibidem per quamplurimas quæstiones explicauimus.

13 Septimò peccant Magistratus, & Iudices, & insuper in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt, carcerantes, detinentes, &c. aut ab eorum Diœcesibus, & terris eijcientes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Episcopos, &c. Nec non mandantes, auxilium, & consilium præstantes, vt latè declarauimus in d. nostris *Commentar. lib. 2. can.* 11.

14 Octauò peccant Magistratus, & Iudices, & omnes alij, & in excommunicationem incurrũt *cap. 12. Bullæ Cœnæ,* qui per se, vel per alios personas Ecclesiasticas quascunque, vel Sæculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotijs recurrentes, ac in eadem Curia prosequentes, procurantes, negotiorum gestores, Aduocatos, Procuratores, Auditores, Iudices, &c. quæ omnia amplia, & limita, iuxta ea, quæ ibi adnotauimus in nostris *Commentar. lib. 2. q. vlt.*

15 Nonò peccant, & in *can. 13. Bullæ Cœnæ* incidunt Magistratus, & Iudices impedientes executionem litterarum Apostolicarum, aut ne Notarij super huiusmodi litterarum, & processuum executione instrumẽta, vel acta conficere aut cõfecta parti, cuius interest tradere debeant, impediunt, &c. vt rem hanc multipliciter ampliauimus, & limit. in explic. *d. can. q. vlt.*

16 Decimò peccãt Magistratus, & Iudices, auocantes causas beneficiales, decimales, & quascũque alias spirituales, & spiritualibus annexas à Iudicibus Ecclesiasticis, & illarum cursum prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam, Iudices interponunt: & insuper contrahunt excommunicationem contentã in *cap. 14. Bullæ Cœnæ:* & eandem excommunicationem incurrunt, qui partes, quę illas fecerũt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendũ citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas: & ad faciendum, vel consentiẽdum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt à censuris, & pœnis in illis contentis absolui per statutum, vel alias compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, etiam quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem, cõsilium, aut assensum pręstant; etiam prętextu violentiæ prohibendæ, vel aliarũ prætensionum: seu etiam donec ipsi ad S.A. informandam supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationem huiusmodi coram S.P. & S. Apostol. legitimè prosequantur; eo quòd in ijs, & in alijs supradictis omnibus carent legitima potestate, vt in d. nostris *Comment.* latè nos declarauimus *lib. 2. d. cap.* 14.

17 Vndecimò peccant Magistratus, & Iudices Sæculares trahentes ad eorum tribunalia directè, vel indirectè personas Ecclesiasticas, & excommunicationem contrahunt *cap. 15. Bullæ Cœnæ:* & eadem censura alligantur statuentes contra libertatem Ecclesiasticam, & eisdem statutis vtentes, publicantes, &c. vt nos latè rem hãc declarauimus, & multis modis ampliauimus, & limitauimus in d. nostris *Comment. d. c. 15. q. vlt. lib. 2.*

18 Duodecimò peccant Magistratus, & Iudices, & alij quicunque impedientes Episcopos, Archie-

chiepiscopos, & omnes Iudices Ecclesiasticos ordinarios, ne ordinaria eorum iurisdictione vtantur: & insuper in excommunicationem incidunt contentam in *cap. 16. Bullæ Cœnæ*, vbi rē ipsam sufficienter declarauimus in nostris *Cōmentar. lib. 2. d. cap. 16. q. vlt.*

19 Tertiodecimò peccant Magistratus, & Iudices, & excommunicatione Bullæ Cœnę alligantur, vsurpantes iurisdictiones, fructus, redditus, prouentus ad S. P. & S. A. & ad quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes: aut etiam quauis occasione, vel causa, sine Rom. Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant, vt diximus in nostris *Commentar. in ipsam Bullam, lib. 2. cap. 17. per totū*, & plenè explicauimus.

20 Quattodecimò peccant Magistratus, & Iudices, & excommunicationem *cap. 18. Bullæ Cœnæ* incurrunt, taleas, & collectas imponentes personis Ecclesiasticis, aut impositas, vt soluant decernentes, compellentes, auxilium, consilium, aut fauorem præstantes; quod quidem multipliciter ampliatur, ac limitatur, vt adnotauimus in *d. cap. 18. q. vlt. lib. 2.*

21 Quintodecimò peccant Magistratus, & Iudices Sæculares quicunque Notarij, & Scribæ, executores, & subsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententiam contra illos proferendo, & exequendo, sine speciali, specifica, & expressa S. A. licentia: & insuper in excommunicationem Bullę Cœnæ incidunt cōtentam in *cap. 19.* vbi diffusè de hac re egimus in nostris *Commentar.* Adde, quòd Iudices etiā Ecclesiastici legitimam potestatem habentes, peccant, & in *cap. si quis suadente Diabolo, 17. q. 4.* incidunt, iniustè torquentes, carcerantes, aut detinentes personas Ecclesiasticas, vel ponentes custodiam, vt capiant eas si de domo exeant; etiā si manus in eas non iniiciant, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 27. num. 177. vers. Quinta*, vbi hoc ipsum ampliat si ad frenū equi alicuius Ecclesiastici manus admoueat, aut eum adeò furiosè persequantur, vt cogant se dare præcipitē, vel aliud discrimen subire ad se liberandum: & *num. 78.* ampliat etiam excommunicationem ipsam in mandantes. Et quamuis Ioseph Angles, censura illa Iudices tantùm Sæculares velit alligare, & non Ecclesiasticos, vt refert *Sayr. lib. 3. de censur. cap. 22 nu. 13* nihilominus nos putamus comprehendere, tàm Sæculares, quàm Ecclesiasticos Iudices iniustè supradicta committentes in personas Ecclesiasticas: quoniam in *d. cap. si quis suadente*, iniuria violenta pensatur, non autem persona iniuriam inferens: & propterea non modo Laici; sed etiam Clerici percutientes Clericos excommunicationem d. Canonis contrahunt. Vndè meritò *Nauar.* & alij relati à *Sayro* ibi indistinctè loquuntur de iniuria afficientibus personas Ecclesiasticas, vt sup. Idem dicendum est si Magistratus, & Iudices obuiare possent, ne personæ Ecclesiasticæ huiusmodi, & similes violentias patiantur, & non obuiant; nam præter lethalem culpam in *d. cap.* quoque censuram incidunt; vt in *cap. quanta, de sent. excom.* quod declara, iuxta ea, quę habentur ex *Sayr. loc. cit. num. 24.*

22 Sextodecimò peccat Magistratus minores; nempè Balliui, & pœna confiscationis bonorum plectuntur, si negligentes sint in hæreticis insequendis, vt habetur ex *Concil. Tolos. cap. 6.*

23 Decimoseptimò peccant Magistratus, & Iudices, prohibentes Episcopos, & Inquisitores, ne familiam armatam habeant: aut statuentes quod nullus arma deferat, nisi sit de familia Domini temporalis: nam consequenter, qui sunt de familia Episcopi, aut Inquisitoris non possent arma deferre; atque ideò impediretur officium inquisitionis directè, vel indirectè. Etenim tàm Inquisitores, quàm Episcopi habere possunt familiam armatam: & propterea impedientes eam, & statuentes, vt supra, de facili possunt incidere in excommunicationem *cap. 15. Bullæ Cœnæ:* vt ibi de hac re latè egimus, *q. 33. concl. 2. num. 20. cum plur. seq.*

24 Decimoctauò peccant Magistratus, & Iudices, & quicunque alij officiales, condentes, scribentes, & dictantes statuta, quibus vsuræ permittantur, aut solui compellantur, vel repeti prohibeantur postquam fuerint solutæ, & sunt ipso facto excommunicati, vt in *Clem. 1. de vsur.* vbi simili pœna plectuntur Iudices, qui scienter iudicare præsumpserint, vt vsuræ soluantur, aut solutæ non restituantur: & supradicta statuta infra tres menses non cancellantes. Et quamuis supradicta *Clem.* in nonnullis Prouincijs non seruetur; nam in illis vsuræ ab infidelibus exerceri permittuntur, & promittentes eas à Magistratibus soluere compelluntur; nihilominus contrauenientes à culpa, & à restitutione non sunt immunes; estò, quòd excusentur à pœna: quoniam sicut fœnerari est contra ius naturale; ita etiam cooperari ad fœnerandum, iuxta ea, quæ habentur ex *Salon. 22. q. 78. ar. contr. 9. num. 7. in fin.*

25 Decimononò peccant Magistratus, & Iudices Ecclesiastici oretenus censuras ferentes, aut non trina monitione pręcedente, & per mensem ab ingressu Ecclesiæ suspenduntur, & si interim celebrent, efficiuntur irregulares, cum quibus solus Papa dispensare potest, vt in *cap. 1. de sent. excom. in 6.* iuncto *cap. sacro, eod. tit.* & habetur ex *Panor. in cap. sicut, de sent. & re iud. & Suar. de censur. disp. 3 sec. 13.* Verum tamen est, quòd non ob id censura irrita censetur: sed ita demum si nulla præcesserit monitio; quoniam Romanus Pontifex noluit illam formam, vt essentialem præscribere; sed solùm vt necessariam ex præcepto ipsi iudici facto, vt habetur ex *Sayro*, cum alijs, quos allegat *lib. 1. Thes. tom. 1. cap. 13. nu. 2.* Imò si hæc forma non seruetur à Prælatis Regularibus in ferendis censuris Ecclesiasticis, à supradicta pœna excusantur: siquidem in huiusmodi Prælatis non seruatur iuris ordo, vt habetur ex *Felino in d. cap. sacro, num. 7. Tol. lib. 1. sua sum. cap. 9.* & nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ. lib. 1. cap. 1. q. 4. num. 8.* vbi id maximè locum habere diximus, quando Prælati vigore statutorum proprij ordinis, vel approbatę consuetudinis, aut vbi periculum est in mora censuras pronunciāt. Quod etiam militat in omnibus, qui sub prædicta forma censuras proferunt, vt docet *Syl. in sum. ver. Excommunicatio, 1. num. 14.*

Vigesimò

26 Vigesimò peccant Magistratus, seu Prælati, ac Iudices Ecclesiastici habentes temporalem iurisdictionem si non constituant Iudicem Sæcularem, qui audiat causas sanguinis: quoniam Ecclesiastici se intromittere non possunt; licèt possint mandare, vt fiat iustitia, etiam speciali super homicidio, aut alio maleficio citra irregularitatem, vt in *cap. Episcopus, ne Cler. vel Mon. in 6. Syl.* post alios in *summ. vers. Iudex, 1. q. 6.*

27 Vigesimoprimò peccant Magistratus, & Iudices compellentes partes ad compositionem. Nàm licèt Iudices, tàm Sæculares, quàm Ecclesiastici possint, & debeāt partes ad concordiam, & pacem reducere, & compellere, vt habetur ex *Panor. in rubr. de treg. & pace*, & est *tex. in cap. si quis, cap. contristatus, & cap. placuit, 90. d.* in causa tamen ciuili non possunt ad compositiones eas inducere, etiam si Principes essent ex potestate ordinaria, vt in *l. 1. ff. de noui oper. nunc.* Quod verum est, nisi lis longa sit, & intricata, & iura partium sint obscura, vt rectè inquit *Syl. in summ. vers. Iudex. 1. q. 7.*

28 Vigesimosecundò peccant Magistratus, & Iudices, non compellentes potentiores ad præstandam cautionem de non offendendo, & cōtumelijs non afficiendo viliores, vt in *l. illicitas, §. ne potentiores, ff. de offic. Præsid.* Et idem dicendum est de quolibet aduersario, vt possint, ac debeant eum compellere ad præstandam dictam cautionem de non offendendo actorem, & suos, quando talis verisimiliter timens implorat eius officium, vt in *d. §. ne potentiores*, & ibi, *Bart. l. denunciamus, C. de his, qui ad Eccl. confug.* & alij apud *Syl. loco citato.*

29 Vigesimotertiò peccant Magistratus, & Iudices, non præstantes bracchium Ecclesiastico contra subditum ei resistentem de facto: secus autem si de iure, vt quia appellauit ad Superiores, vt habetur ex *Panor. in cap. 1. de offic. ordin. & Syl. loco citato, vers. Septimum.*

30 Vigesimoquartò peccant Magistratus, seu Iudices, nulla legitima causa subsistente, prætermittentes victum victori in expensis condemnare, cùm id præcipiatur per *tex. in cap. calumniam, de pen. & l. properandum, § sin autem alterutra, Cod. de iudic.* & habetur ex *Nauar. in Man. cap 25. sub num. 15.*

31 Vigesimoquintò peccant Magistratus, seu Iudices non iudicantes secundum allegata, & probata, atque ideò iuxta probationes publicas, etiā contra veritatem sibi priuatim notam, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 67. num. 2.* & in eum *Caiet. & Bann. Salon. Petr. de Arag. ibidem, & Syl. vers. Iudex, 2. q. 5 Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 4. art. 2. Nauar. in Man. cap. 25 num. 9. & 10. & in cap. si quis, de pen. d. 7. num. 129 Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 11. par. 2. Tol. lib. 5 sua sum. cap. 56. Bart. in l. illicitas, § veritas, ff de offic. Præsid. Turrecr. in cap. iudicet, 3. q 7. Couar.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 8 num. 13.* vbi testatur, hanc esse communē opinionem, & in praxi seruandam. Probatur ex *cap. summoperè, 11. q. 3.* vbi inter alia *D. Gregor.* ita inquit: *Secundum quod constitutum est, idest per testes, definitiua proferatur sententia.* Confirmatur ex *tex. in cap. Pastoralis, §. quia vero, de offic. deleg.* vbi Innoc. III. præcipit, vt ordinarius ad mandatum delegati exequatur sententiā, etiam si certò sciat esse iniustam. Idem probatur ex *tex. in d. l. illicitas, §. veritas, ff offic. Præsid.* Sed re vera ad illa, & alia iura, quæ ad id probādum afferuntur, potest responderi, loqui quando ea, quę afferūtur à testibus vera sunt; atque ideò si constaret iudici contrarium, non deberet procedere secundum falsas probationes, & falsa, ac simulata instrumenta.

32 Vndè melius hæc sententia probatur ex eo, quòd Iudex in iudicando fungitur auctoritate publica, non autem priuata, nimirum si eius sententia debet fundari super probationibus publicis, non autem priuatis, & sic iudicare secundum scientiam publicam, non autem priuatam. Confirmatur, quia aliàs quies, & pax Reip. conturbaretur, ob quam iudicia instituta sunt: nam si iudex non teneretur iudicare secundum allegata, & probata; sed secundum scientiam priuatam populus scandalizaretur, & daretur materia iudici iniquo pro libito à veritate in iudicādo declinare. Nec iudex ita iudicando dicitur facere contra conscientiam; sed tantùm contra suam priuatam scientiam. Neque ob id iudex censetur condemnare innocentem: quia innocens licèt talis dicatur, secundum rei veritatem, & priuatam iudicis scientiam; nihilominus est Reus, & nocens secundum scientiam publicam; atque ideò secundum allegata, & probata, secundum quam scientiam iudicandi potestatem accepit à Rege, vel communitate.

33 Ex quo infertur, quòd iudex non potest ferre sententiam, iuxta scripturam priuatam sibi exhibitam; aut coram Notario, & testibus; nisi in iudicio præsentetur, vt ex ea ius actoris, vel rei cognoscere valeat, vt in *cap. cùm dilecti, de fide instr. l. adoptio, ff. de adopt.* Et *Couar. lib. 1. var. resol. cap. 1. num. 5.* Imò satis non est producere instrumentum coram iudice ante litis contestationem ad articulum aliquem incidentem; sed produci oportet tempore, quo causa principalis publicè in iudicio discutitur, vt per *Couar. loco citato, Salon. 22. q. 67. ar. 2. arg. 5.* & alij relati per *Sayr. d. cap. 8. sub nu. 15.* Est tamen verum,

34 quòd hæc omnia intelligenda sunt, ac limitanda primò, vt tunc iudex possit secundum allegata, & probata iudicare contra propriam, & priuatam scientiam; quando id iuri naturali non repugnare existimaret, aut dubitaret; alias citra culpam non posset ferre sententiam; quoniam tunc agens contra huiusmodi iudicium practicum, & conceptum animi sui, contra propriam conscientiam ageret; quæ nihil aliud est, nisi dictamen iudicij practici in ordine ad opus, quo iudicamus actionem aliquam nostram in particulari hic, & nunc licitè fieri: at qui agit contra propriam conscientiam, peccat mortaliter, iuxta illud *Apost. ad Rom. 14. Quod non est ex fide, idest ex conscientia, peccatum est.* Ita *D. Thom.* communiter receptus loco supra citato. Secundò limitantur, vt supradicta vera sint, quando iudex non potest alia via innocentem liberare; quoniam si posset, ad id teneretur, & non posset sententiam ferre secundum allegata, & probata; quia tunc ageret contra charitatem, & contra iustitiam: siquidem iudex ex charitate, ac iustitia obligatur omnes vias quærere, vt innocentem liberet. Tertiò limitantur, vt iudex inferior, qui nulla

nulla alia via commodè potest innocentis vitā saluare, tenetur pro aliquo tempore sententiam differre; non tamen tenetur officium suum deponere, & pro innocente deindè testificari, secundum veriorem sententiam, quam tenet *Caiet. 2.2.q.67.ar.2.* vbi etiam *Salon.* & *Arag. Sot. lib.5.de iust.* & *iur.q.4.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr.lib.12. Clauis Reg cap 8.sub num. 16.* cùm neque ad id teneatur ex iustitia, nam qui suo iure vtitur neminem afficit iniuria: neque ex charitate; nàm licèt teneretur deponere officium suum, quando id commodè facere posset sine aliquo suo magno detrimento in fama, honore, aut in bonis, ad vitam innocentis saluãdam; si tamen citra magnum suum detrimentũ officium suum deponere nequit, ad id à charitate non cogitur: siquidem charitatis leges non obligant aliquem cum tanto sui detrimento innocentem liberare à damno, quòd ipse non intulit; sed testes, quibus Reus conuincitur, iuxta illud *Deut cap. 17. In ore duorum, vel trium testium peribit, qui interficietur, manus testiũ prima interficiet eum.*

35 Idem dicendum est de Ministro, seu executore iustitiæ, qui si sciat condemnatum esse innocentem, & præuideat posse innocentem liberari sine magno suo incommodo, debet ab executione sententiæ se abstinere: & maximè si videant sententiam manifestam iniquitatem continere. At si id non valeret citra suum maximum detrimentum, non tenetur proprium officium renunciare, vt in *cap. Pastoralis. §. quia vero, de offic. deleg Couar.lib.1.var.resol cap.1 num.10. Syl. in summ vers.iudex, 2.q 6.* & alij Doctores supracitati. Benè verum est, quod tàm iudex, quàm executor in omni euentu, quo compelluntur sententiam dicere, vel exequi contra particularem eorum innocentiam; tunc tenentur coram omni populo Rei innocentiam manifestare. Etenim innocens ille, cùm in extrema necessitate reperiatur constitutus ob testium iniquitatem, ex officio, & ex charitate tenentur omnem modum inquirere pro innocentis liberatione. Nec eo casu aliqua iniuria testes dicuntur affici: nam cùm scientes iniquitatem fecerint, sibi imputatur, vt ex communi sententia tenent *Nauar.Sot.* & alij supra relati, & *Sayr.loco citato, sub num.5.* Hæc

36 ipsa limitantur quartò, vbi iudicium delatum fuerit ad Regem, aut alium Supremum Principem: nam tunc posset; imò tenetur Princeps secundum priuatam eius conscientiam contra falsò allegata, & probata innocentem liberare, vt habetur ex *Caiet. 2.2.q.67.ar.2.in fine, Couar. loco citato, num.7. vers. Tertium, Felin. in d.c. Pastoralis § qui verò. Alber in l.illicitas, §.veritas ff de offic. Præsid.* & *Sayr.* cum alijs ab eo allegatis *d cap.8.num.19.* vbi hanc esse rationẽ dicunt; quoniam Princeps habeat potestatem condendi leges, & eisdem conditis derogandi; potest etiam quamcunque pœnam legis in alteram commutare, & iudicare secundum priuatã eius scientiam. Tenetur tamen id populo propalare: parti læsæ, & communi bono satisfacere: siquidẽ sua priuata scientia non potest in alterius

37 præiudicium iudicare, vt habetur ex *Caiet.* ibi, & alijs. Non tamen Supremus Princeps secundum priuatam suam scientiam, & contra allegata, ac probata, vel contra communem populi opinionem posset aliquem condemnare, aut occidere in suis iuribus non auditum; etiamsi certò sciat per scientiam suam priuatam esse criminis læsæ Maiestatis Reum; nisi ad sui defensionem id ageret, vt habetur ex eodem *Sayro, loco citato, num. 21. cum plur. seq.* & supra declarauimus *disp 16.sec.1.vers.Vigesimoquintò peccant.*

37 Vigesimosextò peccant Magistratus, aut iudices prohibentes subditis, ne emant ab Ecclesiasticis, aut eisdem vendant, vt in *cap.eos, de immunit. Eccles.* per quem *tex.* isti tales ipso facto excommunicantur. Et si super hoc statuant, incidunt in excommunicationem 13. Bullæ Cœnæ: quoniam eiusmodi statuta sunt contra libertatẽ Ecclesiasticam, etiam si in Ecclesiam stabilia tantùm alienari prohibeat, vt latè nos declarauimus in nostris *Commentar in d.Bull.lib.2.cap. 15.q.19.num.83.cum plurib.seq.*

38 Vigesimoseptimò peccant Magistratus, & iudices extrahentes ex loco sacro per vim eos qui ad illud confugerunt, vt in *c. si quis contumax,* & *cap. Reum. 17.q. 4.* Etenim confugientes ad Ecclesiam, seu locum sacrum, ab eo extrahi non possunt pro quacunque causa ad eum confugiant, siuè causa ciuilis sit, siuè criminalis: & propterea pro debito confugiens ad Ecclesiam, sicut, & pro crimine, gaudet immunitate, siue debitum publicum sit, siue priuatum: & siue debitor de fuga sit suspectus, siue non, vt habetur ex *Farinac.in sua praxi crimin par.1.q.28.nu. 30.31.* & *32.cum plur. seq.* Imò hoc priuilegio gaudent quicunque sint, qui ad Ecclesiam, seu locum sacrum confugiant: siue liberi sint, siue serui: Fideles, aut infideles secundum quosdam, licet contrarium doceat *Farinac.* cum alijs ab eo allegatis loco citato, & benè, vt latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib.2.cap.15.q.16.sub num.15.cum plur. seq.* & insuper extrahentes, vt supra contrahunt excommunicationem ipso facto, vt patet ex Bulla Gregor. XIV. in fine, edita die 28. Maij 1591. cuius meminit *Steph.Quar.in sum.Bullar.vers.Reuerentia Ecclesiarum* & est vnus ex quinque casibus, quos Sedi Apost. reseruauit Clem. VIII. in sua Bulla relata ab eodem *Steph Quar.ibidem, vers.Casus reseruati* Quæ quidem excommunicatio tunc alligat, quando contrauenicns factũ coniunxerit cum præsumptione, per verba illud, *præsumpserit in d.Bulla contentam.* Quocirca contrauenientes ex ignorantia, etiam crassa, & affectata à censuris prædictis excusantur, per ea quæ diximus in *Commentar. eiusdem Bullæ loco citato, sub num.20.* & *lib.2.cap.1. quæst. 36. 37.* & *38.*

39 Imò cùm de iure huiusmodi contrauenientes non excommunicentur absolutè, sed sub conditione, nisi Ecclesiæ satisfaciant, & Reum restituant, vt habetur ex *Suar. tom 1. de Relig.tr.2. lib.3.cap 13.num.7.circa fin.* Estò, quòd ipso facto vigore supradictæ Bullæ Gregor. XIV. excommunicationem contrahant; probabiliter tamen videtur dicendum ex eodem *Suar.* ibidem, vt excommunicationem ipsam non incurrant eo ipso, quòd confugientes, vt supra ab Ecclesia extrahant; sed ita demum si Ecclesiæ non satisfaciant, & Reum restituant: siquidem pro tali delicto commisso non fertur excommunicatio, nisi quatenus pendet in futurum, seu habet tractũ suc-

successiuum, quoad emendationem, quam sententiam, licèt nos probabilem esse dixerimus in d. nostris *Commentar. lib. 2. cap. 15. q. 16. nu. 21.* nihilominus magis tutam; imò probabiliorem censemus opinionem, quam docet *D. Cæsar meus Germ. in addit. ad d. nostra Commentaria sub d. num. 21 litt. R fol. 581. in secunda edit.* dum probat, quòd quamuis ante dictam Constitutionem de iure delinquentes ipsi non eo ipso incurrant prædictam censuram, hodiè tamen, attenta dispositione d. Bullæ Gregor. XIV. ipso facto eã contrahunt. Est tamen verum, quòd multi sunt casus, in quibus confugientes ad Ecclesiam, & locum sacrum, non gaudent eius immunitate, vt sunt publici viarum grassatores: & populatores agrorum: qui homicidium, vel mutilationes in ipsis Ecclesijs commiserint, vel in Cœmeterijs: qui proditoriè proximũ occiderint: Assassini: læsæ Maiestatis Rei, & in personam Principis insurgentes: qui ex loco sacro occidunt, aut mutilant alium extra locum sacrum; qui ex Ecclesia educunt aliquem, & eductum occidunt: & qui in Ecclesia mandauerint alicui, vt occidant aliũ extra Ecclesiam, vt *d. q. 16 num. 22. & 23.* declarauimus. Extra hos casus confugientes ad Ecclesiam, aut locum sacrum gaudent immunitate; etiam si in Ecclesia deliquerint sub spe immunitatis Ecclesiasticæ, atque ideò, quoad hoc derogatur *tex. in cap fin. de immun. Eccles.* Etenim hi tantum non gaudent immunitate Eccles. qui excipiuntur à d. Bulla Gregor. & non alij, vt diximus in *d q. 16. sub num 26.* quibus adde, quæ post alios cumulat, idem *D. Cæsar. in d. addit. ad d. q. 16. litt. A fol 385 in 2. edit.*

40 Vigesimoctauò peccant Magistratus, & iudices, qui damnatis ad mortem non dant commoditatem confitendi, ac sumendi Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum: nec ex capite consuetudinis excusantur, cùm non consuetudo, sed corruptela potius sit dicẽda, vt habetur in *Clem. 1.* & ibi *Glos.* communiter recepta, *de pœnit. & remiss.* Non tamen eo ipso die, quo damnatus Sanctissimum Viaticum suscipit, est suspendendus ob tanti Sacramenti reuerentiam: vel saltem post tantum temporis spacium, quo iudicatur Sacramenti species esse digestas. Hinc Romæ fertur adesse consuetudinem, vt damnato ad mortem denuncietur sententia post mediam noctem vt liceat ei confiteri, & communicari ante quatuor horas, quàm ducatur ad patibulum, vt habetur ex *Nauar in Man cap. 25. sub num. 23.*

41 Vigesimonono peccant Magistratus, & iudices non concedentes Aduocatos, & Procuratores personis maximè miserabilibus, etiam non petentibus in eorum causis, præsertim si criminales sint, etiam citra stipendium, vt in *l. prouidendum. C de postulat. l. nec quicquam, § fin de offic Procons. & Syl. in sum. vers. Aduocatus q. 18.* Peccant pariter carceres non visitantes, & nõ curantes vitæ necessaria carceratis ministrari, vt in *l. iudices, C. de Episc Aud. cap pasce, 86.*

Trigesimò peccant Magistratus, & iudices, qui Peregrinos, Viduas, pupillos, & alias miserabiles personas negligunt notabiliter præferre alijs in iure sibi reddendo, *cap. Regum, 23. q. 5. Richar. in 4. d. 15. ar. 5. q. 4.*

42. Trigesimoprimò peccant Magistratus, & Iudices cogentes, aut præcipientes tempore interdicti celebrari: aut ne excommunicati, ac denunciati à Diuinis expellantur: & insuper contrahũt excommunicationem contentam in *Clem. grauis, de sent. excomm.* Idem dicendum est de ijs, qui minis, aut metu absolutionem extorquent, aut excommunicationem, vel interdictum reuocari faciunt, *cap. 1. de his, quæ vi, met. causa fiunt in 6.* Et de ijs, qui facultatem faciunt comprehendendi, aut vexandi iudices Ecclesiasticos in personis, vel in bonis, eo quod contra ipsos censuras tulerint, vel eorum mandatis non obtemperauerint, *cap quicunque de sent. excom. in 6.*

43 Trigesimosecundò peccant Magistratus, & iudices si non iudicent secundum leges, constitutiones, & pragmaticas vniuscuiusque Ciuitatis, Prouinciæ, aut Regni, & eorum consuetudines. Vndè si Magistratus, & iudices sint legum ignari, aut de iure dubitent, debent sibi virum eruditum sibi constituere, quem consulant; aliàs mortaliter peccant, & ad damnorum refectionẽ obligantur. Verum tamen est, quod si legum, & consuetudinem Regnorum, & Ciuitatum aliquæ sint contrariæ legi Diuinæ, vel naturali, tũc Magistratus, ac iudices non tenentur, nec debent secundum illas iudicare: quoniam lex, quæ simpliciter, aut ex circumstantia est iniqua, legis nomen non meretur, cùm lex sit sanctio sancta, iubens honesta, & prohibens contraria: & proptereà vim obligatiuam non habet, vt per *D. Th. 2. 2. q 60. ar. 5. ad 2. Salon. & Arag.* in eum. *Sot. lib. 3. de iustit. & iur. q. 4. ar. 3. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 9. num. 4.* vbi plures casus enumerat, in quibus nullo modo secundum verba legis, sed secundum epicheiam est iudicandum.

44 Trigesimotertiò peccant Magistratus, & iudices, qui videntes grauamen aliquod intulisse litigantibus, appellationibus, etiam in causis, in quibus non debet admitti appellatio, vt rectè declarat *Nauar. in Man. cap. 25. sub num. 15.*

45. Trigesimoquartò peccant Magistratus, & iudices si capientes aliquem in habitu Clericali, & dicentem se esse Clericum, aut manifestò constet talem esse, statim illum non restituant iudici Ecclesiastico: & insuper in excommunicationẽ incidunt contentam in *cap. si iudex, de sent. excomm. in 6.* Imò hoc adeò verum est, vt locum sibi vendicet, etiam si iudex Laicus Clericum capiat ex eo, quòd vi ei abstulit processum, & retineat, donec illum restituat; quoniam adhuc debet ad Ecclesiasticum iudicem eum remittere, per ea, quæ habetur ex *Panor. Felino*, & alijs *in cap. cùm non ab homine, de iudic.* Quòd si in habitu Clericali eum non deprehendant, nec manifestò constet esse Clericum, non tenentur reddere Ecclesiastico, donec eis de Clericatu cõstet, vt in *d. cap si iudex.* Nec tunc si Clericus est coniugatus, nisi probet, quòd vnam solam, & virginem vxorem duxerit, & habitum, & tonsuram Clericalem gestauerit, *cap. 1. de Cler. coniug. in 6. & Nauar in Man. cap. 25. sub nu. 24. vers. Decimoquartò.* Et nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap 15. q. 4. concl. vlt.* Est tamen verum, quòd in quamplurimis casibus Clericus, etiam si non incedat in habitu, ac tonsura, gaudet priuilegio fori, quos enumerauimus *d. cap. 15 q. 11. nu. 64. & seq.* & latius *Don Cæsar Germanus meus in addit. ad d. q. litt. A. fol. 565.* vbi inter alia probat,

bat, *vers. Adde*; quòd quamuis Clericus habitum,& tonsuram non deferens,aut Ecclesiæ sibi præscriptæ non deseruiens, iuxta *Concil. Trid.* dispositionem, forum iudicis Sæcularis declinare non possit; non tamen decretum huiusmodi obstat Episcopo quominus iure suo vti possit in eiusmodi Clericum si delinquat, & adhuc Clericus permaneat. Regulariter autem cognitio Clericatus pertinet ad iudicem Ecclesiasticum dumtaxat,non autem Sæcularem, vt in *d. cap si iudex;* ita se habente:*Si iudex laicus malefactorem captum detineat, & is se Clericum dicens ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti: vel Curia ipsa eum, tanquam suum Clericum repetat,iudice illum inficiante Clericum, ac ob hoc minimè remittendum, dubitationis huiusmodi, an scilicet sit,qui repetiturClericus ad iudicem Ecclesiasticum:quia de re Ecclesiastica, & spirituali, vocato tamen iudice Sæculari, vel alio, cuius interest, cognitio pertinebit*. Et ita practicari regulariter,testatur *Clar. in sua prax.crim. lib.5.§ fin.cap.36.num.*18.Quamuis referat in quibusdam locis contrarium seruari:nam Clericus, contra quem procedit iudex Sæcularis pro aliquo crimine exhibet coram iudice Sæculari iura Clericalia, quibus actis ipsum remittit ad iudicem suum Ecclesiasticum.

46 Trigesimoquintò peccant Magistratus, & iudices inuitas trahentes mulieres ad ferendum testimonium, imò Religiosas, nec volentes quidem:siquidem ad earum testificationes recipiendas mittere debent aliquem, vel ipsi personaliter ad eas se conferre, nec accessum fingere possunt citra excommunicationem, vt in *cap. mulieres, de iud.in 6.*

Trigesimosextò peccant Magistratus, & iudices die festo recipientes testium iuramenta, aut alium iurisdictionis actum agentes, qui meræ executionis non esset,aut aliqua necessitatis causa non subsistat,vt in *cap.1.& fin.de fer.& Nauar.in Man.cap.25.num.25.*

47 Trigesimoseptimò peccant Magistratus, seu iudices, & ad restitutionem tenentur non iudicando secundum communem,vel saltem probabilem Doctorum opinionem, vbi accidit casus in legibus,ac constitutionibus,& loci consuetudinibus, & non comprehensus: & hanc sectando non solùm non peccant;sed nec etiam tenentur in Syndicatu,vt habetur ex *Felino in cap.1. de constit.num* 55. Verumtamen est,quòd quãdo est conflictus opinionum ad vtramque partem, & vtraque est probabilis,tunc iudex potest sect[illegible],quam maluerit, vt habetur ex *Sayro lib. 12 Clau.Reg cap.9.num.1.& lib.1.cap.11.num. 4.* Quod verum est, quando opiniones sunt de iure ex æquo probabiles. Imò,secluso scandalo, posset iudex pro amico iudicare modo secundũ vnam,modo secundum aliam opinionem. Nam ex vi iustitiæ distributiuæ, & officij sui non tenetur bonum illud fauorabile magis vni,quàm alteri conferre, cùm æquale ius vtrique competat. Idem dicendum est, quando sunt duæ opiniones probabiles ex parte iuris; altera tamen probabilior:tunc enim iudex in iudicando,sicut omnis alius fidelis in suis priuatis actionibus potest,dimissa probabiliori,sequi probabilem, quam iudicat esse veram,nec necesse est,vt iudicet illam veriorem.Dixi:*Debere iudicare illam veram*,quia si iudicet falsam,tunc deberet iudicare secundum probabiliorem,quam veram putat, & non secundum probabilem, quam putat falsam,vt rectè probat *Salon.22.q.63.ar.4.controu.2.concl.4. Gregor. de Valent tom.3 disp 5. q.7.pun.4.dub.3.propos.2.& Sayr.d.cap.11.nu. 8.dub.1 propos 2.* vbi etiam *sub num. 1. versic. Addit etiam*, ex *Petro de Arag.*limitat ea,quæ diximus, vt tunc iudex possit sequi opinionem probabilem,quam putat veram,omissa probabiliori,quando vsu,& consuetudine non est abrogata: aliàs teneretur iudicare secundum probabiliorem. Quòd si duæ opiniones ex parte facti ex æquo probabiles sint, vt quia vtraque habet æquales probationes; tunc si causa est criminalis, iudex obligatur iudicare secundum opinionem, quæ Reo est fauorabilis: siquidem leges magis tendunt ad soluendum,quam ad ligandũ, *l. Arrianus ff.de action & obligat.* Si vero causa est ciuilis, tunc iudex debet componere partes inter se: vel si res sit diuisibilis,diuidat eam inter partes,vt habetur ex *Salon.loc.cit.concl.2* Si denique duæ opiniones ex parte facti probabiles sint;sed ita,vt vna earum sit probabilior, in ciuilibus tenetur iudex iudicare iuxta probabiliorẽ: nam iudex obligatur iudicare secundum merita causæ; at qui factum probat per testimonia meliora, & probabiliora habet maiora causæ merita.Ita *Salon.ibidem. Petr.de Arag.vbi supra,ar.4. dub. vlt.ad 3. Gregor.de Valent.dict. dub.3. propos.3.* & latè *Sayr. lib 1. Clauis Reg. cap.11 num.22.& 23.dub.1.propos.3.& 4.*

48 Trigesimo octauò peccant Magistratus, seu iudices inferiores sententiam ferentes, licet iustam,non seruato iuris ordine: siquidem iudex inferior non habet facultatem derogandi legibus; aliàs vltra culpam efficitur restitutioni obnoxius damni subsecuti,vt habetur ex *D Anton. par.3.tit.9.cap.15 §.3.Couar.lib.1.var.resolut. cap.1.num.7. vers. Tertium, Petr.de Arag 22. q.67. ar.2. Petr. Nauar. lib.2. de restit.cap.3.p. 2.dub.5. num.180. & Sayr lib.12. Clauis Reg. cap.8.num.21.* Dixi:*iudices inferiores*:quoniam Magistratus, seu iudices supremi possunt in iudicio iuris ordinem prætermittere, cùm eius sit leges soluere,cuius est condere. Ita Doctores supra citati. Ex hoc infertur peccare iudices procedentes in criminalibus contra aliquem, non præuia denunciatione iudiciali, vel Canonica: aut non præuia inquisitione,vel accusatione, iuxta *tex.in cap.qualiter,& quando,il 2. de accus.* Idem dicendum est si procedant per inquisitionem; non tamen legitimis præcedentibus indicijs: vel saltem diffamatione, vt latè habetur ex *Panor.*& alijs *in d.cap.qualiter,& quando, de accusat.* & rectè quoque declarat *Clar. Foller.* & alij Criminalistæ in eorum *prax. crimin. & Sayr.lib.12.Clau.Reg.cap.10.per totum*, & fusiùs *cap.11.*vbi *num.5.& 6.* contra communem docet,ad inquisitionem formandam omninò debere præcedere infamiam, seu clamosam insinuationem; nec satis esse indicia: ad quod allegat *tex.in cap.inquisitionibus, §.Tertiæ dubitationis,de accusat.*vbi Innoc.III expresè statuit, non posse iudicem inquirere contra aliquem nõ diffamatum; etiam si duo, vel tres testes iurati omni exceptione maiores asserant, se vidisse hominem hoc,vel illud crimen patrasse. Hanc ipsã

sententiam docet *Nauar. in cap. inter verba*, 11.q.3.*concl*.6.*coroll*.48. *num*.580. *& in Man. cap*.18.*num*.38.*& Cord.in sum q*.64.*pun*.1.

49 Sed re vera licet sententia eiusmodi sit iuri conformis; nihilominus aliter vidi seruari in praxi, ita vt iudices ad inquisitionem processerint, etiam non præuia diffamatione; dummodò adsint sufficientia indicia: quam sententiam docet *D.Th.* & in eum *Caiet*. 2.2. *q*.69.*ar*.2. *Sot. lib*.5 *de iust.& iur.q*.6.*ar*.2 *cōcl*.5. *& in relect. de tegen. secr. memb*.2. *q*.6. *post concl*.1.*dub*.1. *ante finem, vers.Quādo verò proceditur, & dub*. 3.*in fine, ac dub*.4 *Petr.Nauar. lib*.2. *de restit. cap*.4.*par*.2.*dub*.4.*num*.168.*Anton de Butr.*& alij in *cap.cùm oporteat, de accusat.* dum volunt quòd indicia, propter quæ populus vehementer suspicatur, aliquem deliquisse, satis sunt ad specialiter inquirendum contra ipsum. Nec per suspicionem intelligi potest clamorosa insinuatio, vt *Sayr.* putat; quia suspicio vehemens est idem quod indicium. Hanc eandem opinionem tenet *Foller. in sua praxi crim.par*.3.*in rub. et si cōfitebuntur, num*.9 & latius *par*.2 *in rubr.Capiat informationem, num*.55. vbi etiam ait, id maximè verum esse, quando proceditur ex officio iudicis, & non ad petitionem, & querelam alterius. Adde hic etiam *Iul. Clar. in sua praxi*, & alios. Vndè hodiè saltem per communem consuetudinem, & stylum Curiarum videtur derogatum *d.cap. inquisitionibus*, §. *Tertia dubitationis, de accusat.* Cui Canoni potuit derogari per consuetudinem, cum non fundetur in iure naturali, aut Diuino: quoniam non est de iure Diuino, vel naturali, vt inquisitionem præcedat diffamatio; sed tantùm de iure positiuo, vt habetur ex ipso *Sayro* post alios *d. cap*. 11. *nu*.8. vbi etiam *num*.9.*cum plur.seq.* refert nonnullos casus, in quibus procedi potest, etiam sine speciali inquisitione.

50 Trigesimononò peccant Magistratus, & iudices interrogantes Reum per solam famam; eidemque iuramentum deferentes de veritate dicenda: siquidem fama etiam si legitimè probata fuerit, satis est ad inquirendum dumtaxat: & propterea si inquirendo nullum aliud probetur indicium, vel adminiculum conformiter ad famam ipsa sola numquam sufficeret: nam deficientibus indicijs, talis fama diceretur mera infamia nullo veritatis fundamento innixa, vt contra *Salzed.* & alios docet *Spat. de modo corrig.Regular. tr*.9.*cap*.5.*num*.4. Eodem modo peccant Magistratus, & iudices si Reum interrogent dubitantes, an iustè ad inquisitionem procedant: quod quomodo procedat, benè declarat *Sayr. lib*.12.*Clau.Reg cap*.16 *num*.10. *cum plur.seq.* Idem dicendum est, si Magistratus, aut iudices interrogent Reum de vno crimine conuictum: & deindè de alijs criminibus occultis, à se commissis, de quibus nulla indicia, aut probationes extent: siquidem conuictus de vno crimine regulariter interrogari non potest de alijs occultis: nec interrogatus obligatur ea propalare, vt habetur ex *D.Thom*.2.2.*q*.69.*ar*.2. vbi etiam *Caiet.in princ.Salon.controu*.8. *Bann.dub*.1.*conclus*.3. *& Petr. de Arag.* vbi id ampliat, etiam quoad Prælatos Religiosorum, & quoad testes: nam sicut Reus quamuis Religiosus non potest interrogari de alio crimine, de quo non est infamatus; ita etiam testis de alijs criminibus, de quibus Reus non est diffamatus. Hoc idem probat *Spat.de modo corrigendi Regulares, tr*.9.*de Reis, cap*.5.*num*.10. quibus adde *Sot. lib*.5 *de iust.& iur. q*.6.*dub*.5. *Nauar. in c inter verba*, 11 *q*.3.*concl*.6. *coroll*.51.*nu*.588. *Petr.Nauar.lib*.2. *de restit.cap*.5.*par*.2. *dub*.5.*nu*.170. *Tolet. lib*.5.*sua summ.cap*.58. *& Sayr.lib*.12. *Clauis Reg cap*.16.*num*.1.2.*&* 3. vbi soluit cōtraria, & limitat dupliciter, primò, quando crimen, de quo est iustè diffamatus, ita moraliter est cum alio coniunctum, vt sit sufficiens indicium alterius: secundò, quando vnum crimen cognosci perfectè nequit sine cognitione alterius; ita vt sit quasi alterius circumstantia, vt in exemplis ab eo allatis.

51 Quadragesimò peccant Magistratus, ac iudices interrogantes Reum confessum, vel conuictum de socijs occultis, contra quos non adsint indicia. Etenim fas non est procedere, seu inquirere contra aliquem in particulari, non præuia diffamatione, indicijs, vel accusatione: ergò non possunt iudices Reum conuictum, vel confessū interrogare de socijs occultis: quia id esset inquirere, aut procedere contra eos, non præcedente infamia, & sine accusatore. Ita *Caiet. tom*. 1. *opusc.tr*.31.*in resp*.5.*dub.&* 2. *&* 2.2 *q* 69 *art*. 2.vbi etiam *Salon.cōtr*.8.*dub*.2. *Petr de Arag. dub*.3.*& Bann.dub*.1.*concl*.2.*Sot.lib* 5.*de iust. & iur.q*.6.*ar*.2.*cōcl*.5.*& in relect. de tegen secr. membr*. 2. *q*. 6. *con*.1. *dub.vlt.& concl*. 4. *Nauarr.in Man.cap*.18. *num*.58.*&* 59. *& in cap. inter verba*, 11.*q*.3.*concl*.6.*coroll*.49.*num*.584. *& coroll*.51.*num*.589. *Petr.Nauar lib* 2.*de restit.cap*.4.*par*.2.*dub*.5.*num*.173.*&* 174. *Tolet. lib*.5.*sua sum.cap*.58. *Sayr.lib*.12. *Clauis Reg. cap*.17 *sub num*.5. & alij. Quod quidem verum est, non solùm de iure Canonico, vt in *cap.veniens* il 1.*de testib.& in cap.cum Monasterium, de confess.* sed etiam de iure ciuili, vt in *leg*.1. §. *Diuus Antoninus, & l.repetita.ff.de quæstion.l. fin.C.de accusat.* Verum tamen est, quòd id limitatur primò in crimine læsæ Maiestatis, vt in *d.cap cùm Monasterium, de confess. cap.nemini*, 15.*q*.3.*& l quisquis, C.ad leg.Iul.Maiest* quo casu licitum est de socijs interrogare, etiam si nulla adsint indicia contra socios. Secundò limitatur in crimine hæresis, & in proditione, ac coniuratione in Patriam, cùm militet eadem ratio, vt per *Glos.in d. l.fin. C.de accusat.& Sot. loco citato*. Tertiò in crimine falsæ monetæ, *l*.1. *C. de falsa mon.* Quartò in crimine latrocinij publici, *l. Prouinciarum, C.de fer.l.Dūus Adrianus.ff.de custod reor.l.quarta*, §.*mandatis, ff.ad leg.Iul.pecul.* Quibus casibus, sicut Iudex potest interrogare Reum, & testes de socijs; ita etiam Reus, & testes tenentur non solùm ad interrogationem, sed etiam spontè reuelare: nam bono communi consulendum est, non obstantibus quibuscunque priuatis commodis. Quintò limitatur in crimine, quod est contra iustitiam, & innocentiam tertij, vt si tractetur de conspiratione multorum contra tertium, & vnus ex eis capiatur: is enim interrogari potest de socijs. Quæ quidem omninò intelligenda sunt, quando delictum pendet in futurum; secus si præteritum esset, & complices fuerint emendati: quoniam tunc Reus, & testes non debent eos reuelare;

lare; etiam à iudice interrogati. Sextò limitatur in criminibus priuatis, quæ publica sint, & ex vi sui natura complicem requirunt; secus si fuerint occulta, vt rectè declarat *Sayr. loco citato, nu 7. cum plur. seq.* & alij Doctores supra relati.

52 Quadragesimoprimò peccant Magistratus, & iudices deferentes iuramentum Reo, vel eum torquentes, legitimis non præcedentibus indicijs. Non enim Reo potest tortura inferri, aut iuramentum deferri, nisi in casibus, in quibus tenetur Reus ipse respondere, & iudex valeat interrogare; at neque iudex potest Reum interrogare, nec Reus tenetur respondere, nisi præuia notorietate facti, aut infamia legitima, vel præcedentibus indicijs illi æquipollentibus, vt infra, Deo duce dicemus de Reo agentes, ergò neque potest Reum torquere, aut ei iuramentum deferre; siquidem iuramentum dicitur animæ tortura, vt per *D Thom. 2. 2. q. 33. ar. 7. ad 5. & q. 69.* & in eum *Caiet. ar. 2. Glosa, & Bart. in l. maritus, ff. de quæstion. Nauar. in cap inter verba, 11. q. 3. concl 6. coroll. 66. num. 746. Clar. in praxi crim. q. 45. & Sayr.* post alios *lib. 12. Clauis Reg. cap. 12. sub num. 1.* & latè *cap. 16. nu. 9. 23. cum plur. seq.* vbi etiam tractat de indicijs, quę sufficientia sint ad torturam: & insuper *nu. 26.* probat, quòd quando iudex per iniustam torturam illatam, grauem metum, aut vim extorquet à Reo confessionem delicti proprij, complicis, vel alterius, non potest ex tali confessione, & dicto Rei extorta procedere ad condemnationem Rei, vel complicis, aut alterius, qui occultus est, & non diffamatus, si non sequatur scandalum ex eo, quòd non punitur, vt habetur ex *Soto in relect. de tegen. secreto, memb. 3. q. 1. concl. 5. Salon. 22. q. 69. ar. 2. contr. 9. conclus. 2. Bart in l. pen. ff. de quæstion.*

53 Quadragesimosecundò peccant Magistratus, & iudices Reum decipientes aliquod ei promittendo pro extorquenda veritate delicti: & promissiones adhibitas tenentur adimplere, cum etiam hosti sit adimplenda fides, *cap. nolo existimare, 29. q. 1.* vbi *Glosa.* Vel si de facto fidem frangat, nunquam potest Reum ordinaria pœna damnare, sed alia mitiori, vt habetur ex *Dec. in l. ea est natura cauillationis, ff. de regul. iur. Alciatus in l. natura cauillationis, ff. de verb. significat. Couar lib. 1. var resol. cap 2.* Est tamen verum, quòd licitum est iudici vti simulatione bona ad delicti veritatem inuestigandam, vt in *cap. vtilem, 22. q. 2. & cap afferte, de præsumpt.* Imò quidam volunt posse iudicem Reum fictè condemnare ad mortem, quando contra illum est semiplena probatio, vel indicia manifesta, vel maxima infamia: siquidem eiusmodi fictio est quoddam torturę genus, vt habetur ex *Sayr. loc. cit. sub nu. 28.* cuius sententia nobis non probatur vbi delictum constet, nisi per solam famam, & non adsint alia saltem adminicula, per ea, quæ habentur ex *Spat. de modo corrig. Regul. tr. 9. c. 5 num. 3. & 4.*

54 Quadragesimotertiò peccant Magistratus, & iudices relaxantes pœnas Reis, etiam remittente parte, si sint inferiores; secus autem si sint supremi, & legitima remittendi adesset causa: quoniã tunc etiam renuente parte, possent pœnam remittere; aliàs secus, & Reus non esset in conscientia tutus. Quod quidem declara, amplia, & limita, vt per *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 12. num. 2. cum plur. seq.*

Quadragesimoquartò peccant Magistratus, & iudices ementes aliquid negotiationis causa. Etenim eis tantum permittitur emere pro victu, ac vestitu pro se, & sua familia; non autem negotiationis causa, vt habetur ex *Scacc. de commerc. §. 1 q. 1. sub num. 557 & q. 7. par. 3. lim. 17. sub num. 16. & Molfes. par. 2 sua sum. tr. 12. c. 5. sub num. 121. in fin.*

55 Quadragesimoquintò peccant Magistratus, seu iudices, qui in mortali peccato permanentes sentẽtiam ferant, licèt iustam, iuxta illud *Apost. ad Rom. cap. 2. Inexcusabilis es, qui iudicas alium: in quo enim alterum iudicas, te ipsum cõdemnas; id enim facis quod iudicas.* Et Christus Dominus *Ioan. cap. 8.* in causa adulteræ, ait: *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidẽ mittat*, facit etiam *tex. in cap. vlt. de tempor. ordinat.* Et hanc sententiam, tam de Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus, docet *Alex. de Ales par. 3. sum q. 40.* Et specialiter de Ecclesiasticis iudicibus, *D. Thom. in 4 d. 19 q. 2. ar. 2. quæstiunc Palud. ibid. q. 3. ar. 3. Syl. vers. Correctio, q. 16.* Est tamen verum, quòd dicta sententia non est simpliciter, & indistinctè vera: nam ita demum iudex in peccato permanens, peccat mortaliter, etiam si iustam ferat sententiam, quando permanet in peccato publico, ac scandaloso: & id non quia peccatum mortale ex se contrariatur rectitudini requisitæ ad iudicium, nempè lumini rationis, aut inclinationi ad ius suum alteri tribuendum, aut auctoritati iurisdictionis; quoniam hæc omnia benè reperiri possunt, cum lethali culpa; aliàs sequeretur, Gentiles omnes cũ iudicarunt, & iudicant, semper peccauisse, ac peccare, tanquam in peccato mortali permanẽtes: sed ideò peccant mortaliter, quia ex peccato publico, & scandaloso iudicis, oritur scandalum aliorum, & iustitia vilipenditur: & eo maximè si iudex alios puniret, in quo ipse deliquit, vt rectè docet *D. Thom. 2. 2. q. 60. ar. 2. vbi in resp. ad 3.* exponendo illud *Ioann cap. 8.* ait, ibi: Dominum per illa verba voluisse solùm confundere Iudęos, & ostendere, quod eos deceat, & vt eorum crimen agnoscant; non autem quòd peccatum aduersetur rectitudini requisitæ ad iudicium.

56 Vndè secundum communem, & magis receptam opinionem, iudices in mortali peccato permanentes, si iudicent, non peccare mortaliter, si eorum peccata sint occulta, & non publica, seu scandalosa, siue iudices Ecclesiastici sint, siue sęculares, vt habetur ex *D. Thom loco citato,* & in eum *Caiet Salon Petr. ae Arag. & Bann. & q. 33 ar. 5. Sot. lib. 5. de iust & iur q. 4. ar. 2. Gregor. de Valent. tom 3 disp. 6 q. 4 par. 2. Petr. Nauar. lib. 2. de restit cap. 4 par. 4 dub. 4. num. 455. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 13. num. 4. & 5.* vbi etiam ait, quòd iudex existens in peccato mortali, quamuis non publico, & scandaloso, iudicando peccat saltem venialiter; quia licèt non vtatur officio suo indignè contrariè, cùm directè non agat aliquid iusto iudicio contrarium; tamen indignè vtitur officio suo priuatiuè, cùm priuatus existat conditione, quam natus est habere, vt condignè omninò officium iudicis exerceat, & actum iustitiæ ex affectu, & inclinatione iusti-

iustitiæ non exercet; atq; ideò talis iudicij actus non habet eam bonitatem moralem, quam habere decet, cùm bonum sit ex integra causa; malum autem contingat ex quocũque defectu. Ad auctoritatem autem *Apost. in d. cap. 2. ad Rom.* respondetur, quòd ibi Apostolus non probat, iudicem nouum peccatum committere iudicando in lethali culpa permanens; sed tantum ex illo ostendere, se ipsum similiter condemnabilem esse propter idem, & simile peccatum. Et denique *tex in d. cap. vlt. de tempor. ordinat.* ad rem nostram non pertinet: loquitur enim de ministrantibus in susceptis ordinibus publicè in lethali culpa, non peracta pœnitentia. Cæterùm si actum iurisdictionis in peccato exerceant, nẽpè excommunicando, &c. ratione exercitij illius actus mortaliter saltem non peccarent.

Vltimò cæteris prætermissis, peccant Magistratus, & iudices multis alijs modis, de quibus apud *Caiet. in sum. vers. Iudicis peccata*, apud *Nauar. in Man. cap. 25. à num. 12. vsque ad 26.*

Hic denique addo duas propositiones damnatas ab Alex. VII. Pont. Max. vna est: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio.*

Et altera: *Omnes officiales, qui in Repub. corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum ieiunio.*

Et pro maiori notitia addo etiam hoc loco circa hanc materiam ieiunij tres alias propositiones prohibitas à præfato Summo Pontifice. Nempè

In die ieiunij, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes illi, qui iter agunt equitando, vtcunque iter agant, etiam si iter necessarium non sit, & etiam si iter vnius diei conficiant.

Non est euidens, quod consuetudo non comedendi oua, & lacticinia in Quadragesima obliget.

De Aduocatorum, ac Procuratorum culpis. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Aduocatus alio nomine patronus dicitur, & latius est Aduocati nomen, quàm patroni.*
An militibus æquiparentur Aduocati.

2 *Peccant Aduocati hoc munere fungentes, cum sufficientem scientiam non habent.*
An teneantur habere summam scientiam, vel satis sit habere mediocrem.

3 *Peccant Aduocati non solùm propter imperitiam, sed etiam propter eorum notabilem negligentium, si rectum consilium Clientibus nõ dederint, vel susceptam causam iustam ex defectu studij, vel alterius rei perdiderint.*
Quomodo in primis debeat Aduocatus alloqui Clientem.
An post facti narrationem debeat petere facti speciem in scriptis.

4 *Si Cliens Reus sit, de quibus Aduocatus debet eum interrogare.*

5 *Peccant Aduocati, qui dubitantes de iustitia causæ, causam ipsam suscipiunt defendendã.*

6 *Multò magis peccant Aduocati, qui causas iniustas suscipiunt defendendas.*
An vltra culpam teneantur reficere damna, & interesse, quæ pars læsa passa est.

7 *Proprium Aduocati munus est, iudici rationes & testimonia proponere, quibus pro causa sui Clientis iudicandum existimat, non iustitiam administrare.*

8 *Citra culpam Aduocatus suscipere potest causam Rei, pro quo adest opinio probabilis, licet pro actore adsit probabilior.*

9 *Peccant Aduocati, ac Procuratores, si defendendo partem maximè pro qua sit opinio probabilis contra probabiliorem alterius partis, fallacijs vtantur.*

10 *Peccant Aduocati, & Procuratores, defendentes causas vsurarum, vel ipsarum contractus consulentes, aut ne vsuræ repetantur patrocinantes.*

11 *Peccant Aduocati, ac Procuratores, qui contra eum patrocinantur, à quo beneficium acceptant.*

12 *Peccant Aduocati, atque Procuratores, qui secreta sui Clientis notabilis momenti, aduersario manifestant; vel quouis modo causam prodierint.*

13 *Peccant Aduocati, ac Procuratores, qui de quota litę paciscuntur, vel qui paciscuntur, vt victa lite tantum illis soluatur.*
An pacisci possit pro salario, vel pro palmario.

14 *Peccant Aduocati, & frequentius Procuratores, qui pecuniam recipiunt à suis Clientibus vltra id, quod necessarium est pro actis soluendis.*

15 *Peccant Aduocati, ac Procuratores, causam suscipientes iniustam, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus, etiam si contra Fiscum tantum tendat eorum patrocinium.*
Modo id per cauillationes, & iniustas probationes procurent Rei liberationem, & tunc pauperibus reddere perceptum tenentur.

16 *Peccant Aduocati, & Procuratores, ac etiam ipsi Principales, qui existimantes iustam habere causam, iudicem pecunia inducerent ad iudicandum pro eis.*

17 *Peccant Aduocati, atque Procuratores respicientes solùm ad ordinem iudiciorum, & non ad merita causæ.*

18 *Peccant Aduocati, & Procuratores, si in eorũ allegationibus, petitionibus, & exceptionibus procaciter nimium se habeant.*

19 *Peccant Aduocati, & Procuratores pauperum, qui stipendium habẽt à publico, si aliquid vltra à litigantibus percipiant.*

20 *Peccant Aduocati, & Procuratores, qui pauperes gratis defendere recusant, constitutos in necessitate.*
An teneantur sub præcepto Aduocati, & Procuratores pauperibus patrocinari, in necessitate constitutis.

21 *Licet à Repub. debeant pauperibus constitui Aduocati, & Procuratores publicis expensis, ijs tamen deficiẽtibus potest à iudice cogi Aduocatus, qui gratis pauperi patrocinetur.*

Non

22 *Non modo in extrema necessitate, sed etiam in graui tenentur Aduocati, & Procuratores gratis pauperi patrocinari.*

23 *Aduocati, & Procuratores pauperibus gratis patrocinari non tenentur cum grauissimo eorum incommodo, puta periculo vitæ.*
Sic etiam si adsint Aduocati, & Procuratores pauperum stipendiati.
An teneantur ad restitutionem damni, ex patrocinio non præstito subsecuti.

24 *Peccant Aduocati, & Procuratores, & ad restitutionem obligantur si immoderatam mercedem à suis Clientulis exigant.*

25 *Peccant fungentes munere Aduocati, & Procuratoris, quibus de iure interdictum est patrocinari.*
Et quibus de iure patrocinari sit prohibitum.

26 *Monachi alijque Regulares postulare prohibentur.*

27 *Monachus, & quicunque alius Regularis in multis casibus potest esse Aduocatus.*

28 *Clerici constituti in sacris, vel etiam in minoribus, beneficium tamen Ecclesiasticum habentes postulare de iure prohibentur coram iudice Sæculari.*

29 *Quid si in minoribus sint, & beneficium Ecclesiasticum non habeant, an patrocinari possint in causis ciuilibus.*

1 ADuocatus alio nomine causæ patronus appellatur: imò secundum quosdam latius se habet Aduocati nomen, quàm patroni: siquidem patronus is propriè dicitur, qui in iudicio causam agit: at Aduocatus non tantùm significat eum, qui alterius causam agit, vt patet ex *l. 1. & toto tit. C. de postul. & toto tit. de Aduocat. diuers. iudic.* verum etiam quicunque adest alteri in causa officij gratia, etiam si nihil dicat, neque agat. Vocatur quoque Aduocatus postulator, quia aduocare idem est, quod postulare, vt in *d. tit. C. de postul. & cap. 1. eod. tit.* Hoc loco igitur agimus de Aduocatis strictè sumptis, nempè de causarum patronis, qui in *l. Aduocati, C. de Aduoc. diuers. iudic.* militibus comparantur, his verbis: *Aduocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suaque defensionis viribus sæpè publicis in rebus, ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant: non minus prouident humano generi, quàm si prælijs, atque vulneribus Patriã, parentesque saluarent. Nec enim solos nostro Imperio militare credimus illos, qui gladijs, Clypeis, & toracibus nituntur; sed etiam Aduocatos: militant namque causarum patroni, qui gloriosæ vocis cõfisi munimine, laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* Procurator pariter licèt appelletur, tam qui aliorum negotia, quam qui causas in iudicio prosequitur; nos autem hoc loco de ijs Procuratoribus agemus, qui causidici appellantur, atque ideò qui causas tantum in iudicio defendunt, vt in *l. Reum, C. de Procurat. & cap. 1. & 2. eod. tit.*

2 Peccant igitur in primis Aduocati si sufficiẽtem scientiam non habentes Aduocati munere fungantur. Hi enim probabili periculo exponũtur nocendi, tum eorum Clientulis; tum etiam partibus ex aduerso. Etenim frequenter Clientuli ignorantes imperitiam Aduocati, causas suas illi committunt, & licèt iustas perdunt. Et quãdoque ex prauo indocti Aduocati consilio iniustè litigant, atque adeò in causa sunt, vt tam ipsius Clientuli, quàm partes ex aduerso non nullas expensas inaniter agant, & quamplurima damna patiantur. Quæ quidem damna, & expẽsas omnes tenetur ipse Aduocatus Clientulis, & partibus ex aduerso reficere; si Clientuli maximè talis Aduocati imperitiæ fuerint ignari: aliàs ipsis damnum imputatur, vt habetur ex *Syl. in verf. Aduocatus, q. 24. Nauar. in Man. cap. 25. num. 29. Graff par. 1. decis. lib. 3. cap 8 nu. 4. & Sayr. lib. 12. Clauis Regia, cap. 22. sub num. 10.* cum alijs ab eo allegatis. Non tamen Aduocati ad eorum munus exercendum tenentur habere summam scientiam, sed satis est si mediocrem habeant iuxta causarum, & negotiorum qualitatem, vt habetur ex Doctoribus supra relatis; ita vt sciant saltem ius, in quo versantur: alioquin dicerentur esse in lata culpa, arg. *tex. in l. nemini, C. de Aduoc. diuers. iudic.* Et in foro conscientiæ tenerentur ad restitutionem damni; etiam si omnem adhibuerint diligentiam, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 6 cap. 1. vers Quantum ad secundum circa fin. D. Th.* & in eum *Salon. & Petr de Arag. 22. q. 71. ar 2. Panor. in rub. de postul & Bar. in l. 1. ff. eod.* ac latè *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 23. num. 16. cum plur. seq.* vbi diffusè tractat, an, & quando Aduocatus, si ignorans suscipiat causam iniustam excusetur a peccato, & à restitutione; & distinguit de ignorantia antecedente, consequente, & concomitante. Est tamen verum, quòd si iuris ignatus ob defectum Iurisperitorum Aduocati munus suscipiat in Tribunali, in quo patrocinatur mediocriter instructus ex libris vulgari sermone scriptis, excusatur à culpa, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 25. nu 28.* ad quod allegat *tex. in l. certi, C. de indic. & Glos. in cap. ad audientiam, de consuet.*

3 Secundò peccant Aduocati, & Procuratores non solùm propter imperitiam, verum etiam si propter eorum notabilem negligẽtiam, licèt periti sint, rectum consilium suis Clientulis non dederint, aut susceptam causam iustam ex defectu studij, aut alia ex causa perdiderint, eum obligatione ad omnia damna, & expensas, & interesse, vt in *l. idem iuris, § 1. ff. ad leg. Aquil. Hostiens. in cap. calumniam, de pœn. & Nauar. in Man. cap. 25. num. 29.* Dicuntur autem Aduocati sufficientem adhibuisse diligentiam in causis susceptis, aut suscipiendis, si eam diligentiam, & industriam adhibeant, quæ iudicio prudentum, & peritorum in arte iudicatur satis, attenta causæ ratione, ac qualitate, vt habetur ex *Panor. in cap. ad aures, num. 3 4. & 6. de ætate, & qualit. Salon. d. ar. 2. & Sayr. loco supra citato, sub nu. 11. vers. Tertiò debet.* Sicut, & Procuratoris diligentia; quæ præcipuè consistit, vt legitimos terminos petat, probet probanda, & appellet vbi oportet, vt per *Sayr. lib. 12. Clauis Reg cap. 24. sub num. 2. vers Quod autem.* Vndè optimum consilium est illud, quod *D. Anton. ex Guliel. Aduocatis impertitur 3 p tit. 6. cap. 1. § 2.* dum inquit, quòd Aduocatus Clientem ad se venientem, & patrocinium exposcentem, ita in primis debet alloqui: *Carissime, tres sunt personæ, quibus omnimoda veritas est aperienda, & nihil eis celandum; Confessor scilicet, quoad peccata*

peccata commissa; Medicus quoad infirmitates, & dolores suos; & Aduocatus quoad ea, quæ pertinent ad causam, de qua petit auxilium, & consilium defensionis. Dicas ergo mihi omnimodã veritatem negotij. Secundò Aduocatus à suo Clientulo post facti narrationem debet petere facti speciem in scriptis: siquidem interest Aduocati scripturam consequi super facti narrationem, quam Clientulus proponat, vt factum melius capiat, ex quo ius oritur: & ex facti mutatione lex mutatur, *l. si ex plagijs. §. iudicio, ff. ad l. Aquil.* Tertiò, facto sufficienter percepto, quærat ipse Aduocatus de probationibus, quales habeat Clientus si sit actor: nam qui accusare, vel agere volunt, probationes habere debent; aliàs actore non probante Reus absoluitur, vt in *cap. fin. 6. q. 5. & l. qui accusare, C. de eden.* atque ideò si probationes actor non habeat, non multum ei expedit ius habere, vt in *cap. plerumque, 2. q. 7. & cap Christiana Religio, 32 q 5.* Quòd si probationes non oporteat Clientulum habere, eo quod factum est liquidum, tunc rationabiliter Aduocatus potest ei dicere, age securè, iuxta *tex in l. 1. C. de testib.* Si verò Clientulus

4 sit Reus, est similiter interrogandus, si defensiones, ac probationes habeat sufficientes ad se defendendum, & ad suas exceptiones probandas, ne succumbat; & si affirmatiuè respondeat causam poterit securè suscipere, vt in *l. præsumpti, & l. exceptiones, ff. de probat.* Quartò Aduocatus si factum videat inefficax, vel propter se, vel ex defectu probationum, tunc tenetur Clientulum monere; ne inanibus sumptibus se vexare, & substantiam suam irrationabiliter exhaurire, velit, cum defendi nequeat, quod ratione inniti non potest, vt in *cap cor Episcopi, 68. d.* Nec Aduocati possunt citra grauem culpam malã causam fouere, illius iustitiam suis allegationibus colorantes, vt in *l. rem non nouam, C. de indic.*

5 Tertiò peccant Aduocati, qui dubitantes de iustitia causæ, causam ipsam suscipiunt defendendam: non enim præcipites esse debent in causis suscipiendis, sed post factum in scriptis susceptum, & interrogationes Clientulo adhibitas de quibus supra egimus, si de iustitia causæ, adhuc dubitet, non erubescant Clientulis dicere antequam deliberent, se velle rem ipsam maturius perpendere; & si adhuc hæsitent, aliorum peritorum consilium petere, iuxta illud *Prou. cap. 13. Omnia fac cum consilio.* Et auditioni sapientum vacandum est, vt in *cap. ex studijs, de præsump.* Est namque reprehensione dignus, qui consilia sapientum non suscipit, vt in *cap. 1. 84. d.* Siquidem vtilius est in occulto deliberare, quàm in publico succumbere. Nec excusari possunt Aduocati ab eiusmodi diligentia, propter causarum multitudinem, quam habeant; quoniã non debent suscipere causas, quibus vacare non possunt: nisi Clientuli multiplicitatem negotiorum compertam habeant; quoniam tunc ipsis imputatur damnum, qui causas suas cõmiserunt huiusmodi Aduocatis. Et idem dicendum est de Procuratoribus, vt rectè declarat *Molfes par. 1. sua sum. tr. 8. cap 13 sub num. 22.* & faciunt ea, quæ habentur ex *Syl. vers Aduocatus, q 8. & Nauar. in Man. cap. 25 num. 29.*

6 Quòd si hæc, quæ diximus vera sunt de Aduocatis, & Procuratoribus sufficienter non instructis, ac dubitantibus de causarum iustitia; quid quæso dicẽdum erit de ijs, qui causas iniustas scienter suscipiunt defendendas? Huiusmodi enim Aduocati non sunt ad instar militum, qui humano generi prouident, eorumque defensionis viribus publicis in rebus, ac priuatis lapsa erigunt, fatigata reparant, patriam, ac parentes saluant, iuxta *tex. in l. Aduocati, C. de Aduocat. diuers. iudic.* Sed humano generi sunt perniciosi, patriam, suosque perdunt, ac causas iniustas defendentes partium facultates exhauriunt, & innumerorum malorum sunt causa. Hi namque vltra culpam, quam contrahunt, tenẽtur reficere omnia damna, & interesse, quæ pars læsa passa est, & suus Clientulus; si causæ iniustitiam eum nõ docuerint; cùm agant contra charitatẽ, & iustitiam; atque ideò ob violatam charitatem peccant mortaliter, & ratione iustitiç violatç efficiuntur restitutioni obnoxij, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q 71. ar. 3. Syl. in sum. vers Aduocatus, q. 10. & Nauar. in Man cap. 25. num. 28. vers Secundò peccat, Graff. lib 3 decis. cap. 8. num. 1 par 1. & Sayr. lib. 12. Clau Reg cap. 23. num. 14.* vbi id limitat, *in vers. Sin autem:* nisi Clientulum admonuerint de iniustitia causæ; aliàs licèt peccent, non tamen tenentur ad damna Clientis. Quæ diximus de Aduocatis scienter causas iniustas defendentibus, extendimus ad Aduocatum, qui quamuis ignoret causam esse iniustam; magis tamen arbitratur esse iniustam, quàm iustam, vt habetur ex *Anton Butr. in cap. breui, de iureiur.* Imò idem dicendum erit de eo, qui à principio existimauit suum Clientem iustam habere causam: & deindè in causæ prosecutione nouit eam esse iniustam; quoniam eo casu quamuis Aduocatus non debeat iniustitiã causæ aduersario manifestare, nisi esset in detrimentum, aut alterius magni momenti, iuxta ea, quæ habentur per *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13. sub num 23.* & ante ipsum rectè declarat *Sayr. d. cap. 23. num. 21. & 22.* Nihilominus tenetur à patrocinio desistere, & parti, cuius patrocinium suscepit, veritatem, iuxta suam opinionem aperire, eidemque concordiam suadere. Quo casu posset etiã reuocare suum: quod quidem cautè agendum ad euitandum scandalum pusillorum, per ea, quæ habentur ex *Bald. in l. fin. C. de furt. Angel. in l. labeo, ff. de aqua pluu. arc. & Ioan. Andr. in cap. fin. de testib.* Imò, secluso scandalo, renunciando patrocinium partis cuius causam iniustam nouerit, poterit alterius partis patrocinium in secunda instantia suscipere, vel in eadem super diuersis tamen articulis, vt benè declarat *Syl. in vers. Aduocatus, q. 13.* Dixi, secluso scandalo, quoniam licèt id fieri possit, non tamen regulariter, salua honestate, efficitur, vt habetur ex *Specul. tit. de Aduocato, § nunc tractemus, in fin.*

Est tamen verum, quòd si causa est dubia, propter opinionum varietatem, poterit causam vsque ad finem prosequi, si Clientulus suus id edoctus voluerit, vt docent *Syl. & Nauar. locis citatis, Sot. lib. 5 de iustit. & iure, q. 8 ar. 3. Salon 22. q 71. ar. 3. contr 2.* vbi etiam *Petr. de Arag. Tol. lib. 5. sua sum. cap. 60. contr. 3. Vasq. in 1. 2 disp 64. cap. 1. Rodriq. in summ. par. 1. c. 2. & Sayr lib. 1. Thes. cap. 11. num. 17.* Rationem

7 hanc esse volunt; quoniam proprium Aduocati

munus

munus proponere Iudici rationes, & testimonia, quibus pro sui Clientuli causa iudicandum esse putat; non autem iustitiam ministrare; atq; ideò quando iustitia vtriusque partis dubia est, sicut non peccat suus Cliens litigando; ita pariter nec Aduocatus illi patrocinando, ac cooperando, cùm actio cooperantis sumat speciem ab actione eius, cui cooperatur. Confirmatur; quoniam Iudex in casu æqualis probabilitatis citra iustitiæ violationem potest in partem, quã maluerit inclinare: ergò multò magis Aduocatus poterit pro alterutra parte postulare, cùm eius officium non sit constituere ius inter vtranque partem; sed tantùm sui Clientuli iura coram Iudice proponere; ad quem sicut Clientulus potest licitè confugere; ita quoque Aduocatus poterit pro eo licitè aduocare.

8 Idem dicendum est de Aduocato suscipiente causam Rei, pro quo adsit opinio probabilis, quamuis pro actore, & sic pro aduersario sciat esse opinionem probabiliorem: siquidem naturali iure vnicuique permittitur ius suum defendere, vbi certò non constat de iure alterius: Ergò sicut citra culpam licitum est Reo se defendere; ita quoque licitum erit Aduocato illius partes suscipere, eidemque patrocinari. Nec obstat si dicatur, quòd quando duæ opiniones sunt probabiles ex parte facti, sed ita vt vna earum sit probabilior, iudex in ciuilibus tenetur iudicare in fauorem probabilioris, vt benè docet *Salon. loco citato, con. 3. & Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 15. par. 4. dub. 3. propos. 3.* & nos latè supra ostendimus *sec. praeced. vers. Trigesimoseptimò peccant*; quoniam respõdetur, quòd diuersa ratio est Iudicis, ac Aduocati. Etenim Iudex tenetur iudicare secundum merita causę, & processus: at Aduocatus ad nihil aliud tenetur; nisi vt inquirat, & proponat merita causæ sui Clientis. Quod quidem verũ est dummodò id doceat Reum suum Clientulum: & ipse Aduocatus nõ putet minus probabilem esse falsam; aliàs suo Clientulo ad omnia damna, expensas, & interesse eum teneri volunt, *Sot. Salon.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. d. cap. 11. nu. 20.* vbi *num. 21.* id ampliat locum sibi vendicare, etiam in eo qui causam minus probabilem contra Reum defendit; dummodò non habeat assensum determinatum, quòd opinio eius causæ fauens sit falsa: & quòd illa opinio, cui fauet non sit communi praxi reprobata: & id non solùm in causis ciuilibus, & parui momenti; sed etiam in causis sanguinis, ac honoris; quoniam eadem ratio, quę militat hoc casu in Aduocato suscipiente causã non probabiliorem, sed tantùm probabilem pro Reo, militat in suscipiente causam huiusmodi contra Reum: siue causa sit magni ponderis, siue parui: siquidem Aduocati munus non consistit in iudicando; sed solùm in sui Clientis iure coram Iudice proponendo. Hæc quæ diximus militant in Aduocatis, & Procuratoribus suscipiẽtibus causam iniustam ciuilem, vel criminalem pro Reo contra accusatorem læsum: vel è cõtra. Quid autem dicendum, sit de suscipiente causam criminalem iniustam pro Reo contra Fiscum, parte læsa non instante, infra, Deo duce dicemus, *vers. Decimò peccant*.

9 Quartò peccant Aduocati, & Procuratores, si defendendo partem maximè, pro qua sit opinio probabilis contra probabiliorem partis ex aduerso, vtantur fallacijs, iura fideliter non referẽtes, atque ideò Iudicem decipiant, & aduersarius causam perdat, vel ei graue damnum inferatur: & insuper obligantur reficere parti læsæ omnia damna, expẽsas, & interesse: hi enim peccant non solùm contra charitatem, sed etiã contra iustitiam, dum eorum fallacijs Iudicem inducunt ad iudicandum contra opinionem probabiliorem, vt declarat *Sayr. lib. 1. Thes. cap. 11. num. 20.* Et multò magis id verum erit, si falsis allegationibus induxerint Iudicem ad pronunciandum pro opinione omninò improbabili, & falsa, vt habetur ex *Molfes. par. 1 suæ summ. tr. 8. cap. 13. num. 1.* Imò Aduocatus etiam si iustã causam susceperit, non potest citra culpam vti falsis allegationibus; licet eo casu non teneatur ad restitutionem, cùm non faciat contra iustitiam. Potest tamen habẽs iustam causam cauillationes, & malitias aduersarij per alias repellere, cùm per insidias, & dolum licitè possumus vincere hostes; dummodò hosti fidem non rumpamus, *cap. vtile, 22 q. 2. Glosa in cap. cupientes, vers. Malignantium, de elect. lib. 6. & Syl in sum. vers. Aduocatus, q. 12.*

10 Quintò peccant Aduocati, & Procuratores, vsurarum causas defendentes, vsurarum contractus consulentes, aut ne repetantur, patrocinantes: & ad vsurarum restitutionem tenentur in solidum cum vsurario, cuius partes suscepit, & cui consuluit; quoniam hi verè dicuntur cooperatores ad exercendas, & soluendas vsuras, vel ad eas non repetendas, vt habetur ex *Syl. vers. Vsura, 7. q. 10. Nauar. in Man. cap. 17. num 275. Mol. de contr. disp. 331. num. 15. Azor. lib. 5 instit. moral. cap. 17. q. 4. par. 3. Rebell. lib. 8. de vsur. qu. 16. sec. 4 num. 16. & Less. lib. 2 de iust. & iure, cap. 20. dub. 21. num. 179.* Quod quidem verum est vbi Aduocatus concurrit ad vsuras exercendas, agendo partes dantis ad vsuras; secus autem agendo partes eius, qui ad vsuras accipit in casibus sibi concessis: actio enim cooperantis sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur: sed accipientes mutuo sub vsuris in casibus sibi permissis non peccant, nec ad aliquam restitutionẽ tenentur; ergò nec ipsorum Aduocati cooperãtes. Præterea Aduocati agentes partes eius, qui ad vsuram accipit, nullam iniustitiam contra illum committunt; ergò non peccant, nec ad restitutionem obligantur. Ita *Mol. loco citato, nu. 2. Azor. d. cap. 17. in princ. Rebell. loco citato, num. 15. & 19. Salon. 22. q. 78. ar. 3. contr. 9. sub num. 3. & ibidem Bann. dub. 5. con. 1. & Less. lib. 2. de iustit. & iur. cap. 20. dub 21. num. 184.* Idem dicendum est de Aduocato agente partes vsurarij; sed existimante mutuatario rem gratã agere, cùm aliter mutuũ obtinere nequeat: quia hoc casu dicitur quodammodo fauere mutuatario; atque ideò non tenetur ad restitutionem aliquam, vt per eundem *Less. ibi, num. 178. in fine.* Et denique ita demum Aduocatus consulens contractus vsurarios efficitur restitutioni obnoxius, vbi eius consilium influit in effectum, ita vt causa sit, cur aliquis fiat vsurarius, cur non mutuet gratis, cur vsuras exigat, & cur exactas non restituat, & alia huiusmodi: aliàs ita consulens licèt peccet; ad restitutionem tamen nõ tenetur, vt contra nonnullos docet *Azor. d. cap. 17. q. 1.*

17.q.1.*Rebell.d.sec.4. n.21.* & alij. Etenim excõmunicatio lata contra consulentes, nõ cõprehendit simpliciter consulentem consilio adeò simplici, vt fine illo delictum subsecutum adhuc fuisset, ac cum illo: sicut lata contra mandantes, & fauentes non extenditur in eos, sine quorum iussu, mandato, vel fauore crimen commissum adhuc esset; sed hæc omnia debent confluere in effectum ad excommunicationem contrahendam, vt habetur ex *Nauar. in Man.cap.27.nu.5.* Ergò idẽ dicendum est in casu, de quo agitur.

11 Sextò peccant Aduocati, ac Procuratores, patrocinantes contra eum, à quo beneficium acceptant: nam ob id ex causa ingratitudinis possent beneficio priuari, vt in *cap.fin.de postul.* vbi Clericus, qui contra Ecclesiam, à qua beneficiũ obtinuit, pro extraneis aduocatus, vel Procurator esse præsumit, tanquam ingratus, maximè si Clericus sit, eiusdem Ecclesiæ beneficio spoliatur. Eadem ratione Aduocatus ob ingratitudinem potest priuari feudo à Domino, & donatione libera, vel gratuita à donante, arg. *tex in leg. Papinianus, ff.de inoffic.testam.& d.cap.fin.*iũcto *cap.fin.de donat.Syl.in sum. vers. Aduocatus, q.14.* vbi id limitat non procedere in Aduocato patrocinante pro se, patre, vel matre, vel alia persona miserabili; quoniam tunc citra vitium ingratitudinis dicitur patrocinium præstare cõtra beneficium sibi conferentem, aut donantem. Idem dicendum est de Aduocato, qui aduocauit contra Remp. à qua salarium recipit: siquidem *tex.in d.cap fin.de postul.* intelligitur de beneficio gratuito, quale non est salarium, vt rectè docet ibi *Panor.& Specul.in tit.de Aduocato*, quos refert, & sequitur *Syl. d. vers. Aduocatus, q.15.* reijcientes opinionem *Bart.in l.2.C.de Aduoc. diuers.iudic.* Vndè meritò, ait idem *Syl.d.q.14.* quòd beneficium factum ratione laborum, ac seruitiorum non potest reuocari ratione ingratitudinis, vt in *l. Aquilius Regulus, ff.de donat.*

12 Septimò peccant Aduocati, & Procuratores secreta notabilis mométi sui Cliẽtuli aduersario manifestãtes, aut quouis modo causam prodiderint, vt in *l.1.§.si is qui, ff.ad l.Cornel.de fals.* & insuper puniuntur quasi præuaricatores, vt in *l.1. ff de prauar.* & insuper obnoxij efficiuntur reficere omnia damna, expensas, & interesse per suos Clientulos inde passa, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 25. sub num.29. vers.Quintò peccat*, & latè *Menoch.lib 2.de arbitr.iud.casu 537.num.15.* quem refert, & sequitur *Molfes.p.1.sua sum.tr.8.cap.13.num.23.*

13 Octauò peccant Aduocati, ac Procuratores paciscentes de quota lite: id enim de iure est illis prohibitum, ne per fas, & nefas studeant causas vincere, vt in *l.item, C.de Procur.& l.sumptus, ff.de pact. Nauar.in Man.cap.25. sub num. 30. vers. Septimò peccat, Sayr.lib.12. Clau.Reg.c.23.num.30.Reginald.lib.25 sua prax. nu.677. Molfes.par. 1.sua sum. tr 8.cap.13.num...* & alij. Idem dicendum est de Aduocatis, ac Procuratoribus paciscentibus, vt victa lite, tantum ipsis soluatur, vt per *Glos. in d. l.sumpt.& Nauarr.loco citato*, vbi id limitat, vt Aduocatus citra culpam pacisci valeat, vt sibi certa quantitas iusta tribuatur pro salario, siue causæ victoriã habeat, siue non: imò, & de certo aliquo palmario sibi tradendo præter stipendium, si vicerit; modò sit moderatum, iuxta ea, quæ habentur ex *Saly.in d. l.item, C.de Procur.& Alex. in l.1. ff.de var.& extraord.cognit.* quamuis *Sayr.loco citato*, absolutè velit, non posse Aduocatum aliquid pacisci, nec pro palmario quidem, si vicerit. Vndè in vna, & eadem causa centum aureorum, nõ est licitum pacisci de vno aureo sub conditione victoriæ, quæ sit tanquam palmariũ cùm licitum sit pacisci sexaginta pro mercede. Idem docet *Graff.par.1.decis.lib.3.cap.8.num.12.* & hæc sententia videtur nobis probabilior: aliàs indirectè fieret pactum de certo salario si Aduocatus litis palmam obtineret: quod supra diximus esse illicitum.

14 Nonò peccant Aduocati, & frequentius Procuratores recipientes pecuniam à suis Clientulis vltra id, quod necessarium est, pro soluendis actis, quæ fiunt ab actuarijs, & ad restitutionem tenentur. Est tamen verum, quòd si Aduocatus, vel Procurator gratis obtinuerit acta ab actuarijs eorum gratia, & intuitu possunt illorum pretium sibi retinere vltra iustam mercedem, vt habetur ex *Reginald. loco citato, num. 679. & Molfes.d.cap.13.sub num.25.* vbi idem ait, dicẽdum esse, vbi Procurator substituit alium loco suo minori salario; dummodò periculum negligentiæ, & ignorantiæ substituti spectet ad ipsum substituentem, non autem ad dominum litis. qui constituit maius salarium intuitu personæ Procuratoris, non autem substituti, vt rectè declarat etiam *Sayr.lib.12.Clauis Reg.cap.24. num.5.6.& 7.*

15 Decimò peccant Aduocati, & Procuratores suscipientes causam iniustam, non solùm in ciuilibus, ac in criminalibus in fauorem rei, vel accusatoris, aut actoris, de quibus supra latè diximus, *vers. Tertiò peccant per tot.* sed etiam si eorum iniustum patrocinium nõ tendat in prẹiudicium partis; sed solùm ad liberandum Reũ, & sic contra Fiscum tantùm, cùm supponamus habitam partis remissionem: vel quia tractatur de crimine publico, nempè hæresis, blasphemiæ, &c. Etenim publicè interest, vt delicta puniantur, *l.ita vulneratus ff.ad leg.Aquil.* Quod verũ puto, cùm per cauillationes, & iniustas probationes, & allegationes procuratur rei liberatio: vel sciant, Reum esse omninò culpabilem, & condemnandum; quoniam tunc tenẽtur perceptum pauperibus distribuere, aliàs secus, vt habetur ex *Graff.par.1.decis.cap.123.nu.16.* Imò Aduocati, & Procuratores non tenentur supradicto casu restituere Fisco pọnam pecuniariam, à qua eorum iniquo patrocinio Reum liberauerunt, & quam Fiscus haberet, si Reus condemnatus fuisset, cùm ad eos non pertineat Fisci vtilitati consulere; sicut nec testis falsus in eadem causa iniusta tenetur eam pœnam restituere ante condemnationem; quoniam pœna non debetur ante condemnationem, vt probat *Salon. 22. qu. 71.ar.3.contr.1. Bann.ibidem, dub 3.con.3. & Sayr.lib.12.Clau Reg.cap.23.num.25.*

16 Vndecimò peccant Aduocati, & Procuratores, ac etiam principales, qui existimantes, se iustam causam habere Iudicem pecunia inducunt ad pronunciandum pro eis: & pecuniam tributam repetere non possunt: quoniam in propria causa nemo iustus est iudex, & de facili decipi potest: imò estò, quod pro certo scirent iustam habere

habere causam, adhuc tamen peccant mortaliter; quoniam Iudicem corrumpunt, vt habetur ex *Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 8. ar. 4. col. 2. vers. Sed quid.* Quod quidem limito non procedere, vbi Iudex esset aliàs iniustè iudicaturus; quoniã hoc casu dantes pecuniam Iudici, vt iustè sententiam ferat, non dicuntur illum corrumpere, atque ideò non adest turpitudo ex parte dantiũ: sed potius propriam vexationem redimere; atq; ideò, cùm turpitudo sit ex parte Iudicis tantum, possunt saltem in foro conscientię elargitam pecuniam repetere, vt benè aduertit *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 15. num. 3. & 4.*

17 Duodecimò peccant Aduocati, & Procuratores respicientes solùm ad ordinem iudiciorũ, & non ad merita causæ: siquidem vltra lethalem culpam tenentur parti læsæ ad interesse; quoniã ordo iudiciarius est inuentus dumtaxat ad euitandas deceptiones, vt habetur ex *Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 8. num. 4.* Idem dicendum est si eorum Clientulos ad negandam veritatem induxerint, vt habetur ex *Anton. in Cath. Neap. lib. 1. cap. 30.*

18 Tertiodecimò peccant Aduocati, & Procuratores si in eorum allegationibus, petitionibus, & exceptionibus procaciter nimium se habeãt, vt in *cap. in loc. 5. q. 4.* vbi *Conc. Tolet.* ita inter alia se habet: *Debet ergò quidquid, aut consultationibus confidentium agitur, aut ab accusantium parte proponitur, sic minutissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus sensus audientium turbetur: nec iudicij vigorem de tumultu eneruent.* Et paulò supra, idem Concilium rationem assignans, ait: *Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicij obstrepentium tuba confundit, dicente Propheta; Erit cultus iustitiæ silentium. Io. cap. 2. §. item si quis, 3. q. 7.* ita quoque decreuit Romana Synodus: *Item si quis adeò procax fuerit, vt non ratione, sed probris putet esse certandum, opinionis suæ immutationem patiatur.* Et *D. Bernard. de consider. ad Eugen. lib. 1. cap. 9.* ita inquit: *Miror namque quomodo Religiosæ aures tuæ audire sustinent huiusmodi disputationes Aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subuersionẽ, quàm ad inuentionem proficiunt veritatis.* His adde ea, quæ sufficienter traduntur à *D. Anton. 3. par. tit. 6. cap. 2. §. 2.* vbi rectè docet, qualiter se debeat habere Aduocatus erga alium Aduocatum partis aduersæ.

19 Quartodecimò peccant Aduocati, & Procuratores pauperum, stipendium habentes de publico, si aliquid vltra à litigantibus percipiant, vt habetur ex *Panor. in cap. 1. de postul. Sylu. vers. Aduocatus, q. 23 Graff. par. 1. decis. lib 3. cap. 8. sub num. 14. in vers. Quartodecimo:* & insuper accepti restitutioni efficiũtur obnoxij; nisi datum fuisset per modum doni præsertim post liberationem, per ea, quæ habentur ex eodem *Graff. p. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num. 16.* ex *Nauar.* à simili, *in Man. cap. 23. num. 101. vers. Vndecimò.*

20 Quintodecimò peccant Aduocati, & Procuratores recusantes pauperes gratis defendere in necessitate constitutos, etiam si ex publico non sint stipendiati. Etenim patrocinium eleemosyna quædam est, & opus misericordiæ; atque ideò quod dicitur de eleemosyna proportionaliter dici potest de patrocinio: quocirca sub lethali culpa tenentur Aduocati, & Procuratores patrocinari pauperibus in necessitate constitutis, ita vt non habeant aliunde, quo sibi consulant, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 71 ar. 1.* & in eum *Caiet. Salon. Bann. & Petr. de Arag. Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 8. ar. 1. D. Anton. par. 3. tit. 6. cap. 2 §. 2. in fine. Angel. in sum. vers. Aduocatus, §. 10 Syl. eod. vers. q. 18. Tab. eod. vers. vers. Vndecimo, Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 15. pun. 2. Nauar. in Man. cap. 25. sub num. 29. versic. Quintò, Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 60. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 8 sub num. 4. & 5.* Etenim præceptum de patrocinãdo gratis, cùm sit opus misericordiæ, vt supra diximus, est affirmatiuum, sicut præceptum misericordiæ, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thoma 2. 2. q. 32. ar. 5.* ergò licèt non obliget semper ad semper; obligat tamen tempore necessitatis, sicut omnia alia præcepta affirmatiua. Vndè cùm obligat in necessitate, certum est obligare in extrema, vbi quis infallibiliter pro delicto, quo in carcere est constitutus venit grauiter puniendus, nisi patrocinium gratis sibi impendatur: vel si in causa ciuili patrocinio similiter indigeat, & non habeat vnde Aduocato stipendium soluat; etsi habeat vnde se alat, si succumbat, tanta opprimeretur inopia, vt ipse, ac eiusdem familia periculo constituerentur moriendi, aut se grauiter infirmandi. Ita *D. Th. & Nauar. locis citatis, Couar. lib. 1. var. resol. cap. 4. num. 4.* & alij.

21 Ex hoc infertur, quòd licèt debeant pauperibus constitui Aduocati, & Procuratores publicis expensis à Rep. vt habetur ex *Glosa in l. 1. §. ait Prætor, in princ. de postul. Couar. loco citato, & Boer. decis. 325.* Nihilominus si deficiat Aduocatus de publico stipẽdiatus, potest à Iudice cogi Aduocatus aliquis, qui gratis pauperi extremè indigenti patrocinetur, vt habetur ex *Host. & Glos. in cap. 1. de offic. Iudic. Bald. in l si furiosi, C. de nupt. l. tam dementis, C. de Episc. & Cler. l. nulli, §. post vnius verò, C. de Episc. aud. Guido Papa, q. 61.* Imò eo casu Aduocatus Iudicis mandato non obtemperans, potest ab Aduocationis munere ad tempus suspendi, vt in *l. prouidendum,* & ibi *Bald. C. de postul. l. 1. §. cura carnis, ff. de offic. Præfec. Vrb. Panor. in d. cap. 1. de offic. iud. Graff. d. cap. 8. d. cap. 4. & 5.* vbi hoc idem extendit locum sibi vendicare in Iurisconsulto: & *Sayr. lib. 12 Clau. Reg. cap. 23. num. 10.* hoc ipsum ampliat non solum quando causa pauperis est certa, & iusta; sed etiam quando est dubia; eo magis, quoniam pauperum causæ iustæ plerumque sunt, & à debitoribus redduntur dubiæ. Et *num. 7.* id ampliat quoque, vt Aduocatus pauperi in extrema necessitate constituto teneatur gratis patrocinari, etiam cum suo graui incommodo, ac damno: aliàs lethaliter peccabit: siquidem diues sicut tenetur gratis succurrere pauperi extremè indigenti; ita etiam Aduocatus in extrema necessitate constitutum tenetur gratis defendere: & sicut diues tũc obligatur pauperi subuenire de necessarijs ad statũ; ita pariter Aduocatus succurrere tenetur in extrema necessitate constituto, cum detrimento eorum, quæ necessaria sunt ad conseruationem proprij status; atque ideò cum aliquali bonorum suorum iactura, amittẽdo, quæ habet, vel non

 ac-

acquirendo, quæ acquirere poterat, si patrocinium eiusmodi non suscepisset: nam ex præcepto charitatis vnusquisque tenetur vitam alterius cum aliquali propriorum bonorum iactura cõseruare, vt colligitur ex *D.Thom.*& in eum *Caiet.2.2.q.71.ar.1.Salon.in eundem ibidem controu.* 1. vbi etiam *Petr. de Arag. Bann. & Sot. lib.5.de iust.& iur.q.8.ar.2.*

22 Adeò verum est, Aduocatos, & Procuratores obligari sub lethali culpa patrocinium pauperi gratis impendere, vt ad id teneantur non solùm in extrema necessitate constituto, vt quia pauper patrocinio indigeat ad conseruandam vitam; sed etiam si reperiatur in graui tantùm necessitate, nẽpè periculo amissionis bonorum, vel alterius rei grauis; nisi patrocinio gratis ei succurratur, vt habetur ex *Syl.verf.Aduocatus,q 18.Angel. eod. verf §.10. Sot. & Salon. locis citatis, & Bann ibidem,dub.1.concl.2 Gregor.de Valent. tom.3.disp.5.q.15.pun.2. Tol lib.5.sua sum.c. 60 & Sayr.d.cap 23 sub num.*8. Etenim patrocinium, vt diximus est opus misericordiæ, & eleemosyna quædam: eleemosyna verò est de præcepto sub lethali culpa in duobus casibus, nempe in extrema necessitate de necessarijs ad statum proprium: & in graui de superfluis statui, iuxta ea, quæ habentur ex *Caiet.2.2.q 32. ar.* 5. Ergò Aduocati, ac Procuratores tenentur pariter pauperes, non solùm extremè indigentes eorum patrocinio gratis defendere cum iactura eorum, quæ necessaria sunt pro conseruatione status; sed etiam graui tantùm necessitate laborantes tenentur gratis protegere, etiam detrahẽdo aliquid de tempore, quod impendebant patrocinio eorum, à quibus recipiebant stipendia non necessaria ad conseruationem status, sed superflua, & impendendo illud causæ pauperum. Cõfirmatur, quia Medicus quoque tenetur gratis curare infirmum non solùm extremè indigentem, sed etiã grauiter. Vndè locus ille *Ioan.* 3. *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, &c.* non solùm de extrema, sed etiam de graui necessitate intelligitur: siquidem viscera illa, quæ sola extrema necessitas aperit, & non magna, non possunt dici charitati conformia. Adde quòd Aduocati, & Procuratores non defendentes hunc, vel illum pauperem in communibus necessitatibus constitutum, licèt non peccent plusquam venialiter; nihilominus si animũ habeant non adiuuandi huiusmodi homines in vniuersum, culpãm mortalem contrahunt: Etenim idem dicitur de habente animum firmum non elargiendi eleemosynam de superfluis in communibus necessitatibus. Ita *Sayr. d.cap.23. num* 12.

23 Hæc quæ hucusque diximus, & ampliauimus, limitantur tamen, vt Aduocati, & Procuratores non teneantur pauperibus gratis patrocinari cum grauissimo eorum incommodo; nẽpè cum periculo vitæ, aut amissionis bonorum omnium, aut maioris partis, etiam si pauperes in graui, aut in extrema necessitate sint constituti: siquidem charitatis, ac misericordiæ opera non obligant cum tanto detrimento. Dixi: *Cum grauissimo eorum incommodo*, quoniam cum leui eorundem incommodo, aut etiam notabili, iuxta ea, quæ supra diximus, obligantur in extrema, & graui necessitate: & in communibus etiã cum leui, vt benè declarat *Sayr. loco citato, nu.* 6. Item limitantur, quando in Rep. adsunt Aduocati, & Procuratores pauperum stipendiati, qui possint, & velint pauperum causas defendere, quoniam tunc alij Aduocati, qui stipendiati non sunt, non obligantur, cum tunc cesset necessitas. Imò quamuis Aduocati, & Procuratores in casibus, in quibus tenentur patrocinari pauperibus, peccent si patrocinium gratis non impẽdant; nunquam tamen tenentur ad restitutionẽ damni, ex patrocinio non præstito, subsecuti; dummodo à Rep. stipendium non accipiant pro defensione pauperum: Etenim patrocinium est opus misericordiæ, vt diximus, atque ideò causas pauperis defendere prætermittens, contra charitatem tantùm agit, non contra iustitiã, ex cuius violatione prouenit restitutionis obligatio: at quando Aduocatus est stipendiatus à Rep. agit etiam contra iustitiam, & ideò restitutioni efficitur obnoxius, vt probat *Sayr. post alios d cap.23.num.23.*

24 Sextodecimò peccant Aduocati, & Procuratores, & ad restitutionem obligantur, si immoderatam mercedem à suis Clientulis exigant: siquidem vbi est à Principe, vel lege certum stipendium definitum non possunt aliquid vltra percipere citra iustitię violationem, vt in *l.si qui C.de postul.* Quòd si Aduocatorum stipendium lege non sit definitum, moderato salario debent esse contenti, habita ratione ad qualitatem, ac grauitatem causæ, Aduocati, scientiæ, ac ad Regionis consuetudinem, iuxta ea, quæ habentur in *cap.multa, verf.Sublimes.de praben.cap miramur, d. 6. Syl.in sum.verf.Aduocatus, q 16.* vbi etiam ait, quod Aduocatus potest salarium moderatum, in principio, vel in fine causæ petere. Imò addit, posse Aduocatum in principio causæ non dum incęptæ petere illud salarium, quod sibi libet, nisi vbi alius bonus non inueniretur; quia tunc non potest petere, nisi moderatum, vt in *l.1.C.de Episc.aud.* Est tamen verum, quòd de iure in vna causa Aduocatus non potest petere vltra centum aureos, *l.1. ff de var. & extr.cognit.Sayr.in d.cap.23 num.20.*

25 Decimoseptimò peccant Aduocati, vel Procuratoris munere fungentes, quibus de iure interdictum est patrocinari: eo quod faciunt contra legem præsertim Canonicam, iuxta ea, quæ adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib 3 § 8.q.2.* Prohibentur autem postulare de iure nonnulli, qui recensentur in *cap.* 2. 3.*q.7.* his verbis: *Infames non possunt esse Procuratores, vel patroni causarum. Sunt autem tres ordines, qui postulare prohibentur. Quidam prohibentur omninò postulare, vel propter ætatem, vt minores decem, & septem annis, vel propter casum, vt surdus, qui prorsus non audit, aut cœcus, qui prorsus non videt: Alij prohibentur ne pro alijs postulent, vel propter sexum vt fœminę, vel propter notam turpitudinis, vt ij, qui corpore suo muliebra passi sunt, nisi fortè vi pradonũ, vel hostium stuprati probentur. Similiter, qui Capituli crimine, vel calumnia causa publico iudicio sunt damnati, vel qui operas suas locauerunt, vt cum bestijs depugnarent in arena, pro alijs postulare prohibentur, &c.* Calphurnia enim improbissima fęmina inuerecunde postulans, & Magistratus inquietans dedit causam edicto,

edicto, quo mulieres à postulando repelluntur, *l. 1. ff. de postul.* In multis tamen casibus limitat idem Canon, quæ supra censuit, subdens: *His personis pro se allegare permittitur, pro alijs postulare prohibetur; nisi forte tutelam impuberum, vel curam adolescentium non affectatam, sed necessariam administrarent. Pro his enim, quorum curam gerunt, eis postulare conceditur. Alij enim omnes, qui vt infames notantur, nisi pro se, & pro certis personis postulare nō possunt, nisi in integrum restitutionem acceperint. Permittitur autem eis postulare pro parente, pro patrono, patronaue, liberis, parentibusque patroni, patronaeque: pro liberis etiam suis, fratribus, sororibus, vxore, socero, genero, nuru, vitrico, nouerca, priuigno, priuigna, pupillo, pupilla, furioso, furiosa, fatuo, fatua, muto, surdo, prodigo, & adolescente. Item pro ijs quibus propter infirmitatem curatores dari solent, & qui negotijs suis aliquo perpetuo morbo superesse nō possunt. Omnes autem, qui non sponte, sed necessario funguntur officio sine offensa edicti postulare possunt, etiam si ij sint, quibus non nisi pro se ipsis postulare permittitur, &c.*

26 Prohibentur quoque postulare Monachi, & alij Regulares, vt in *cap. ex parte de postul. cap. Monachi, 2. & cap. placuit, 2. 16. q. 1.* cuius Canonis verba hoc loco referre operæ pretium esse duxi, cùm sint valdè notanda: *Placuit communi nostro Concilio, vt nullus Monachorum pro lucro terreno de Monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neque pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad Ecclesiam Secularem transire, neque alijs quibuscunque negotijs se implicare; sit Claustro suo contētus: quia sicut piscis sine aqua caret vita; ita sine Monasterio Monachus: Sedeat itaque solitarius, & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem viuit. Agnoscat nomen suum. Monos enim gracè, latinè est vnus: Chos gracè, latinè tristis sonat. Inde dicitur Monachus idest vnus tristis. Sedeat ergò tristis, & officio suo vacet.*

27 Est tamen verum, quòd Monachus, & quicunque alius Regularis, iuxta ea, quę docet *Panor. in d. cap. ex parte, de postul.* in multis casibus potest esse Aduocatus in causa ciuili sui Superioris permissu. Primò ob necessitatem Monasterij, vt in *d. cap. Monachi, 2. 16. q. 1.* in illis verbis: *Nullus Monachorum forensis negotij susceptor, vel executor existat, nisi id, quod Monasterij exponit vtilitas, Abbate nihilominus imperante,* vbi est adnotandum, quòd per vtilitatem Monasterij textus ille non solùm intelligitur causa Monasterij; sed etiam aliqui volūt esse intelligendam quamcunque Monasterij necessitatem. Vndè controuersia est inter Doctores, an Monachus in iure peritus possit Aduocati munere fungi in vtroque foro, & lucrum conuertere in Monasterij vtilitatem? Et *Ioan. Andr. in regula, in argumentum, in mercur.* licèt partem negatiuam teneat, quam honestiorē, & securiorem, ait esse ea *Panor. in d. cap. ex parte, num. 3. de postul. Angel. in sum. verf. Aduocatus, § 9 & Syl. eod. verf. q. 7.* Nihilominus contrariam sententiam præfati Doctores non audent damnare, vbi agitur de Monacho Aduocato, patrocinium impēdente, vt de lucro eius Monasterium ab ære alieno grauatum redimat. Ad quod facit illud *Innoc. in cap. cum I. & A. de re iud.* dum ait, quòd Monachus potest esse Procurator, vel Aduocatus, etiam pro amico Monasterij, imperante Abbate: quoniam id resultat in vtilitatem Monasterij. Hinc ferūt Lapū Abbatem ex lucro suæ postulationis suis Monachis alimenta subministrasse. Et *Nauar. in cap. non dicatis, 12. q. 1. com. 2. num. 66.* Mordicus defendit, Monachum postulare posse pro alio, vel alijs in ciuilibus, etiam in foro Sæculari; dummodò non eam ob ambitionem, vel auaritiam; sed vel ad effugiendum otium, aut propter necessitatem, & honestam Monasterij vtilitatem id agat. Et ad confirmationem sui dicti refert, se vidisse quendam Priorem Claustralem patroni, ac Aduocati personam egisse: & idē ait *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap. 21. sub num. 5.* cum alijs, quos allegat.

28 Clerici quoque in sacris constituti, ac etiam in minoribus, si beneficium Ecclesiasticum habeant, postulare de iure prohibentur coram Iudice Sæculari, nisi in propria causa, vel in causa propriæ Ecclesiæ, vel pro coniunctis, aut miserabilibus personis, vt in *cap. 1. & fin. de postul.* Dixi: *Coram Iudice Sæculari,* quia coram Iudice Ecclesiastico secundum sententiam magis receptam, non prohibentur postulare, vt habetur ex *Panor. in d. cap. 1. 2. & 3. de postul.* quem refert, & sequitur *Sayr. loco citato num. 6.* Verum tamen est, quòd Episcopi, & Sacerdotes non solùm prohibentur postulare coram Iudice Sæculari; sed etiam corā Iudice Ecclesiastico, arg. *tex. in cap. perlatum 88 d. & in cap. te quidem, 11. q. 1. Tab. verf. Aduocatus, verf. Tertiò:* quāuis Sacerdos in quatuor casibus tantùm ad postulandum admittatur, nempè pro se, pro Ecclesia sua, pro coniunctis, vbi Aduocatum habere non possint, & pro miserabilibus personis, vt rectè declarat *Panor. in d. cap. fin. num. 1. de postul. & Sayr. d. cap. 21. num. 6.* vbi etiam inter constitut. & in *verf. Clerici,* non probat, quòd constitutus in sacris non Sacerdos, & existens in minoribus, sed beneficiatus coram Iudice Ecclesiastico Aduocatus esse possit, vt supra diximus: & coram Iudice Sæculari in negotijs Ecclesiasticis in quatuor illis casibus, nempè pro se, sua Ecclesia, coniunctis, & miserabilibus personis.

29 Clerici denique habentes tantùm minores ordines, non tamen beneficia in causis ciuilibus sicut Laici patrocinari possunt: mò etiam in criminalibus saltem in defensionem rei, & cū protestatione coram Iudice, quod non intendat id ad vindictam, vel ad pœnam talionis, sed tantùm ad rei defensionem. Quibus adde ea, quæ latè habentur ex *Syl. in sum. verf. Aduocatus, q. 3. cum plur. seq.* & latissimè *D. Anton. 3. par. tit. 6. cap. 2 § 5.* vbi enumerat 25. Aduocatorum defectus, ac culpas, quas contrahere solent.

De

De Scribis, Actuarijs, seu Notarijs, executoribus, & alijs iustitiæ Ministris, & de eorũ defectibus, & culpis.
SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Qui nam per Actuarios, Notarios, & Scribas intelligantur in hac materia.*
Vndè dicantur tabelliones, seu tabellarij.

2 *Peccant Actuarij, Notarij, ac Scribæ executores, & subsecutores fori Sæcularis, & in excommunicationem incidunt Bullæ Cœnæ, si quomodolibet se interponant in causis capitalibus contra personas Ecclesiasticas.*

3 *Peccant Actuarij, seu Notarij, & Scribæ accipientes aliquid pro ordinibus, litteris dimissorijs, aut testimonialibus si salarium constitutum habeant pro exercendo officio.*

4 *Peccant Actuarij seu Scribæ, qui scribunt, vel transcribunt die festo, maximè citra necessitatem.*

5 *Peccant Actuarij. Scribæ, aliÿque Ministri, &c. si mercedem percipiant vltra taxatum pretium à legibus, vel statutis.*

6 *Peccant Actuarij, Scribæ, aliÿque Ministri, &c. si negligentes sint in eorum munere exercendo.*

7 *Peccant Actuarij seu Notarij, & Scribæ, &c. si per ignorantiam omiserint Clausulas apponere solitas in decretis, sententijs, alijsque scripturis, &c.*

8 *Peccãt Notarij, seu Actuarij, & Scribæ, & ad damnorum restitutionem tenẽtur. si informationes fideliter non capiant, tã pro Fisco, quàm contra Fiscum.*

9 *Peccant Notarij seu Tabelliones, si scientiam saltem mediocrem non habeant, eorum, quæ ad munus suum pertinent.*

10 *Peccant Notarij seu Tabelliones, si instrumẽtis Clausulas confusas apponant, aut quæ difficultates pariant. vel solitas prætermittant, & ad restitutionem damnorum tenentur.*

11 *Peccant Notarij, seu Tabelliones, & ad damnorum restitutionem obligantur, si ex lata culpa non scribant diem mensem, annum, indictionem, inuocationem Diuini Nominis, nomen Principis loci &c.*

12 *Peccant Notarij, seu Tabelliones non seruantes apud se originale omnium instrumentorũ, atque ideò protocolla apud se diligenter non custodiant.*

13 *Peccant Notarij, seu Tabelliones, si rogati nõ conficiant instrumenta, actaque conscribant, de quibus rogati fuerint.*

14 *Peccant Notarij, seu Tabelliones si in conficiendis instrumentis, ac testamentis non doceant partes de Clausularum effectu, quas in instrumentis apponunt, maximè si sint mulieres, vel simplices.*

15 *Sic quoque peccant si transumptum instrumẽti parti petenti non tribuant. Et pauperibus debent gratis tribuere.*

16 *Peccant Notarij, & Tabelliones instrumenta occupantes petentibus, & damna reficere tenentur.*
An, & quando teneantur testamenta, in quibus legata continentur reuelare.

17 *Peccant Notarij, seu Tabelliones, scribentes in instrumentis, pecuniam fuisse numeratam, cum re vera numerata non est.*

18 *Peccant Notarij, seu Tabelliones conficientes instrumenta vsuraria, palliata, illicita, & iniusta, & ad restitutionem tenentur.*
An teneantur ad restitutionem si instrumenta sint manifestè vsuraria, ita vt facti veritatem contineant, & fideliter enarrent.
Et quid si instrumentum sit inter Christianũ, & Iudæum.

19 *Supradicta vera sunt, vbi Notarij instrumẽta conficiunt vsuraria in Prouincijs, in quibus seruatur Clementina 1. de vsuris, aliàs secus.*
An obnoxius sit restitutioni, si instrumentum rogauerit vsurarium volente mutuatario.

20 *Peccant Notarij, seu Tabelliones producentes scripturam falsam in iudicio, etiam ad liberandum innocentem.*

21 *Peccant Notarij, seu Tabelliones scienter conficientes testamenta nuncupatiua eorum, qui non sunt sanæ mentis, & damna legitimis hæredibus reficere tenentur.*

22 *Peccant Notarij, seu Tabelliones, si pretio corrupti, alio, vel importunis precibus testatorẽ inducant, ad alium hæredem instituendum, quàm ipse volebat. Secus si induxerit simplicibus verbis, & non dolo, nec vi.*

23 *Peccant Notarij, seu Tabelliones si diebus festis, citra magnam necessitatem instrumenta rogent, vel extendant.*

24 *Peccant Notarij, seu Tabelliones in Ecclesijs instrumenta dictantes, vel publicantes.*

25 *Peccant Notarij, seu Tabelliones recipientes aliquid vltra taxatum pretium, nisi spontè eis fuerit elargitum.*
An teneantur ad recepti restitutionem.

26 *Notarius si ad instantiam partis noctes duceret insomnes, vt transumptum alicuius scripturæ celerius ei consignaret, restituere non tenetur acceptum vltra taxam.*

1 AD euidentiam eorum, quę in hac re dicẽda erunt, est adnot. quòd per Actuarios, Notarios, ac Scribas hoc loco intelligimus omnes, qui vniuersa Iudicis acta conscribunt: siue publicæ personæ sint, nempè Tabelliones, qui publici serui appellantur, seu personæ publicæ habentes officium scribendi instrumenta super contractibus, vel alijs rebus ad fidem super eisdem faciendam: siue aliæ personę à Iudice adhibitæ, quæ acta, citationes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, cõclusiones, & alia, de quibus in *cap. quoniam cõtra, de probat.* qui alio vocabulo Magistri actorum vocantur. Appellantur autem Notarij à notando, arg. *tex. in l. defensionis, C. de iure Fisci, lib.* 10. eo quod negotia hominum publicè, & authenticè in publicam, & authenticam formam redigunt. Et isti dicuntur quoque Tabelliones, seu Tabellarij, aliàs Tabularij, à tabulis ita nuncupati: siquidem ante cartarum vsum omnia

omnia instrumenta, testamenta, epistolæ, & aliæ scripturæ scribebantur in tabulis, quamuis hoc nomine minus propriè vocentur; quoniam Notarij propriè illi nuncupantur, qui excipientes verba dictantis, per notas, & compendia scribunt, vt in *l. Lucius Titius, ff. de milit. testam. & cap. 1. de simon.* Notariorum, & Scribarum quàm plurimæ sunt species, quas enumerauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. c. 19. q. 3.* Et licet hic dicendi locus specialiter sit de Notarijs, & Scribis vniuersa iudicij acta conscribentibus; nihilominus obiter etiam agemus de Tabellionibus, non solùm, vt Magistri actorum sunt; sed etiam vt personæ publicæ, seu vt serui publici, vt in *cap. 2. de vsufr. in 6. & l. 2. in fine, ff. rem publ. sal.* qui alio vocabulo, vt diximus, vocantur Tabularij, vt in *l. hac consultissima, C. qui testam. facere possunt, l. 1. Cod. de Tabul. lib. 10. & Tabellarij, l. Generali, C. de Tabul. Scrib.* Nec ob id, quòd Notarij appellantur serui publici, eorum officium vile redditur, vt aliqui malè arbitrantur; quin potius est nobile, vt notat *Alciatus in l. mercis appellatione, de verb. signif. & Couar. in lib. pract. qq. cap. 19. nu. 5.* Imò valdè Reip. interest, probos habere Notarios: atque ideò meritò infamatus infamia iuris, vel facti non potest esse Notarius, vt habetur ex *Panor. in cap. cum dilectus, num 7. de fide instr. Felin. in cap. fraternitatis, de haret. & Couar. loco citato.* Hac eadem ratione non habẽs beneficium Ecclesiasticum non prohibetur esse Notarius, vt rectè declarat *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 25. à num. 4. ad 7.* His adnotatis, dico, quòd

2 In primis peccant Actuarij, seu Notarij, ac Scribæ, executores, & subsecutores fori Sæcularis, & in excommunicationem Bullæ Cœnæ incidunt, quomodolibet se interponẽtes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, sententias contra illas proferendo, vel exequendo absque speciali, specifica, & expressa S. Apostolicæ licentia, vt latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 19. per tot.* & præsertim *q. vlt.* vbi rem hãc multipliciter ampliauimus, ac limitauimus. An autem contrahant excommunicationem d. Bullæ, non solùm condentes statuta contra libertatem Ecclesiasticam; sed etiam eorum scriptores, ac præcones eadem promulgantes, latè egimus in *d. Commentar. lib. 2. cap. 15. q. 22.* & habet ex *Add. ad ipsam, in 2. edit. fol 624.*

3 Secundò peccant Actuarij, seu Notarij, & Scribæ, accipientes aliquid pro ordinibus, pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, si salarium constitutum habeant pro officio exercendo, vt in *Conc. Trid. sess. 21. de refor. cap. 1.* ita se habente: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis auaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissorijs, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam spontè oblatum Episcopi, & alij ordinum collatores, aut eorum Ministri quouis prætextu accipiant. Notarij verò in ijs tantum locis, in quibus nõ viget laudabilis cõsuetudo nihil accipiendi pro singulis litteris dimissorijs, aut testimonialibus, decimam tantum vnius auri partem accipere possint; dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, &c.*

4 Tertiò peccant Actuarij, seu Scribæ scribentes, aut transcribentes die festo, maximè citra necessitatem, & lucri gratia: quoniam transcribere præsertim est seruile opus, vt docent *Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4. Nauar. in Man. cap. 13. num. 14. vers. Decimò. D. Anton. par. 2. tit. 9. cap. 9.* Quantum ad tertium, *Angel. vers. Feria, nu. 31.* Nobis autem contraria sententia videtur probabilior, quam tenent *Barthol. Med. lib. 1. instr. confes. cap. 14 §. 8. in fine, Ludouic. Lopez p. 1. instr. consc. cap. 52. Sà vers. Festum, Sayr. lib. 7. Clauis Regia, cap. 2. num. 14 & 15.* & alij. Mouentur ex eo, quòd secundum communem sententiam scribere secundum se non est opus seruile, sed commune liberis, & seruis; & Reges, ac Principes, tàm Sæculares, quàm Ecclesiastici scribunt, nec quisquam putat rem vilem eos facere: ergò licitum est die festo scribere, & transcribere, etiam lucri gratia: siquidem die festo prohibetur tantùm opus seruile: & transcribere non est opus seruile, etiam si fiat lucri gratia: quoniam transcribere est formaliter scribere: & quæ licitè fieri possunt in festo sine lucro fieri quoque possũt ob lucrum, cùm id accidat festo, in quo simpliciter prohibetur opus seruile, siue fiat gratis, siue propter lucrum, vt rectè declarat *Sayr. loco citato.* Quibus adde, quæ infra dicemus de Tabellionibus, *vers. Vigesimoprimò peccant Notarij.*

5 Quartò peccant Actuarij, Scribæ, & alij iustitiæ Ministri, executores, & subsecutores mercedem percipientes vltra taxatum pretium à legibus, ac statutis. Et quamuis aliqui velint, quòd si mutatæ sint rerum conditiones, atque ideò expensæ, ac rerum pretia aucta sint, possint arbitrio boni viri aliquid amplius recipere, quàm per locorum pandectas taxatum reperiatur, vt habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13. num. 26.* & ex alijs; nihilominus *Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 8. ar. 4. & Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 125. num. 8. & 12.* dicunt id de facili non esse admittendum, ne detur eis depredandi occasio. Vndè ipse *Graff.* ibi putat, dictam opinionem locum habere in eo, qui post susceptum officium viderit mutatas rerum conditiones; aliàs si tempore, quo administrationem suscepit, iàm fuerint mutatæ rerum conditiones, sibi imputatur si stipendium à lege, aut statuto taxatũ ad ipsius, ac suæ familiæ alimenta non sufficiat, cum in eiusdem facultate fuerit illud acceptare. Et eo magis si eiusmodi personæ velint ad instar Aduocatorum expensas facere. Imò quãdo taxatum est stipendium aliquando, nec à spontè dantibus aliquid amplius accipere possunt, vt latè habetur ex *Molfes. & Graff. locis citatis, & Sayro lib. 12. Clau. Reg. cap. 25. num. 16. & 17.*

6 Quintò peccant Actuarij, Scribæ, & alij Ministri, executores, & subsecutores iustitiæ, si negligentes sint in eorum munere exercẽdo, nempè in scribendis scripturis, decretis, sententijs, prouisionibus, aut in earum executionibus, & in alijs similibus, ad quæ tenentur ex vi muneris: & insuper tenentur ad refectionem omniũ expensarum, damnorum, & interesse, quæ litigan-

gantibus ratione talis negligentiæ obuenerint: siquidem omnes exercentes officium aliquod, ea cautela, ac diligentia exercere tenentur, quæ iudicio prudentum, & peritorum in sua arte, videtur sufficiens, iuxta ea, quæ habentur ex *Glosa in cap. quoniam contra, in vers. Negligentia, de probat. Panor. in cap ad aures, num. 3. & seq. de ætate, & qualit. Salon. 22 sub nu. 11. & Molfes. par. 1. sum. tr. 8. cap. 13. num. 27.*

7 Sextò peccant Notarij, siue Actuarij, & Scribæ, Ministri, &c. si per ignorantiam omiserint Clausulas apponi solitas in decretis, sententijs, prouisionibus, & in alijs scripturis in litigantiū detrimentum, & ad damnorum, expensarum, & interesse restitutionem similitèr obligantur. Etenim omninò lege prohibetur quis exercere artem, quam ignorat, vt in *cap. non est sine culpa, de regul. iur. in 6.* & insuper si minus idonei sint ad eorum officium exequēdum, obligantur renunciare illud, aut alios idoneos sibi associare: aliàs dum permanent in eorum exercitio sunt in proxima occasione peccandi, atq; ideò inferendi nonnulla damna litigantibus, per ea, quæ habētur ex *Nauarr. in cap inter verba, 11. q 3. concl. 18. Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 13. sub num. 1.* & latius *cap. 25. num 2.* vbi specialiter agit de scientia, quam debet habere Notarius, & *Molfes loco citato.*

8 Septimò peccant Notarij, seu Actuarij, ac Scribæ, & ad restitutionem tenentur omnium damnorum, &c. si informationes fideliter non capiant, tàm pro Fisco, quàm contra Fiscum: testium dicta, & attestationes fideliter non scribant: si falsas scripturas faciant: si in gratiā vnius partis occultent processus, scripturas, instrumēta, aut differant consignationem, ne parti aduersæ displiceant: si pauperibus non valentibus sibi soluere pro labore actorum copiam denegent, quibus in iudicio iuuare se possent: si decreta parti reuelent antequam firmentur, &c. vt latè habetur ex *Sayro d. cap 25. num. 9. & 11. cum plur. seq. & Molfes. d. cap. 13. num. 28.* Et si aliquid à litigantibus, vel inquisitis acceperint pro dictis criminibus committend s, non est restituendum dantibus, cùm turpitudo sit ex vtraq; parte, sed pauperibus saltem de consilio, iuxta ea quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 30. vers. Quintò, Graff. par. 1. decis. lib. 2. c. 123. num. 5.* & ex alijs.

9 Octauò peccant Notarij, seu Tabelliones, vt personæ publicę, seu vt serui publici sunt, si scientiam saltem mediocrem non habeant eorum, quæ ad ipsorum munus pertinent: aut negligēter se habeant in eorundem officio exercendo: & insuper tenentur reficere omnia damna, expensas, & interesse, quorum ratione ignorantiæ sunt causa, vt supra diximus de Actuarijs, *vers. Sextò peccant*, & habetur ex *Panor. in cap. 1. num. 7. de fid. instr. & cap. sicut te, num. 22. ne Cler. vel Mon. Felin. in cap cùm causam, il 1. col 2. de testib.* cum alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap 25. num. 2.* Imò Tabelliones, seu Notarij prædicti si imperiti sint, & in eorum officio delinquant, possunt ab Episcopo examinari, suspendi, ac etiam priuari, vt habetur ex *Concil. Trid. sess 22. cap. 10. de refor.* his verbis: *Cùm ex Notariorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriatur; possit Episcopus quoscunque Notarios, etiam si Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creati fuerint, etiam tanquam delegatus S. Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam scrutari: illisque non idoneis repertis, aut quandocunq; in officio delinquentibus officij eius in negotijs, litibus, & causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi vsum perpetuò, aut tempus prohibere, neque eorum appellatio interdictionem ordinariorum suspendit.*

10 Nonò peccant Notarij, seu Tabelliones si instrumentis clausulas confusas apponant, aut quæ difficultates pariunt, & contentionum sunt causa, vel solitas prætermittunt, & tenentur ad damnorum restitutionem, vt habetur ex *D. Anton. par. 3. tit. 6. c. 3. §. fin.* Est tamen verū, quod Notariorum error, & ignorantia non debet parti nocumentum afferre, si aliundè constet de contrahentium mente, vt per *Glos. in l. vnica, in fine, C. de fide instr.*

11 Decimò peccant Notarij, seu Tabelliones, & ad damnorum restitutionem obligātur, si ex lata culpa non scribant diem, mensem, annum, & indictionem, inuocationem nominis Domini, nomen Principis loci, in quo fit instrumentum, & locus vbi recitatur, testes, nomen Tabellionis, & signum Notarij: & omnes actus distinctè notent, cùm hæc omnia sint de substantia instrumenti, vt latè habetur ex *D. Anton. loco citato, & Couar. lib. pract. qq. q. 20.* Idem dicēdum est, si lata culpa, vt supra, protocollum perdat, vt inquit *Bart. in rub. ff de Tab. exhib. & Sayr. loco supra relato.*

12 Vndecimò peccant Notarij, seu Tabelliones non seruantes apud se copiam, & originale omnium instrumentorum; atque ideò protocolla apud se diligenter non custodiant. Imò quamprimum commodè poterunt, obligantur instrumenta ipsa extendere, ac in completam, & perfectam formam instrumenti redigere, & in registro ea ponere, vbi vim, & auctoritatem habere incipiunt, vt habetur ex *Panor. in cap. sicut te, num 20. ne Cler. vel Mon.* ad quod facit *tex. in cap quoniam contra, de probat. & l. quisquis. §. Prætor ait, ff. de edit instr.* & latè *Sayr. in d. cap. 25. num. 8.*

13 Duodecimò peccant Notarij, seu Tabelliones si rogati non conficiant instrumenta, & cōscribant acta, de quibus fuerint rogati. Etenim huiusmodi Notarij, vt diximus, sunt personæ publicæ, seu serui publici, à Principe, aut Rep. destinati; atq; ideò possunt compelli ad instrumenta, ac acta conscribenda: & si negēt, possunt per Iudicem officio priuari, nisi rogentur de cōtractu illicito: aut iusta ex causa fuerint impediti: vel ad aliud officium sint promoti: vel fuerint effecti Decuriones, aut Aduocati, Clerici, vel Monachi, vt habetur ex eodem *Panor. in d. cap. sicut te, num. 19.* & in eum *Seb. Sap. ne Cler. vel Mon.*

14 Tertiodecimò peccant Notarij, seu Tabelliones si in conficiendis instrumentis, & testamentis partes non doceant de Clausularum effectu, quas in instrumentis apponunt, & de obscuris maximè mulieres, & simplices: alioquin dicuntur esse in dolo, peccant lethaliter, & tenentur ad damnorum refectionem, vt per *D. Anton. p. 3. tit. 6. cap. 3. §. vlt. vers. Quartò, Nauar. in Man. cap. 25.*

cap.25.num.63.vers.Tertiò,Sayr.d.cap.25.nu.10.& Graff.par.1.decis.lib.3.cap.9.num.4.

15 Quartodecimò peccant Notarij,ac Tabelliones si transumptum instrumenti parti petenti nō tribuant. Imò pauperibus non valentibus mercedem soluere, tenentur gratis tribuere, vt per *D.Anton.d.§.vlt.vers.Septimo, & Nauar.d.c.25.num.53.*

16 Quintodecimò peccant Notarij,seu Tabelliones instrumenta occupantes petentibus, & ad damnorum refectionem obligantur. Imò testamenta legata continentia tenentur reuelare si videant ab hæredibus non solui:& multò magis si pia sint, vt habetur ex *Syl. vers.Tabellio,qu.8. Tolet. lib. 5. suæ sum.cap.6. Nauar. loco paulò supra citato,& Sayro d.cap.25.num.9.& 14.in vers.Item tenetur:* vbi etiam refert Constitutionem Pij IV. quæ incipit: *Etsi per diuersos*,edita anno 1562.15.kal.Ian.per quam possint Notarij quicunque per Confessarios Fabricæ S.Petri de Vrbe cogi ad aperiendum testamenta post annum à die obitus testatoris,sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, soluta ipsis Notarijs debita mercede.

17 Sextodecimò peccant Notarij, seu Tabelliones scribentes in instrumentis pecuniam fuisse numeratam, cùm re vera non fuerit: & insuper tenētur pœnæ falsi, vt per *Ias.in l.singularia.ff.si cert.pet.*quod declara,vt per eūdem *Ias.& Sayrū ibidem.*Idem dicendum est si aliquid ex malitia addat, mutet, aut detrahat in instrumentis, vt per *Doctor. supra citatos*. Imò cùm Notarij iuramentum præstent tempore eorum promotionis de ipsorum munere fideliter obeundo,iuxta ea,quæ habentur ex *Ioan. Andr. & Panor. in d.cap.sicut te,nu.19.& 20 ne Cler.vel.Mon.* & ex alijs, vltra falsi committunt quoque crimen periurij.

18 Decimoseptimò peccant Notarij, seu Tabelliones conficientes instrumenta vsuraria, palliata,illicita,ac iniusta,& tenentur ad restitutionē: siquidem hi influunt ad vsuras exercendas, & sunt causa,cur vsuræ soluantur; atque ideò concurrunt ad iniustam acceptionem,ratione cuius oritur obligatio ad restituendum.Quod quidem tunc locum sibi vendicat,quando instrumenta sunt simulata,seu palliata,ita vt eorum iniustitia lateat, vt si mutuatarius in rei veritate 90. tantū aureos mutuo acceperit, & Notarius scripserit in instrumento recepisse centum;atque ideò illa decem supra nonaginta non fuerunt mutuata; sed pro vsuris promissa, quamuis id in instrumento non appareat. Secus autem si instrumenta manifestè sint vsuraria,& iniusta,itaut instrumentum facti veritatem contineat, & fideliter enarrat,quod inter vsurarium,& mutuatarium fuerit conuentum:nam licèt hoc casu peccent,vt benè declarat *Azor.par.3.instit.moral.lib.5.c.17.q.6.* vbi id limitat non procedere in Notario conficiente instrumentum vsurarium inter Christianum,& Iudæum:quia in scriptura eiusmodi solùm est testificatio eius,quod fit;nihilominus ad restitutionem non tenentur: quia cùm instrumenta apertè sint vsuraria,illorum vigore non possunt mutuatarij compelli ad vsuras soluendas, etsi ad vsurarij petitionem ea stipulentur.Imò tantum abest, vt per huiusmodi instrumenta cogi possint,vt potius ex eis probare possit,contractum esse vsurarium;atque ideò vsuras promissas non esse soluēdas,vt habetur ex *Mol. de contr.disp.331.num.6. Rebell.lib.8. de vsur. q.16.sec.4.num.19. Azor.loco citato*,& ex alijs.

19 Quæ quidem vera sunt quotiescunque Tabelliones instrumenta rogauerint in Prouincijs,in quibus seruatur *d.Clem.1.de vsur.*cuius vigore vsuræ sunt omninò prohibitæ,& cùm primum nouerit Iudex contractum esse vsurarium,punit celebrantem, & ita in talibus Prouincijs non possunt compelli mutuatarij vi dictorum instrumentorum ad vsurarum solutionem: secus autem dicendum est in Prouincijs,in quibus *d. Clem.* non est in obseruantia; nam vigore dictorum instrumentorum de facto compelluntur ad soluendas vsuras,quas promiserunt,vt per *Felin.in cap.si aduersus,de hæret.Tol.lib.5.suę sum.cap.61.Sayr.lib.12. Clau. Reg.cap.25.nu.13.& Mol. loco supra relato.* vbi etiam *num.7.* addit ex *Soto, & Nauar.* quòd si Tabellio instrumentum rogauerit,volēte mutuatario, qualecunque sit, licèt peccet ob iuramentum maximè ab eo præstitum tempore, quo in Tabellionem fuit creatus, de fidelitate seruanda,& veritate exponenda in omni scriptura ab eo facienda; non tamen obnoxius remanet vsurarum restitutioni:quia non lędit mutuum.Hoc idem tenet *Salon.22.q.78.ar.3.contr.9.à num.7. ad 9. & Less.de iust.& iur.cap 20.dub.2.num.18.*

20 Decimoctauò peccant Notarij, seu Tabelliones producentes scripturam falsam in iudicio, etiam ad liberandum innocentem, quem certò nouerit innoxium esse. Non tamen tenetur ad restitutionem; quia neminem lędit; licèt faciat contra iuramentum, & fortè contra iustitiam accusatoris, si bona fide fuerit delata accusatio, vt per *Salon.Less.& Molin. locis citatis*.

21 Decimononò peccant Notarij, seu Tabelliones scienter conficientes testamenta nuncupatiua eorum, qui non sint sanæ mentis,& tenētur reficere damna legitimis hæredibus, vt habetur ex *Nauar.in Man.cap.25.nu.54.vers Quintò*.

22 Vigesimò peccant Notarij,seu Tabelliones,si pretio corrupti, odio, vel importunis precibus inducāt testatorem instituere alium ab illo, quē ipse volebat, & insuper ad damnorum restitutionem tenētur,vt habetur ex *D. Anton. par.3. tit.6.cap.3.§.vlt. Syl.vers.Tabellio, q.8.& 11.* & est *tex.in l.1. C.si aliquis testari prohibetur.* Est tamen verum, quod si non dolo, nec vi, sed simplicibus verbis induxerit testatorem ad instituendum alium ab illo,quem volebat,non tenetur ad restitutionem. Imò si ex iusta causa id agat,nec peccat quidem,etiam si precibus testatorem induxerit; dummodò non fuerint importunæ,vt habetur ex *Nauar.in Man.cap.26.nu.36.Couar.in regula peccatum,par.2 §.7.in fine, de regul.iur.in 6. & Sayr.lib.12.Clauis Reg.c.25.sub num.14.in vers. Deinde Notarius.*

23 Vigesimoprimò peccant Notarij, seu Tabelliones si diebus festis citra magnam necessitatē instrumenta rogent, vel extendant; quoniam id prohibetur in *cap 1.de fer.* & habetur ex *Graff. par.1.decis.lib.3.cap.9. sub num.5.* Non tamen condemnarem eos ad lethalem culpam si pauper esset Notarius, qui instrumenta conficeret, aut expéderet die festo, aut ex causa curaret aliquid breui tempore transcribi, aliàs non habituros

tutus copiam scripturæ, cuius maximè indigeret, vt habetur ex *Sayr. lib. 7. Clauis Regia, cap. 2. num. 14.* etiam si velimus tenere veriorem esse sententiam eorum, qui dicunt, quòd licet scribere non sit opus seruile; tamen transcribere est seruile opus; atque ideò prohibitum esse die festo, si maximè fiat ob lucrum, vt habetur ex *D. Anton.* & alijs, quos supra retulimus, *vers. Tertiò peccant Actuarij.*

24 Vigesimosecundò peccant Notarij, seu Tabelliones in Ecclesijs instrumenta dictãtes, aut publicantes, vt habetur ex *Antonuc. lib. 1. Cathec. Neap. cap. 31.* quoniam id est contra loci reuerentiam debitam, per ea, quæ habentur ex *Suar. de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. cap. 3 cum plur. seq.* Imò extat *tex. in cap. 1. & cap. cùm Ecclesia, de immunit. Eccles.* quibus cauetur, ne Iudices Sęculares causas criminales in Ecclesijs tractent sub pœna excommunicationis: quæ pœna extenditur etiam in tractantes causas ciuiles, vt in *cap. licèt, de immun. Eccles. in 6.* Quod tamen verum est, nisi causa sit Ecclesiastica, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 16 sub num. 35 & 36. vers. Et tantò minus.*

25 Vigesimotertiò peccant Notarij, seu Tabelliones vltra taxatum eis pretium aliquid recipientes; nisi spontè ipsis fuerit elargitum, vt per *Syl. vers. Tabellio, q 6. vers. Primum, Nauar. lib. 3. de restit. cap. 3. num. 12. Rodriq. in summ. par. 1. cap. 2. concl. 1. Tolet. lib. 5 sua sum. c. 61. in fine, & Sayr. lib. 12. Clau. Reg. c. 25. sub num. 16. vers. Secundò cauere: & num. 17* vbi etiam *num. 18.* ex *Nauar. loco citato,* & ex alijs, ait, quòd quando lex non solùm taxat pretium; sed etiam prohibet, ne quis aliquid amplius, etiam spontè oblatum accipiat; tũc nec quidem à spõtè dante poterit rem aliquam vltra taxatum pretium percipere. Est tamen verum, quòd *Petr. Nauar. loco citato, num. 15. & Rodriq p. 2. sua summ. cap. 2. concl. 3.* volunt, quòd licèt Notarij, stante lege prohibente, eo casu peccent mortaliter à sponte dãte aliquid vltra taxatam mercedem accipientes; nihilominus non tenentur ad illius restitutionem: siquidem licèt prohibeat lex gratis oblatum accipere; non tamen impedit lex illius rei dominij translationem in accipiẽtem, nec inhabiles ipsos Notarios reddit ad recipiendum. Imò si illud amplius spontè daretur Notarijs, non ratione officij scribendi; sed ratione qualitatis personæ, nempè, quia amici sũt, nobiles, aut consanguinei, vel ratione dignitatis donantis, vt quia offerens esse magnæ qualitatis vir, & ęgreferret, si Notarij donatum non acciperent; tunc citra culpam illud possent percipere; cùm non ratione scripturæ; sed ratione personæ Notarij, vel donantis perciperent.

26 Idem dicendum est, si Notarius ad partis instantiam noctes duceret insomnes, vt transumptum alicuius scripturæ celerius eidem consignaret; quia tunc illud incrementum non ratione scripturæ, sed ratione extraordinarij laboris, ad quem non tenebatur, percipit. Eadem ratione si Notarius ad instrumentum, aut aliam scripturã conficiendam oporteret se conferre ex vna Ciuitate ad aliam: vel ex Ciuitate ad Suburbia notabiliter distantia: vel eorum oporteret è domo egredi de nocte non sine magno eiusdem incõmodo: vel partes discordantes in pretio, vel in alijs rebus sua opera, & consilio componeret, & concordaret, tunc posset aliquid amplius vltra taxatam mercedem consequi: quia illud percipit non ratione scripturæ, sed ratione extraordinarij laboris, vt habetur ex *Petr. Nauar. loco citato, num. 19. Rodriq. d. cap. 2. concl. 1. Lopez lib. 1. de contr. cap. 19. & tom. 2. instr. consc. cap. 29.* quos refert, & sequitur *Sayr. d. cap. 25. num. 19. & 20.*

De Accusatore, seu Actore, Denunciatore, Reo, testibus, & appellantibus, ac eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

DISP. XX.

SVMMARIVM.

1 *Accusatio deferri potest, tum ad publicã vindictam, tum ad reparandum accusantis detrimentum; semper tamen ad commune bonum est referenda.*
Num denunciatio ad merum imperium pertineat, & quotruplex sit accusatio.
2 *Iudicialis denunciatio ab accusatione in multis differt.*
3 *Denunciatores, & accusatores, in quibus ab Actore differant.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd licèt accusatio deferri possit non solùm ad publicam vindictam; sed etiam ad reparandum accusantis detrimentum, ut patet ex toto *tit. ff. & C. de accusat. & denunc.* nihilominus in priuato bono nunquam sistere debet; sed ad commune bonum est omninò referenda. Etenim ob hanc causam accusatio dicitur ius prosequendi in iudicio ad publicam uindictam, ut in *instit. de publ. vind. in princ.* Denunciatio uerò ad merum imperium pertinet, sicut accusatio, est quotruplex, ut colligitur ex *Panor.* & alijs in *cap. nouit, de iudic. cap. si peccauerit, 2. q. 1. Sot in relect. de tegen. secr. mẽb. 2. q. 5. Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 9. num. 1. cum plur. seq.* & ex alijs: Euangelica scilicet, quæ fit, præuia correctione fraterna, & tendit ad solius fratris recuperationem, ántequam denuucietur Ecclesiæ, iuxta illud *Matt. cap. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c.* Canonica, quæ est criminis manifestatio à iure Canonico inuenta non ad publicam criminis uindictam; sed ad euitandum crimen ab aliquo perpetrandũ, aut commissi recidiuum, & ad coercendum crimina, ne ulterius procedant; quæ in multis conuenit cum Euangelica, ut rectè declarat *Sayr. loco citato, num. 4.* Iudicialis, quæ diuiditur in priuatam, cùm quis crimen denunciat ad proprium damnum reficiendum: & in publicam, quæ Iudex ex officio per denunciationem suorum officialium procedit, uel ad mulctandum Reum pœna fiscali, uel alia pœna arbitraria. Et regularis, quę seruatur in Religionibus, iuxta earum Regulam, Constitutiones, & Statuta; siue iudicialis sit,

propter

propter interesse proprium, siue Canonica, propter commune bonum, in qua proceditur summariè, simpliciter, & de plano, nullo iuris ordine seruato; sed ad solam emendam delinquentis, & cōmune bonum Religionis, ne contaminetur.

2 Differt autem iudicialis denunciatio in multis ab accusatione. Primò, quia denunciatio non tendit per se primò ad publicam vindictam, sed ad proprium interesse reficiendum, in quo per iniuriam læsus est: accusatio verò per se primò, vt diximus, dirigitur ad vindictam publicam, propter commune bonum. Secundò differt; quia per denunciationem non cogitur quis crimen testibus probare: per accusationem autem tenetur. Tertiò, quia licèt denunciatio iudicialis tēdat ad vindictam; non tamen est denunciatio infligenda tota pœna, quæ de iure sibi debetur: accusatio verò secus. Quartò denunciatio iudicialis est mera criminis manifestatio, citra actionē aliquam: accusatio autem est delatio criminis cum actione, vt rectè declarant Doctores supra citati. Et in summa, vt rem ipsam paucis concludam, denunciatio iudicialis, & accusatio in eo præcipuè differunt, quod accusatio est delatio criminis apud competentem Iudicem, interueniente inscriptione, & alijs solemnitatibus à iure requisitis, ad publicam delictorum vindictā: denunciatio verò iudicialis dicitur, qua crimen ad Superiorem defertur, tanquam ad Iudicem competentem, vt propter bonum publicum puniat delinquentem citra inscriptionem, atq; ideò citra obligationem aliquam ad pœnam talionis, nec exigitur, vt denunciatio fiat in scriptis, vt rectè declarat *Sayr. lib.12. Clauis Regiæ, cap.14. num.11.* Vtraque rursus, tàm scilicet iudicialis denunciatio, quàm accusatio fieri contingit, vel ab accusatore, seu denunciatore ex officio publicè deputatis ad crimina denuncianda, & per accusationem in iudicio deferenda: vel contingit fieri per priuatos accusatores, seu denunciatores quibus ex officio non competit denunciare, seu accusare.

3 Differunt denique accusatores, seu denunciatores ab Actore in hoc, quia accusatio, & denūciatio sunt meri imperij, atque ideò accusatores, & denunciatores in criminalibus tantùm causis admittuntur. Actio verò ad simplicem iurisdictionem pertinet, & est ius prosequendi in iudicio, quod sibi debetur in causis ciuilibus, vt habetur in *instit. de action. in princ.* Vndè Actor in ciuilibus tantum causis agere propriè dicitur, vt habetur ex *Petr. de Arag. 22. q. 67. ar. 3. Alc. in l. pecunia, §. Actio, de verb. signif. & Sayr. loco citato, num. 1.*

His breuiter sic adnotatis in hac disputatione primò agemus de Accusatore, Denunciatore, ac Actore, deinde de Reo, demum de testibus, ac appellantibus, & eorum defectibus, ac culpis.

De culpis Accusatoris, Denunciatoris, & Actoris.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccant publici Accusatores, ac denunciatores, qui ex officio accusare, vel denunciare tenentur, si quos in crimina lapsos deprehenderint, non accusent.*
An hi peccant, non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam.

2 *Huiusmodi accusatores, seu denunciatores non solum tenentur damna reficere, quæ inde Reipublicæ, vel priuato euenerint, sed etiam ad pœnam illam tenentur ad quam delinquentes damnarentur, si accusati fuissent.*

3 *Pœnam legis ante Iudicis condemnationem, quis pati non tenetur, nisi habeat non tantùm rationem pœnæ, sed etiam damni.*

4 *Contrariam sententiam* Nauar. & Syl. *putant esse veriorem, & quare.*

5 *Accusator ex officio, si aliquid accipiat, ne accuset, seu denūciet, non modo tenetur ad damni restitutionem Reip. aut tertio illati, & ad pœnam, ad quam damnati fuissent delinquētes, verum etiam ad sic acceptum restituendum.*
Et cui sit restituendum sic acceptum, num Fisco, vel parti.
Et quid dicendum in criminalibus, & vbi quis ab accusando desistit per compassionem.

6 *Qui ex officio tenetur accusare, non accusando, haud facit contra iustitiam commutatiuam, sed legalem, ideò peccat, sed ad restituendum acceptum non tenetur.*

7 *Quæ dicta sunt de accusatoribus ex officio extendi possunt ad birruarios, & alios iustitiæ Ministros.*

8 *Non peccant saltem mortaliter, qui non accusant eos, qui propter extremam, aut grauem necessitatem contra legis, vel statuti dispositionem committunt, prout venantes, aucupantes in locis lege, vel statuto prohibitis.*
Quod ad birruarios, & cæteros iustitiæ Ministros extenditur.

9 *Consanguinei, & amici eorum, qui leges, & statuta cōdiderunt, censentur prædictis legibus, & statutis excepti, nisi eorum crimen sit contra bonum Reipub. vel alterius Regni.*

10 *Nec peccant accusatores, seu officiales huiusmodi, non accusantes eos, qui facultatem si peterent, obtinerent, sed non petunt ob verecundiam, vel aliam causam.*

11 *Peccant Accusatores, ac Denunciatores ex officio, qui cum delinquentibus dissimulantes, se abscondunt, vt alij libere vetita subtrahant, eosque non capiunt, nec accusant, & nec puniri faciunt.*
In quibus casibus id limitetur.

12 *In quibus alijs casibus peccant huiusmodi accusatores, ex officio.*

13 *Peccant Accusatores, & Denunciatores priuati, seu qui ex officio ad id non tenentur, si nō deferant, vel accusent Iudici crimina, quæ sunt contra bonum communem, & sunt in fieri, ac in procinctu, eaque sufficiente testimonio probare possunt. Et an id præceptum sit quasi naturale.*

14 *Quænam sint delicta, quæ in damnum publicū vergant.*

15 *Crimina iam cōpleta, & quæ nullatenus actu moueant, non tenetur quis accusare, seu iudicialiter denunciare, nisi à Iudice fuerit iudicialiter interrogatus.*

16 *Nemo ad id obligatur, quod debito modo perfi-*

 cere

cere non potest; atque ideò qui crimen probare non potest, in iudicio deferre non tenetur.

An calumniator dicatur, qui verum crimen, sed occultum, alteri scienter obijcit.

17 *Si agatur de crimine, Reip. pernicioso, quod probari nequit, ne omninò remaneat impunitum, debet Iudici manifestari per viam denunciationis, non verò accusationis.*

18 *Quamuis delictum probari nequeat, est tamen Superiori denunciandum, & cur.*

Suntque propterea cogendi pœnitentes ad denunciandos Confessarios, quos nouerint in actu confessionis ad turpia sollicitasse.

19 *Etiam delictum, quæ vergeret contra tertiam personam priuatam, si est in fieri, vel in procinctu, vt fiat, est accusandum seu denunciandum: Et quando.*

20 *Delictum si iam est subsecutum, nec adest timor recidiuini, quia delinquens est forte emẽdatus, & parti læsæ sit satisfactum, nec accusandum, nec denunciandum est. Et quare.*

21 *Peccant accusantes seu denunciantes aliquem de delicto, quod nouerint à delinquente sub sigillo secreti, ad consilium, vel remedium forsitan habendum.*

22 *Peccant Accusantes, seu denunciantes aliquẽ de delicto, quod nouerint ex leuibus personis, fide non dignis.*

23 *Peccant Denunciantes, ac deferentes ad Superiores crimina occulta, quantumuis attrocia, & in fieri, seu in procinctu, vt fiant, non prius præmissa correctione, & admonitione.*

An accusatio monitionem prius requirat.

24 *Si in accusando virum aliquem insignem, & optima fama, & ex eius infamia, ac delatione plus scandali, ac damni, quam emolumenti Reipub. proueniret, & ex correctione compertum haberetur esse emendandum, præmittenda est monitio.*

An sit præmittenda monitio, tum in accusatione, tum in denunciatione, si probabiliter dubitetur de emendatione delinquentis, vel periculum sit in morte.

Et an praexigatur correctio in crimine heresis, perditionis Ciuitatis, ac læsæ maiestatis.

25 *Peccant Accusatores, & Denunciatores, qui licet causam iustam habeant accusandi, vel denunciandi, iniusta tamen intentione mouentur.*

26 *Peccant Accusatores, & Denunciatores, non solum per calumniam accusantes, & denunciantes, sed etiam per prauaricationem, seu tergiuersationem fraudulenter colludentes cum Reo.*

27 *Peccat Actor in ciuilibus, si quod sibi non debetur scienter petit, & parti tenetur ad omnia damna, expensas, & interesse.*

1 PEccant primò publici Accusatores, ac Denunciatores, qui ex officio tenentur accusare, vel denunciare, si non accusent, vel denuncient eos, quos in crimina lapsos deprehenderint: & insuper tenentur ad damnorum refectionem ob eam causam Fidelibus prouentorum, vt habetur ex *Nauar. in Man cap. 17. num. 122. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 4. dub. vlt. num. 138.* Et hanc opinionem communem esse testatur *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 14. num. 13. vers. Secunda propositio:* siquidem hi peccant nõ solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, cùm non possit assignari diuersitatis ratio, cur vineæ custos non annuncians Domino damnum ipsi vineæ ab alijs illatum peccet, & ad dãni restitutionem teneatur: & non supradicti Accusatores, & Denunciatores si non accusent, aut denuncient: cùm non minus vnus, quàm alter faciat contra charitatem, qua ratione culpa committitur: & contra iustitiam, ex cuius solius violatione contrahitur restitutionis obligatio.

2 Ampliatur id, quod diximus, vt huiusmodi Accusatores, seu Denunciatores, vt supra, non solùm teneantur ad reficiendum damna, quæ indè Reip. aut alicui priuato fuerint subsecuta; sed etiam ad pœnam illam tenentur, ad quam damnarentur delinquentes, si accusati fuissent, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 67. ar. 4 ad 3. Syl. in sum. vers. Pœna, q. 28. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 4. par. 1. dub. vlt. Petr. de Arag. 22. q. 62. ar. 7.* vbi etiam *Salon. controu. 4. & 5. & qu. 68. ar 1. contr. 3. in princ. & in fine, Graff. par. 1. decis lib. 2. cap. 123. num. 17. & Sayr. loco citato, num. 18.* Etenim pœnæ huiusmodi Fisco, aut alij eas ementi ex vi legis, aut statuti communiter solent applicari; ergò tales Accusatores non accusando cùm vi sui officij debeant, & impedimentum afferant, ne prædicti ius suum consequantur, non solùm contra iustitiam legalem, sed etiam contra iustitiam commutatiuam, peccant: & propterea vltra culpam tenentur ad dãni restitutionem. Confirmatur; quia cùm eiusmodi accusatores talia officia acceptent, & iurent fideliter se habere, virtualem quendam contractum censentur celebrare, cuius vigore obligantur soluere damnum, quod patitur communitas, Fiscus, emptor pœnarum, & pars læsa ex omissione, ac defectu sui officij: ergò non accusantes, cum debeant, proculdubio agunt, non solum contra iustitiam legalem, & sic peccant; sed etiam contra iustitiam commutatiuam, atque ideò restitutioni efficiuntur obnoxij. Nec ob-

3 stat si dicatur, quòd pœnam legis non tenetur quis subire ante Iudicis condemnationem, & ideò delinquens, cùm adhuc nõ fuerit condemnatus, nec accusator tenetur eam soluere antequam iudicialiter condemnetur: Quoniam respondetur, in casu, de quo agitur, pœnam appositam duas habere rationes, nempè rationem pęnæ, & rationem damni. Rationem pęnæ sibi vẽdicat in ordine ad delinquentem: & hæc nunquã debẽtur ante Iudicis condemnationem: Rationẽ verò damni, & non pœnæ habet respectu illius tertij, cui est applicata pęna; atq; ideò ad damnum tenetur accusator, vt causa illius ex omissione sui officij in foro conscientiæ soluere, etiã ante omnem iudicis condemnationem. Vndè meritò delinquens non tenetur in conscientia ad pœnam antè iudicialem sententiam: & accusator ipse obligatus remanet: siquidem ad eam delinquens ex vi tantùm legis, seu statuti tenetur: accusator verò ex officio, & vi muneris obligatur prospicere Reip. Fisci, Tertij indemnitati, cũ ad id ratione stipendij, fidelitatis, & iuramenti sit obligatus.

4 Hanc eandem sententiam tenet *Med. C. de restit q. 12. dub. vlt. §. Et hic est vnus casus. & q. 15. in fine,* & alij. Verum, quia *Nauar. in Man. cap. 25.*

4 *cap.25.num.34.verſ.Octauò:Cord.in ſum.q.66. §.2.*imò, & *Syl.* ſibi contrarius *verſ. Reſtitutio, 3.q.5.verſ.Septimum,*contrariam ſententiam putant eſſe veriorem, per illam communem Doctorum regulam, qua cauetur, pœnam non deberi ante Iudicis condemnationem; idcircò idē *Sayr.loco citato,nu.*20. arbitratur, quòd ſi quis in praxi opinionem illam ſequatur,cùm ſit probabilis,erit tutus in conſcientia: quoniam licitū eſt in praxi ſequi opinionem probabilem, etiam ſi contraria tutior ſit:& eò maximè in caſu,de quo agitur, ſi accuſator in acceptatione officij obligauit ſe tantùm ad accuſandum;non autem ad reſtituendum: aut id ſaltem virtualiter ſatis ſignificauit, iuxta ea, quæ habentur ex *Salon. 22.q.68.ar.1. contr.3. in fine* Sunt autem hæc, quæ diximus intelligenda de pœnis pecuniarijs; ſecus autem de corporalibus: ſiquidem eiuſmodi corporales pœnas non tenetur ſubire talis accuſator ſecundum communem ſententiam relatam ab eodem *Sayr.d.num.*18.

5 Secundò ampliatur, quod ſupra diximus, vt prædictus accuſator ex officio ſi aliquid accipiat,vt non accuſet,ſeu denunciet; non ſolum teneatur ad damni reſtitutionem Reip. aut tertio illati, & ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnati fuiſſent delinquentes, ſi contra eos accuſatio delata extitiſſet; verùm etiam ſic acceptum reſtituere teneatur, vt habetur ex *Ioann. Med.C.de reſtit.q.3.cauſa 10.verſ.Quintò:Syl. in ſum.verſ.Reſtitutio, 3. q. 5. §.Septimum: Sot. lib.4.de iuſtit.& iur.q.7.ar.1.verſ.Secundus ergò modus, Cord. in ſum.q.66.§.1.in fine, Salon. 22.q.68 ar 1. contr.1. q vlt.* quam ſententiam communem eſſe teſtatur *Sayr. lib. 12. Clauis Reg.cap.14.num.16.* Rationem autem hanc eſſe volunt præfati Doctores: quia huiuſmodi accuſatores,ſeu denunciatores ex iuſtitia crimina accuſare,ſeu denunciare tenentur;ergò accipientes aliquid ne accuſent, contra iuſtitiam dicuntur agere; atque ideò ad illius reſtitutionem obligantur. Verum tamen eſt,quòd in hac re Doctores non ſunt concordes:nam *Syl in ſum. verſic. Pœna,q.* 28. quem ſequitur *Graff. par. 1. deciſ. lib.2.cap.*123. volunt, ſic acceptum eſſe reſtitutioni obnoxium Fiſco, vel ei, cui erat pœna pecuniaria applicanda: & inſuper tenentur ad cōplementum pœnæ exigendæ, ſi accuſaſſent. In criminalibus verò, vbi infligenda eſſet pœna corporalis, ſi tales deſiſtunt ab accuſando per compaſſionem, & aliquid percipiunt pro non accuſando, non obligantur neceſſariò ad accepti reſtitutionem;licèt turpiter acciperent,& peccarent: ſecus autem ſi deſiſterent ab accuſando per concuſſionem. *Nauar. denique in Man.c. 17.num.122.in fine,& cap.25. nu.34. & Couar. in regula peccatum,par.2. § 2. de regul iur.in 6.* volunt ad accepti reſtitutionem non teneri; ſed ſolùm ad emendationem damni tertiæ perſonæ illati ob accuſationem non delatam: quæ quidem ſententia verior nobis videtur. Siquidē hoc caſu conſtat, turpitudinem eſſe ex vtraque parte, tàm dantis ſcilicet, quàm accipientis: vbi autem turpitudo eſt ex parte vtriuſque, tunc nō habet locum reſtitutio neceſſariò;ſed tantùm de conſilio facienda eſt pauperibus, vt habetur ex *Graff. loco citato, num. 16.* & nos latè oſtendimus ſupra *diſp. 18.ſec. 1. verſ. Tertiò peccant Magiſtratus,& Iudices.* Confirmatur; quia nō accuſare delinquentem cedit in bonum ipſius delinquentis: & propterea non accuſans non tenetur id gratis omittere, & ſic ita elargitum retinere poteſt.

6 Nec ex eo, quòd tenetur ex officio accuſare remanet reſtitutioni obnoxius eius,quod accepit pro non accuſando;quia non accuſando Reū quoad ipſum non facit contra iuſtitiam commutatiuam, ſed tantùm contra iuſtitiam legalē; atque ideò peccat: non tamen tenetur acceptum reſtituere. Sed quia contra Remp. & Fiſcum, aut contra alium,quibus debetur pœna,& damnum infertur ob accuſationem,vel denunciationem non delatam, non accuſans agit contra iuſtitiam commutatiuam, vt ſupra probauimus, meritò peccat, & tenetur ad reſtitutionem non ſolùm damni indè obuenti Reip. aut alicui tertio; ſed etiam ad illam pœnam pecuniariam, ad quam delinquentes damnarentur ſi accuſati fuiſſent.Quæ diximus de ſupradictis accuſatoribus

7 ex officio extendi poſſunt ad B[illegible]narios, & ad alios iuſtitiæ Miniſtros, qui ex officio tenentur capere, vel accuſare, ſeu denunciare deferentes arma prohibita: vel permiſſa, ſed in tempore, aut loco prohibito,& alia eiuſmodi, & non capiant, nec accuſent, nec denuncient:nam tenentur ad damna tantùm reficienda, & ad pœnam pecuniariam,Fiſco,vel alteri applicandam; non autem ad accepti reſtitutionem pro non capiendo,accuſando,vel denunciando, vt ſupra.

8 Sic ampliata limitantur ea, quæ ſupra diximus primò, vt non accuſantes ſupradicti, non peccent ſaltem mortaliter, ſi non accuſent contra legis, aut ſtatuti diſpoſitionem committentes propter extremam,aut grauem neceſſitatem, qua certò nouerint eos laborare, vt ſunt pauperes venantes, aucupantes, vel ligna cædentes in locis lege, aut ſtatuto prohibitis,propter extremam,aut grauem famis, vel frigoris neceſſitatē: quoniam ſicut hi non peccant legem violantes, cùm leges poſitiuæ non obligent cum tanto detrimento;ita eiuſmodi officiales deſtinati ad accuſandum non peccant tales pauperes non accuſando; quamuis tempore ſuſcepti muneris iuramentum præſtiterint de accuſando delinquētes, ita *Nauarr. in Man. cap.17. num.122. & Sayr.loco citato,num 14.* Eadem ratione ſi birruarij,& alij officiales, ſeu miniſtri iuſtitiæ deſtinati ad capiendos deferentes arma prohibita, ſi certò nouerint aliquem arma prohibita deferre ad neceſſariam propriæ vitæ defenſionem, cū alias à ſuis inimicis occideretur: Et Superiores recuſent ei concedere dictorum armorum delationem; ſi illum nō caperent, proculdubio nō peccarent;ſicut non peccat ipſe deferens. Imò ſi prædicti accuſatores in ſupradictis caſibus aliquid extorqueant à præfatis contra legem committentibus, ne eos accuſent, aut capiant,reſtituere illis tenentur, cùm turpitudo ſit ex parte accipientis tantum; non autem dantis, cum accuſatores,& miniſtri eiuſmodi non ſolùm in dictis caſibus poſſint; ſed etiam debeant præfatos contrauenientes non accuſare,nec capere:& dātes emolumentum illud tribuunt ad eorum vexationem redimendam, ne ſcilicèt iniuſtè accuſentur,aut capiantur.

9 Secundò limitantur, quando ij, qui committunt

cere non potest; atque ideò qui crimen probare non potest, in iudicio deferre non tenetur.

An calumniator dicatur, qui verum crimen, sed occultum, alteri scienter obijcit.

17 *Si agatur de crimine, Reip. pernicioso, quod probari nequit, ne omnino remaneat impunitum, debet Iudici manifestari per viam denunciationis, non verò accusationis.*

18 *Quamuis delictum probari nequeat, est tamen Superiori denunciandum, & cur.*

Suntque propterea cogendi pœnitentes ad denunciandos Confessarios, quos nouerint in actu confessionis ad turpia sollicitasse.

19 *Etiam delictum, quæ vergeret contra tertiam personam priuatam, si est in fieri, vel in procinctu, vt fiat, est accusandum, seu denunciandum: Et quando.*

20 *Delictum si iam est subsecutum, nec adest timor recidiuini, quia delinquens est forte emẽdatus, & parti læsæ sit satisfactum, nec accusandum, nec denunciandum est. Et quare.*

21 *Peccant accusantes, seu denunciantes aliquem de delicto, quod nouerint à delinquente sub sigillo secreti, ad consilium, vel remedium forsitan habendum.*

22 *Peccant Accusantes, seu denunciantes aliquẽ de delicto, quod nouerint ex leuibus personis, si de non dignis.*

23 *Peccant Denunciantes, ac deferentes ad Superiores crimina occulta, quantumuis attrocia, & in fieri, seu in procinctu, vt fiant, non prius præmissa correctione, & admonitione.*

An accusatio monitionem prius requirat.

24 *Si in accusando virum aliquem insignem, & optimæ famæ, & ex eius infamia, ac delatione plus scandali, ac damni, quam emolumenti Reipub. proueniret, & ex correctione compertum haberetur esse emendandum, præmittenda est monitio.*

An sit præmittenda monitio, tum in accusatione, tum in denunciatione, si probabiliter dubitetur de emendatione delinquentis, vel periculum sit in morte.

Et an praexigatur correctio in crimine heresis, perditionis Ciuitatis, ac læsæ maiestatis.

25 *Peccant Accusatores, & Denunciatores, qui licet causam iustam habeant accusandi, vel denunciandi, iniusta tamen intentione mouentur.*

26 *Peccant Accusatores, & Denunciatores, non solum per calumniam accusantes, & denunciantes, sed etiam per præuaricationem, seu tergiuersationem fraudulenter colludentes cum Reo.*

27 *Peccat Actor in ciuilibus, si quod sibi non debetur, scienter petit, & parti tenetur ad omnia damna, expensas, & interesse.*

1 PEccant primò publici Accusatores, ac Denunciatores, qui ex officio tenentur accusare, vel denunciare, si non accusent, vel denuncient eos, quos in crimina lapsos deprehenderint: & insuper tenentur ad damnorum refectionem ob eam causam Fidelibus prouentorum, vt habetur ex *Nauar. in Man cap. 17. num. 122. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 4. dub. vlt. num. 138.* Et hanc opinionem communem esse testatur *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 24. num. 13. vers. Secunda propositio:* siquidem hi peccant nõ solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, cùm non possit assignari diuersitatis ratio, cur vineæ custos non annuncians Domino damnum ipsi vineæ ab alijs illatum peccet, & ad dãni restitutionem teneatur: & non supradicti Accusatores, & Denunciatores si non accusent, aut denuncient: cùm non minus vnus, quàm alter faciat contra charitatem, qua ratione culpa committitur: & contra iustitiam, ex cuius solius violatione contrahitur restitutionis obligatio.

2 Ampliatur id, quod diximus, vt huiusmodi Accusatores, seu Denunciatores, vt supra, non solùm teneantur ad reficiendum damna, quæ indè Reip. aut alicui priuato fuerint subsecuta; sed etiam ad pœnam illam tenentur, ad quam damnarentur delinquentes, si accusati fuissent, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 67. ar. 4 ad 3. Syl. in sum. vers. Pœna, q. 28. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 4. par. 1. dub. vlt. Petr. de Arag. 22. q. 62. ar. 7.* vbi etiam *Salon. contrmicu. 4. & 5. & qu. 68. ar 1. contr. 3. in princ. & in fine, Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num. 17. & Sayr. loco citato, num. 18.* Etenim pœnæ huiusmodi Fisco, aut alij eas ementi ex vi legis, aut statuti communiter solent applicari; ergò tales Accusatores non accusando cùm vi sui officij debeant, & impedimentum afferant, ne prædicti ius suum consequantur, non solùm contra iustitiam legalem, sed etiam contra iustitiam commutatiuam, peccant: & propterea vltra culpam tenentur ad dãni restitutionem. Confirmatur; quia cùm eiusmodi accusatores talia officia accepetrent, & iurent fideliter se habere, virtualem quendam contractum censentur celebrare, cuius vigore obligantur soluere damnum, quod patitur communitas, Fiscus, emptor pœnarum, & pars læsa ex omissione, ac defectu sui officij: ergò non accusantes, cum debeant, proculdubio agunt, non solum contra iustitiam legalem, & sic peccant; sed etiam contra iustitiam commutatiuam, atque ideò restitutioni efficiuntur obnoxij. Nec ob-

3 stat si dicatur, quòd pœnam legis non tenetur quis subire ante Iudicis condemnationem, & ideò delinquens, cùm adhuc nõ fuerit condemnatus, nec accusator tenetur eam soluere antequam iudicialiter condemnetur: Quoniam respondetur, in casu, de quo agitur, pœnam appositam duas habere rationes, nempè rationem pęnæ, & rationem damni. Rationem pęnæ sibi vẽdicat in ordine ad delinquentem: & hæ nunquã debẽtur ante Iudicis condemnationem: Rationẽ verò damni, & non pœnæ habet respectu illius tertij, cui est applicata pęna; atq; ideò ad damnum tenetur accusator, vt causa illius ex omissione sui officij in foro conscientiæ soluere, etiã ante omnem iudicis condemnationem. Vndè meritò delinquens non tenetur in conscientia ad pœnam antè iudicialem sententiam: & accusator ipse obligatus remanet: siquidem ad eam delinquens ex vi tantùm legis, seu statuti tenetur: accusator verò ex officio, & vi muneris obligatur prospicere Reip. Fisci, Tertij indemnitati, cũ ad id ratione stipendij, fidelitatis, & iuramenti sit obligatus.

4 Hanc eandem sententiam tenet *Med. C. de restit q. 12. dub. vlt. §. Et hic est vnus casus. & q. 15. in fine,* & alij. Verum, quia *Nauar. in Man. cap. 25.*

4 *cap.25.num.34.verſ.Octauò: Cord. in ſum.q.66. §.2.* imò, & *Syl.* ſibi contrarius *verſ. Reſtitutio, 3.q.5.verſ. Septimum*, contrariam ſententiam putant eſſe veriorem, per illam communem Doctorum regulam, qua cauetur, pœnam non deberi ante Iudicis condemnationem; idcircò idẽ *Sayr.loco citato,nu.20.* arbitratur, quòd ſi quis in praxi opinionem illam ſequatur, cùm ſit probabilis, erit tutus in conſcientia: quoniam licitũ eſt in praxi ſequi opinionem probabilem, etiam ſi contraria tutior ſit: & eò maximè in caſu, de quo agitur, ſi accuſator in acceptatione officij obligauit ſe tantùm ad accuſandum; non autem ad reſtituendum: aut id ſaltem virtualiter ſatis ſignificauit, iuxta ea, quæ habentur ex *Salon. 22.q.68.ar.1.contr.3.in fine* Sunt autem hæc, quæ diximus intelligenda de pœnis pecuniarijs; ſecus autem de corporalibus: ſiquidem eiuſmodi corporales pœnas non tenetur ſubire talis accuſator ſecundum communem ſententiam relatam ab eodem *Sayr.d.num.18.*

5 Secundò ampliatur, quod ſupra diximus, vt prædictus accuſator ex officio ſi aliquid accipiat, vt non accuſet, ſeu denunciet; non ſolum teneatur ad damni reſtitutionem Reip. aut tertio illati, & ad pœnam pecuniariam, ad quam condemnati fuiſſent delinquentes, ſi contra eos accuſatio delata extitiſſet; verùm etiam ſic acceptum reſtituere teneatur, vt habetur ex *Ioann. Med.C.de reſtit.q.3.cauſa 10.verſ.Quintò: Syl. in ſum.verſ. Reſtitutio, 3.q.5.§.Septimum: Sot. lib.4.de iuſtit.& iur.q.7.ar.1.verſ Secundus ergò modus, Cord. in ſum.q.66.§.1.in fine, Salon. 22.q.68 ar 1.contr.1.q vlt.* quam ſententiam communem eſſe teſtatur *Sayr. lib.12. Clauis Reg.cap.14.num.16.* Rationem autem hanc eſſe volunt præfati Doctores: quia huiuſmodi accuſatores, ſeu denunciatores ex iuſtitia crimina accuſare, ſeu denunciare tenentur; ergò accipientes aliquid ne accuſent, contra iuſtitiam dicuntur agere; atque ideò ad illius reſtitutionem obligantur. Verum tamen eſt, quòd in hac re Doctores non ſunt concordes: nam *Syl in ſum. verſic. Pœna, q.28.* quem ſequitur *Graff. par. 1. deciſ. lib.2.cap.123.* volunt, ſic acceptum eſſe reſtitutioni obnoxium Fiſco, vel ei, cui erat pœna pecuniaria applicanda: & inſuper tenentur ad complementum pœnæ exigendæ, ſi accuſaſſent. In criminalibus verò, vbi infligenda eſſet pœna corporalis, ſi tales deſiſtunt ab accuſando per compaſſionem, & aliquid percipiunt pro non accuſando, non obligantur neceſſariò ad accepti reſtitutionem; licèt turpiter acciperent, & peccarent: ſecus autem ſi deſiſterent ab accuſando per concuſſionem. *Nauar. denique in Man.c. 17.num.122.in fine, & cap.25. nu.34. & Couar. in regula peccatum, par.2. § 2. de regul. iur. in 6.* volunt ad accepti reſtitutionem non teneri; ſed ſolùm ad emendationem damni tertiæ perſonæ illati ob accuſationem non delatam: quæ quidem ſententia verior nobis videtur. Siquidẽ hoc caſu conſtat, turpitudinem eſſe ex vtraque parte, tàm dantis ſcilicet, quàm accipientis: vbi autem turpitudo eſt ex parte vtriuſque, tunc nõ habet locum reſtitutio neceſſariò; ſed tantùm de conſilio facienda eſt pauperibus, vt habetur ex *Graff. loco citato, num. 16.* & nos latè oſtendimus ſupra *diſp. 18. ſec. 1. verſ. Tertiò peccant Magiſtratus, & Iudices.* Confirmatur; quia nõ accuſare delinquentem cedit in bonum ipſius delinquentis: & propterea non accuſans non tenetur id gratis omittere, & ſic ita elargitum retinere poteſt.

6 Nec ex eo, quòd tenetur ex officio accuſare remanet reſtitutioni obnoxius eius, quod accepit pro non accuſando; quia non accuſando Reũ quoad ipſum non facit contra iuſtitiam commutatiuam, ſed tantùm contra iuſtitiam legalẽ; atque ideò peccat: non tamen tenetur acceptum reſtituere. Sed quia contra Remp. & Fiſcum, aut contra alium, quibus debetur pœna, & damnum infertur ob accuſationem, vel denunciationem non delatam, non accuſans agit contra iuſtitiam commutatiuam, vt ſupra probauimus, meritò peccat, & tenetur ad reſtitutionem non ſolùm damni indè obuenti Reip. aut alicui tertio; ſed etiam ad illam pœnam pecuniariam, ad quam delinquentes damnarentur ſi accuſati fuiſſent. Quæ diximus de ſupradictis accuſatoribus

7 ex officio extendi poſſunt ad Barrigellarios, & ad alios iuſtitiæ Miniſtros, qui ex officio tenentur capere, vel accuſare, ſeu denunciare deferentes arma prohibita: vel permiſſa, ſed in tempore, aut loco prohibito, & alia eiuſmodi, & non capiant, nec accuſent, nec denuncient: nam tenentur ad damna tantùm reficienda, & ad pœnam pecuniariam, Fiſco, vel alteri applicandam; non autem ad accepti reſtitutionem pro non capiendo, accuſando, vel denunciando, vt ſupra.

8 Sic ampliata limitantur ea, quæ ſupra diximus primò, vt non accuſantes ſupradicti, non peccent ſaltem mortaliter, ſi non accuſent contra legis, aut ſtatuti diſpoſitionem committentes propter extremam, aut grauem neceſſitatem, qua certò nouerint eos laborare, vt ſunt pauperes venantes, aucupantes, vel ligna cędentes in locis lege, aut ſtatuto prohibitis, propter extremam, aut grauem famis, vel frigoris neceſſitatẽ: quoniam ſicut hi non peccant legem violantes, cùm leges poſitiuæ non obligent cum tanto detrimento; ita eiuſmodi officiales deſtinati ad accuſandum non peccant tales pauperes non accuſando; quamuis tempore ſuſcepti muneris iuramentum præſtiterint de accuſando delinquẽtes, ita *Nauarr. in Man. cap.17. num.122. & Sayr.loco citato, num 14.* Eadem ratione ſi birruarij, & alij officiales, ſeu miniſtri iuſtitiæ deſtinati ad capiendos deferentes arma prohibita, ſi certò nouerint aliquem arma prohibita deferre ad neceſſariam propriæ vitæ defenſionem, cũ alias à ſuis inimicis occideretur: Et Superiores recuſent ei concedere dictorum armorum delationem; ſi illum nõ caperent, proculdubio nõ peccarent; ſicut non peccat ipſe deferens. Imò ſi prædicti accuſatores in ſupradictis caſibus aliquid extorqueant à præfatis contra legem committentibus, ne eos accuſent, aut capiant, reſtituere illis tenentur, cùm turpitudo ſit ex parte accipientis tantùm; non autem dantis, cum accuſatores, & miniſtri eiuſmodi non ſolùm in dictis caſibus poſſint; ſed etiam debeant præfatos contrauenientes non accuſare, nec capere: & dãtes emolumentum illud tribuunt ad eorum vexationem redimendam, ne ſcilicèt iniuſtè accuſentur, aut capiantur.

9 Secundò limitantur, quando ij, qui committunt

tunt contra legem consanguinei sunt, & amici eorum, qui leges, & statuta condiderunt; quoniã isti censentur excepti; nisi crimen eorum sit cõtra bonum Reip. aut alicuius Regni; quoniam tunc bonum publicum est bono priuato præferendum, vt habetur ex Doctoribus supra citatis.

10 Tertiò limitatur si huiusmodi accusatores, seu officiales non accusent, nec denuncient eos, qui tales sunt, vt si facultatem peterent, obtinerent: non tamen volunt facultatem expostulare ob verecundiam, aut ob aliam causam. Vndè si quis venaretur, aut aucupatetur, vel ligna cęderet in locis, lege, vel statuto prohibitis: & custodes, seu deputati ad accusandum, contrauenientes certò nouerint, quòd si supradictus licentiam peteret venandi, aucupandi, vel ligna cędendi in dictis locis ab ijs, qui legem, vel statutum condiderunt, eam proculdubio obtinerent, tunc si illum non accusent, aut non capiant, non peccãt saltem mortaliter, nec ad aliquam restitutionem tenentur: quia iste contra legem committens nihil accipit contra voluntatem Domini; sed tantùm contra Domini voluntatem est modus accipiendi, qui Domino displicet, iuxta ea, quę habentur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 138. vers. Quadragesimoquartò, & Caiet. in sum. ver. Furtum*, dùm volunt, quòd qui occultè aliquid subtrahit ab eo, cui non displiceret acceptio sibi cognita; sed occulta sic, is quamuis leuiter peccet; non tamen lethalem culpam contrahit: siquidem eius acceptio non est contra Domini voluntatem; sed modus tantùm accipiendi, qui ad mortalem culpam satis non est. Sic etiam filius non committit furtum rem patris occultè surripiens, volentis, filium rem illam habere, sed nolentis occultam eiusdem acceptionem; quoniam tunc propriè loquendo, non inuito, sed nõ vidente patre rem illam accipit; atque ideò modus ille non est satis ad committendum furtum, quod est contrectatio rei alienæ, inuito Domino, atque ideò non sufficit ad contrahendum lethalem culpam; nisi Pater, aut Dominus suam voluntatem declarasset, nolle se inconsultò, ac ignorante, quemquam, etiam filium legi à se latæ contrauenire: nam tunc si non seruetur modus, contrauenìens peccat, & ad restitutionem tenetur: tunc enim vi legis non solùm rei ablationem prohibet; sed etiam modum. Ita *Sayr. d. num. 15. in fine*.

11 Secundò peccant Accusatores, ac Denunciatores publici, seu ex officio, qui cum delinquẽtibus dissimulantes se abscondunt, vt alij liberè vetita subtrahant, & sic eos non capiant, accusent, & puniri non faciant, vt habetur ex *Ioan. Med. C. de restit. q. 12. dub. vlt vers. Si denique*, & ex alijs: quoniam hi per huiusmodi dissimulationes, & insidias occasionem præbent delinquendi. Hoc autem limitatur multipliciter à *Nauar. in Man. cap. 17. num. 123. Cord. in sum. q. 66 §. 2 & Sayro loco citato num 17.* Primò vbi prædicti accusatores ita dissimularent, & permitterent ingredi v. g. loca vetita ad venandum, aucupandum, ligna cędendum, &c. vt semel deprehensi in futurum caueant leges id prohibentes violare; dummodò non permittant in d. locis damnum notabile à sic ingressis inferri: nam hoc casu non peccarent. Secundò limitatur vt id, quod diximus locum sibi vendicet in casu tantùm, quo facientes contra leges bona fide ignorant eiusmodi insidias: secus autem si nouerint tales insidias fieri solitas à dictis accusatoribus; quia tunc ipsi accusatores non peccarent sic insidiantes; atque ideò delinquentes sibi imputabunt, quod faciant contra legem. Tertiò limitatur, vt quamuis supradicti accusatores ita insidiosè se habentes in eo casu, quo peccant restituere teneantur damna, quæ Domini eorum, Resp. & alij particulares homines ex tali dissimulatione passi fuerint; nihilominus ipsis delinquentibus ad restitutionem aliquam non tenentur: eo quod officiales isti ex vi eorum muneris non obligantur delinquentibus consulere; sed tantùm Reip. & eorum Dominorum bono. Illud autem circa rem hanc est adnot. quòd si Fiscus contra aliquem accusationẽ deferat, intelligens se delictum non posse probare, grauius peccat ratione officij, quàm alij accusatores, & tenetur restituere damna, quę accusatus patitur: quia non est intentio Principis Fiscos instituere, nisi vt seruato iuris ordine accusent, vt habetur ex *Sayro lib. 12. Clauis Reg. cap. 15 nu. 19. vers. Qua ratione*. Posset tamen citra culpã crimen denunciare; quia cum Fiscus sit ad accusandum publicè deputatus, eo casu testificando cum iuramento de propria scientia facit semiplenam probationem, prout alius testis, qui super ipso delicto deponeret, per quam posset Iudex iustè Reum cogere ad manifestandam veritatem, vt habetur ex *Iul. Clar. in sua prax. crimin. lib. 5 q. 7. num. 3.*

12 Tertiò peccant accusatores, ac denunciatores publici, vt supra, in omnibus ferè casibus, in quibus peccare possunt accusatores, seu denunciatores priuati, qui non dicuntur tales ex officio, de quibus mox dicemus.

13 Quartò peccant accusatores, seu denunciatores priuati, quibus ex officio accusare non competit si per accusationem, vel denunciationem non deferant Iudici crimina, quæ sunt contra bonum commune, & sunt in fieri, seu in procinctu, vt fiant, eaque sufficienti testimonio probare possunt, vt habetur per *D. Thom 2. 2. qu. 68. ar. 1. & in eum Caiet. Salon. & Petr. de Arag. Syl. in sum. verf. Accusatio q. 2. Tab. eod. vers. num 4. Sot. in relec. de tegen. secr. memb. 2. qu. 5. concl. 1. & lib. 5. de iust. & iur. q. 5. ar. 1. concl. 1. Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6 coroll 61. num. 638. & in Man. cap. 25. num. 33. vers. Sexto, Gregor. de Valen. tom. 3. disp. 5. q. 12. pun 1. q. 1. & 2. Tolet lib. 5. sua summ. cap. 57. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg cap 14. num 6.* Probatur ex illo *Leuit. cap. 5.* ita se habente: *Si peccauerit anima, & audiuerit vocem iurantis, testisque fuerit, quòd aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam*, quod præceptum volunt Doctores esse quasi naturale: nàm de iure naturæ cuilibet incumbit cura boni communis, non solùm corporalis, sed etiam multò magis spiritualis, atque ideò non solùm ex lege naturæ, sed etiam ex lege charitatis vnusquisque tenetur obuiare omni malo, cõmuni bono se opponenti. Sicut membra naturaliter se objiciunt pro conseruatione capitis, à quo pendet conseruatio totius corporis. Sed quoniam multoties accidit, vt communi bono consuli non possit, nisi huiusmodi crimina in

publicum

publicum deferantur: ergò quilibet etiam si ei ex officio non competat accusatio, sub lethali culpa tenetur per accusationem, vel denunciationem prædicta crimina ad Iudicem deferre: siquidem bonum commune cuilibet priuato bono præferri debet. Quod quidem adeò verum est, vt etiam si qui promiserint secretum seruare, adhuc tamen crimina publica per accusationem Iudici deferre tenentur, nisi secretum sit cõfessionis; quoniam tunc nullo modo licitè fieri posset, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 68. ar. 1. ad 3. & q. 70. ar. 1. ad 2. Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 5. ar. 1. ad 2. & Sayr. loco supra citato.*

14 Sunt autem crimina publica, quæ vergunt in damnum publicum, hæresis, vel vehemens, & violenta de hæresi suspicio qualem contrahunt Religiosi professi, vel Clerici in sacris constituti vxorem ducentes, blasphemias hæreticales proferentes, artem magicam exercentes, sortilegia, & alias diabolicas superstitiones, diuinationes committentes, maximè si interueniat Dæmonum inuocatio, & Sacramentorum abusio: Confessarij in confessionis actu pœnitentes ad turpia sollicitantes. Item publica crimina sunt rebellio à proprio Principe, compilatio ærarij publici, proditio Ciuitatis, & propriæ Patriæ, falsificationes monetarum, maleficia, homicidia, furta, quæ fiunt ab assassinis, grassatoribus, & latronibus stratarum, ambitio, ac subordinatio suffragiorum in Cathedris, & alijs electionibus, & præsertim circa beneficia, quando quis in Ciuitate, aut Conuentu conatur subuertere fratres, & alia, de quibus *Nauar. in Man. cap. 18. nu. 58. Salon. 22. q. 68. ar. 1. controu. 1 Genuen. in praxi Archiep. cap. 23. num. 1. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 24. num. 5.* Quæ quidem crimina dicuntur publica; eo quòd per se primò vergunt in perniciem Reip. & proximum eorũ obiectum est bonum commune, quod illis expugnatur: ad differentiam criminum priuatorũ; quæ ex eo talia dicuntur, quia contra bonum priuatum committuntur: vt mendacium perniciosum, adulterium, homicidium, simplex furtũ, fornicatio, concubinatus, & alia eiusmodi; quæ licèt aliquando dicantur nocere bono communi, quatenus nocumentum afferant Reip. partibus; propriè tamen tendunt in bonum particularium hominum.

15 Dixi, *Quæ sunt in fieri, seu in procinctu, vt fiãt.* Quoniam crimina si completa sint, & nullatenus actu maneant, non tenetur quis amplius accusare, seu denunciare iudicialiter; sed tantùm cùm à Iudice fuerit iudicialiter interrogatus, iuxta ea, quæ suo loco dicemus de testibus agẽtes, testificando, & vt testis veritatẽ manifestar tenetur: vt cùm horũ criminũ præcedat infamia, notorietas, indicia, aut aliqua probatio. Ratio autẽ hæc est, quia accusationes & denunciationes talium criminum adinuentæ fuerunt, ne crimina committantur in detrimentum boni communis: ergò cùm iàm commissa sunt, cessat ratio. Est tamen verum, quòd si probabiliter timeatur recidiuum alicuius criminis, si cætera concurrant, quæ paulò infra dicenda sunt, tunc tale crimen est per accusationem, vel denunciationem in iudicio deferendum: quia licèt iàm fuerit commissum; nihilominus est in fieri, vt denuò committatur, nisi eius delatio in iudicio habeatur: & maximè si per denunciationem fiat Canonica, quæ, vt supra diximus, à iure Canonico adinuenta propriè est, non ad publicam criminis vindictã; sed ad euitandum crimen ab aliquo committẽdum, aut commissi recidiuum, & ad coercendũ crimina, ne vlterius progrediantur.

16 Dixi, *Ea, quæ sufficienti testimonio probare possunt*, quia nemo ad id obligatur, quod debito modo perficere non potest: atque ideò, qui probare non potest crimen quatenus publicum per accusationem in iudicio deferre non tenetur, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 68. ar. 1.* & ex alijs. Imò calumniator dicitur, qui verum crimen, sed occultum, quod in iudicio probare nequit, alteri sciemer obijcit, vt in *cap. calumniator, & cap. qui non probauerit, 2. q. 3.* & pœna talionis mulctatur, *l. mulier, & l. quæsitum. ff. ad senatusc. turpill.* & vltra culpam, quam contrahit, ad damnum, & interesse ad arbitrium boni viri tenetur. Etenim in iudicio sicut est iuridicè verum, quod iuridicè, idest idoneis testibus, & instrumentis probatur; ita è conuerso est iuridicè falsum, quod iuridicè probari non potest, vt colligitur ex *D. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 2. in fin. Nauar. in cap. inter verba 11. q. 3. coroll. 61. n. 643. Salon. & Petr. de Arag. 22. q. 68. ar. 3. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 15. sub num. 13. verf. Item calumniator.*

17 Est tamen verum, quòd quando agitur de crimine Reip. pernicioso, quod probari nequit, ne tale crimen omninò maneat impunitum, & obuietur malo communi, potest quis crimen illud iudici manifestare non per viam accusationis; sed per viam denunciationis, vt hac ratione liberetur à pœna talionis ex defectu probationis: & Iudex indè occasionem capiat inquirẽdi, & obuiet communi malo. Ità *Sot. in relec. de tegen. secr. memb. 2. q. 5. concl. 1. ad 2. & lib. 5. de iust. & iure, q. 5. ar. 1. concl. 1. Salon. 22. q. 98. ar. 1. contr. 2. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. c. 14. sub num. 6.* vbi etiam volunt, quod hoc casu, qui testem afferre posset, teneretur manifestare, vt Iudicem à labore inquirendi in re tanti momenti liberet: nam cùm obligetur quilibet bono communi consulere, qui non potest accusare ex defectu probationis, saltem denunciare tenetur Iudici, vt tali damno possit obuiare; dummodò personas non nominet in particulari; sed tantùm in communi, etiam si nulla sit criminis infamia, cùm bonum publicum præferri debeat bono priuato.

18 Hanc eandem opinionem tenent *Genuen. in praxi Archiep. cap. 23. num. 5. Lel. Zech. in tract. de casib. reseruat. casu 2. verf. Ampliatur prædicta conclusio.* Etenim quamuis delictum probari nequeat; Superior tamen vigilat, & potest esse, quòd contra personas denunciãdas adsint aliæ denunciationes, ex quibus de facili posset Iudex deuenire ad torturam, & communi damno occurrere. Vndè meritò cogi possunt pœnitentes, vt denuncient Inquisitoribus Confessarios, quos nouerint in actu cõfessionis mulieres ad turpia sollicitasse. Etenim B. Pius V. in quadam sua Bulla, quę incipit, *Venerabiles Fratres*, edita die 16. April. 1561. tribuit potestatem Inquisitoribus, vt possint cõtra huiusmodi perditos Confessarios inquirere, vt sup. ostendimus *disp. 3. sect. 5.* Vndè solent Inquisitores edicta ema-

emanare sub pœna suspensionis, ne Confessarij absoluant penitentes, quæ dicunt fuisse à Confessarijs, vt sup. sollicitatas, nisi ipsis eos denuncient. Imò estò, quòd eiusmodi edicta manata non essent; adhùc tamen Confessarij non possunt filias eorum spirituales absoluere, donec crimen Inquisitoribus manifestent, vt habetur ex *Rodriq tomo 1 qq. Regul. q. 56. ar. 4. & tomo 2. q. 27. ar. 1. in princ.* Quod quidem intelligendum est principium iuxtà ea, quæ sup. adnotauimus *d. disp. 3. sec. 10.*

19 Quæ diximus de criminibus publicis extendimus etiam in crimen, quod est contra tertiam aliquam personam priuatam in fieri, vel in procinctu vt fiat, cuius vitæ fortè insidiæ parentur: nam si quis testes habeat, quibus probare possit crimen huiusmodi, tenetur insidiantem accusare, si aliter ei obuiare nequeat, vt rectè docet *D. Th. 2. 2. q. 33 ar. 7 Salon. 2. 2. q. 68. cōtr. 1. concl. 2. Sot. lib 5. de iustit. & iure, q. 5. ar. 1.* ante solutionem argumentorum, *Tol. lib. 5. suæ sum. c. 57. Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 14. num 8. & alij.* Siquidem tenetur vnusquisque quantum potest, via licita proximum ab omni iniuria, ac detrimento liberare: quia vnicuiq; mandauit Dominus de proximo suo, iuxtà illud *Eccles. 17.* Quod si probare crimen nequeat, tenetur ex charitate illud Iudici denunciare; etiam si iuramentum præstiterit de non denunciando, vt malum impediatur. iuramentum enim quoad hunc casum vim non habet, vt habetur ex *D Th. 2. 2. q 70. ar. 1. Glos. in c. ad nostram, 2. in ver. repetierent, de iureiur. Panor. in cap. 1. num. 8. & in cap. quemadmodum, num 7. eod. tit. Nauar. in Man. cap. 25. num. 33. Salon. 22. q. 68. art. 1. contr. 1. in fin. & Sayr. loc. cit.* Quod quidem locum sibi vendicat, vbi alia via malum impediri nequeat, nempè per admonitionem, minas, &c. vt infrà latius, Deo duce, dicemus. Et dummodò non reuelet tertio personam in particulari, sed in communi, vt sibi caueat: ac criminis cognitionem non habeat per confessionem sacramentalem, sed aliundè, vt sup. diximus, & habetur per Doctores paulò sup. relatos. Quòd si crimen non sit in præiudicium tertij, nec boni communis, tunc non tenetur illud denunciare; sed tantùm debet vti correctione fraterna, iuxta illud *Matth. cap. 8.* dummodò adsit spes emendationis, opportunitas temporis, & nihil periculi immineat personæ denuncianti, vt habetur ex eodem *Sayro ibidem, vers. Quarta propositio.*

20 Ex dictis sequitur, quod quando delictum est iam subsecutum, & non timor recidiui, vt quia delinquens sit emendatus, & probabilitèr speretur se iam in eiusmodi crimina nō esse corruendum, & parti læsæ sit satisfactum, tunc delinquens non est superiori accusandus, nec denunciandus; etiam si criminum denunciatio sub excommunicationis pœna præciperetur ad delinquentis emendam, vel ad impediendum peccatum aliquod eiusdem, aut tertij, aut vt illatum reparetur; siquidem hoc casu cùm esset finalis ratio præcepti, cessat etiam obligatio, atq; ideò denunciatio locum non habet; sed fama proximi seruari debet illæsa: nec ob id incurritur periurium, vel excommunicatio. Quod quidem intelligendum est, quando superior per huiusmodi præceptum nihil aliud intenderet, nisi delinquentis emendationem, aut partis læsæ satisfactionem: secùs autem si Iudex delicti punitionem intenderet, adesset infamia de delicto, aut semiplena probatio: quia cùm Iudex iuridicè eo casu procedat, non denuncians mortaliter peccaret; & periurium, vel excommunicationē contraheret, vt habetur ex *Nauarr. in Man. cap. 25. num. 46. Petr. Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 4. par. 2. dub. 9. num. 217. & Sayr. d. cap. 14. num. 27. & 28.*

21 Quintò peccant accusantes, seu denunciantes aliquem de delicto, quod nouerint à delinquente sub sigillo secreti ad consilium, aut remedium habendum in anima, vel in corpore: Etenim his casibus est seruandum secretum; etiam si in particulari præcipiatur illis sub excommunicationis pœna, vel sub iuramento ad veritatem eruendam: ac etiam si in testes adhiberentur, præcederet infamatio, aut semiplena probatio, vel indicia: aliàs reuelando non solùm læthalem culpam contraherent; sed etiam tenerentur ad reficienda omnia damna ex tali reuelatione subsecuta: quoniam naturali iure tenetur stare promissis, vt in *l. ff. de pact.* & proptereà nihil præcipi potest, quod sit contra ius naturale. Ità *D. Th. 2. 2. q. 70. ar. 1. ad 2. Nauar. in Man. cap. 18. num. 52. vers. Dico tertiò: Cord. in sum. q. 64. num 3. Petr. Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 4 par. 2. dub. 9 num. 222.* Quod quidem verum est, vbi ad solam pœnam delinquentis denunciatio præcipitur: secùs autem si ad vitandum Reipub. damnum, vel tertij, quoniam tunc nulla promissio, aut iuramentum secreti, excepto secreto sacramentalis confessionis, obligat; atq; ideò denunciatio est omninò facienda: nam tunc meretur delinquens, vt fides ei frangatur, cùm à mala desistere non curat, aut si desistat, bonum tamen innocentis Reip. vel tertij præponderat, vt habetur ex eodem *Nauarr. d. cap. 18. num. 54. vers. Dixi,* vbi affert exempla fidelissimi Chusai, qui consilia Absalonis pessima Dauidi reuelauit: & Elisei, qui iniqua secreta Regis Syriæ Israelis Regi manifestauit. Idem *Nauar. cap. 25. sub num 42. & 46.* & latè *Sayr. lib. 12. Clau Reg. cap. 14 sub num. 29.*

22 Sextò peccant accusantes, seu denunciantes aliquem de delicto, quod nouerit ex leuibus personis fide non dignis: nam & ipsi leuitatis nota merentur impingi, & denunciatis iniustè possent damnum inferre, vt per *Nauar. d. c. 25. num. 46. & in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. coroll. 66. num. 786. in fine, Cord. in sum. q. 64. casu 6. & Sayr. d. cap. 14. num. 33.* vbi id verum esse dicunt; etiam si sub præcepto excommunicationis, vel sub iuramento à Iudice ipsis præciperetur: quia citra periurium, & excommunicationem possunt respondere, se nescire, intelligendo ad reuelandum: & ita obseruandum esse in omnibus alijs casibus, in quibus reuelare quis non tenetur, docet *Palud. in 4. d. 21. q. 3. art. 3. concl. 1. ante fin. Nauar. in Man. cap. 12. nu. 8. & cap. 18. num. 61.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr loco paulò supra relato.*

23 Septimò peccant denunciantes, ac deferentes ad Superiores crimina occulta, quantumuis atrocia, & in fieri, seu in procinctu, vt fiant, & in casibus permissis, non prçuia correctione, & admonitione. Etenim Christus *Matt. cap. 18.* absolutè

lutè præcipit in omni delicto prius monendum esse Fratrem, quã ad Superiores deferatur. Quod quidem locum sibi vendicare quidam volunt, non solùm in denunciatione Euangelica; verum etiam in denunciatione iudiciali, & in accusatione de præcepto, cùm quis certus omninò esset, posse impedire damnum Reip. aut tertij sua sola admonitione, & fraterna correctione: Secus autem si non esset omninò certus, vel periculum esset in mora; quia tunc statim, etiam si non existerent idonei testes ad probandum facienda esset denunciatio, non expectata admonitione, seu fraterna correctione. Ita *Salon. 22. q. 68. art. 1. controu. 2. Petr. de Arag. ibidem, & Bann. eod. loco, dub. 1. concl. 3. & 4. Petr. Nauar. de restit. lib. 2. cap. 4. par. 2. dub. 7. nu. 186. & seq. & Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 57.* Sed re vera licèt denunciatio ex sui natura prærequirat monitionẽ; accusatio tamen illam non exigit: siquidem accusatio non habet pro fine per se, & ex sui natura emendationem delinquentis; sed delicti vindictam, ac punitionem propter communitatis bonum, quatenus publicè interest, vt delicta puniantur, vt vnius pœna sit aliorum exemplum, *l. ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil.* Et id quidam apertè colligitur ex *tex. in cap. qualiter, & quãdo, 2. de accusat.* in illis verbis: *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio; sic & denunciationem charitatiua monitio: & inquisitionem clamosa insinuatio præuenire.* Vndè siue accusatio fiat ad bonum communitatis, siue ad resarciendum damnum tertij; siue ad satisfaciendum propriæ iniuriæ, non est necessaria præuia monitio ex vi, & natura accusationis, sed tãtùm quando res defertur ad Iudicem tanquam ad patrem ad solius delinquentis emẽdationem, nempè per Euangelicam denunciationem.

34 Est tamen verum, quòd si in accusando virũ aliquem insignem, & optimæ famæ, ex eius infamia, ac delatione plus scandali, ac damni proueniret Reip. quàm emolumenti: & ex fraterna correctione compertum haberetur, esse emendandum, tunc proculdubio est præmittenda monitio; atque ideò non habet locum accusatio: non quòd ille iam sit correctus, cùm accusatio habeat pro fine delicti vindictam; sed quia aliũdè accusatio non expedit, non solùm ob bonum delinquentis; verum etiam ob bonum commune, vt habetur ex *Salon. 22. q. 68 ar. 1 controu. 2. concl. 2. arg. 3. Gregor. de Valen. tom. 1. disp. 5. q. 12. pun. 1. dub. 3. in fine, & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 15. num. 6. & 7.* Cæterùm quando probabiliter dubitatur de emendatione delinquentis, aut timetur damnum magnum in admonitione, aut periculum est in mora, non solùm accusatio, sed nec denunciatio præexigit monitionem. Et quia in crimine hæresis, proditionis Ciuitatis, ac læsæ maiestatis nunquam probabiliter speratur fraterna correctio profutura; idcircò in prædictis criminibus admonitionem non præexigi, putat *Sayr. loco citato, sub nu. 4. vers. Item quando accusatio,* vbi etiam *num. 9. & 11.* id limitat, quoad crimen hæresis in hæretico scienter dogmatizante, vel in se falsam opinionẽ retinente, ita vt putet, se verius, ac melius sentire de re illa, quàm Ecclesia Romana: secus autem in eo, qui per ignorantiam in errorem lapsus est, vt solent Rustici: is enim priusquam accusetur, vel denuncietur admonendus est: siquidem iste talis formaliter hæreticus non est, si corrigi est paratus, sed tantùm materialiter. Idem dicẽdum est de illis, qui lapsu linguæ, vel in curia inter disputandum, vel concionandum hæresim proferant: & de his loqui *D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 7. in corp.* putat *Sayr.* vbi supra, dum ipse Angelicus Doctor docet, quòd hæreticus statim denũciandus est, nisi certò sciret aliquis, quòd per suam admonitionem secretam posset huiusmodi malum impediri. Vndè in *Epist. ad Tit. c. 3.* legitur; *Hæreticum hominem post primam, & secundam admonitionem deuita.* Vel secundum alios *D. Thom.* est intelligendus de illis hæreticis, qui licèt sint formaliter tales, eo quòd scienter habeant in intellectu errorem fidei Catholicæ contrarium; non tamen corrumpunt alios: secus autem si hæretici tales sint, qui priuatim homines à fide auertant, vt sunt hæretici dogmatizantes; quia tunc statim sunt denunciandi, nulla præuia monitione: sicut Reip. proditores. Imò huiusmodi hæretici sunt denunciandi, etiã si emẽdati essent: quia cùm dogmatizando, grauiter Reip. damnum attulerunt, tenentur Reip. satisfacere, vt post alios inquit *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 7. cap. 24 num. 21. 22. & 23.* quibus adde, & omninò vide, quæ supra cumulauimus *disp. 3. sec. 10. limit. 1. per totam:* & quæ habentur ex *Sayro lib. 12. Clauis Reg. cap. 15. nu. 10. vers. Dixi*, dum ait, quòd si Rusticus, qui per ignorantiam inuincibilem errorem fidei Catholicæ contrarium didicit ab eo, qui ex malitia errores seminabat; tunc rusticus tenetur illũ denunciare: & si recusaret, ille alius, qui rustici errorem cognouit, tenetur statim denunciare, vt hac ratione malum Reip. radicitus extirpetur.

35 Octauò peccant accusatores, ac denunciatores, qui licet causam iustam habeant accusandi, vel denunciandi, vt quia sufficienter probationes habeant, & verè sciant, & probare possint, accusatos esse delinquentes; nihilominus iniusta intentione ad accusandum mouentur, atque ideò non ob publicam, vel priuatam vtilitatem, non propter bonum publicum, & conseruationem iustitiæ, vel propter causam rei sibi debitæ recuperandæ; sed ex odio, & zelo vindictæ: quia denunciantis, sed accusatoris finis debet esse publica, vel priuata vtilitas. Non tamen tenentur ad restitutionem; quia non agunt contra iustitiam; sed tantum contra charitatem. Ita *Nauar. in Man. cap. 25. num. 31. vers. Secundò, & in c. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. coroll. 61. nu. 643. Tolet. lib. 5. sũa sum. cap. 57. & Sayr. d. cap. 15. sub num. 13. vers. Denique calumniator,* & facit *tex. in cap. cùm Minister, 23. q. 5.* Vndè caueant, qui ob iniuriam ipsis, vel suis illatam delinquẽtem per accusationem, aut denunciationem ad Iudicem deferunt, ne ira, vel odio moueantur: nam id expressè damnatur in *cap. fin. de pœnit. d. 5.* Imò offensus reconciliari tenetur satisfaciẽti, vt *Fabian. Papa in cap. si quis contristatus, 90. d.* his verbis: *Si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo satisfaciente eo, qui contristauit acerrimis maceretur inedijs vsque dum grato animo satisfactionem recipiat.* Quòd si delinquens non satisfecerit, potest offensus citra culpam instare, vt per Iudicem castigetur: quia ad remittendam iniuriam nullus est cogendus,

cap. si illic, 23. q. 4. imò *Glosa in d. cap. si quis contristatus,* inquit, quòd benefacit, qui dimisso rancore, agit actione iniuriarum, *c. & qui emēdat, 45. d. & cap. de occidendis, 23. q. 5.* quod quidem quomodo procedat, benè declarat *Nauar. in Man. cap. 14. sub num. 25.*

26 Nonò peccant accusatores, ac denunciatores, non solùm per calumniam accusantes, ac denūciantes, vt sunt illi, qui alteri falsum crimen sciēter, & ex malitia imponunt, vt in *l. 1. ff. de calum.* Sed etiam per præuaricationem fraudulenter colludentes cum Reo delata crimina abscondunt, non inducendo veras, ac legitimas probationes contra eum, vel acceptando falsas exceptiones, vt vincantur: vel per tergiuersationem absque causa ab accusatione desistunt. Hi enim cùm faciant contra bonum commune, cuius interest, vt delicta puniantur, *l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil.* peccant mortaliter, & tenētur reficere damna ob id Reip. obuenta, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 68. ar. 3.* & facit *tex. in cap. fin. de iniur. & damno dato.* Est tamen verum, quòd in multis casibus licitum est ab accusatione desistere; quorum primus est, vbi de propria accusatoris iniuria agitur, & punitio rei non est necessaria ad bonum publicum: siquidem eo casu sicut spontè accusationem detulit; ita quoque spontè potest ab accusatione desistere, cùm quilibet possit suo iuri renunciare: imò offensus nō solùm tuta conscientia potest pecuniam consequi, vt ab accusatione desistat; sed etiam agere potest in iudicio pro pecunia sibi promissa, vt per *Ioan. Medin. C. de reb. restit. q. 29. in fine, Couar. lib 2. var. resol. cap. 10. num. 7. vers. Secundum: Nauar. in Man. cap. 25 num 32.* & facit *tex. in l. transigere, C. de trāsac.* Dixi: *Et punitio rei non est necessaria ad bonum publicum,* quia si pro bono publico necessaria esset accusationis prosecutio, aut ab ea cessatio tenderet in scandalum, aut alicuius tertij damnum, non liceret, vt rectè docet *Sayr lib. 12. Clauis Regiæ, cap. 15. sub num. 15. vers. Ratio est.* Secundus casus est, vbi accusator nouerit se fuisse deceptum, & iniustè accusationem contra aliquem detulisse: nam tunc non solùm potest, sed etiam debet ab accusatione desistere, & rei veritatem Iudici aperire. Idem dicendum est si certò sciat, Iudicē non esse iustè iudicaturum, vt in *cap. si quem pœnituerit. 2. q. 3.* Tertius casus est, vbi propter auctoritatem, vel imperium Principis, vel ob metum cadentem in constantem virum ab accusatione desistitur, vt declarat idem *Sayr. loco citato, vers. Secūdò: vers. Tertiò: & vers. Quartò.*

27 Decimò peccat Actor, qui in ciuilibus causis agit, si quod sibi non debetur, scienter petat: & insuper tenetur parti ad omnia damna, & expensas, & interesse: ad quæ obligatur, siue in principio litis, siue in medio, siue in fine, temerè se nouerit litigare, & à lite non desistat, vt declarat *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap. 15. sub num. 13.* Et temerè litigare dicitur, non solùm qui quod sibi non debetur scienter petit; sed etiam, qui neque intentionem suam probat, neque allegationum causam habet. Vndè litigantium temeritas triplici pœna coercetur, nempè periurij, pecuniariæ, & infamiæ, vt in *§. 1. & toto tit. in instit. de pœna temerè litig.* Item peccat Actor si in ciuilibus rem sibi debitam indebito modo in iudicio petat, vtendo falsis instrumentis: nam hoc casu peccat contra charitatem: non tamen tenetur ad restitutionem, quia non peccat contra iustitiam, vt rectè docet *Nauar in Man. c. 21. num. 32.* post *D. Thom. 2. 2. q. 7. ar. 3. ad 3. Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 57. ante fin. & Sayr. loco citato, vers. Cæterum.*

De Reorum culpis, tàm in ciuilibus, quā in criminalibus causis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Actor ab accusatore secernitur, sed Reus, tàm dicitur in ciuilibus, quàm in criminalibus.*

2 *Peccat Reus, qui legitimè interrogatus à Iudice, negat veritatem, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus.*
An teneatur veritatem fateri, etiam cum vitæ periculo.
An, & quando quis dicatur legitimè interrogatus.

3 *Ad euitandam pœnam capitalem, potest probabiliter Reus negare debitum à se commissum.*

4 *Vbi Reus citra cōtemptum finem haberet euadendi aliquod damnum magni momenti, potest citra culpam veritatem negare, non solū vbi agitur de pœnis corporalibus, sed etiam spiritualibus.*

5 *Sententia hac maximam continet æquitatem; & meritò probabilis dici potest.*

6 *Licitum est damnato ad mortem à carceribus aufugere, nec in tali casu tenetur Iudici præcipienti, ne aufugiat, obtemperare.*

7 *Confirmare iuramento mendacium est intrinsecè malum: non tamen Reus negando delictum profert mendacium, nec illud confirmat iuramento.*

8 *Vbi delictum non est plenè probatum, purgatione indicta non obstante, poterit Reus in ipso purgationis actu negare delictum.*
Idque in praxi potest amplecti, modo periculū absit recidiui in damnum publicum, vel priuatum alterius.

9 *Peccat Reus, qui conuictus per testes, & condēnatus de crimine, nec aliquam spem habet euadendi, adhuc perseuerat in criminis negatione.*

10 *Peccat Reus, si legitimè interrogatus, non confitetur delictum, & ob id pœnam non soluit Fisco, vel parti.*

11 *Peccat Reus iustè condemnatus quauis pœna, etiam vltimi supplicij, si per vim resistat Iudici, vel eius Ministro. Et quid si Reus sciat esse innocentem.*

12 *Non est absurdum, aliquando, dari bellum ex vtraque parte iustum.*

13 *Peccat Reus condemnatus ad pœnam carceris iustè, si ab eo aufugiat, etiam citra carceris effractionem.*

14 *Condemnati ad carceres, donec pecuniam soluant, vel condemnati ad triremes, num possunt citra culpam à carceribus, vel triremibus aufugere.*

15 *Caueant Confessarij, ne huiusmodi condemnatos*

natos interrogent, an intentionem, vel propositum habuerint aufugiendi, si possint.

16 *Quid dicendum de inclusis in carcere, non ad pœnam, sed ad custodiam tantum.*

17 *Reo num licitum sit, vt pœnam corporis euadat, custodes pecunia, vel dono corrumpere. Et quid si certò sciat, custodem esse ex hoc grauiter puniendum.*

18 *Non peccat Reus, si condemnatus ad mortem possit aufugere, & non aufugiat.*

19 *Peccat Reus, si iurauerit carceris Custodi, vel Iudici, redire ad carceres, & nō redit, quamuis condemnatus sit ad mortem.*

20 *Peccat Reus, obijciens testi, contra ipsum examinato, falsa crimina ad eum repulsandum, etiam si falsum dixerit contra eum, nec seruato iuris ordine.*

21 *Peccat Reus in ciuilibus temerè litigans, partique tenetur ad damnorum, & interesse refectionem.*

1 QVamuis Actor ab accusatore secernatur: siquidem prior in ciuilibus; posterior admittitur, vt supra diximus *sec. præcedenti:* nihilominus is qui conuenitur, tàm in ciuilibus, quā in criminalibus dicitur Reus, vt in §. 2. *in instit. de pœna temerè litig. l. Reos, C. de accus. l. 1. & toto tit. de custod. reor.*

2 Peccat igitur Reus primò, vbi legitimè interrogatus à Iudice, veritatem negat, tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus. Etenim Reus vbi legitimè interrogatur, tenetur sub lethali culpa veritatem fateri, etiam cum propriæ vitæ periculo; nam quilibet tenetur Superiori iuridicè præcipienti obedire, iuxta illud *Rom. 13. Qui potestati Superioris resistit, Dei ordinationi resistit.* Et tantò fortiùs, quia confirmare mendacium iuramento est intrinsecè malum, quod nulla ratione licitum est, vt in *cap. super eo, de vsur.* Etsi per Iudicem eo casu potest indici purgatio Canonica; multò fortiùs potest Reus interrogari, vt per proprium iuramentum respondeat, vt ex *Innoc.* tenet *Abb. in cap. 2. sub num. 19. de confess. D. Thom. 2. 2. q. 69. ar. 1.* & in eum *Caiet. Bann. Petr. de Aragon. & Salon. Sot. lib 5. de iust. & iur. q. 6. ar. 1. & ar. 2 concl. 5. in fine, & in relec. de tegen secr. memb. 2. q. 7. concl. 1. Valen. tom. 3. disp. 5. q. 13. pun. 1.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap. 16. num. 1.* Dicitur autem quis legitimè, ac iuridicè interrogatus secundum supra relatos Doctores, vbi à cōpetenti Iudice fuerit adhibita interrogatio: & si tractetur de criminibus publicis; nempè de hæresi, de crimine læsæ Maiestatis, proditionis Reip. &c. saltem præcesserit infamia, vel indicia, vel coniecturæ: etsi de priuatis agitur delictis, & procedatur per viam accusationis, vel denunciationis iudicialis, requiritur saltem semiplena probatio, aut expressa, ac manifesta indicia. Si verò procedatur per viam inquisitionis, exigitur præuia diffamatio, probata saltem per duos testes iurantes, se audiuisse à pluribus personis fide dignis, vel adsit semiplena probatio, vel factū sit notorium, vt habetur ex *Panor. in cap. cùm super, de confes.* Est tamen verum, quòd sola fama sine aliquo saltem adminiculo, satis non esse ad interrogandum Reum, & ad eidem iuramentum deferendum, tenet *Spatar. de modo corrig. Regular. tr. 9. cap. 5. num. 3. & 4.* contra *Salzed.* & alios: nam tunc illa fama cùm non habeat fundamentum, diceretur mera infamia. Quòd si processus agatur per viam denunciationis Euangelicæ, expostulatur, vt Reus à Prælato prius admonitus sit rebellis, & adsit vnus saltem testis præter denunciationem. Præterea requiritur, vt supradicta iuris forma sit in processu deducta, & vna cum probationibus Reo notificata; aliàs nunquam ipse Reus interrogatus tenetur veritatem dicere, vt sufficienter declarat *Sayr. d. c. 16. sub num. 5. 6. 7. & seq.*

3 Cæterùm licèt hæc sententia sit communis; nihilominus *Less lib. 2. de iust. & iure, cap. 31. dub. 3.* putat probabiliter, quòd ad euitandam capitalem potest Reus delictum à se commissū negare, etiam si sciat contra ipsum constare semiplenè, & iuridicè, vt supra illud interrogatur. Et *Rodriq. tom 2. qq. Regul. q. 19. ar. 4.* arbitratur etiam, quòd vbi timetur grauis dedecoris, & infamiæ labes, potest Reus absque culpa in negatione persistere quousque spem euadendi habet: quorum sententijs fauet nonnullorum antiquorum opinio relata à *Petro Nauar. de restit. lib. 2. cap. 4. num. 136.* se habens in aliquibus casibus posse Reum, contra quem sunt semiplenæ probationes tantùm omni meliori modo experiri, ac tentare proprij damni vitationem, persistendo, ac perseuerando in negatione quousque poterit, & subijciendo se torturæ ad purgandam semiplenam probationem, quod maximè locum sibi vendicare, ait *Panor. in d. cap. 2. de confess. circa finem*, quando produceretur ad instantiā partis, & venit imponenda pœna temporalis; secus autem si spiritualis: quia veniens ad iudiciū contra alium, debet venire paratus. In eandem sententiam videtur inclinare *Nauar. in cap. humana res, 22. q. 5. & Salon. 22. q. 59. ar. 2.*

4 *Octauianus autem Spatar. loco citato, nu. 4. cum plur. seq.* censet, quòd si supradicta sententia tantorum virorum auctoritate roborata firmitatem habet, & Reus citra contemptum habeter finem euadendi damnum aliquod alicuius momenti, posset citra culpam non solùm vbi agitur de pœnis corporalibus; sed etiam spiritualibus veritatem negare. Vndè inquit, notare debere viros maximè eminentes in Religione, & etiam alios secundum grauitatem criminum, ex quibus non tantùm personæ; verum etiam toti Religioni denigratio, & detrimentum prouenire potest, vt se nunquam prodant, nisi nouerint delicta contra ipsos esse plenè probata, sed pro viribus in negatione persistant; quamuis à suis Prælatis interrogati iuridicè præcipiantur veritatem fateri, etiam si torturæ subijciantur. Etenim his casibus veritatem negando, nullam pœnam spiritualem supponitur contrahi, & iudex inquit, nō potest obligare ad nouas: aliàs contra ius naturale illas decerneret: & vlterius sequeretur, Reum ad effugiendum spirituales pœnas, obligari ad confitendum delicta quantumuis occulta; quod ab omnibus negatur. Nec potest assignari diuersitatis ratio, cur Reus veritatem reticere posset ad euadendas pęnas corporales, & non spirituales; imò pœnę spirituales cùm longè maiores sint, quàm corporales, fortior ratio suadet ad illas euadendas, quàm ad corporales. Confirmatur, quoniam à natura cui-

quam inditum est vitæ, ac honoris defensio, *l. vt vim, ff. de iust. & iur.* hinc leges impunem dimittunt occidentem inuasorem ad sui, suorumque defensionem, cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt in *l. 1. §. eum qui, vers. Vim vi repellere: & l. 3. §. eum igitur, ff de vi, & vi arm. & l 1.* vbi *Glosa, C. vndè vi:* ergò pari ratione naturalis ratio suadet, vt Reus citra omnem culpam veritatem celare possit ad propriam vitam, vel famam tuendam. Denique pro hac sententa facit *tex. in lege Iulia, ff. de testib.* vbi decernitur cogi nō posse ad testimoniū ferendum filium aduersus patrem, generum aduersus socerum, virum aduersus vxorem, & è cōtra, &c. his verbis: *Lege Iulia iudiciorum publicorum cauetur, ne inuito denuncietur, vt testimonium litis dicat aduersus socerum generum, vitricum, priuignam, sobrinum, sobrinam, sobrino natum, eosque, qui priore gradu sint, item ne liberto ipsius, liberorū eius, parentum, viri, vxorisue, & nec patroni, patrona aduersus libertos, neque liberti aduersus patronos cogantur testimonium dicere.* Quam legem, ait *Glosa* ibi, locum sibi vendicare in causis, tàm ciuilibus, quàm criminalibus. Si igitur moralis Philosophus ea lege naturali lumine ductus, secundum naturalem æquitatem esse decreuit, vt consanguinei aduersus consanguineos, & aliæ supra relatæ personæ cogi non possint ad veritatem dicendam; quantò magis naturali iuri congruum esse constat, ne quis contra se ipsum veritatem dicere compellatur? cùm naturaliter omnis melius sibi mallet esse, quàm alteri, arg. *tex. in l. Præses,* & ibi *Glosa, C. de seruit. & aqua.*

5 Hæc sententia re vera maximam æquitatem in se continet: & probabilis meritò dici potest; & eo magis, quoniam ita seruatur à Reis in omnibus iudicijs, tàm Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus. Nunquam enim aliquem Reum vidi confessum fuisse crimen ob id tantùm, quòd sciuerit contra ipsum de eo constare semiplenè, vel esse diffamatum, siue pro delicto ueniat imponenda pœna temporalis, siuè spiritualis. Et multò magis dicta opinio probabilis redditur, cùm argumenta pro contraria sententia facilè dissoluantur. Nàm ad primum argumentum, quo mouetur opposita sentētia, nempè, quòd Iudex per semiplenam probationem iuridicè mouetur ad interrogandum Reum; ergò Reus cogitur dicere ueritatem, cùm quilibet teneatur Superiori iuridicè præcipienti obedire; respondetur, negādo consequentiam; siquidem licet concedamus, Iudicem iuridicè, ac seruato iuris ordine Reum interrogare; nihilominus Reus iustè quoque celare potest delictum ad propriam infamiam, mortem, aut aliam pœnam maximè corporalē euadendam, non obstante, quòd sit semiplenè probatum; ita ut uterque dicatur iure suo uti. Etenim licitum est Iudici præcipere damnato ad mortem, ne à carceribus aufugiat: & tamen licitum est quoque Reo à carceribus aufugere; atq; 6 ideò in tali casu ipsi Iudici non obtemperare, & sic tàm Iudex, quàm Reus utuntur iure suo, ut infra, Deo duce, dicemus, & habetur per *Sayr. lib. 12. Clau Reg. cap. 18. num. 5. cum pluribus seq.* Dominus pariter iustè præcipit seruo, ne fugam arripiat: & tamen seruus iustè quoque potest Domino hoc casu non obedire, & aufugere; ac proindè sicut Dominus vtitur iure suo præcipiendo, ita quoque seruus dicitur uti iure suo in præfato casu, non obediendo, ut argumentantur pro hac sententia *Petr. Nauar. loco citato, num. 142. Salzedo in pract. crim. c. 126. Spatar. d. cap. 7. num. 7. & cap. 8. nu. 4.* ubi etiā *num. 5. & 6.* soluit instantiam eorum, qui dicunt; quòd si prædicta responsio uera esset, tunc sequeretur posse dari iustum bellum ex utraque parte, quod implicat. Etenim qui docent hanc opinionem, tenent, posse dari aliquam belli speciem utrinque iusti. Nam secundum sententiam magis receptam quis non tenetur denunciare, uel testificari contra eum, qui non laborat infamia; etiam iudice iuridicè inquirente, præcipiēte, & urgente; ita ut dum Iudex iustè urget, testis quoque iustè negat. Si igitur eo casu datur iustū bellum ex utraque parte inter Iudicem, & testē; & tamen de alterius tantùm fama agitur; multò iustius erit bellum ex utraque parte inter Iudicem, & Reum; atque ideò multò magis Reus poterit ueritatem non plenè probatam negare, ac celare ad propriam infamiam, ac pœnā euadendam, cùm cæteris paribus, unusquisque sibi magis, quàm proximo teneatur, ut in *d. l. Præses, C. de seruit. & aqua.*

7 Ad secundum argumentum se habens, quòd confirmare iuramento mendacium est intrinsecè malum: ergò debet Reus ueritatem aperire Iudici iuridicè interroganti; negatur similiter consequentia; quoniam Reus tali casu nullum profert mendacium, nec mendacium dicitur iuramento confirmare; atque ideò nullum committit periurium: siquidem Reus respondet secundum intentionem Iudicis interrogantis, qui præsumitur uelle ueritatem extorquere, seruato ipsi Reo suo iure, sicut ipse suo iure utitur, iuridice, ac cum iuramento interrogando Reum, quādo delictum per semiplenam probationem constet, uel per indicia æquipollentia; ita etiam suo iure utitur, & citra periurium, ac omnem culpam negando delictum quando contra ipsū non constat plenè; sed tantùm semiplenè, & potest uti uerbis æquiuocis, & amphibologijs ad propriam infamiam, & damnum uitandum, dicendo intra se, Non commisi delictum, ut tibi dicam, iuxta ea, quæ habentur ex *Sayro,* & alijs ab eo allegatis *lib. 12. Clauis Reg. cap. 17. num. 24. & 25.* Vel etiam simpliciter negando delictum absque aliqua æquiuocatione, posse arbitratur *Spatar. d. cap. 7. num. 14.* eo quòd Reus iuramento interrogatus obligatur sub pœna peccati mortalis respondere secundum Iudicis intentionem iuridicè interrogantis, iuxta ea, quę habentur ex *D. Thom. 2 2. q. 87. ar. 7.* & in eum *Caiet. & Sot. lib. 5. de iustit. & iure, q. 1. ar. 7.* At eo casu potest dici, Reum respondere secundùm Iudicis intentionem; quæ est, vt Reo suum ius vbique, ac semper conseruetur, sicut Iudici suum, vt supra diximus.

8 Ad tertium respondetur, quòd licèt per Iudicem eo casu possit indici purgatio; nihilominùs vbi delictum non est plenè probatum, non obstāte purgatione indicta, ipse reus poterit in ipso actu purgationis negare delictum: siquidem tali euentu, sicut Iudex vtitur iure suo indicendo reo purgationem, & deferendo ei iuramentum de veritate dicenda; ità etiam reus vtitur iure suo

veri-

veritatem negando, vbi delictum non est plenè probatum ad propriam infamiam,& pœnam vitandam. Vndè his reiectis cùm opinio hæc ex resolutione argumentorum,& rationibus suprà relatis sit probabilis,arbitror,in praxi citrà culpam seruari posse: quoniam, vt aliàs diximus, potest quis amplecti opinionem probabilem, etiam minus tutam,omissa probabiliori.Quam tamen opinionem puto veram esse,quando delictum est iam patratum, & non adest periculum recidiui in damnum publicum, vel priuatum alterius: nam tunc reus desistere tenetur omninò à malo inferendo: vel interrogatus tenetur dicere veritatem: quoniam cùm Iudex hoc casu ius habeat ad interrogandum,consequenter reus non dicitur vti iure suo veritatem non dicendo, si à malo non vult desistere: quia nulla ratio naturalis id suadet; atq; ideò obligatur respondere quamdiù damnum imminet Reip. aut alteri. Quòd si reus paratus sit desistere à malo inferendo, tunc melior est conditio possidentis famam, & vitam, cessatq; iam omne damni inferēdi periculum, ratione cuius Iudex ius interrogandi habuit,quo iure per pœnitentiam, & resipiscentiam rei cessante, cessat consequenter debitum in reo ad respondendum. Ità *Sayr.lib.12. Clauis Reg.cap.16.num.20.* vbi ait cum hac distinctione conciliari posse inter se *Salon. 22. q. 69. num.2.contr 3.* & *Bann. ibidem par.1. dub.2.* quorum primus putat, reum obligari ad respōdendum, & alter negat.

9 Secundò peccat reus, qui cōuictus per testes, & condemnatus de crimine, nec aliquam spem habeat euadendi saltem per fugam,adhuc perseuerat in criminis negatione: nec à Confessario potest absolui, donec veritatem fateatur: siquidem tunc grauem iniuriam irrogat Iudici, cui non reddit ius suum respondendo: & testes quoq; iniuria afficit, & tanquam iniquos diffamat, & populus commoueretur contra illos, ac scandalizaretur, existimans eum iniustè fuisse condemnatum: quam iniuriam cùm possit, & debeat quamdiù monet in iudicio resarcire,nisi resarciat,cùm in peccato permaneat, non potest absolui: nisi Confessarius ipse dubius esset, an legitimè fuerit interrogatus; quoniam eo casu habita diligenti inquisitione,si adhuc remaneat dubius, debet reum ipsum absoluere, cùm leges in dubio magis tendant ad soluendum, quàm ad ligandum, *l. Arrianas,ff.de actio.& oblig. l. fauorabiliores, ff.de regul. iur. & cap. vlt. de sent.& re iud.* latè *Sayr.lib.12.Clauis Reg.cap. 17.sub num.13.* vbi etiam ex *Bann.22 q.69.ar. 2.par.2. dub.1.* addit, quod si reus per criminis negationem, vt supra, & sic post culpam commissam propter huiusmodi negationem incideret in nouam pœnam, nempè periurij, vel alterius,tunc obligaretur veritatem confiteri: quia tunc proderet se reum de noua culpa, & non censetur interrogatus de priori casu, sed de re noua: & si reus iudicium euaserit per fugam, aut alio modo, tunc absolui potest à Confessario, imposita illi pro mendacio salutari pœnitentia: nec cogi potest, vt ad carcerem redeat, aut Iudicem adeat, & seipsum prodat: quoniam id esset seipsum occidere; sed satis est moneri à Cōfessario, vt sit animo præparato veritatem confitendi si in iudicium iterum reducatur, quāuis ad mortem condemnatus esset;quia solùm tenetur veritatem fateri, quando legitimè interrogatur. Imò si reus conuictus, & condemnatus adhùc in negatione persistens ducatur ad patibulum,licèt rectè faciat fatendo veritatem; de rigore tamen ad id faciendum non tenetur, nisi aliquod damnum illi sequeretur; sed satis est si peccatum suum ritè sacramentaliter cōfiteatur, & absoluatur, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap.25 num.38.*

10 Tertiò peccat reus, si legitimè interrogatus non confiteatur delictum: & ob id non soluat pœnam pecuniariam Fisco, aut parti debitam ratione talis delicti: quod quomodo procedat latè declarat *Sayr.loc.sup.cit.cap.17. nu 16.17. & 18.* vbi etiam *num. 19.* addit, quod in casu, quo tenetur reus fateri delictum, si non respondeat Iudici iuridicè interroganti dicendo veritatem, non solùm peccat, verùm etiam tenetur ad restitutionem Denunciatori, seu accusatori, vbi in ea læsi remanent;siquidem peccat contra iustitiam,non solùm Iudici,sed etiam accusatori debitam,quod verum est si delictum commiserit; aliàs secus,vt habetur ex *Scoto in 4. d 15. q 4.§.tertio membro, Richar.ibid. ar 5 q.3. Caiet.22.q.62. ar.2. dub.1. Sot. lib.4 de iustit. & iure,q.6.ar.3.ad 4.* & alijs apud *Sayr. vbi sup.*

11 Quartò peccat reus iustè condemnatus quauis pœna, etiam vltimi supplicij per vim resistēs Iudici, seu eius ministro, sententiam exequi volenti: siquidem reus iustè condemnatus tenetur pœnam patientèr subire,atq;ideò Iudici obtemperare,ac illi non resistere, iuxtà illud *Apost.ad Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ità *D.Th.2.2.q.69. ar.4.* & in eum *Caiet.Bann.Petr.de Arag.& Salon.Sot. lib.5. de iust.& iure,q.6.ar.4.Gabr.in 4.d.15.q 6. ar.2. concl.6.Nauar.in cap. Statuimus, 19.q.3.q.16. num.63.Greg. de Valen.tom. 3.disp.5.q.13. pun. 4. Rodriq. tr.de ord iudic. cap. 14. concl.3. & Sayr.d.lib.12.Clauis Reg cap.18. num.1.* Quæ quidem conclusio vera est, etiam si reus sciat se esse innocentem, licèt secūdùm allegata,& probata appareat de crimine conuictus, atq; delinquens: siquidem adhùc ei licitum non est per vim se defendere, ità vt mortem inferat Iudici, aut ministris;sed tantùm eidem licet aufugere si possit. Ità *Sot. Salon. & Arag. locis cit. Couarr.lib.1.var.resol.cap.2.num.13 Lopez par. 1.Instr.consc.cap.66. Rodriq. tom. 1. sua summ. cap.136.concl.9.* Et hanc sententiam communē, & veriorem esse tenet *Sayr.loc.cit.num.3.vers. Communis tamen.* Fundantur in eo, quòd cum Iudex sic probatum nocentem, quem alijs vijs tentatis liberare non potest, iustè, ac iuridicè condemnare valet, si reus ius etiam haberet vi, & armis se à Iudice, vel ab eius ministris defendendi,daretur bellum ex vtraq;parte iustum, quod fieri posse negant.

12 Hæc ratio re vera non videtur conuincere: nam supra ostendimus, non esse absurdum aliquando dari bellum ex vtraq; parte iustum. Vndè contraria sententia non videtur spernenda, quam docet *Bann.22.q.69.ar.4.dub.1.* dum ait, licitum esse reo hoc casu adeò se defendere, vt possit Iudicem ad sui defensionem occidere. Etenim huiusmodi sentētia cum sit iniusta, supposita rei innocentia,est nullius momenti in foro

ro conscientiæ; ergò reus non tenetur illi stare. Confirmatur, quoniam si innocens inuaderetur ab alio innocente, vel laborante ignorantia, aut à furioso, posset se ab illo defendere; ergò eodem modo hoc casu à Iudice. Deniq; Iudex tenetur omnes vias tentare, vt talem innocentem liberet, vt aliàs diximus; ergò iniustè vim infert huiusmodi reo, volenti manus eius effugere, & iniustè suam sententiam iniustam conatur exequi; & ideò licitum est ei resistere, cùm licitũ sit resistere Iudici indebitè exequenti, vt in *cap. cum causa*, & ibi *Panor. num.* 4. & alij, *de offic. deleg.* Nec obstat si dicatur, dictam sententiam esse iustam cùm secundùm allegata, & probata lata fuerit, iuxtà ea, quæ habentur ex *D. Th.* 22. *q.* 69. *ar.* 4. quoniam dicta sententia non dicitur iusta simpliciter, & secũdùm rei veritatem; sed inspecto tantùm iuris ordine. Est tamen verum, quòd cùm vis citra scandalum à reo Iudici non possit inferri; idcircò omnes conueniunt, quòd ratione scandali non est licitum reo vt supra iniustè cõdemnato per vim se defendere, vt habetur ex eodem *Bann.* & ex alijs relatis per *Sayr. loc. cit. sub num.* 3.

23 Quintò peccat reus condemnatus ad pœnam carceris iustè, siue temporalis sit, siue perpetua, si ab ea aufugiat, etiam citra carceris effractionẽ, vt habetur ex *Syl. ver. Fugere, & Angel. eod. ver.* §. 1. *Tab. ver. accusatio, vers. Decimò, Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 101 *&* 102. *& in cap. Statuimus*, 19. *q.* 3. *q.* 16. *num.* 63. *Caiet.* 22. *q.* 69. *num.* 4. *dub.* 2. *Sot. lib.* 5. *de iust. & iure, q.* 6. *ar.* 4. *post med. Couar. lib.* 1. *var. resolut. cap.* 2. *nu.* 14. *Valen. tom.* 3. *disp.* 5. *q.* 13. *post concl.* 3. *in resp. ad* 4. *Ludouic. Lopez par.* 1. *instr. cap.* 66. *Salzedo in praxi crim. cap.* 137. *Rodriq. de ordine iud. cap.* 14. *concl.* 3. quam sententiam communiorẽ, & veriorem esse, testatur *Sayr. d. cap.* 18. *sub nu.* 5. *&* 6. Etenim licèt ante Iudicis sententiam nemo teneatur pœnam subire; nihilominus post condemnationem tenetur eam exoluere; nam quilibet tenetur obedire iustitiæ legali in illis actionibus, quas licitè exercere potest. Secundò, qui condemnatur in exilium, tenetur in consciẽtia exulare: sicut qui condemnatur, vt à Ciuitate nõ exeat, nõ potest ab eadem egredi: ergo idem dicendum est de condemnato ad carcerem, cùm similiter eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

24 Hanc conclusionem ampliat ipse *Sayr. loc. cit. sub n.* 8. *vers. Idem etiam dicendum:* esse veram quoq; quoad condemnatos ad carceres, donec pecuniam soluãt: & quoad condemnatos ad triremes, quos putat, non posse à triremibus aufugere citra culpam. Ego autem contrariam opinionem puto esse probabiliorem de condemnatis ad triremes in perpetuum, quam docet *Bann.* 22. *q.* 69. *ar.* 4. *dub.* 2. *concl.* 5. *& Salon. ibidem, contr.* 2. *concl.* 4. etiam quoad condemnatos ad perpetuos carceres: siquidem carcer perpetuus comparatur seruituti perpetuæ, ac morti, *l.* 2. *ff. de liber. homin. exhib. l. seruitutem, ff. de regul. iur. Inn. in cap. qualiter, & quando,* 2. *de accus.* Imò *Ioan. Andr. in cap.* 1. *de collus. deteg.* inquit grauiorem esse perpetuum carcerem, quàm abscissionem vnius digiti, aut fustigationem. Vndè sicut damnatus ad mortem, vel captus ab hostibus in bello iusto potest aufugere; ita etiam damnatus ad carceres perpetuos, & ad triremes perpetuò, potest aufugere; citrà tamen resistentiam. Nec *Sayri* responsio nobis probatur, dum ait, quòd licet pœna perpetui carceris æquiparetur morti, & seruituti perpetuæ; est tamen mors quædam, quæ non solùm consistit in passione, sed etiam in actione; quia cùm illa actio detur in pœnam, semper habet rationem passionis; atque ideò non potest reus dici aufugiendo omittere ei actum iustè iniunctum.

25 Quocirca caueãt Confessarij, ne interrogent condemnatos huiusmodi, si intentionem, & propositum habent aufugiendi, si possint: nam stante dicta opinione, & maximè eorum bona fide, existimãtium posse aufugere, sunt tuti in conscientia. Quæ quidẽ vera non esse dicunt *Bann.* & alij de condemnatis ad carcerem perpetuum à Sacra Inquisitione: siquidem fauore fidei non est licitum illis aufugere. Et de ijs, quibus pœna mortis ex eorũ consensu commutata fuit in carcerem perpetuũ: nam suo consensu renunciarunt facultati fugiendi. Cæterum licèt hæc apud Doctores controuertãtur; nihilominus omnes conueniunt, vt licitum sit reis à carceribus aufugere, & multò magis à triremibus, quando iniustè fuerunt cõdemnati, vel iniustè cibaria, & alia ad victum, ac vestitum necessaria ipsis denegantur, vt habetur ex *Sayro d. cap.* 18. *num.* 10.

26 Verum tamen est, quòd licèt ea, quæ diximus locum habeant in condemnatis ad carceres; non tamen vera sunt de inclusis in carcere nõ ad pœnam, sed ad custodiam tantùm: quoniam hi aufugientes nullo pacto culpam contrahunt, cùm nemo teneatur subire pœnam ante condemnationem: & manere in carcere pœna quędam sit, vt habetur ex *Salon. vbi sup. concl.* 1. *& Petr. de Arag. & Sayro locis citatis*; quam conclusionem ipse *Sayr. num.* 7. *&* 11. cum sententia magis communi ampliat procedere, etiam in iusto damnato ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem, & in carcere coniecto in custodiam: nam licitè potest aufugere. siquidem inclinatio, quam vnusquisq; habet ad propriam vitam tuẽdam, est de iure naturali: & Iudex pronunciando sentẽtiam, nullum actum interiorem, aut exteriorem præcipit reo faciendum, nec actum aliquem prohibet: & propterea fugiendo à carcere, maximè si ostium sit apertum ad vitam saluandam non peccat.

27 Eadem ratione licitum est reo, vt pœnam corporis euadat, corrumpere custodes pecunia, vel dono, vt per *Glos. in cap. inter cætera, §. sed cum his omnibus, in ver. decepti, in fine,* 22. *q.* 4. *Angel. in sum. ver. fugere, §.* 1. *& Tab. ver. accusatio, §. Decimò*: & facit *tex. in l.* 1. *ff. de bon. eor. qui mort. sibi consc.* vbi dicitur: *Ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualitercũq; redemptum voluit.* Confirmatur, quia reus ius habet conseruandi vitam suam: hinc damnatus ne fame pereat, cibum sumere posse, ait *D. Th.* 2. 2. *q.* 69. *ar.* 4. *ad* 2. Et si ob id custos damnum patitur, vel infamiam, sibi imputet, cùm sciens, & volens corrumpi sinat, arg. *tex. in l. scienti, de reg. iur. in* 6. Imò licitum est reo custodem decipere, vt aufugiat, citra tamen vim aliquam, atque iniuriam, vt si potũ ei præbeat, vt dormiat, aut verbis vtatur æquiuocis, quibus decipiat, vt rectè declarat *Sayr. lib.* 12. *Clauis Reg. cap.* 18. *num.*

num. 15. & 16. Quod quidem verum est, esto, quod reus certò sciat, custodē grauiter esse puniendum; quoniam reus vtitur iure suo; & si indamnum proueniat custodi, id est per accidens, & præter intentionem aufugientis. Ità *Caiet.* 22. *q.* 69 *ar.* 4. *dub.* 1. vbi etiam *Arag dub.* 2. *Salon. contr.* 2. *concl.* 2. & 3. & *Bann. dub.* 2 *con.* 1. *Sot. lib.* 5. *de iust.* & *iure q.* 6. *ar.* 4. *ad* 2. *Valen. tom.* 3. *disp.* 5 *q.* 13. *pun.* 4. *con.* 3. *Syl. ver. accusatio*, *q.* 16. & *ver. fugere*: *Tab. ver. Accusatio*, §. *Decimo*, *Tol. lib.* 5 *suæ sum. c.* 58. *Couar. lib.* 1. *var. resol. cap.* 2. *num.* 9. & *Sayr. loc. cit. num.* 17. vbi etiam *num.* 18. *cum plurib. seq.* probat ex citatis supra Doctor. & ex alijs, ac ob eandem rationem, posse reum ad mortem condemnatum, non solùm licitè à carceribus aufugere; verùm etiam vt indè aufugiat, compedes limare, fores infringere, & murum perforare, & alia eiusmodi; dummodò vim custodi non inferat, eum ligando, os eidem opturādo, ne exclamet, & multo minus eum occidendo, cùm hæc, & similia citra culpam fieri nequeant. Potest quoq; aliquis eadem ipsi carcerato consulere, limam, clauem adulterinam, & alia eiusmodi tradere ad fugam arripiendam, & carceres infringendos. Imò reus quantumuis iustè ad mortem damnatus, & ea morte, vt fame pereat, potest cibos sibi oblatos comedere; sicut licitum est alijs eidem illos offerre nisi sint ministri iustitiæ: nā si cibos oblatos non comederet, concurreret ad sui ipsius necem, quod nemini licet, vt habetur ex *D. Th.* 2. 2 *q.* 69. *ar.* 4. *ad* 2. & in eum *Caiet. dub.* 8. *Arag. ibid dub pen.* & *Salon.* & hāc sententiam communem esse testatur *Sayr. d. cap.* 18. *dub.* 11. & 12. *à num.* 28. *vsq; in finem*, cum nonnullis alijs, quos allegat.

18 Non tamen peccat reus, si condemnatus ad mortem, possit aufugere, & non aufugiat: quoniam non ob id dicitur concurrere ad suiipsius necem: siquidem nullum actum agit, qui ex sui natura tēdat ad sui occisionem, aut membri mutilationem, vt habetur ex *Couar. lib.* 1. *var. resol. cap.* 2. *num* 8. & *seq. Sot. lib.* 5. *de iust* & *iure*, *q.* 6 *lib.* 4. *vers. At vera ratio*: *Salon.* 22 *q.* 69 *ar.* 4. *contr.* 2. *concl.* 2. *Arag.* & *Bann. ibidem*, & ex alijs apud eundem *Sayr. d. cap.* 18. *num.* 13. vbi *num.* 9. quæ suprà diximus limitat vera esse in laicis, & clericis: secùs autem in Religiosis iustè in carcerem coniectis à suis Prælatis in Monasterio, vt custodiantur: siquidem ijs fas non est aufugere, nec ante, nec post condemnationē, vt habetur per *Caiet.* 22. *q.* 69. *ar.* 4. *in resp. ad dub.* 2. *Nauar. in cap. Statuimus*, 19. *q.* 3. *q.* 16. *n.* 63. & *Salon. vbi sup. post concl.* 2. Etenim Religiosi libera eorum voluntate priuauerunt se exeundi à claustro per tria vota exhibita. Quod intelligitur iuxta ea, quæ sup. diximus, si iustè detineantur in carcere, & necessaria sibi ministrentur ad vitam conseruandam, & cum charitate; non autem crudeliter tractentur.

19 Sextò peccat reus si iurauit carceris custodi, aut Iudici redire ad carceres, & non redijt, etiā si condemnatus sit ad mortem: Etenim materia, super quam fertur iuramentum est licita, & propterea iuramentum alligat, vt habetur per *Glos. in cap. Pastoralis, ver per violentiam, de sent.* & *re iud. Panor. in cap. si vero, num* 8. & *cap. sicut*, 3. *num.* 4. *de iureiur. Caiet.* 22. *q.* 89 *ar.* 7. *Nauar. in Man. cap.* 12. *num.* 12. & 18. *Tol. lib.* 4. *suæ sum. cap.* 22. *Lopez par.* 1. *Instr. c* 42. *Sum. Corona tr. de iuram num.* 25. *dub.* 5. *Angel. ver. Iuramentum*, §. 37 *Syl. ver. Accusatio*, *q* 17. & *ver Iuramentum*, 4. *q.* 26. *Tab. ver. Accusatio*, §. *Decimo*: & alij, qui id limitant, excepto *Caietano*, quando carcer non est iniuriosus: secùs autem si iniuriosus esset; vt quia esset Iudicis incompetentis, alicuius Tyranni, aut alicuius priuati: vel si esset Iudicis competentis, ipse Iudex non procederet, seruato iuris ordine; quoniam tunc regredi non obligaretur, si reus sciret, se moriturum iniustè se redeat: aliàs ipse reus esset sui ipsius mortis causa: quam sententiam probabilē putat et *Sayr lib.* 11. *Clauis Reg. c.* 18. *n.* 27.

20 Septimò peccat reus objjciens testi contra ipsum examinato, falsa crimina ad repellandum eum; etiam si talis testis falsum testimonium dixerit contra ipsum reum, & non seruato iuris ordine: siquidem ob jcere alteri falsa crimina, est intrinsecè malum, cùm sit mendacium perniciosum, & ex suo genere mortale: & propterea nulla ratione potest esse licitum, vt habetur ex *Soto, lib.* 5. *de iust.* & *iure q.* 7. *ar.* 3 *Salon.* 22. *q.* 7. *ar.* 3. *contr.* 1 *con.* 6. *Arag* & *Bann. ibidem*, *Valen. tomo* 3 *disp.* 5. *q.* 4. *pun.* 3. *Rodriq. de ordine iudic. cap.* 8. *con.* 1. & *Sayro lib.* 12. *Clauis Reg cap.* 19. *sub num.* 27. *vers. Primò certum est*: & *num.* 33. vbi ex hoc infert decipi Causidicos, qui putant id licere ad redimendam rei vexationem. Dixi *Falsa crimina*, quia si vera sint crimina, etiam occulta, licitum est reo objjcere testi falso ad eneruandum eius testimonium; siue falsum dixerit ex malitia, siue ex ignorantia: siquidem vnicuique licitum est se defendere, cum defensio sit de iure naturali, *l. vt vim ff de iustitia*, & *iure*. Ità *Salon. loc. cit con.* 2 *Cord. lib.* 1. *qq. q.* 38. *sub num* 4. ratione opinionis secundę, *vers. Sed vt semel*, & alij relati à *Sayro loc. cit. vers. Secundò certum est*: vbi etiam *num.* 30. id ampliat verum esse etiam si reus objjciat crimen occultum testi verum testificanti; dummodò illud probare possit; quoniam vtitur iure suo: & dummodò tres aliæ conditiones concurrant, de quibus idem *Sayr.* ibi; quarum prima est, vt ea solùm crimina objjciantur, quæ satis sint ad infirmandum eius testimonium, relictis alijs impertinentibus. Secunda, vt reus non possit aliter se defendere: siquidem non debet quis, vti iure suo cum graui alterius incommodo; nisi necessitas vrgeat: & tertia vt fiat comparatio inter dānum, quod imminet reo, & inter damnum testi imminens: nam pro leui damno, quod imminet reo, non debet testi inferri magnum, nempè vitæ, aut bonorum omnium, vel maioris partis ex reuelatione delicti occulti, vt benè declarat ipse *Sayr. ibi num* 28 & 29.

21 Octauò peccat Reus in ciuilibus temerè litigans, & tenetur ad refectionem damnorum, & interesse parti: siquidem temeritas non solum ex parte actoris; sed etiam ex parte rei esse potest in litigando, vt in §. 1. *in instit. de pęna temerè litigantium*: & aliquando negans id, quod debet, in duplo punitur, & quandoque, etiam in triplo. Imò temeritas non solùm pœna pecuniaria coercetur; sed etiam periurij, cùm Actor teneatur iurare de calumnia, vt in §. *ecce*, §. *at aduersus*, *cum pluribus seqq. in Inst. eod. tit.*

DE

De Testium culpis.
SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Peccant mortaliter testes, falsum testimonium perhibentes in iudicio, vel extra iuramento mediante, siue agatur de re graui, siue parua.*

2 *Peccant testes falsum perhibentes, & omnia damna, ac interesse parti læsæ reficere tenentur.*

An teneatur cum suo vitæ periculo falsum testimonium retractare, si falsum deposuerit contra innocentem, & num. seq.

3 *Qui falsum deposuit contra innocentem tenetur cum periculo vitæ suum retractare dictũ etiam si alij testes, qui falsum quoque dixerint, non retractent.*

Et quid si talis testimonium in mortem innocentis non influat, quia scilicet vltimus est.

4 *Ad restitutionem non tenetur testis cum suæ vitæ periculo, si ex ignorantia inculpabili, vel obliuione falsum dixerit.*

5 *Peccant testes aliquid percipientes pro testimonio ferendo, etiam si verum dixerint.*

An teneantur ad accepti restitutionem.

6 *Licet testis pro testimonio ferendo aliquid non possit accipere, benè tamen accipere potest pro expensis itineris, & pro mercede dierum, vel pro alio lucro sibi cessante.*

7 *Peccant testes, celantes defectus, propter quos à testificando repelluntur scientes testimonium perhibentes.*

Et qui nam testificari non possint, nec pro, nec contra.

8 *Infideles aduersus fideles regulariter à testimonio ferendo repelluntur.*

9 *Peccant testes, non solum qui falsò, vel variè testimonia dixerunt, verum etiam, qui vtriq; parti eorum dicta prodiderunt.*

10 *Peccant testes non solùm falsitatem dicendo, sed etiam veritatem tacendo.*

11 *Testis iuridicè interrogari, tunc dicitur quando à competenti Iudice seruato iuris ordine interrogatur, & id testi notum est.*

Quid si euidenter constet, Iudicem esse virum probum, ac timoratæ conscientiæ, an opus sit, vt testi manifestet, se procedere secundum iuris ordinem.

12 *Testis in criminalibus, vbi proceditur per accusationem, tunc iuridicè interrogatur, quãdo accusator producit testes, & crimen probare offert*

13 *Testis, vt crimen fateri teneatur, an opus sit, vt præcedat infamia, vel semiplena probatio.*

14 *Reus crimen fateri non tenetur, nisi de delicto contra ipsum saltem semiplenè constet, vel adsint indicia, quæ semiplenam faciant probationem.*

15 *Testis ab accusatore productus, & à Iudice iuridicè interrogatus, an, & quando teneatur fateri crimen, qui sibi sub sigillo secreti est commendatum, mediante iuramento, ac promissione de secreto seruando, & num. seq.*

16 *Vbi crimen, de quo agitur est iam commissum, & solum inquiritur à Iudice, vt puniatur, nõ autem ad euitandum aliquod damnũ Reip. vel tertio, non tenetur testis illud manifestare, si ad secretum tenetur, quocunque modo agatur.*

17 *Aduocati, Procuratores, Consiliarij, Medici, Chirurgi, &c. Obstetrices, &c. quibus aliqua secreta litium, morborum, &c. fuerunt commissa, illa Iudici manifestare nõ obstringuntur.*

18 *Testis, à Iudice iuridicè interrogatus, tenetur verum fateri, etiam si procedat per viam inquisitionis generalis, tracteturque de delicto in fieri in damnum commune, aut notabile detrimentum tertij.*

19 *Quid si crimen iam commissum sit, & Iudicis inquisitio sit generalis, & generaliter interroget testẽ, qui vnus est, qui scit delictum, an teneatur delinquentem manifestare.*

Et quid si delictum sit notorium, & Iudex Ecclesiasticus pœnam imponat excommunicationis, vel quamuis aliam, strictè obedientiã importantem, siue Iudex laicus sub obedientiæ præcepto, vel alia grauiori præcipiat, vt reueletur delinquens.

20 *Pœna excommunicationis, vel quæcunque alia superaddita reddere præceptum Iudicis iustum non potest, quamuis ostendat Superioris voluntatem, ac intentionem magis vrgere.*

21 *Peccant testes qui à Iudice interrogati, specialiter inquirente de delicto aduersus aliquem, de quo infamia præcessit, veritatem non testificantur.*

Dummodò à competenti Iudice interrogetur, & delictum sciat de visu, secus de auditu.

22 *In omnibus casibus, in quibus testis testificari non tenetur, nec peccat, nec censuram contrahit testis non testificando.*

An qui scit rem aliquam sub sigillo confessionis teneatur reuelare in excommunicatione, & testificari teneatur dato, quod confessio fuerit informis.

23 *Peccant testes, qui vt testificari vitent contra aliquem, asserunt esse illius inimicum.*

24 *Peccant testes, iurantes se testimonium non perhibituros, cum temerarium sit hoc iuramentum.*

25 *Peccant testes in instrumentis vsurarij adhibiti, & ad restitutionem tenentur sicut Notarij, qui huiusmodi instrumenta conficiunt.*

26 *Peccant testes, qui in iudicio iuridicè interrogati super crimine, propter quod venit imponenda pœna confiscationis bonorum, veritatem negant.*

An teneatur Fisco ad id, quod ei perueniret, si Reus damnaretur.

27 *Peccant testes, manifestantes eorum testificata parti, & extraordinariè puniuntur.*

1 PEccant primò mortaliter testes, qui falsum testimonium, mediante iuramento, in iudicio, vel extra iudicium perhibent, siue agatur de re graui, siue parua: siquidem efficitur periurus falsum testificans: omne autem periurium si de re graui fit, siue de re leui, lethalis culpa committitur: quoniam adducere Deum in testem cuiusuis falsitatis, est grauem iniuriam illi inferre, vt habetur ex *D. Thom 2.2.q.70 ar.4 in corpor. Salon. Bann. & Arag. ibidem, Sot. lib. 5. de iust.*

iust. & iur. q 7. ar. 4. *Nauar. in Man. cap. 25. num. 4. Valen. tom. 3. disp. 5. q. 14. pun. 4. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 19. num. 7.* Et insuper tenentur pœna falsi; etiam si falsum dicant ad impediẽdam iustitiam, vt per *Syl. in sum. vers. Testis, q. 8. vers. Sextum.* Quod quidem verum est, quando testis scienter testimonium falsum dixerit, aut dubitans nullam diligentiam adhibuerit: secus autem si falsum dixerit putans esse verum, aut dubitans debitam diligentiam adhibeat, aut sine iuramento testimonium protulerit in iudicio iniusto, vt post alios benè declarat idẽ *Sayr. loco citato, num. 4. 5. & 6.* explicans, an, & quando in dictis casibus habeat locum restitutio.

2 Secundò peccant testes scienter falsum testimonium, vt supra in iudicio perhibẽtes: & insuper tenentur reficere omnia damna, & interesse parti læsæ. Etenim faciunt contra iustitiam, ratione cuius locum habet restitutio, vt sæpè diximus. Idem dicendum est de deponentibus falsum contra famam alterius, etiam cum propriæ famæ periculo: quia in pari causa melior est cõditio innocentis, vt per *Cordub. in summ. q. 67. §. 2. Ioan. Medin* & alios, quos refert, & sequitur *Sayr. loco citato, num. 11. vers. Sextò, qui falsò:* quod quidem multò magis verum est si falsũ deponant contra innocentem; quoniam tenentur falsum testimonium, etiam cum vitę periculo retractare, vt innocentem à morte liberẽt, cuius periculo eorum falso testimonio est expositus. Ita *Caiet. 2. 2. q. 70. num. 4.* & clariùs *Sot. lib. 4 de iust. & iure, q. 6. ar. 3. in resp. ad 4. dub. 3. vers. Grauius autẽ dubium: Nauar. in Man. cap. 15. num. 17. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. c. 3. par. 2. dub. 11. num 252. Ludouic. Lopez par. 1. instr. cap 69. in fin. Cord. in sum. q. 17. vers. 3. Arag. 22 q. 62. ar. 2. contro. 16. concl. 3. Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 59 in fine, Rodriq in suo tr. de ordine iudic. cap. 7. concl. 3. & Sayr lib. 12. Clauis Reg. cap. 19. sub num. 18.* Etenim quamuis vnusquisque suæ potius, quàm alterius vitæ cõsulere teneatur; id tamen intelligitur, cæteris paribus, at in casu, de quo agitur, innocens est in periculo mortis ob iniustitiam à teste contra illum exhibitam, ergò maius ius habet innocens ad suam vitam cõseruandam iniustè accusatus, quàm testis, qui falsum contra ipsum testimonium perhibuit; cùm in pari causa melior sit cõditio innocentis.

3 Hoc quod diximus ampliatur ex eodẽ *Sayro ibidem, num. 9. & 10.* vt locum sibi vendicet etiã quando, eo teste, qui falsum deposuit, dictum suum retractante, adhuc sint alij testes, qui suas testificationes non retractent: siquidem si omnes simul concurrerunt ad dicendum falsum testimonium contra innocentem, omnes tenentur insolidum ad restitutionem: restitutio autem fieri non potest in casu, de quo agitur, nisi retractando dictum etiam cum periculo vitæ. Quòd si testimonium huiusmodi testis non influat in mortem, seu in damnum innocentis, vt quia vltimus fuit, qui testimonium dixit, & alij falsi testes non se retractantes satis sunt ad eum condemnandum; tunc ipse testis quamuis peccauerit contra charitatem: non tamen ad aliquam restitutionem tenetur, seu ipsius dicti retractationem cum periculo eiusdem vitæ; cùm testimonium suum, nec ad pœnam, nec ad grauiorem pœnam influit inferendam: & licèt innocentem falso suo testimonio infamia affecerit, & per suã retractationem innocentis famæ aliquantulum saltem consuleret; ad id tamen non tenetur cum propriæ vitæ detrimento; quoniam vita est altioris ordinis, quàm fama, iuxta ea, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 16. num. 44. & cap. 17. num. 89. Petr. Nauar. lib. 1. de restit. par. 3. cap. 4. dub. 9. num 403.* & alijs relatis per *Sayr. lib. 11. Clauis Regiæ, cap. 7. sub num. 1. & 2.* & nos latè supra, *quæst. 105.*

4 Et multò minus ad restitutionem tenetur, nec etiam cum suæ vitæ periculo suum delictum retractare, si ex ignorantia inculpabili, vel ex obliuione falsum deposuit ob quod innocens est morti condemnatus: siquidem non tenetur ad restitutionem ratione rei, cùm nihil acceperit: nec ratione iniusti dicti cùm non formaliter, sed materialiter tantum falsum dixerit, vt habetur ex *Petro Nauarr lib. 2. de restit. cap 3. par. 2. post dub. 10 num. 255. Rodriq. de ordin. iudic. cap 7. concl. 5. & Sayro lib. 12. Clauis Reg. cap. 19. num. 11.*

5 Tertiò peccant testes, pro testimonio ferendo aliquid percipientes; etiam si verum testificentur: est enim id de iure prohibitum, vt in *cap. sanè, 14. q. 5. Nauar. in Man. cap. 25 num. 45. Tolet. lib. 5 sua sum. cap. 59. Valen. tom. 3. disp. 5. q. 6. pun. 6. § Quid nam sit restituendum, dub. 4. Salon. 22 q. 70 ar. 4 & Bann. ibidem:* Est tamen verum, quòd non tenetur testis ad accepti restitutionem ante Iudicis condemnationem: nam testis, nec rogatus à Iudice in iudicio; sed tãtùm à parte expostulatus, vt testimonium ferat, ex sola charitate testificari tenetur; atque ideò nolens id agere, peccat contra charitatem dumtaxat, cuius violatio ad restitutionem nõ obligat, nisi simul violetur, ex cuius solius violatione oritur restitutio. Cogitur igitur ad restitutionẽ ex vi legis, quæ cùm sit pœnalis, in foro conscientiæ non obligat ante Iudicis condemnationem.

6 Benè verum est, quòd testis licèt proferendo testimonio non possit aliquid percipere, nihilominus si pro expensis itineris, & pro mercede dierum, aut alio lucro sibi cessante ratione dictę causæ ei tribuitur, licitè potest sibi acquirere, in *cap si vestes § venturis, 4 q 3. cap. statuimus, §. pro ferendo. de rescr. in 6. l. 3 §. Quoniam liberi, C. de testib. Dec. cons. 189 num. 11.* quæ quidem expensæ sunt taxandæ à Iudice: & consistunt in ueniendo, stando, redeundo, ut declarat *Graff. p. 1. decis. lib. 2. cap. 123. num. 13.* ex *Nauar. in Man cap. 25. num. 45.* Quod si pro ferendo testimonium falsum testis aliquid consequatur, licèt *Nauar. loco citato, §. Sextò: & Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 59.* & quidam alij, uelint eum nõ teneri ad restitutionem eius, quod recepit in foro conscientiæ, nisi tantùm ex consilio; nihilominus *Cord. in sum. q. 67. Salon. & Bann 22. q. 70. ar 4. Valen. tom. 3. disp. 5 q 6 § 6. vers. Quid nam sit restituendum, dub. 4.* quos refert *Sayr. lib. 12. Clau. Reg. cap. 19 num. 14.* arbitramur in conscientia teneri ad restituendum sic acceptũ ante vllam Iudicis sententiam; eo quòd peccat contra iustitiam pecuniam accipiendo pro testificando falsum, ob cuius solius violationem habet locum restitutio. Sed re vera, si res ipsa rectè per-

perpendatur, testis eiusmodi licèt peccet contra iustitiam dicendo falsum, cùm tàm ex iustitia legali, quàm commutatiua prohibeatur ferri contra aliquem testimonium falsum; atque ideò ex hoc capite peccet mortaliter, & insuper teneatur ad restituenda omnia damna, & interesse obuenta parti ex causa talis falsitatis; attamen accipiendo pecuniam pro testificando falsum, non committit contrà iustitiam commutatiuam quoad eum, à quo pecuniam percepit; quia eum in nullo offendit, sed potius rem gratam eidem contulit: ergò cessat restitutionis obligatio, cùm ex solius iustitiæ violatione prouenit: eò magis, quoniam hoc casu extat turpitudo ex parte vtriusque tàm dantis, quàm accipientis: & regula est, vt nunquam locum habeat restitutio, quando turpitudo est ex parte vtriusque, vt in *l. vbi autem, de cond. ob turp. caus.* ita se habente: *Vbi autem, & dantis, & accipientis turpitudo versatur, non posse repeti dicimus, veluti si pecunia detur, vt malè iudicetur.*

7 Quartò peccant testes, qui defectus celantes, propter quos à testificando repelluntur, scienter testimonium perhibant, etiam si verum dicant, vt si quis dicat esse Clericus, cùm sit laicus, & testimonium ferat contra Clericum in criminalibus: siquidem laici non possunt esse testes in criminalibus contra Clericos, vt in *cap. Beati Petrus, & Paulus, §. fin. in fine, 2. q. 7.* Sic etiam si quis neget se esse filium, vel patrem, & dicat testimonium pro patre, aut pro filio, aut contra patrem, vel contra filium: Parentes enim, ac liberi sicut pro, ita contra, nec volentes quidem in testes admittuntur, vt in *cap. 2. §. testis idoneus, & §. parentes, & liberi, 4. q. 3. & l. parentes, C. de testib.* latè *Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl 6. coroll. 66. num 809.* Est tamen verum, quòd in crimine læsæ Maiestatis, & proditionis Patriæ, sicut seruus potest testificari cõtra Dominum, & admittuntur testes aliàs inhabiles, vt in *l. famosi, ff. ad leg. Iul. Maiest.* ita etiã liberi contra parentes, & è conuerso, vt habetur ex *Nauar. in d. cap. inter verba, num. 826. Angel. in summ. vers. Exheredatio, § 1. & 2. Sylu. vers. Hæreditas, 2. q. 3.* & alij: Siquidem naturalis ratio suadet, vt bonum commune, bono priuato præferatur. Idem dicendum vbi agitur de crimine hæresis, in quo filius obligatur testificari etiam contra patrem, vt rectè probat *Alphons. Castr. lib. 2. de iust hære: punit. cap. vlt. Angel. vers. Testis, num. 12. §. 8. Syl. eod. vers. q. 1. vers. Octauò, Nauar. in d. cap inter verba, 11. q. 3. concl. 6. corollar. 66. nu 825. Salon. 22. q. 10. ar. 1. contr 2. con. 3. Bann. ibidem, dub. 1. & Sayr. lib. 12. Clauis Regia, cap 19. num. 24. 25 & 26.* vbi soluit contraria aduersus *Abulen. Siman.* & alios. Imò quamuis testes priuilegiati, vt Aduocati, Medici, & alij eiusmodi, quibus manifestantur litium, & morborum secreta, nõ debeant reuelare; sicut nec parentes contra filios, & è contra, vxor pro, & contra maritum, & libertus contra patronum, vt in *d. l parentes, C. de testib.* iuncto *tex. in cap fin. §. item lege Iulia, 4. q. 3.* nihilominus vbi nulla adest probatio, possunt per excommunicationem cogi ad testificandum, & ad reuelandum. Etenim testes priuilegiati non excusantur ex toto; sed tunc solum cùm alij testes haberi possunt, vt habetur ex *Panor. post Host. in cap. 1. num. 4. cap. veniens, il 2. & cap. fin. de testib. cogen. Felin. in cap. delictorum, eod. tit. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 48. vers. Tertiò, & Graff. par. 1. decis. lib. 4. cap. 8. num. 23.* Vndè dicunt, quòd inter priuilegiatos, & non priuilegiatos testes hæc constituitur differentia, quòd non priuilegiati coguntur, etiam si per alios fides haberi possit, ex quo moniti testificari recusant: priuilegiati verò non possunt cogi; nisi vbi per alios veritas haberi non potest; quia tunc culpa contrahitur non testificando; aliàs secus: quibus adde, quod ad effectum compellendi priuilegiatos satis est iuramentum partis dicentis, non adfuisse alios, quàm priuilegiatos, vt per eundem *Nauar. d. cap 25. sub num. 50.*

8 Sic etiam, quia à testimonio ferendo regulariter excluduntur infideles aduersus fideles, serui, pauperes, domestici, & alij, de quibus in *d. c. 2. 4. q. 3. & in toto tit. ff. & C. de testib.* si scienter negent esse tales, & testimonium ferant, peccãt & cùm contra legem prohibentem id agant, cõsequenter agunt contra iustitiam; atque ideò obligantur ad omnia damna, expensas, & interesse; quæ litigantibus ex eorum testimonijs obuenerunt.

9 Quintò peccant testes, qui non solùm falsò, vel variè testimonia dixerunt; verum etiam, qui vtrique parti eorum dicta prodiderunt, & à Iudicibus competenter puniuntur, vt in *d. cap. 2. § qui falsò, vel variè, 4. q. 3.* & insuper cum iustitiam violent tenentur ad omnia damna, expensas, & interesse.

10 Sextò peccant testes, non solùm dicendo falsitatem; sed etiam tacendo veritatem: quoniam in vtroque casu falsidicus dicitur, vt in *cap. 1. de crim. fal.* vbi ita legitur: *Falsidicus testis tribus personis est obnoxius, primum Deo, cuius præsentiam contemnit: indè Iudici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso testimonio lædit. Vterque Reus est, & qui veritatẽ occultat, & qui mendacium dicit; quia & ille prodesse non vult; & iste nocere desiderat.* Tenetur igitur testis legitimè à Iudice interrogatus veritatem dicere sub lethali culpa, & parti tenetur ad omnia damna, expensas, & interesse: siue interrogetur, mediante iuramento, siue absque iuramento. Etenim negando, vel tacendo veritatem facit primò contra obedientiam Iudici debitam, cui competit ius ad interrogandum testem: graue damnum infert Reip. cuius interest, ut delicta puniantur, *l. ita vulneratus, ff. ad leg. Aquil.* & parti nocumentum affert: nam si causa ciuilis est, nisi testis veritatem dicat, perdit ius suum: & si criminalis fuerit, potest Actor tanquàm calumniator accusari, cùm in probatione defecerit culpa ipsius testis. Ita *D. Thom. 2. 2. q. 70. ar. 1.* & in eum *Caiet. Salon. Petr. de Arag. & Bann. Alex. de Ales par. 3. quæst. 45. memb. 1. D. Anton. par. 2. tit 1 cap. 19 § 7. Sot. lib. 5. de iust & iur. q. 7 ar. 1. & in relect. de tegen. secr. memb. 2. q. 7. concl. 3. dub. 3. Valen tom. 3. disp. 5. q 14. pun. 1. Nauar. in Man. cap. 25. num. 47. & cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. corollar. 64. & 66. Rodriq. de ordin. iudic. cap. 7. concl. 1. Tolet. lib. 5. sua summ. cap. 59. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 16 num. 1. & cap. 17. sub num. 13. vers. Et quod de Reo, & cap. 19. nu. 1.* qui-

1. quibus locis ait etiam, quòd id, quod de Reo dicitur, dicendum etiam est de teste, vt durante iudicio teneatur veritatem dicere, etiam cum rei vitæ periculo, cùm iuridicè interrogatur. Quòd si veritatem dicere nolit, peccat, & absolui nequit.

11 Dicitur autem testis iuridicè interrogari, quando à competenti Iudice seruato iuris ordine, interrogatur, & id testi notum est, vt habetur ex *D. Thom. loco supra citato.* & ex alijs. Verũ tamen est, quòd vbi constat euidenter, Iudicem esse virum probum, ac timoratæ conscientiæ, non est opus, vt testi manifestet, se procedere secundum iuris ordinem: siquidem nemo præsumitur malus, nisi id euidenter constet: quando verò dubius esset testis, an Iudex seruato iuris ordine interroget, tunc vbi nullum bono publico periculum imminet, aut tertiæ personæ, obediendum est Iudici interroganti. At vbi tertiæ personæ damnum imminet, & testis probabiliter dubitat de Iudicis ordine, tunc Reo potius fauendum est; maximè si de eius vita agatur, vt rectè declarat *Sot. in relec. de tegen. secr. mẽb. 3. q. 4. & Sayr. d. cap. 17. num. 13. vers. Et quod de Reo & d. cap. 19 num. 2. & 3.* vbi *num.* 4. id limitat, vbi agitur de crimine priuato; secus autem si agatur de crimine publico, vt est crimen hæresis, læsæ Maiestatis, proditionis Patriç, &c. quia in dubio manifestandum potius est delictum, quàm celandum: quibus adde ea, quæ habentur ex *Spatario de modo corrig. Regul. tr. 7. cap. 8.* cùm minus periculi sit, si persona priuata iniustè occidatur, quàm quòd Resp. lædatur.

12 Interrogatur iuridicè testis in criminalibus, vbi proceditur per accusationem quando accusator producit testes, & offert crimen probare: sicut enim Iudex tenetur illos ad accusatoris instantiam interrogare; ita etiam testes interrogati tenentur veritatem dicere. Quod ampliatur, siuè accusator plures testes producat; siue vnum dumtaxat: & quamuis hæc conclusio sit citra omnem controuersiam, quando accusator plures testes afferat, quibus se offerat probare crimen; & controuersia sit inter Doctores, vbi ab accusatore vnus tantùm producitur testis; nihilominus verior opinio est, vt testis etiam vnicus si producatur ab accusatore, & à Iudice competenti interrogetur, teneatur veritatem fateri; quoniam aliàs accusator periculum infamiç incurreret, & delicta sæpissimè remanerent impunita contra bonum publicum. Ita *Hostien. in summ. de testib. cogend. num. 4. Speculat. §. Testium compulsione, Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 7. ar. 1. ad 1. Salon. 22 q 70 ar. 1. contr. 1. in prin. Valen. tom. 3. disp. 5. q. 14. pun. 1. in fin. & Sayr. lib. 12. Clauis Reg cap. 19. num. 6.* contra *Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. conclus. 6. corollar. 64. num. 708. & 709. & Syl. vers. Testis, q. 8 vers. Primum:* & nouissime *Spatar. de modo corrig. Regular. tr. 7. cap. 8.* existimantes, quòd

13 adhoc vt testis crimen fateri teneatur, oportere, vt præcedat infamia, vel semiplena probatio, aut indicia contra Reum: ad quod allegant *D. Thom. 2. 2. q. 7. ar. 1. in corpor.* dicentem, tunc iuridicè testem interrogari, quando vel de manifestis, vel de his, de quibus infamia præcessit, interrogatur. Videntur enim decipi pręfati Doctores contrarium sentientes; siquidem *D. Tho.* non est intelligendus, vt vtrunque simul necessarium sit, nempè, quòd crimen sit manifestum, & quod adsit de illo infamia; sed alterum satis esse ad interrogandum testem. Et eo ipso, quòd quis accusatur de crimine, cuius accusator est conscius, dicitur de illo crimine in iudicio diffamatus; atque ideò interrogatus testis tenetur veritatem testificari.

14 Nec obstat si dicatur, quòd Reus non tenetur confiteri crimen, nisi contra ipsum constet de delicto saltem semiplenè, vel adsint indicia, quæ saltem faciant semiplenam probationem; quoniam respondetur, quòd diuersa ratio est in teste ab eo, quæ militat in Reo; siquidem Reus potest damnum, quod eius delicto prouenire contingit, impedire citra sui ipsius manifestationem, mutando animum, & desistendo ab incępto: testis autem nequit nisi illud Iudici manifestando: & eo magis, quia maior ratio est tacendi proprium, quàm alterius crimen. Vnde testis eo ipso, quòd testis est, hanc obligationem habet distinctam à Reo, vt benè declarat *Sayr. loco citato:* vbi *in vers. Ratio autem, circa finẽ,* quod dixit de Iudice, ac teste, quando proceditur per viam accusationis, dicendum esse putat de eodem teste si procedat Iudex per viam simplicis, & verbalis alicuius quærelæ; vel si procedat per viam denunciationis iudicialis à Fiscali, vel ab aliquo alio tertio priuato.

15 Adde, quòd adeò verum est, vt testis ab accusatore productus, & iuridicè à Iudice interrogatus teneatur veritatem testificari de crimine, ipsi testi sub sigillo secreti commendato, & mediante iuramento accepta promissione de secreto seruando, vbi crimen non est iam commissum; sed est pendens in futurum, & contra bonum commune; qualia sunt crimina hæresis, læsæ Maiestatis, proditionis Patriæ, delicta publica latronum, & alia eiusmodi vel contra innocentiam tertij: nam cùm huiusmodi crimina tenea tur vnusquisque accusare, vel saltem denunciare, vt supra diximus, non obstante iuramento de seruando secreto, cùm iuramentum non debeat esse vinculum iniquitatis, *cap. quanto, de iureiur.* Et horum criminum reuelatio præcipiatur iure naturali; multò magis tenetur ad testificandum, *arg. tex. in auth. multò magis. C. de Sacrosanct. Eccles.* & rectè declarat *D. Thom. 2. 2. q. 10. ar. 1. ad 2* & in eum *Caiet. Arag. Salon. & Bann. Innoc. in cap. qualiter, & quando, 1.* & ibi etiam *Panor. de accusat.* & idem *Panor. in cap. dilectus, de excess. Prælat. Syl. vers. Inquisitio, 1. q. 7. vers. Secundum: & vers. Testis, q. 8. vers. Secundum: & vers. Tertium. Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 7. ar. 1 ad primum, & in relec. de tegen. secr. memb 2. q. 7.* post *conclus. 3. dub. 4. Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. corollar. 64. num. 703. & corollar. 66. num. 800 & seq Rodriq. de ordin. iudic. cap. 7. concl. 10.* quam sententiam citra controuersiam esse testatur *Sayr. lib. 12. Clauis Regia, cap. 19. num. 13.*

16 Dixi *Vbi crimen non est iam commissum, sed pendens in futurum, contra bonum commune, vel contra innocentiam tertij.* quoniam vbi agitur de crimine secretè commisso, quod solùm inquiritur à Iudice vt puniatur, & non ad euitãdum detrimentum aliquod Rep. vel tertiæ per-

 sonæ,

sonæ, nec vt restituatur aliquid pro iniuria, vel damno illato, tunc testis interrogatus à Iudice, siue per viam accusationis, aut denunciationis procedatur, siue per viam inquisitionis, non tenetur illud manifestare, & manifestans culpâ contrahit ex suo genere mortalem, nisi ex paruitate materiæ efficiatur venialis. Etenim concurrentibus duobus præceptis sibi inuicem repugnantibus, seruandum est maius, & sic minus maiori cedit: sed hoc casu concurrunt duo præcepta inuicem repugnantia: alterum scilicet Iudicis legitimè interrogantis: & alterum naturale de seruãdo commisso secreto, quod est maius; ergo istud est seruandum, omisso priori, quod est minus. Hac eadem ratione quando crimen est contra bonum commune, aut contra ius innocentis, & est in fieri, manifestari debet, non obstante promissione secreti: quoniam ius naturale defendendi bonum commune, & innocẽtiam alterius, est vniuersalius, & maius, quàm ius naturale de seruando secreto, vt habetur ex *Henr. Boich in explicatione nostri cap.* quem sequitur *Nauar in Man. cap. 18. num 52. & in cap. inter verba, 11. q 3 concl 6. corollar. 66 nu. 801. Syl. in sum. ver. Testis. q 8. vers Secundum: & Sayr. cum alijs*, quos allegat, *lib. 2. Clauis Reg. cap. 19. subnum. 14 vers. Alij tamen: & nu. 15. 16. & 17.* qui meritò reijciendam esse putat sententiam *Sot. lib. 5. de iust. & iure, q 7. art. 1. ad primum*, dicentis, non teneri si procedatur via inquisitionis; teneri tamen si via accusationis: & id ob rationes supra relatas, quæ ità militant vbi agitur de delicto, in quo proceditur per viam inquisitionis, & accusationis. Ex quo infertur à supra relatis Doctoribus, quòd Aduocati, Pro-

17 curatores, Cõsiliarij, Tabelliones, Medici, Chirurgi, Obstetrices, & alij similes, quibus aliqua secreta litium, morborum, &c. Sub sigillo secreti commissa fuerunt, nullo modo possunt ea reuelare, & testificari contra illos, qui commiserunt, nisi tendât in damnum commune, vel certæ personæ innocentis; ita ut interrogati à Iudice, vel Prælato, etiam sub iuramento, debeant occultare veritatem æquiuocando, & eo modo, quo reus, & alij testes interrogati, non seruato iuris ordine, tenentur, vt benè declarat idem *Sayr. lib 12. Clauis Reg cap. 14. num 29.* vbi id ampliat, etiam si infamia non præcesserit.

18 Deniq; adeò verum est, vt testis iuridicè interrogatus à Iudice teneatur verum testificari nõ solùm si procedat per viam accusationis, aut denũciationis iudicialis; sed etiam si procedat per viam inquisitionis generalis, & tractetur de delicto in fieri in damnum commune, aut notabile detrimentum tertiæ personç. Etenim vnusquisq; ex lege charitatis, etiam non interrogatus à Iudice tenetur hoc casu accusare, vel denunciare seũ ad vitandum malum publicum, vel priuatum; ergò multo magis interrogatus à Iudice tanquã testis. Vndè si superior præcipiat sub pœna excommunicationis, vt quisquis sciat aliquem parare insidias Regi, vt occidat eum, aut aliud nocumentum illi inferat, Ciuitati vt eam tradat, aut alteri innocenti, vt mutilet, capiat, in seruitutem redigat, tenetur testis, etiam si nouerit solus, delinquentem eiusmodi manifestare; aliàs in excommunicationem incidat, vt post alios docet *Sayr. d cap. 19. num 8. & Graff. par. 1. decis. lib. 4. cap. 8. num. 25.* vbi id ampliat, etiam si quis ignoret esse hæreticum, vel Domini, aut Patriæ proditorem; sed tantùm suspicionem habeat; quoniam tunc ait reuelandum esse non tanquam hæreticum, vel Patriç proditorem; sed tanquam de eiusmodi criminibus suspectum: quamuis ipse *Graff.* loquatur ibi de denunciatione secreta: & *num. 26.* id etiam ampliat post alios, vt in talibus criminibus filius teneatur quoq; reuelare patrem, aut matrem.

19 Dixi, *Et tractetur de delicto in fieri in damnum commune, aut notabile detrimentum tertiæ personæ, &c.* Siquidem crimen vbi non est in damnum commune, nec pendens in futurum; sed est iam cõmissum, vt si hominis cadauer iaceat in platea, & ignoretur occisor; atq; ideò inquisitio Iudicis generalis fit respectu occisoris, & specialis respectu occisi, licèt Iudex ex vi sui muneris generalitèr inquirere possit de huiusmodi homicidio, generalitèr interrogando testem, an sciat talis homicidij auctorem, iuxtà *tex. in l. mandatis, ff. de cond. ob tur. caus.* nihilominus si vnus tantùm testis sciat delicti auctorem, non tenetur eum manifestare: quia cùm Iudex tantùm inquirat generalitèr, & nihil in particulari præcipiat, censetur interrogare eos, qui auctores delicti sciunt, vbi plures sunt, saltẽ duo: secus autem si vnus esset dumtaxat. Est tamen verum, quòd si crimen sit notorium, & delinquens sit occultus vt supra, & Iudex Ecclesiasticus sub pœna excõmunicationis, aut sub alia pœna, qua strictè obedientiam importet, aut Iudex laicus sub obedientiæ precepto, aut sub alia graui pœna præciperet, vt quicumq; sciret auctorem talis criminis eum manifestet, tũc *Sayr. d. cap. 19. sub num. 9. vers. Cùm enim crimen:* ex *Gregor. de Valen. tom. 3. disp. 5 q. 14. pun. 1 cõcl. 1. Syl. ver. Correctio, q. 9. Graff. par. 1. decis. lib. 4. cap. 8. nu. 32.* probabilitèr putat, ꝙ si vnus tãtũ testis esset, qui delinquẽtẽ sciret, teneretur eũ manifestare. et si contra huiusmodi delinquentẽ non præcesserit infamia: siquidẽ quãuis crimen istud iam cõmissum sit, & nõ pendeat in futurũ; quia tamen Iudicis præceptum tendit in bonum publicum, ne delicta remaneant impunita, & ne delinquentes audactores fiant ad delinquendũ, iustum dicitur: & propterea tanquam iustè interroganti, est illi à teste obtemperandum.

20 Sed re vera hæc sententia nobis videtur valdè dubia: quia pęna excommunicationis, vel quæcumq; alia superaddita non potest reddere præceptum Iudicis iustum, quod aliàs erat iniustũ; quamuis ostendat superioris voluntatem, & intentionem magis vrgẽtes. Vndè cùm Iudex hoc casu contra ius naturale præcipiat delicti occulti, ac priuati manifestationem, quo iure fama proximi conseruari præcipitur quoad fieri potest, excommunicatio superaddita nihil operatur, iuxtà ea, quæ ex communi Doctorum sententia docet *Sot. in relec. de tegen. secr. memb. 3. q. 1. concl. 4.* & idem *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap 16 num. 21.* Nec obstat, quòd præceptum illud tendat in bonum publicum, cùm publicè interfit, vt delicta puniantur, *l. ità vulneratus ff. ad leg. Aquil.* quoniam non omnis delicti punitio tendit in bonum publicum; sed quando tractatur de delictis, de quibus sufficienter cõstat contra reos, vt eorum punitio sit aliorum exem-

exemplum: secùs autem quādo delicta sunt omninò occulta, & non constat de criminum auctoribus; tunc enim ità consulendum est bono publico, vt saluetur quoad fieri possit proximi fama: & eò magis, quia mali non ob id fiunt audaciores ad delinquendum: efficerentur autem audaciores, si viderent reos à Iudice absolui, vbi ex deductis in actis pœnā, ac condēnari merētur.

21 Septimò peccant testes, si interrogati à Iudice specialitèr inquirente cōtra aliquem de delicto, de quo infamia præcesserit, veritatem non testificētur: quia hoc casu à Iudice iustè interrogantur: nam adhoc Iudex legitimè specialitèr inquirat, & testis interrogatus veritatem dicere teneatur, satis est, quod infamia præcesserit, tam delicti, quàm personæ in particulari, vt habetur per *DD. in cap. inquisitioni*, per illum *tex. de accus.* ubi non esse procedendum decernitur contra aliquem via specialis inquisitionis, etiam si duo, vel tres testes iurati affirment eius aliquod crimen, de quo nulla laborat infamia. Et rationem hanc esse ait *Sayr. lib. 12. Clauis Regia, cap. 19. sub num. 10. vers. Ratio autem*: quoniam ius humanum pro viribus consulere uult bono cōmuni cum minori iactura quoad fieri potest famæ priuatarum personarum; quæ non parum læditur, eo ipso, quòd de aliquo in particulari fiat apud alios inquisitio; quamuis talis non probaretur reus esse. Vndè expectate uolunt, ut præcedat diffamatio, nisi tractetur de criminibus publicis, nempè hæresis, læsæ Maiestatis, &c. Quæ quidem omnia locum sibi vendicant, quando testis interrogatur à competenti Iudice, & delictum sciat de visu: quia non tenetur testificari ea, quæ tantum ex auditu cognouit: siue à fide dignis audierit, siue indignis, ut colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 25. num. 46.* quem refert, & sequitur *Spatharius* contra nonnullos, *de modo corrigendi Regul. tr. 7. cap 7. num. 10 & Sayr. loc. cit. num. 33.* quod limita, nisi agatur de testibus existentibus, iuxtà parietem, uel cortinam, qui fidem faciunt in exēplo allato ex *Host. & Syl. in sum. ver. Testis, q. 4.* Et deniq; vbi testis depositio fieri non possit citra notabile eius detrimentum: siquidem nemo testificari tenetur cum notabili eius damno, nisi Reip. bonum illi præponderet, ut per eundem *Nauar. d. cap. 25. num. 50. & Couar. pract. qq. cap. 18.* & latè *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 14. num. 32.*

22 In omnibus igitur supradictis casibus, & in alijs, in quibus quis non tenetur testificari, non peccat, nec censuram aliquam contrahit testis non testificando; etiam si sub pœna excommunicationis ei præciperetur dicere ueritatē; quoniam præceptum iniustum non magis alligat ex pęna addita, quàm sine illa, iuxtà ea, quę post alios adnotat *Sayr. lib. 12. Clauis Reg. cap. 16. num. 21.* Hinc sequitur, quòd si quis rem aliquā, de qua agitur in excommunicatione, sciat sub sigillo confessionis, nō tenetur, nec debet aliquo pacto reuelare, nec testificari, etiam si confessio fuerit informis, ut habetur ex *Nauarr. in cap. Sacerdos, de pœnit. d. 6.* & in *Man. cap. 25. nu. 46. vers. Sexto.* Sic etiam non tenetur quis rem occultam reuelare, quam probare nequit, nisi præcipiatur reuelatio alicui, ut testi: nam tunc tenetur, nisi sit persona, quæ ob cognationem excusetur, ut per *Nauar. in Man. cap. 17. n. 135. Graff. par. 1. decis. lib. 4. cap. 8. n. 32.* Item non tenetur quis manifestare factum in excommunicatione contentum, si illud audiuit vulgò per vicos, & plateas Ciuitatis à personis incognitis, vel à pauperibus, aut à personis fide non dignis; secùs si à fide dignis, vel à parte principali; quia tunc reuelare tenetur, vt post *Nauar. in Man. cap. 25. num. 46.* docet *Graff. loc cit nu. 30.* Idem dicendum est, si factum nouerit per solam consultationem secretam pro consilio habendo; aut si is, à quo audiuit, reuelauit: aut peccator tam est emendatus: aut sola correctione fraterna probabiliter est emendabilis; quoniam tunc non tenetur quis factum reuelare; etiam si Iudex præciperet, vt fiat reuelatio, non pręmissa correctione, vt habetur ex *Nauar. loc. cit.* vbi etiam excusat à testimonio ferendo illos, qui timent sibi ex testimonijs notabile damnum spirituale, vel temporale, in bonis, in persona, vel fama: & insuper addit, quòd ad effectum comprehendendi priuilegiatos, satis est iuramentum partis, dicētis non adfuisse alios, quàm priuilegiatos. Idem dicendum est de eo, cui præcipitur etiam sub aliqua censura ipso facto incurrenda, vt veritatem testificetur super re ablata contra eum, qui tantùm compensationis causa illam subtraxit, vt habetur ex eodem *Nauar. in Man. cap. 17. num. 115 Sot. in 4. d. 22. q. 1. ar. 1. num. 3. & lib. 5. de iust. & iure, q. 3. ar. 3. ad 1. Petr. de Arag. 22. q. 62. ar. 2. ad 2. dub. 9. ante fin. Salon. 22. q 66. ar. 5. contr 2 concl. 2. Cord in sum q. 63 64. & 65. Sayr. lib. 12 Clauis Reg. cap. 14. sub num. 30. vers. Quartus est*, & *num. 31.* vbi plura refert ex *Nauar. in cap. inter verba, 11. q. 3. concl. 6. coroll 66. num. 794.* In alijs casibus denique testis veritatem delicti manifestare non tenetur, de quibus *Nauar. in Man. cap. 25. num 47. cum plur. seq.*

23 Octauò peccant testes, qui vt vitent testificari contra aliquem asserunt esse illius inimicum, vt ait *Panor. in cap. inquisitionis, §. terna, de accusat.* Rationem autem hanc esse ait *Syl in sum. ver. Testis, q. 8. vers. Quartum testis*: quoniam huiusmodi testis dicit mendacium in damnum proximi, vt in *cap. 1. de crim Fal. & cap. ne quis 22 q. 1.* Idem dicendum est de teste, qui se absentat, ne testificetur, vt habetur ex *Soto de ratione tegen. memb. 2 q 6.* aut se non offerens in testem, sciens id esse necessarium ad impediendum aliquod damnum publicum, uel priuatum, ut post *D Th.* docet *Nauar. in Man. cap 25. num. 41.* Et multò magis peccat, si sciat, aliquem reperiri in extrema necessitate sui testimonij ad defensionem propriæ, uel suorum uitæ: non tamen tenetur ad aliquam restitutionem; quoniam lex charitatis, quæ obligat ad testificandum eo casu, non obligat restituere, nisi testis ipse iussus a Iudice non testificetur, & ob id aliquis ius suum amittat; quoniam tunc peccat, & restitutioni efficitur obnoxius, cum faciat contra iustitiam, ut rectè declarat *Nauar loc. cit. num 44.*

24 Nonò peccant testes iurantes se testimonium non perhibituros: siquidem huiusmodi iuramētum est temerarium, atq; ideò non est seruādum in casu, quo sub præcepto teneretur testis testimonium dicere: aliàs secus, nisi mediante Superioris auctoritate, ut habetur ex *Syl. ver. Testis. q. 8. vers. Tertium.*

25 De-

25 Decimò peccant testes in instrumentis usurarijs adhibiti, & tenentur ad restitutionem, sicut Notarij instrumenta usuraria rogantes; hi enim influunt ad usuras contrahendas, & soluendas; atq; ideò concurrunt ad iniustam acceptionem, ratione cuius oritur obligatio ad restituendum, ut habetur ex *Syl.ib sum.ver.Testis, q.vl.*Quod quidem tunc uerum est, quando instrumenta sũt simulata; secus autem si sint manifesta usuraria, ut latè sup.ostendimus *disp.18. de Notarijs, seu Tabellionibus agentes.sec.3. vers.Decimoseptimò peccant Notarij.seu Tabelliones.* Vndè primo casu testes peccant, & efficiuntur testes restitutioni obnoxij; Secundo uero casu licèt peccent, nõ tamen tenentur ad usurarum perceptarum restitutionem; quia cùm instrumenta apertè sint usuraria, eorum uigore non possunt mutuatarij compelli ad usurarum solutionem, ut latè probat *Molina de contr. disp.331. num.6. & Azor.par.3. Inst.moral. lib.5.cap.17 q.6.*

26 Vndecimò peccãt testes, qui in iudicio iuridicè interrogati super crimine, ob quod uenit imponenda pęna confiscationis bonorum, negant ueritatẽ, propter quod reus absoluitur, per ea, quæ sup.diximus, *vers.Sextò peccant testes.* Benè uerum est, quòd aliqui uolunt, tales testes non teneri Fisco, ad quod ad eum perueniret, si reus damnaretur, ut habetur ex *Nauar. in Man cap. 25. num.51.* qui ita respondisse testatur cuidam uiro undequaq; doctissimo, & sapientissimo; & hoc ideò, quia pęna non debetur in foro conscientiæ ante condemnationem, ut per *Glos. in cap.fraternitatis, 12 q.2.* Secundò, quia interesse remotum, & extra rem non debetur, *l.si sterilis, §.cum per venditorem, ff.de actio.empt.* Tertiò, quoniam leges pœnales non obligant præcipuè in foro animæ, nisi quatenus sunt receptę, & nullibi lex aliqua eiusmodi est ita recepta. Et denique, quòd aliàs sequeretur prauos custodes confinium Regnorum, deputatos ad custodiendum, ne quis aliqua exportet ex illis, uel importet in illa, uel non saltem, nisi soluto uectigali, uel portorio, siue gabella sub pęna priuationis bonorum; tenerentur non solùm ad uectigaliũ restitutionem; sed etiam ad restitutionem bonorum, quæ erant Fisco applicanda; quod ipse *Nauar.* putat nullum hactenus dixisse.

27 Duodecimò peccant testes manifestãtes, quæ fuerunt testificata parti, & insuper extraordinariè puniuntur, ut in *cap.2.§.qui falso, 4.q 3.*

De Peccatis appellantium tàm in Criminalibus, quàm in Ciuilibus. SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Peccant, qui à Sententijs, Mandatis, ac Ordinationibus Romani Pontificis ad futurum generale concilium appellãt, & excommunicationem contrahunt contentam in Can. 2. Bullæ Cœnæ.*

2 *Peccãt appellantes ab Arbitri sententia, cum id iure prohibitum sit.*

3 *Peccant appellantes ad differendam, vel ad effugiendam executionem iustæ sententiæ, & ad restitutionem tenentur expensarum, ac damnorum parti appellata.*

4 *Peccant appellantes, si sciant Iudicem, à quo appellasse secundum communem, ac probabiliorem opinionem, quamuis contraria opinio probabilis sit, secundum quam Iudicem, ad quem indicaturum sciat.*

5 *Peccant Regulares appellantes à iustis suorum Superiorum mandatis, & correctionibus, quæ secundùm statuta regulæ, & ordinis fiunt. Quid si Superior modum excedat in corrigendo.*

6 *Tunc priuilegia de non appellando uera sunt cum subditi iustè corriguntur aliàs eis appellatio non denegatur.*

7 *Quo ordine facienda sit appellatio per Regulares iuxtà Decretum Sacræ Congregationis.*

1 PEccant primò appellantes à sententijs, mandatis, ac ordinationibus Rom. Pontificis ad futurum generale Cõcilium: & insuper excommunicationem contrahunt contentam *in cap.2. Bullæ in Cęna Domini.* Et si Vniuersitates sint, Collegia, uel Capitula, in interdictum incidunt una cum auxiliantibus, & fauentibus: quæ quidem appellatio non solùm mala est, quia prohibita; sed etiam mala, quia intrinsecam continet malitiam, cùm sit crimen palliatæ rebellionis, & schismatis contra eiusdem Rom. Pontificis primatum: nam appellatio cum sit à minori Iudice, ad maiorem prouocatio, ut docent *Glos. Franch. & Gem. in cap. cùm putamus, in ver. Officium, de consuet.in 6.l.2.* & ibi *Bart.§.si quis in appellatione, ff.de appell. & l.1.ff.quib.appell. non lic.* & *Panor.in rub de appellat. num.3.* appellantes à Rom. Pontifice ad futurum Conc. generale, supponunt Concilium generale esse supra Papã: quod est manifestè falsum, ut ostendimus in nostris *Commentar.in Bull.Cęnæ, lib. 2.cap.2.q.1.* ubi latiùs *Adden litt.C. fol.212.in 2. edit.*

2 Secundò peccant appellantes à sententia Arbitri: siquidem de iure id est prohibitum, ut in *cap.à Iudicibus, 2.q 6. & D.Th.2.2. q 69.ar.3. ad 2.* & id ad tollendum inconstantiæ, ac leuitatis animi malum, & ad uitandas litium expẽsas, ac ut citius terminẽtur. Est tamen uerum, quòd ubi tres essent arbitri, aut plures, & uno eorum absente, ac reluctante sententiam ferrent; tunc potest appellari ad Ordinarium Iudicem intra terminum decem dierum, ut in *cap sanè ex consensu,* iuncto *cap anteriorum, 2.q.6.* dummodò non appelletur post tres sententias concordes. Et quamuis olim interdictum fuerit super eodem articulo tertiò appellare, ut *in cap. directè, & cap.tua nobis, de appell.* nihilominus usu hodie receptum est, ut tertiò appellari possit super uno & eodem articulo; sed non ultra si sententiæ sint concordes, ut habetur ex *Soto lib.5. de iust. & iure q.6 ar.3 ad 3.Salon.22.q.69.ar.3. Greg.de Valen. tomo 3.disp.5 q.13. pun.3.* quæ tres appellationes admittuntur tantùm in puncto principali; non autem in accessorijs, & sententijs interlocutorijs: aliàs lites efficerentur immortales, ut per Doctores supracitatos, & *Sayr.lib.12. Clauis Reg.cap.17. sub num.33.*

3 Tertiò peccant appellantes ad differendam, uel ad effugiendam executionem iustæ sententiæ, & tenẽtur ad restitutionem expensarum, ac dam-

damnorum parti appellatæ:& si huiusmodi appellationes friuolas, & calumniosas Iudex nouerit, potest eas non admittere, vt in *cap. quicūque, & cap. omninò*, 2. q. 6. quod peccatum ex suo genere est mortale, cum sit contra obedientiam Iudici debitam: & iniuria ipsum afficiat, quasi in ea re falsam sententiam tulerit; testibus falsi crimen censetur imponere, & partem appellatam perturbat laboribus, & expensis. Ita *Sot. loco citato, Gregor. de Valen. tom. 3 disp. 5. q. 13. pun. 3. Salon & Arag. 22. q. 69. ar. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. d. cap. 17. nu. 34.* vbi id limitat, quando appellatio interponitur à sententia, quæ vndequaque noscitur iusta; aliàs secus.

4 Quartò peccant appellantes, si sciant, Iudicē à quo iudicasse secundùm opinionem communem, & probabiliorem; quamuis contraria opinio sit probabilis: & quamuis sciat, Iudicem ad quem iudicaturum secundum opinionem probabilem, omissa probabiliori: siquidem in dubijs probabilior opinior censetur æquior; atque ideò sic appellans iniuriam dicitur inferre Iudici, qui suo munere rectè fuit functus, vt benè docet *Salon. loco citato, in fine art. & Bann. ibidem*, quos sequitur *Sayr d. cap. 17. sub num. 35.* vbi id limitat, quando Iudex qui fuit secutus opinionem minus probabilem: aut sint hinc indè opiniones ęquè probabiles: vel denique sumus in causa criminali, ac capitali: quoniam existente opinionum varietate, dummodò probabiles sint, Iudex tenetur Reo potius fauere, arg *tex. in cap. cùm sunt, de regul. iur. in 6. & l. Arrianus, ff. de action & obligat.*

5 Quintò peccant appellantes si Regulares sint, & à suorum Superiorum iustis mandatis, & correctioni appellent, quæ fiunt secundum statuta Regulæ, seu Ordinis: vel ad effugiendam disciplinam Regularem. Etenim qui corrigit secundum Regularem disciplinam, non dicitur grauare, vt rectè docet *Panor. in cap. licet, num. 1. de offic. ordin.* & appellatio est fundata super grauaminibus, *cap. vt debitus, de appel.* Quòd si Superior modum regularem, etiam in mandatis regularibus excedat in corrigendo, tunc etiam Regularibus licitum est appellare, vt in *cap. de Priore, de appellat.* vbi Alex. III. Priorem quēdam grauiter statuit puniendum, qui modum corrigendi excedens appellationem sui subditi non admisit. Hoc docet *Panor. ibi, & in d. cap. licet*, vbi etiam *Dec. Syl in sum. verf. Appellatio, q. 7. Angel. eod. verf. §. 10. Tab. eod. verf. §. Vndecimò: Nauar. conf. 2. de sent. & re iud. in antiq. aliàs conf. 5. de appell in nouis. & in cap. nullam, 18 q. 2. con. 3. num. 51. & Rodriq. to. 1. qq. Regular. q. 29. ar. 2.*

6 Nec obstant *tex. in cap. ad nostram, in cap. reprehensibilis, & cum speciali, de appellat.* quibus expresè prohibetur Regularibus à suis Prælatis appellare; sicut & Iul. II. sub pœna excommunicationis prohibuit fratribus, & sororibus Ordinis Prædicatorum: Sixti IV. Carmelitanis, & Augustinianis: & Eugen. IV. Casinensi Religioni, ne liceat eorum subditis à correctionibus appellare; quoniam illa vera, & priuilegia sunt intelligenda quando subditi iustè corriguntur secundum statuta Regulæ, & eorum Ordinum: secus autem si Prælati excedant in corrigendo: nam tunc possunt appellare, vt diximus; siquidem apellatio cùm sit de iure naturali, non potest denegari. Vndè quamuis ex vi Cōstitutionis Gregor. XIII. quæ incipit: *Quoniam nostro Pastoralis, &c.* edita sub die 8. April. 1575. interdictum sit fratribus Minoribus de Obseruantia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Rom. Pontifici reseruatæ: nec non priuationis perpetuę officiorum per eos obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque dicti ordinis officia exercenda, ac vocis, tàm actiuæ, quàm passiuæ, vna cum fautoribus, & Consultoribus, ne ad Sæcularia Tribunalia appellent; nihilominus idem Pontifex concedit, vt si se grauatos senserint à suis Prælatis, appellent ad Ministrum Generalem Ordinis, seu ad illius Protectorem, aut Viceprotectorem. Et Sacra

7 Cardinalium Congregatio decreuit, vt appellatio interponatur à Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad Sacram Congregationem. Quæ omnia intelligenda sunt in rebus grauibus, non autem in leuibus, & praui momenti, vt habetur ex *Salon. Arag. & Bann. 22. q 69. ar. 2. Rodriq. d. q. 29. ar 3. Valen. tom. 3. disp. 5. q 13. pun. 2. Sot. lib. 5. de iust & iur. q 6. ar. 3.* quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 12 Clauis Regiæ. cap. 17. à num. 36. vsque in finem.* vbi latè hanc rem pertractat, & addit sub *num. 38. verf. Ratio est*: ex *Rodriq.* quòd quamuis Regularibus grauatis refugium appallationis omninò interclusum esset; nihilominus possent vti remedio defensionis, quę est iuris naturalis, quam appellatio in se includit. Et quoniam appellatio ius naturale non est positiuum; sed negatiuum: sicut matrimonium, quod dicitur de iure naturali, non positiuo, cùm non præcipiat nubere; sed negatiuo, cùm nulli prohibeat nubere; idcircò Doctores grauis ponderis reprehensione dignos existimant Religiosos, qui facilè extra Religionem non citra eiusdem honoris dispendium conantur deducere, vt colligitur ex *D. Thom. 2. 2. q 69. ar. 3. ad 1. relato à Sayro loco citato, num. 41.*

De parentibus, & liberis: fratribus, & sororibus: viris, & vxoribus: concubinarijs, & concubinis, Dominis, & seruis: patronis, & libertis: tutoribus, & pupillis: curatoribus, & minoribus, & corū peccatis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Parentes super eorum liberis, tutores in pupillos, curatores in adultos, Domini in seruos, patroni in libertos, &c. potestatem quandam habent naturalem.*

1 TRACTAVIMVS supra de Dominorum, Principum, & eorum Magistratuum, iudi-

dicum,& aliorum iustitiæ Ministrorum culpis: qui quidem potestatem,ac iurisdictionem ciuilem habent super alios. Et quoniam parentes naturalem quandam potestatem habent super eorum liberos, fratres in sorores;viri in vxores, tutores in pupillos; curatores in minores, Domini in seruos, ac patroni in libertos, consequenter igitur hoc loco de his, & eorum culpis sequitur agendum, à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

De parentum, ac liberorum culpis. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Parentum appellatione,qui nam veniant, maximè in materia nostra.*
Et quot species filiorum sint.
2 *Peccant parentes si negligentes sint in educãdis filijs.*
3 *Tenentur parentes dotare filias sicut, & ipsas alere,dos enim loco alimentorum successit. Et ad quos hoc onus dotandi spectet.*
4 *Quanta debeat esse dos filiæ spuriæ, seu naturalis.*
5 *Non solum liberis debentur alimenta à parẽtibus,verum etiam eorum vxoribus.*
6 *Tenetur mater lactare filium infantem intra triennium quod si lactare non possit, tenetur nutricem assumere: Et cuius expensis.*
An peccet saltem venialiter, si lactare possit, & recuset.
7 *Tenentur parentes non solum alimenta præstare liberis, sed etiam mediocrem saltem adhibere diligentiam in bonis acquirendis pro illis.*
8 *Tenentur multò magis parentes suis liberis ad alimenta spiritualia, peccantque grauissimè, nisi curent filios Sacramenta frequentare præsertim in mortis articulo.*
9 *Tunc parentes alere tenentur suos liberos, cũ ipsi non habeant, vndè se alere possint, aliàs secus.*
10 *Parentes dotare filias tunc tenentur,cum commodè possint,aliàs secus.*
11 *Non tenentur parentes,alere filios, qui eos in iudicio accusauerunt aliudue ingratitudinis vitium commiserunt.*
12 *Ex causa alimentorum, vel dotis possunt parẽtes donare, ac legare filijs spurijs, tamen post ipsorum mortem donata, aut legata ad spuriorum hæredes transire non debent.*
13 *Peccant parentes, dotantes filias de bonis vsurarijs,numero extantibus, & gener, ac filia dotem recipientes,restituere tenentur.*
14 *Dos prædicta si consisteret in rebus vsu consumptibilibus,& vsurarius alia haberet bona,ex quibus posset vsuras restituere, nec gener,nec filia tenetur ad restitutionem.*
15 *Vsurarius contractus pecunia vsuraria factus, quamuis validus sit, transferatque dominiũ rei emptæ in emptorem, ipse tamen emptor in venditorem dominium pecuniæ vsurariæ non transfert.*
16 *Peccant parentes, & ad restitutionem tenentur,nisi soluant debita à filijs contracta pro se ipsis vestiendis,iuxta status decentiam.*
17 *Peccant parentes Religionem ingredientes, filijs pauperibus relictis.*
18 *Peccant parentes, qui vel,metu, vel dolo,filios Religionem ingressos ab ea reuocant.*
19 *Peccant parentes,qui vota filiorum peregrinationis,abstinentiæ,&c. emissa consensu ipsorũ parentum, citra rationabilem, ac legitimam causam reuocant.*
20 *Parentes,alijque similes.si ad filiorum, & subditorum impuberum vota non consenserint, ipsa irritare possunt,etiam post pubertatem, siue realia,siue personalia sins.*
Quid requiratur ad istorum votorum ratificationem.
21 *Vota personalia, aute pubertatem emissa per filios, vel etiam realia, dependentia à re familiari, ante 25. annum irritare possunt parentes, etiam post prædictam ætatem, si modo à filijs ratificata non fuerint.*
22 *Vota seruorum, an, & quando possint per Dominos irritari.*
23 *Peccant parentes, qui minis, & penis citra causam rationabilem filios, ac filias cogunt, ad matrimonium contrahendum cum ijs, quos præscripserint. Idemque dicendum est de quibuscunque alijs.*
24 *Nemo, & si Supremus Princeps sit, aut Summus Pontifex cogere potest aliquos, vt inuiti contrahant matrimonium,nisi ad bonum cõmune id expediret.*
25 *Peccant parentes, ac excommunicationem incurrunt, si filias cogant ad ingrediendũ Monasterium,vel eas impediant Religionem intrare,aut professionem emittere sine causa.*
26 *Peccant parentes, & ad restitutionem tenentur, qui metu saltem reuerentiali, & multò magis si dolo,vel fraude filium,aut filiam inducant ad renunciandum cum iuramento suæ legitimæ,aut patrimonio,vt filia contenta remaneat dote,quamuis minore legitima.*
27 *Peccant parentes cum obligatione restituendi, si aliquid notabile accipiant à suo filio familias de bonis castrensibus, aut eorũ fructibus.*
28 *Pater si aliquos sumptus pro huiusmodi filio fecerit in studio, vel aliàs, num fecisse censeatur animo compensandi cum his fructibus.*
An peccet quoque si aliquid notabile accipiat de proprietate bonorum aducatitiorum.
29 *Peccant parentes modum excedentes in filijs corrigendis, & ad iracundiam eos prouocantes.*
30 *Peccant liberi, debitum honorem parentibus non deferentes, & in quibus talis honor consistat.*
31 *Præceptum honorandi parentes,quamuis affirmatiuum sit, includit tamen negatiuum, excludens scilicet omnem iniuriam, odium, & malum.*
Quæ bona promittantur honorantibus parentes.
32 *Peccant liberi, & multò magis, si parentes iniurijs afficiant, manus impias in eosdem iniyciant, vitæ parent insidias, aut ipsis etiam absentibus detrahant.*
Quam grauissimum sit crimen parricidij, quibus pœnis puniatur. Et quot nam parricidæ proprijs manibus mortem sibi intulerint.

33 *Ob*

33 *Ob solas iniurias graues citra verbera, potest pater donationem factam filio reuocare.*
34 *Peccant liberi contra Diuinum praeceptum honorandi parentes, etiam si illos toruo intueantur oculo, aut asperè loquantur.*
35 *Peccant quoque grauiter liberi, & contra idē Diuinum praeceptum, parentibus maledicentes.*
36 *Peccant liberi cōtra idem praeceptum, & grauissimè, si parentibus alimenta necessaria nō subministrent, secundum proprium statum. Idemque dicendum est, quoad omnes alias necessitates corporales.*
37 *Peccant grauissimè filij, si videant parentes grauiter aegrotare, & non procurent suscipiēda ab eis Sanctissima Sacramenta, &c.*
38 *Peccant filij matrem non dotantes iuuenem, volentem ad secundas transire nuptias, & dote carentem.*
39 *Non sunt praestanda parentibus alimenta per filios, si vitium ingratitudinis in eos commiserint, & quae sint ingratitudinis vitia.*
40 *Ingratitudinis causae remitti possunt, quae si nō remittantur, priuatio intelligitur, quoad haereditatem, legitimam, & alimenta ordinaria, non vero de necessarijs ad vitae sustentationem.*
41 *Filius alimenta habens necessaria pro se, & filijs dumtaxat, an teneatur parentibus praestare alimenta. Et quid si vxorem habeat, aut filia maritum, & patrem indigentem.*
42 *Filius, si filios non habeat, sed patrem, & matrem in aequali necessitate constitutos, & non potest, nisi eorum alteri alimenta praestare, cui nam potius teneatur subuenire.*
43 *Filius si vxorem habeat, & patrem, ac matrē in pari necessitate, an potius patri, vel matri teneatur alimenta tribuere an vero vxori.*
44 *Peccant liberi ingredientes Religionem, parētibus in extrema necessitate constitutis. Idemque est si habeant sorores pauperes.*
45 *In nonnullis Religionibus, prohibetur recipi Nouitios, habentes sorores pauperes.*
46 *Peccant liberi, qui citra suorum parentum cōsensum, & voluntatem vxores ducunt, notabiliter indignas.*
An possint ob id a patre exhaeredari, & quid dicendum in foeminis.
47 *Pater luxuriose viuens filiam minorem 25 annis luxuriosè etiam viuentem an possit exhaeredare.*
48 *Peccant liberi, contrahentes matrimonium inuitis parētibus, quamuis ducant dignam, tamen ob id cessat parentibus, & familiae magnum commodum.*
49 *Praedictis casibus exceptis nunquam filij mortaliter peccant, matrimonium contrahendo citra placitum parentum, modo ab ipsis saltem consilium petant.*
50 *Peccant liberi habentes bona à parentibus, ad certos vsus expendendos ipsique ad alios vsus nempe ad ludos impendant ad conuiuia, meretrices, &c. Et ad restitutionem tenentur.*
51 *Filij famil. auferendo, vel consumando bona parentum an, & quando excusentur a furto.*
52 *Filij familias si aliquid de peculio castrensi, vel quasi, expendant, vel consument, non solū inscijs, sed etiam inuitis parentibus, furtum aliquod non committunt.*
53 *Peccant liberi debitam obedientiam parentibus non deferentes in his, quae pertinēt ad bonum domus, & familiae regimen.*
54 *Peccant non leuiter liberi, videntes eorum parentes malis moribus esse affectos, contemnāt eos corrigere, dummodo ex eorum correctione emendationem probabiliter sperent.*
55 *Peccant liberi, & haeredes vsurariorum, si vsuras per parentes extortas, vel alias iniuste acquisitas, minimè restituant.*
56 *Peccant liberi si propter negligentiam, vel auaritiam, vltra quam par est debita parentum Defunctorum soluere differant.*
57 *Peccant liberi grauiter, non reddentes mutuū acceptum, quod iuramento promiserunt reddere mutuanti.*
58 *Idemque dicendum est, vbi mutuum in causas necessarias, expendissent.*

1 AD euidentiam eorum, quae dicenda erunt, est adnot. quod licèt aliquando parentū appellatione veniant fratres, & sorores, & alij Collaterales nobis sanguine, seu per carnalem propagationem coniuncti; item patres spirituales, vt sunt Confessarij, Parochi, Praelati Ecclesiae: Imò, & Papa Reges, & reliqui Principes, ac Magistratus; officiales Ciuitatum, Duces exercitus: ac etiam senes, quibus propter venerandam canitiem, & senectutem debetur honor, iuxta tex. in *l. semper. ff. de iur. e immunit.* ibi: *Semper in Ciuitate nostra senectus venerabilis fuit.* vt rectè post alios declarat *P. Afflict. tom. 1. Comment. ad Consuet. Neap. par. 4. q. 15. num. 14 & seq. & par. 5. q. 11. num 5. & seq. & in sua summ. par. 1. tract. 8 cap. 18. à num. 19. ad 23* Nos tamen hoc loco per parentes intelligimus patrem & matrem, auum, & auiam, & omnes ascendentes vsque ad Adam, vt in *l. appellatione. ff. de ver. signif.* Et per liberos intelligimus non solum filios, & filias; sed etiam nepotes, & omnes descendentes vsque in infinitum, *l. liberorum appellatione. ff. eod. tit. citato.* Horum autem quidā legitimi sunt, & naturales, & sunt illi, qui ex legitimo matrimonio nati sunt: alij naturales tantum, vt nati ex concubina, nempè ex soluto, & soluta: alij sunt legitimi tantum, & adoptiui: alij sunt illegitimi nati ex damnato coitu, vt sunt adulterini, incestuosi, ac spurij: Alij dicuntur legitimati, de quibus omnibus habetur per *Glos. §. 1. vers. Naturales, in instit. de adopt.* Dātur quoque filij spirituales, & legitimi, vt suscepti ex Baptismo, & confirmatione: Et denique dantur filij spirituales tantum, vt sunt omnes confitentes respectu Confessarij, omnes Christiani respectu Papae, omnes Dioecesani respectu Episcopi: & omnes de Parochia respectu Parochi, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 22. num. 36. & 37. Graff. par. 2 decis. lib. 1. cap. 5. nu. 30 & 31* & ex alijs. His ad[...]tatis, dicimus

2 Primo, q. peccā[...] parentes negligentes si[...] in educandis filijs: [...]iusdem omnis aetas ab adolescent[...] ad malum prona est, & nihil incertius, quàm vita adolescentium, & propterea probatissimis viris sunt [...]ducandi, quos Magistros doctrinae habeant, & testes vitae, vt in *cap. 1. 12. q. 1.* Sic eos intactos à criminibus conseruabunt, iux. *tex. in l. pen. ff. vbi pupil. educ. vel mor. deb.* Debent enim curare, vt Dei, & Ecclesiae praecepta

dicum, & aliorum iustitiæ Ministrorum culpis: qui quidem potestatem, ac iurisdictionem ciuilem habent super alios. Et quoniam parentes naturalem quandam potestatem habent super eorum liberos, fratres in sorores; viri in vxores, tutores in pupillos; curatores in minores, Domini in seruos, ac patroni in libertos, consequenter igitur hoc loco de his, & eorum culpis sequitur agendum, à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

De parentum, ac liberorum culpis. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Parentum appellatione, qui nam veniant, maximè in materia nostra.*
Et quot species filiorum sint.

2 *Peccant parentes si negligentes sint in educandis filijs.*

3 *Tenentur parentes dotare filias sicut, & ipsas alere, dos enim loco alimentorum successit. Et ad quos hoc onus dotandi spectet.*

4 *Quanta debeat esse dos filiæ spuriæ, seu naturalis.*

5 *Non solum liberis debentur alimenta à parentibus, verum etiam eorum vxoribus.*

6 *Tenetur mater lactare filium infantem intra triennium quod si lactare non possit, tenetur nutricem assumere: Et cuius expensis.*
An peccet saltem venialiter, si lactare possit, & recuset.

7 *Tenentur parentes non solum alimenta præstare liberis, sed etiam mediocrem saltem adhibere diligentiam in bonis acquirendis pro illis.*

8 *Tenentur multò magis parentes suis liberis ad alimenta spiritualia, peccantque grauissimè, nisi curent filios Sacramenta frequentare præsertim in mortis articulo.*

9 *Tunc parentes alere tenentur suos liberos, cũ ipsi non habeant, vndè se alere possint, aliàs secus.*

10 *Parentes dotare filias tunc tenentur, cum commodè possint, aliàs secus.*

11 *Non tenentur parentes alere filios, qui eos in iudicio accusauerunt aliundè ingratitudinis vitium commiserunt.*

12 *Ex causa alimentorum, vel dotis possunt parẽtes donare, ac legare filijs spurijs, tamen post ipsorum mortem donata, aut legata ad spuriorum hæredes transire non debent.*

13 *Peccant parentes, dotantes filias de bonis vsurarijs, numero extantibus, & gener, ac filia dotem recipientes, restituere tenentur.*

14 *Dos prædicta si consisteret in rebus vsu consumptibilibus, & vsurarius alia haberet bona, ex quibus posset vsuras restituere, nec gener, nec filia tenetur ad restitutionem.*

15 *Vsurarius contractus pecunia vsuraria factus, quamuis validus sit, transferatque dominiũ rei emptæ in emptorem, ipse tamen emptor in venditorem dominium pecuniæ vsurariæ non transfert.*

16 *Peccant parentes, & ad restitutionem tenentur, nisi soluant debita à filijs contracta pro se ipsis vestiendis, iuxta status decentiam.*

17 *Peccant parentes Religionem ingredientes, filijs pauperibus relictis.*

18 *Peccant parentes, qui vel, metu, vel dolo, filios Religionem ingressos ab ea reuocant.*

19 *Peccant parentes, qui vota filiorum peregrinationis, abstinentiæ, &c. emissa consensu ipsorũ parentum, citra rationabilem, ac legitimam causam reuocant.*

20 *Parentes, alijque similes, si ad filiorum, & subditorum impuberum vota non consenserint, ipsa irritare possunt, etiam post pubertatem, siue realia, siue personalia sint.*
Quid requiratur ad istorum votorum ratificationem.

21 *Vota personalia, ante pubertatem emissa per filios, vel etiam realia, dependentia a re familiari, ante 25. annum irritare possunt parentes, etiam post prædictam ætatem, si modo à filijs ratificata non fuerint.*

22 *Vota seruorum, an, & quando possint per Dominos irritari.*

23 *Peccant parentes, qui minis, & pœnis citra causam rationabilem filios, ac filias cogunt, ad matrimonium contrahendum cum ijs, quos præscripserint. Idemque dicendum est de quibuscunque alijs.*

24 *Nemo, & si Supremus Princeps sit, aut Summus Pontifex cogere potest aliquos, vt inuiti contrahant matrimonium, nisi ad bonum cõmune id expediret.*

25 *Peccant parentes, ac excommunicationem incurrunt, si filias cogant ad ingrediendũ Monasterium, vel eas impediant Religionem intrare, aut professionem emittere sine causa.*

26 *Peccant parentes, & ad restitutionem tenentur, qui metu saltem reuerentiali, & multò magis si dolo, vel fraude filium, aut filiam inducant ad renunciandum cum iuramento suę legitimæ, aut patrimonio, vt filia contenta remaneat dote, quamuis minore legitima.*

27 *Peccant parentes cum obligatione restituendi, si aliquid notabile accipiant à suo filio familias ae bonis castrensibus, aut eorũ fructibus.*

28 *Pater si aliquos sumptus pro huiusmodi filio fecerit in studio, vel aliàs, num fecisse censeatur animo compensandi cum his fructibus.*
An peccet quoque si aliquid notabile accipiat de proprietate bonorum aducatitiorum.

29 *Peccant parentes modum excedentes in filijs corrigendis, & ad iracundiam eos prouocantes.*

30 *Peccant liberi, debitum honorem parentibus non deferentes, & in quibus talis honor consistat.*

31 *Præceptum honorandi parentes, quamuis affirmatiuum sit, includit tamen negatiuum, excludens scilicet omnem iniuriam, odium, & malum.*
Quæ bona promittantur honorantibus parentes.

32 *Peccant liberi, & multò magis, si parentes iniurijs afficiant, manus impias in eosdem iniciant, vitæ parent insidias, aut ipsis etiam absentibus detrahant.*
Quam grauissimum sit crimen parricidij, quibus pœnis puniatur. Et quot nam parricidæ proprijs manibus mortem sibi intulerint.

33 Ob

33 *Ob solas iniurias graues citra verbera, potest pater donationem factam filio reuocare.*

34 *Peccant liberi contra Diuinum praeceptum honorandi parentes, etiam si illos toruo intueantur oculo, aut aspere loquantur.*

35 *Peccant quoque grauiter liberi, & contra idẽ Diuinum praeceptum, parentibus maledicentes.*

36 *Peccant liberi cõtra idem praeceptum, & grauissimè, si parentibus alimenta necessaria nõ subministrent, secundum proprium statum. Idemque dicendum est, quoad omnes alias necessitates corporales.*

37 *Peccant grauissimè filij, si videant parentes grauiter agrotare, & non procurent suscipiẽda ab eis Sanctissima Sacramenta, &c.*

38 *Peccant filij matrem non dotantes iuuenem, volentem ad secundas transire nuptias, & dote carentem.*

39 *Non sunt praestanda parentibus alimenta per filios, si vitium ingratitudinis in eos commiserint, & quae sint ingratitudinis vitia.*

40 *Ingratitudinis causae remitti possunt, quae si nõ remittantur, priuatio intelligitur, quoad haereditatem, legitimam, & alimenta ordinaria, non verò de necessarijs ad vitae sustentationem.*

41 *Filius alimenta habens necessaria pro se, & filijs dumtaxat, an teneatur parentibus praestare alimenta. Et quid si vxorem habeat, aut filia maritum, & patrem indigentem.*

42 *Filius, si filios non habeat, sed patrem, & matrem in aequali necessitate constitutos, & non potest, nisi eorum alteri alimenta praestare, cui nam potius teneatur subuenire.*

43 *Filius si vxorem habeat, & patrem, ac matrẽ in pari necessitate, an potius patri, vel matri teneatur alimenta tribuere, an verò vxori.*

44 *Peccant liberi ingredientes Religionem, parẽtibus in extrema necessitate constitutis. Idemque est si habeant sorores pauperes.*

45 *In nonnullis Religionibus, prohibetur recipi Nouitios, habentes sorores pauperes.*

46 *Peccant liberi [illegible] citra suorum parentum cõsensum, & [illegible] vxores ducunt, notabiliter indignas.*
An possit ob id a patre exhaeredari, & quid dicendum in foeminis.

47 *Pater luxuriose viuens filiam minorem 25 annis luxuriose etiam viuentem an possit exhaeredare.*

48 *Peccant liberi, contrahentes matrimonium inuitis parẽtibus, quamuis ducant aequalem, tamen ob id cessat parentibus, & familiae magnum commodum.*

49 *Praedictis casibus exceptis nunquam filij mortaliter peccant, matrimonium contrahendo citra placitum parentum, modo ab ipsis saltem consilium petant.*

50 *Peccant liberi habentes bona a parentibus ad certos vsus expendenda, & ipsique ad alios vsus nempe ad ludos impendant ad conuiuia, meretrices, &c. Et ad restitutionem tenentur.*

51 *Filij famil. auferendo, vel consumando bona parentum an, & quando excusentur a furto.*

52 *Filij familias si aliquid de peculio castrensi, vel quasi, expendant, vel consument, non solũ inscijs, sed etiam inuitis parentibus, furtum aliquod non committunt.*

53 *Peccant liberi debitam obedientiam parentibus non deferentes in his, quae pertinẽt ad bonum domus, & familiae regimen.*

54 *Peccant non leuiter liberi, videntes eorum parentes malis moribus esse affectos, contemnãt eos corrigere, dummodo ex eorum correctione emendationem probabiliter sperent.*

55 *Peccant liberi, & haeredes vsurariorum, si vsuras per parentes extortas, vel alias iniuste acquisitas, minimè restituant.*

56 *Peccant liberi si propter negligentiam, vel auaritiam, vltra quam par est debita parentum Defunctorum soluere differant.*

57 *Peccant liberi grauiter, non reddentes mutuũ acceptum, quod iuramento promiserunt reddere mutuanti.*

58 *Idemque dicendum est, vbi mutuum in causas necessarias, expendissent.*

1 AD euidentiam eorum, quae dicenda erunt, est aduert. quod licet aliquando parentũ appellatione veniant fratres, & sorores, & alij Collaterales nobis sanguine, seu per carnalem propagationem coniuncti; item patres spirituales, vt sunt Confessarij, Parochi, Praelati Ecclesiae: Imò, & Papa Reges, & reliqui Principes, ac Magistratus; officiales Ciuitatum, Duces exercitus: ac etiam senes, quibus propter venerandam canitiem, & senectutem debetur honor, iuxta *tex. in l. semper. ff. de iure immunit. ibi: Semper in Ciuitate nostra senectus venerbilis fuit.* vt rectè post alios declarat *P. Molfes. tom. 1. Comment. ad Consuet. Neap. par. 4. q. 15. num. 14 & seq. & par. 5. q. 11. num 5. & seq. & in sua summ. par. 1. tract. 8 cap. 18. à num. 19. ad 23* Nos tamen hoc loco per parentes intelligimus patrem & matrem, auum, & auiam, & omnes ascendentes vsque ad Adam, vt in *l. appellatione. ff. de verb. signif.* Et per liberos intelligimus non solum filios, & filias; sed etiam nepotes, & omnes descendentes vsque in infinitum, *l. liberorum appellatione. ff. eod. tit. citato.* Horum autem quidã legitimi sunt, & naturales, & sunt illi, qui ex legitimo matrimonio nati sunt: alij naturales tantum, vt nati ex concubina, nempe ex soluto, & soluta: alij sunt legitimi tantum, & adoptiui: alij sunt illegitimi nati ex damnato coitu, vt sunt adulterini, incestuosi, ac spurij: Alij dicuntur legitimati, de quibus omnibus habetur per *Glos. §. 1. vers. Naturales, in instit. de adopt.* Dãtur quoque filij spirituales, & legitimi, vt suscepti ex Baptismo, & confirmatione: Et denique dantur filij spirituales tantum, vt sunt omnes confitentes respectu Confessarij, omnes Christiani respectu Papae, omnes Dioecesani respectu Episcopi: ac omnes de Parochia respectu Parochi, vt habetur ex *Azor. in Mor. c. 22. num. 36. & 37. Graff. par. 2 decis. lib. 1. cap. 5. nu. 30 & 31.* & ex alijs. His aduertatis, dicimus

2 Primo, quod peccãt parentes si negligentes sint in educandis filijs: siquidem omnis aetas ab adolescentia in malum prona est, & nihil incertius, quàm vita adolescentium, & propterea probatissimis viris sunt associandi, quos Magistros doctrinae habeant, & testes vitae, vt in *cap. 1. 12. q. 1.* Sic eos intactos à criminibus conseruabunt, iux. *tex. in l. pen. ff. vbi pupil. educ. vel mor. deb.* Debent enim curare, vt Dei, & Ecclesiae praecepta

feruent, virtutem amplectantur, vitia fugiant, ab omni peccato abstineant, & vt secundùm Dei timorem instruantur. Est enim puerorum animus tanquàm tabula rasa; atq; ideò sicut de facili reducuntur ad bonum; ita etiam parētum incuria de facili corrunnt in malum: vndè ait *Horat.*

Quos semel est imbuta recens seruabit odorem testa diù.

Et *Prouerb. cap.* 22. legitur: *Adolescens enim iuxta viam suam ambulans, etiam cum senuerit non recedit ab ea.* Quapropter grauiter peccant parentes, & grauius puniuntur à Deo, etiam in hac vita, qui negligenter se habent in educandis filijs, vt habetur ex *Sayro lib.7. Clauis Reg. nu.* 1. *&* 3. Et si filij discoli sint, sub lethali culpa tenentur eos corrigere, etiam è domo expellentes, moderatè verberantes, aut alimenta denegantes, si probabilitèr credant, ita posse eos emendari, *arg. tex. in cap. non omnis, 9. q. 6.* & habetur ex *D.Th.2.2.q 65. ar.2* & ex alijs apud *Reginal. lib.20 suæ prax. num.42. &* *Molfes. par. 1. suæ sum. tr.11. cap.18. num.82.* Etenim parentes filios discolos non corrigentes censentur eorum crimina approbare, vt in *cap. error, 83. d.* Quod maximè verum est, quando delinquunt in ministerio, in quo ipsorum parentes præficiant; quia cum eorumdem opera vtantur, ipsis parentibus filiorum crimina imputantur, iuxta ea, quæ habentur ex *Bart in l. nequid, ff. de incend. ruina, & naufr. Panor. in cap. licet, de restit spoliat. Syl. in sum. ver. Dominum; q. 6.* & *Graff par. 1. decis. lib. 2. cap. 59. num. 19. & 20.* dum volunt, quòd quando familia Domini delinquit in officio, seu ministerio, in quo ipse Dominus est Propositus, & ipse vtitur ministerio talis familię, sibi imputatur familiæ factum, cum eam elegerit, potest alias personas honestiores, *l. 1. §. familia, ff. de publ. in rem act.* Tenetur tamen ciuilitèr tantùm, non autem criminalitèr, vt in *d. l. ne quid.* Idem dicendum esse probant præfati Doctores de Rectore, seu Potestate, qui tenetur de maleficio Assessorum, quos sibi elegit, *l. si potest, C. de Assessor. & de Duce,* qui tenetur de delictis militum: De Nauta, Caupone, & Stabulario: hi enim, & alij similes tenentur de delictis suorum.

Secundò peccant Parentes consentientes, filias suas habere amatores, & vt fucis, & alijs huiusmodi vtantur, vt adamentur. Quod verum est si filiæ id faciant ad malum finem: secus autem si ad bonum finem, nempè, vt in vxores à iuuenibus appetantur; nam tunc non peccant, & ad summum venialem culpam contrahunt; sicut & ipsæ filiæ, vt habetur ex *Nauar. in Man c.14. n.18. vers Vigesimosecundo. Graff. par. 1. decis. lib.2 cap. 59. num.26. & Sayro lib. 7. Clauis Regiæ, cap.7. num. 4.*

Tertiò peccant Parentes permittentes filias desponsatas de futuro dumtaxat, ante contractū matrimonium per verba de præsenti cum sponsis actibus vti impudicis. Possunt tamen inter eos citra culpam oscula permittere, & amplexus, etiam delectationis gratia, tanquā principium futuri matrimonij, vt per *D. Th. 2.2. q. 154. ar. 4.* & in eum *Caiet. & Nauar. loc. cit. vers. Vigesimotertio.* Non tamen debēt permittere sponsum, & sponsam solos secretè permanere ob periculum peccati: nam ob id *Conc. Trid. de matr. sess. 24 cap. 1.* prohibet eos in eadem domo cohabitare ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, vt habetur ex *Say d. cap. 7. num. 4.*

Quartò peccant Parentes si negligentes sint in edocendis, seu edocere faciendis eorum liberis fidei articulos, præcepta Dei, & Ecclesiæ, & alia ad salutem animæ pertinentia, de quibus *Bann. 2.2. q. 2. art. 8 dub. 2. & Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 11. cap. 18. num. 82. & 96.* Vndè *Syl. in sum. ver. Scientia, num. 2.* inquit, peccare mortalitèr parentes, qui ob negligentiam non docent filios signum Crucis, orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolicū, ac decem legis præcepta; & eodem modo lethalem culpam contrahunt, qui talia non ediscunt, cùm possint. Est tamen verum, quòd satis est si prædicta quamuis inordinatè edoceantur, vt per eundem *Syl. ibi, Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 59. num. 18.* & alios, quos allegant. In defectum autem parentum carnalium, tenentur spirituales parentes filios spirituales supradicta edocere; & maximè Patrini, qui sic vocantur, quoniam sunt tanquam patres baptizati, vt habetur ex *Molf.* post alios, *par. 1. suæ sum. tr. 4. cap. 1. num. 60.* Non tamen Parochi, & Concionatores tenentur ad docēdum in particulari singulos fideles christiana rudimenta; sed satis est, vt Parochi in suis Ecclesijs in communi exponant fidei mysteria, quæ per circulum anni celebrantur: vel curare debent, vt aliquis pueros doctrinam christianā doceat, vt habet ex eodem *Bann. loc. sup. relato, col penult. vers. Est aliud argumentum.*

Quintò peccant parentes, qui propter auaritiam ad Hospitalia proprios infantes deferunt, eos ante ianuam Templi exponentes, aut alio in loco. Id enim est contra paternam pietatem, vt in *l. necare, ff. de liber agnosc. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 59. sub num.* Imò tenentur hoc casu ad restitutionem, cum Hospitalia ad solos pauperes alendos instituta sunt, vt rectè post alios docet *Sayr. lib. 7. Clauis Reg cap. 7. num. 5.*

Sextò peccant parentes denegantes alimenta eorum liberis: ad id enim naturali iure tenentur, cum eo iure sit liberorum procreatio, & educatio, *§. ius autem naturale, in Inst. de iure nat. gent. & ciuili,* atq; ideò iure quoq; ciuili compelluntur, vt in *l. 1. 2. & 3. C. de lib. agnosc.* Sub alimentorum autem nomine non solum compræhenduntur ea, quæ veniunt appellatione victus, vt sunt quibus ad esum, potum, cultumque corporis vtimur, de quibus latè tractauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 8. q. 5.* Sed etiam alimentorum nomine veniunt expensa pro studio necessaria, sine quo quis viuere non posset secundum qualitatem personæ, nempè expensa pro grammatica, &c. Secus autem expensa pro studijs, sine quibus honestè viuere posset, vt per *Bart. in l legatis ff. de alim & cib. legat.*

Ampliatur primò id quod diximus circa alimenta à parentibus filijs debita, vt liberis debeantur tam si legitimi sint, ac naturales, quàm si naturales tantùm sint, spurij, incestuosi, aut adoptiui. Etenim quamuis de iure ciuili filijs ex damnato coitu natis non debeantur alimenta, vt in *Auth licet, C. de natur. liber. & in Auth. ex complexu, C. de incest. nuptijs;* nihilominus ius

illud

illud ciuile tanquam iuri naturali contrarium meritò reuocatum fuit per ius canonicum in *cap. cum haberet, de eo, qui dux. in matr. &c.* Etenim ius canonicum alimenta filijs, & dotem competentem filiabus etiam ex damnato coitu natis idcircò statuit præstanda, ne contra officiũ pietatis fame pereant: quem quidem canonem per totum christianum Orbem seruari debere, contra *Felin. in cap. Ecclesia S. Mariæ, nu.45. de constit.* probat *Molin.* & alij, quos refert, & sequitur *Salas de legib. disp.7 sec.5. & 6.* vt diximus etiam in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib.1. cap.1. q.2. num.20.* Vndè hoc seruari in Terris Imperij, & aliorum Principum, testatur quoq; *Molfes.* post alios *tomo 1. suor. Commentar. ad Consuet. Neapol. par.1. q.3. nu.6. & seq. & par.1. suæ sum. tr.11. cap.18 num.81.*

3 Tenentur Parentes dotare filias, vt supra diximus, quoniam tenentur easdem alimentare, cùm dos succedat loco alimentorum, vt rectè declarat *Tab. in sum. ver. Alimentum, num.5.* Est tamen verum, quod hoc onus spectat primò ad Patrem, in defectum Patris ad Auum paternum: & in subsidium Aui pertinet ad Matrem, si facultates habeat sufficientes, vt benè declarat *Molfes.* post alios, *par.1. suæ sum. tr.12. cap.6. num.23.* & latiùs *num.32. & seq.* Quod verum est si agatur de filijs legitimis: secùs de spurijs, quia cùm non sint in potestate patris, nec matris, eorum alimentatio pertinet æqualiter ad patrem, ac matrem, vt habetur ex *Tab. in ver. Alimentum*, *§.4. sub num.4.* Quo verò ad dotem præstandam

4 à patre filiæ spuriæ, seu naturali tantùm, dos debet tanta esse, quæ ad alimenta sufficiat, cùm pater non possit vltra alimenta filio naturali legare, iuxtà ea, habentur ex *Syl. in sum. ver. Alimenta, in fin.* Cæterum adeò parentes tenentur dotare filias, vt licèt filia peccans in corpus suũ mereatur exhæredari à patre; id tamen locum non habet, si filia peccaret post lapsum tempus determinatum ad matrimonium, vt regulariter est post vigesimum quintum annum: siquidem infortunium filiæ hoc casu imputatur patri, qui non curauit filiam suo tempore nuptui tradere; atq; ideò pater non poterit ob id filiæ dotem, ac alimenta denegare, vt habetur ex *tex. in §. aliud quoque capitulum, in fine, in Auth. Vt cum de appell. cogn. Molfes. par.1. sua sum. tr.11. cap. 18. sub num.58 & tomo 1. suor. comment. ad Cõsuet. Neap. par.5. q.12. nu.11.* Vnde meritò *Nauar. lib 4. cons. in 1. edit. tit. de sponsal. cons.3.* quem refert, & sequitur *Sanch. lib. 4. de matr. disp. 24. num. 12.* in causa cuiusdam fœminæ, quæ promisit ancillæ dotem centum aureorum, si honestè seruiret, seruiuitq; ancilla honestè nouem annis, & deindè stuprum admisit, cõsuluit, deberi ei dotem, tum quia promittens fuit in mora tradendi ancillam nuptui, cùm iam expleuisset viginti quinque annos: tum quia illa conditio honestè viuendi non intelligitur toto vitæ curriculo; sed tempore arbitrio prudentis sufficienti, qualis est nouem annorum.

5 Secundò ampliatur, vt non solùm à parentibus debeantur alimenta liberis vt supra; sed etiã eorum vxoribus: etenim pater non tantùm alimenta, verùm etiam reliqua liberorum onera tenetur subire, vt in *l. si quis à liberis, §. si vel parens, ver. Non tantum, ff. de liber. agnosc.* & *Glossa ibi, ver. Cætera:* ait deberi quoq; illis vestimenta, habitationem pro se, & suis liberis, & vxore: & id etiam si sine dote vxorem duxerit; quoniam onus filij est, qui vxorem sine dote duxit eam alimentare, vt habetur ex *Inn. in cap. per vestras, ad fin. de donat. inter vir. & vxor. Rimin.* cum alijs, quos allegat *cons. 133. nu.43. & seq.* Et id etiam si filius vxorem duxerit sine consensu patris, nisi inhonestam, & indignam duxerit, vt latè probat *Sanch. lib. 4. de matr. disp.26. num.20. cum plur. seq.* vbi etiam declarat, quinam coniux dicatur indignus, & concludit, quod ille coniux dicitur indignus, cui alter matrimonio copulari absq; dedecore nõ potest, iuxtà Ciuitatis mores.

6 Tertiò ampliatur, quòd cum parentes teneantur liberis alimenta præstare, mater infantem filium intra triennium tenetur lactare: & si lactare non possit, vel quia non deceat cùm sit nobilis, & secundùm patriæ cõsuetudinem ad ignominiam ei ascribitur, vt habetur ex *Iac. Aret. in l. maritus, ff. sol. matr. Bart. in l.1. C. de mendic. val. lib.11. & Graff. par.1. decis. lib.2. cap.59. num.3.* Tenetur assumere nutricem expensis patris si pater sit potens; aliàs expensis eiusdem matris si habeat in bonis, vt in *l. pen. C. de patr. potest.* & latè *Reginald.* cum alijs, quos allegat, *lib.20. sua prax. num.31. & 33.* Dixi, *Si lactare non possit.* Quoniam si lactare potest citra culpã saltem venialem, per se ipsam filium citra legitimam causam non recusat: siquidem filij sæpè mores cum lacte hauriunt à nutricibus, *cap. ad eius vero, dist.5.* in illis verbis: *Praua autem in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, vt mulieres filios, quos gignũt, nutrire contemnant, eosq; alijs mulieribus ad nutriendum tradant, &c.* Ob id ait *Sayr. lib.7. Clauis Reg. cap.7. nu. 6.* quòd si ex causa iusta mater infantem lactare non possit, teneatur sub peccato mortali quærere bonam nutricẽ, ne si deprauatę tradatur, eius malis imbuatur moribus.

7 Quartò ampliatur, vt Parentes teneantur alimenta præstare liberis, iuxtà ea quæ sup. diximus; sed etiam mediocrem saltem diligentiam adhibere in acquirendis bonis pro eorum liberis, vt iuxtà decentiam status alere eos valeant, & post eorum mortem hæreditatem ad eorum statum sufficientem ipsis relinquant, iuxta illud *Apost.2. Corinth 12.* de quo *in cap. duo, 23. q.4. Non enim debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs.* Ità *D. Th. 2.2 q.101. ar.2. ad 2.* & *Reginal. lib.20. sua prax. num. 35.* Vndè Parentes peccant si alienis relinquant eorum diuitias, contemptis citra vllam causam agnatis, & cognatis, quibus de iure competunt. Possunt tamen aliquam portionem relinquere pro animabus suis. Deus enim non vult bona aliorum in præiudicium succedentium ab intestato, vt latè habetur ex *Molf. tomo 1. ad Consuet. Neapol. par.5. q.8. sub num.30.* ex doctrina *D. August. in cap. fin. 17. q 4. & par. 2. suæ sum. tr.13. cap.4. num.83.* quibus adde, quæ habetur ex *D. Anton. 3. par. tit.10 cap.1. §.2. in fin.* & *Nauar. in Man. cap. 26. in fin.* Imò parentes peccant inofficiosas donationes facientes filijs in præiudicium aliorum filiorum, & eiusmodi donationes reuocari possunt vsque ad legitimam, *l. si liqueat, C. de inoffic. donat.* & rectè declarat

Graff.par.1. decis. lib.2. cap.59. num.21.

8 Quintò ampliatur, vt parentes non solùm teneantur alere filios quoad alimenta corporalia; sed multò magis quoad alimẽta spiritualia. Vndè peccant grauissimè parentes, qui non curant filios Sacramenta frequentare, præsertim in mortis periculo non curant, vt liberi Sacramenta suscipiant:aut animum à faciendis restitutionibus auertant,iuxta ea,quæ habentur ex *Sayro lib.7.Clauis Reg.cap.5.num.14.* & ex alijs Doctoribus ab eo allegatis.

9 Limitantur tamen ea,quæ diximus,vt tunc parentes teneantur alimenta præstare suis liberis, quando non habeant aliundè se alant: secus autem si alimenta consequi possint ex bonis castrensibus,quasi castrensibus,aut aduentitijs:vel si artem habeant, nisi filij sint infirmi, uel nobiles,quibus & si spurij sint ad ignominiam ascribitur exercere artem, vt in *l. si quis à liberis, ff. de liber. agnoscen* tunc enim non tenentur parentes huiusmodi filios alere, vt habetur ex *Syl. in sum. ver. Alimenta, q. 1. Tab. eod.ver.§.2. num.3.& Graff.par.1.decis.cap.59. sub num.2.*

10 Limitantur secundò,vt licèt Parentes teneantur filias dotare vt supra, id tamen intelligendũ est si commodè possint, vt si soluta dote, non egeant:aliàs secus,vt in *l fin.ver.Idoneam,C.de dot promis.*iuncta *Glosa*.Imò si parentes egeant, nec ad alimenta quidem obligantur vltra vires, vt probat *Graff.d.cap.19 sub num.2.*

11 Limitantur tertiò, vt Parentes non teneantur alere filios, qui eos in iudicio accusauerunt,aut aliud vitium ingratitudinis commiserunt:siquidem propter vitium ingratitudinis possunt filij à patre etiam hæreditate priuari.Causæ autem, quibus filius exhęredari à patre potest sunt quatuordecim, de quibus habetur in *§. aliud quoq; capitulum,in auth.Vt cum de appell.cogn.* Vndè in omnibus illis casibus denegari possunt alimẽta filijs, pro quibus possunt exhæredari, vt per *Glos.in l.si quis à liberis,§.idem Iudex, ff.de liber.agnosc.Bart.in l fin. C.de alen. liber. Glos. in cap.quintauallis,de iureiur.Panor. in cap.cũ haberet,nu.10.de eo,qui dux. in matr. & Graff. d.cap.59.num.4.* Est tamen verum, quòd causę ingratitudinis remitti possunt: & si non remittãtur,priuatio intelligitur quoad hæreditatem legitimam, & alimenta ordinaria, non autem pro alimentis necessarijs ad substentationem vitæ: & ita etiam dicendum est de liberis erga parentes,vt habetur ex *Molfes. par. 2.sua sum. tr.13. cap.2.num.182.* Imò in casibus,in quibus potest pater exhęredare filium, licèt possit ei alimenta denegare, sicut è contra filius; id tamen limitatur, nisi ipsos pęniteat, vt probat *Syl. in sum. ver.Hæreditas, 2 q.4.*

12 Limitãtur quartò, vt licet donare, ac legare possint filijs spurijs ex causa alimentorum, vel dotis;nihilominus post spuriorum mortem,bona vt sup. donata, ac relicta non debent transire, ad eorum hæredes, & successores patris, ut habetur ex *Bal. in l.eam,* quam, *num.41. C.de fideic.Dec.cons.312.num.4. Ripa in l.1. num.67. ff.sol.matr.* Siquidem spurij sunt incapaces hæreditatis, & proprietatis, vt benè declarat *Couar.in reg.peccatum,par.2.§.8 num.6 & Graff. d.cap.59 num.10.* vbi *num. 11.* ob ait, decere *Sot. lib. 4. de Iust. & iure, q.5. ar.1.* quòd nec Sacerdos, vel Clericus in sacris potest amici fidei committere, vt filio suo spurio det bona sua post mortem;quoniam id est prohibitum per legem humanam,quæ obligat in conscientia.Imò spurius si patris bonorum possessionem, aut hęreditatem fuit adeptus,tenetur ab eorum possessione recedere,etiam si nulla interueniat Iudicis sentẽtia,vt habetur ex *Couar.loco cit.* Quod quidem verum est si Sacerdos,aut Clericus in sacris, sub tali conditione bona sua alteri dederit, vt filio adiudicaret: secus autem si absolutè tribuerit absq;vlla cõditione,estò, quòd firmam spem habeat, illum filio suo spurio bona ipsa esse restituturum: quod quidem quomodò procedat, latè declarauimus in *Commentar. nostris in Bull.Cœnę, lib.2. cap.1. q.27.num.44. cum plur.seq.*

13 Septimò peccant Parentes de bonis vsurarijs, extantibus eisdem numero, dotantes filias, sicut Generi, & filię dotes recipientes, eas restituere tenentur,siue bona mobilia sint, siue stabilia: siue Generi, & filię per traditionem dotium fieri impotentes ad vsuras restituendas, siue id ignorauerint. Etenim dum bona vsuraria extant eodem numero,eorum dominium adhuc perseuerat apud mutuatarios;atq; ideò ad ea uindicanda actionem habet realem, sicut ad rem furtiuã Dominus,vt in *l.inciuilem, C.de furt.* Ergo eorum Dominis sunt restitutioni obnoxia: quod verum est si vsurarius tempore traditionis dotis erat soluendus, & alia habebat bona pro usuris restituendis;dummodò dos data sit in bonis,quę vsu nõ consumuntur: vt si dos tradita sit domus, ager, equi, boues, oues, &c. nam cùm horum alienatio sit irrita ipso iure, & hæc omnia sint in dominio mutuatariorum,& eadem numero perseuerent,ad eos pertinerent,siue vsurarius impotens vt sup. fuerit factus, siue non: atq; ideò sunt restitutioni obnoxia, etiam si vsurarius alia bona habeat, quibus vsuras restituat. Dixi: *Dummodò dos tradita sit in bonis, quæ vsu non consumuntur,* quia non desunt, qui velint, quòd si dos consisteret in bonis usu consumptibilibus, ut sunt pecunia numerata,uinum,oleum, &c. &

14 usurarius haberet alia bona, quibus posset usuras restituere,tunc nec Gener, nec filia tenerẽtur restituere dotem:siquidem dicunt, quòd quãdo vsurarius alienat res quaslibet vsu consumptibiles, & habet alia bona, quibus possit vsuras restituere, talis alienationis contractus est ualidus, siue onerosus sit, siue gratuitus; quoniam res usu consumptibiles per vsuram acquisitę nõ est opus, ut eędem numero restituantur;sed satis est si eędem restituantur secundùm speciem, & qualitatem ęqualem, ut habetur per *Bann. 22 q.78. ar.3. dub.1.in resp.ad 3. concl.1. & 2.* ad quod allegat *tex.in cap.cùm tu, de vsur.* vbi præcipit Rom.Pontifex possessiones emptas pecunia vsuraria uendi,& earum pretium restitui, à quibus vsurę fuerunt extortę: quocirca si contractus ille emptionis esset, nullus ipso iure,declarasset illum S. P. irritum. Hanc eandem sententiam videtur tenere *Azor par.3. Inst.moral. lib.5. cap.14. circa fin. vers. Item solent:* ubi id uerum esse fatetur,etiam si Socer deindè efficiatur pauper: & paulò infra *vers. Item si pecunia vsuraria*: apertè ait, quod pecuniæ vsurariæ, qua emitur fundus verè transfertur dominium

in

in venditorem: & idem docet *Bann. loco citato, dub. 3. con. 4.* pro qua re facit etiam, id quod inquit *Bald. in l. rem quam, in fine, C. de iur. dot.* vbi cum *Feder. de sen. consf. 61.* indistinctè tenet, quòd vbi quantitas vsuraria datur in dotem filiæ ab vsurario, non subiacet restitutioni.

15 Sed re vera licèt nos fateamur, contractum pecunia vsuraria initum esse validum, atq; ideò rei emptæ verè effici dominum emptorem, vt in *l. 1. & l. alumna, C. si quis alt. vel sibi;* tamen pecuniæ vsurariæ vsurarius in venditorem dominium non transfert, vt in *l. ex empto, ff. de action. empt.* & latè habetur ex *Caiet. opusc. de vsur.* licèt *Bann. loco supra relato* contrarium doceat; atque ideò donec extat eadem numero dicta pecunia vsuraria data in dotem apud vsurarij generum, vel apud eiusdem filiam competit mutuatario realis actio, cùm illius dominium apud eundem perseueret: & propterea est restitutioni obnoxia, etiam si vsurarius ipse alia bona possideat, quibus vsuras extortas restituere possit. Et hanc sententiam communem esse testatur *Azor. loco citato, in princ. cap. 14. vers. In hac re: & Molin. de contr. disp. 330. num. 2. & 3.* Dixi: *Si eadem num. &c.* quia si vsurarij gener, & filia pecuniam vsurariam in dotem receptam consumpserunt, tenentur ad æquiualentis quantitatis restitutionem, si scientes vsurariam esse, acceperint: secus si ignorantes, quia tunc tenentur, nisi quatenus facti sunt locupletiores, vt rectè declarat *Molina loco citato.* Quæ diximus de dote data filiæ ex pecunia vsuraria, extendimus ad dotem datam filiæ à iure ex pecunia, vel re furtiua, & de his similibus, cùm militet eadem ratio, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* pro qua re faciunt ea, quæ habentur ex *Molina de contr. disp. 329. & Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 20. dub. 19.*

16 Octauò peccant parentes cum obligatione restitutionis si non soluant debita à filijs contracta pro se ipsis vestiendis secundum decentiam status: siquidem parentes, vt supra diximus, tenentur præstare alimenta filijs, & obligantur ex contractu filiorum, quando debitum conuertitur in vtilitatem parentum, aliàs secus, *l. 1. §. labeo idem ff. de in rem ver.* Vndè si filius mutuo pecuniam accipiat ad ludendum, ad induendũ vestibus pretiosis vltra decentiam status, pater ad illius solutionem non obligatur; sicut nec Dominus pro seruo, *l. quòd si seruus, §. Sed si sic accepit, ff. eod. tit.* & latè *Tab. in sum. vers. Parentes, num. 2.*

17 Nonò peccant parentes, Religionem ingredientes, relictis filijs pauperibus, & indigentibus victu, vestitu, & educatione: quoniam id esset contra officium pietatis, vt benè declarat *Molfes. par. 1 suæ sum. tr. 11. cap. 13. num. 45. & 50.* & infra latius, Deo duce agemus, de filijs tractantes, qui Religionem ingrediuntur, patre inope in sæculo relicto.

18 Decimò peccant parentes, qui vi, metu, aut dolo filios Religionem ingressos ab ea reuocant, cùm in ea ætate sint, quæ satis sit ad Religionem ipsam ingrediendum, vt in *cap. puella, 20. q. 2.* vel si filijs, aut filiabus continentiæ votum postquam emiserint, & ad deliberandi ætatem peruenerint, consulant, vel illos cogunt ad matrimonium contrahendum, arg. *tex. in cap. 1. de offic. deleg.* & habetur ex *Nauar. in Man. c. 14. sub num. 17. vers. Decimonono.*

19 Vndecimò peccant parentes, qui vota filiorũ, peregrinationis, abstinentiæ, & c. ipsorum parentum consensu emissa, citra omnem rationabilẽ, ac legitimam causam reuocant, vt habetur ex eodem *Nauar. loco citato, vers. Decimò peccant.* Est tamen verum, quòd filij non seruantes vota, vt supra reuocata, non peccant; sicut vxor non peccat, si non seruat votum abstinentiæ, peregrinationis, &c. ex viri consensu emissa, & ab eodem postea sine causa reuocata, vt latè probat idem *Nauar. in Man. cap. 12. sub num. 6. vers. Dixi.* Idem dicendum est de alijs subditis in similibus casibus, vt per eundem *Nauar. loco citato, num. 68. & 73.* Imò si filij impuberes Religionem ingrediantur, licèt parentes possint eos à Religione reuocare; nihilominus si semel consenserint tacitè, vel expressè, nõ possunt amplius eorum reuocare consensum, ipsis inuitis, vt rectè declarat *Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 11. c. 13. num. 19. & 20.* & latè de hac re infra, Deo duce, de tutore, & curatore agentes, dicemus.

20 Quòd si parentes, & alij similes nullo modo ad filiorum, aut subditorum impuberum vota consenserint, possunt eorum vota, tàm realia, quàm personalia irritare, etiam post pubertatẽ: imò, & realia etiam post vigesimum quintum annum; quoniam non ob id, quòd tempore mutatur persona, mutatur substantia voti ante pubertatem emissi, atque ideò ab eo, qui plenum non habet iudicium, nec perfectam deliberationem, vt contra *Sot. lib. 7. de iust. & iure, q. 3. ar. 2. Petr. de Arag. 22. q. 88 ar. 9. in fine,* & alios, tenet *Nauar. in Man. cap. 12. num. 71. vers. Nonò,* & antè ipsum *Caiet. 2. 2 q. 189 ar. 5. Ludouic. Lopez par 1. instruct. consc. cap. 48 vers. Votum solemne, Gregor. de Valen. to. 3. disp. 6 pun. 6.* paulò antè *fin. Eman. Sa in Aphoris. vers. Votum, cap. 2.* ibi, votum impuberis, *Sum Corona de voto num. 7. vers. Quantum ad pueros, Azor. par. 1. instit. moral. lib. cap. 17. dub. 7. & Sayr. lib. 6. Clauis Reg. cap. 10. sub num. 26. vers. Secunda est dicentium:* vbi hanc sententiam meritò limitat; dummodò filius post annos pubertatis votum antea factum, denuò non confirmet, ac ratificet; aliàs non poterit illud amplius pater irritare. Ad ratificationem autem satis non est credere votum valere, atque ideò velle illud adimplere; sed opus est, vt certò sciat id non valere, & nihilominus velle implere, aut de nouo

21 vouere. Vndè vota personalia emissa ante pubertatem: & realia dependentia a re familiari ante 25. annum per filios, possunt parentes irritare, non solùm infra dictam ætatem, vt latè habetur ex *Molfes. par. 1. suæ summ. tr. 11. cap. 15. num. 52. 53. & 54.* Sed post dictam ætatem, si a filijs ratificata non fuerint, vel si peculium castrense, quoad realia non habeant, vt per eundẽ *Sayr. loco citato, num. 27.* quod quidem verum putat ipse *Sayr. num. 28.* nisi pater nouerit votum filij, & illud infra tempus ei concessum nõ irritauit; quoniam tunc, etiam postea adueniente pubertate, illud irritare non potest: quia pater tacendo videtur votum tacitè confirmare, iuxta *regul. qui tacet, de regul. iur. in 6.* ad quod allegat *tex. in cap. puella, 20. q. 2.*

22 Est tamen verum, quòd licèt hæc vera sint, quoad

quoad vota filiorum impuberum: nihilominus locum sibi non vendicant, quoad vota seruorum respectu Dominorum; nam licèt Dominus possit vota seruorum irritare, dum serui sunt; vota tamen in seruitute emissa non potest post libertatem irritare, iuxta sententiam *Soti loco citato:* siquidem militat diuersa ratio; quoniam in votis filiorum impuberum conceditur patri potestas irritandi ob defectum iudicij: in votis verò seruorum datur potestas, propter præiudicium, quod ab eis irrogatur Dominis: & propterea non potest Dominus vota serui irritare, quæ in Domini præiudicium non vergunt: nimirum igitur si Dominus, cessante seruitute, non possit serui vota irritare tempore seruitutis emissa; quia cessat ratio præiudicij, vt benè aduertit *Sayr. sub d. num.* 27. Arbitror tamen, quòd seruus si sit impubes, & tempore seruitutis votum emittat, si post pubertatem non ratificet, posse illud à Domino irritari, etiam post ipsius serui manumissionem; quia tunc militat ratio non pleni iudicij. Cæterùm habentes vsum rationis, vt solent esse maiores septemnio; eo quòd in illa ætate possunt mereri, & demereri, atq; ideò peccare, cùm possint quæcunque vota emittere, siue personalia sint, siue realia, quibus obligentur, vt per *Glos. in cap. mulier,* 32. *q.* 2. quam insignem esse, & communiter receptam, testatur *Nauarr. in Man. cap.* 12. *num.* 68. & ante ipsum *Panor. in cap.* 2. *de voto, & Molfes. par.* 1. *suæ summ. tr.* 11. *cap.* 13. *num.* 11. Et donec à patre, vel in defectum à matre, vel tutore, &c. vota irritentur, iuxta ea, quæ tradita sunt ab eodem *Molfes. loco citato, cap.* 15. *nu.* 56. peccant ea non seruantes. Vndè si maior septemnio iudicio pollens votũ faciat non vesci carnibus quarta feria, si antequam à patre, matre, vel tutore, vt supra, fuerit irritatum carnibus vescatur, mortaliter peccat: siquidem ad voti obseruantiam semper tenetur, donec irritum reddatur.

23 Duodecimò peccant parentes cogentes minis, & pœnis citra rationabilem causam, filios, aut filias cùm ijs matrimonium contrahere, quos, vel quas illis præscripserint: & idem dicendum est de quibuscunque alijs: imò, & isti tales excommunicationem contrahunt, vt in *Concil. Trid. de reform. matr. sess.* 24 *cap.* 9. & quamuis *Guttier. lib.* 1. *qq. Can. cap.* 20. *Mol. tom* 1. *de instit. & iur. tract.* 2. *disp.* 176. *§. Ad secundam partem, Henriq lib.* 11. *de matr. cap* 6. *num.* 5. *in Comment. litt. G. Sanch. lib.* 4. *de matr. disp.* 22. *sub num.* 9. *Molfes. par.* 1. *suæ summ tr.* 4. *cap.* 7. *num.* 13. & alij velint, excommunicationem illam comprehendere tantùm Dominos temporales, Magistratus, & alios in foro contentioso iurisdictionem habentes, cùm de his Concilium loquatur in præfatione; atque ideò, iuxta præfationem *Conc.* dispositio intelligi debet, arg. *tex. in l. fin. ff. de hared. instit.* Et hanc sententiam communem esse testantur: nihilominus nobis probabilius videtur dicendum, excommunicationem illam esse generalem, & comprehendere omnes, & quascunque personas, etiam parentes impedientes matrimonium filiorum, vt habetur ex *Ludouic. Lopez* 1. *par. instr. cap* 44 *§. Si aliquis, & Alborn. lib.* 4. *de arte contract. tit.* 1. nã Concilium in fine loquitur generaliter de omnibus personis, vt constat ex illis verbis: *Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuscunque gradus, dignitatis, & conditionis existant.* Nota dictionem illam, *Conditionis*, quoniam refertur, tàm ad liberos, quàm seruos: viros, & mulieres cuiuscunque status, & gradus, vt adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib.* 2. *can.* 2. *q. vlt. sub num.* 4. Nec obstat *tex in d. l. fin ff. de hared. instit.* quia loquitur in dubio, & quando ex verbis dispositionis constat de voluntate disponentis: at in casu de quo agitur, benè constat, & militat eadem ratio in omnibus. Imò excommunicatio prædicta est latæ sententiæ, & non ferendæ, vt contra aliquos probat *Sanch. loc. citato sub num.* 8. Et id ob illa verba in *d. Concil.* contenta: *Sub anathematis pœna, quam ipso facto incurrant.* Siquidem excommunicatio ipso facto est latæ, non autem ferendæ sententiæ, vt nos ostendimus in dictis nostris *Commentar. lib.* 1. *cap.* 3. *q.* 1.

24 Dixi, *Cogentes minis, & pœnis, &c.* quoniam licèt nullus etsi Princeps Supremus, aut Summus Pontifex esset, possit cogere aliquos, vt inuiti matrimonium contrahant, vt latè probat *Sanch. lib.* 2. *de matr. disp.* 27. tamen vbi ad bonum cõmune expediret, posset Supremus Princeps eos præcepto ad id compellere, quamuis ipsis contrahentibus inuitis, matrimonium nullo modo consistere possit, vt habetur ex eodem *Sanch. d. disp.* 21. *num.* 1. Vndè *Molfes. loco citato, num.* 16. post *Reginald. lib.* 31. *sua prax. num.* 86 *§. Posterius est*, & alios, inquit, quòd vbi adest iusta causa matrimonium prohibendi, tũc parentes, Principes, aut alij etiam iurisdictionẽ habentes in foro externo, possunt citra vim, & metum medijs suauibus impedire filios, ac subditos, ne tale matrimonium contrahant; nisi ex iustitia matrimonium contrahere teneerentur ob promissionem, & copulam subsecutam: quoniã id non est vim inferre, sed solùm medijs permissis procurare, vt à tali matrimonio contrahendo desisterent. Quocircà solent Principes, & Iudices etiam Sæculares sequestrare puellas, easdemque ponere in aliquo tuto loco, vbi cesset omnis subuersionis suspicio, donec constet de libera voluntate puellæ volentis matrimonium contrahere: de qua constito, deindè dimittitur, & matrimonium contrahit: & ita practicari testatur *Ricc. in sua praxi matr. dec.* 247.

25 Tertiodecimò peccant parentes, & insuper excommunicationem contrahunt, cogentes filias Monasterium ingredi, vel impedientes eas Religionem intrare, aut professionem emittere sine causa. Et idem dicendum est de omnibus alijs, vt supra cogentibus, consilium, auxilium, vel fauorem dantibus, aut auctoritatem præstãtibus, vt in *Concil. Trid. de Regular. cap.* 18. ita se habente: *Anathemati Sancta Synodus subijcit omnes, & singulas personas, cuiuscunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tàm Clericos, quàm Laicos, Sæculares, vel Regulares, atq; etiam qualibet dignitate fulgentes, si quomodocũque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem inuitam, præterquam in casibus in iure expressis ad ingrediẽdum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscunque Religionis, vel ad emittendã professionem, quique consilium, auxilium, vel fauorem dederit: quique scientes non spontè ingre-*

di

di Monasterium, aut habitum suscipere aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præsentiam, vel consensum, vel [illegible] interposuerint, simili quoque anathemati subiicit eos, qui Sanctam Virginem, vel [illegible] mulierum voluntatem, vel accipiendi, vel [illegible] emittendi quocunque modo sine iusta causa impedierint, &c. Verum tamen est, quod possunt parentes filios, & filias impuberes cogere Religionem ingredi, vt in ea viuant sub regulari disciplina, donec ad pubertatem peruenerint, vt in *cap. addidistis, 20. q. 1. & cap. 1. 20. q. 2. Sanch. lib. 4. in Decal. cap. 18. num. 8.* Cum autem ad pubertaté peruenerint, in eorum erit potestate, an velint in Religione persistere, & tempore debito professionem emittere, vel non, & tunc non possunt parentes, aut eorum tutores contradicere, cum per oblationem spontaneam implicite saltem renunciauerint iuri suo, vt bené declarat *Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 11. cap. 13. num. 15. cum plurib. seq.*

26 Quartodecimò peccant parentes, & ad restitutionem tenentur, metu saltem reuerentiali, & multò magis dolo, vel fraude inducentes filium, vel filiam ad renunciandum suæ legitimæ, aut patrimonio cum iuramento, vt filia remaneat contenta dote minore legitima. Imò si sponté renuncient, nullo metu, vel dolo interueniente; si maxima appareat filiorum læsio, licet ipsi filij in foro conscientiæ teneantur stare iuramento, ac renunciationi, nihilominus in foro exteriori talis renunciatio potest reuocari: quoniam stante enormissima læsione, præsumitur dolo, ac fraude inita, vt habetur ex *Petr. Ancb. cons. 38. & in regula accessorium. de regul. iur. in 6. Dec. cons. 180. & Nauar. in Man. cap. 17. num. 152.*

27 Quintodecimò peccant parentes [illegible] sibi, vel alteri aliquid notabile á suo filio famil. ex bonis castrensibus, aut fructibus eorum cum obligatione restituendi, arg. *tex. in cap. qui abstulerit, 12. q. 2.* Idem dicendum est de bonis aduentitijs filij Clerici. Etenim bonorum aduentitiorum licet patri debeatur vsusfructus, vt in *l. cum oportet, C. de bon. quæ liber.* id tamen [illegible] sibi non vendicat in filijs Ecclesiasticis, siue bona acquisita sint ante, siue post Clericatum: quoniam Ecclesiastici non ligantur ciuilibus legibus, vt in *cap. quia nos,* & ibi, *Glossa, Innoc.* & alij, *de testam. Marta de iurisd. par. 4. casu 26.* vbi contraria soluit, & nos late de hac re egimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 2. cap. 15. q. 17. num. 3. & 4.* Quod quidem multo magis dicendum est de fructibus beneficiorum filij in minoribus constitut[i]: siquidem peccat pater si non reddat rationem administrationis filio suo Clerico per actionem negotiorum gestorum, vt habetur ex *Bart. [illegible] § [illegible] de negot. gest.* Et ita testatur *Graff. par. 1. [illegible] cap. 59. num. 22.* vidisse seruari: quoniam beneficium [illegible] habet loco peculij quasi castrensis *l. [illegible] C. de Episc. & Cler.* Et de peculio quasi castrensi, ac eius fructibus nihil acquiritur patri: [illegible] tenetur pater restituere filio, aut post [illegible] hæres eius omne id, quod ex tali beneficio [illegible] fructibus: vel ex peculio castrensi, vel quasi [illegible], vt habetur ex *Salyc. in l. filiæ [illegible] in fine, C. famil. ercisc.* Bené ve-

28 rum est, quod si pater aliquos sumptus pro huiusmodi filio fecisset in studio, vel aliàs, censetur [illegible] animo compensandi cum fructibus, vt per *Bald. in d. l. [illegible], Bart. in tract. de [illegible] fratr. [illegible] prope fin. & Graff. d. cap. 59. num. 23.* Quod si pater fructus bonorum aduentitiorum sui filij sæcularis percipiat, nullam culpam contrahit, nec ad aliquam restitutionem tenetur; quia dictorum bonorum fructus patri quæruntur, vt in *d. l. cum oportet, C. de bon. quæ liber.* Secus autem si de dictorum bonorum proprietate notabile aliquid [illegible] perceperit: vel ea administrando ita se male gesserit, vt filium notabiliter læserit; quoniam tunc peccat grauiter, & fratres hæredes post obitum patris, cum bona inter se diuiserint [illegible] tenentur, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 151. vers. Quod duodecimo octauo per tot.*

29 Sextodecimò peccant parentes excedentes [illegible] in [illegible], & ad iracundiam eos [illegible]. Non tamen peccant mortaliter, si nullum mali [illegible] desiderium, filios maledicant; quamuis eiusmodi maledicenti corruptela pessima esse dicatur, & hominum parum [illegible] propria, & peculiaris, vt inquit *Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 12. ar. 1. & Syl. in d. cap. 59. num. 24.* Vbi idem dicendum ait de parentibus verba contumeliosa in filios proferentibus cum ira; modò correctio sit principalis causa improperandi, ita vt remota dicta causa, non afficerent eos iniurijs; quoniam tunc non peccarent plusquam venialiter, vt inquit *Syl. in sum. vers. Contumelia, q. 3.* Imò licitum est parentibus citra culpam leuiter filiorum delicta corrigere & etiam eos iudici [illegible], vt in *l. 3. C. de patr. potest.* quamuis super ipsos ordinariam potestatem non habeant, vt recté declarat *Sylu. in sum. vers. [illegible] q. 3. circa fin.* Ibidem dicit de viro respectu vxoris, & de Domino respectu mercenarij, ac serui.

30 Liberorum vero, e conuerso, peccata in parentes longe grauiora. Vnde peccant in primis liberi honorem debitum parentibus non deferentes. Consistit autem honor ac reuerentia à filijs parentibus, non solum, vt salutent eos [illegible] se, & caput denudando, eisdemque [illegible], [illegible] non [illegible]; nec in æqualitate se [illegible], [illegible], iuxta ea quæ habentur in *cap. [illegible] oportet 93. d. & l. [illegible] dum, ff de [illegible] Præsid.* Et non [illegible], & in [illegible], & [illegible] seruitijs [illegible], vt in *cap. statuimus de maior. & obed.* Sed multò magis consistit honor, ac reuerentia, quæ debetur parentibus in [illegible] necessaria pro alimentis, [illegible], & alijs eiusmodi: [illegible] honorare idem est, quod liberalitate prosequi, iuxta illud *Prouerb. Honora Dominum de tua substantia.* Et Dominus *Matt. cap. 15.* Pharisæis dicentibus: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum: non enim lauant manus [illegible].* Falsam calumniam [illegible] respondet dicens: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. Nam dixit Deus: Honora patrem, & matrem, & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, aut matri, munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suum, aut ma-*

trem

trem suam. Vndè *D. Hieron. in d. locum Matt.* meritò ait, illud dictum Domini debere intelligi de honore, non tantum in salutationibus, &c. quantum in eleemosynis, ac munerum oblationibus: & ita honorari patrem, & matrem, inquit, præcepisse Deum.

31 Et quamuis præceptum honorandi parentes sit affirmatiuum, ut constat ex præceptis Decal. ibi: *Habeas in honore parentes:* & propterea non obligat semper ad semper, sed solùm suis loco, & tempore, sicut omnia alia præcepta affirmatiua; hoc tamen præceptum includit etiam negatiuum, excludens omnem iniuriam, odium, & malum. Vndè *Deut. cap. 21.* sicut etiã *Matt. cap. 15.* legitur: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* & *Deut. cap. 27. Maledictus, qui non honorat patrem suum, & matrẽ suam, & dicet omnis populus, amen. Ecclesiast.* quoq; *cap. 3. Quàm malæ famæ est, qui derelinquit patrem, & maledictus à Deo, qui exasperat matrem.* E conuerso uerò multa bona promittuntur honorantibus parentes, ut habetur in *d. cap. 3. Eccl.* ita inter alia se habente: *Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore. In opere, & sermone, & in omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio illius in nouissimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta. Gloria enim hominis ex honore patris sui. Fili suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam dà, & ne spernas eum in virtute tua: eleemosyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies soluentur peccata tua.*

32 Peccant igitur liberi non tantùm parentes honore debito non prosequentes; sed multò magis si iniurijs eos afficiant, impias manus in eosdem iniiciant, vitæ insidientur, aut si ipsis etiam absentibus detrahant. Quæ quidem peccata sunt grauissima, & dicuntur impietatis, vt habetur ex *Caiet. in sum. in ver. Filij peccata:* quod quidem verum est, etiam si leuis fiat percussio, aut manus eleuatio ad percutiendum, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 14. sub num. 12. vers. Quintò peccat filius:* & *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. num. 2.* vbi probat, quod eiusmodi crimen non solùm iure Diuino est grauissimum, vt sup. ostendimus; verùm etiam Ethnici lumine tantũ naturali ducti hoc scelus in tantum exhorruerunt, vt nullam pœnam condignam tanto sceleri parricidio excogitare potuerint. Vndè *in l. pen. ff. de paric. & in l. 1. C. eod.* parricida virgis primò cæsus, deinde sutus culeo, cum cane, gallo, vipera, & simia, viuus in mari proijcitur. Adeò Naturæ legi aduersatur huiusmodi crimen, & apud Deum est execrabile, vt parricidæ quàm plures Dei permissu proprijs manibus mortem sibi intulerint, vt legitur de Nerone: de Absalone, qui dum proprium patrem insequeretur *2. Reg. cap. 18.* sua propria coma in quercu suspensus occiditur. Eurip. & Seneca, Orestem matricidam ob criminis immanitatè furijs agitatum referunt. Imò ob solas iniurias graues ci-

33 tra verbera potest pater donationem filio factã reuocare, vt declarat *Glosa in l. fin. C. de reuoc. donat.* & quandoq; etiam eum exhæredare, vt *in § aliud quoq; capitulum, in Auth. Vt cum de appell. cogn.* Idem dicendum de filio parentes accusante de crimine quantumuis vero. Etenim prohibitum est filio agere, vel testimonium dicere aduersus parentes in ciuili, aut criminali foro: exceptis alimentorum causa, aut in crimine hæresis, & læsæ Maiestatis, in quibus quamuis agere possit contra parentes; non tamen potest compelli, excepto crimine hæresis, & vbi pater esset hæresis disseminator, & alios inficeret: vel si crimen læsæ Maiestatis non esset adhùc subsecutum; quoniam his casibus tenetur filius, bonum commune Reip. bono priuato Parẽtum præferre. Ita *Nauar. in Man. cap. 14. num. 12. vers. Septimò. Tol. lib. 5. suæ sum. cap. 1. Rodriq. par. 1. suæ sum. cap. 14. concl. 5. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 56. num. 7. & 8. & Sayr. loco cit. num. 5.* cum alijs, quos allegat.

34 Peccant prætereà liberi contra Diuinũ præceptum habendi in honore parentes, non solùm si eos non diligant; sed etiam si eos diligant, & amoris signa non ostendant; & multò magis si illos toruo intueantur oculo, aut asperè alloquantur: quoniam tenemur parentes diligere, & reuereri non solùm corde; verùm etiam signis, & operibus. Nec id contrarium est Euangelio *Luca, cap. 14.* dum ait Dominus: *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, &c. non potest meus esse discipulus.* nam idem Dominus *Matt. cap. 10.* se declarat dicens: *Qui amat patrem, vel matrem plusquam me, non est me dignus.* Et proptereà vult Deus, vt diligamus parentes; non tamen plus, nec tantùm sicut eum, vt benè declarat *Nauar. in Man. cap. 14. num. 4. & 11. ver. Secundò filius:* & ante ipsum *Syl. in sum. ver. Filij, q. 22. Tab. eod. ver. § 16.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. num. 8.* Imò peccant filij contra Diuinum præceptum non solùm si parentibus debitum honorem non deferant; verùm etiam si dedecori, ac contumeliæ tribuunt pro filijs illorum haberi: tenetur enim filius parẽtes venerari, & sibi præponere, etiam si Episcopus esset, cùm id etiam S. Pontifex ageret, vt per *Bald. in l. Prætor ait, in fine, ff. de inius. voc.* & *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 56. num. 13.* Quod verum est vbi concurrit parentum contemptus; aliàs secus: nempè si id agant ad euitandum incommodum aliquod sinistræ opinionis, aut ob aliam iustam causam; maximè si parentes in eo tacitè, vel expressè cõsentiant ad effugiendum, & cum incommodum, quod ex incommodo filij eius proueniret, vt habetur ex eodem *Nauar. in Man. cap. 14. sub nu. 12. vers. Octauò filius,* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. num. 4.*

35 Peccant rursus grauiter, & contra præfatum Diuinum præceptum liberi parentibus maledicentes, iuxta illud, quod sup. retulimus: *Qui maledixerit patri, &c.* Est tamen verum, quòd id locum sibi uendicat, vbi filii ex animo maledicunt parentibus viuis, aut defunctis: secùs autẽ si ore tantùm; quoniam tunc non peccant plusquam venialitèr, vt habetur ex *Alex. 3. p. de 4. precep. & Nauar. loco cit. vers. Sextò filius.*

36 Peccant pariter contra idem præceptum liberi,

ri, peccato impietatis, ac grauissimè, si Parētibus alimentis indigentibus necessaria non subministrant secundum proprium statum, ac possibilitatem. Idem dicendum est quoad omnes necessitates corporales, vt si infirmi sint, eorum curationi non intendant: si mentecapti, eos non custodiant: si carcerati, aut captiui, eorundem liberationem, aut redemptionem non procurent. Imò tenentur liberi ministrare parentibus fercula meliora, & honorabiliora, quàm sibi ipsis; & id de propriis facultatibus si suppetant: aut de labore proprio si non sint sufficientes. Ita *Richar. 3. d. 37 q. 3 ar. 1.* & ante ipsum *D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 2. D. Anton. p. 4 tit. 5. c. 9. §. 1. Eman. Rodriq par. 1. sua sum. cap. 14. cōcl. 6. Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 1. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 56. num. 22. Sayr. lib. 7. Clauis Reg cap. 5. num. 15.* cum alijs, quos allegat, & *Molfes. par. 1. sua sum tr. 11. cap. 18 num 63.* Est enim id debitum parentibus à liberis, non solùm Diuino, sed etiā naturali iure, quo docemur, vt benefacienti benefaciamus, iuxta illud Eccl. cap. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris sua non obliuiscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & tribue illis quomodo & illi tibi.* Hinc ait *D. Ambr. in cap 18. Luca: Si paueris matrē, non reddidisti ei cruciatus, quos pro te passa est, non obsequia, quibus te gestauit, non alimenta, qua tibi tribuit vero pietatis affectu, immulgens labijs vbera, non famem, quam pro te ipsa tolerauit, ne quid quod tibi noxium esset, comederet, ne quid quod lacti noceret hauriret, tibi illa ieiunauit, tibi manducauit, tibi illa cibum, quem voluit accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilias, tibi fleuit, & ita illam agere patieris? illi debes, quod habes, cui debes quod es.*

37 Quæ diximus de alimentis corporalibus, parentibus à liberis debitis, multò magis dicenda sunt de alimentis, ac bonis spiritualibus. Peccāt enim grauissimè filii si videant Parentes grauiter ægrotare, & non procurent ab eis suscipienda Sacramenta pœnitentiæ, Sanctissimę Eucharistiæ, Extremæ vnctionis, & alia eiusmodi ad salutem animæ necessaria, ac vtilia. Imò non solùm liberi tenentur parentibus viuis honorem præstare; sed etiam mortuis, curantes eis exequias iuxta decentiam status pro eis fieri: sacrificia, & anniuersaria celebrari: eleemosynas pro eisdem elargiri, & alia eiusmodi, vt habetur ex *eod. Sayro loc. cit. num. 14. & 17. vers. Denique.*

38 Peccant insuper filii non dotantes matrem iuuenem, & dote carentem, si velit transire ad secundas nuptias. Etenim ad id tenentur filii: quoniam filii honor est, consulere pudicitiæ matris, vt probat *Boer. decis. 129. in fine,* cum alijs, de quibus *Menoch. cons. 1078. nu. 9 & seq. vol. 11. & Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 16. num. 36.*

39 Hęc autem omnia, quæ hucusq; de obligatione liberorum erga parentes diximus, limitantur primò quoad alimenta pręstanda à filijs parentibus, vt non procedant, ubi parentes uitium ingratitudinis in filios: siquidem hoc casu possunt denegare illis alimenta; ut si parentes filios de capitali crimine accusauerint, excepto crimine lęsę Maiestatis, & hęresis, iuxta ea, quę sup. diximus: si eorum vitę insidiauerint: si testati de bonis castrensibus, uel quasi, & de alijs, de quibus testari à iure eis permittitur: si filios ipsos furiosos non custodierint, aut aluerint: si eosdem non redemerint: si cum nuru, uel concubinis filiorum se immiscuerint: si in hęresim inciderint: & deniq; si ueneno maritus uitę uxoris, uel uxor uitæ uiri insidiauerit; nam potest filius insidiantem exhæredare, eidemq; alimenta denegare; atq; ideò in omnibus casibus, in quibus filii possunt exhæredare parentes, possunt illis alimenta, & dotem vt sup. denegare, vt habetur ex *Reginal. lib. 20. sua praxis, num. 7.* & ex alijs apud *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 18. num. 64.*

40 Est tamen uerum, quod prædictę ingratitudinis causę remitti possunt, & si non remittantur, priuatio intelligitur quoad hereditatem legitimā, & alimenta ordinaria; non autem pro alimentis necessarijs ad substētationem vitæ, vt rectè probat *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. cap 2. nu. 182.* Secundò prædicta limitanda sunt, quandò parentes alimentis indigent, & mater dote; aliàs si possent suo artificio, vel aliunde alimenta sibi quærere, ad ea non tenerentur filij. Etenim obligatio de subministrandis alimentis parentibus, est subsidiaria, nempè quando parentes aliunde alimenta non habent, vel non habent artem aliquam, uel officium, quod absq; dedecore status possint exercere, vt per *Nauar. in Man cap. 14. num. 13. Reginal. loco cit. num. 10. & Molfes. d. cap 18. num. 65.* cum alijs, quos allegat. Deniq; quæ supra diximus limitantur, nisi filij subministrando alimenta parentibus, qui non haberent necessaria pro alimentis: siquidem vnusquisque magis sibi, quàm alijs tenetur, & omnis ordinata charitas incipit à seipso, vt latè probat *Molfes. tomo 1. ad Consuet. Neap. par. 5. quæst. 13. & in d. cap. 18. num. 66.*

41 Sed iuxtà hæc quæritur, an si filius alimenta habeat necessaria pro alimentandis se, & filiis dumtaxat, an teneatur alimenta præstare parentibus. Et quid dicendum si uxorem habeat; aut filia maritum, & filios, ac patrem indigentes. In hac re distingunt Doctores, quòd aut pater reperitur in extrema necessitate alimentorum pro conseruatione proprii indiuidui: & tunc pater omnibus præferendus est quantumuis extremè indigentibus, tam quoad tēporalia, quàm quoad spiritualia: siquidem ad ea quæ pertinent ad ipsum esse absolutè pro eiusdem conseruatione, summa est obligatio filii erga parentes, cùm filij à parentibus habeant esse, & non ab alijs. Vndè *Philos. 9. Ethic. cap 2.* inquit: *Filiū honestius subuenire patri proprio, quàm si etiā ipsi.* Quòd si parentes non indigeant extremè pro conseruatione indiuidui; sed tantùm pro conseruatione status; tunc filius tenetur potius succurrere proprijs filijs, quàm parentibus, vt sup. indigentibus: & ità intelligendi sunt *D. Thom.* & in eū *Bann. 22. q. 26. ar. 9. ad 3. & q. 31. ar. 3. ad 4. Valen. tomo 3. disp 3 q 4. pun. 5. Angel. in sum. ver. Filius num. 25. Syl. eod. ver. q 22. Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 1. Sayr. lib. 7. Clauis Regia, cap. 5. num. 16. & Molfes.* post alios locis sup cit. siquidem in pari necessitate non extrema pater non ualens proprio filio, & parentibus subuenire, tenetur proprio filio potius succurrere, quàm parentibus, iuxtà illud *Apost. 2. Corinth. 12. Nō debent filij thesaurizare parentibus; sed parentes filijs.* Amor enim naturaliter descendit, non autem ascendit; atque ideò iure naturali tenetur

pater alere filios, vt in §. *ius naturale, in instit. de iur. nat. gent. & ciuili*: quod ius magis ligat, quàm ciuile, quo iure filius tenetur alimenta præstare parentibus. Præterea coniungitur pater filio suo per respectum ad illum, sicut causa ad effectum: pertinet autem ad causam, & ad principium, vt effectui suo bonum influat, illúque perficiat. Confirmatur, quia pater filio coniungitur tanquam parti suæ; quoniam filius est, pars patris: imò eadem persona cum patre, *l. fin. C. de impub. & alijs substit. §. ei vero, in inst. de inutil. stipul.*

42 Quòd si filius filios non habeat; sed patrem, & matrem in æquali necessitate constitutos, & non potest nisi eorum alimenta præstare, tunc secundum iuris rigorem patri potius quàm matri tenetur subuenire, à quo habet esse; & eadem ratione patri potius quàm Auo; quoniam iura vocant patrem ad successionem filij, excluso Auo, vt in *auth. defuncto, C. ad Tertull.* Ità *D. Thom. loco citato*, quam sententiam communē esse testatur *Molfes. d. cap. 18. num 67.* Dixi, *Secundum iuris rigorem*; quia secundum æquitatem, & honestatem ratione sexus ad euitandum dedecus, & peccatum aliquod, ait ipse *Molfes.* subueniendum esse potius matri. Imò si mater sit multum vtilis, & honesta, & pater vitiosus, & inutilis, etiam de iuris rigore matri potiùs, quàm patri subueniendum esse, inquit *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 5 sub num. 17.* Si autem filius

43 vxorem habeat, patrem, vel matrem, in pari necessitate tenetur filius patri potiùs, vel matri alimenta tribuere, quàm vxori; quia licèt vir, & vxor sint duo in carne vna; id tamen verum est ex iuris fictione, quoad mutuam corporum traditionem, & cohabitationem: & propterea eadē ratione, è conuerso, vxor patri potius, vel matri, quàm viro obligatur subuenire, vt per eundem *Molfes.* ibi, post alios, *num. 69. cum plur. seq.* quę quidem locum sibi vendicant in casu necessitatis extremæ, iuxta ea, quæ supra diximus: nam extra dictum casum filius regulariter magis tenetur filijs, & vxori alimenta præstare, quàm parentibus: quoniam ei commissa est gubernatio vxoris, ac filiorum, eorumque educatio. Vndè in foro exteriori dum filij condemnantur ad alendos parentes, semper habetur ratio vxoris, ut deductis alimentis filij, & uxoris suæ, ac etiā filiorum, teneantur posteà parentibus alimenta tribuere, ut habetur ex *Sanch lib. 9 de matrim. disp. 4. nu. 26.* & benè post alios declarat *Molfes. in suis Commentar. ad Consuetud. Neapol. tom. 1. par 5. q. 11. num. 55. & in d. cap. 18 sua summ. num. 70. & 72.* Est tamen uerum, quòd *Sayr. lib. 7 Clauis Reg. cap. 5. num. 16. in fine*, ex *Rodriq par. 1. sua sum. cap 14. concl 9.* & ex alijs, quos sequitur *Molfes. d q. 11. & cap. 18. num. 73.* quòd propter affectionem uiri erga uxorem, & parentis erga filios, si supradictus ordo non seruetur, etiam in casu extremæ necessitatis, atque ideò filius uxori magis, & filijs alimenta præstaret potius quàm parentibus, lethalem culpam non contraheret: Sed prior sententia nobis uidetur probabilior; quia his casibus, urgente extrema necessitate, attendi debet magis obligatio filij erga parentes, à quibus habuit esse, cùm sit ex iustitia; quàm amor patris erga filios, qui prouenit ex naturali propensione.

44 Peccant similiter liberi Religionem ingredientes, parentibus in extrema necessitate constitutis, quibus alio modo succurri non posset, nisi per ipsorum filiorum permanentiam in sæculo. Id enim est contra pietatem, ac Dei præceptum, ac contra ius naturale, quibus obligamus parentes alere, iuxta ea, quæ supra diximus, & latè probat *Sanch. lib. 4. sua summ. cap. 20.* Idem dicendum est de habentibus sorores pauperes: peccant enim si Religionem ingrediantur: quoniam frater tenetur dotare sororem pauperem, & alimenta eidem ministrare, cùm dos succedat loco alimentorum, si aliundè dotem, vel alimenta non habeat, vt per *Glos. in l. cùm plures, §. cùm tutor. ff. de administrat. tut. Bart. in l. qui filium, ff. vbi pupill. educ. deb Cyn. & Salyc. in l. non omni, C. de administr. tut. Afflict. decis. 371. num. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Boer. decis. 129. num 7.* vbi etiam *num. 8. & 9.* id ampliat, etiam si frater esset Clericus, & soror vterina tantùm, & non haberet nisi redditus suæ Ecclesiæ; nàm de tali reddituu teneretur per *tex. in cap 1. de cohab. Cler. & mulier.* Vndè *Cord. q 141.* qui vna cum *Azor. par. 1. instit. moral. lib. 12 cap. 1. q. 8.* supradictam opinionem tuētur, testatur se vidisse dispensationes à Sum. Pontifice concessas professis exeundi à Religione, vt ualeant subuenire graui sororum necessitati: quamuis *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 13. num 49.* dicat scire, Clem. VIII. S. M. noluisse concedere facultatem hanc cuidam Religioso Professo, ut sub Clericali habitu Religionem egressus permaneret in sæculo ad subueniendū sororibus. Et id non immeritò; quoniam non ita urget præceptum subueniendi sororibus; sicut parentibus: quapropter *Sanch d. cap. 20.* putat, posse fratrem non solùm non egredi; sed etiam ingredi Religionem, non obstante sororum indigentia.

45 Sed quicquid sit de hac opinione, in ordinationibus recipiendorum Nouitiorum in nonnullis Religionibus habetur, ut non recipiantur Nouitij habentes sorores pauperes; sed differri præcipitur eorum ingressus, ne sorores pudicitiæ detrimentum patiantur. Quocircà magna prudentia circa rem hanc procedēdum est; quoniam si eiusmodi Nouitij recipiantur cum tanto prouentu, seu sororum dispendio, si professionem emittant, tenet eorum professio; sed Monasterij Superior obligatur parentum, ac sororum necessitatibus consulere: & in defectum omnis remedij, potest Superior eiusmodi professis facultatem tribuere, ut ad tempus maneant extra Religionem, habitu tamen retento, ad illis subueniendum si sint habiles. Quòd si habitu dimisso, uelint ex dicta causa è Religione egredi, id non possunt citra dispensationem Rom. Pontificis. Et quod diximus de filijs erga parentes, idem, & multò magis est dicendum de parentibus erga filios; dummodò habiles sint ad illis subueniendum: nec distinguitur, an habiles fuerint ante, uel post ingressum, ut optimè declarat *Molfes* post alios *par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 13. à num. 45 ad 51. & cap. 18. num. 61. & 62.* ubi hæc omnia intelligenda esse ait cum communi, ubi agitur de extrema, uel quasi extrema necessitate parentum: & filij probabiliter in sæculo possent eis subuenire. Est tamen uerum, quòd ne-

uolentes per Religionis ingressum perfectiorem statum mutare, non debent de facili parentum clamores exaudire, paupertatem, aut egestatem simulantium; uel se morituros, uel in amentiam peruenturos comminantium: quoniam, ut ait *D.Hieronym.in Epist.ad Eliodorum, Summum genus pietatis est, in hac re esse crudelem.*

46 Peccant vlterius liberi si citra consensum, ac voluntatem parentum vxorem ducentes indignam notabiliter respectu eorum conditionis, ac status: quoniam citra familiæ obnubilationẽ eiusmodi matrimonia contrahere non possunt: imò ob hanc rem possunt à patre exhæredari, iuxta ea, quæ habentur in §. *aliud quoque Capitulum, in auth. vt cùm de appell. cogn.* latè *Sanch. lib.4. de matrim. disp.24. & Molfes. par.1. sua summ. tr.4. cap.7. num. 19.* Verumtamen est, quòd circa exhæredationem filiorum nubentiũ indignis citra consensum parentum, vim habet in fœminis, tribus conditionibus concurrentibus, quarum prima est, quando parentes volunt filiam matrimonio collocare, & dotem ei secundum vires suæ substantiæ tribuere: Secunda, vt filia illi matrimonio repugnet, & simul vitam luxuriosam eligat: & tertia, vt sit minor viginti quinque annis, vt colligitur ex *d. §. aliud quoque capitulum*: aliàs non potest exhæredari filia, quę sine consensu parentum, & ipsis inuitis nupserit; quoniam imputatur patri, qui filiam nuptui tradere distulit post 25. suæ ætatis annum, si luxuriosam vitam elegerit, vt habetur in supra relato §. *in fine*, & per *Glos. in cap. quintaualls, vers. exhæredare, de iureiur. Host. in cap.2.* paulò post princ. vbi etiam *Ioan. Andr num.8. Anton. de Butr num.4. Card. num.2. Panor. num.5. & Alex de Neuo, nu.9. de despons. impub. Anton Gabr. tom 1. comm. opin. lib 5. vers. Exhæredatio, Mol. tom.2 de iust. & iur. tr.2. disp.176.* & alios, quos refert, & sequitur *Sanch. loco citato num.3.* vbi *num.6.* id ampliat, satis non esse ad filiæ exhæredationem, si semel, aut bis copiam sui corporis fecerit; quia *d. §. aliud quoque capitulum exigit*, quòd filia luxuriosam degere vitam elegerit. Imò *num.7. vers. Mater, & num.8.* similiter inquit, matrem meretricem non posse filiam exhæredare ex eo, quòd luxuriosam vitã degere elegerit, vt in *l. in arenam, C. de inoffic. testam.* vbi *Bart. Bald.* & alij; nisi appareat eã correctam tempore exhæredationis: aliàs iniusta esset mater turpitudinem in se ipsa admittẽs, improbans in filia, & ob id exhæredans.

47 Non tamen idem dicendum est de patre, luxuriosè viuente, qui filiam minorem 25. annis, luxuriosam vitam agentem exhæredauit: siquidem vita luxuriosa quoad infamiam, & damna inde secuta, non ita vituperatur in viris, sicut in fœminis, vt latè habetur ex *Tiraq. l. 1. connub. num.45. & Mol. loco citato*, cùm alijs relatis ex eodem *Sanch d. disp.24. sub num.7.* Benè verum est, quòd filia quamuis maior 25. annis, si cum mancipio, inuitis parentibus contrahit, potest à parentibus exhæredari, vt colligitur ex eodem §. *aliud quoque capitulum, in fine, & in auth. Sed si potest, C. de inoffic. testam.* à contrario sẽsu in illis verbis: *Sed si post 25. annos, &c. fine consensu tuo (libere tamen) copulauerit, eam exhæderare non potes.* Cæterum filius quamuis renitentibus parentibus, matrimonium contrahat, luxuriosèque viuat; non tamen ob id exhæredari potest; quoniam *tex. in d. §. aliud quoque capitulum* de sola filia loquitur, & in odiosis facienda est strictè interpretatio, *cap. odia, de regul. iur. in 6. cap. pœna, de pœn. d. 1.* eò magis; quoniam in fœmina delictum est grauius. Prò matrimonio verò clandestinè contracto à filijs, an, & quando exhæredari à parentibus possint, latè habetur ex eodem *Sanch lib.3. de matr. disp 47.*

48 Peccant item liberi matrimonium contrahẽtes, inuitis parentibus, quando ducunt quidem vxorẽ dignam, sed ob id cessat parentibus, ac familiæ magnum commodum, seu emolumentum vt si filius ex eo, quòd non duxit in vxorem puellam designatam à patre, cessauit ipsi patri liberatio à magno ære alieno, quo grauatur: siquidẽ tenetur filius ex virtute pietatis parentum necessitati consulere; atque ideò dum parentes indigent tali matrimonio, tenetur filius parentum voluntati obtemperare, ut habetur ex *Cald. in cap. 1. de despons. impub.* latè *Sanch. lib.4 de matrim. disp.23. num.4.* post *D.Thom.* & quamplures alios Doctores ab eo relatos, & *Molfes. par.1. sua sum. tr.4. num.20.* vbi etiam *num. 21.* ex eodem *Sanch. loco citato, num.5.* id adeò verum esse inquit, vt filius in prædictis casibus non posset Religionem ingredi. Idem dicendum est de filio ducente vxorem, inuitis parentibus, reiecta illa, quam parentes ante pubertatem sibi dispensauerant, citra legitimam, ac rationabilem causam: siquidem eo casu peccat filius, cùm spernere censeatur patris consilium, iuxtà ea, quę habentur ex *Sayro, lib.7 Clauis Reg. cap.5. nu. 12. & 13. Reginal. lib.20. sua prax num 18. & seq. Sanch d. disp.23. à num.9. vsque ad 11. & Molfes par.1. sua sum. tr.11. cap.18. num.57.*

49 Cæterum, exceptis supradictis casibus, numquam filij peccant mortaliter contrahentes matrimonium citra parentum placitum, atque consensum; dummodò consilium saltem à parentibus petant, ad euitanda nonnulla mala, & incõmoda, quæ inde prouenire solent; quamuis illud sequi non teneantur, vt inquit *Sanch. loco citato, nu.10. & Molfes. d. tr.4. cap.7. nu.22.* vbi etiam *num.23.* addit, quòd si nulla causa esset non petendi consilium prædictum; tunc filius nullam culpam contraheret vxorem ducendo contra parentum placitum. Etenim homo cùm per matrimonium perpetuæ seruituti obligetur, recta ratio suadet, vt in illo contrahendo omninò liber exstat. Vndè meritò *Conc. Trid. sess.24. de reform matrim cap 1.* docet, valere matrimonium contractum per filios familias absque parentum consensu, non obstante dispositione iuris ciuilis, & contrarium sentientes damnat his verbis: *Et proindè iure damnandi sunt illi, vt eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, & rata esse negant; quique falsò affirmant, matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Quocircà vt filij familias se conforment dispositioni, & voluntati S. Rom. Ecclesiæ, optimum consilium est, si matrimoniũ nunquam contrahant citra parentum placitum, ac consensum; nisi iusta, ac rationabilis causa subsistat illis non obtemperandi. Vt si à parenti-

bus asperè tractentur: si non curent eos matrimonio copulare, & elapsum sit tempus: vel quia partiales sint, irrationabiliter alijs filijs fauentes: aut quoniam sponsus, vel sponsa quem, aut quā pater proposuit, sint deformes, inquieti, infirmi, &c. vt habetur per *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 5. num. 13. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 7. num. 23. & 24.*

50 Peccant liberi quoque habentes bona à parentibus ad certos vsus, & expendentes eadem ad alios vsus, nempè ad ludos, conuiuia, meretrices, &c. & insuper efficiuntur restitutioni obnoxij, si aliundè bona propria habeant: vel in suam portionem tenentur excomputare, vt post alios inquit *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 11. cap. 21. num. 78.* Est tamen verum, quòd si filius modicum quid de dictis bonis mulieribus elargiatur, aut in ludos, & conuiuia consumat, non est eius pater adeò austerus præsumendus, vt modicum illud à filio donatum nolit ratum habere: etenim quamuis pater in peccatum filij non consentiat; nihilominus benè sciunt parentes eiusmodi modica filios solitos esse consumere in ludos, conuiuia, &c. vt habetur ex *Ludouico Lopez par. 2. instr. consc. cap. 23. & Sayr. lib. 9. Clauis Reg. cap. 16. sub num. 13. circa fin.* Et multò magis peccant liberi auferentes aliquod notabile à parentibus contra expressam, vel præsumptam eorum voluntatem: nam tunc dicuntur auferre rem alienam, inuito Domino: quoniam licèt filius dicatur quasi Dominus in vita patris; id tamen verum est quoad futuram hæreditatem, quā expectat; non autem vt rerum patris dominium, & administrationem habeat: & ob id debetur legitima filio post patris obitum, & non antea. Vndè meritò in supradicto casu filij furtum committunt, cùm furis definitio eis competat, vt habetur ex *Soto lib. 5. de iustit. & iure. q. 3. ar. 1. Salon. 22. q. 66. ar. 5. & Petr. de Arag. ibidem, ad 2. D. Anton. par. 2. tit. 4. cap. 15. §. 1. Nauar. in Man. cap. 17 num. 156. Petr. Nauar. lib. 3 de restit. cap. 1. par. 2. dub. 2 num. 67. Lopez par. 2. instr. consc. cap. 23. Sayro lib. 9 Thes. cap. 16. num. 13. Molfes. par. 1. sua sum. tract. 11. cap. 18. num. 95.* & alijs. Benè verum est, quòd filijfamilias

51 auferendo, uel consumendo bona parentum, multoties excusantur à furto: quando scilicet illam quantitatem expendunt, quam rationabilitèr putant parentes rogatos de facili eis concessuros: siquidem acceptio quantitatis eiusmodi non est contra parentum uoluntatem secundùm ipsius substantiam; sed tantùm modus accipiendi, ut rectè docet *Caiet. in sum. ver. Furtum*, & alij apud *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 21. num. 76.* vbi etiam *num. 77.* ex supradictorum Doctorum placito, inquit satis maiorem quantitatem ad constituendum furtum in filijsfamilias, quàm in extraneis: nec quemlibet excessum satis esse ad mortalem culpam contrahendam; sed excessum notabilem.

52 Imò filijsfamilias si aliquid de peculio castrēsi, vel quasi castrensi, aut de acquisitis ex ipsis expendant, vel consument, non solùm inscijs; sed etiam inuitis parentibus, furtum aliquod committere non censentur: quoniam huiusmodi bona pleno iure quoad dominium, & fructus pertinent ad filios, & de illis disponere possunt tam inter viuos, quàm in morte, vt in *l. miles*, & ibi *DD. ff. de castr. pecul. l. cum oportet, in prin. C. de bon. quæ lib. auth. presbyteros. 1. C. de Episc. & Cler. & l. fin. C. de inoffic. testam.* Sunt autem bona castrensia, quæ requiruntur à filijs militibus, vt in *d. l. miles*: & quasi castrensia, quæ filijsfamilias obueniunt ex aduocatione, vel aliqua ex septem artibus liberalibus, *l. aduocati, C. de aduocat. diuers. iud.* Idem dicendum est de bonis, quæ acquiruntur ex officio publico, vel donantur à Rege, vel Regina, *l. cum multa, C. de bon. quæ liber.* latè *Sayr. lib. 9. Clauis Regia, cap. 16. sub num. 16.* Quæ quidem intelligenda sunt vbi filij sint puberes; aliàs de peculio castrensi, vel quasi testari non possent, nec inter viuos disponere, vt in *l. fin. C. de milit. testam. §. pupillus, in Inst. de inut. stipul. & Sayr. loc. cit. num. 15. vers. Quod autem.* De peculio verò aduentitio, quod filio prouenit ex artificio, vel prospera fortuna, cùm quærantur de eo fructus patri, vt in *d. l. cum oportet*, citra culpam filij nō possunt disponere, nisi is, qui rem filio donauit, eam conditionem apposuit, ne patri quæratur vsusfructus: quorum tunc cùm illius rei fructus ad patrem non pertineant, non peccat filius eam accipiendo, *l. vlt. §. fin verò pater, C. de bon. quæ liber. Nauar. in Man. cap. 17. num. 143. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. par. 2. dub. 3. num. 70. Mol. tomo 1. de Iust. & iure, tr. 2. disp 8. & disp. 232 & Sayr. lib. 9 Clauis Reg. cap. 16. sub num 17 vers Sic Doctores.* De peculio denique profectitio, quod proficiscitur ex bonis patris, idem dicendum est, cùm in totum quæratur patri; atq; ideò furtum committit filius ex eo aliquid accipiens, nisi peculium illud proueniat ex bonis paternis datum filio pro ordinibus sacris suscipiendis in titulum beneficij: aut datum filio contemplatione matrimonij; vel filiæ in dotem: siquidem de eiusmodi peculio, & eius fructibus possunt disponere filij, cùm ad eos pertineant, vt benè declarat idem *Sayr. loc. cit. sub num. 18.*

53 Peccant item liberi debitam obedientiam non deferentes eorum parentibus in ijs, quæ pertinēt ad bonum regimen domus, vel familiæ, & rei familiaris administrationem, aut ad bonos mores, & salutem animæ; in vitandis scilicet perniciosis amicitijs, & alijs eiusmodi. In his enim omnibus filius subijcitur patris imperio, vt habetur ex *Syl. ver. Filius, q. 22 Caiet. in sum. eod. ver Petr. de Arag. 22. q. 62. ar. 3. dub. 1. ad 2. Nauar. in Man. cap. 14. num. 12. vers. Tertiò: Rodriq. par. 1. sua sum. cap. 14. concl 1. Tol. lib. 5. sua sum. cap. Sayro lib. 7. Clauis Regia, cap. 5. sub nu. 9. Reginald. lib. 20. sua prax. num. 16. Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 18. num. 56.* & alij. Imò filij tenentur obedire parentibus quoad omnia, iuxtà mandata in rebus grauioribus, & quæ sunt alicuius momenti, iuxtà illud *Apost ad Ephes. cap 6. & ad Colos. cap. 3. Filij obedite parentibus per omnia: Filij obedite parentibus vestris in Domino.* Est tamen verum, quòd filij parentum præceptum transgredientes, quandoq; grauiter: & aliquando leuiter peccant, vt si materia sit magna, vel parua: recusent obedire ex contemptu, vel ex sēsualitate, vt benè declarat *Sayr. d. num. 9. & 10. & Molfes. loco cit. & num. 94.*

54 Peccant non leuiter liberi videntes eorum parentes malis moribus esse affectos, & contemnentes eos corrigere, si eorum emendationem

ex

ex tali correctione probabiliter sperent: id enim pertinet ad obseruantiam, quam tenentur erga parentes: Debent tamen circa rem hanc filij erga parétes prudenter, ac reuerentissimè se habere, eosdemq; orationibus præsertim adiuuare, optimumq; consilium esset eius Confessarium adire, vt ad uiam salutis reducat, vt post alios ait *Reginald. lib.20. sua prax. num. 9. & Molfes. par.1 sua sum.tr.11.cap.18 num.55.*

55 Peccant liberi, & hæredes vsurariorum, si vsuras per parentes extortas, aut res alias iniustè acquisitas non restituant. Etenim actiones transeũt ad hæredes, & contra hæredes: & hæres adeundo hæreditatem dicitur quasi contrahere cum creditoribus defuncti, §.*unico, in Inst. de oblig.* quæ ex contractu nascũtur. Non tamen tenentur restituere vltra uires hæreditarias, *cap. tua nos, cap. Michael, de vsur. Couar. lib.3. var. resol. cap.3. num 7. Mol. de contr. disp. 332. Reginald. lib.10. sua sum. num. 397.* cum alijs, quos allegat. Quod locum sibi vendicat, nisi filij non solùm succedant in bonis vsurarij; sed etiam in crimine usurarum; quoniam tunc tenetẽtur singuli insolidum; prout tenentur singuli participantium in iniusta acceptione, vt rectè declarat *Molfes. par.2. sua sum. tr.12 cap.23. num.108. cum plur seq.* vbi etiam *num. 122. 123. 124. & 125. & seq.* quando filij, vxor, & famuli vsurariorum, excusantur à restitutione vsurarum.

56 Peccant etiam liberi si propter negligentiam, vel auaritiam, vltra quàm par est differant debita parentum defunctorum soluere, eorundemq; legata adimplere, ac satisfacere: siquidem hæres, vt sup. diximus, adeundo hæreditatem censetur quasi contrahere cum creditoribus defuncti. Est tamen verum, quòd si per modicum tempus satisfactionem differant, ea intentione, vt rebus defuncti melius venditis, ampliores eleemosynas dare possint, non peccant, vt inquit *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap 5 sub num. 14 in vers. Tertiò peccant.* Imò possent aliquando diutius satisfactionem differre ad euitã dum magnum aliquod damnum. Debetur tamen debitoribus, & legatarijs interesse.

57 Peccant postremò liberi grauitèr quoq; non reddentes mutuum, quod acceptum, mediante iuramento, promiserunt mutuanti reddere. Nam quamuis filiusfamilias non obligetur ex mutuo tam in foro exteriori, quàm in foro conscientię: quoniam id fuit statum in *l.1. & toto tit. ff & C. ad Maced.* in pœnam mutuantium, propter bonum commune, & ad tollendam occasionem grauæ machinationis contra parentes, ut habetur ex *Inn. in cap. quia plerique, de immunit. Eccles. Less. lib.2. de iust. & iure, cap.20. num.8.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Molfes. tomo 1. ad Consuetud. Neap. consl.11. num.51. & par.2. sua sum. tr.12. cap 13. num.40.* vbi etiam *nu.41.* id ampliat, etiam si alius se obligasset cum filiofamilias; nihilominus ratione iuramenti ad euitandum periurium saltem in foro conscientiæ tenetur mutuum reddere, aut relaxationem à iuramento impetrare: quoniam ex iuramento duplex obligandi ratio insurgit: prima, ratione promissionis contra legem factæ mutuanti. Secunda verò ratione promissionis, quæ fit Deo, qui fuit adductus in testem. Ratione prioris obligationis non insurgit obligatio, cùm lex resistat: ratione verò promissionis factæ Deo insurgit obligatio; atq; ideò mutuatarius obligatur mutuum soluere; nisi prius absolutionem obtinuerit à iuramento, vt habetur ex *Less. loco cit.* & ex alijs apud *Molfes. d. cap. 13. num.42.*

58 pro qua re faciunt etiam ea, quę idem *Molfes.* cumulauit, *par.1. eiusdem sum. tr.11. cap.9. nu. 21.* Idem dicendum est vbi filiusfamilias in causas necessarias mutuum expendisset, nempè pro cibarijs, ac uestibus, aut versum fuerit in utilitatem patris; vel si filiusfamilias mercator esset. His enim casibus filiusfamilias tenetur mutuum reddere; etiam si iuramentum non pręstiterit de reddendo, vt rectè declarat *Molfes. d. cap.13. nu. 44. & 45.* vbi etiam *num. 43.* addit, quòd si filiusfamilias reddiderit mutuum de bonis suis, non habet ius repetendi: quia per solutionem censetur renunciasse Macedoniano, & debitum agnouit, ac ratum habuit, *l. filiusfamilias, in fin. ff si cert pet. & l. Iulianus, §. vlt. ff. ad Maced.* Quòd si mutuum soluat de bonis paternis, nisi constet de expressa, uel tacita uoluntate patris, vt quia solitus sit filiusfamilias mutuo pecuniã accipere, & eam pater soluere consueuerit, nullius momenti est solutio, & mutuans tenetur ad dictorum bonorum restitutionem, iuxta ea, quæ habentur ex *Bal. in l. Zenodorus, C. ad Maced.* per *tex. in l. Titianus, ff. quod cum eo.*

De Fratrum, & Sororum culpis.
SEC. II.

SUMMARIUM.

1 *Peccant fratres, asperè tractantes sorores, sub eorum cura remãsas, mortuo patre, & nõ potius benignè, atq; humanè erga eas se habẽtes.*
2 *Peccant fratres, non ministrantes alimenta fratribus, ac sororibus egenis.*
3 *Peccant fratres, non dotando sorores inopes, secundùm decentiam status.*
4 *Frater tunc alimenta tenetur præstare fratribus, ac sororibus, easq; dotare, quando aliundè sibi alimenta quærere non possunt, nec dotem.*
5 *Causa ingratitudinis, quibus filius à parentũ successione excludi potest, quatuordecim sunt.*
6 *Peccant fratres Religionem ingredientes, dũ fratres habent, vel sorores in necessitate constitutos.*
7 *Soror si diues sit, & fratrem habeat indigentem, tenetur ei alimenta præstare.*
8 *Peccant fratres, si sorores nubilis ætatis, eas nuptui non tradunt, cum possint.*
9 *Peccat frater, turpem instituendo personam, præterito fratre, quamuis diuite, & non indigente.*

1 PEccant primò fratres, sorores sub eorum cura remansas, mortuo patre, asperè tractantes, & non potiùs benignè, atq; humanè erga eas se habentes: siquidem consanguinei sunt, atque ex eodem sanguine procreati: imò plusquã fratribus eis indulgendum est, ac miserendum, tum ratione sexus, cuius gratia sunt magis miseratione dignę; tum etiam, quoniam patre cùm extitant orbatę, quo nullus melius consilium accipit pro filia, ut in *l. nec in ea, ff. ad leg. Iul de adul.*

adulter. ipsi fratres succedunt in locum prædefuncti patris. Et cum parentes honorentur in filijs, fratres malè se habentes erga sorores, non solùm peccant peccato impietatis contra charitatem fraternam; sed etiam contra quartum legis præceptum, quo præcipimur honorare parentes.

2 Secundò peccant fratres alimenta non ministrãtes fratribus, ac sororibus egenis: ad ea enim tenentur, vt per *Glos. in l. parentum,* vbi etiam *Bart. & Saly. C. de alen. liber.* idem *Bart. in l. dedit. ff. de collat Syl. in sum. ver. Alimentorũ, q. 4. Tab. ver. Alimentum, nu.* 8. & alios, qui id ampliãt etiam si fratres, & sorores sua culpa egeni facti sunt, vt post alios docet *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 12. cap. 18 num. 85. in fine,* qui *num.* 86. hanc rem ampliat locum sibi vendicare in fratribus, & sororibus tam vtrinque coniunctis, nempè natis ex eodem patre, & eadem matre, quàm consanguineis, natis ex eodem patre, & diuersa matre; quam vterinis natis, scilicet ex eadem matre, & diuersis patribus: quamuis uterinus in subsidium aliorum fratrum ad hoc teneatur. Imò hęc eadem conclusio vera est non solùm in fratribus, & sororibus legitimis, ac naturalibus simul; sed etiam in naturalibus tãtùm, vt est *tex. in auth licet, C. de natur. liber.* ex quo *tex.* deducunt Doctores argumentum à fortiori quoad alimenta pręstanda legitimis, ac naturalibus fratribus, *arg. tex. in l. tutor, ff. de administr. tutor.* Etenim omnes fratres sunt, & ex fraterna pietate oritur huiusmodi obligatio, & ex quarto Decalogi pręcepto, ut benè probat *Reginald. lib. 10. sua prax num. 49. & 50.* & latè idẽ *Molfes. in suis Comment. ad Consuet. Neapol. tomo 1. par 5 q. 11. num 22. & in sum. loco supra cit.* & specialitèr quoad sororem uterinam sufficienter tractat *Boer. decis. 129 sub num 9.*

3 Secundò peccant fratres non dotando sorores inopes secundùm decentiam status: Ad id enim tenentur fratres cùm teneantur eisdem præstare alimenta; & multo magis cùm dos fauorabilior sit alimentis: quia non solùm continet alimẽta; sed etiam matrimonium, ut Ciuitas repleatur liberis hominibus, & multa euitentur scelera, ut probat *Molfes. in dictis Comment. d. q. 11. num. 16. & seq. & in d. cap. 18 sua sum. num. 85.* ubi id ampliat, etiam si soror sua culpa efficiatur egena: aut frater esset Clericus: quoniam Clerici obligãtur etiam sorores inopes non solùm proprijs bonis; sed etiam ex fructibus benefitiorũ alere, ac dotare; siquidem Clericatus auget potius charitatem erga proximum, & pręsertim erga sibi magis coniunctos, ut habetur ex *Boer. loc. cit. cum innumeris,* quos allegat *Molfes. d. q. 11. num. 20 & 21. & d. cap. 18 num. 57.* post *Reginald. loc. cit. & alios.* Imò frater tenetur alere, uel dotare sororem inopem etiam de bonis restitutioni subiectis, ac grauatis si alia bona nõ habeat, ut habetur ex eodem *Boer. ibidem 7.* Quod dotandi, & alimentandi onus transmittitur quoque ad fratris hæredes: nam obligatio defuncti non mutatur ex persona hęredis, vt in *l. si ego, §. 1. ff. de iure dot. & Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 16 num. 35.* Alimentandi, ac dotandi obligationes pari passu ambulant; atque ideò cui competit onus alimentandi, competit quoq; onus dotandi; quia dos succedit loco alimentorum. Adde, quòd frater tenetur dotare, & alere sororem de bonis paternis; aliàs soror masculiaretur, & succederet tanquam masculus, vt per eundem *Molfes. in dictis suis Commentar. ad Cousuetud. Neapol. tomo 1. par 4 q. 1. cum plur. seq. & in sua sum. tr. 12. cap. 16. num. 36.* Sed etiam tenetur illam alere, & dotare de bonis proprijs si ipse esset diues, & soror pauper, vt per *Glos. in l. cum plures, § fin. ff. de admin. tut.* & *Molfes. ibid.* cum alijs, quos allegat. Frater autem dotando sororem, in dubio censetur eam dotare de suo proprio; non autem sororis; sicut pater dotãdo filiam, vt in *l. fin. C. de dot. promis.* quod verum est nisi frater esset negotiorum gestor sororis, vt per *Bart. in l. Nessennius, ff. de negot. gest. & Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 59. num. 13.*

4 Limitantur tamen, quæ sup. diximus, vt ita demum frater teneatur alimenta præstare fratribus, & sororibus, easdemq; dotare, quando fratres, & sorores aliundè alimenta quærere non possent: & ipse frater tribuendo alimenta, aut dotando sororem, nõ egeat pro se, & suis filiis, &c. iuxta ea, quæ sup. diximus, agentes de obligatione filiorum in alimentandis parentibus, & è cõuersò: aliàs secus; quia omnis ordinata charitas incipit à se ipso, vt in *l Præses,* & ibi *Glosa, C. de seruit. & aqua:* & pater tenetur magis filijs, quã fratribus, & sororibus subuenire, vt ibidem ostẽdimus. Secundò limitantur, vt ità demum frater teneatur fratrem, & sorores inopes, eisdemq; dotem constituere, nisi vitium ingratitudinis cõtra fratrem commiserint: quoniam si filius potest denegare alimenta parentibus ingratis, & è conuersò, ut sup. diximus *sec. 1.* multo magis, & ex eisdem causis potest frater fratribus, & sororibus ingratis alimenta denegare. Sunt autem

5 quatuordecim causæ ingratitudinis, quibus filius potest excludi à successione parentum, de quibus in §. *aliud quoq; capitulum, in auth. Vt cum de appell. cogn.* & septem, quibus parentes possunt exhæredari à filijs, vt in §. *causas, eod. tit.* ac tres, quibus frater potest excludi ab alimentis à fratre, & soror à dote, vt in §. *ingratitudinem, in auth. de nunp. Glosa in cap. fin. in Instit. de inoffic. testam.* Tertiò limitantur, vt licèt frater Dominus teneatur dotare sororem; non tamen potest imponere taleam super bonis subditorum pro maritanda sorore, & ita fuisse decisum testatur *Boer. decis. 129. sub num. 9.* Quartò limitantur, vt frater non teneatur dotare sororem, quando pater æqualiter filios, & filias fecit hæredes, vt habetur ex *Seraph. decis 120.* & *Molfes. par. 2. sua sum. cap. 16. num. 34. in fine.* Quod quidem puto verum quando portio hæreditaria sufficeret ad dotem constituendam, iuxta decentiam status, consuetudinem loci, & prudentis viri arbitrium: vel frater alia bona nõ haberet præter hæreditaria: secus autem si portio hæreditaria esset tenuis, & insufficiẽs, & frater haberet alia bona præter hæreditaria; atque ideò sine suo magno incõmodo posset competẽtem dotem sorori constituere; quoniam tunc teneretur ad supplementum dotis: siquidem sicut teneretur ad totam si soror nihil habeat; ita & eo magis tenetur ad supplementum dotis: quoniam eadem est ratio totius, & partis, *l. quæ de tota, in princ.* & ibi *Glosa, & Bart. ff. de reiuend.*

6 Tertiò peccant fratres Religionem ingrediẽtes,

tet, si fratres, vel sores habeant in graui necessitate constitutos, ita vt nequeant eorum necessitati consulere: id enim esset contra fraternam charitatem, vt supra declarauimus *sec. praeced.* Dixi, *In graui necessitate*, quoniam si necessitas grauis non esset, aliter esset dicendum:& per necessitatem non solùm intelligitur necessitas re ipsa,& secundum se; sed etiam si attentis aliquibus circumstantijs, si talis, vt inde possit probabiliter graue scandalum, aut commune aliquod damnum, propter quod differendus sit talis ingressus in aliud tempus, vt habetur ex *Azor. p. 2. instit. moral. lib. 2. cap. vlt. Reginald. lib. 20. sua prax. num. 50.& Molsess. d. cap. 18. nu 88.*

7 Quæ diximus de fratribus, quoad sorores, è conuerso dicendum est de sororibus erga fratres:nam si soror diues sit,& frater indigens,ita vt non habeat aliundè se alat: siquidem hoc casu soror tenetur fratri alimenta præstare. Et si soror potest artificio suo consulere graui necessitati fratrum,alimentis indigentium,& aliundè non habentium quo sibi possint consulere, Religionem citra culpam non potest ingredi: cùm in vtroque casu eadem militet ratio, *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

8 Quartò peccant fratres si sorores tempore nubilis ætatis nuptui eas non tradant, cùm teneantur,& possint: aliàs si in honestate naufragium patiantur, ipsis fratribus imputatur; quamuis ipsæ mortaliter peccent: nec ob id potest eis alimenta denegari, ac dotem non tribui, sicut hoc casu, nec pater potest exhæredare filiam, si post nubilem ætatem, nempè post 25. annum nuptui eam non tradat, si filia peccauerit in corpus suũ, aut citra patris consensum alteri matrimonio se copulauerit, vt in §. *aliud quoque capitulum, in auth vt cùm de appellat. cognosc.*

9 Quintò peccat frater instituens turpem personam,præterito fratre quamu s diuite, & non indigente: siquidem hoc casu potest frater præteritus rumpere testamentum fratris, vt in *l fratres vterini, C. de inoffic. testam.* quod intelligendum est de fratre consanguineo,& vterino simul vel saltem consangu neo; nempè ex eodem patre;non autem de vterino tantum, vt in *d. l. fratres*, vbi idem statuitur de sororibus instituentibus turpes personas, fratribus, vel sororibus præteritis; nisi frater, vel soror præterita vitium ingratitudinis commiserint contra fratrem: nam tunc non possunt fratris testamentum rumpere; etiam si turpem instituerit personam, vt per *Glos. in §. ingratitudinem, in auth de nupt.* vbi enumerantur tres causæ, quibus excludi potest frater à successione fratris. Quibus adde, quæ habentur ex *Syl. in sum. in vers. Testamentum, quaest. 10.*

De Coniugum peccatis.
SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Peccant coniuges mortaliter,& matrimonium nullum est, si illud contrahant in gradu prohibito. Et priuantur spe consequendæ dispensationis.*
Quid si id fecerint ignoranter.

2 Concilium Trid. *id statuit de contrahentibus in gradu prohibito, etiam ratione cognationis spiritualis, vel legalis.*

3 *Idemque statuit Concilium de contrahentibus in gradu prohibito, quoad cognationem naturalē, quæ aliàs consanguinitas appellatur.*

4 *Affinitas impedit quoque matrimonium contrahendum, contractumque dirimit.*

5 *Publicæ honestatis impedimentum, adhuc impedit, & dirimit matrimonij contractum.*
Et in quo gradu impediat, & dirimat.

6 *Matrimonium contractum per verba de præsenti, quamuis nulliter faciat oriri impedimẽtum publicæ honestatis, dirimens matrimonium vsque ad quartum gradum, modo nullũ non sit, defectu consensus.*

7 *Peccant mortaliter coniuges, matrimonium clandestinè contrahentes.*

8 *Peccant coniuges, si scientes impotentiam habere coeundi, nuptias contrahant.*
An possint simul habitare, vt frater, & soror si velint.

9 *Impotentes ad coeundum si simul habitare velint, dormire non debent in eodem lecto.*

10 *Peccant coniuges impotentes, si dissoluto ex hac causa matrimonio ad alias nuptias transeãt, siue permaneat, siue cessauerit impotentia.*

11 *Vxor si à frigido separata, alteri nupserit, est pacificè cum eo relinquenda, donec legitimè probatum fuerit, priorem virum potentem fuisse redditum.*

12 *Vxor habens naturam arctam, si omninò arcta indicata fuerit respectu omnium, si secundò nubat statim culpam lethalem contrahit.*

13 *Matrimonium si dissolutum fuerit ex causa maleficij, coniuges ad secundas transeuntes nuptias, haud peccant.*

14 *Non peccat alter coniux, si Religionem fuerit ingressus post dissolutum matrimonium, ratione naturalis impotentiæ, vel maleficij.*

15 *Peccant coniuges, dicentes se esse nobiles, vel virgines, cum ita non sint, vt matrimonium contrahant.*

16 *Peccat seruus, matrimonium cum libera contrahendo, tacita ipsius serui conditione. Et è contra serua contrahendo cum libero ignorãte seruam esse. Matrimoniumque irritum est.*
An contrahens, cum serua, & posteà rem habens cum eadem manumissa, ignorans tamen manumissionem, videatur ratificare matrimonium.

17 *Errans in conditione alterius coniugis, paratus tamen contrahere, etiam cognita seruitutis conditione, an validum contrahat matrimonium.*

18 *Peccant coniuges matrimonium contrahentes post votum castitatis, siue simplex sit, siue solemne.*
An votum castitatis simplex dirimat matrimonium contractum.

19 *Votum Religionis simplex matrimonium impedit contrahendum, non autem contractum dirimit, licet sic contrahentes peccent.*

20 *Habens votum castitatis solemne peccat contrahendo matrimonium, ipsumque irritum est; etiam si suscipiens ordinem sacrum, nolit se voto obligare. Idque etiam si iureiurando affirmet.*

21 Or-

21 *Ordo Sacer tunc facit matrimonium irritum, ac nullum, cum sponte susceptus fuerit, secus si vi, metuue.*

22 *Potest Ecclesia suscipientem ordinem sacrum iusto metu compellere ad votum castitatis emittendum, vel ab ordinum vsu, ac exercitio abstinendum.*

23 *Puer ad sacros ordines ante rationis vsum promotus compelli ab Ecclesia non potest ad castitatem seruandam.*

An id locum habeat in inuincibiliter ignorãte, votum castitatis annexum esse Sacro Ordini.

24 *Suscipiens ordinem sacrum citra intentionem se obligandi voto castitatis, vel cum expressa protestatione non se obligandi, contrahere non potest matrimonium, sed cogi ad castitatem seruandã; si tamen in ipso actu ordinationis intentionem non habuit suscipiendi ordinem, non potest ad eam compelli.*

Idemque dicendum est de baptizato, voluntatẽ non habente suscipiendi baptismum, ac de Religioso intentionem non habente emittendi vota.

25 *Peccant coniuges, si post matrimonium ratum cum, aliis contractum, denuò contrahant inter se.*

26 *Peccat fidelis, si cum infideli contrahat matrimoniũ, & matrimonium efficitur irritum; secus si cũ heretico, vel heretica, valet enim matrimonium licet peccent mortaliter.*

An, & quando infideles si conuertantur ad fidem, possint in eodẽ matrimonio perseuerare.

Et quia si vnus infidelis conuertatur, altero in infidelitate remanente.

27 *Si vnus conuertatur ad fidem siue vir, siue fœmina, paruuli filii sequi debent conuersum.*

28 *Peccat coniux, si coniugem ducat vi, vel metu, & matrimonium inualidum est.*

Quid si metus sit iustus à lege, vel ex natura delicti proueniat.

29 *Peccant coniuges, si post commissum homicidium, vel adulterium, aut vtrumque simul in persona priorum coniugum sub spe futuri matrimonii, nuptias contrahant.*

Et in quibus casibus dirimatur matrimonium.

30 *Peccant coniuges si tempore raptus contrahant matrimonium, ipsumque erit irritum.*

Et quando valet ipsorum matrimonium, quibusuè pœnis puniantur raptores.

31 *Peccant coniuges si matrimonium contrahant, non obstante Episcopi prohibitione.*

32 *Peccant coniuges, contrahentes matrimonium per verba de præsenti post sponsalia cum alio contracta, quamuis validum sit matrimoniũ.*

33 *Peccant coniuges contrahentes matrimonium cum eis, quos in Cathechismo susceperunt, quod tamen impedimentum matrimonium contractum non dirimit, & an hac Cathechismi cognatio sublata sit per Tridentinum.*

34 *Peccant sponsi, sponsalia contrahentes clandestinè.*

An si impuberes contrahant de præsenti, talis contractus resoluatur ad sponsalia de futuro.

35 *Peccant coniuges si ante contractum matrimonium per verba de præsenti, vtantur inuicem amplexibus, & osculis cum periculo pollutionis.*

36 *Peccant coniuges, nuptias cõtrahentes per verba de præsenti in certis anni temporibus absq; dispensatione, & quando.*

37 *Peccant coniuges, scienter ab alio benedictionẽ suscipientes, quàm à proprio Parocho. Matrimoniumque erit inualidum, si ab alio, quàm à proprio Parocho fuerint coniuncti.*

38 *Peccat coniux, Religionem ingrediens altero inuito, quamuis per vim infra tempus bimestre passa sit copulam.*

Et an vxor vi cognita intra bimestre possit Religionem ingredi.

39 *Peccant coniuges, si post matrimonium ratum, & consumatum Religionem ingrediantur, etiam altero coniuge consensiente & in seculo remanente, nisi aliquibus concurrentibus, & quæ?*

40 *Peccat coniux, si legitimè non constet de morte alterius coniugis, sed in dubio adhuc permanens secundas contrahat nuptias.*

Quomodo legitimè constare dicatur de morte prioris coniugis Et an sufficiat vnus testis bonæ famæ. Et publica vox, vel fama.

41 *Vir, qui scienter vxore viuente, cum alia contrahit, quibus afficiatur pœnis.*

42 *Peccat coniux medicamenta suscipiens sterilitatis, & quare.*

43 *Peccant coniuges, inuicem non sibi reddentes debitum coniugale.*

44 *Coniuges aliquando reddere tenentur debitũ etiam non petenti, & quando.*

45 *Coniuges recusantes reddere debitum petenti, lethaliter peccant, & quarè.*

46 *Non reddens debitum petenti peccat mortaliter, etiam si impotens efficiatur, & mediis illicitis, secus si absque fraude, & bona fide.*

47 *Coniux qui aliter vxori suæ debitum reddere non valet, à ieiunio Ecclesiæ excusatur: sicut excusatur vxor à ieiunio, vt viro placeat, illique amorem seruet.*

Et quid si vir præcipiat vxori solutionem ieiunii in contemptum præcepti Ecclesiastici.

48 *Coniux debitum coniugale petenti reddere tenetur, etiam in magnis solemnitatibus, & in quibus.*

49 *Coniuges tenentur sibi inuicem debitum coniugale reddere, etiam si petens cum peccato mortali peteret, ob circumstantiam tamen personalem ipsius petentis, non verò ex parte actus.*

50 *Tripliciter limitatur hæc ampliatio.*

51 *Coniux debitum reddere non tenetur petenti, cum detrimento propriæ salutis, puta si petens esset leprosus, aut morbo gallico laboraret.*

Idemque dicendum est si debitum petat plusquã par est.

52 *Si coniux, à quo debitum petitur sciat se fore redditurum cum graui dispendio salutis petentis, non debet petenti satisfacere, aliàs peccaret.*

53 *Quemadmodum coniux debitum reddere non tenetur pro vitãdo damno corporalis valetudinis multò magis obligatur ad non reddendum pro damno spiritualis salutis.*

54 *Vbi probabiliter vterque coniux dubitaret de matrimonii validitate, & diligentia dubium deponere non possunt, non solum non tenentur, sed nec possunt reddere debitum.*

55 Coniux

55 Coniux debitum non tenetur reddere petenti in indebito situ.
56 Nec satisfacere tenetur petenti debitum in vase non naturali.
57 Nec etiam in indebito loco tenetur, vel debet debitum reddere petenti.
58 Coniux debitum reddere non tenetur coniugi ebrio, vel furioso.
59 Coniux debitum reddere non tenetur petenti, si adulterium commiserit.
60 Non tenetur coniux debitum reddere tempore menstrui, nisi timeatur fornicatio.
61 Coniux debitum reddere non tenetur alteri coniugi, legitimè separato matrimonio per sẽtentiam diuortij.
Pœnes quem sint educandi filij, facto diuortio.
62 Vxor per adulterium non solùm separatur à viro, sed etiam dotem amittit.
Quibus modis probetur adulterium.
An dotem amittat vxor, si vterque coniux adulterium committeret dato, quod vnius esset publicum, alterius verò occultum.
63 Vbi vir vxorem tentauerit de sodomia, causa est diuortij.
64 Viri lenocinium est etiam causa diuortij.
65 Peccant coniuges venialiter saltem, copulam habentes sola delectationis causa.
66 Peccant coniuges si post matrimonium contractum, & consumatum copulam habeant, sed seminare nequeant intra vas.
67 Peccant mortaliter coniuges, si per oscula, tactus impudicos, delectationes morosas turpia verba inter eos exponant se periculo pollutionis saltem in alterutro coniuge præuiso.
68 Limitatur tamen conclusio ista multipliciter.
69 Peccat mortaliter vir, si volens legitimè cum vxore copulam habere, incipiat sodomiticè, & deindè in vase naturali illam perficiat.
70 Peccat vxor, si emisso semine viri intra ipsius vas naturale, virileque indè extracto, ipsa se tactibus excitet, vt seminet.
71 Peccat mortaliter vxor, mox mingens post copulam, vel aliud agens, vt semen expellat.
72 Peccat mortaliter vxor, recusans sequi virum, aliò migrantem.
Et tenetur virum sequi, aliò migrantem, siue domicilium transferat animo perpetuo ibi cõmorandi, siue ad tempus.
73 Vxor virum sequi tenetur, siue domicilium transferat cum causa, siue absque causa.
74 Vxor tenetur virum sequi, etiam ob eius delictum in exilium mittatur.
An excusetur vxor ab alimentis præstandis viro bannito ob proprium delictum.
75 Vxor tenet. virum sequi, etiam vagantem, & peregrinantem.
76 Consuetudo, ne vxor virum teneatur sequi, tãquam iuri Diuino contraria, nihil prodest.
77 Vxor virum sequi non tenetur cum suo graui detrimento.
78 Vxor virum non tenetur sequi, si per mutationẽ domicilij, vel habitationis, aut per vagationẽ vellet eam ad peccatum inducere.
79 Neque sequi tenetur virum adulterum, aut alijs ex causis, ex quibus licitum est diuortium facere.
80 Vxor virum non tenetur sequi, si tempore contracti matrimonij pactum fecisset de non trãsferendo domicilium, sed de permanendo in certo, & determinato loco.
Quid si noua superueniat causa recedendi.
81 Peccant coniuges non præstantes sibi inuicem alimenta.
82 Etiam nurum, & pronurum tenentur alere coniuges.
83 Vir vxorem alere tenetur, etiam si eam indotatam susceperit.
Et quid si vxor sit diues.
84 Vir vxori alimenta præstare tenetur quamuis propter heresim, aliudque crimen fuerit sibi dos confiscata.
85 Vir tenetur vxorem alere, quamuis propter eius delictum in perpetuum carcerem sit detrusa.
86 Tenentur coniuges se ipsos inuicem alere, etiã si citra eorum culpam seorsim oporteat eos habitare.
An vir potius vxori, quam patri teneatur alimenta præstare.
87 Vbi pactio inita est inter coniuges de alimentis non præstandis ad mutua alimenta non tenentur.
88 Tunc coniux ad alimenta tenetur præstanda coniugi, quando esset pauper alter verò diues, secus si ambo pauperes sint.
89 Maritus tunc demum vxorem alere tenetur, quando dotem promissam soluit, aliàs secus.
90 Dummodò dos promissa sit ab ipsa muliere, vel eius patre, non verò ab extraneo, & modo illam non soluant ratione impotentiæ.
91 Vir ita demum tenetur vxorem alere, si secum habitet, secus si sua temeritate citra viri culpam ab eius consortio recedat.
92 Non tenetur coniux soluto matrimonio ex proprijs bonis debita soluere per maritum contracta.
93 Peccant coniuges, vota ab eis promissa non seruantes.
94 Si ex mariti licentia vxor voueret, & postea ille contradixerit, votum adimplere, non teneretur.
95 Peccat vxor, eleemosynam faciens de bonis viri, vltra quàm par est.
96 Vxor eleemosynam præbens extremè indigenti, aut in magna necessitate constituto, peccatum non committit.
97 Neque peccat, si habeat bona propria, in quibus maritus vsumfructum non habet.
98 Vxor si habeat omnia bona, communia cum viro, vt in multis locis Hispaniæ, sciatq; virum, aliquod ex dictis bonis donasse, potest ipsa quoque tantundem donare, vel in eleemosynam dare, aut alio modo distrahere.
99 De communi consuetudine regionis solent vxores eleemosynam panis, & vini facere.
100 Potest vxor de bonis viri moderatas eleemosynas facere, & expensas licitas ad honestam eiusdem recreationem.
101 Citra viri licentiam potest vxor subuenire patri, matri, filijsque primi matrimonij, ac fratribus, sororibus, &c.
102 Potest vxor de bonis viri eleemosynam facere absque eius licentia, etiam petita, & non obtenta, quando vtile gerit eiusdem negotium.
103 Potest vxor eleemosynam elargiri, vbi vir assignauerit ei aliquam pecuniæ quantitatem pro victu, ipsaque vult abstinere.

144 Præ-

144 *Præceptum restituendi licet naturale sit, ac Diuinum, est tamen affirmatiuum, & non obligat semper.*

145 *Iudex, Tabellio, vel Testes quorum culpa aliquis in bonis fuit damnum passus, damnum ex proprijs bonis tenentur reficere.*

146 *Vxor adultera sicut concurrit positiue ad dãnificationem mariti, &c. ita concurrit positiue ad scandala, & peccata, quæ ex sua manifestatione prouenirent.*

1 MAteria sectionis huius ampla est, & practicabilis valdè; & ideò pro eiusdem faciliori explicatione duo faciemus. Primò certa ab incertis separabimus: Secũdò dubia per suas quæstiones breuiter absoluemus. Circa primum dico primò certum esse peccare mortaliter matrimonium contrahentes in gradu prohibito: & insuper matrimonium est nullum, ac spe priuãtur consequendæ dispensationis, nisi ignoranter id egerint, & solemnitates requisitas ad contrahendum matrimonium adimpleuerint, vt in *Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 5.* ità se habente: *Si quis intra gradus prohibitos sciẽter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consumare ausus fuerit. Quòd si ignoranter id fecerit, si quidem solemnitates requisitas in cõtrahendo matrimonio neglexerit, eisdemque subijciatur pœnis. Non enim dignus est, vt Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cuius salubria præcepta temerè contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod posteà subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tũc facilius cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis matrimonijs, vel nulla omninò detur dispensatio, vel rarò: idque ex causa, & gratis concedatur. In secũdo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam vtilitatem.* Vbi

2 est adnot. quòd Concilium statuit de contrahẽtibus in gradu prohibito, tum ratione cognationis spiritualis; qualis est illa, quæ contrahitur in susceptione Baptismi, & cõfirmationis inter Baptizatum, & confirmatum, & baptizantem, & cõfirmantem, ac suscipientem, patrem, & matrem ipsius baptizati, seu confirmati, vt patet ex *Conc. Trid. de reform. sess. 24. cap. 2.* tum etiam ratione cognationis legalis, seu arrogatione prouenit, qua quis alienum filium recipit in suum, & cõtrahitur inter adoptantẽ, & adoptatum, & adoptati filios, & nepotes vsque ad quartum gradum; inter adoptantis filios, etiam naturales, & ipsum adoptatum, dummodò sint in patris potestate: secus si sint emancipati, aut per mortem patris est soluta patria potestas. Item cognatio legalis contrahitur inter vxorem adoptantis, & adoptatum, & inter adoptantem, & vxorem adoptati: quapropter duo filij adoptati, nempe filius, & filia possunt matrimonium contrahere, nisi aliundè habeant impedimentum, vt rectè declarat *Innoc. & Hostiens. in cap. vnico, de cognat. legali, Tolet. lib. 7. suæ sum. cap. 4.* & latè *Molfes. p. 1. suæ sum. tr. 4. cap. 10. nu. 114. cum plur. seq.* post *Sanch. & alios lib. 7. de matrim. disp. 63.*

3 Præterea statuit quoq; Concilium de contrahentibus in gradu prohibito quoad cognationẽ naturalem, quæ alio uocabulo consanguinitas appellatur, & est vinculum multorum ab eodem stipite descendentium, inter quos est prohibitum matrimonium quoad lineam rectam vsq; in infinitum, nempè inter patrem, & filiam, auum, & neptem, ita ut si Adam hodie viueret, non inueniret vxorem. Est tamen adnotandum, quosdam velle de iure naturæ esse prohibitum matrimonium inter ascendentes, & descendentes in primo tantum gradu, nempè inter patrem, & filiã; & inter filium, & matrem, & ita intelligũt illud *Gen. cap. 2.* in quo præcipitur, vt vnusquisq; relinquat patrem, & matrem suam, & adhæreat vxori suæ, & efficiantur simul una caro: atque ideò putant posse per Rom. Pontificem dispensari, vt matrimonium cõtrahi possit inter auum, & neptem; proauum, & proneptem, &c. vt habetur ex *Sanch. lib. 7 de matrim. disp. 51. num. 15. & seq.* cum alijs, quos allegat *Reginald. lib. 31. suæ prax. num. 119. & Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 4. cap. 10. num. 108. & 109.* imo *num. 112* multorum sententiam refert, ut non solùm in linea transuersali; vel etiam in linea ascendenti, & descendenti possit esse matrimonium in quinto gradu: sed hæc quęstio est inutilis, quia rarissimè, aut nunquam adeò quis viuit, vt possit dici Atauus. Quo verò ad lineam transuersalem matrimonium est prohibitum vsq; ad quartum gradum. Verum tamen est, quòd quando duę personę sunt coniunctæ in quinto, quamuis ex ex alia parte sint coniunctę in tertio gradu, vel propinquiori, etiam primo, nuptias contrahere possunt. Intra quartum uerò gradum matrimonium contrahi non potest: & contractum dirimitur, & contrahentes vltra pœnas in Conc. Trid. statutas, in excommunicationem incidũt, de qua in *Clem. 1. de consanguin. & affin.* & latè habetur ex *Panor. in cap. quod dilectio, eod. tit.* vbi etiam ait, quòd si aliqui sunt in quarto gradu ex vna parte: ex altera uerò in secundo, uel tertio, & petatur dispensatio à Papa, non expresso gradu propinquiori, tenet dispensatio; quoniam illi verè sunt in quarto gradu.

4 Rursùs Concilium dum legem statuit contra contrahentes matrimonium in gradu prohibito, intelligitur prohibere matrimonium etiam ratione affinitatis. Siquidem affinitas quoq; impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Est autem affinitas cognatio quædam ex carnali copula proueniens, siue licita sit, vt est illa, quæ ex legitimo matrimonio prouenit: siue illicita, qualis est illa ex damnato coitu proueniens: quę copula talis esse debet, qua vir intra mulieris claustra semen emittat. Vndè vir si matrimonium contrahat cum consanguinea vxoris, & vxor cum consanguineis viri infra quartum gradum post matrimonium solutum, irritum erit huiusmodi matrimonium. Cum cõsanguinea verò mulieris, cum qua vir copulam habuit illicitam, & è conuersò matrimoniũ est prohibitum hodie, nisi infra primum, & secundum gradum dumtaxat, vt patet ex *Conc. Trid. sess. 24 cap. 8.* latè *Sanch. lib. 7. de matr. disp 64. Reginald. lib. 31. suæ prax. num. 144. cum plur. seq. Coninch. disp. 32. num. 45. & seq. & Molfes. par. 1. suæ sum. d. tr. 4. cap. 10. num. 98. & 99.* Est tamen verum, quòd cùm affinitas superuenit alti-

cui matrimonio iam rato, non dirimit illud, sed facit, ut qui fuit in culpa citra dispensationem debitum petere non possit, sed tantùm reddere. Et ubi simul esset impedimentum affinitatis, & honestatis, tunc qui petit dispensationem, debet saltem vtrumq; implicitè declarare; aliàs nulla esset dispensatio. Vt si mater habeat filiam, quam Titio nuptui tradidit, qui quidem post sponsalia rem habeat cum matre, uel cum sorore sponsæ: is enim ratione affinitatis non potest contrahere cum sponsa, & ratione publicę honestatis non potest contrahere cum matre, nec cum sorore sponsę, dispensatione cum expressione dictorum impedimentorum non interueniente.

5 Denique Concilium statuit contra matrimonium contrahentes in gradu prohibito, etiam ratione publicę honestatis: nam hoc impedimētum adhuc impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: quocirca uir non potest in uxorem ducere consanguineam sponsę in primo gradu, siue uiua sit, siue mortua sponsa: nec è conuersò; sicut nec cum consanguinea eius, cum qua fuit matrimonium ratum non cōsumatum: & id ratione publicę honestatis, vt in *cap. sponsam, de spons. & matr.* vbi etiam *Panor.* & alii, ut habetur *in Conc. Trid. sess. 24. de refor. matr. cap. 3.* Vndè licèt de iure canonico ante *Conc. Trid.* sponsalia quamuis inualida, dūmodò irrita non sint ex defectu consensus impediebant matrimonium contrahendum, & dirimebant contractum usq; ad quartum gradum, ut in *cap. sponsam, de spons. cap. vnico, eod. tit. in 6.* attamen per Concil. Trid. statuitur primò, vt nulla sponsalia inualida satis sint ad impediendum matrimonium contrahendum: Secundo ut sponsalia valida non impediant, nec dirimant matrimonium, nisi vsque ad primum gradum, vt rectè colligitur ex ipso *Conc. loc. cit.* & habetur ex *Reginal lib. 31. sua prax num. 126. & seq.* Imò hoc impedimentum non oritur ex sponsalibus conditionatis ante conditionis euētum: quia donec purificetur conditio deficit consensus, vt in *d. cap vnico, de spons. in 6.* & latè *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 69.* Nec huiusmodi impedimentum causatur ex sponsalibus contractis per parentes filiorum nomine citra eorumdem filiorū consensum, ut habetur in *d. cap. vnico* Vndè pater posset ducere in vxorem sponsam filij antequam filius sponsalia ratificet, vt post alios probat *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 68. num. 18 & 19. Reginal d. lib. 31. num. 129 §. Aduerte quinto: et Molfes. d. cap. 10. num. 93. & 94.*

6 Adde, quòd *Molfes. loc cit. num. 95.* inquit aduertendum esse, quod *Conc. Trid.* nihil innouat quoad matrimonium ratum per verba de præsenti. Siquidem si sic contractum esset, quāuis nulliter, oriretur impedimētum publicæ honestatis impediens, & dirimens matrimonium vsq; ad quartum gradum; dummodo inualidum non esset ex defectu consensus, vt habetur ex eodem *Sanch. d. lib. 7. disp. 70. Reginal. d. lib. 31. sua prax. num. 128.* Et ita fuisse declaratum per B. Pium V. in sua Bulla, quæ incipit, *Ad Romanum spectat*, relata à *Molfes. loc. cit.* vbi etiam *num. 96.* idem dicendum esse ait de matrimonio contracto per verba de præsenti inter impuberes, aut inter puberem, & impuberem, in quo malitia non supplet ætatem: quoniam huiusmodi matrimonium etiam hodie habet vim sponsaliorum; atq; ideò locum haberet Concilium impedimentum tribuens vsq; ad primum tantùm gradum. Quòd autem ipsum Concilium comprehendat omnes contrahentes in gradu prohibito, siue hoc impedimentum proueniat ex cognatione spirituali, siue legali, siue naturali, siue ex publica honestate, patet, quia Concilium generaliter loquitur, nec distinguit; ergò generaliter est intelligendum de quocumq; gradu prohibito, ratione cuiuscumq; cognationis, affinitatis, aut publicæ honestatis: nam lex quando generaliter loquitur, generaliter debet intelligi, & quando non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. § generaliter, ff. de legat. præst. & l. de pretio, ff. de aqua pluuia arc.*

7 Dico secundo certum esse peccare mortaliter Coniuges matrimonium clandestinè contrahētes, & non præuijs denunciationibus, aut legitima subsistente saltèm causa coram Parocho, & duobus, uel tribus testibus præsentibus: & deindè ante illius consumationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua subsint impedimenta, facilius detegantur; nisi Ordinarius expedire iudicauerit, vt prædictæ denunciationes remittantur, vt habetur ex *Conc. Trid. sess. 24. de reform. matr. cap. 1.* vbi etiam irritum decernitur matrimonium aliter contractum. Benè verum est, quod quamuis Coniuges peccent mortaliter omittentes denunciationes solitas sine licentia Parochi; nihilominus matrimonium est validū, vt habetur ex *Sanch. lib. 3. de matr. disp. 5. num. 6. Reginal. lib. 31. sua prax. num. 223. & 224. Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 9. num. 24. & cap. 15. num. 9.* Clandestinè contingit Coniuges contrahere matrimonium multis modis, etiam si contrahant coram Parocho, & testibus: quoniam licet ad matrimonij ualiditatem satis sit si contrahatur coram Parocho, & testibus, vt in *Conc. Trid. loc. cit.* non tamen ob id desinit esse clandestinum per alia iura, quibus præfatum Concilium non derogat: quod quomodo procedat, & quomodo licitum sit clandestinè nuptias contrahere, rectè declarat *Nauar. in Man. cap. 16. num. 36. & 37.*

8 Dico tertiò certum esse peccare Coniuges si scientes habere impotentiam coeundi nuptias contrahant: siquidem id repugnat mutuæ corporū traditioni, in quo essentia matrimonij consistit. Quod tamen intelligendum est de ijs, qui perpetuam habent impotentiam coeundi; secus autem si ad tempus per aliquod accidens, vel ex defectu ætatis. Etenim matrimonium inter habentes perpetuam impotentiam coeundi secundum veram, & magis receptam Doctorum sententiam, quam sequitur *Sanch. lib. 7. de matr. disp 97.* est irritum, ac inualidum per rationem supra allatam: & id siue scientes, siue ignorātes eorum perpetuam impotentiam matrimonium contrahant, vt per eundem *Sanch. loc. cit.* Nunquam tamen dirimitur matrimonium per superuenientem impotentiam, siue consumatum fuerit, siue ratum tantum, & non consumatum, vt in *cap. hi qui, 32. q. 7.* & latè *Sanch.* post alios *d. lib. 7. disp. 102. & 103.* Est tamen verum, quòd si impotentia præcesserit ita contrahentes si velint simul habitare, non vt vir, & vxor; sed sicut frater, & soror: siue impotentia sit ex parte alte-

rius

rius tantum, siue ex parte vtriusque: & siue vterque nouerit impotentiam, siue alter tantum; talis habitatio eis de iure conceditur, vt est *tex. in cap. cōsultationi de frigid. & malefic.* in illis verbis: *Romana tamen Ecclesia consueuit in consimilibus iudicare, vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores.* Quod si nolint simul habitare nō possunt compelli, etiam si ambo coniuges tempore contracti matrimonij nouerint impotentiam: & vnus potest, altero inuito resilire, ut per *Sanch. d. disp. 97. n. 12.*

9 Illud tamen est aduertendum, vt si velint eiusmodi impotentes simul cohabitare, ne dormiāt in eodem cubili; maximè si coniugum alter sit potens, cum ad tactus impudicos de facili prouocentur. Vndè meritò Sixt. V. in quodam motu proprio edito anno 158[illegible], cuius meminit *Gutier. qq. can. in 2. edit. lib. 1. cap. 16. num. vlt. & Sāch. de matr. lib. 7. disp. 92. nu. 17. & disp. 97. sub num. 4.* declarans nullum esse matrimonium Eunuchorum inter alia ita statuit: *Eos autem, qui iam sic de facto contraxerunt, si appareat eos non vt caste simul viuant, conueniße; sed actibus carnalibus, & libidinosis operam dare simulue in vno, eodemq; lecto cum prædictis mulieribus dormire coniungatur, omnino similiter separari cures.* Vnde eorum separatio ad Episcopum non pertinet, nisi tunc, & eo casu, quo non vt fratres, & sorores habitare conueniunt: aliàs ad separationem nō possunt compelli, cum habeant iuris præsumptionem pro se. & *tex. in d. cap. consultationi* id expreßè continetur.

10 Dico quartò certum esse peccare Coniuges si dissoluto matrimonio ex causa impotentiæ naturalis ad alias nuptias transeant, siue in illis permaneat impotentia, siue cessauerit: siquidē transeuntes ad secundas nuptias, durante impotentia, cum eorum matrimonium sit irritum iniuriam dicuntur inferre Sacramento, iuxta ea, quæ sup. diximus. Imò multò magis peccant si cessante impotentia, & secundo contrahant, quia peccāt insuper si ad priores nuptias non redeāt, cum redire teneantur; eò quòd iam constat deceptā fuisse Ecclesiam in dissoluendo priori matrimonio, cum appareat impotentiam non fuisse perperpetuam, vt in *cap. 1. & cap. laudabilem. de frigid. & malef.* in quibus decernitur dissolutū matrimonium ratione frigiditatis instaurandum esse, si postea contingat, frigidum illum ad alias nuptias transire. Quæ intelligenda sunt vbi vir potens effectus ad secundas nuptias consolauerit: aliàs priores nuptiæ non restaurarentur.

11 Est tamen verum, quòd si vxor à frigido separata alteri nupserit, pacificè est cum eo relinquenda donec legitimè probatum fuerit, priorem virum potentem fuisse redditum: imò & ipsa vxor non obstante superueniente dubio valoris matrimonij, potest adhuc citra culpā debitum petere: nam non habet iustam dubitandi causam de valore sui matrimonij, cum in ipsius fauorem habeat sententiam Ecclesiæ. Quod si adhuc matrimonium non contraxerit, pendente [illegible] potentiæ viri ex causa frigiditatis ab ea separati, tunc non poterit vxor ipsa secundas nuptias contrahere: & si de facto nupserit, lite pendente, separanda est, donec lis decidatur. Idem dicendum est de matrimonio dissoluto per

12 impotentiam naturalem vxoris habentis naturam arctam: nam si hæc omninò arcta iudicata fuerit respectu omnium, si secundo nubat, statim contrahit culpam lethalem: etenim aut adhuc impotens est; & tunc secundo nubens iniuriam intulit Sacramento: aut copulam habuit cum secundo uiro, & eo casu priori viro est restituenda. Dixi, *Si omnino arcta iudicata fuerit respectu omnium*, quia si arctitudo eius non absolutè, sed respectiuè iudicata fuerit à secundo viro nō est separanda, donec constet, virum hunc, qui illam cognouit esse similem priori, vel absq; vitæ periculo potuisse aptari, atque ideo deceptam fuisse Ecclesiam, & interim potest reddere, & petere debitum, sicut diximus de priori matrimonio dissoluto per frigiditatem viri: quia per dissolutionem prioris matrimonij [illegible] conceditur ei intercedere nuptiæ cum alio, vt rectè declarat *Sanch.* post alios *lib. 7. de matr. disp. 99. nu. 16. 17. & 18.*

13 Limitantur tamen hæc, quæ diximus, ut locū non habeant in matrimonio dissoluto ratione maleficij; quia tunc Coniuges transeuntes ad secundas nuptias, non peccant: siquidem dissolutione matrimonij legitimè facta per Ecclesiam ratione maleficij, siue alterius, siue vtriusq; Coniugis, conceditur vtriq; Coniugi facultas transeundi ad alias nuptias; atque ideo, eis contrahentibus secundo matrimonium, illudq; consummantibus, prius restaurandum nō est, vt est *tex. in cap. fin. 33. q. 1. & Sanch. loc. cit. num. 22.* vbi tamen *num. 23. cum plur. seq.* id locum sibi vendicare probat, si tria concurrant. Primum, ubi matrimonium fuerit legitimè dissolutum, nempè post triennium iuxta *tex. in cap. fin. de frigid. & malefic.* Secundum quando maleficium est particulare respectu vnius, vel alterius tantum, ut regulariter contingit; secus autem si generale sit respectu omnium. Et tertium, nisi vir ille eandem vxorem, cum qua maleficiatus fuerat, et ratione maleficij separatus fornicatus fuerit; quoniam tunc restaurandum prius matrimonium, cum clarè constet de Ecclesiæ deceptione, quæ matrimonium dissoluit.

14 Secundo supradicta limitantur, ut locum nō habeant, nisi alter coniux Religionem fuerit ingressus, & professionem emiserit post dissolutū matrimonium ratione naturalis impotentiæ, vel maleficij; quoniam tunc si vxor in sæculo remansa transitum fecerit ad secundas nuptias, aut fornicata fuerit, non est restituenda viro, qui professionem emisit: siquidem primum matrimonium, quod verè ratum extitit, dissolutū fuit per emissam professionem, atq; ideò obstare nō potest valori secundi matrimonij. Dixi, *Et professionem emiserint*; aliàs secus est dicendum; quia cum dissolutum non fuerit, impedit valorē secundi matrimonij. Vxore vero cum secundo permanente, si vir ad sacros ordines promoueatur, & deindè sententia Ecclesiæ error detegatur, cuius vigore prius matrimonium fuit dissolutū, tunc vir ipse vxori verè omnino restituendus: per susceptionem enim Ordinis sacri per se solā priores nuptiæ non fuerunt dissolutæ. Ita *Petr. de Ledes. de matr. q. 53. ar. 2. dub. 1.* & *Henriq. lib. 12. de matr. cap. 8. num. 3.* vbi id limitat dupliciter; nempe nisi vxor fornicata esset: & nisi impedimentum esset ex maleficio, & transacto triennio,

nio, ac alijs diligentijs adhibitis, facta esset matrimonij dissolutio; quoniam tunc non restituitur vir in sacris vxori repetenti, superueniente coeundi potentia: quæ quidem limitatio meritò reijcitur à *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 99. nu. 39.* cùm nullo iure probetur: nec verum est, non posse dissolui aliud matrimonium à maleficiato contractum. Verùm tamen est, quòd si vxor uirum non repetat, vir in sacris non potest ad eam redire, cùm per Ordinis sacri susceptionem sibi præiudicauerit. Imò si vxori petenti reddatur licèt citra culpam debitum reddat; non tamen potest debitum petere, vt habetur ex *Syl. in sum. ver. Matrimonium*, 8. & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sanch. d. disp. 99. num. 40.*

15 Dico quintò certum esse peccare coniuges dicentes esse nobiles diuites, aut virgines, cum nō sint, vt matrimonium contrahant: Etenim eiusmodi deceptio est in qualitatibus, quæ si cognitæ fuerint, matrimonium fortè non fuisset subsecutum. Non tamen ob id dirimitur matrimonium contractum, cùm error in persona, non autem in qualitate matrimonium irritet, vt si quis nubat Titiæ existimans esse Meuiam: aut Meuia nubat Sempronio existimans esse Pamphilum, vt rectè declarat *Nauar. in Man cap. 22. num. 31.* eiusmodi enim error cum sit in persona proculdubio nuptias dirimit.

16 Dico sextò certum esse peccare seruum nuptias contrahentem cum libera, tacita ipsius serui conditione: & è contra seruam scienter contrahentē cum libero, ignorante esse seruam: & insuper matrimonium est irritum; cùm error sit in conditione, vt in *cap. ad nostram, de coniug. seruor. cap. si quis ingenuus, 29. q. 2.* latè *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 19. num. 2.* vbi id ampliat *nu. 3.* verum esse, etiam si seruitus ignorata perpetua non sit, sed tantùm temporalis, vt si pro certo tēpore concedatur seruo libertas, quo elapso, in pristinam seruitutem censeatur redactus, vt habetur ex eodem *Sanch. d. disp. 19. num. 4.* Quòd verum est, nisi superueniente scientia liberi de seruitute alterius coniugis, ipse liber rem habeat cum serua, quam duxit: siquidem per copulam subsecutam censetur liber consentire matrimonio inito cum serua: & è conuerso; atque ideò matrimonium non dirimitur; sicut non dirimeretur si non efficeretur deterior conditio decepti, vt si seruus contrahat cum libera putans esse seruam: siquidem præsumitur talis errans, non obstāte huiusmodi ignorantia, quòd adhùc matrimonium contraxisset, cognita conditione vxoris, vt per *D. Th. in 4. d. 36. q. vnica, ar. 1. & Tolet. lib. 7. sua sum. cap. 3. & alios.* Non tamen contrahens matrimonium ignorāter cum serua, & postea rem habens cum eadem manumissa ignarus manumissionis, censetur ratificare matrimonium; sicut non censetur ratificare matrimonium ignoranter contractum cum serua, nisi eam agnoscat affectu maritali sciens matrimonium per prius esse inualidum, vt ibidem *Sāch. n. 5. & 6.* & latiùs *lib. 2. disp. 36.*

17 Idem dicendum est de eo, qui sic errat in conditione alterius coniugis, ut paratus esset contrahere, etiam cognita seruitutis conditione, ut per *Nauar. loc. cit. num. 33.* aut si liber ignoranter contraxerit cum serua, cui post annum, uel biennium est concessa libertas, ut per eundem *Sanch. vbi sup. d. num. 4.* Vel denique de nouo expressè utriusque accedat consensus; nam tunc matrimonium ratificatur, & de nouo contrahitur, cùm possit esse matrimonium inter seruos, & liberas, & è conuerso; sicut inter seruum, & seruam, vt in *cap. 1. de coniug. seruor. cap. si quis liber, 29. q. 2.* & id non solùm consentientibus, verùm etiam contradicentibus, & ignorantibus eorum Dominis: cùm hac tamen distinctione, vt si matrimonium cum Dominorum consensu contrahant, non possint vendi in locis, ubi impediatur uita coniugalis: secus autem si eisdem contradicentibus, aut ignorantibus: nam distrahi possent etiam extra dicta loca, quamuis id domini citra culpam facere nequeant, iuxta non existente causa, vt ex *Toleto loc. cit.* vbi inquit quoque, quo Domini nunquam possunt horum thorum impedire, dum præsentes sunt.

18 Dico septimò certum esse peccare Coniuges matrimonium contrahentes post votum castitatis, siue votum solemne sit, siue simplex, & minus solemne: imò si votum sit solemne matrimonium reddit irritum, etiam si sit ex parte vnius tantùm coniugis: & id non solùm iure ecclesiastico; sed etiam Diuino, vt rectè probat *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 26.* & contrarium asserere, præsumentes anathemate feriuntur, vt patet ex *Conc. Trid. sess. 24. can. 9. de matr.* ita se habente: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege ecclesiastica, & voto, anathema sit.* Quod quidem verū est, siue votum solemne expressè fuerit emissum, siue tacitè, cùm taciti, & expressi eadē sit virtus, *l. cum quid, ff. si cert. pet.* Votum autem simplex castitatis impedit tantùm matrimonium contrahendum, non autem dirimit contractum: siquidem per votum simplex non traditur ipse vouēs Deo, nec interuenit Dei acceptatio per Ministros ab Ecclesia ad id destinatos; sed tantùm interuenit nuda promissio seruandi castitatem, aut ingrediendi Religionem. At per votum solemne castitatis traditur Deo, ipsum votum acceptatur à Deo per Ministros ab Ecclesia deputatos; atq; ideò nuptias non tantùm impedit; sed etiam dirimit contractas. Idem dicēdum est de voto simplici Religionis Societatis Iesu emisso post biēnium tyrocinij; nam huiusmodi votum adhuc impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, vt habetur ex *Bulla Greg. XIII.* motu proprio edita anno 1584. cùm per illud fiat traditio, licèt non perfectissima, & sic vouētes sunt verè, ac propriè Religiosi: Etenim de essentia status Religiosi non sunt vota solemnia, vt latè probat *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 25.* vbi multa circa rem hanc pertractat.

19 Quod diximus de voto simplici castitatis, excepto illo, quod emittitur à Religiosis Societatis Iesu, idem dicendum est de voto Religionis: siquidem sic vouentes non solùm peccant dum per verba de præsenti matrimonium contrahunt, vel per uerba de futuro; sed etiam tempore consumationis matrimonij: nam antequam matrimonium ratum consumetur, potest vouens Religionem ingredi. Imò consumato matrimonio non potest petere debitum antequam ab Episcopo dispensetur, si de facili nō potest recursus haberi

beri ad Rom. Pontificem. Quod verum est de voto castitatis; secus autem de voto Religionis; nam potest citra dispensationem debitum petere: quia non vouit castitatem, nisi in Religione seruandam, vt benè declarat *Tolet. lib. 7. sua sum. cap. 14.* vbi etiam inquit, quòd mortuo coniuge, tenetur alter qui votum emisit, illud implere, siue castitatis sit, siue Religionis; aliàs iterum contrahens, denuò incidit in eadem specie peccata.

20 Adde, quod contrahens matrimonium, qui votum habeat solemne castitatis peccet mortaliter, & matrimonium sit irritum, etiam si suscipiens ordinem sacrum nolit se voto obligare: nā si spontè suscipiat ordinem sacrum, cum ordo sacer habeat votum castitatis annexum, si non ex vi voti, saltem ex constitutione ecclesiastica inhabilitante suscipientes ordines sacros ad nuptias contrahendas, matrimonium dirimitur, & contrahens in excommunicationem incidit, vt in *Clem. vnica, de consang. & affin.* latè *Nauar. in Man. cap. 22. sub num. 52.* ad quod allegat *Scot. in 4. dist. 37. q. 1. Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 1. & lib. 8. de matr. disp. 37.* Quod quidem verum est, etiam si suscipiens ordines sacros iureiurando affirmet, se non habuisse intentionem vouendi: quoniam Ecclesia non tenetur illi fidē adhibere: aliàs magna perturbatio sequeretur in Ecclesia: & non solùm Clerici in sacris constituti; sed etiam Monachi, & Moniales, & alij Regulares professi possent iuramento asserere, se professionis tempore non habuisse animū sub regula permanendi, & vouendi. Imò id adeò verum est, vt suscipiēs ordines sacros, vt sup. teneatur castitatem seruare, & à nuptijs se abstinere, etiam si in eis suscipiendis expressè fuerit protestatus, se nolle castitatem vouere; nam adhùc tenetur ad castitatem seruandam, non ex voti cùm nec implicitè, nec explicitè castitatis votū emiserit; sed ex constitutione Ecclesiæ inhabiles facientes ad matrimonium contrahendum sacros ordines suscipientes.

21 Limitatur tamen id, quod diximus, vt locum sibi vendicet, vbi ordo sacer spontè fuerit susceptus, vt sup. diximus: aliàs secus est dicendum. Vndè si quis vi, aut metu fuerit ad sacros ordines promotus, non potest ad castitatem seruandam compelli; sed potest licitè matrimonium contrahere, non obstante ordine sacro suscepto, vt habetur ex *Glosa in cap. maiores, §. vlt. ver. Conditionaliter volens, de Baptis. Azor. par. 1. Inst. moral. lib. 11. cap. 15. q. 7. in fine*, & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 6. Clauis Reg. cap. 4. sub num. 20.* vbi testatur, hanc sententiam fuisse approbatam per stylum Cancellariæ, cuius vigore libera datur facultas cōtrahendi matrimonium ei, qui ordinem sacrum suscepit per vim, aut metum. Hoc idem docet *Nauar. in Man. cap. 22. num. 51.* vbi etiam asserit, nuper respondisse, non obligari ad preces horarias, & castitatem, quæ Ordini sacro sunt annexę filium cuiusdam maximi Principis, qui maximo reuerentiali metu patris, & patrui Regis, Diaconatus ordinem suscepit. Etenim quāuis iusto metu suscipiens ordinem sacrum, caracterem suscipiat; non tamen censetur castitatem vouere: num votum nunquam vim habet, nisi spontè fuerit emissum, arg. *tex. in cap. 1. de his, quæ vi, D. Th.* 2. 2. *q. 88. ar. 11. Angel. in sum. verf. Ordo, 3. §. 4. q. 18.* & alij: & eo maximè, quia continentia non est de iure Diuino sacro ordini annexa, sed tantum de iure Ecclesiastico.

22 Est tamen verum, quòd Ecclesia potest iusto metu suscipientem ordinem sacrum compellere ad votum castitatis emittendum, vel ad abstinendum ab ordinum vsu, & exercitio; ita vt Clericali priuilegio non gaudeat, si matrimonium contrahat. Imò qui per vim ab extrinseco illatam ordinatus esset, ordinem nullo modo diceretur suscipere; siquidem ad ordinem suscipiendum exigitur suscipientis intentio; sicut ad susceptionem Baptismi ab Adulto requiritur eiusdem adulti intentio; aliàs Sacramenta huiusmodi nō conferuntur, vt habetur ex *Panor.* & ex alijs in *d. cap. maiores, Syl. in sum. verf Ordo, 4. q. 1.* & ex alijs relatis per *Sayr. loco citato*.

23 Secundò limitatur, vt quod diximus nō procedat in puero ante rationis vsum ad sacros ordines promoto: nam si daretur de facto casus, prout antiquitus dabatur, non posset per Ecclesiam compelli ad castitatem seruandam, vt habetur per *Sot. in 4. d. 25. q. 1. ar. 2. Azor. par. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 14. q. 9. & 10.* & alios, quos refert *Sayr. lib. 6. Clauis Reg. cap. 1. sub num. 5. & cap. 4. sub num. 5. in fine.* Etenim votū solemne, ratione cuius ad sacros ordines promotus ad nuptias contrahendas efficitur inhabilis, pendet à voluntate liberè acceptantis Ecclesiæ legem prohibentem promoto ad sacros ordines matrimonium contrahere. Vndè nisi adultus factus spontè velit in ordinis statu permanere, nō potest cogi castitatem seruare, atque ideò non potest impediri matrimonium contrahere: & si de facto contraxerit non dirimitur. Quæ diximus de puero vera sunt, etiam in eo, qui inuincibiliter ignorat, votum castitatis annexum esse sacro ordini: non enim hac laborans ignorantia, si ad sacros ordines promoueatur, remanet castitatis voto alligatus, vt ex *Arag. Rodriq. & Azor.* docet idem *Sayr. d. cap. 4. sub num. 5.* Etenim ignorantia inuincibilis cum antecedat omnem actum voluntatis; atque ideò tollat voluntarium, & sit causa volendi, hinc fit, vt is ad instar pueri vsum rationis non habentis se habeat: & propterea non censetur votum castitatis, nec implicitè, nec explicitè emisisse. Benè verum est, quòd eiusmodi casus ipsi *Sayro* videtur impossibilis, cùm in adulto sacris ordinato inesse non possit talis ignorantia: & *Sanch. lib. 4. Decal. cap. 1. num. 29. & lib. 8. de matrim. disp. 37. num. 11.* tanquam certissimum statuit, teneri hunc saltem ex vi Ecclesiasticæ Constitutionis.

24 Tertiò limitatur, vt quamuis suscipiens ordinem sacrum citra intentionem se obligandi castitatis voto; vel cum expressa protestatione de se non obligando, non possit matrimonium contrahere, sed continentiam seruare cogi posset; nihilominus in ipso ordinationis actu si intentionem non habeat ordinem suscipiendi, & euidentibus signis id constet, secluso scandalo, ad voti obseruantiam non tenetur; quoniam ordinem re vera non suscepit; atque ideò votum ipsum ordinem sacrum consequens non dicitur, nec tacitè, nec expresè emisisse, & tantùm obligaretur ratione scandali, si adesset. Idem dicendum est de baptizato, baptismum suscipiendi

vo-

voluntatem, & animum non habente: & de Religioso Religionis vota emittente citra vouendi intentionem; quia Baptismus diceretur nullus; sicut, & professio nulla, & inualida. Est tamen verum, quòd si in eodem loco maneat, ne in peccato dicatur permanere, tenetur ad secretè vouendum, iuxta formam Regulę: aliàs Religiosus dici non posset; atque ideò dum falsò Religiosi persona induitur in statu damnationis dicitur esse: eo quòd Prælati talis Religionis absoluere, ac ligare nequeunt; sed tantùm proprius Episcopus, Parochus, & alius à Rom. Pontifice ad confessiones audiendas delegatus, prout hodie sunt omnes ferè Regulares. Prætereà in electionibus licèt suffragandi habeat animum, cùm suffragandi careat facultate, lethalem culpam contrahit. Vndè obligatur, vel à loco, vbi professionem emisit, recedere, & citra scandalum habitum dimittere: vel secretè intra se Religionis vota emittere. Ità *Sayr. lib 6. Clauis Reg. cap. 4. sub num. 2.* An autem talis possit ad sacros ordines promoueri, alimenta ex bonis Monasterij percipere, reclamare infra, vel post quinquennium, latè tractat *Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 37. & lib. 4. Decal. cap. 1. num. 28.*

25 Dico octauò certum esse peccare coniuges si post matrimonium ratum cum alijs contractũ, denuò matrimonium contrahant inter se: siquidem matrimonium ratum impedit, ne quis cum alia possit contrahere, & dirimit contractum, etiam subsecuta copula; atque ideò sic contrahẽs tenetur ad priorem redire; nisi primum matrimonium fuerit clandestinum; cùm matrimonia clandestina irrita sint, vt patet ex *Conc. Trident. de reform. matrim. sess. 24. cap. 1.* & rectè declarat *Tolet. lib. 7. sua sum. cap. 14.*

26 Dico nonò certum esse peccare fidelem si cũ infideli nuptias contrahat, & matrimonium efficitur irritum, etiam si infidelis sit Cathecumenus: siquidem disparitas cultus non tantùm impedit matrimonium contrahendum; verum etiã dirimit contractum, vt in *cap caue, 28. q. 1.* Non tamen idem dicendum est de contrahente cum hæretico, vel hæretica; quoniam matrimonium validum esset, licet contrahentes mortaliter peccarent, vt per *Glos.* communiter receptam in *c. non oportet, ead. causa, & q.* & latè *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 10. num. 61. 62. & 63.* Verũ tamen est, quod vbi infideles coniuges ad fidem simul conuertuntur, tunc in eorum matrimonio debent perseuerare, quamuis contraxerint contra ius Canonicum; dummodò non habeant aliquid naturæ repugnans: vt si pater cum filia cõtraxerit, filius cum matre, soror cum sorore, quia tunc sunt separandi: secus autem si in 2. 3. vel 4. gradu in linea transuersali contraxerunt. Idem dicendum est si plures vxores duxerint: nam primam tantum debent retinere, si conuertãtur. Quòd si illa non conuertatur, denuò potest eligere vnam ex conuersis, cum qua matrimonium nouum contrahat. Si tamen vnus infidelium cõuertatur, altero manente in infidelitate, tunc si infidelis non vult cohabitare cum fideli, aut si velit, vult habere cohabitationem cum iniuria Creatoris, vt quia scilicet ad malum, tunc conuersus potest sollicitantem dimittere, & contrahere cum altera Christiana. Si verò velit societatem habere citra Creatoris iniuriam, non est dimittenda, iuxta illud Apostoli: *Si quis vxorẽ habeat infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.* vt in *cap. gaudemus, de diuor.*

27 Illud denique circa rem hanc est adnot. quòd si conũersus sit Iudæus, siue vir, siue fœmina; paruuli filij debent sequi conuersum, & separandi sunt ab infideli, vt in *cap. Iudæi, 28 q 1.* Et idem dicendum est de alijs infidelibus, qui serui sunt, & mancipia Christianorum. Cæterùm filij infidelium, qui liberi sunt, & Domini seruorum semper sequuntur patrem, non autem matrem, *cap. ex litteris, de conuers. infidel.* Hæc autem intelligenda sunt de filijs ante vsum rationis; nã adulti relinquendi in sua libera voluntate.

28 Dico decimò certum esse, peccare coniugem, si coniugem ducat in vxorem vi, aut metu, & è conuerso: & insuper matrimonium est inualidum; dummodò metus sit iustus cadens in constantem virum, qualis est metus mortis, verberũ, captiuitatis, amissionis bonorum, infamiæ, &c. vt in *l. metum, ff quod met. causa.* Quod verum est, nisi metus sit iustus à lege, aut ex natura delicti proueniens, vt patet exemplo in condemnato ad mortem, cui remittitur pœna si ducat in vxorem consanguineam occisi: siquidem eiusmodi metus infertur à lege potius, & à natura delicti, & quasi ab extrinseco, & non à consanguinea occisi, seu à Iudice. Imò Iudex dicitur potius auferre illi metum, offerendo illi immunitatem si matrimonium contrahat. Sic etiam parentes puellæ, qui iuuenem post rem cum ea habitam vellent occidere, vel Iudici denunciare puniendum, & ipse iuuenis promittat puellam in vxorem ducere, si non denuncietur, aut non occidatur: tunc enim validum erit matrimoniũ ita contractum, vt post *Sot. & Reginald.* docet *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4 cap. 10. nu. 69.* Idem dicendum est, si post vim, aut metum incussum, is, cui metus fuit illatus, consentit expresse, vel tacitè matrimonio, vt in *cap. ad id, de spons.* aut si post violentiam, & metum intercesserit spontanea copula; quoniam in foro saltem exteriori compelluntur contrahere: non sic quoad forum interius, nisi maritalis concurrat consensus.

29 Dico vndecimò certum esse, peccare coniuges si post commissum homicidium, vel adulterium, vel vtrumque simul in persona priorum coniugum sub spe futuri matrimonij, nuptias contrahant: id enim à iure reprobatur, & matrimonium dirimitur in quatuor casibus, quorum primus est, cùm vnus coniugum conuenit cum altero, vt occidat alterius coniugem, vt possint inter se postea matrimonium contrahere, tunc si homicidium sequatur, eiusmodi crimen impedit matrimonium contrahendum, & dirimit cõtractum, vt in *cap. laudabilem, de conuers. infidel.* Secundus casus est, vbi vnus coniugum alterum interficit per se, vel per alium, & cum adultera contrahat, quamuis adultera non sit cõcors, & è conuerso. Vndè iste casus est à priori diuersus: nam in priori copula non exigitur; in posteriori verò expostulatur, *cap. super eo, de eo, qui duxit vxor. quam polluit per adulter.* In vtroque tamen casu requiritur homicidium cum animo contrahendi, vt contra *Caiet.* docet *Tolet. lib. 7. sua sum. cap. 146.* quod verum est, dummodò vterque sciat comisisse adulterium, ita vt coniu-

gatus

gatus adulteretur cum soluta, quæ sciat illum esse coniugatum; aliàs secus, vt benè declarat idē *Molfes. loco citato, num.* 48. post *Sanch. lib. 7. de matrim. disp.* 78. *num.* 12. & *disp.* 79. *num.* 31. Tertius casus est, vbi vnus coniugum adulteriū committit, & mediante fide, seu iuramento promittit, se matrimonium cum adultera contracturum post obitum coniugis: nam si post obitum nuptię sequantur dirimuntur, *cap. significasti, il* 2. *eod. tit.* Est tamen verum, quòd iste casus quatuor conditiones exigit, nempè, vt adulteriū sit verum, consumatum, quòd viuat legitima coniux, & quòd signo exteriori fiat promissio, vt habetur ex *Sanch. Reginald.* & ex alijs relatis à *Molfes. ibidem, num.* 40. *cum plur. seq.* Quartus casus est, cùm unus coniugum, qui per uerba de præsenti contraxerunt, matrimonium cum alio contrahit de præsenti, & copulam habet: siquidē eo casu etiam mortuo priori coniuge, isti non possunt contrahere: & sic duæ conditiones sunt necessariæ; quarum prior est, vt intercedat copula cum secunda: posterior, quòd uterque sit criminis conscius: secus autem si alter ignorabat esse coniugatum alterum, ut per Doctores supra citatos.

30 Dico duodecimò certum esse, coniuges peccare, si tempore raptus matrimonium contrahant: raptus enim impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, ut in *Conc. Trid. sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 6. Vndè si quis uirginem, aut corruptam rapit de domo parentum, aut illorum, sub quorum cura reperitur, ipsis inuitis, si cum ea contrahat infra tempus raptus, matrimonium efficitur irritum: quo circa ut matrimonium sit ualidum debet rapta in loco libero collocari, & tunc si uult potest de nouo contrahere. Puniuntur tamen grauiter raptores, nam, & ipsi, & eisdem fauentes, & consilium dantes ipso facto sunt excommunicati, perpetua notantur infamia, omnium dignitatū redduntur incapaces: & si Clerici sint, degradantur, & insuper raptor tenetur raptam dotare, siue cum ea matrimonium contrahat, siue non, ut ex eodem Concilio habetur.

31 Dico tertiodecimò certum esse, peccare coniuges si matrimonium contrahant, non obstnte Episcopi prohibitione, seu eiusdem Vicarij, aut Iudicis, interdicentium eis nuptias contrahere, donec causa aliqua, aut impedimentum examinetur. Est tamen uerum, quòd contra formam interdicti contrahentes, licèt lethalem culpam contrahant; non tamen eorum matrimonium dirimitur: siquidem interdictum impedit matrimonium contrahendum; non tamen dirimit cōtractum, *cap.* 1. 2 & 3. *de matr. contrah. contra interd.* Idem dicendum est de excommunicatis: nam excommunicatio priuat vsu omnium Sacramentorum, tàm actiuè, quàm passiuè.

32 Dico quartodecimò certum esse, peccare coniuges contrahentes matrimonium per verba de præsenti cum vno post sponsalia cum alio contracta per verba de futuro, quamuis matrimonium sit validum: siquidem contrahentes sponsalia valida, tenētur iidem seruare, nisi ex iustis causis id fiat, ut habetur ex *Molfes. post alios, p.* 1. *sua sum. tr.* 4. *cap.* 15. *num.* 8.

33 Dico qnintodecimò certum esse, peccare coniuges contrahentes cum eis, quos in Cathechismo susceperunt. Etenim Cathechismus impedit matrimonium contrahendum; non tamen dirimit contractum: licèt eadem cognatio contrahatur in Cathechismo, quæ contrahitur in Baptismo, vt in *cap. Cathechismum, de cognat. spir. in* 6. & latè *Tol. in sua sum. lib.* 7. *cap.* 6. *in fine*, vbi contra *Armill.* quoque inquit, cognationem Cathechismi impedire matrimonium sub lethali culpa, sicut omnia supra relata impedimenta, cùm non possit assignari diuersitatis ratio. Benè verum est, quod multi volunt, quòd hæc Cathechismi cognatio hodiè sublata est per Concil. Trident. in quo nulla fit mentio cognationis huius: & hanc sententiam veriorem esse probat *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 10. *num.* 12. *Reginal. lib.* 31. *sua prax. num.* 190. & *Molfes. par.* 1. *sua sum. tr.* 4. *cap.* 10. *num.* 121.

34 Dico sextodecimò certum esse, peccare sponsos sponsalia contrahentes Clandestinè: siquidē de iure sponsalia Glandestinè contrahi prohibētur, *cap. cùm inhibitio*, & ibi *Panor. de cland. spons.* Non tamen efficitur irritum matrimoniū subsecutum si fiat in facie Ecclesiæ, & cætera cōcurrant, quæ de iure requiruntur: quia vi *Conc. Trid. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrim.* irritantur matrimonia Clandestina dumtaxat; & propterea non censentur irritari sponsalia, quæ essentialiter differunt à matrimonio in pluribus. Etenim matrimonium contrahi non potest, nisi post annos pubertatis; sponsalia verò statim post septemnium, *cap. vnico, de spons. impub. in* 6. Item matrimonium contrahitur per verba de pręsenti, vis, & volo: sponsalia verò per verba de futuro. Et si duo impuberes contrahant per verba de præsenti, resoluitur contractus in sponsalia de futuro, ut in *d. cap. vnico.* Prætereà differunt matrimonium, & sponsalia: quia matrimonium difficilè dirimitur: sponsalia facilè dissoluuntur. Vndè votum simplex castitatis quamuis impediat nuptias contrahendas, & non dirimat contractas; nihilominus impedit sponsalia contrahenda, & dirimit contracta. Rursus sponsalia mutuo consensu soluuntur; non sic matrimoniū. Et denique sponsalia dissoluuntur per superuenientem affinitatem, deformitatem, aut morbum contagiosum in persona alterius sponsi, per superuenientes inimicitias capitales, & alijs cumulatis per *Tolet. lib.* 7 *sua sum. cap.* 7. at matrimonium ex prædictis causis non dissoluitur.

35 Dico decimoseptimò certum esse, peccare coniuges ante contractum matrimonium per verba de præsenti vtentes amplexibus, & osculis inuicem cum periculo pollutionis: & multò magis si vtantur tactibus impudicis: siquidem hæc omnia sunt prohibita, cùm inter sponsos nō possit esse copula. Quòd si oscula interueniant citra supradictum periculum ad conciliandum, ac fouendum mutuum inter eos amorem in ordine ad matrimonium contrahendum licita sūt, vt latè de hac re tractat *Sanch.* post alios *lib.* 9. *de matrim. disp.* 46. & 47. & *Molfes. par.* 1. *sua sum. tr.* 4. *cap.* 15. *num.* 10. & *seq.* vbi etiam addit, quòd si sponsi vtantur osculis, & amplexibus delectationis tantum gratia citra periculum pollutionis, nō contrahūt plusquam venialem culpā. Verum tamen est, quod peccant mortaliter spōsi, si ante contractum matrimonium per verba de præsenti delectationem percipiant in cogita-

 do

do copulam de futuro habendam post matrimonium contractum: quoniam talis actus appetitus sensitiui ex se fertur in copulam præsenté, vt præsens est, & cum præsenti commotione: sicut mortaliter peccat vidua admittens delectationem veneream ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij, cùm delectatio sit de præsenti, iuxta ea, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 16. num. 10. Sanch. d. disp 47. à nu. 4. ad 9. & Molfes. d. cap. 15. num. 14. cum plur. seq.* vbi *num. 15.* id limitat, vbi delectatio non est circa copulam, sed solum circa oscula, amplexus, & tactus.

36 Dico decimooctauò certum esse, peccare coniuges nuptias contrahentes per verba de præsenti certis anni temporibus citra dispensationem; nempè ab Aduentu Domini Nostri Iesu Christi vsque ad diem Epiphaniæ: & à feria 4. Cinerum, vsque ad octauam Paschatis inclusiuè. Id enim prohibitum est per *Concil. Trid. sess. 26. de reform. matr. cap. 10.* Non tamen consumare matrimonium in supradictis anni temporibus est peccatum mortale, vt in *cap. Cappellanus*, vbi *Glosa, vers. Quocunque tempore, de fer. Sách. lib. 7. de matrim. disp. 7. Reginal. lib. 31. sua prax. n. 65.* & alij relati per *Molfes. par. 1. sua summ tr. 4. cap. 15. nu. 28.* Etenim Ecclesia prohibet nuptias dictis temporibus solemniter tantùm celebrare, non autem prohibet sponsalia, & matrimonij consumationem de præsenti, & priuato modo contractum.

37 Dico decimononò certum esse, peccare coniuges, scienter ab alio, quàm à proprio Parocho benedictionem suscipientes: siquidem id per *Conc. Trid. d. sess. 24. cap. 1.* expresè prohibetur: & Sacerdos absque licentia proprij Parochi benedictionem tribuens grauiter punitur. Matrimonium tamen non irritatur; nisi ab alio, quã à proprio Parocho fuerint matrimonio coniuncti: siquidem matrimonium est inualidum eo casu, vt per *Concil. Trid. loco citato*, vbi etiam monet coniuges ne ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent. Non puto tamen si citra contemptũ habitent coniuges ipsas aliquam culpam contrahere: quoniam verba tantùm præceptiua obligant ad culpam, vt probauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 8. q. 2.* Idem dicendum est si coniuges antequam contrahant vel triduo ante matrimonij consumationem nõ confiteantur, & Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum non suscipiant: quia Concilium ibidem similiter verbis vtitur hortatorijs: quod verum est, nisi mortalem culpam habeant; quoniã tunc mortaliter peccarent: siquidem nullum Sacramentum citra culpam suscipitur ab homine in lethali peccato permanente. Est enim matrimonium verè Sacramentum à Christo institutum, & gratiam conferens, sicut omnia alia Sacramenta, & contrarium asserens anathemate tanquam hæreticus feritur, vt habetur ex eodem *Conc. Trid. sess. 24 de Sacr. matrim can. 1.* Cõsumare quoque matrimonium ante benedictionem, & citra contemptum, non est lethalis culpa, vt probat *Molfes d. cap. 15. num. 30.* post *Caiet Reginald.* & alios.

38 Dico uigesimò certum esse, peccare coniugẽ altero inuito, Religionem ingredientem, etiam si per uim infra bimestre passa sit copulam: siquidem per eiusmodi copulam, licèt vi extortam, coniuges efficiuntur vna caro, & affinitatem contrahunt, vt in *cap. discretionem, de eo, qui cognat. consang. vxor.* Ergò eorum matrimonium vti consumatum efficitur indissolubile. Vnde licèt citra culpam ante consumationem matrimonij, etiam altero dissentiente, possint Religionem ingredi, & professionem emittere; nam matrimonium ratum, & non consumatum, per solemnem Religionis professionem alterius cõiugis dirimitur, ita vt coniux manens in sæculo sit omninò à vinculo absolutus, & liberè possit ad alias nuptias transire, vt latè probat *Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 18.* Et contrarium asserere, est hæresis, vt in *Conc. Trid. loc citato, can. 6.* post tamen illius consumationem quantumuis violentam non potest coniux altero inuito, Religionem ingredi, vt probat idem *Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 22. num. 4.* vbi etiam *num. 5.* id verum esse probabiliter tenet, etiam si sponsa vi cognita infra bimestre sibi concessum ad Religionem ingrediendam, quamuis contrariam arbitretur esse multò probabiliorem, atque ideò licèt vir non possit Religionem ingredi, contradicente vxore vi cognita; vxor tamen intra bimestre, vt supra, per vim cognita; potest Religionem ingredi, & profiteri: siquidem sponsus grauem iniuriam ei intulit, cùm non habuerit ius copulam extorquendi ante bimestre concessum, *cap. ex publico, de conuer. coniug.* & illa non potest aliter ius suum recuperare, nisi per Religionis ingressum. Dixi: *Infra bimestre; quia si vxor post bimestre per violentiam cognoscatur, non potest amplius Religionem intrare, contradicente viro;* quoniam vir iure suo vtitur, vt habetur ex *Ioann. Andr. in reg. qua contra ius, de regul. iur. in 6. Syl. in sum. vers. Diuortium, q. 5.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. loco citato, nu. 1.*

39 Dico vigesimoprimò certum esse, peccare cõiuges si post matrimonium consumatum, etiam altero coniuge consentiente, & in sæculo remanente, Religionem ingrediatur, nisi infra dicendis concurrentibus. Etenim licitus non est coniugis ingressus post matrimonium consumatum ex sola licentia alterius coniugis manentis in sæculo; sed in sæculo remanens si senex sit, citra incontinentiæ suspicionem debet castitatis votũ emittere: Si verò iuuenis, id satis non est; sed oportet, vt ipse quoque Religionem ingrediatur, vt est *tex. in cap. cum sis, de conuer. coniug* in illis verbis: *Prohibentes, ne virum, vel vxorem, nisi vterque ad Religionem migrauerit, transire permittas. Verum si ita vxor senex est, & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, vt ea in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad Religionem transeat vir eiusdem.* Idem habetur in *cap. & vxoratus:* & de alterius coniugis ingressu, in *cap. ad Apostolicam, eod. tit.* Imò ad hæc omnia peragenda omninò exigitur Episcopi Diœcesani consensus, vt per *Glos. in d. cap. 1. vers. Reuocari: Hostien. in d. cap. cum sis, num. 3. vers. Permittas,* cum alijs cumulatis per *Sanch. de matr. lib. 7. disp. 32. nu. 3.* vbi hanc materiam optimè explicat; & inter alia probat *num. 12.* quod si coniux senex remãsus in sæculo, cum continentiæ voto, incontinẽter viuat, est compellendus Religionem ingredi;

non

non tamen profiteri, vt colligitur ex *tex. in cap. significauit, de conuers. coniugat.* à contrario sẽsu. Quòd si coniux de alterius licentia Religionẽ ingressus exeat Nouitiatus tempore, est cogendus redire ad coniugem manentem in sæculo; etiam si manens in sæculo votum castitatis emisit: nam licentia intelligitur data ad ingressum cum effectu, nempè mediante professione. Vndè professione non secuta, cessat votum, nisi coniux habuerit animum vouendi independenter ab alterius professione, vt post alios docet *Sanch. loco citato, num. 13.* vbi etiam *nu. 14.* probat, quod si alter coniux absque alterius licentia professionem emittat, ac manens in sæculo ratificare velit; non indiget Religionis ingressu, quamuis iuuenis sit; sed satis est si in sæculo castitatem voueat: siquidem iura non sinunt, alterum esse in Religione: & alterum absque voto in sæculo. Adde hic alia quamplurima cumulata ab eodẽ *Sanch. d. lib. 7. disp. 33.*

40 Dico vigesimosecundò certum esse, peccare coniugem, si legitimè non constet de morte alterius coniugis; sed in dubio adhuc permanens ad secundas nuptias cõuolauit: id enim de iure sibi prohibetur. Vt igitur legitimè dicatur constare de morte prioris coniugis, id probari debet, vel per librum Parochi, seu Rectoris, in quo describi solent fidelium cadauera in eorum Ecclesijs tumulata, vt habetur per *Seraph. decis. 1566.* vel ex testium depositione, de visu deponentium de alterius coniugis morte: vel saltem vnus testis adsit de visu, & duo de fama, vt in *cap. in præsentia, de spons. & matr.* Idem dicendũ est, si vnus tantùm adsit testis bonæ famæ, præsertim si dicatur mortuus in partibus valdè lõginquis. Imò si adesset publica vox, & fama, vel alia indicia, quæ pariant verisimilem præsumptionem de morte alterius coniugis posset mulier citra culpam nubere secundo viro: quoniam licèt non constet de morte viri; nihilominus satis est illa probatio, quæ arbitrio boni viri præsumptionẽ faciat verisimilem, *cap. fin. §. sin autem, vt lit. cõtest.* vt pe. *Reginal. lib. 31. sua prax. num. 71. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 10. num. 54. cum plur. seq.* Vndè si mulier cum hac probabilitate, & seruatis Ecclesiæ solemnitatibus, si secundò nubat, non diceretur adultera, etiam si vir viueret. Tenetur tamen illo redeunte, ad [illegible] quidem primum est verum matrimonium, & secundum est tantum putatiuum, *cap. 1. & cap. si virgo, 34. q. 1.* & latè *Reginald. loco citato, num. 69. Ricc. in prax. ... matrim. dec. ...* quem refert *Molfes. d. nu. 54.* Cæterum si fuerit viuente

41 adhuc viuente, vir cum alia contrahat, ultra lethalem culpam varijs afficitur pœnis. Nam in primis irregularis efficitur, *c. nuper, de bigam.* Secundò contrahit impedimentum [illegible] matrimonium, & quadraginta diebus in pane, & aqua ieiunare, & septem sequentibus annis pœnitere debet, *cap. 2. de spons. duor.* Tertiò efficitur infamis ipso iure, *d. cap. nuper.* Quartò pœnis plectitur adulterorum, & stupratorum: & si ex libidine huiusmodi crimen committat, ad triremes mittitur non vltra decennium: si autẽ ex eo quòd malè sentiat de Sacramento, traditur Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, qui abiurare eum faciant de leui, vel de vehementi, iuxta qualitatem erroris, in quo versetur: pro qua re posset etiam quæstionibus subijci ad sciendam ipsius intentionem circa veritatem Sacramenti matrimonij, ut rectè declarat idem *Molfes. d. cap. 10. num. 58.*

42 Dico trigesimotertiò certum esse, peccare cõiugem medicamenta sterilitatis suscipientem ex eo, quòd periculo mortis se exponat in pariendo, uel quia factum sit solita parere mortuum: siquidem [illegible] sterilitatis medicamenta suscipere est intrinsecè, & obiecto malum, cum per se repugnet bono prolis, atque ideò id fieri [illegible] citra culpam: nam ea quæ sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, nulla ratione possunt esse bona, *cap. super eo, de [illegible].* Est tamen uerum, quod uxor [illegible] modo non obligatur [illegible] latè probat *Sanch. de matrim. lib. [illegible] num. 9. & seq.* & alij apud eundem [illegible] *num. 86.* Et quamuis [illegible] hoc casu uelit *Tab. [illegible] Vxor, num. 4.* coniuges debere [illegible] seruare, etiam si iuuenes sint; contrarium tamen docet *Sanch. loc. cit.*

43 Dico uigesimotertiò, peccare coniuges mutuum debitum coniugale petentibus non reddẽtes. Tenentur enim [illegible] debitum reddere, siuè petatur expressè, siue tacitè, aliás contra iustitiam [illegible] culpam [illegible], ut habetur ex *D. Thoma 1. 4. d. 32. q. [illegible] a. 2. quæstiũc. 1.* quem Doctores communiter sequuntur. Etenim uiri corpus est uxoris, & è contra, iuxta illud *Apost. 1. Corinth. 7.* Ergo de iustitia debent coniuges debitum ad inuicem reddere, cum iustitiæ actus sit reddere unicuique, quod suum est, *l. iustitia ff. de iust. & iure* [illegible] *in instit. eod. tit.* Confirmatur, quia [illegible] & obligatio ad reddendum [illegible], quæ necessariò sequuntur ex [illegible] matrimonij, & uinculi coniugalis. Vnde coniuges contrahẽdo non possunt pacisci de non reddendo, ac non petendo debito, ut per *Sanch. de matrim. lib. 5. disp. 10. à num. 1. ad 5. & lib. 9. disp. 2. num. 8.* Censetur autem [illegible] tacitè [illegible] petere à uiro, quando [illegible] aliquod suæ uoluntatis ostendit: [illegible] uxor propter uerecundiam raro, aut nunquam audet expressis uerbis debitum petere, ut [illegible] *D. Thom. loco citato, Nauar. in Man. cap. 16. num. 2.* & alij apud *Sanch. d. lib. 9. de matrim. disp. 2. num. 4.* ubi etiam *num. 5.* probat, [illegible] esse uxorem expectare petitionem [illegible] expressam [illegible] debitum [illegible].

44 [illegible] coniugem teneatur [illegible] coniugale petenti, [illegible] Bus [illegible] debitum [illegible] reddere [illegible] est [illegible] atque ideò ubi [illegible] necessitas urget, licèt non petatur, tenetur coniux etiam non petenti offerre. Sicut Medicus ex officio tenetur adhibere medicinam, quam [illegible] fore speret, quamuis non petat, ut habetur ex eodem *D. Thoma loco citato, Turrecrem. in cap. scitatis, 33. q. 4. ar. 2. ad 1. Sotus in 4. d. 31. q. vnica, art. 4. concl. 1. & Sanch. d. disp. 2. sub num. 6.* ubi etiã *num. 7.* id ampliat, ut ad euitandum periculum incontinentiæ alteri coniugi, obligetur ad debi-

tum coniugale non petenti, quamuis debitum petere non possit ratione impedimenti superuenientis affinitatis, voti, &c. quia id non est propriè petere, sed reddere debitum.

45 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt coniuges recusantes reddere debitum coniugale petenti, vt supra lethalem culpam contrahãt: siquidem hæc obligatio prouenit ex lege iustitiæ, vt supra declarauimus. Est tamen verum, quòd multoties excusantur à peccato mortali, vt quãdo coniux remissè petat debitum: vel quando solitus est petere; sed rogatus facilè cedit iuri suo, vel non ita exactè petit, vt velit, coniugem non reddentem ad lethalem culpam obligare, vel si petens esset nimius: quoniam in omnibus rebus debet seruari modus, vt rectè declarat *Sanchez post alios d. disp. 2. num. 10. cũ plur. seq. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 13. num. 33. cum plur. seq.* vbi plures casus enumerat, in quibus coniuges excusantur à lethali culpa, coniugale debitum non reddentes.

46 Tertiò ampliatur, vt non reddens debitum petenti, peccet mortaliter, etiam si impotens efficiatur ad illud reddendum sua culpa, & medijs illicitis, ut quia crebro se polluat, aut ad alias mulieres accedat: Etenim eadem iustitiæ lex debitum coniugale præcipiens censetur cõiuges obligare, ne medijs illicitis scienter se reddant impotentes; sicut lethalem culpam contraheret debitor, qui scienter se impotentem reddat ad soluendum debitum. Vndè si vir se polluendo, aut adulterium committendo aduertat se inde reddi notabiliter impotentem ad satisfaciendum moderatè vxori, vltra culpam pollutionis, seu adulterij, committit peculiare peccatum contra legem iustitiæ, qua tenetur aptum se debito coniungali reddendo perseuerare, vt habetur ex *Dicch. in 4. d. 32. ar. 1 q 1. ad 1. Rosel. in sua sum. vers. Debitum, num. 2 Syl. eod. vers. q. 1. vers. Prima est, & Sanch. post alios, lib 9. de matrim. disp. 3. num. 2. & 3.* vbi etiam *num* 4. id ampliat verum esse, etiam si medijs licitis scienter reddat se impotentem, vt si propter immoderata ieiunia, vigilias, vel disciplinas indiscretas coniux efficiatur notabiliter impotens. Etenim coniugi cùm prohibeatur debiti negatio, hæc omnia eidem interdicta censentur: quia quando aliquid prohibetur, censetur quoque prohibitũ omne id, per quod peruenitur ad illud, *l. oratio, ff. de sponsal.* Dixi, *Si scienter se reddat impotentem*, quia si coniux se extenuans, ac debilitans absque fraude, & bona fide seruans Ecclesiæ ieiunia, & vigilijs vacet, & alijs honestis studijs moderatè, non peccat; quoniam sic non redditur impotens, sed minus potens: nec obligatur cum spirituali detrimento à spiritualibus operibus abstinere, vt se potentiorem conseruet. Sicut non ob id cogitur recedere ab alijs corporalibus exercitijs, vt habetur ex *D. Thom. loco citato*, & alijs relatis per *Sanch in d. disp. 2. num. 2. cum plur. seq* vbi ex hoc infert, virum citra vxoris consensum non posse vouere abstinentias, vigilias, preces, & longam peregrinationem, & cætera eiusmodi in præiudicium debiti coniugalis, & ita è conuerso vxor, inconsulto uiro. Est tamẽ uerum, quod hæc uota sunt ualida donec per coniuges reuocentur, ut colligitur ex *Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. Tabien. vers. Matrimonium, 1. q. 1. §. 4. Nauar. in Man. cap. 12. num. 61. & Sanch. d. disp. 2. num. 8.* cum alijs, quos allegat.

47 Infertur etiam excusari à ieiunio Ecclesiæ coniugem, qui aliter uxori suæ debitum reddere non ualet: siquidem ieiunium non impedit opera necessitatis, atque ideò non obligat eum, qui suo munere cum ieiunio fungi non potest; ita non impedit opus soluendi debitum; & eo maximè, quia tendit in præiudicium tertij. Confirmatur; quia cum duo præcepta concurrunt incompatibilia, alterum ieiunij, quod est humanum, & alterum reddendi debitum coniugale, quod est naturale diuinum; naturale Diuinum tanquam fortius præferendum est humano, ut per eundem *Caiet. in sum. vers. Ieiunium, cap. 3. §. excusantur infirmi, Nauar. in Man. cap. 21. num. 16. Valen. 22. disp. 9. q 2 pun. 5. §. Necessitas excusans*: & post alios *Sanch loco citato, nu. 10.* ubi *num. 11. & 12.* Ex hoc infert etiam excusari uxorem à ieiunio, ut uiro placeat, & eius amorem erga ipsam cõseruet: & ne despiciatur si propter ieiunium appareat pallida, ac deformis: Etenim mutuus coniugum amor est ualdè necessarius ad coniugalem quietem traducendam. Idem dicendum esse, ait de fœmina nubere uolenti; nam si ob ieiunium deformis adeò uideatur, ut cum difficultate uirum inueniat, à ieiunio excusabitur; quia nemo tenetur cum notabili suo detrimento legem humanam seruare. Imò si uir præcipiat uxori ieiunium frangere, citra legitimam causam, & uxor non obtemperando ammitteret uiri gratiam, & rixæ orirentur inter eos, & scandala, tunc fas esset uxori ob eam causam ieiunium soluere; quoniam mutuus amor coniugum præponendus est, Ecclesiastico ieiunio: & eo magis, quia lex positiua, vt positiua non obligant cum scandalo, *cap. nihil cum scandalo, de præscript. & Nauar. in Man. cap. 11. num. 19.* Quod uerum est, nisi maritus præciperet uxori solutionem ieiunij in cõtemptum præcepti Ecclesiastici: nam tunc mortem potius tenetur subire uxor, quàm ieiunium soluere, ut rectè docet *Philiar. de offic. Sacerdot. tom. 1. par 2. lib. 3 cap. 25 § quod ieiunio, & Sãchez d. disp. 2 num. 13.* Cæterùm circa rem hanc est aduer. ut licet coniuges non possint, iuxta ea, quæ diximus, reddere se impotentes ad copulam: non tamen tenentur uti calidis remedijs, ut potentes ad copulam efficiantur: nam obligationi reddẽdi debitum coniugale satisfaciunt impotentes reddant ad copulam, ut habetur ex *Palud. in 4. d. 32. q. 1. ar. 2. num. 8. Tabien. vers. Matrimonium, 3. q. 4. §. 5.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. loco citato, num. 6.*

48 Quartò ampliatur hæc ipsa conclusio, ut coniux teneatur reddere coniugale debitum petenti etiam in magnis solemnitatibus, nempè Natiuitatis Domini, in Pascha, Pentecostes, in festo Corporis Christi, in die cõmunionis, &c. quoniã id debetur ex iustitia, ut supra diximus. Et quãuis coniuges in prædictis maioribus festiuitatibus, maximè in die communionis satis congruum sit, si à coniugali copula abstineant, ut omni qua decet puritate Sanctissimum Eucharestiæ Sacramentum sumant, & contrauenientes ob solam delectationem, uenialem saltem culpã contrahant; nihilominus si coniuges copulam habeant ad euitandum periculum incontinentiæ,

tiæ, uel ut debitum alter alteri petẽti reddat nullam culpam contrahunt, ut habetur ex *Reginal. lib.31. sua prax. num.345. Sanch. lib.9. de matr. disp.21. & Molfes. par.1. sua sum. tr. 4. cap.13. num. 86.*

49 Quinto ampliatur, vt coniuges teneantur reddere sibi inuicem debitum cõiugale, etiam si petens cum peccato mortali peteret. Ita *Sot. in 4. d.31. q. vnica, ar.3. vers. Inter soluendum. Petr. Sot. lec.16. de matr. fin.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. lib.9 de matr. disp 6. num.4. cum plur. seq.* Quod quidem citra omnem controuersiam putat esse verum quando exigere debitum est culpa lethalis non ob aliquam circumstantiam tenentem se ex parte actus; sed ob circumstantiam personalem ipsius exigẽtis, vt si petens, malo fine debitum petat, vel ratione voti castitatis, quo ligatus est fiat sacrilegus petendo: siquidem tunc non tantùm potest, sed etiam debet coniux, à quo debitum petitur, reddere: quoniã actus ille non est ex sui natura, ac intrinsecè malus; sed solùm ex circumstantia ex parte exigẽtis: ergo idem actus prout se tenet ex parte coniugis reddentis, in quo non reperitur aliqua circumstantia vitians erit licitus, & debitus ex iustitia. Confirmatur, quoniam emittens castitatis votum non amisit dominium corporis alterius coniugis per matrimonium acquisitum; sed tantùm peccat exigens in ordine ad Deum, cui fidem voti violat; ergò tenetur coniux expostulatus petenti rei suæ satisfactionem reddere; non secus ac si pecunias apud alterum à se depositas expostularet ad fornicandum. Deniq; hoc ipsum patet in multis casibus, in quibus petere culpa est; reddere verò non est, vt per innumeros ferè Doctor. Probat ibi *Sanch.* Et idem ait esse dicendum, quoties exigens culpam tantum venialem contrahit: tunc enim reddens excusatur, ne coniugi displiceat, aut ne odia excitentur, ac discordia inter coniuges. Id autem contingere potest, vbi vir vellet succubus coire, vel præpostero modo in vase naturali, & in alijs modis, in quibus non committitur culpa plusquam venialis.

50 Hæc tamen ampliatio limitatur tripliciter, Primò, quando vitium personale priuat coniugem iure debitum exigendi, vt si coniux affinitatem contrahat cum altero coniuge per copulam cum eius cõsanguinea, vel cognatione spirituale cum eo. Secundò vbi voto castitatis petentis debitum, alter coniux consenserit. Et tertiò, quando coniux exactus potest commodè citra odij formidinem, indignationis, & incontinentiæ exigentis. His enim casibus coniux alteri coniugi citra omnem culpam debitum denegat; vt latè habetur ex *Sanch. loc. cit.* per integram præfatã disputationem.

51 Sic ampliata limitatur primò supradicta cõclusio, vt coniux petenti non teneatur debitum reddere cum detrimento propriæ salutis, vt si alter coniux esset percussus lepra, aut morbo gallico laboraret: siquidem obligatio reddendi debitum, semper intelligitur salua incolumitate personæ eius, à quo petitur. Vndè vxor febre, aut alia infirmitate laborans non cogitur viro petenti debitum reddere. Idem dicendum est si coniux debitum petat plusquam par est: quoniã copula immoderatè repetita vires eneruat: vel si petatur mox post prandiũ, vt habetur ex *Sanch.* post alios *lib.7. de matr. disp.24. nu.3. Coninch. disp.34 de matr. num.20. Molfes par.1. suæ sum. tr.4. cap.13 num.21. & 36.* Et quamuis aliqui id limitent in casu periculi incontinentiæ ex parte petentis, quia salus spiritualis proximi præferenda est saluti corporali, nihilominus probabilior nobis videtur eorum, qui volunt, de præcepto non teneri debitum reddere eo casu, sed tantum de consilio, vt docent *Reginald. lib.31. suæ sum. num.283 §. eiusmodi, Coninch. loc. cit. num.22. Molfes. d. cap.13. nu.38.* post *Sanch. d. disp.24. num 12.* & alios supra relatos Doctores. Etenim incontinentia coniugis alijs remedijs comprimi potest: & dato quod incontinentia aliter comprimi non posset; ad debiti solutionem nõ obligatur cum propriæ salutis graui dispendio, cùm illo euentu non ex iustitia, sed ex charitate teneatur debitum petenti exoluere: at charitas nõ obligat cum propriæ salutis magno incõmodo; & eo maximè quoniam in eiusmodi casibus posset coniux, mediante Dei auxilio continere, atq; ideò Deum non offendere, cum omne peccatum sit voluntarium: posset tamen citra culpam reddere si vellet, cum huic periculo possit renũciare; imò & petere, vt habetur ex *Reginal. d. lib.31. sub num 287. & Molfes. d. cap.13 num.45.* quãuis circa debiti petitionem hæc sententia probabilis nobis non videatur, cùm citra culpam non valeat quis cibos comedere, propriæ saluti

52 noxios. Quod dixi de coniuge, à quo debitum petitur extenditur quoque ad coniugem debitũ petentem: nam si coniux, à quo debitum petitur, sciat reddere debitum forte graue dispendium salutis corporalis petentis, tunc non solùm non tenetur; sed nec debet petenti satisfacere, aliàs culpam contraheret, nisi nulla ex causa, vel ex inaduertentia excusaretur: etenim citra culpam non redditur gladius furioso volenti se plam, vel aliũ interimere. Est tamen verum, quod periculum salutis debet esse moraliter certũ; aliàs teneretur ad debiti solutionem, vt in *cap 2. de coniug. lepros.* late *DD.* sup. relati, quos sequitur *Molfes. d. cap.13. num.39. 40. & 41.*

53 Secundò limitatur eadem conclusio, vt quemadmodum coniux non obligatur ad reddendum debitum alteri coniugi pro vitãdo damno corporalis valetudinis, ita & multo magis ad euitãdum detrimentum salutis spiritualis, vt cum nõ posset citra culpam petenti satisfacere, vt quia sciret coniux matrimonium esse nullum ob aliquod impedimentum, quod citra scandalum alteri coniugi manifestare non potest, siue impedimentum sit diuini, siue humani iuris: siquidẽ reddens eo casu debitum, fornicationem committeret, atq; ideò actum intrinsecè malum, & & sic lethalem culpam; ad quam vitandam tenetur homo mortem potius subire, & qualcumq; pœnas, vt in *cap. inquisitioni de sent. excom. cap. litteras de restit. spol.* & late *Sanch. lib.2. de matr. disp.39. num.5 6. 7. & 8. Molfes.* autem *d. cap.13. num.90.* hoc dictum limitat, nisi ex peccato coniugis, à quo debitum petitur impedimentum eiusmodi prouenisset, & sic detegeretur infamia ipsius. Vt si mulier antequam matrimonium consumaret cum viro, rem habuisset cum fratre, aut alio consanguineo viri intra quartum gradum, quo casu matrimonium esset nullum ob præcedens impedimentum dirimens tunc ait,

quod

quòd si coniux non posset Religionem ingredi, nec adesset iusta causa petendi diuortium, putat ipse *Molfes.* eiusdem coniugem teneri reddere debitum, & non detegere turpitudinem suam, donec dispensationem obtineat: & hanc sententiam ante ipsum tenuit *Magister in 4.d.38.in fine*, & alij relati per *Sanch. d.disp.39. nu.2.* Sed prior sententia est verior: nam coniux citra fornicationis culpam non potest debitum reddere: & eo magis, quia posset debitum denegare citra reuelationẽ propriæ turpitudinis: & si non posset habere recursum ad S. Pontificem pro dispẽsatione, posset adire Episcopum: siquidem hoc casu posset Episcopus dispensationem concedere, cæteris concurrentibus, de quibus *Ricc. in praxi de matr. decis.* 261. ubi refert, ita pluries fuisse decisum *Curia Archiep. Neap. & Molfes. d.cap.13.num.93.*

54 Id ipsum extenditur ubi probabiliter uterque dubitaret de ualiditate matrimonij, & facta debita diligentia, non possunt deponere dubium: tunc enim coniuges non solum non tenentur; sed nec debent quidem reddere debitum petẽti, sicut nec petere: quia in dubijs tutior pars est eligenda, *cap. iuuenis. de spons.* Dixi si uterque coniux probabiliter dubitaret: nam si unus tantùm dubitaret, ille tantum esset prohibitus petere; teneretur tamen reddere debitum petenti, cum non teneatur credere alteri coniugi asserenti se dubium habere de ualiditate matrimonij, ut habetur ex *Sanch. lib. 2. de matr. disp.41. & seq. Reginal lib 31. suæ prax. num. 299. & Molfes. d.cap.13 num.76.& 77.* qui licet idem dicat de coniuge, qui certò sciret nullitatem matrimonij, ut scilicet teneatur alteri coniugi petenti, & in bona fide existenti debitum reddere; nihilominus in contrarium est ueritas, ut sup. diximus, cùm citra fornicationem, quæ est intrinsecè mala, atq; ideò nulla circumstantia, uel titulo potest esse licita, arg. *tex. in cap. super eo, de usur.* reddi debitum eo casu non possit. Idem dicendum est, si coniux, à quo petitur debitum, uotum castitatis emiserit cum consensu alterius coniugis petentis: nam ex quo citra culpam non posset, ad reddendum et debitum non tenetur; secus autem si uotum castitatis simplex emiserit ante matrimonium contractum, aut post matrimonium ratum, & ante illius consummationem, ut habetur ex *Reginal. d. lib. 31. nu.350. Coninch. disp 34. num.12 & seq. Sanch lib.9. de matr. disp. 7.* & ex alijs, quoniam tunc teneretur debitum reddere.

55 Tertiò limitatur, ut coniux non teneatur debitum reddere petenti in indebito situ; ut si uir debitum peteret stando, sedendo, à latere, succubus, præposterè in uase tamen naturali belluarũ more, cum periculo effusionis seminis extra uas debitum; quoniam citra lethalem culpam non redderet. Est tamen uerum, quod si periculum effusionis seminis extra uas non esset, nec id fiat ad impediendam prolis conceptionem, id non esset plusquam peccatum ueniale. Imò quamuis copulam illam belluarum more, graue peccatũ ueniale dicat esse *Nauar. in Man. cap. 16. num. 42.* Nihilominus si iusta causa adesset ita exigẽdi debitum ob periculum suffocandi fœtum in vxore prægnante, ob viri pinguedinem, aut aliã iustam, ac rationabilem causam; tunc etiam in supradictis modis petẽti teneretur debitum reddere: siquidem ex iusta causa ita coeuntes nec venialiter quidem peccãt, vt habetur ex *D. Th. in 4.d.35. Sanch. lib.9. de matr. disp. 16. Reginal. lib. 22. suæ prax. num. 38. Molfes. d. cap. 13. à num. 61. ad 65.* vbi *num. 66.* etiam addit ex *Sanch. loc. cit. num. 8.* quòd vbi petens debitum indecenter ratione situs, non peccaret plusquam venialiter, iuxta ea, quæ sup. diximus; tunc reddens debitum nullam culpam, nec venialem quidem cõtraheret. Etenim adest obligatio reddendi debitum, & petens non peccat, nisi venialiter: quæ quidem sententia mihi videtur valdè dubia, cùm actio cooperantis sumat speciem ab actione eius, cui cooperatur: & sicut ratione cooperationis peccat mortaliter reddens debitũ petenti cum lethali culpa, ita etiam venialiter peccat reddens debitum petenti cum peccato veniali. Nec obstat adesse obligationem reddendi debitum, quia eiusmodi obligatio nõ ligat, cùm petitur debitum indebito modo; atque ideò non tenetur reddere debitum.

56 Quartò limitatur, vt coniux non teneatur petenti debitum satisfacere cùm petitur in vase nõ naturali: siquidem id est peccatum nefandum, dignum grauissima pœna non solùm in foro interiori, & apud Deum; sed etiam in foro exteriori, vt in *l. cùm vir, C. ad leg. Iul. de adulter.* Etenim coniuges habent alterutrum potestatem in eorum corpora quoad vas naturale tantùm: & propterea omnis seminis effusio extra vas naturale est peccatum mortale, & coniux non debet ita petenti copulam reddere, etiam si oporteat coniugem mortem subire, cùm talis copula sit intrinsecè mala, & per eam non dicitur coniux petere debitum coniugale; sed crimen nefandũ sibi omninò indebitum, cùm aduersetur naturali fini copulæ coniugalis, quæ est prolis generatio. Vnde meritò hoc peccatum grauius iudicatur adulterio; cùm vltra peccatum contra naturam, committatur adulterium tum ex parte viri, tum etiam ex parte vxoris: siquidem neuter ipsorum corpus suum alteri castè seruat contra bonum fidei matrimonij, *cap. adulterij, 32. q. 7.* & propterea tam vir, quàm vxor tenentur hanc circumstantiam confiteri; nempè quòd maritus cognouit vxorem cõtra naturam. Nec satis erit, si vxor dicat, fuisse sodomiticè cognita, tacita circumstantia viri: & è conuersò vir commisisse crimen sodomiæ, tacita circumstantia vxoris. Est tamen verum, quòd vir, & vxor quoad fieri potest debent confiteri Confessarijs, à quibus non cognoscuntur, ne videatur vnus detegere peccatum alterius, quamuis nos aliàs dixerimus, id fieri posse: quoniam in sacramentali foro nemini irrogatur iniuria. Ità *Sanch. de matr. lib. 9. disp 18. nu. 3. & seq. Reginal. lib. 31. suæ prax. num 333. & Molfes. d. cap. 13.* cum alijs, quos allegat.

57 Quintò limitatur, vt coniux non modò non teneatur, nec debeat debitum reddere indebitè in indebito situ, & indebito vase; sed nec quidẽ in indebito loco, quamuis debitè petatur in debito situ, & vase. Etenim non omnis locus est aptus ad reddendum debitum. Vndè meritò cõiux potest denegare debitum alteri coniugi illud petenti in loco, in quo ab alijs uideantur: id enim est contra naturalem honestatem. Et multo

tò magis potest, & debet denegare petenti in loco sacro:nam citra lethalem culpam non posset in tali loco reddere, sicut citra peccatum lethale non petitur. Imò si copula habita in loco sacro sit notoria,locus sacer efficitur pollutus,& indiget reconciliatione, secus si sit occulta. Est tamen verum, quod si coniuges cogerentur in loco sacro permanere per longum temporis spacium, vt accidere solet tempore belli, vel obsidionis, cùm sine peccato possint in eo vti copula:nec ob id locus ille pollueretur; quia in casu necessitatis Ecclesia non obligat coniuges ad se abstinẽdũ à copula,vt post alios probat *Sanch. lib.9.de matr.disp.*15.tũc arbitror cõiugẽ teneri petẽti, quãuis in loco sacro ad reddẽdũ debitũ.Dicitur autem locus sacer Ecclesia cõsecrata, vel benedicta secundum totum ipsius corpus interius à tecto interiori, vsque ad pauimentum, & à summa ara,vsque ad parietem oppositum: & propterea omnes Cappellæ intra Ecclesiam dicuntur loca sacra,sicut ipsa Ecclesia. Idem dicendum est de choro, cœmeterio, & confessionarijs intra murum Ecclesiæ positis, & de claustris Religiosorum; nempè illud spacium constitutum sub fornicibus inter parietem,& colũnas, si benedicta sint: nam omnia hæc dicuntur loca sacra; secus autem alia Religiosorum habitacula,& officina,quæ licet gaudeat immunitateEcclesiastica;non tamen sunt sacra;sicut nec sacrum dicitur tectum Ecclesiæ, vt latè probat *Sanch.loco citato, & Molfes. d.cap.*13.*à num.*52.*ad* 58.

58 Sextò limitatur, ut coniux non teneatur reddere debitum alteri coniugi petenti ebrio, vel furioso;quia furor, & ebrietas tollunt ab eo voluntarium, & inuoluntarium,vt habetur ex *Reginal.d.lib.*31.*num.*347. *Sanch. d.lib.*9.*disput.*23.& ex alijs apud eosdem, & apud *Molfes. d.cap.*13.*nu.*58.qui id limitant primò,nisi ebrius, vel furiosus propter debiti denegationem sint semen illicitè effusuri: secundò,quòd coniux sanus potest petere, & exigere debitum:quoniam matrimonium per furorem superueniẽtem nõ dissoluitur,& respectu sanę mentis potest adimpleri matrimonij finis,qui est proles,& eiusdem educatio.Quæ quidem posterior limitatio, licèt nobis probatur; prior tamen non placet, quia pollutio illa, adhuc inuoluntaria esset; atq;adeò non esset peccatum;nisi ebrius,vt accidere solet non esset omninò rationis vsu priuatus;quia tũc sicut peccaret se polluendo; ita etiam coniux peccaret debitum illi petenti non reddendo.

59 Septimò limitatur, vt coniux non teneatur debitum petenti reddere,si debitum petẽs adulterium commiserit; dummodò certò constet de adulterio: siquidem per adulterium amittitur omne ius coniugale, vt habetur ex *D Thom.in* 4.*d.*35. *q.*1.*ar.*3.*in corp. D.Anton.in sum.par.*3.*cap.*5.*Conar.par.*2.*de sponsal.cap* 7.§.5.*num.*8.*Coninc.disp* 35 *de diuor.num.*2. *Sanch. lib.* 10 *de matrim.disp...n.*5.Qui Doctor.licèt loloquatur de diuortio propria auctoritate per cõiugem faciendo, si adulterium notum foret; nihilominus multò magis id verum est,quoad negandum debitum coniugale. Est tamen verum, quòd ad euitandum scandalum, sicut ad diuortium expectari solet Iudicis sententia, iuxta ea, quæ habentur ex *Molfes. par.*1. *sua sum.tr.*4.*c.*14.*num.*20. *in fine*, ita etiam si ex debiti negatione scandalum immineret, debet reddere debitum viro petenti quamuis adultero, donec per Iudicis sententiam inter eos fiat diuortium.

60 Octauò limitatur, vt non teneatur coniux reddere debitum tempore menstrui, nisi timeatur fornicatio,ut est *tex in cap.ad eius verò*,vbi *Glosa*,5.*d.* & habetur ex *Nauar.*post *Palud. & alios,in Man.cap.*16.*num.*32.

61 Nonò limitatur, vt coniux non teneatur reddere debitum alteri coniugi per sententiam diuortij legitimè separato: quia diuortium cum fiat,quoad torum, & cohabitationem, coniuges liberantur à debiti coniugalis solutione. Est tamen verum,quòd si diuortium fiat culpa viri,filij educandi sunt penes vxorem,innocentem;expensis tamen viri: quia de iure dos est vxori restituenda ob viri culpam,& crimen. Si verò diuortium fiat culpa vxoris, tunc filij educandi sunt penès patrem expensis vxoris,vt latè probat *Molfes.ad Consuet Neap. tom.*1. *par.*6. *q* 5.*nu.*53. *&* 54. *& in sum. d.cap.*14. *num.*21. Causæ verò,quibus fieri possit diuortium inter coniuges multæ sunt, quæ satis explicantur à *Molfes. locis citatis*, post *Sanch. lib.* 10. *de matrim.per totum,Reginal.lib.*31.*sua prax.à num.*313 *vsq; ad num.*333.*Coninc.disp.*35.*de diuort.*& alios. Etenim prima diuortij causa est adulterium, siue à viro committatur,siue ab vxore,vt diximus. In praxi tamen seruatur, vt ob solum viri adulterium non fiat diuortium, nisi ille secum adulteram teneat tanquam concubinam. Fit enim separatio ob periculum mortis vxoris ex insidijs concubinæ,vel viri sibi imminentis,vt in *cap.significasti,cap.ex litteris,& cap.gaudemus, de diuort.*latè *Ricc.in suà prax.matrim.decis.*236. *num.*2.*& Reginal.d.lib.*31. *num.*319. *cum seq.*

62 Per adulterium autem vxor, non solùm separatur à viro; sed etiam dotem perdit, & applicatur viro,non solùm de iure ciuili,vt in *l.consensu*, §.1. *C.de repud.* verum etiam de iure Canonico, vt in *cap. plerumque de donat. inter vir. & vxor.* Probatur verò adulterium primò per confessionem eius, qui adulterium committit; dummodò confessio directè fiat ad finem probandi adulterium, non autem alio modo, atque ideò ad finem alium,ut benè aduertit *Ricc. loco citato*, *decis.* 238. Secundò probatur per testes oculatos,quod rarò contingit,cùm hæc crimina committantur in occulto. Tertiò per indicia violenta, ut si solus cum sola uisus fuit hora, ac in latebris secretis, aut nudus, cum nuda in eodem lecto,ut in *cap.litteras tuæ fraternitatis,de præsump cap.dixit Dominus*,32.*q.*1.*& Molfes. d. cap.* 14. *num.*23. ubi *num.* 24. *cum pluribus seq.* id limitat ex *Sanch. d.lib.*10.*disp.*5. *& seq. Reginal.loco citato,num.*321.*&* 322. ubi uterque coniugum adulterij crimen contrahit,etiam si unius coniugis adulterium esset publicum, & alterius occultum: siquidem paria delicta mutua compensatione tolluntur:tunc enim non habet locum diuortium, nisi post reconciliationẽ ex mutuo adulterio, alter ex eis iterum in adulterium incidat; nam cùm per reconciliationem matrimoniũ reducatur ad pristinũ, & per iteratum adulterium efficitur nouus adulter. Item matrimonium reducitur ad pristinum, & non habet locum in eo diuortium ex remissione coniu-

coniugis innocentis: uel quando unus coniux fuit in causa, ut alter adulterij crimen committeret: aut si materialiter adulterium committitur, ut si uxor sub proprij uiri specie latenter fuerit decepta, & è conuerso; aut si adulterium fuerit uiolentum, uel quando coniuges infideles fecissent ad inuicem diuortium, & sic uxor aliû uirum duxerit, uel è contrarium si conuertantur ad fidem, cùm teneatur uir ducere primam uxorem non potest illi obijcere adulterium. Propter osculum tantùm, tactus, & amplexus uxoris cum altero, licèt multi uelint habere locum diuortium, & priuari eam posse dote, nihilominus probabilior sententia est in contrarium, tenent *Sanch. lib. 10. de matrim. disp. 4. num. 12. Reginald. d. lib. 31. sua prax. num* 320. & alij, quos refert, & sequitur *Molfes. d. cap. 14. num. 41.*

63 Secunda causa diuortij est, vbi vir tentauerit in vxorem sodomiæ crimen committere, *cap. flagida, cap non solùm, 32. q. 7.* latè *Ricc. in prax. matrim. decis. 237. num. 1.* vbi ita decisum fuisse testatur in quamplurimis Tribunalibus. Ad hoc tamen, vt diuortium fieri possit, eiusmodi crimen est probandum, sicut adulterium. Probatur autem, si cum conquestu vxoris concurrat aliud indicium, vt quia maritus sit solitus, cum alijs tale crimen committere: tunc enim fit diuortiũ non in perpetuum; sed tantum ad tempus donec vir pœnitentia ductus scelus hoc non audeat perpetrare, vt post *Farin. decis.* 178. *Sanch.* & alios, probat *Molfes. d. cap. 14. num. 38.* vbi *nu. 39.* idem dicendum esse probat, si maritus huiusmodi scelus cum tertio commiserit, aut cum bestia copulam habuerit; quoniam tunc caro cõiugis verè dicitur diuidi cum carne tertij, & bestiæ.

64 Tertia causa diuortij est viri lenocinium in personam vxoris; aut si in domum perditos homines induceret, qui vxorem ad turpia sollicitarent, aut si cum viro citra peccatum habitare nequiret, vt per eundem *Molfes. tom. 1. ad Consuet. Neap. par. 6 q 5. num. 47. & seq. & in summ. d. cap. 14. num. 42.* Quarta causa est alterius coniugis hæresis, seu apostasia. Benè verum est, quòd si propter hęresim, aut apostasiam vxoris fiat diuortium, tunc dos non acquiritur viro, sed Fisco, vt habetur ex *Sanch. d. lib. 10 disp. 21. Reginal. loco citato, num. 314. Molfes. d. q. 5. num. 49. & in sum. d. cap. 14 num. 22. & 36.* Quinta causa diuortij est, vbi maritus capitali odio prosequitur vxorem, propter quod citra vitæ discrimen vxor non potest cum ipso habitare. Sexta causa diuortij est furor alterius coniugis. Idem dicendum est si voluntariè discedat ab vxore, si ecticus, tisicus, tabidus, vel quia malè oleat; quamuis de ectico, & malè olente contrarium doceat *Molfes. d. cap. 14. num. 43.* Alias causas vide apud auctores supra citatos, præcipuè apud *Ricc. de praxi matrim. decis. 236. Borgn. decis. 18. 1.* & quomodo circa rem hanc se habeat praxis, rectè explicat *Molfes. loco citato, à num. 46. vsque in finem.*

65 Dico vigesimoquartò certum esse, peccare coniuges saltem venialiter copulam habentes sola delectationis causa; ita vt copulentur principaliter, propter delectationem carnalem: siquidem bonum prolis est principalis matrimonij finis; quamuis copula si habeatur ad euitandum periculum incontinentiæ, vel propter sanitatem corporalem, vel etiam propter delectationem minus principaliter, fiat citra culpam, vt habetur ex *Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 11. nu. 4. & seq. Reginal. d. lib. 31. num. 336. & 340. & Molfes. par. 1. sua sum. cap. 13. num. 48. & 49.*

66 Dico vigesimoquintò peccare coniuges si post matrimonium contractum, & consumatum copulam habeant; sed seminare intra vas nequeant, vel propter viri senectutem, vel propter superuenientem vxoris arctitudinem, vel superueniens maleficium, aut per superuenientem quemcunque alium morbum: siquidem inter coniuges illa sola copula permissa est, qua semen effunditur intra vas naturale vxoris: atque ideò dum impossibile est, semen intra vas effundi, non est licita inter eos copulę attentatio; quia omnis copula extra vas naturale est illicita, & nunquam sine aliquo, vel circumstantia permitti potest, cum sit intrinsecè mala, vt ex *Caiet.* & alijs probat *Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 17. num. 15. & 20. cum seq. Reginal. lib. 31. sua prax. num. 334. §. sexta, & septima conclusio, & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 13. num. 70.* qui id limitant esse verum; nisi hic, & nunc, pensatis omnibus circumstantijs probabilis spes adesset seminandi intra vas debitum: nam quòd succedat posteà forinsecus seminatio, talis actus culpa vacat, cùm sit præter coniugum intentionem; atque ideò per accidens. Vndè maleficiati cùm spem habeant consumandi matrimonium, mediantibus exorcismis, & alijs remedijs ab Ecclesia institutis, per triennium possunt vacare copulæ, cum spe seminandi intra vas, quamuis de facto extra vas seminent, propter maleficium, & infra dictum tempus non peccant; quia illa deforis seminatio est per accidens, & præter intentionem coniugum, vt per eundem *Molfes. ibi, & cap. 10 num. 81 eod. tr.* Idem dicendum non esse inquit *Sanch. loco citato, num. 24.* vbi fœmina intra vas receptum semen retinere non valeret, sed omninò effunderet, nec spes aliqua retinendi foret; quoniam sæpe matrix retinet necessarium semen ad generationem, superfluo expulso.

67 Dico vigesimosextò peccare mortaliter coniuges, si per oscula, tactus impudicos, delectationes morosas, & turpia verba inter eos exponant se periculo pollutionis saltem in alterutro coniuge præuiso. Etenim quamuis actus illi citra pollutionis periculum liciti sint inter coniuges, maximè si dirigantur ad copulam subsequentẽ: quod verum est, etiam si post matrimonium cõsumatum non possint seminare in vas debitum: quoniam illis actibus vti possunt, tanquam coniuges ad exhibitionem mutui amoris signorum, vt post *Sanch. disp. 17. & 18.* probat *Molfes. d. cap. 13. num. 71.* nihilominus, quando periculum adest pollutionis, sunt omninò illiciti, & citra culpam mortalem coniuges eis vti non possunt; cùm omnis pollutio extra vas sit coniugibus interdicta, tanquam intrinsecè mala: ergò exponẽtes se pollutionis periculo mortaliter peccant: nam qui amat periculum, peribit in illo. Ita *Palud. in 4. d. cap. 31. q. 3. ar. 2. num. 7. Sot. ibidem, q. vnica, ar. 4. in fine D. Anton. 3. par. tit. 1 cap. 20. §. 6. Nauar. in Man. cap. 16. num 42. Henriq. lib. 11. de matrim. cap. 16 num. 6. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 82. num. 21. & cap. 74. in fine,* & alij

. & alij quamplurimi, quos cumulat *Sanch.lib.* *9.de matr.disp.45.num.34.*

68 Idem *Sanch.* vbi *à num.35.vsq; in finem* conclusionē hanc multipliciter limitat. Primò enim inquit casu, quæ diximus locum sibi vendicare, vbi tactus tales sunt, & ita ad pollutionem tendũt, vt sint quasi pollutio inchoata, & coniuges in eo loco existant, in quo copulam habere non possint, præuiso pollutionis periculo, vt si vir in vxoris vas naturale digitos inferens petat ab ea, vt eius virilia attrectet: secùs autem si in eo loco sint, vt adueniēte periculo, vti copula facilè possint: siquidem tactus illi necessarij non sunt inter ipsos ad mutuum amorem indicandum; sed tantùm vt ijs ad copulam disponantur. Secundò limitat dictam conclusionem, vt vera sit, vbi tactus turpitudinem quādam in se continent, quales sunt supra relati; secùs autem si tales nō sint, vt sunt amplexus, oscula, & alij tactus, quibus solent uti coniuges ad mutuum amorem indicādum, ac fouendum; quoniā per eiusmodi actus licèt pollutionis periculo se exponant; non tamē peccant mortaliter, quod uerum est quando necessitas aliqua adesset, propter quam posset etiā frater osculis uti, & amplexibus cum sorore, vt ipse *Sanch.* rectè declarat. Tertiò limitat, si per præfatos tactus, oscula, amplexus, ac delectationes morosas exponerēt se periculo distillationis præuisæ; quoniam distillationes huiusmodi licèt inter solutos satis sint ad lethalem culpam contrahendam, cùm sicut culpa lethalis sit dare causam pollutioni præuisæ non remouendo causas notabiliter influentes; ita etiam mortalis culpa dicitur dare causam notabiliter distillationi influentem, cum eiusmodi distillationes sint quodammodo inchoatæ pollutiones; nihilominus inter coniuges satis non sunt ad peccatum mortale; quoniam id non est graue damnum generationi in tali statu: & respectu eorum se habēt per accidens, cùm urgentem causam habeāt uti amplexibus, osculis, &c. ad mutuum amorem indicandum, & fouendum.

69 Dico vigesimo septimò lethaliter peccare cōiuges si vir volens legitimè cum vxore copulam habere, vt se excitet, vel vt maiorem delectationem percipiat, sodomiticè incipiat copulam, & deindè in vase naturali seminando illam perficiat: siquidem eiusmodi copulandi modus est inchoatæ sodomiæ crimen, & medium est improportionatum ad naturalem copulam. Ità cōtra *Nauar.lib.5.conf.de pœnit. & remis.conf.7.* docet *Sanch.lib.9.de matr.disp.17.num.5.* vbi tamen id limitat, vbi vir vas præposterū superficialiter tantùm perfricaret: nam id putat non esse plusquam peccatum veniale: cuius sententia valdè dubia nobis videtur quoad eos, qui maioris delectationis causa id agant, & propēsi sint ad copulam sodomiticam; quoniam vltra rationem supra allatam, exponunt se insuper periculo perficiendi copulam sodomiticam, atq; ideò extra vas naturale. Imò nec à lethali culpa eiusmodi propensum supra relatum modum adhibenē à *Sanch.* si vt se excitet, & disponat se ad copulā in vase naturali: siquidem talis actus quantumuis superficialiter efficiatur, est periculosus, & magnam in se continet turpitudinem.

70 Dico vigesimo octauò peccare vxorem si viri semine intra vas naturale ipsius emisso, & virile indè extracto, tactibus se excitet donec seminet; nam quælibet seminis effusio extra vas est coniugibus illicita: & tactus illi non sunt proportionata media ad coniugalem copulam: nec secundùm veriorem Philosophorum sententiam ad generationem exigitur mulieris seminatio. Vndè proculdubio fornicationis species est illa excitatio: vndè improbabilis nobis videtur sententia *Sanch.* contrarium sentientis *d. disp. 17. n.18.* quamuis eundem sequar ibidem, *num. 11.* dum ex *Graff.* & alijs docet, licere marito copulam continuare, vbi ipse semen effudit, donec vxor seminet; quoniam id pertinet ad completā coniugalis copulæ consumationem.

71 Dico vigesimo nonò, peccare mortaliter vxorem post copulam mox mingentem, se erigentē, aut aliud agentem, vt susceptum semen effunderet, quouis fine id agat: etenim hoc casu idem est, ac si semen extra vas fuerit effusum, & per se, ac ex intentione frustraretur semen suo fine, in quem est à natura ordinatū. Ita *Henriq. lib. 11.de matr.cap.16.num.8.in princ.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes.par. 1. sua sum.tr.4. cap.13.num.74.* Est tamen verum, quòd *Sanch. lib.9.de matr.disp.20.num.4.* ex eodem *Hēriq. loc.cit.* inquit, vxorem circa rem hāc non oportere esse nimis ansiam, manendo diù intacta, ac supina post susceptum semen; quoniam rarissimè seminis effusio contingit ex diuerso corporis situ: nam recepto semine, os matricis muliebris ita clauditur, ut nec acus cuspidem capiat. Imò quamuis effusio seminis extra uas regulariter sit culpa lethalis, siue in toto actu coniugali, siue in parte, aut illius fine totum semen, aut pars illius extra uas effundatur, iuxta ea, quæ habētur ex *Caiet.22.q.154. ar.1. circa solutionem ad 4. §. ad singula autem;* nihilominus dupliciter id limitatur: primò ubi parum tantùm seminis effunditur; quoniam ex paruitate materiæ peccatum ex suo genere mortale, efficitur ueniale, ut aliàs diximus, & in terminis nostris docet *Sot.in 4.d.31.q.vnica, ar.4.ad fin. Graff.par.1. decis. lib.2.cap.82.n.14. Lopez p.1.instr.c.79.* & alij, quos refert, & sequitur *Sāch.d.lib.9. disp.17.n. 14.* Secūdò limitatur si præter coniugū intētionē extra uas effūdatur, ut benè declarāt *DD.* sup.cit.

72 Dico trigesimò peccare mortaliter uxorem recusantem uirum sequi aliò migrantem. Probatur ex *D. August.* de quo in *cap. vnaquæque, 13. q.2.* ita se habente: *Vnaquæque mulier sequatur virum suum, siue in vita, siue in morte.* Ampliatur hæc conclusio primò, ut uxor teneatur sequi uirum aliò migrantem, siue eò transferat domicilium, animo scilicet perpetuò commorandi, siue habitationem, nempè ad tempus dumtaxat: siquidem coniuges tenentur ad mutuum obsequium, quod præstare nequeunt, nisi simul habitent. Et cum uir sit uxoris caput, iuxta illud *Apost.ad Ephes.cap.1. & 1.Corinth.11.* hinc fit, quòd uxor quoad cohabitationem tenetur obtēperare uiro: nam hæc cuius matrimonio consēsit in officio mariti esse debet, ut dicit *tex. in l. sicut, ff.de oper. liber.* Et licèt de habitatione aliqui uideantur partem negatiuam tueri; nihilominus eadem ratio est in habitatione, quæ militat in domicilio, vt prædictorum benè declarat *Sanch.lib.1.de matr.disp.4. num.10.*

73 Secundò ampliatur, ut uxor teneatur sequi uirum, domicilium ut sup. transferentem, siue ex

causa illud transferat, siue absque aliqua causa, alias sequeretur, ut nullum extaret discrimen circa hoc inter uirum, & uxorem, quod est contra omnium mentem: siquidem, exstante causa necessaria ex parte uxoris, tenetur uir illā sequi domicilium transferentem: nam quoad mutua obsequia coniugalia pares sunt, ut habetur ex *Glosa in cap.* 1. ubi etiam *Innocent. Host. Anton. de Butr. & Anchar. de coniug. leprosi, ver. Sequatur, Henr. in cap. de illis, num.* 4. & ibi *Alex. de Nauo, num.* 12. *de sponsf. & Sanch. d. disp.* 41. *sub num.* 5. *&* 14.

74 Tertiò ampliatur, ut uxor obligetur uirum sequi, etiam si ob eius delictum in exilium mittatur, quoniam uxor sequi debet uiri infortunium, *l. si cum dotem, §. fin autem, ff. sol. matr.* ob id tenetur uxor cum uiro excōmunicato habitare, & debitum ei reddere, *cap. inter alia, de sent. excom.* iuncto *tex. in cap. quoniam multos,* 11. q. 3. Et quamuis *Bald. in d. l. si cum dotem, §. si maritus, num.* 1. *ff. sol. matr.* & ibi etiam *Imola, Henriq. lib.* 11 *de matr. cap.* 10. *num.* 4. & alij contrarium sentiant, ex eo quod iustum non uideatur, ut uxor innocens pœnam delicti subeat, quod uir commisit; nihilominus prior sententia est probabilior per rationem supra allatam, quā tenet *Glos. in cap.* 1. *ver. Exijt*, ubi *Host. Ioan. Andr. Anton. de Butr. Panor. Anch. & Alex. de Nauo, qui matr. accus. poss. Hugo in cap. si quis necessitate,* 34. q. 1. *Henr. in cap. de illis,* ubi etiā *Anton. de sponf. Boss.* post alios in sua *pract. crim. tit. de crim. læsæ Maiest. num.* 32. *& Specul. tit. de dote post diuor. restit. §. formatis, num.* 20. Nec ob id uxor dicitur puniri ob uiri delictum, quoniam huiusmodi incommodum per accidens patitur, cùm Diuino iure teneatur uirū sequi. Etenim ob eandem rationem non excusatur uxor ab alimentis præstandis uiro bannito propter crimen à se commissum, si sit inops, & pauper: siquidem in eiusmodi casibus uxor portat iniquitatem uiri, id est per accidens. Ita *Specul. & Boss. locis citatis, Clar. in sua praxi criminali lib.* 5. *§. fin. q* 82. *stat.* 2. *vers. Item quæro, Caphal cons* 324. *num.* 14. *vol.* 3. & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. lib.* 1. *de matr. disp.* 41. *num* 12. *&* 13 Idem dicendum est, si uir esset relegatus, uel deportatus in Insulam, ut habetur ex *Molfes par.* 1. *sua sum. cap.* 13. *num.* 28.

75 Quartò ampliatur, ut uxor teneatur sequi uirum non solùm domicilium, seu habitationem mutantem; sed etiam uagantem, & peregrinantem; etiam si solitus non sit uagari, si facile possit ipsi uiro associari: quoniam ex una parte urget lex matrimonij præcipiens mutuam coniugum habitationem ad euitanda adulteria, quæ ex eorum separatione oriri solent: & ex altera facilitas eam legem seruandi, ut pericula effugiat, ut habetur *ex Bal. in l. qui manumittitur, num.* 1. *C. de operib. liber. Tiraq. l.* 1. *connub. Glosa* 1. *par.* 1. *num.* 39. *Perez lib.* 4. *Ordin. tit.* 11. *l.* 29. *& Sanch. loc. sup relato, num.* 7. Dixi: *Si facilè possit ipsi viro associari:* aliàs non tenetur eum uagantem continuò prosequi; quoniam id esset ei grauissimum onus, ut habetur *ex Prepos. in d. cap. de illis, num.* 3. *de sponf.* nisi tempore contracti matrimonij maritus uagari solebat, & id uxorē nō latuit: uel esset breuis uagatio, aut iusta, & honesta esset uagandi causa: nam his casibus tenetur uxor uirum uagantem sequi, ut benè declarat idem *Sanch.* post innumeros ferè *DD. in d. disp.* 41. *num.* 6. *cum plur. seq.*

76 Quintò ampliatur hæc ipsa conclusio, ut adeò uera sit, ut contraria consuetudo tanquam iuri Diuino contraria nihil prosit quominus uxor uirum sequi non teneatur, ut per *Glos. in cap.* 1. *vers. De consuetudine,* ubi etiam *Panor. Alex. de Nauo, Prepos. & alij de coniug. lepr.*

77 Sic ampliata limitatur eadem cōclusio, ut locum non habeat ubi uxor absque graui eius detrimento uirum sequi non ualeat; quoniam tunc ad id non obligatur, sicut ob eandem causam nō tenetur ei debitum reddere, ut habetur *ex Soto in* 4. *d* 35. *q. vnica, ar.* 1. *ad* 2 *Graff par.* 1. *decis. lib.* 2. *cap* 60 *num.* 2. *& Sanch. loc. cit. num.* 3.

78 Secundò limitatur, quando uir uellet uxorem per mutationem domicilij, seu habitationis, aut per uagationem ad peccatum inducere, aut eam magno uitæ discrimini exponere: tunc enim eū sequi non obligatur; cùm magis urgeat præceptum uitandi peccata, & uitæ periculum, quàm uirum prosequendi. Vndè si uxor timeat à uiro domicilium mutanti extra territorium occidi, non cogitur eum sequi. Ita *Nauar. lib.* 4. *consil. tit. de diuor. consil.* 2. *num.* 4. *Rosel. in sum. in ver. Vxor, Syl. eod. ver. q* 8. *Lopez par.* 1. *instr. cap.* 54. *ad fin. Graff. loc. cit.* & alij relati à *Sāch. d. disp.* 41. *num.* 4.

79 Tertiò limitatur, ut uxor non teneatur sequi uirum adulterum, aut ex alijs causis, quibus licitum est diuortium inter uirum, & uxorē, quas sup. retulimus *dicto* 23. *lim.* 7. nam si propter huiusmodi causas potest uxor negare debitum uiro, & ab eo separari, multò minus tenetur eum sequi peregrinantem, uagātem, domicilium, uel habitationem mutantem.

80 Quartò limitatur, ubi tempore contracti matrimonij uxor pactum fecerit cum uiro de non transferēdo aliò domicilium, aut habitationem, sed de permanendo in certo, ac determinato loco; quoniam tunc non tenetur sequi virum, sed standum est pacto: siquidem in traditione rei propriæ, quilibet potest ad sui libitum pactum apponere, quod maluerit, vt in *cap. verum, de cōdit. apposit.* & *l.* 1. *C de pact.* modo per matrimonium interuenit traditio viri, & mulieris ad inuicem, ergo, &c. Hanc sententiam tenet *Host. in sum. tit. de coniug. seruor not.* 5. *in fine, & in cap.* 1. vbi *Ioan. Andr. Anton. de Butr. Prepos. & Alex de Nauo, qui matr. caus. poss Cardinal. in cap.* 2 *eod. tit. Henr. Boich in cap de illis, num* 4. *de sponsal. Rosel. in sum ver. Vxor, num.* 3. *Syl. eod. ver q.* 8. *Ludouic. Lopez par.* 1. *instr. cap.* 54. *ad fin.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch lib.* 1. *de matr. disp.* 40. *num.* 2. vbi respondet ad *tex. in l. Titio centum, §. Titio centum,* 2. *ff de cond. & demonstr.* per quē *Couar.* & multi alij *DD.* contrariam docent sententiam, & ait, *tex.* illum reprobare conditionem habitandi in certo loco, tanquam libertatem infringentem; quoniam ea conditio vana est, in nullius fauorem cedens, iuxta *Bart.* intellectum ibi, & aliorum. Est tamē verum, quòd vbi noua recedendi, & domicilium mutandi causa superueniat, vt quia aer ibi nō sit salubris, vel contraxerit inimicitias, & alia eiusmodi, maritus non tenetur stare tali pacto, etiā si iu-

si iuramento fuisset confirmatum, *arg.tex.in l.si conuenerit,cum duob.seq.ff.pro soc.* nam tunc iuramentum illud esset illicitum, vt habetur ex citatis *DD*. Imò si in casu contrario fuisset apposita pœna, si vir contraueniat pacto, non tenetur pœnam subire, nec ad interesse: & ita fuisse decisum annis elapsis inter Excellentiss. Principem Casertæ, cum Illustriss. Comitissa S. Angeli refert *Molfes. par.1.sua sum.tr.4.cap.13.nu.100.* vbi id limitat *nu.101.ex Bart.in d.cap.1.nu.1. qui matr.accus.poss.* & alijs, quando vir iustam causam habet mutandi domicilium, seu habitationem: secus autem si iusta causa non superueniat: nam tunc vxor non tenetur sequi virum, & maritus tenetur ei ad pœnam promissam, vel ad interesse.

81 Dico trigesimo primò, peccare coniuges non præstantes sibi inuicem alimenta. Ad illa enim præstanda vxori tenetur præcipuè vir; nam ob id accipit dotem, quæ succedit loco alimentorum, *l.oneribus, C.de iure dot. & l.si quis pro vxore, ff.de donat.inter virum,& vxorem.* E conuersò tenetur vxor viro alimenta præstare, si aliundè non habeat, vndè viuat, vt in *Auth.præterea, C. vndè vir, & vxor, l.si cùm dotem, ff.sol.matr.l. mutus.ff.de iur.dot.& l.2.ff.ad Syllan.*

82 Ampliatur hæc conclusio, vt non solum coniuges teneantur inuicem præstare alimenta; sed etiam teneantur alere nurum,& pronurum, cùm militet eadem ratio, vt habetur ex *Syl. in sum. ver.Alimentorum,q.3.& 7 ab.in ver.Alimentum num.4.* Etenim pater nō solùm tenetur præstare alimenta filio pauperi; sed etiam cætera liberorum onera tenetur subire, ut in *l.si quis à liberis,§.si vel parens, vers.Non tantùm,ff.de lib. agnosc.* Vndè *Glosa* ibi,*in ver.Cætera*, explicās illam dictionem, *Cætera*, inquit, *Vt vestimenta, habitationem pro se, & pro suis liberis, & vxore*: onus enim filij est, quando vxorem sine dote duxit, ipsam alere, ut habetur ex *Innoc. in cap. per vestras, in fin. de donat.* Ergò pater non solùm filios, sed etiam nurum tenetur alere. Idem dicendum est de matre in defectum patris ob eādem rationem: quod quidem verum est, etiam si filius vxorem ducat citra consensum patris; dūmodò inhonestam,& indignam non duxerit, vt latè *Sanch.lib.4 de matr.disp.26.à num.19. ad 24.* ubi etiam ait, illum coniugem dici indignū, cui alteri matrimonio copulari absque dedecore iuxtà Ciuitatis mores non potest.

83 Secundò ampliatur, vt vir teneatur alere vxorem, etiam si indotatam eam susceperit: quoniam sibi imputari debet, quòd nullam dotem exegerit: quapropter censetur ipsam vxoris personam pro dote accepisse, vt benè docet *Innoc.in d.cap. Per vestras*, & ibi etiam *Hostien. Ioan. Andr. Anton.de Butr. Panor. Alex. de Nano, Præpos. & Ioan.Lup.de donat.inter vir.& vxor. Alex. in l.cum dotem,§.fin autem, num.8. ff.sol.matr. Rom.cons.517.nu.2. Angel.in sum. in ver.Dos, num.10.Syl.eod.ver. q 10. Surd.de alim. tit.1. q.32.num.11. Molina tomo 2.de Iust. & iure, disp.425.pag.1130.§ si marito dos,Sanch.lib.9. de matr.disp.5.sub num.8.* qui ait circa rem hāc neminem inuenisse oppositum docentem, *Reginal.lib.31.sua praxi,num.305.cum plur.seq.* latè *Mlofes. tomo 1.ad consuetud. Neapol. par.5. q.6.num.8.& seq.& par.1.sua sum.tr.4.cap.13. num.20.* Quam quidem ampliationem quidam volunt veram esse etiam si uxor diues sit: quia si nullum pactum de dote sibi constituenda maritus fecerit, sibi imputatur: nec uxor diues tenetur ad dotis constitutionem: nam cùm matrimonium sine dote constare possit, conditio destinādæ dotis extrinseca est, vt habetur ex *Surdo loco sup.relato, tit.7.q.19.num.1.& seq.& tit.1. q.32.à num.12.* quamuis uelit, posse uirum petere ab uxore diuite, ut sibi dotem competentem constituat. Et hanc sententiam licèt probabilem esse testetur *Sanch.lib.1.de matr.disp.60.nu.2.* nihilominus cōtrariam opinionem probabiliorem esse ibi existimat, & *lib.9. de matr. disp.5. num.9.* Siquidem mulier diues dum absq; dotis promissione ducitur, videtur tacitè actum de dote constituenda, ut in *d.lib.1. disp.59.* probauit: ergò dum dos tacitè promissa non soluitur, iustam causam habet vir denegandi vxori alimenta. Et hanc sententiam tenet *Ias. in l. si donaturus,§.si quis indebitam,num.4.& seq. de condit.causa data,& Ioan.Lup.in d.cap.per vestras,not.3.§ 2.num.1.* & alij, quos refert idem *Sanch.d.disp.5.num.9.*

84 Tertiò ampliatur, ut uir teneatur præstare alimenta uxori, etiam si propter hæresim, aut propter aliud crimen dos sibi fuerit confiscata: siquidem in defectum dotis obligatur maritus ex debito coniugali vxorem alere, vt habetur ex *Ioan.Lupo in d.cap.per vestras, not.3.§.1. num. 1. de donat. inter vir. & vxor. Panor. cons.85. num.4.vol.2.* Confirmatur, quoniam maritus tenetur alere vxorem indotatam, vt sup. ostendimus in proxima ampliatione; ergò eam alere tenetur, siue dotem ipsi viro non dederit, siue dederit,& per eiusdem facinus indotata permanserit: nam coniugale debitum in vtroq; casu locum sibi vendicat. Hanc sententiam expresè docet *Siman.de cathol.instit.tit.16. num.19. Surd.de alim.tit.7.q.21.num.600. & Anton.Gomes.l.7. Tau.num.6.* Hanc eandem opinionem sequitur etiam *Sanch.lib.9.de matr.disp.5.sub num.10.* cum hac tamen limitatione, nempè si parentes non habeat, uel si habeat, sint ita pauperes, vt alimenta sibi præstare nequeant: quoniam cùm in eius consortio, & obsequio sit, nec aliundè habeat, vndè se alat, amor coniugalis, & nexus tam arctus exigit, vt à viro alatur, ne fame pereat: quæ quidem ratio cessat, cùm vxor parentes habet, à quibus alimenta suscipiat: nam parentes diuites tenentur alere filiam, quæ dotem quacūq; ex causa culpa sua perdidit, ut latè post alios probat *Molina de primog. lib. 2. cap. 16. num.24.* Ad quod facit *tex.in l quòd si nulla, ff. de Relig. & sump.fun.* ubi habetur, quòd uxor dote carens, patris sumptibus est sepelienda: & si pater soluendus non sit, aliquis uxoris hæres expensis mariti, ne iniuria eius uideatur, uxorem eius insepultam relinqui.

85 Quartò ampliatur, ut uir teneatur uxorem alere, etiam si propter eius delictum in perpetuum carcerem sit detrusa: etenim quamuis uxor ob suum facinus separata fuerit à marito, & perpetuo carceri mancipata, illa uxoris culpa non tendit directè ad separationē habitationis, sicut contingit quando propria temeritate à cohabitatione se separat; atq; ideò in separatione huiusmodi uxor culpa uacat; sed culpa fuit tantùm

in causa. Confirmatur, quia si uir culpa sua fuerit bannitus, & non habeat undè se alat, tenetur uxor ad eum foris habitantem, alimenta mittere, ut in *l. mutus, §. manente, ff. de iure dot. Gig. de crim. lesæ Maiest. q. 21. nu. 4. Cephal. cons. 324. nu. 14. lib. 3. Iul. Clar. lib. 5. recep. in pract. crim. §. fin. q. 82. statuto 2. vers. Item quæro*, & alij apud *Sanch. lib. 1 de matr. disp. 41. num. 13.* Et id non ob aliam causam, nisi ob debitum coniugale, & ob rationem nexus, & cõiugalis amoris: ergò eadem ratione idem dicendum est in casu nostro in uiro quoad uxorem, cùm in alimentis præstandis mutua sit coniugum obligatio. Hanc opinionem expressè tenet *Sanch. de matr. lib. 9. disp. 4. num. 23.* motus ultra supra relatas rationes ex eo quòd si uir culpa sua in triremibus condemnatus detineretur, uxor obligaretur eum alere: ergò idem dicendum si uxor ob suum facinus perpetuo carceri fuerit mancipata. Hanc eandem sententiam docuit *Siman.* sibi contrarius *de cathol. instit. in 2 edit. tit. 16. num. 18. & 19. & Surd. de alim. tit. 7 q. 16. num. 14.*

86 Quintò ampliatur, ut coniuges obligentur se ipsos inuicem alere, etiam si citra eorum culpã oporteat eos seorsim habitare; nẽpè ob alterius, uel utriusq; coniugis furorem, aut morbum cõtagiosum. Nam cum habitationis separatio citra eorum culpam contingat, æquum est, ut detrimentum priuationis alimentorum non substineant, ut habetur ex eodem *Sanch. loc. cit. num. 25.* cum alijs ab eo allegatis.

Sextò ampliatur, ut adeò inuicem coniugum alimentatio debeatur, ut uir citra casum extremæ necessitatis, uxori potius, quàm patri teneatur alimenta præstare, ut sup. ostendimus *Sec. 1. de alimentis à filijs parentibus præstandis, §. Peccant insuper filij, vers. Sed iuxta hæc quæritur.*

87 Sic ampliata limitatur eadem conclusio primò, ut locum non habeat, ubi pactio inita sit inter coniuges de alimentis non præstandis, ut in *L. si quis pro vxore, circa fin. ff. de donat. inter vir. & vxor. Syl. in sum. ver. Alimenta, q. 3. & Tab. eod. uer. num. 4.* Quod uerum puto si coniuges aliundè habeant, undè se alant, aliàs secus: siquidem urgente necessitate, ex debito cõiugali, non obstante quocumq; pacto, tenetur coniux diues alere coniugem pauperem, ne fame pereat. Imò si tale pactum fuisset initum, etiam in casu necessitatis, esset nullius momẽti, tanquam contra bonos mores; & propterea seruari non debet.

88 Secundò limitatur, ut coniux teneatur ad alimenta præstanda alteri coniugi, quando is, cui præstanda sunt alimenta, est pauper, & alter cõiux sit diues. Vndè uir inops non potest cõpelli ad præstandum alimenta uxori, sicut nec filij, durante ipsius inopia, ut in *l. si quis à liberis, §. pen. ff. de liber. agnosc. Bald. in l. ubi adhuc, nu. 25. C. de iur. dot.* Etenim uir non tenetur uxori ultra uires, *l. etiam, & l. maritum, ff. sol. matr.* Ita etiam è conuersò si uxor diues sit, tenetur uiro inopi alimenta donare, aliàs secus, ut in *l. si cum dotem, §. si maritus, ff. eod. tit.* ita se habente: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, uel uxorem uiri participem esse*, latè *Specul. tit. qui filij sin. legit. §. unico, num. 40. Bart. in tract. de alimentis num. 49. & in d. l. si cum dotem, §. sin autem, num. 6. Alex. ibidem, num. 9.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 4. num. 27. Reginal. lib. 31. sua prax num. 305. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 13. nu. 20. & tomo 1. ad Consuetud. Neap. par. 5. q. 11. num. 32. & seq.*

89 Tertiò limitatur, ut ita demum maritus teneatur uxorem alere, quando dotem promissam soluit; aliàs non tenetur, ut habetur per *Glos.* communiter receptam *in auth. de non eligen. secundò nuben. §. fin. uer. Onera, & Boer. decis. 22. num. 1.* Siquidem uiro datur dos ad onera matrimonij substinenda, & ut uxorem alat, *l. pro oneribus, C. de iur. dot. l. dotis fructus, ff. eod.* ergò dote non soluta, uir non obligatur matrimonij onera substinere, atq; ideò uxorem alere. Quod quidem uerum esse quidam uolunt, non solùm quando tota dos non est soluta, sed etiam quando illius pars: quia dum tota non soluitur, contractus fides non seruatur, ut habetur *ex Io. Lupo, in d. cap. per uestras de donat. inter uir. & uxor. art. 3. in princ. num. 2. Surd.* autem *de aliment. tit. 7. q. 17. num. 3.* quem sequitur *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 5. num. 3. & Molfes. locis citatis*, docent, maritum obligari ad vxorem alendam eo casu iuxta quantitatem dotis solutæ: quę quidem sententia nobis videtur verior. Etenim cum eadem sit ratio totius, & partis, *l qua de tota, ff. de reiuend.* sicut viri, integra dote recepta tenetur ad integra alimenta præstanda vxori; ita etiam recepta parte, tenetur ad partem.

90 Et quamuis hanc conclusionem veram esse, siue dos non soluta promissa fuerit ab ipsa vxore, siue à patre ipsius, vel à quocumq; extraneo non habente vxore in potestate, doceant *Bald. in L. quod in vxorem, num. 2.* vbi etiam *Paul. Castr. num 4 & Salyc. in fine, C. de negot. gest. Ruin. cons. 144. num. 16. vol. 5. & Surd. loc. cit. nu. 34.* cum alijs, quos allegat, & *Boer. d. decis. 22. nu. 4. & 5.* post *Soc. in suis fallẽt. regal. 258. in 2. fall.* nihilominus *Sanch. d. disp. 5. num. 5* inquit, magnum esse discrimen inter dotem promissam ab vxore, seu eiusdem patre, aut ab extraneo: nam dote ab extraneo promissa, & non soluta, indistinctè vir non obligatur ad uxorem alendam: quòd si vxor ipsa, aut ipsius pater dotem promiserit, si non soluant ratione impotentiæ, non eximitur uir ab alimẽtorum onere; nisi dolosè promiserint dotem, quam nouerant se impotentes esse ad eam soluendam: Siquidem vxor, & pater eius gaudent beneficio, vt conueniri nequeant pro dote soluenda vltra uires, vt post alios probat *Surd. loc. cit. num. 27. 30. & 36.* Est tamen uerum, quod si uir alat uxorem, dote non soluta in casu, quo non tenetur eam alere, si non fuerit protestatus, non potest ab ipsa vxore, aut quocunq; alio dotis promissore alimenta repetere: quia dicta alimenta censentur ipsi donata propter coniugalem affectum, ut in *l. si quis à liberis, §. si mater, ff de lib. agnosc.* ibi: *Nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu in filiã tuam erogatura esses. Panor. cons. 8. Ioan. Lup. in d. cap. per uestras, not. 3. §. 1. num. 1. de donat. inter uir. & uxor.* quos refert, & sequitur *Sanch. ubi sup. num. 7.* In omnem tamen euentum, in quo vir non tenetur vxori præstare alimenta ob dotem promissam non solutam, tenetur cum ipsa uxore habitare; atq; adeò eam traducere, & traductam

ductam non potest expellere; quoniam promissam dotem non solui nihil commune habet cum habitatione: & dos non soluta non eximit uirum à solutione debiti coniugalis: & non ob id impeditur, quin agere possit pro dote promissa sibi soluenda, ut habetur ex *Surdo*, cum alijs ab eo cumulatis, *de alim. tit. 7 q. 17. num. 21. Ludouic. Lopez 2. par. instr. de matr. cap. 54. in fine, Molina tomo 2. de iust. & iur. disp. 425. §. si marito dos, & Sanch.* post alios supra relatos, *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 17.* ubi *num. 18. & 19.* soluit contraria aliorum Doctorum, contrarium sentientium, & multa dicentium circa præfatam difficultatem.

91 Quartò limitatur hæc eadem conclusio, ut ita demum uir teneatur alimenta præstare uxori, ubi uxor cum uiro habitat: aliàs si citra uiri culpam propria temeritate ab eius consortio recedat, eam alere non tenetur; quoniam uxor debet esse in uiri obsequio, *cap. hæc imago, 33. q. 5.* & propterea si debitum obsequium præstare nolit, alimenta meritò non meretur. Etenim, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *l. si ea, C. de cond. infer.* Quod quidem uerum est, etiam si dotem promissam uir ab uxore integrè receperit: siquidem uxor tenetur uiro, nō solùm dotem promissam tradere, sed etiam ipsius obsequio esse: quapropter si in alterutro deficiat, cessat ipsa alendi obligatio. Ita *Surd. loco citato, qu. 16. num. 14.* Dixi, *Si citra uiri culpam*, quoniam si ob eius sæuitiam recedat uxor, alenda est à uiro, etiam si nullam dotem ei tradiderit, ut habetur ex *Ioann. Lupo in d. cap. per uestras, de donat. inter uir. & uxor. not. 3. in princ. num. 4. uers. Ego uero, Boer decis. 195. num. 7.* cum alijs ab eo allegatis, *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 60. nu. 6.* & alij apud *Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 4. num. 20. & 21.* ubi etiam, *num. 22.* id limitat, ubi uxor recedit à uiro ob nimiam sæuitiam; secus si moderata fit: quia permissum est uiro uxorem corrigere moderatè, *l. rei iudicatæ, ff. sol. matr. Syl. in summ. uers. uxor, q. 3.* cum alijs ab eo allegatis, *& Tab. eod. uers. num. 2.* Imò quamuis uir aliquantulum rationis limites in corrigenda uxore excederet; non tamen licitum est uxori mox à uiri consortio recedere; cum ad correctionem ex iusta causa possit eam carcerare, ut habetur ex eodem *Sanch. ibi, ex Boer. dec. 275. num. 2. & 3.* Benè uerum est, quòd coniux si culpa sua recedens à uiri cohabitatione pœnitentia ducta uelit cohabitare, tunc ius alimentorum recuperat, ut per eũdem *Sanch. ibidem, sub num. 23.*

92 Quintò limitatur, ut quamuis coniuges teneantur præstare sibi inuicem alimenta, iuxta ea, quæ supra adnotauimus; nihilominus non tenetur coniux soluto matrimonio soluere ex proprijs bonis debita mariti contracta pro se alimentanda; sicut nec eius filij: etenim uxor soluto matrimonio potest integram dotem recuperare, licèt uir prodigè expenderit, ipsi ultra debitum alimenta ministrans, ut habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 155.* Et hanc sententiam probabiliorem existimat *Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 5. num. 29.* licèt contrariam, quam ipse refert, *num. 28.* cum innumeris ferè Doctor. dicat esse satis probabilem. Imò *num. 30.* inquit eam locum habere, ubi uxor iussa à uiro satisfacere uiri creditoribus, ipsa expenderit pro alendis se, suisque liberis; nisi graui familiæ indigentia id egerit.

93 Dico trigesimosecundò peccare coniuges, uota ab eis emissa non seruantes, quæ in alterius præiudicium non uergunt, ut si eleemosynam uxor de bonis extra dotem uouerit, uel ieiunare, aut aliquid aliud facere, quod ex ui legis Diuinæ, uel humanæ agere tenebatur. Etenim quilibet sanæ mentis, etiam sub alterius potestate cōstitutus potest uouere ea, in quibus non est alteri subiectus: & propterea eiusmodi uota emissa seruare tenetur. Imò qui uouet id, quod nōn est in sua potestate, censetur uouere sub conditione, si Superiori placuerit, uel non contradixerit, qua conditione extãte, tenetur uotum seruare. Quòd si non præsumeret de uoluntate Superioris peccaret uouendo, quod adimplere non potest. Vndè vxor non habens aliquid extra dotem, si votum emittat erogandi centum aureos in eleemosynam pauperibus, abstinentiam, vel peregrinationem, certò sciens in eiusmodi votis, uirum nō esse consensum daturum, proculdubio peccaret vouendo, quod non potest adimplere. Ita ex *D. Thoma, Syl. in sum. uers. Votum, 3. in princ.* Nec tenetur adimplere, si maritus repugnauerit, *cap. manifestum, & cap. noluit, 33. q. 5.* Imò etiam si

94 ex mariti licentia eiusmodi vota vouerit, & posteà ille contradixerit, vxor citra culpam poterit ipsa vota non adimplere; & si maritus peccet reuocans absque causa, quod prius concesserat, vt habetur ex *Ricchar. in 4. d. 32. q. 2. ar. 2.* quem refert & sequitur *Nauar. in Man. cap. 12. sub n. 61. vers. Dixi*, vbi post *Syl.* addit, virum consensum, quem adhibuit in voto continentiæ, reuocare non posse. Et mulier, quæ antequam nuberet aliqua vota emisit, & postquam nupsit non valet citra viri præiudicium adimplere, excusabitur ab eorum executione, si vir nolit assentiri: verùm eo mortuo, tenetur eadem adimplere, vt in *d. cap. manifestum, Rosel vers. Votum, 2. §. 8. & Nauar. loco citato*, vbi etiam, quæ dixit de uxore, è conuersò dicenda esse censet de viro: siquidem maritus quoque quantum attinet ad coniugale debitum; non potest aliquid vouere in præiudicium vxoris: nam quoad hoc sunt conditionis æquales, *cap. gaudemus, de diuor. & cap. si quis vxorem, 32. q. 1.* Est tamen verum, quòd idē *Nauar. ibidem, num. 62.* docet, maritum vouentem succurrere Terræ Sanctæ, sine vxoris licentia: & è conuerso vxorem citra licentiam mariti idem votum vouentem, teneri illud implere, quando absque periculo incontinentiæ seruare potentes essent, vt in *cap. ex multa, de voto*, & latè *Syl. in sum. vers. Votum, 5 q. 1.* vbi ex *D. Thoma*, & alijs inquit, non esse consulendum viro, vt crucem accipiat, si vxor non potest eum sequi, & de incontinentia timeatur. Vxor autem, qui eiusmodi votum vouit, si talis non est, quæ secum possit ducere bellatores, vel sit suspecta de incōtinentia, & nimis iuuenis, debet tale votum omninò redimere, vt in *d. cap. de multa*. Imò *D. Th.* quem sequitur *Syl.* ibi, arbitratur, vxorem non posse hoc votum emittere citra viri licentiam; quoniam non potest sic discurrere absque castitatis periculo. Sed priorem sententiam veriorem esse putat *Nauar. loco citato*.

95 Dico trigesimotertiò peccare vxorem eleemo-

in causa. Confirmatur, quia si uir culpa sua fuerit bannitus, & non habeat undè se alat, tenetur uxor ad eum foris habitantem, alimenta mittere, ut in *l. mutus, §. manente, ff. de iure dot. Gig. de crim. læsæ Maiest. q. 21. nu. 4. Caphal. cons. 324. nu. 14. lib. 3. Iul. Clar. lib. 5. recep. in pract. crim. §. fin. q. 82. statuto 2. vers. Item quæro,* & alij apud *Sanch. lib. 1 de matr. disp. 41. num.* 13. Et id non ob aliam causam, nisi ob debitum coniugale, & ob rationem nexus, & cõiugalis amoris: ergò eadem ratione idem dicendum est in casu nostro in uiro quoad uxorem, cùm in alimentis præstandis mutua sit coniugum obligatio. Hanc opinionem expresè tenet *Sanch. de matr. lib. 9. disp. 4. num. 23.* motus ultra supra relatas rationes ex eo quòd si uir culpa sua in triremibus condemnatus detineretur, uxor obligaretur eum alere: ergò idem dicendum si uxor ob suum facinus perpetuo carceri fuerit mancipata. Hanc eandem sententiam docuit *Siman.* sibi contrarius *de cathol. instit. in 2 edit. tit. 16. num. 18. & 19. & Surd. de alim. tit. 7. q. 16. num. 14.*

86 Quintò ampliatur, ut coniuges obligentur se ipsos inuicem alere, etiam si citra eorum culpã oporteat eos seorsim habitare; nẽpè ob alterius, uel utriusq; coniugis furorem, aut morbum cõtagiosum. Nam cum habitationis separatio citra eorum culpam contingat, æquum est, ut detrimentum priuationis alimentorum non substineant, ut habetur ex eodem *Sanch. loc. cit. num. 25.* cum alijs ab eo allegatis.

Sextò ampliatur, ut adeò inuicem coniugum alimentatio debeatur, ut uir citra casum extremæ necessitatis, uxori potius, quàm patri teneatur alimenta præstare, ut sup. ostendimus *Sec. 1. de alimentis à filijs parentibus præstandis, §. Peccant insuper filij, vers. Sed iuxta hæc quæritur.*

87 Sic ampliata limitatur eadem conclusio primò, ut locum non habeat, ubi pactio inita sit inter coniuges de alimentis non præstandis, ut in *l. si quis pro uxore, circa fin. ff. de donat. inter vir. & uxor Syl. in sum. ver. Alimenta, q. 3. & Tab. eod. uer. num. 4.* Quod uerum puto si coniuges aliundè habeant, undè se alant, aliàs secus: siquidem urgente necessitate, ex debito cõiugali, non obstante quocumq; pacto, tenetur coniux diues alere coniugem pauperem, ne fame pereat. Imò si tale pactum fuisset initum, etiam in casu necessitatis, esset nullius momẽti, tanquam contra bonos mores; & propterea seruari non debet.

88 Secundò limitatur, ut coniux teneatur ad alimenta præstanda alteri coniugi, quando is, cui præstanda sunt alimenta, est pauper, & alter cõiux sit diues. Vndè uir inops non potest cõpelli ad præstandum alimenta uxori, sicut nec filij, durante ipsius inopia, ut in *l. si quis à liberis, §. pen. ff. de liber. agnosc. Bald. in l. ubi adhuc, nu. 25. C. de iur. dot.* Etenim uir non tenetur uxori ultra uires, *l. etiam, & l. maritum, ff. sol. matr.* Ita etiam è conuersò si uxor diues sit, tenetur uiro inopi alimenta donare, aliàs secus, ut in *l. si cum dotem, §. si maritus, ff. eod. tit.* ita se habente: *Quid enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, uel uxorem uiri participem esse,* latè *Specul. tit. qui filij sin. legit. §. unico, num. 40. Bart. in tract. de alimentis num. 49. & in d. l. si cum dotem, §. sin autem, num. 6. Alex. ibidem, num. 9.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. lib. 9. de mãtr. disp. 4. num. 27. Reginal. lib. 31. sua prax num. 305. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 13. nu. 20. & tomo 1. ad Consuetud. Neap. par. 5. q. 11. num. 32. & seq.*

89 Tertiò limitatur, ut ita demum maritus teneatur uxorem alere, quando dotem promissam soluit; aliàs non tenetur, ut habetur per *Glos.* communiter receptam *in auth. de non eligen. secundò nuben. §. fin. uer. Onera, & Boer. decis. 22. num. 1.* Siquidem uiro datur dos ad onera matrimonij substinenda, & ut uxorem alat, *l. pro oneribus, C. de iur. dot. l. dotis fructus, ff. eod.* ergò dote non soluta, uir non obligatur matrimonij onera substinere, atq; ideò uxorem alere. Quod quidem uerum esse quidam uolunt, non solùm quando tota dos non est soluta, sed etiam quando illius pars: quia dum tota non soluitur, contractus fides non seruatur, ut habetur *ex Io. Lupo, in d. cap. per uestras de donat. inter uir. & uxor. art. 3. in princ. num. 2. Surd.* autem *de aliment. tit. 7. q. 17. num. 3.* quem sequitur *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 5. num. 3. & Molfes. locis citatis,* docent, maritum obligari ad vxorem alendam eo casu iuxta quantitatem dotis solutæ: quę quidem sententia nobis videtur verior. Etenim cum eadem sit ratio totius, & partis, *l. quæ de tota, ff. de reiuend.* sicut vir, integra dote recepta tenetur ad integra alimenta præstanda vxori; ita etiam recepta parte, tenetur ad partem.

90 Et quamuis hanc conclusionem veram esse, siue dos non soluta promissa fuerit ab ipsa vxore, siue à patre ipsius, vel à quocumq; extraneo non habente vxore in potestate, doceant *Bald. in l. quod in vxorem, num. 2.* vbi etiam *Paul. Castr. num 4 & Salyc. in fine, C. de negot. gest. Ruin. cons. 144. num. 16. vol. 5. & Surd. loc. cit. nu. 34.* cum alijs, quos allegat, & *Boer. d. decis. 22. nu. 4. & 5.* post *Soc. in suis fallẽt. regal. 258. in 2. fall.* nihilominus *Sanch. d. disp. 5. num. 5.* inquit, magnum esse discrimen inter dotem promissam ab vxore, seu eiusdem patre, aut ab extraneo: nam dote ab extraneo promissa, & non soluta, indistinctè vir non obligatur ad uxorem alendam: quòd si vxor ipsa, aut ipsius pater dotem promiserit, si non soluant ratione impotentiæ, non eximitur uir ab alimẽtorum onere; nisi dolosè promiserint dotem, quam nouerant se impotentes esse ad eam soluendam: Siquidem vxor, & pater eius gaudent beneficio, vt conueniri nequeant pro dote soluenda vltra uires, vt post alios probat *Surd. loc. cit. num. 27. 30.* & 36. Est tamen uerum, quod si uir alat uxorem, dote non soluta in casu, quo non tenetur eam alere, si non fuerit protestatus, non potest ab ipsa vxore, aut quocunq; alio dotis promissore alimenta repetere: quia dicta alimenta censentur ipsi donata propter coniugalem affectum, ut in *l. si quis à liberis, §. si mater, ff de lib. agnosc.* ubi: *Nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu in filiã tuam erogatura esses. Panor. cons. 8. Ioan. Lup. in d. cap. per uestras, not. 3. §. 1. num. 1. de donat. inter uir. & uxor.* quos refert, & sequitur *Sanch. ubi sup. num 7.* In omnem tamen euentum, in quo vir non tenetur vxori præstare alimenta ob dotem promissam non solutam, tenetur cum ipsa uxore habitare; atq; adeò eam traducere, & traductam

ductam non potest expellere; quoniam promissam dotem non solui nihil commune habet cum habitatione: & dos non soluta non eximit uirum à solutione debiti coniugalis: & non ob id impeditur, quin agere possit pro dote promissa sibi soluenda, ut habetur ex *Surdo*, cum alijs ab eo cumulatis, *de alim. tit. 7 q. 17. num. 21. Ludouic. Lopez 2. par. instr. de matr. cap. 54. in fine, Molina tomo 2. de iust. & iur. disp. 425. §. si marito dos, & Sanch.* post alios supra relatos, *lib. 9. de matrim. disp. 5. num. 17.* ubi *num. 18. & 19.* soluit contraria aliorum Doctorum, contrarium sentientium, & multa dicentium circa præfatam difficultatem.

91 Quartò limitatur hæc eadem conclusio, ut ita demum uir teneatur alimenta præstare uxori, ubi uxor cum uiro habitat: aliàs si citra uiri culpam propria temeritate ab eius consortio recedat, eam alere non tenetur; quoniam uxor debet esse in uiri obsequio, *cap. hæc imago, 33. q. 5.* & propterea si debitum obsequium præstare nolit, alimenta meritò non meretur. Etenim, qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet, *l. si ea, C. de cond. inser.* Quod quidem uerum est, etiam si dotem promissam uir ab uxore integrè receperit: siquidem uxor tenetur uiro, nõ solùm dotem promissam tradere, sed etiam ipsius obsequio esse: quapropter si in alterutro deficiat, cessat ipsa alendi obligatio. Ita *Surd. loco citato, qu. 16. num. 14.* Dixi, *Si citra uiri culpam*, quoniam si ob eius sæuitiam recedat uxor, alenda est à uiro, etiam si nullam dotem ei tradiderit, ut habetur ex *Ioann. Lupo in d. cap. per uestras, de donat. inter uir. & uxor. not. 3. in princ. num. 4. uers. Ego uero, Boer decis. 195. num. 7.* cum alijs ab eo allegatis, *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 60. nu. 6.* & alij apud *Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 4. num. 20. & 21.* ubi etiam, *num. 22.* id limitat, ubi uxor recedit à uiro ob nimiam sæuitiam; secus si moderata sit: quia permissum est uiro uxorem corrigere moderatè, *l. rei iudicatæ, ff. sol. matr. Syl. in summ. uers. uxor, q. 3.* cum alijs ab eo allegatis, & *Tab. eod. uers. num. 2.* Imò quamuis uir aliquantulum rationis limites in corrigenda uxore excederet; non tamen licitum est uxori mox à uiri consortio recedere; cum ad correctionem ex iusta causa possit eam carcerare, ut habetur ex eodem *Sanch. ibi, ex Boer. dec. 275. num. 2. & 3.* Benè uerum est, quòd coniux si culpa sua recedens à uiri cohabitatione pœnitentia ducta uelit cohabitare, tunc ius alimentorum recuperat, ut per eũdem *Sanch. ibidem, sub num. 23.*

92 Quintò limitatur, ut quamuis coniuges teneantur præstare sibi inuicem alimenta, iuxta ea, quæ supra adnotauimus; nihilominus non tenetur coniux soluto matrimonio soluere ex proprijs bonis debita mariti contracta pro se alimentanda; sicut nec eius filij: etenim uxor soluto matrimonio potest integram dotem recuperare, licèt uir prodigè expenderit, ipsi ultra debitum alimenta ministrans, ut habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 155.* Et hanc sententiam probabiliorem existimat *Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 5. num. 29.* licèt contrariam, quam ipse refert, *num. 28.* cum innumeris ferè Doctor. dicat esse satis probabilem. Imò *num. 30.* inquit eam locum habere, ubi uxor iussa à uiro satisfacere uiri creditoribus, ipsa expenderit pro alendis se, suisque liberis; nisi graui familiæ indigentia id egerit.

93 Dico trigesimosecundò peccare coniuges, uota ab eis emissa non seruantes, quæ in alterius præiudicium non uergunt, ut si eleemosynam uxor de bonis extra dotem uouerit, uel ieiunare, aut aliquid aliud facere, quod ex ui legis Diuinæ, uel humanæ agere tenebatur. Etenim quilibet sanæ mentis, etiam sub alterius potestate cõstitutus potest uouere ea, in quibus non est alteri subiectus: & propterea eiusmodi uota emissa seruare tenetur. Imò qui uouet id, quod nõn est in sua potestate, censetur uouere sub conditione, si Superiori placuerit, uel non contradixerit, qua conditione extãte, tenetur uotum seruare. Quòd si non præsumeret de uoluntate Superioris peccaret uouendo, quod adimplere non potest. Vndè vxor non habens aliquid extra dotem, si votum emittat erogandi centum aureos in eleemosynam pauperibus, abstinentiam, vel peregrinationem, certò sciens in eiusmodi votis, uirum nõ esse consensum daturum, proculdubio peccaret vouendo, quod non potest adimplere. Ita ex *D. Thoma, Syl. in sum. verf. Votum, 3. in princ.* Nec tenetur adimplere, si maritus repugnauerit, *cap. manifestum, & cap. noluit, 33. q. 5.* Imò etiam si

94 ex mariti licentia eiusmodi vota vouerit, & postea ille contradixerit, vxor citra culpam poterit ipsa vota non adimplere; & si maritus peccet reuocans absque causa, quod prius concesserat, vt habetur ex *Ricchar. in 4. d. 32. q. 2. ar. 2.* quem refert & sequitur *Nauar. in Man. cap. 12. sub n. 61. verf. Dixi*, vbi post *Syl.* addit, virum consensum, quem adhibuit in voto continentiæ, reuocare non posse. Et mulier, quæ antequam nuberet aliqua vota emisit, & postquam nupsit non valet citra viri præiudicium adimplere, excusabitur ab eorum executione, si vir nolit assentiri: verùm eo mortuo, tenetur eadem adimplere, vt in *d. cap. manifestum, Rosel. verf. Votum, 2. §. 8. & Nauar. loco citato*, vbi etiam, quæ dixit de uxore, è conuersò dicenda esse censet de viro: siquidem maritus quoque quantum attinet ad coniugale debitum; non potest aliquid vouere in præiudicium vxoris: nam quoad hoc sunt conditionis æquales, *cap. gaudemus, de diuor. & cap. si quis vxorem, 32. q. 1.* Est tamen verum, quod idẽ *Nauar. ibidem, num. 62.* docet, maritum vouentem succurrere Terræ Sanctæ, sine vxoris licentia: & è conuerso vxorem citra licentiam mariti idem votum vouentem, teneri illud implere, quando absque periculo incontinentiæ seruare potentes essent, vt in *cap. ex multa, de voto*, & latè *Syl. in sum. verf. Votum, 5 q. 1.* vbi ex *D. Thoma*, & alijs inquit, non esse consulendum viro, vt crucem accipiat, si vxor non potest eum sequi, & de incontinentia timeatur. Vxor autem, qui eiusmodi votum vouit, si talis non est, quæ secum possit ducere bellatores, vel sit suspecta de incõtinentia, & nimis iuuenis, debet tale votum omninò redimere, vt in *d. cap. de multa.* Imò *D. Th.* quem sequitur *Syl.* ibi, arbitratur, vxorem non posse hoc votum emittere citra viri licentiam; quoniam non potest sic discurrere absque castitatis periculo. Sed priorem sententiam veriorem esse putat *Nauar. loco citato.*

95 Dico trigesimotertiò peccare vxorem eleemo-

mosynam facientem de bonis viri vltra, quàm par sit, vel quocunque alio modo excedentem in erogandis eiusdem bonis, citra viri licentiam expressá, vel tacitam: siquidem vxor non habet dominium bonorum viri, nec propriæ dotis, eo viuente, sed ipse vir dicitur dotis dominus, vt in *l. dote ancillam, ff. de rei vend.* quam culpam mortalem esse, cum obligatione restituendi, ait *Graff. par. 1. suarum decis. cap. 60. nu. 8. & Sayr.* post alios *lib. 9. Clau. Reg. cap. 16. num. 1. versic. Quod quotiescunque:* quoniam vxor in bonis mariti nullam habet dispensandi potestatem. Imò ipse *Sayr. ibidem, num. 4.* hanc conclusionem ampliat locum sibi vendicare, vt non valeat, nec bona quidem superlucrata constante matrimonio: quoniam bona huiusmodi non potest vxor donare, citra viri licentiam: Etenim quamuis habeat illorum proprietatem, vsusfructus, & eorũ administratio pertinet ad maritum. Imò vxor nõ potest donare quadraginta aureos, etiam ei, quæ eam lactauit, quamuis marito maximam dotem dederit, vt habetur ex *Nauar in Man. cap. 17. sub num. 155. uers. Ad tertium.* Et denique ampliatur hęc ipsa conclusio, vt sicut uxor non possit disponere de bonis viri, ità è conuersò vir nõ potest disponere de bonis proprijs ipsius vxoris, aliàs restitutioni efficeretur obnoxius, vt habetur ex *Petro Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. par. 2. dub. 7. num. 91.* & ex alijs relatis per *Sayr. loc. citato, num. 10. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 21. num. 75.*

96 Limitatur tamen hæc ipsa conclusio, vt locum non habeat, vbi vxor eleemosynam præbeat extremè indigenti, aut in magna necessitate constituto; quoniam ad id erat obligatus vir, iuxta illud *D. Ambr. in cap. pasce, 86. d. Pasce fame exurientem. si non pauisti, occidisti.* Quod verum est, dummodò maritus ob id non egeat extremè, vt habetur ex *Host. in sum. de pœnit. & remiss. §. Quibus mortuis, uers. Quid facientibus eleemosynam. Graff. autem par. 1. Suar. decis. cap 60. n. 8.* hanc ipsam limitationem procedere, inquit etiam, quando vxor non potest habere recursũ ad maritum, quoniam citra culpam eleemosynã faceret ex præsumpta voluntate mariti. Vnde diceret, quòd si vxor probabiliter, aut certò sciret in talem eleemosynam non esse consensurũ, & ipsa absque viri licentia tribueret, peccaret. Sed hoc nobis videtur omninò falsum, cùm in tali casu, etiam viro expressè contradicente, posset eleemosynam facere: nam cùm tempore necessitatis omnia sint communia, vt in *cap. discipulos, 50 d.* vxor dando, vt supra, eleemosynam extrèmè maximè indigenti, non dicitur dare de bonis mariti, sed de bonis communibus, cum ipso indigenti, iuxta ea, quæ tradita sunt per *Glos. in cap. non dicatis, 12. q. 1. & Panor. in c. si quis propter famis necessitatem, de furt.*

97 Secundò limitatur, quando vxor habet bona propria, in quibus maritus non habet usumfructum, ut quia bona aliqua sibi reseruauit: uel ex sua industria acquisiuit bona aliqua constante matrimonio: nam de illis est domina; atque ideò & alteri elargiendo, non peccat, ut habetur ex *Molfes. tom. 1. ad Consuet. Neap. par 4. tit. de renunc. q. 19. & par. 1. sua sum tr. 11. cap. 21. num. 73.* Et id etiam si uxor aliquid sua industria acquisiuit, constante matrimonio, de pecunia viri; quoniam adhuc illius rei efficitur domina, vt probat idem *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 5. sub num. 171.* latè *Syl. in summ. vers. Vxor, qu. 2:* dum ait, quòd si vir operatur in rebus viri, vt inde lucretur, vt quia sit textrix, filet, aut negotietur, & alia eiusmodi faciat, hæc non cedunt lucro viri, sed uxoris, & sibi acquirit: quod limitat in casu quando non habet dotem sufficientem ad alendum se, & omnes liberos cum marito: & ubi maritus non habeat alia bona sufficientia; sed si habeat dotem, quæ satis sit ad alendum se, & communes liberos, uel saltem se: & maritus habeat alia bona sufficientia, non tenetur marito, quę lucrata fuerit tribuere: siquidem uxor nõ tenetur laborare pro uiro, si bona habeat, quæ satis sint ad supportanda onera matrimonij saltem pro parte, arg. *tex. in c. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. l. si cum dote, ff. sol matr. & Panor. in cap. litteras, de restit. spol.* Est tamen uerum, quòd si uxor operatur in bonis uiri pro suo usu, nempè in lana uiri, ut faciat sibi uestem, uel in suo lino, ut faciat sibi linteamina pro usu, cedit lucro uiri: nec pretium laboris poterit hoc casu petere à uiro, ut in *l. sed si vir, ff. de donat. inter vir. & uxor. & Syl. loco citato,* ubi idem ait esse dicendum de re hæredis uiri, apud quem uxor alimentatur. Nec ista cõtraria sunt ijs, quæ supra diximus ex *Sayr. ampl. 1.* quoniam ipse *Sayr.* loquitur de bonis super lucratis, constante matrimonio, per uxorem, nempè de fructibus dotis, & donationis propter nuptias, qui assignantur uiro, licèt dictorum bonorum uxor habeat proprietatem, ut rectè se declarat *Sayr. ibidem, num. 10.* quod uerum est, nisi bona ex industria acquisita essent communia uiro, ut communiter fit in Hispania, ut habetur ex *Nauarr. in Man. cap. 17. sub num. 154. in fine.*

98 Tertiò limitatur ubi uxor bona omnia habeat communia cum uiro, ut uxores habent in multis locis Hispaniarum: nam tunc si sciat uirum aliquid ex dictis bonis donasse, potest ipsa quoque tantundem donare, in eleemosynam dare, aut alio modo distrahere: quia hoc casu eadem ratio est, ac de socio, ut quod accepit imputandũ sit in sua portione; nisi alius socius similem summam sibi perceperit, ut habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17 sub num. 155. & Molfes. d. cap. 21. num. 74.* Imò si uxor certò sciat, maritum suum in fraudem ipsius uxoris, uel suorum filiorum suis parentibus, aut alijs personis semel, aut sæpè in notabili quantitate largitum fuisse; ipsa quoque citra culpam tantundem licitè parentibus suis, uel filijs suis, ex alio marito susceptis uia compensationis elargiri potest, ne filij ex alio marito suo remaneant defraudati. Ità *Anton. de Cord. in summ. q. 125. Soc. cons. 93. uol. 1.* & alij quos refert, & sequitur *Sayr. d. cap. 17. nu. 7.* ubi id limitat uerum esse quando per recursum ad Iudicem, iurgia, ac notabilia inconuenientia sequutura timerentur, aut per iudicium non posset ius suum consequi.

99 Quartò limitatur, ubi de communi consuetudine Regionis uxores solent eleemosynam panis, & uini facere: siquidem uerisimiliter arbitrari potest, id marito non displicere, quamuis expressè prohibeat, ut habetur ex *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 6. sub num. 8.* ubi id ampliat, etiã si crederet, eius uirum nolle, ut etiam cõsuetam,

& soli-

& solitam faceret eleemosynam: nam potest deponere conscientiam si ualet: aliàs debet se abstinere, vt in *cap. per tuas*, 3. *de simon.* & habetur etiam ex *D. Anton. 2 par. tit. 1. cap. 19. §. 1. Syl. in sum. vers Eleemosyna, q. 5. in vers. Quintum*: & *Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 153. uersic. Quinquagesimoprimò*. Etenim id solent agere viri, vt temperent uxores non à toto, sed ab excessu, vt habetur ex *Syl. loco citato*, & *Tab. uersic. Eleemosyna, num. 12.*

100 Quintò limitatur, vt uxor possit de bonis viri moderatas facere eleemosynas, & expensas licitas ad honestam eiusdem recreationem, irrequisito viri assensu, iuxta conditionem personarum, & Regionis consuetudinem. Solet enim certa annua pecuniæ quantitas constitui à viris vxoribus, maximè nobilibus, vt iuxta earum cōditionem possint expendere: ergò si dictam pecuniæ quantitatem, aut æquiualens de bonis mariti vxor percipiat, eo irrequisito, nō dicitur furtum committere, nec aliquam culpam contrahere, vt latè probat *Less* post alios *lib. 2. de iust. & iure, cap. 12. num. 82. cum seq. Sayr. lib. 9. Clauis Reg. cap. 16. num. 1. Reginald. lib. 23. sua prax. num. 20. Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 21.* & antè ipsos *Syl. in summ. uers. Eleemosyna, qu. 5. uers. Quintum uxor, Tab. eod. uers. num. 12. Nauar. in suo Man cap. 17. sub num. 153. in fine*, vbi etiam *num. 155. uers. Ad tertiū addit*, quòd vxor etiam si maximam dotem marito dederit, non potest dare de illa 40. aureos, etiam ei, quæ eam lactauit. Quapropter considerent quæso Cōfessarij, quàm decipiantur, si citra scrupulum cōscientiæ à nobilium diuitum vxoribus, quarum confessiones audiunt, accipiant eleemosynas, nō solùm 40. & 100. sed etiam 1000. & 10000. aureorum, earum viris omninò inscijs. Etenim à furto non excusantur vxores, nec Confessarij & si in edificationem, & necessitatem earum Ecclesiarum, aut Monasteriorum conuersi fuerint, ad illorum restitutionem in solidum tenentur, tàm vxores, quàm Confessarij, ac eorum Ecclesiarum & Monasteriorum Prælati, ac Rectores: nec sunt absolutionis capaces, donec restituant eiusmodi bona subtracta vxorum prædictarum viris, si possint, & quorum bona depredati fuerunt.

101 Sextò limitatur, vt citra viri licentiam possit vxor subuenire patri, matri, filijs primi matrimonij, fratribus, & sororibus pauperibus: siquidem huiusmodi personis tenemur præstare alimenta, vbi commodè possumus, vt aliàs diximus; dummodò familia viri non sit in æquali necessitate; quoniam ordinata charitas à proximioribus incipit, vt in *l. Præses*, & ibi, *Glosa*, & *Doctor. C. de seruit. & aqua, Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 12. num. 88. & 89. Molfes. d cap. 21. num. 72.* cum alijs, quos allegat. Imò *Sayr. lib. 9. Clauis Reg. cap 16. num. 8.* id posse vxorem prędictis personis, etiam si petitam licentiam eis subueniendi maritus vxori deneget.

102 Septimò limitatur, vt vxor possit de bonis viri eleemosynam facere absque ipsius licentia, etiam petita, & non obtenta, quando vtiliter gerit eiusdem negotia, puta, quia videt virum crudelem, & vt Deus suspendat iram suam, vel eum illuminet, dat moderatas eleemosynas occultè, vt in *cap. reuertimini*, 17. *q. 1.* sic Abigail 1. *Reg. c. 15.* liberauit virum suum, propter panes datos Dauid contra uoluntatem viri sui. Ità *Syl. in summ. vers. Eleemosyna, q. 5. sub vers. Quintum uxor, Tab. eod. uers. sub nu. 12. Nauar. in Man. cap. 17. num. 154.* & alij. Idem dicendum est si eleemosynam faciat, aut quæcunque bona viri expendat ad euitandum aliquod damnum viri temporaneum, aut proprium spirituale, vt habetur ex *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 60. num. 9.* & *Molfes. d. cap. 21. num. 71.* post *Sayr.* & alios.

103 Octauò limitatur, vbi vir assignauerit aliquam pecuniæ quantitatem vxori pro suo victu, & ipsa vult abstinere, vt eleemosynas elargiatur vt habetur ex eodem *Graff. loco citato*, & ante ipsum *Syl. in sum. uers. Eleemosyna, q. 5. uersic. Quintum uxor.*

104 Nonò limitatur, vbi vxor haberet virum prodigum, vel decoctum; quoniam tunc citra culpam, & citra licentiam viri, etiam petitam, & non obtentam, potest de bonis viri clam subtrahere pro conseruatione suæ dotis, & antefati, & vt sibi, suisque filijs de necessarijs prouideat; quia hoc casu non tenetur viro obedire cū sua, & propriæ domus iactura: ac tunc se habet vxor, ac si virum non haberet: nam paria sunt non esse, & inutile esse. Ità *Sayr. d. cap. 16. nu. 2. Less. d. cap. 12. num. 87. Molfes. tom. 1. ad Consuetud. Neap. par. 6. q. 5. num 20. & seq. & p. 1. sua sum. tr. 11. cap. 21. num. 69.* vbi *num. 70.* idem quoque dicendum esse ait, quouis modo maritus impeditus sit bona sua administrare: vt quia esset absens, damnatus in exilium, ad triremes, relegatus, vel deportatus in insulā: aut uir esset fatuus, mente captus, &c. nam tunc administratio domus, ad vxorem pertinet, vt habetur ex *Nauarr. in Man. cap. 17. sub nu. 154.* & antè ipsum *Syl. loco citato*, & ex alijs.

105 Dico trigesimo quartò, peccare mortaliter vxorem scientem eius virum non habere bona, nisi malè acquisita, & restitutioni obnoxia; & nihilominus de dictis bonis alimenta suscipiat, si aliundè honestè viuere potest: quoniam nemo debet locupletari cum aliena iactura, vt habetur *ex Card. in clem. 1. q 8 de vsur. Host. in sum. de pœnit. & remis. § quibus, & qualiter, vers. Quid de raptoribus, Gabr. in 4. d. 15. q. 3. col. 16. in fin. & Graff. d. cap. 60. num. 11.* vbi *ex Nauar. in d. cap. 17. num. 268.* id limitat ad ea bona, quorum dominium ad maritum non transit, vt sunt pignora fructifera pro usuris accepta: & quando vxor sumptuosius uiuit, & vltra decentiam status: tunc ait, peccare vxorem: aliàs non peccat, si suscipiat vt sup. alimenta ex bonis viri malè acquisita, & restitutioni obnoxia: quia plùs obligatur maritus ad vxorem sustentandam, quàm ad vsuras restituendas.

106 Sed re vera ego arbitror idem esse dicendum de bonis, quorum dominium habet vsurarius, & vsurarum restitutioni sunt obnoxia, ac de bonis, quorum dominium non habet: siquidem de bonis vsurarijs, quorum vsurarius nō est dominus, non potest illorum dominium in alium trāsferre: & bona, quorum est dominus, cùm sint pro vsuris extortis restitutioni obnoxia, de illis non potest vxorem alere, sicut nec filios: quoniam vir actione tantùm personali tenetur vxori alimenta præstare; sicut mutuatarius actioné quoque personalē habet aduersus vsurarium ad repetendas vsuras ab eo consumptas. Modò cùm ex

ex debitis personalibus illa prius ueniant soluēda, quę cum maiori iniuria sunt contracta, iuxta ea, quæ latè probat *Salon.22.q.62.ar.8.contr.3. q.vlt.* consequens est, vt vsurarius potius teneatur ad vsurarum restitutionem, quam ad alendā vxorem extra casum necessitatis; quoniam vsurarum debita sunt cum mutuatarij contumelia contracta: eo quòd supponimus mutuatarium coactè vsuras soluisse, pressum iniquitate vsurarij nolentis gratis mutuare. Non sic sunt alimenta, quæ extra casum necessitatis debentur à viro vxori. Ità *Syl.Tab.*& alij, quos refert, & sequitur *Salon.12.q.78.ar.3. contr.6.*

107 Nec obstat illud *Nauar.d.cap.17.num.268.* quem refert, & sequitur quoq; *Molina de contr. disp.330.* dum uolunt, vt sup. diximus, vsurariū non habentem alia bona, quàm pro usuris restitutioni obnoxia, posse uxori alimenta ex dictis bonis tribuere, etiam si possit proprio labore, aut inter affines, uel consanguineos victū quærere, & extra casum necessitatis: quoniam iure matrimonij plus tenetur vir ad vxorem alendā, quàm ad restituendum vsuras, & ad hoc allegāt *tex.in d.l.assiduis*, non facere ad rem nostram, cùm per illam legem pro dote tacita tantùm vxori concedatur hypotheca. Pro alimentis autem, cùm potest illa sibi aliundè quærere, hæc tacita hypotheca in iure non reperitur expressa super bonis uiri; sicut nec pro dotis augmento. Est tamen uerum, quòd vsurarius habens bona præter vsuraria, uel restitutioni obnoxia cum illis admixta, nempè proprio labore, iure hæreditario, vel ex uxoris dote acquisita, si alat uxorē, & filios, censetur illis indubio ex illis bonis non vsurarijs: quoniam uxor, filij, & familia vsurarij, non tenentur explorare quo iure à suis parentibus, & marito bona illa possideantur, nec conscientias eorum inquirere, & in hoc probamus sententiam *Nauar.loc cit.num.268.& seq.*

108 Imò si maritus vsurarius non habeat bona præter vsuraria, uel pro usuris restitutioni obnoxia, & mutuatarij, à quibus usuras extorsit, sint incerti, potest ex dictis bonis se, suam uxorem, & familiam alere, præmissa tamen diligenti inquisitione ad sciendos mutuatarios, à quibus usuras extorsit: quoniam illa bona, quorū Domini ignorantur, posset pauperibus erogare: ergò potest ea in substentationem suam, uxoris, & propriæ familiæ in paupertatem redactæ conuertere, etiam extra causam extremæ necessitatis, ut habetur *ex Syl.in sum.ver.Vsura,8 q 2.& 3.& Tab.eod. uer. q.5.* qui licèt uelint ad prædicta bona cōuertenda vt supra, exigi auctoritatem Episcopi; illam tamen necessariam non esse ait *Nauar.& Salon.locis citatis,& Molina de contr. disp.330.num.9 cum seq.* Qui etiam uolunt, quòd si hæc uera sunt extra casum necessitatis extremæ, multò magis locum sibi uendicant in extrema necessitate: siquidem in extrema necessitate constitutus potest ex domo ditis necessaria sibi, suisq; comparare; ergò tantò fortius ex ijs, quæ retinet, licet usurarijs, & pro usuris restituendis obnoxijs necessitatem extremam, quam patitur leuare: ex quo eo casu usuras, atq; ideò bona mutuatarij non dicitur retinere, sed sua sibi comparare cùm necessitatis tēpore omnia sint communia, *cap. discipulos, 50. d.*

109 Dico trigesimo quintò, peccare vxorem, & restitutioni constitui obnoxiam, si ex bonis mariti merè usurarijs satisfaciat sibi de dote: etenim prædictorum bonorum dominium non acquisiuit ipse maritus vsurarius; sed adhuc perseuerat apud mutuatarios, à quibus vsuras extorsit: & propterea ad quemcumque transeant, competit mutuatarijs realis actio ad illa recuperanda; sicut Domino ad recuperandam rem suam, furto sibi sublatam, *l. inciuilem, C. de furt.* Quòd si vxor ex alijs bonis sui mariti usurarij restitutioni tamen obnoxijs pro vsuris de dote sibi satisfaciat, tunc non peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur. Vxor enim super bonis viri tacitam habet hypothecam pro restituenda sibi dote, vt in *l.assiduis, C.qui potior in pign. habean.* & præfertur cæteris creditoribus personalem habentibus actionem: at mutuatarij non habent nisi actionem personalem contra usurarios quādo vsuræ non extant eædem numero: ergò cùm eis præferatur, sicut vir tenebatur prius ipsi dotē restituere, quàm mutuatarijs de prædictis bonis satisfacere, cùm ex debitis illa prius soluenda sint, quę sunt realia, quàm personalia; ita uxor licitè poterit bona prædicta pro dote sibi retinere, & mutuatarijs non restituere, quam quidem cōclusionem tunc veram esse ait *Salon 22. q.78. ar.3.contr.7.* quando uir consumpsit dotem sine consensu uxoris; secus autem si ipsa consentiente; quoniam tunc vir eius usurarius tenebatur prius restituere usuras, quàm dotem, saltem in foro conscientiæ: siquidem vsurarij debitū contractum est cum iniuria: debitum verò dotale, quando cum consensu vxoris dos ipsius cōsumpta est, citra ullam iniuriam contractum extitit. Sed quicquid sit de peccato viri vsurarij, & de controuersia, an prius soluenda sint debita licitè contracta, quàm usuræ restituendæ, pro qua re vide ea, quæ latè habentur *ex Sayro lib.10 Clauis Reg.tr.2.cap.7.num.28.29.& 30.* in casu tamen, de quo agitur sicut licitè potuit petere restitutionem dotis, quamuis eius voluntate consumptæ; ita potuit eam sibi redditam retinere, licèt esset posterior, cuius eius diligentia in petēdo fecerit ipsam potiorem, etiam si tacitam non haberet hypothecam per *tex in l.pupillus, ff.quæ in fraud. credit.* quod quando procedat, quoad debita in vniuersum, vide *Sayr.loco citato, num. 37.in fine.*

110 Dico trigesimosextò peccare mortaliter vxorem litigiosè, ac iracundè maritum suum ad blasphemandum prouocantem, dummodò id sciēs, aut scire debens iracundiam non deprimat, iuxta ea, quæ habentur in *cap.fin.de iniur.* Sic etiam vir mortalem culpam contrahit, proferendo in coniugem verbum ex sui natura aptum ad infamandum, vt si meretricem eam appellet, & inde infamia subsequatur, vel infamiæ saltem probabile periculum, etiam si animo non infamandi, seu iniuriandi illud protulerit, vt habetur ex *Nauarr.in Man.cap.16.num.19. Graff. par.1.dec. cap 60.num.4.& 5.* cum alijs ab eo allegatis.

Dico trigesimoseptimò mortaliter peccare vxorem, notabiliter obedire recusantem in his, quæ ad regimen domus, & familiæ, ac bonos mores pertinent, *cap.est ordo,& cap. hec imago, 33. qu.5. & Nauar. in Man. cap.14. num. 19. in fine.*

111 Di-

111 Dico præterea peccare coniuges matrimonium contrahentes coram Parocho vi, aut metu compulso assistere eorum matrimonio contrahendo, & si vi detineatur, incidunt in excommunicationem contentam in *cap si quis suadente Diabolo.17.q.4.* eo quòd violentas manus in eum dicuntur inijcere. Est tamen uerum, quòd si tali matrimonio interueniant duo, vel tres testes cum Parocho quantumuis coacto, ualidum est matrimonium, nec dicitur clandestinè initum, quoad eius validitatem: quoniam non exigitur, vt Parochus voluntariè sit præsens matrimonio; sed satis est si sit præsens, etiam si alligatus detineatur, vel occasionaliter ibi fuerit, & aures, data opera claudat, ne contrahentium verba audiat, aut expresè protestetur, quòd non intendit suam auctoritatem impartiri. Etenim ad validitatem matrimonij satis est ex *Conc. Trid. sess.24.de reform. matrim. cap.1.* si contrahatur coram duobus, vel tribus testibus, & coram Parocho. Ità *Sanch.* post alios *lib.3.de matrimon. disp.39.num.9. cum seq. Ricc. in sua praxi, de matrim. decis.243 num 3 & 4. & Molfes.par.1. sua sum.tr.4.cap.7.num 57. & 58.* vbi idem ait dicendum esse si è conuerso Parochus matrimonio assistere, & de facto assistat, contradicente, ac prohibente Episcopo: nam licèt Parochus peccet, & ab Episcopo grauiter puniri possit, nihilominus matrimonium est validum; nisi adsit clausula irritans. Et ità fuisse declaratum per Sacra Congr. Conc. testatur. Eandem opinionem tenet *Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 32. & Coninc. de matrim. disp.27.num.8.*

112 Parochus autem, qui præsens esse debet matrimonio, adhoc, vt sit validũ, est ille, in cuius Parochia habitant contrahentes tẽpore matrimonij; dummodò animum habeant permanendi in illa Parochia, & non reuertendi ad primam. Vndè si matrimonium celebretur in Parochia viri, ille Parochus debet assistere matrimonio: Si verò celebratur in Parochia mulieris, tunc mulieris Parochus debet matrimonio assistere: eo quòd ille solus ibi iurisdictionem exercet. Ità *Sanch. lib.3. de matrim. disp 19 num 4. & disp. 23. & 24. Ricc.* post alios *in sua praxi, de matr. decis.244 num. 1. & seq Coninc. disp 27. de matrim. nu 19.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes par.1. sua summ. tr.4. cap.8. num. 53. & 54. & cap.9. num 17.* addentes ita fuisse declaratum per Sacram Cõgreg. Cardin. Est tamen verum, quòd vbi Parochus non est Sacerdos, posset alteri Parocho, ac etiam simplici Sacerdoti facultatem tribuere assistendi matrimonio, cùm de iure solus Sacerdos possit assistere, & coniuges benedicere, vt post aliòs probat *Sanch. lib 3. de matrim. disp.20 & Molfes. loco citato, num 55.* vbi etiam *num.65.* notandum esse inquit, quòd si cõtrahentes essent vagabundi, & facta esset diligentia, & producta fides, quòd in Regione sua non sint coniugati cum alijs, Parochus, qui debet horum matrimonio assistere, est ille, in cuius Parochia tunc uagi habitant, vt probat idem *Sanch. d. lib.3. disp.25. & Molfes. d. tr.4 c.89. num.17.* qui tamen ait, has solemnitates requiri, vbi contrahitur matrimonium in locis, in quibus est receptum Concil. Trid. aliàs secus, vt latè prosequitur ibidem *num.18.*

113 Dico trigesimo octauò peccare futuros cõiuges, si interrogati ab ordinario, vel Parocho, vt manifestare habeant impedimentum quantumuis occultum, & infamatorium, illud non manifestent; quoniam eiusmodi interrogatio nõ tendit ad eos puniendos, sed ad impediendum ne inualidè matrimonium contrahant, ut in *cap. 3. de dand. spons. Sanch. d. lib.3. de matrim. disp. 14. Reginald. lib.31. sua prax. num. 238. §. Tertium: Coninc. de matrim. disp.27. nu.63. & Molfes. par 1. sua sum. tr.4. cap.7. num.43.* vbi *num. 44.* id limitat ex eisdem Doctoribus, nisi obtenta esset dispensatio; quoniam tũc cessat onus denunciandi, etiam in foro conscientiæ, cùm cesset impedimentum: & id uerum est, etiam si denunciatio præciperetur sub pœna excommunicationis: quamuis in foro exteriori regulariter non stetur confessioni coniugum super impedimento ad dissoluendum matrimonium iam contractum, ut habetur in *cap super eo, de eo, qui cogn. &c. Franc. Marcb. decis.754. Ricc. in sua praxi de matrim. decis.263. num.1. & Molfes. loco citato, num.45.* ubi etiam ait, quòd si coniugum confessio fieret pro matrimonio, tunc ualida esset.

114 Dico trigesimononò peccare coniuges petentes, aut reddentes debitum tempore menstrui, & antequam puer ablactetur, ut habetur ex *D. August* de quo in *cap. ad eius d.5.* ubi inter alia sic se habet: *Ad eius uero concubitus uir suus accedere non debet, quousque, qui gignitur ablactetur.* Et paulò inferius: *Cùm in menstruis consuetis detinentur, viris suis misceri prohibetur, ita vt lex sacra morte illum feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat*, latè *D. Thom. in 4 d.32. Palud. ibidem, q.1.* Ampliatur hæc cõclusio, ut nec coniuges citra culpam possint reddere debitum tempore menstrui, ut supra diximus, & habetur per *Glos. in d. cap. ad eius.* Limitatur tamen eadem conclusio, ut locum nõn habeat in ijs mulieribus, quæ ex consuetudine menstrua patiuntur; quoniam naturæ superfluitas culpæ illis imputari non conuenit, ut in *dict. cap. ad eius verò.* Secundò limitatur, ut conclusio procedat, quando quis ardore libidinis accedit ad menstruatam coniugem; secus autem si ad euitandam fornicationis formidinem in se, uel in uxore petat, aut reddat debitum, ut per *Gl. in d cap. ad eius*, ad quod allegat *tex in cap. duo mala, 14. d.* Tertiò limitatur, ut coniuges petentes, aut reddentes debitum tempore menstrui, nunquam peccent mortaliter, etiam si credant ex eiusmodi complexu mostrum aliquod conceptutos, ut habetur ex *Palud. D. Anton.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Nauar. in Man. cap.16. num.32.* Quartò limitatur, ut ad summum coniuges copulam habentes tempore menstrui, sine causa peccent tantùm uenialiter; quòd si legitima adsit causa, nulla culpa committitur. Ità *Nauarr.* & alij Doctores supra citati.

115 Dico quadragesimò peccare coniuges si citra alterius consensum habitum muteut, ut si uxor, uiro dissentiente, uel è conuerso, uelit indui uestibus tertij Ordinis S. Francisci, &c. siquidem id horrorem generat, & obligationi reddẽdi debitum officit, ut habetur ex *Rosel. in sum. versic. Votum, num.9 Syl ver. Votum, 5. q.1 in fine, Nauar. in Man cap.12. num.62 & Sanch. lib.9. de matrim. disp.3. num.9.* ubi propterea inquit, non esse

esse licitum uiro uestibus Eremitæ indui absque uxoris consensu.

116 Dico quatragesimoprimò peccare coniuges, qui copulam inter se habentes, cogitant copulam habere cum alijs, uel eo animo, ut haberent etiam si coniuges non essent, ut in *cap. origo*, iuncta *Glosa, vers. Amator, 32. q. 4. Palud. in 4. d. 32. q. 3. D. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 20. § 1. & Nauarr. d. cap. 16. num. 1. vers. Secundò dicimus.*

Dico quatragesimosecundò peccare maritum præcipientem ieiunium Ecclesiasticum soluere, nulla legitima subsistente causa; sicut & uxor ei obtemperare citra culpam non ualet; quoniam Ecclesiæ potius, quam marito tenetur obedire: siquidem maritus dominium non habet in uxorem quoad præcepta Ecclesiæ. Est tamen uerum, quòd si notabiles discordiæ oriantur inter uxorem, & uirum, nisi uxor uiro pareat, tunc ex Sacerdotis saltem dispensatione, potest citra culpã uxor Ecclesiasticum ieiunium soluere, ut habetur ex *Inn. in rub. de obser. ieiun num. 1.* ubi etiã *Panorm. num 8 Syl. vers. Ieiunium, q 5. Nauar. in Man. cap. 11 num. 19.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. loc. cit. num. 13.*

117 Dico quatragesimotertiò, peccare mortaliter maritum occidentem uxorem in adulterio comprehensam, sicut adulterum, ut habetur ex *Sanchez* post alios *de matrim lib 7. disp. 16. Sayr. lib. 7 Clauis Reg. cap. 10. num. 8. & seq. Less. lib. 2. de iust. & iur. c. 9. n. 16. & 17.* licet contrariam existimet esse probabilẽ, *Regin. lib. 2. sua prax. n. 17. Molf. p 1. sua sum. tr. 11 c. 19. n. 67.* & alij. Prob. primò *ex tex. in c inter hæc, 35. q. 2.* ubi per Ecclesiam expressè id prohibetur, his uerbis: *Inter hæc Sanctitas uestra addere studuit, ut si cuius uxor adulterium perpetrauerit, utrum marito illius liceat secundum mundanam legem eã interficere, sed Sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem, quo non occidit, sed uiuificat.* Sic etiam *D. August lib. 2. de adulter. coniug. cap. 6. Postquam Christus ait adulteræ, nec ego te condemnabo, uade, & noli amplius peccare. Quis non intelligat debere ignoscere maritũ, quod uidet ignouisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen Diuina credit miseratione deletum.*

Nec obstat si dicatur, quòd licitum est de iure ciuili marito adulterum, & uxorem adulterã in adulterio comprehensam simul occidere, ut in *l. Grascus*, & ibi communiter scribentes. *Cod. ad leg. Iul. de adulter.* quoniam respondetur, quod contrarium fuit statutum per ius Canonicum, ut in *d. cap. inter hæc.* Nec *tex in cap. interfectores, 33. q. 2.* refragatur; quoniam *tex.* ille excusat uiros occidentes uxores in adulterio comprehensas quoad pœnam, non autem, quoad culpam, cùm uir occidendo uxorem adulteram agat contra præceptum, *Non occides* Benè uerũ est, quòd maritus citra culpam potest occidere uxorem in adulterio deprehensam, quando id ex Principis permissu ageret post latam contra ipsã à Iudice sententiam; quoniam tunc non priuata, sed publica auctoritate id ageret, non ad uindictam, sed ad defensionem honoris. Vndè in Regno datur per eius Constitutionem facultas uiro amputandi nasum uxori in adulterio comprehensæ, & per sententiam legitimè condemnatæ; uel dimittendi eam puniendam pœna ultimi supplicij per Iudicem. Et in quibusdam alijs Regnis bona uxoris adulteræ tribuuntur marito, ut habetur ex *Sayro d. cap 10. num. 11. Less. & Reginal.* relatis à *Molfes. d. cap. 19. num. 70.*

118 Dico quadragesimoquartò, uxorem, quæ ex adulterio certò nouit suscepisse filium, non solũ contraxisse lethalem culpam ratione adulterij commissi; sed etiam peccare non reficiendo dãnum marito, cùm possit, nutrienti filium alienũ, & suum existimanti? & filijs legitimis, ac naturalibus, propter filij adulterini successionem; cũ ipsa fuerit in causa damni filiorum, & mariti, propter adulterium commissum, & filium ex eo susceptum: at qui causam damni dat, damnum dedisse censetur, *cap. si culpa, de iniur.* & damno dato, & *l. qui occidit, ff. ad leg. Aquil.* Idem dicendum est eadem ratione de muliere supponẽte sibi partum, fingendo se prægnantem, & parere filium, quem secretò accepit ab alio, vt habetur ex *Syl. in summ. verf. Adulterium, q. 1. Tab. eod. vers. num 4. Nauarr in Man. cap. 17 nu. 43. cum plur. seq Sayro lib. 8. Clauis Reg. per totum,* & ex alijs. Bona autem, quibus vxor reficere posset damna viro, & legitimis filijs, vel quibus deferenda erat eius hæreditas quomodocunque ab intestato, possunt esse illa, quæ forte habeat extra dotem, legata, successiones hæreditarias, donationes, bona acquisita propria industria, seu labore, & alia eiusmodi, de quibus potest ad sui libitum disponere inter viuos, vel saltem post mortem. Huiusmodi enim bonis si sufficienter satisfaciat damnum passis, non tenetur ad aliud. Quæ diximus de adultera, extendimus ad adulterum: siquidem ipse quoque non minus est causa prædictorum damnorum, quàm adultera; atq; ideò non solùm peccauit adulterando, sed etiam peccat damna non reficiendo, vt rectè declarant *Sayr d. lib. 8 cap 3. num. 20. D Anton. par 2 tit. 2. cap. 6. in fine. Angel. in vers. Adulterium, nu. 4. Syl. eod. vers q. 5. Caiet. in summ. eod. verbo in fine, Petr. de Arag. 12. q 62 ar. 6. antè fin. Lopez par. 1. instruct. cap. 81. & cap. 92. Tolet. lib. 5 sua sum cap. 11.* & alij.

119 Est tamen verum, quòd supradicta vera sunt, vbi adulter est soluendo, & quando moraliter certò nouit, vel saltem probabiliter credat, filiũ adulterinum esse suum: vt quia tempore conceptionis maritus absens erat: & vxor eius alioquin erat honesta, & bonæ famæ: & quamuis cũ adultero rem habuerit; nihilominus ad id vi, minis, aut suasionibus fuerit inducta. Etenim si moraliter certus non sit, aut probabiliter non credat, aut saltem probabiliter dubitet, aut dubitare possit, quòd filius natus ex adulterio non sit suus, tunc ad nihil tenetur credere adulteræ asserenti, illum adulterinum esse suum; maximè si sui copiam alteri fecerit: siquidem huiusmodi mulieres solent filium suum ditiori tribuere, aut magis dilecto. Et si duo eodem tempore rem cum eadem muliere, neuter tenetur agnoscere partum suum: quoniam in ambiguis rebus non est ferendum absolutum iudicium, vt in *cap. habuisse, 33 d.* & in specie *Nauar. in Man. cap 17. num. 47.* & alij Doctores supra relati, quos refert, & sequitur *Sayr. d. cap 3. sub num. 20. vers. In hac difficultate.*

120 Adde, quòd si adultera filium mitteret ad hospitale,

spitale; vt ob id adulterium occultaret, licèt id posset citra culpam, ut habetur ex *Caiet. in sum. vers. Adulterium, & Tol. lib. 5. sua summ. c. 11.* nihilominus tenetur adultera insolidum cum adultero hospitali damna reficere; nisi paupertas eos excusaret: siquidem bona hospitalium ad alẽdos pauperes, non autem diuites instituta sunt, & quantum consumitur à diuitibus, tantum indigentibus adimitur, vt benè declarat *Sayr. loco citato, sub num. 21.* vbi etiam ait, parentes prædictos adulteros, non solum teneri ad adulterinos filios alendos per se, uel per alios; sed etiam per se, vel per alios instruere. Quæ diximus de adultera, extendimus quoque ad mulierem, quæ scienter nupsit viro habenti vxorem, & filios legitimos, & naturales: nam si ex eo filium habeat, cùm ille sit adulterinus, & patri succedere nequeat, tenetur reficere damna filijs legitimis: adulterinus verò si bona fide succedat patri, & legitimè præscripserit bona paterna, non est restitutioni obnoxius filijs legitimis, aut alijs, quibus de iure competebat paterna hæreditas, vt rectè post alios aduertit *Tab. in sum. vers. Adulterium, num. 8.*

Hæc, quæ hucusque diximus de peccatis coniugum adeò vera sunt, vt de illis magna controuersia inter Doctores non habeatur. Quæ verò maiorem difficultatem habent, sunt, quæ sequũtur. Etenim primò circa quartum dictum, *limit. 2.* in qua egimus de coniugum impotentia coeũdi ex causa maleficij, difficultas est, an maleficiatus possit petere à malefico citra culpam solutionem maleficij per aliud maleficium. Secundò circa quatragesimumtertium dictum, in quo de coniuge adultera tractauimus, dubium est, an licitum sit viro citra culpam incontinenti occidere vxorem in adulterio comprehensam. Et tertiò circa quatragesimumquartum dictum denique quæritur, an vxor, quæ certò nouit suscepisse filium ex adulterio, si bona non habeat, quibus damna possit reficere viro, filijs, uel alijs eiusdem legitimis hæredibus, teneatur se ipsam infamando manifestare, etiam cum periculo propriæ vitæ; atque ideò adulterium confiteri, & adulterinum filium ex adulterio conceptum declarare ad euitandum damnum mariti, eiusdemque filiorum, ac hæredum.

121 Quoad primam difficultatem pugnantes extant opiniones: nam prima sententia est *Aureoli in 4. d. 34. Angeli in sum. vers. Superstitio, num. 3.* dicentium, licitum esse vti opera malefici parati ad soluendum maleficium aliquod per aliud maleficium. Hanc eandem opinionem quidam tribuunt *Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 11.* Probatur primò hæc ipsa sententia ex *tex. in l. eorum, C. de malefic.* vbi habetur, quòd facientes incantationes ad finem malum, sunt puniendi, non autem ad bonum aliquod assequendum. Ergo licitum est petere incantationes à malefico ad soluendum maleficium; quia solutio maleficij bona est: & peti licitè potest, quod citra culpam potest concedi. Secundò probatur ex eo, quòd licitum est uti peccato eius, qui ad peccãdum paratus est, quando peccatum illud cedit in bonum aliquod. Hinc *D. August. Epist. 154.* expostulanti, an licitum sit vti iuramento Pagani, per falsos Deos iurantis; atque ideò mortalem culpam committentis, cùm honorem, & cultum verò Deo debitum, falsis Dijs tribuat, respondit: *Qui vtitur fide illius, qui per falsos Deos iurat, non ad malum, sed bonum, neque peccato illius se sociat, qui per Demonia iurauit; sed pacto eius bono, qui fidem seruauit.* Eadem ratione Sicario parato ad rapienda bona, uel ad occidendum, licitum est ostendere bona, quæ rapiat, ne occidat. Vndè *Ierem. cap. 41.* commendati reperiuntur honesti quidam Ciues Hierosolymitani, qui Ismaeli magno Sicario ostenderunt thesauros, quos raperet, ne illos occideret: eo namque casu ostendentes Sicario thesauros, quos certò sciebant rapturos, culpam aliquam non commiserunt; siquidem non se associarunt iniquitati illius, nec illum induxerunt ad rapiendum, cùm ille paratus sit ad rapinam; sed usi fuerunt iniquitate eius ad bonum consequendum, nempè ad mortem vitandam, & libertatem assequendã: ergò eodem modo licitum est petere à malefico solutionem maleficij per aliud maleficium; quoniam ita petens non associatur iniquitati talis malefici, nec illum censetur inducere ad maleficium committendum; sed dicitur uti eiusdem iniquitate, ac peccato ad bonum consequẽdum; nempè solutionem maleficij. Denique si citra culpam non possit peti solutio maleficij à malefico per aliud maleficium, id esset, quia solutio maleficij per aliud maleficium est intrinsecè, & ex obiecto mala: at id non obstat: ergò citra culpam peti potest solutio maleficij à malefico parato per aliud maleficium. Maior patet. Probatur minor: quoniam vsura est intrinsecè, & ex obiecto mala, vt in *cap. super eo, de vsur.* Et tamen licitum est petere, & accipere pecunias sub vsuris ab vsurario parato ad fœnerandum, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 78 ar. 4.* quem Doctores communiter sequuntur, & nos ostendimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 72. concl. 3. num. 24.* Est igitur licitum, & citra culpam peti potest à malefico parato solutio maleficij per aliud maleficium.

122 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror de iure veram esse, & fore omninò tenendam, quam docet *Caiet. in q. illa de malefic tom. 2. suor. opusc. tract. 11. Sot. in 4. dist. 34. q. vnica, ar. 3. col. 5. vers. Est tamen circa dubium, Castr. lib. 1. de iusta haret. punit. cap. 15. col. 7. Tolet. lib. 4. sua sum. cap. 16. num. 9. Bann. 2. 2. q. 78. ar. 4 dub. 2. in solut. ad 4 Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 6. in fine, & de matr. lib. 12. cap. 8. in fine, Couar. in cap quamuis pactum, 1. par. §. 1. num. 10 Nauar. in Man. cap. 11. nu. 10. Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 6. num. 10. & Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 95. num. 7.* vbi priorem sentẽtiam dicit esse erroneam, vt patet ex *Conc. Parisien. ar. 5. & 7.* per illud *Leuit. cap. 19. Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini.* Et *cap 20. Anima, qua declinauerit ad Ariolos, & Magos, & fornicata fuerit cũ eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam.* Probatur hæc eadem sententia ratione; siquidem non licet ab aliquo petere, aut accipere, quod est intrinsecè, & ex obiecto malum, licet cognoscatur paratus ad illud præstandum; sed solutio maleficij per aliud maleficium est intrinsecè, & ex obiecto mala: ergò non potest peti maleficium solui per aliud maleficium à malefico quantumuis parato. Maior patet in-

ductione in omnibus vitijs: ex quo enim fornicatio, homicidium, & alia eiusmodi sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, non est licitum petere ab aliquo, vt homicidium, aut fornicationem committat, quamuis paratus sit ad occidendum, vel fornicandum. Probatur modo minor; quoniã accessus ad Magos, & Ariolos est prohibitus iure naturali, ac Diuino, vt patet ex supra relatis Leuitici locis: ea verò, quæ damnata sunt iure Diuino, ac naturali, sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, vt in *d. cap. super eo, de vsur.*

† Adde hoc, post emanatam Bull. ab Alex. VII. P.M. incip. *Licet aliàs*, adeò verum est, vt aduertat *P. Quartus de Cas. Referu. sect. 1. cap. 1. Quarta difficultas circa fin.* Sortilegos, & cæteros huiusmodi esse omninò denunciandos Inquisitoribus ab illis, qui sufficientem habent notitiam delinquentium; sed dico ego facere recursum ad maleficos pro solutione maleficij non solùm est habere sufficientem, sed plenam notitiam delinquentium in hoc genere: ergò non solùm prohibetur recursus, verùm etiam subijciũtur Inquisitoribus, conscij talis criminis, & tenentur eos denunciare, eò magis, quia sunt suspecti de hæresi saltem de leui, quos supra cit. Bull. vult esse denunciandos, idq; extenditur etiam ad eos, qui faciunt eundem recursum pro inueniendis thesauris.

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

123 Ad primum ex *tex. in l. eorum, C. de malef.* respondetur, quòd *tex.* ille non cõcedit incantationes ad aliquod bonum allequẽdum tanquam licitas, sed huiusmodi crimen impunitum tantùm dimittit. Nec re vera *Sanch.* tenet contra Conc. ac nostram sententiam: siquidem non concedit peti posse maleficium à malefico solui per aliud maleficium, quod nulla alia via, nisi per maleficium soluere potest; sed tãtùm inquit peti posse maleficium solui à malefico, qui plura media habeat ad soluendum maleficium, nempè licita, ac illicita, licet constet peteti fore, vt medio illicito vtatur: petitur enim à malefico solutio maleficij, quæ secundùm se bona est, & quam potest medio licito facere. Id autem non est incõueniens: nam licitè petitur hoc modo iuramentum ab infideli ad bonum aliquod assequendum, licèt certò sciatur iuraturus per falsos Deos: nãm cùm infidelis ille possit, si velit iurare per verum Deum, si iurat per falsos Deos sibi imputatur: & petens tale iuramentum ad bonum aliquod, non peccat.

124 Ad secundum patet solutio ex dictis. Quo uerò ad Sicarium paratum ad occidendum, vel rapiendum, respondetur, quòd viator citra culpam offert illi pecuniam, quã rapiat, ne occidat; quoniam licitum est vti iniquitate alterius ad bonũ aliquod assequendum: nec iste talis dicitur induci ad peccandum. Præterea dum viator offert Sicario pecuniam quam rapiat, ne occidat ut supra, dicitur ei suadere minus malum ad euitandũ maius: siquidem Sicario parato ad rapiendum, vel occidendum, viator offerendo illi pecuniam, quam rapiat, ne occidat passiuè tantùm concurrit ad rapinam Sicarij, atq; ideò citra culpã suadet eidem rapinam, quæ est minus malũ ad uitandum homicidium, quod est maius. At licitum est suadere minus malum ad euitandum maius, ut in *cap. si quod uerius*, 33. *q. 2.* ubi *D. August.* agens de uiro adulteræ, uolente alterum ex duobus præstare, uxorem scilicet adulteram occidere, uel ea dimissa, & uiuẽte aliam ducere, & manere cum ea in adulterio, sic ait: *Si facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non committat homicidium. Gen.* quoq; *cap. 27.* uolentibus fratribus per inuidiam occidere Ioseph eorum fratrem, suasit Iudas illum uenundari Ismaelitis, inquiens: *Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius, melius est, ut uenundetur Ismaelitis, & manus nostra non polluantur, frater enim*, & *caro nostra est.* Ratio autem cur citra culpam

125 suadetur minus malum ad euitandum maius, non dicitur consulere malum, sed prælectionẽ minoris mali, quæ bona est, sicut & uitatio maioris mali. Hac eadem ratione ostendimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 72. concl. 2. limit. unica, num.* 14. extremè indigentem, qui petierit pecunias mutuo, uel ad cambium reale ab aliquo diuite, & ille eas dare recusauerit, posse diuitem ipsum inducere citra omnem culpam ad contrahendum secum cambium siccum, & ad mutuandum sub usuris, ut habetur ex *Panor. & alijs de usur. Nauar. in Man. cap. 17. num. 263. cum alijs Doctoribus*, quos loco citato retulimus. Etenim hoc casu non est diuitem illum ad peccandum inducere; sed potius illi cõsulere ut minus peccet, nempè ut potius committat peccatum usuræ, q est minus, quàm peccatum homicidij, quod est maius: siquidem, qui extremè indigenti non subuenit cum possit, & debeat, perindè se habet, ac si pauperem illum occideret, iuxta illud *D. Ambr. in cap. Pasce, 86. d. Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti.* Vndè licet hæc uera sint, nihilominus non est uera consequentia, & proindè neganda est consequentia: quoniam non propterea ex dictis deducitur licitum esse Maleficiato petere solutionẽ maleficij per aliud maleficium a malefico quantumuis parato, tum quia petere maleficium solui per aliud maleficium, est petere intrinsecè malum omnino tam secundum substantiam actus, quàm ex circumstantia, quod nunquam licet, ut mox dicemus, & fusius declarabimus in solutione tertij argumẽti: tum quia supponimus, petentem scire maleficum non habere alium modum ad soluendum maleficium, nisi illicitum, nempè nisi per aliud maleficium, iuxta ea, quæ supra adnotauimus in solutione primi argumenti. Non tamen negamus, quòd si spontè offeratur à malefico solutio maleficij, ut quia solus sciret cõiugum ligamen, & uelit illud soluere per destructionem tantùm ipsius ligaminis, tunc possent ipsæ coniuges uti opera malefici: nam idem dicendum est de destructione cuiuscumq; signi ex pacto dæmonis initi: nec destructio illa dicitur solutio maleficij per aliud maleficium, ut rectè docet *Molfes.* post alios *par. 1. sua sum. tr. 4. cap. 10. num. 81.* & patet etiam ex ijs, quæ habentur ex *Sanch. de matr. lib. 7. disp 96. num. 3.*

126 Ad tertium, concessa maiori, negatur minor, & ad probationem minoris dicitur, quòd intrinsecè

secè malum est duplex: nam quoddã dicitur intrinsecè malum omninò, ac absolutè tam secundùm substantiam actus, quàm ex circumstantia, vt fornicari, mẽtiri, &c. & quoddam dicitur malum intrinsecè ex circumstantia tantùm, vt est simonia, dare mutuo sub vsuris, &c. Simonia enim, & mutuatio vsuraria non sunt intrinsecè malæ secundùm substantiam actus, sed bonæ: & malæ ex circumstantia dumtaxat, & petenti noxiæ: Siquidem simonia idcirco secundum substantiam actus est bona; quoniam non est prohibitum dare rem temporalem pro spirituali, vt in *cap. sicut Episcopum*, 1. *q.* 2. *& cap. dilectus, de simon.* atq; ideò qui petit spirituale pro temporali, petit quod bonum est secundum substantiã actus: circumstantia verò est petere rem spiritualem pro temporali, mediante pacto, quæ mala est, & damnata: quia omnis pactio, & conuẽtio in his rebus cessare debet, vt in *cap. tua nos, de simon.* Modò qui necessitate præssus petit ab aliquo rem spiritualem, & is recusat conferre, nisi sibi mediante obligatione, & pacto detur temporale aliquod, petens, quod directè petit, bonum est secundum substantiam; ad circumstantiam verò se habet tantùm passiuè, quia vt consequatur bonum illud se offert pati, & sufferre circumstantiam illam, vt sua consulat necessitati. Sic etiã qui ab vsurario, quem nouit nullo modo mutuaturum nisi sub vsuris; atq; ideò petit mutuo sub vsuris, id quod directè petit, est mutuum, quod bonum est: vsuras verò licet videatur secundùm externum sermonem offerre, re tamen ipsa cùm vsurarum solutio sit ipsi nociua, non eam offert formalitèr, & propriè; sed tantùm offert se vsurarium illud damnum sustinere, & pati, vt suæ consulat necessitati, & sic passiuè se habet ad solutionem vsurarum, vt declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 72. in resp. ad primum, num.* 39. *&* 40. Modò respondendo ad argumentum dicimus, quod petere solutionem maleficij per aliud maleficium est intrinsecè, omninò, & absolutè malum secundùm substantiam actus, & ex circumstãtia, & propterea citra culpam nũquam petitur solutio maleficij per aliud maleficium, sicut nũquam licitum est fornicari, aut mentiri, etiam pro tuenda propria vita, vt in *cap. super eo de vsur.* Vsura verò cùm non sit mala secundùm substantiam actus, sed solùm ex circumstantia, meritò quis potest ab vsurario petere pecuniam sub vsuris, si nouerit vsurariũ non aliter mutuaturum, nisi sub usuris, quia solutionem usurarum non offert directè, sed ad eam passiuè tantum se habet, atq; ideò, ut suæ consulat necessitati tantùm usuras offert soluturus.

127

128 Circa verò secundam difficultatem *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 9. num. 16.* probabilem putat opinionem eorum, qui docẽt, excusari à culpa maritum incontinenti vxorem occidentem in adulterio comprehensam, vel etiam adulterũ; secus autem ex interuallo. Probatur hæc sentẽtia primò; quia si maritus incontinenti occidat Clericum in adulterio comprehensum cũ vxore, non incidit in excommunicationem, *cap. si quis suadente diabolo*, vt *in cap. si vero, il 1. de sent. excom.* latè *Sayr. lib. 3 de censur. cap. 27. & lib. 7. Clauis Regia, cap. 10. num. 9.* Ergo maritus incontinenti interficiens vxorem in adulterio comprehensam, vel etiam adulterum nõ peccat; quoniam excommunicatio fundatur in lethali culpa, & vbi non adest lethalis culpa, non potest dari excommunicatio, vt in *cap. nullus, 11. q. 3.* Confirmatur ex *l. Gracchus, C. ad leg. Iul. de adulter.* vbi conceditur marito incontinenti occidere adulterum in adulterio comprehensum cum vxore, nec dicitur committere homicidium cum lege permittente id faciat, & ex iusto dicatur dolore commotus. Ergò nullam contrahit culpam: nam maritus citra omnem culpam potest occidere vxorem in adulterio comprehensam ex Principis permissu, vt supra ostendimus *dicto* 33. *vers. Nec obstat.* Denique citra omnem culpam vxor occidit hominem tẽtantem eam violare ad suam pudicitiam tuendam; quoniam vim vi repellere est de iure naturali, vt in *l. vt vim, ff. de iust. & iure*: ergo & viro ad proprium honorem reficiendum licitum est, absq; vllo peccato saltem incontinenti occidere vxorem in adulterio comprehensam, & etiam adulterum, eò magis, quia iustum dicitur habere dolorem, vt in *d. l. Gracchus, ff. ad leg. Iul. de adulter.* Sed tu vide Add. trium propositionum damnatarum ab Alex. VII P.M. quas ipse attuli *disp. 17. sect. 1. sub num* 27. inter quas est subsequens, Non peccat maritus occidens propria auctoritate vxorem in adulterio deprehensam.

129 His non obstantibus, etiam contrarium docet *Glosa in cap. inter hæc per illum tex* 33 *q.* 2. vbi Nicolaus Papa rationem reddens cur maritus interficiens vxorem in adulterio deprehensam peccet, sic ait: *Inter hæc Sanctitas vestra addere studuit, si cuius vxor adulterium perpetrauerit, vtrum marito illius liceat secundum mundanam legem eam interficere. Sed sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus: gladium non habet, nisi spiritualem, nõ occidit, sed viuificat.* Vndè cùm *tex.* ille generaliter loquatur, nec distinguit de marito interficiente vxorem adulteram, an incontinenti, vel ex interuallo occidat, generaliter est intelligendus, nec nos distinguere debemus, vt in *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst. & l. de pretio, ff. de aqua pluuia arc.* atq; ideò sicut supra *d. dict.* 43. ostendimus, peccare virum interficientem vxorem in adulterio comprehensam ex interuallo; ità etiam peccat, si interficiat incontinenti: quoniam in vtroq; casu facit contra præceptum legis Diuinæ: *Non occides*, quod præceptum cùm sit negatiuum, obligat semper ad semper, cùm occidere, & sic homicidium committere sit intrinsecè, & ex obiecto malum, sic ea omnia, quæ in lege Diuina prohibentur. Vndè *D. Augustin. lib. 2. de adulter. coniugũ, cap. 6.* meritò ait, quòd postquam ait adulteræ, *Nec ego te condemnabo, vade, & noli amplius peccare*, quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignouisse Dominum amborum: nec debere adulteram iam dicere, cuius pœnitentis crimen Diuina credit miseratione deletum.

Ad contraria respondetur.

130 AD primũ negamus consequentiã: nam idcircò maritus incõtinẽti occidẽs Clericum

cum adulterum cum uxore in adulterio comprehensum non incidit in excommunicationem contentam in *d. cap. si quis suadente Diabolo*, 17.q.4. quoniam ei de iure Canonico dimittitur pœna homicidij, sicut dimittitur de iure ciuili, ut in *cap. interfectores*, 33. q. 2. Non tamen interficiet adulteram, vel adulterum citra culpam. Imò nec pater excusatur à culpa occidendo filiã in adulterio comprehensam, quamuis de iure ciuili ei concedatur impunè, non autem marito, si id auctoritate propria faciat, ut in *l. nec in ea, ff. ad leg. Iul. de adulter. & Glosa in d. cap. inter hæc*, 33. q. 2. Non tamen negamus quin maritus citra culpam possit occidere vxorem adulterã, quando id ex Principis permissu ageret post latam contra ipsam à Iudice sententiam; quoniam tunc non priuata, sed publica auctoritate id ageret, non ad vindictam, sed ad defensionem honoris, vt adnotauimus supra in relato dicto 43. Ad probationem consequentiæ dicimus, quòd non valet dicere excommunicatio fundatur in culpa mortali, atque ideò non datur excommunicatio citra lethalem culpam; ergò incontinenti occidens Clericum adulterum, vt supra, sicut excusatur ab excommunicatione ita quoque excusatur à mortali culpa: quoniam innumeri dantur casus non habentes excommunicationẽ annexam, & tamen intrinsecè, & ex obiecto mali: aut sunt mali, quia prohibiti, atque ideò culpa mortalis; & tamen non habent excommunicationem annexam: Valet autem argumentum è contra, nempè, hic casus habet excommunicationem annexam; ergo est culpa lethalis: quia nõ datur excommunicatio, nisi pro culpa mortali, vt in *d. cap. nullus*, 11. q. 3.

131 Ad *tex. in d. l. Graccus, C. ad leg. Iul. de adulter.* respondetur, quòd licet de iure ciuili permittatur marito occidere incontinenti adulterã in adulterio comprehẽsam, ac etiam adulterum; illa tamen lex fuit correcta per ius Canonicum, vt in *d. cap. inter hæc*, 33. q. 2. vel secũdò dici potest, quòd *tex.* ille excusat viros occidentes uxorem incontinenti in adulterio comprehensam, vel etiam virum, quoad pœnam homicidij, non autem quoad culpam; sicut & *tex. in cap. interfectores*, 33. q. 2.

132 Ad vltimum respondetur, quòd eo casu conceditur mulieri ad pudicitiam tuendam inuasorem occidere; quoniam supponitur non habere alium euadendi modum: at maritus potest suo honori consulere dimittendo vxorem adulteram quoad torum, vt detrudatur in Monasterium, vel secundum leges puniatur. Imò peccat maritus si ab vxore adultera non se separat; sed petit, & soluit ei debitum coniugale, vt in *cap. 1. & cap. si quis*, 32. q. 1. quod quidem verum est quando adulterium est publicum; secus autem si sit occultum; quoniam tunc maritus petens, aut reddẽs debitum uxori, quam certò nouit esse adulteram non peccat, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 32. D. Anton. 3. par. tit. 1. cap 20. §. 9 & Nauar. in Man. cap. 16. num. 28.* Idem dicendum est vbi maritus cognouit vxorem emendatam, aut eo fine ab ea debitum petat, ne ipse quoque incidat in adulterium, nec alijs præbeat occasionẽ credendi se vxoris esse lenonem. Est tamen verum, quod licèt maritus regulariter peccet non se separando ab uxore adultera, & debitum petendo, ac reddendo, vt supra; vxor tamen è conuerso non peccat, non recedẽdo à marito, debitum petẽdo, vel ei reddendo; etiam si certò sciat, maritum esse publicum adulterum: siquidem ad vxorẽ non pertinet corrigere virũ; sicut ad virũ pertinet corrigere uxorem, *cap. duo ista*, 23. q. 4. & eò magis, quia nunquam, aut raró præsumitur à populo, vxorem in mariti adulterium consentire, vt habetur ex Doctoribus paulò supra relatis, & *Caiet. tom. 1. opusc. opusculo 12. q. 13. & opusc. 31. resp. 14.* & communiter maius existimatur dedecus ob adulterium vxoris, quàm ob adulterium viri; licèt per vtrumque fieri possit tori separatio, vt rectè explicat *Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 11. cap. 20 num. 9.*

133 Quoueró ad vltimam difficultatem pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est *Adriani in 4. de restit. q. 1. §. Difficultas igitur, & §. Sed restant, Maior. in 4. d. 15. q. 17. Scoti, & Ricchardi*, quos refert, sed nõ sequitur *Sayr. lib 8. Clauis Reg. cap. 3 sub num. 5. vers. Adrianus*, dicentium, vxorem, quæ certò nouit suscepisse filium ex adulterio, si bona nõ habeat, quibus damna possit reficere viro, filijs, vel alijs eiusdem legitimis hæredibus; nec alia via possit ea reficere, teneri cum periculo, non solùm infamiæ, sed etiam vitæ crimen proprium manifestare, ne filius adulterinus succedat, tollaturque primogenitura ab eo, qui re vera est primogenitus patris: aut ne adimatur hæreditas ipsius à legitimis hæredibus. Mouentur ex eo, quòd restitutio præcepta sit de iure Diuino, ac naturali, & necessaria est necessitate salutis, cum non remittantur peccata, nisi restituantur ablata: ergo vxor adultera in supra relato casu tenetur nõ solùm cum iactura famæ, sed etiam cum vitæ periculo suum crimen reuelare, si aliter supradicta damna reficere nequeat: siquidem quæ sunt de necessitate salutis, & in præcepto naturali, aut diuino, propter nullum scandalum, damnum, aut periculum sunt dimittenda. Confirmãt hanc eandem sententiam exemplo tabellionis, qui falsum instrumentum, aut testamentum fecit, testis, qui falsum testimonium protulit, & Iudicis, qui malè iudicauit, & fuerunt in causa, vt aliqua bona iniustè à vero domino fuerint sublata: siquidem hi omnes obligantur se ipsos prodere, etiam cum periculo vitæ, vbi alia via damna illata reficere nõ valeant. Denique adultera ad scandala, quæ ex sua manifestatione sequuntur non concurrit positiuè, sed permissiuè tantum: ad damna uerò mariti, & hæredum concurrit positiuè: ergò tenetur prouidere, ut damna reficiantur, quàm ut scandala non sequantur, & sic se ipsum prodere. Idem dicendum fore multi arbitrantur de uxore, quæ falsò sibi supposuit partum alienum, quoniam militat eadem ratio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

134 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam arbitror de iure veriorem esse, quam docent *Caiet. tom. 1. opusc. tr. 31. resp. 14. dub. 2. & in sum vers. Adulterium, Ioan. Medina cap. de restit. q. 3. cau. 4. Alphons. Castrens. lib. 2. de potest. legis pænal. cap. 18. § 8. in fine, & tit. 2. cap. 7. §. 4. Nauar. in Man. cap. 16. num. 44.* & nonnulli alij Theologi in 4. d. 15. & *Canonistæ in cap. officij, de pænit. & remiss.* Probatur hæc sententia ex *tex. in d. cap. officij, de pænit. & remiss.* ubi

vbi Innoc. IV. decernit, audiendam esse mulieris confessionem, quæ sibi partum alienum supposuit, vel propriū ex adulterio suscepit, nec illud marito vult detegere. Ergo nō tenetur vxor, quæ certò nouit filium ex adulterio suscepisse, aut alienum partum sibi supposuit seipsam prodere: quoniam huiusmodi mulier non potuisset absolui. Confirmatur, quia vita, & fama sunt altioris ordinis, quàm bona tēporalia. Præterea ex duobus malis minus est eligendum, vt in *cap. duo mala, & cap. nerui testiculorum dist.* 13. Sed adultera, de qua agitur, necesse est, vt in alterū ex duobus malis incidat, siquidem tacens in causa est, vt legitimus hæres hæreditate priuetur; reuelans verò crimen, mortis periculo exponit se, & filium spurium: quod est maius malum: ergo nō valens reficere damna mariti, & eius hæredum compensare, non tenetur se ipsam prodere, & crimen suum manifestare. Denique nemo tenetur aliquid restituere cùm maiori detrimēto, quàm intulit: at adultera maius damnum notabiliter pateretur reuelādo ipsius crimen, quàm marito, & eiusdem legitimis hæredibus intulit: ergò si non valet mariti damna, & legitimorum ipsius hæredum reficere, ac alia vta compensare, nisi se ipsam prodens, & proprium crimen manifestās, ad id non obligatur, sed illud tacere citra culpā potest.

135 Ampliatur primò hæc sententia, vt quæ diximus de vxore adultera, quæ ex adulterio suscepit filium, extendatur ad mulierem supponentē marito filium alienum: quoniam eadem militat vtriusq; ratio: & patet ex *tex. in d. cap. officij, de pœnit. & remis.* vbi nō denegatur mulieri adulteræ, aut supponenti marito filium alienum pœnitentia, etiam si propter metum mariti nolit reuelare crimen suū: atq; ideò ex eo *tex.* clarè colligitur, non teneri eo casu uxorem seipsam prodere, stante uitæ periculo, cum nullus absolui ualeat, nisi id agat, ad quod tenetur ex conscientia: qui quidem *tex.* licèt loquatur de periculo uitæ; nihilominus idem dicendum est de periculo famæ, cùm tam uita, quàm fama sint altioris ordinis, quàm bona temporalia.

136 Secundò ampliatur ipsa conclusio, ut idem dicendum sit de adultero, & quocumq; alio supponente marito filium alienum: siquidem æqualis est utriusq; ratio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad l. Aquil.* Etenim adulter, & quicumq; alius, qui supposuit marito filium alienum, sicut tenentur reficere damna marito, & ipsius legitimis hæredibus, si aliqua uia possint compensare, ut supra ostendimus *dicto* 44. ita etiam excusantur à reuelatione eorum criminum, si alia non possint marito, & ipsius legitimis hæredibus consulere, & eorumdem damna reficere, nisi per ipsorum criminū manifestationem, ut rectè inquit *Sayr. lib. 8. Clauis Reg. cap. 3. sub num* 20. *vers. Secūdò certum est.*

137 Tertiò ampliatur eadem conclusio, ut uera sit, siue uxor ipsa adultera, & supponens marito filium alienum, sciant morali certitudine per criminum reuelationem, restitutionem, seu prædictorum damnorum refectionem fore subsequēdam, siue non; quoniam militat eadem ratio. Et ita tenent supra relati Doctores quoad euitandā mortem: & si non omnes conueniant quoad euitandam infamiam.

138 Sic ampliata limitatur primò supradicta conclusio, ut uxor adultera teneatur crimen suum detegere, & adulterinum filium, aut suppositum partum manifestare, etiam cū periculo propriæ uitæ, & filij adulterini, seu suppositi, ubi tractatur de cōmuni bono, & damno uitando alicuius Regni, uel Reipub. quoniam bonum publicum præferendum est priuato. Et idem dicendum arbitror de adultero, cum æqualis sit utriusq; ratio. Vndè si adulterinus ille filius, aut partus suppositus essent propēsi ad malum, & malis moribus imbuti; & è conuersò legitimus hæres propensus esset ad bonum, optimis moribus imbutus, ità vt animo nobili, ac Regio speraretur fore, vt Regnum, seu Rēmp. regeret: vel si ex successione legitimi hæredis pacificaretur Regnum, cessarēt cædes, & Bella, quæ aliàs ex successione adulterini, vel suppositi succrescerent, tunc tenentur adultera, & adulter, & quicumq; alius supponens alienum filium, vt sup. cum propriæ infamiæ, ac etiam cum vitæ periculo suum crimen manifestare: siquidem hoc casu non dicuntur exponere periculo propriam vitam pro bono particulari legitimi hæredis; sed pro bono communi totius Regni, Prouinciæ, Reipub. &c. ad quod vnusquisq; de iure naturæ obligatur. Ita *Sot. lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 2. Couar. in regula peccatum, p. 1. num. 6. in fine, Anton. Cora. in suis qq. lib. 1. q. 31. Salon. 22. q. 62. ar. 6. contr. 8. ante concl. 1. & concl. 1. in fine, Petr. de Arag. ibidē, Ludouic. Lopez par. 1. instr. consc. cap.* 88 *& cap.* 216. *cōcl.* 5. *Tolet. in sum. lib. 5. cap.* 11. *& Sayr. lib.* 8. *Clauis Reg. cap.* 3. *num.* 12. Quod quidem tunc verum esse arbitror, cum adultera, aut aliæ supradictæ personæ reuelantes crimen probabiliter sperant fore, vt hæreditas, & bona viri sint peruenienda ad legitimum eius hæredem, aliàs secus, vt habetur ex *Sayro loc. cit. sub num.* 11. *vers. Quintum, & sub nu* 14. *in fine, Syl. in sum. ver. Adulterium, q.* 1. *Nauar. in Man. cap.* 16. *num.* 43. & colligitur etiam ex alijs DD. supra citatis.

139 Secundò limitatur eadem conclusio, vt locū non habeat, vbi secundùm prudentis viri æstimationem, bona quibus legitimi hæredes priuātur, sint maioris pretij, quàm fama vxoris vt supra adulteræ, & aliorum supra relatorum, vt quia non sint personæ bonæ famæ, nobiles, &c. tunc enim obligarentur crimen manifestare, vt legitimi hæredes dicta bona consequi possint, & nullum aliud sequatur incōmodum, quàm propriæ adulteræ, & supradictorum infamia: & ex reuelatione sequatur restitutio cum effectu. Etenim quamuis fama ex suo genere sit altioris ordinis, quàm bona fortunæ; nihilominus dari potest tantùm bonorum prædictorum quantitas, quæ iuxta prudentis viri iudicium adæquet, vel excedat famam vnius personæ inferioris: sicut licèt aurum ex genere suo sit pretiosius argento; attamen magnum pondus argenti præponderat in valore minimo ponderi auri. Hac ratione tanta poterunt esse bona fortunæ, vt etiam præferēda esse famæ Regis putat *Sayr loc. cit sub num.* 14. Quòd si vxor, aut aliæ præfatæ personæ sint illustres, & bonæ famæ, & tractatur de pretio bonorum, quod eorum famæ non præponderet; tunc non tenentur eorumdemq; crimen manifestare; etiam si certò scirent crimen reuelando fore,

fore, vt bona perueniant ad legitimos hæredes: quia nemo tenetur restitutionem facere cum maiori, ac notabili eius detrimento; atque ideò quis non cogitur restituere decem aureos cum iactura centum. Ita *Sot. Conar. Lopez, Salon. Aragon.* & *Tolet. locis citatis,* & *Sayr. d. cap. 3. num.* 14. vbi etiam addit, quòd cæteris paribus, non tenetur mulier crimen suum manifestare ob id tantum, ne filius legitimus hereditate spolietur; quia possidet actu famam: legitimus verò non possidet hæreditatem: & sicut legitimus habet ius ad hæreditatem, ita mater ad conseruandam suam famam in re occulta: siquidem in pari causa melior est conditio possidentis.

140 Tertiò limitatur supradicta conclusio, quãdo adultera admonendo secretò filium adulterinũ, & reuelando ei crimen, certò moraliter nouit, illum sibi crediturum, & restituturum bona legitimo hæredi citra scandalum, aut aliam infamiã, quam apud filium contraheret: siquidem obligaretur seipsam prodere, ac proprium crimen filio adulterino reuelare: quoniam maius bonũ est, vt bona illa ad legitimum hæredem perueniant, quàm sit malum ipsius exiguæ infamiæ apud filium: quapropter eam subire tenetur pro maiori alterius bono. Ita *Nauar. in Man. cap. 16 sub num. 46. in vers Quinto, quid si crederet,* quam sententiam communem esse testatur *Sayr. d. cap. 3. nu.* 11. Idem proportionaliter puto dicendum esse de adultero, ac supponente marito filium alienum: nam in omnibus his casibus est æqualis ratio. Dixi, *Moraliter nouit illum sibi crediturum.* quoniam huiusmodi filius adulterinus matri suæ credere regulariter non tenetur asserenti fuisse ex adulterio conceptum; etiam si vterq; parens ita esse iuramento confirment; atque ideò non tenetur in conscientia hæreditatem restituere filio legitimo: siquidem natus cùm sit in domo paterna, matre, & viro simul habitantibus, nec vlla infirmitate impeditis, de iure præsumitur legitimus, & non de adulterio natus: & id etiam si eodem tempore vxor cum alio adulterium commisisse probetur, vel concepisse extra domum mariti in loco suspecto, vt in *l. miles, §. defuncto ff. de adulter. Panor. in cap. per tuas, de probat. cap. transmissa, qui filij sint legit.* & *in l. filium definiuimus ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iur.* Imò id verum est, etiam si mulier cum adultero cohabitaret; dummodò liber accessus pateret marito, ita vt potuerit ex eo filius concipi, vt habetur ex eodem *Panor. in cap. accedens, de purgat. canonica,* & *in cap. officij, de pœnit.* & *remis. Paris. cons. 64. col. 1.* & *seq. vol.* 3. Et hoc etiam si filius natus assimilaretur adultero; quoniam id potuisset contingere ob cogitationem mulieris tempore conceptionis, vt per *Iason.* & alios in *l. Gallus. in prin de liber.* & *posthum.* & *in addit. ad Sayr. d. cap. 3. sub num.* 19. vbi id ampliat etiam si mulier per multos annos, nempè 15. fuisset sterilis, ad quod adducuntur *Ruin. cons. 53. vol. 5. Panor. in d. cap. per tuas,* & *Alciat. tr. de præsum. in 3. reg præsum.* 37. Etenim fauore matrimonij in dictis quoq; casibus filius præsumitur legitimus: & quamdiu potuit generari à marito, nunquam præsumitur ab alieno generatus, vt habetur ex *Panor. in d. cap. officij, de penit.* & *remiss.* & latè *Tab. in summ. ver. Adulterium, num.* 7.

141 Hinc *Barth. Med. in sum. lib. 1. cap. 14. §. 18.* ait, Filium eiusmodi stultè facturum, si postquã natus est in domo patris velit assensum matri præbere; cùm si credat, teneatur in conscientia hæreditatem restituere filio legitimo, *Palud.* quoq; *in 4. d. 27. q. 2. ar. 1. concl.* 3. hanc eandem sententiam prosequendo, affert exemplum de illo, qui matri suæ crimen prædictum reuelanti, ita respondit: *Benè credo vobis, quòd sitis ribalda; sed non quòd sim bastardus.* Idem docet *Syl. ver. Adulterium, q. 1.* & *Tab. eod. ver. num. 7. Panor. in d. cap. per tuas, de probat. Nauar. Conar. Salon. Arag. Lopez, Tolet. locis cit.* & *DD. communiter in l filium, ff de his, qui sunt sui, vel alien. iur.* & *l. si vicinus, C. de nupt.* dicentes, fatuum fuisse illum, qui credens matri dicenti sibi adulterinum esse, Regno renunciauit. Hanc eãdem opinionem sequitur *Alph. Castr. lib. 2. de potest. leg. pen cap.* 11. addens, quòd licèt adultera crimen suũ manifestet marito, & ille credat; filius tamen nõ tenetur ei fidem adhibere. Idem docet *Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. par. 2. dub. 21. num.* 156. & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 8. Clauis Reg. cap. 3. num.* 16. qui id limitat ex sup. relatis Doctoribus, & alijs, in *vers. Cæterum*; nisi filius legitimis probationibus conuincatur; adulterinum eum esse, vt quia probaretur tempore, quo fuit conceptus, patrem putatiuum abfuisse: matrem esse timoratæ conscientiæ, propriam famam valdè appetere, & ipsum filium ardenter diligere, si non sit mentiri solita, in hebdomada sãcta, vel in articulo mortis crimen suum manifestet, aut alia essent indicia, quibus manifestè conuincatur: quia tunc filius teneretur credere matri, & hæreditatem legitimo hæredi in foro conscientiæ renunciare: quamuis in exteriori foro adiudicata sibi fuerit. Dixi, *Aut alia adsint indicia, &c.* quia si per dicta indicia adhuc remaneret dubius, non teneretur hæreditatem dimittere: siquidem in pari causa melior est conditio possidentis: & in dubio semper interpetratio facienda est in fauorẽ filiorum, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor. in cap. intelleximus, de adulter.* & facit *tex. in l. si vicinis, C. de nupt.* Imò si post completam legitimam præscriptionem manifestè sibi constaret, esse filium adulterinum, exuneretur ab obligatione restituendi hæreditatem filio legitimo: & tunc incipit præscriptio, quando incipit nominari, & pro filio legitimo reputari: siquidem præscriptione rerum dominia comparantur. Ità *Syl. in sum. ver. Adulterium, q.* 3. & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. loc. cit.*

142 Quartò limitatur, vbi vxor adultera fuerat iam infamata de adulterio; nam tunc si credat probabiliter citra periculum corporis, & animæ posse id reuelare, & quòd fides sibi adhibebitur tam à patre, quàm à filio, tenetur se prodere, & crimen manifestare, vt hæreditas legitimo filio deferatur: eo quòd vxor, cùm sit diffamata de adulterio, ex manifestatione criminis, parum, aut nullum detrimentum patitur in fama, vt habetur ex *Innoc.* & *alijs in d. cap. officij, de pœnit.* & *remiss.* & *Nauar. in Man. cap. 16. num.* 46. Quæ diximus de adultera extendimus ad adulterum, & ad supponentem sibi filium alienum, iuxta ea, quæ sup. adnotauimus. Adde, quòd in casibus, in quibus vxor adultera tenetur crimen ma-

manifestate, ad id tenetur, etiam si maritus adulteræ nullum alium filium haberet, præter illum spurium, quem putat filium. Nam si maritus putans esse suum filium fecit pro illo pupillarem substitutionem, tunc restitutio facienda est substituto: siquidem eo ipso, quòd aliquem ei substituit, proculdubio illi fuisset hæreditatem relicturus; si aliàs filium illum spurium esse cognouisset. Quòd si neminem ei substituit, tunc si certò nouerit à marito, quem foret hæredem instituturum, si sine filijs decedat, tunc illi facienda est hæreditatis restitutio, cùm clarè constet de voluntate viri. Si tandem nulla substitutio facta fuerit, nec constat de mariti voluntate, tunc hæreditas restituenda est venientibus ab intestato; quoniam hanc præsumitur fore voluntatem mariti, si filium institutum adulterinum sciuisset. Ita *Alph Castr. lib 2. de potest. leg. pæn. cap. 11. Petr. de Arag. 22 q. 62. ar 6. & Sayr. d. cap. 3. num 18. vers. In hac re*, & antè ipsos colligitur ex *Syl. vers. Adulterium, q. 1.* dum ait, quòd hæreditas in tali casu est restituenda, quibus verisimiliter ipsa vxor credit, quòd maritus reliquisset: quòd si nescitur, pauperibus elargiatur.

143 Quintò limitatur, quòd quando vxor ad reuelandum suum crimen non obligatur: vel quando per suam reuelationem non potest consulere dãno, quod suo marito, & suis legitimis hæredibus intulit, vel est euenturum, neque bona habeat, quibus eiusmodi damna resarciat, tunc saltem tenetur suadere filio adulterino, aut supposito, ut Religionem ingrediantur, quæ sit hæreditatis incapax, qualis est Capucinorum, Minorum de Obseruantia, &c. vt in *Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de Regular.* aut quòd ante professionem bona renuncient uenientibus ab intestato. Quòd si suadere nequeat, ut Religionem ingrediantur, tunc ad nihil aliud tenetur, quàm ad pœnitentiam agendam de proprio peccato, vt post *Scot.* inquit *Nauarr. d. cap. 16. num. 46.*

Restat modo, vt contraria soluamus.

144 AD primum respondetur negando consequentiam: siquidem præceptum restituendi licèt sit naturale, ac Diuinum; nihilominus est affirmatiuum, quod non obligat semper; sed recta aliqua ratione concurrente, quare rei restituendæ Dominus rationabiliter fiat inuitus. Est autem contra rectam rationem, vt quis restituere obligetur, quando multò magis se ipsum lædit pro restitutione facienda, vt in casu de quo agitur; quàm valeat res ipsa, quę restitui debet. Siquidem multò magis eo casu valet vita adulteræ, quàm hæreditas, quæ ex reuelatione criminis ad legitimum hæredem perueniret. Vndè is, qui pro eiusmodi damno vitando rem alienam detinet, non potest dici eam retinere, rei Domino inuito; quo licet Dominus actu nolit rem suam ab illo retineri; attamen iuxta rectã rationem, & voluntatem debitam velle deberet illam retineri ab illo: etenim iuxta rectæ rationis iudicium Dominus velle debet, vt cum tam graui damno, quale est mortis periculum hæreditas sibi non restituatur. Sic gladium suum ab aliquo retentum expostulans ad innocẽtem occidendum, secundum rectam rationem tenetur velle, vt eo casu gladius ipse sibi non restituatur, arg. *tex. in cap ne quis arbitretur, 22. q. 1. & leg. bona fides, ff. depositi.*

145 Ad confirmationem dicimus, iudicem, tabellionem, & testem, quorum culpa aliquis in bonis fuit damnificatus, teneri ex proprijs bonis damnum reficere: & si in fama damnum suscepit, teneri pariter cum eorum famæ detrimento illud resarcire; siquidem nulla in eiusmodi restitutione conspicitur inæqualitas; sed debita æqualitas. Et si eorum culpa innocens constituatur in discrimine vitæ, cum propriæ vitæ periculo obligantur se ipsos prodere, vt innocentem liberent, vt post alios docet *Sayr. lib. 8. Clauis Regiæ, cap. 3. sub num. 13. vers. Ad confirmationem.* At in casu, de quo agitur, cùm id quod debetur, est temporale bonum dumtaxat: damnum verò, quod ex criminis reuelatione prouenit, est vitæ, vel saltem famæ dispendium, quod est longè maius; non igitur est mirum si adultera suum crimen non obligatur manifestare.

146 Ad vltimum rectè quoque respondet *Sayr. loco citato, vers. Ad rationem:* negando antecedens: siquidem adultera æquè positiuè concurrit suo modo ad illa scandala, ac peccata, quæ ex sui criminis manifestatione prouenirent, ac ad damnificationem mariti, & eiusdem hæredũ: etenim non alio modo concurrit ad illa scandala, quàm detegendo crimen: quòd si id satis non sit, vt positiuè concurrere censeatur ad ipsa scãdala, ac peccata, multò minus dicetur concurrere ad damnificationem mariti, & hæredum, cũ se habeat tantùm negatiuè, crimen tacendo, & non obstando damnis. Est igitur dicendum, quòd huiusmodi adultera sicut verè facit, & effectiuè concurrit per reuelationem sui criminis ad refectionem damnorum mariti, & hæredum, ita quoque concurrit ad probabile periculum occisionis suæ, & filij adulterini, aut suppositi: & propterea excusatur à reuelatione sui criminis.

De concubinariorum culpis, ac pœnis, & earum grauitate. SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Concubinatus, & si iure ciuili non damnetur, nisi inter quasdam personas, apud fideles tamen graue peccatum est.*
2 *Peccant mortaliter concubinarij, licet inter solutum, & solutam habeatur.*
3 *Peccant grauius concubinarij si concubina maritum habeat, aut concubinarius vxorem.*
4 *Peccant grauissimè in concubinatu permanẽtes si vir vxorem habeat, & mulier nupta sit, & duplex committunt adulterium.*
5 *Peccant multò grauius concubinarij si Clerici sint, cum longè grauius, & turpius sit eorum crimen. Et quibus puniantur pœnis ex Conc. Trid. & num. seq.*
6 *Clerici concubinarij vltra pœnas à Concilio Trident. statutas, multis alijs de iure plectũtur: Et quæ.*
7 *Clericis non tantum prohibitus est concubina-*

 tus,

tus, sed omnis mulierum cohabitatio, vel detentio in domo, vel extra.

8 *Clericis concubinarijs, qui vigore præfati Cōcilij priuantur omnibus beneficiorum fructibus; nulli sunt relinquendi, ex quibus alimenta suscipiant.*

9 *Clericorum appellatione veniunt, etiam Monachi, omnesque Ecclesiastica persona, ac eisdem puniuntur pœnis si concubinarij sint.*

An pertineat ad forum Ecclesiasticum concubinatus punitio.

10 *Qui concubinarij à populo existimantur, licet tales non sint, peccant mortaliter, donec veritas manifestetur.*

1 TRactauimus hucusque de virorum, ac vxorum culpis: & quoniam concubina detinetur, & cognoscitur à concubinario affectione quadam maritali, ac si vxor sibi esset, competēti igitur ordine sequitur hoc loco agendum de concubinariorum, & concubinatum culpis, & pœnis, earumque grauitate. Ad cuius rei explicationem est adnot. quòd quamuis ciuili iure concubinatus non damnetur inter solutum, & solutam, cum qua stuprum non committitur, sed tantùm inter quasdam personas, ita vt concubina patris non possit esse concubina filij, vel nepotis, vt in *l. 1. ff. de concub.* nihilominus apud fideles graue peccatum est cum solutis, & grauissimum cum coniugatis. Etenim de iure Diuino saltem interpretatiuè prohibita est omnis fornicatio: & tantum permissa maritalis copula inter virum, & vxorem, vt in *cap. nec mœchaberis, 32 q. 5.* ita se habente: *Non mœchaberis*, id est, ne quisquam præter matrimonij sui fœdera alijs fœminis misceatur ad explendam libidinē. *Nam specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit.* Ad idem facit *tex. in cap. nemo, 32. q. 4.*

2 Peccant igitur mortaliter concubinarij, licèt concubinatus habeatur inter solutum, & solutā. Etenim omnis fornicatio quantumuis simplex est culpa lethalis, ita vt contrarium asserere sit hæreticum, vt in *Clem. ad nostram*, & ibi, *Panor. de heret.* Est enim fornicatio non solum iure Diuino prohibita in Decal. ibi. Non mœchaberis: vt in *d. cap. non mœchaberis, 32. q. 5.* sed etiam est intrinsecè, & ex sui natura mala, atque ideò contra ius naturale, vt rectè post alios probat *Sayr. lib. 8. Clau Reg. cap. 2. num. 3.* At concubinatus est grauius peccatum fornicatione; quia per huiusmodi crimen homo semper manet in statu, ac proposito peccandi; siquidem concubinatus est fornicatio quædam cum soluta determinata, vt habetur ex *Sayro loco citato, num. 9. & Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 8. cap. 8. num. 184.*

3 Peccant autem multò grauius concubinarij, si concubina maritum habeat: aut concubinarius vxorem: siquidem supra cōtinuatam fornicationem addunt adulterium, ut in *d. cap. non mœchaberis, 32 q. 5.*

4 Peccant grauissimè in concubinatu permanētes si vir vxorem habeat: & mulier nupta sit, & sic virum habeat: hi enim supra continuatam fornicationem addunt duplex adulterium. Hinc *Concil. Trid. sess. 24. de reform matrim. cap. 8.* eiusmodi, & omnes concubinarios grauiter puniri præcipit, his verbis: *Graue peccatum est, homines solutos concubinas habere, grauissimum verò, & in huius magni Sacramenti singularem contemptum admissum, vxoratos quoque in hoc damnationis statu viuere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere, & retinere. Quare, vt huic tanto malo Sancta Synodus oportunis remedijs prouideat, statuit, huiusmodi concubinarios, tam solutos, quàm vxoratos, cuiuscunque status, dignitatis, & conditionis existant, si posteàquam ab ordinario, etiam ex officio ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eiecerint, seque ab earum consuetudine non seiunxerint, excommunicatione feriendos esse, à qua non absoluantur, donec re ipsa admonitioni facta paruerint. Quòd si in concubinatu per annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab ordinario seuerè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, siuè coniugata, siuè soluta, qua cum adulteris, seu concubinarijs publicè viuunt, si ter admonita non paruerint, ab ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpa puniantur, & extra oppidum, vel Diœcesim, si id eisdem ordinarijs videbitur, inuocato si opus fuerit, brachio Saculari, eijciantur, alijs pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis, in suo robore permanentibus.*

5 Peccant multò grauius concubinarij, si Clerici sint, cùm lòngè grauius, & turpius sit eorum crimen: siquidem Clerici concubinarij non modò dicuntur continuare in peccato fornicationis, & adulterium spirituale committere, verum etiam si sint in sacris maximè in sacrilegium incidunt, & in incestum: & si cum nuptis concubinatum habeant, adulterium contrahunt, ut latè docet *Sayr.* post alios *lib. 8. Clauis Regia, cap. 2. sub num. 14 ver. Tertiò committunt.* Vndè per idem *Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 14.* grauiter puniuntur; & insuper indigni Clericorum nomine censentur talibus verbis: *Quàm turpe, ac Clericorum nomini, qui se Diuino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitia sordibus, immundoq; concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione, summoq; Clericalis militię dedecore, testatur. Vt igitur ad eam quam decet continentiam, ac vita integritatem ministri Ecclesia reuocētur, populusque hinc eos magis discat reuereri, quò illos vita honestiores cognouerint, prohibet S. Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum ijs vllam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis, à Sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis, puniuntur. Quòd si a Superioribus moniti ab ijs se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum ipso facto sunt priuati, qua fabrica Ecclesia, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicetur. Si verò in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes, secunda monitioni adhuc non paruerint, non tantùm fructus omnes, ac prouentus suorum beneficiorum, & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur; sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius, etiam vt Sedis Apostolica delegatus arbitrabitur, suspendantur. Et si ita suspensi, nihilominus*

minus

minus non expellant, aut cum ijs etiam versentur, tunc beneficijs, portionibus, ac officijs, & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priuētur, atque inhabiles, ac indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs in posterum reddantur; donec post manifestam vitæ emendationem ab eorum Superioribus, cum ijs ex causa visum fuerit, dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserunt, intermissum cōsortium repetere, aut aliàs huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere ausi fuerint, prater supradictas pœnas excommunicationis gladio plectantur. Nec quauis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat supra dictorum omnium cognitio, non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores; sed ad Episcopos ipsos pertineat: qui sine strepitu, & figura iudicij, & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica, aut pensiones non habentes, iuxta delicti, & contumaciæ perseuerantiam, & qualitatē, ab ipso Episcopo carceris pœna, suspēsione ab ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, alijsque modis, iuxta sacros Canones puniantur. Episcopi quoque (quod absit) si ab huiusmodi crimine non abstinuerint, & à Synodo Prouinciali admoniti se non emendauerint, ipso facto sint suspensi: & si perseuerent, etiam ad Sanctissimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, si opus fuerit, in eum animaduertat.

6 Adde, quòd concubinarij Clerici ultra supradictas pœnas à Conc. Trid. statutas multis alijs pœnis de iure plectuntur, quibus eos subijci per ipsum Concilium sancitur, ut patet ex illis *dict. Conc.* verbis: *Alijsue modis iuxta Sacros Canones puniantur.* Est tamen verum, quòd quamuis olim Clerici pro fornicatione, etiam simplici deponerentur, ut in *cap Presbyter* 81. *d.* vbi *Panor. & alij, de vita, & hon. Cler. & cap. à multis, de ætate, & qualitate*; hodiè tamen non deponūtur; sed tantùm suspenduntur: & si sic suspensi diuina celebrent, beneficijs priuantur, & perpetuò deponuntur, vt in *cap. vt Clericorum*, & ibi, *Panor. & alij, de vita, & honest. Cler.* Idem dicēdum est de Clericis concubinarijs, vt in *cap. ex parte, de test. & cap. sicut, de cohab Cler. & mulier.* nisi concubinam habeant nuptam; quoniam tunc cùm non dicantur simpliciter concubinarij, sed etiam adulteri, veniunt deponendi, *cap. cū non ab homine de iud* Sicut etiam puniuntur eadem pœna sodomitæ, *cap. Clerici, de excess. Prælator.* ac pro incestu, & stupro, *cap. si quis Episcopus*, & ibi, *Glosa, vers. Deponatur, cap. virginibus cap. si qua Monachorum, & cap. si quis rapuerit*, 27. *q.* 1. *cap. omnes, cap. si quis Sacerdos, & cap. non debet*, 30. *q.* 1. latè *Panor. in cap. at si Clerici, num.* 35. *de iudic. & Tab. in sum. vers. Clericus*, 2. *q.* 10. *num.* 12. vbi intelligit prædictam suspensionem, vbi facta est ab homine, aliàs secus, vt per *Nauar. in Man. cap.* 27. *num.* 248. *Henriq. lib.* 13. *de excomm. & interd. cap.* 55. §. 5. *& Sayr tom.* 1. *Thesauri lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 9. *cum plur. seq.* vbi licèt cū communi teneat, Clericum pro simplici fornicatione non esse deponendum; attamen fornicatio quando est notoria, scandalosa, vel diù continuata relinquitur arbitrio iudicis, vt quam pœnam velit contra talem imponat. Vndè Clerici non solùm concubinarij, verum etiam qui simplicem tantùm fornicationem semel commiserint, ex *Conc. Trid. loco citato*, priuatione tertiæ partis fructuum plectūtur: siquidem Concil. ipsum iura antiqua non reuocat, sed potius confirmat, vt rectè docet *Nauar. tom.* 1. *consil. cons.* 4. *de adult.* aliàs *cōs.* 1. *de cohabit. Cler. & mulier. in nouis.* quem refert, & sequitur *Sayr. lib.* 8. *Clauis Reg. cap* 2. *sub num.* 10. *in vers. Circa quam constitutionem*, vbi idem dicendum ait de tertia distributionum quotidianarum.

7 Imò Clericis non tantùm prohibitus est concubinatus; sed ex *Conc. Trid.* vbi supra inhibetur eis quoque omnis mulierum cohabitatio, vel detentio in domo, vel extra, de quibus suspicio haberi possit, ut patet ex illis eiusdem Conc. verbis: *Prohibet S. Synodus primò quibuscunque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum ijs vllam consuetudinem habere habeant: alioquin pœnis à Sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis, puniantur.* At excommunicatur Clericus in sacris per Sacros Canones, qui à suspectarum mulierum consortio, vel colloquio monitus non desistit, vt in *cap si quisquam, de cohabit. Cler. & mulier.* Et id etiam si mulier suspecta mater sit, & quæcumque alia consanguinea, vt in *cap.* 1. *eod. tit.* in illis uerbis: *Inhibendum est, vt nullus Sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse retineat. Sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem: quia instigāte Diabolo, & in illis scelus perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earundem, &c.*

8 Præterea Clerici concubinarij, qui uigore præfati Concil. Trid. priuantur omnibus beneficiorum fructibus, ut constat ex illius eiusdem Cōnc. uerbis: *Si in eodem delicto cum eadem, vel alia fœmina perseuerantes secunda monitioni non paruerint, &c.* adeò illis omnibus priuati remanent, ut nec fructus aliqui eisdem relinquendi sint, ex quibus alimenta suscipiant, tum quia male meriti egestate laborare debent, ut in *l. bona fides, ff. depos.* tum etiam, quia damnum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputatur, ut in regula damnum, *de regul. iur. in* 6. quod quidem limitat *Lopez in addit. ad pract. crim. cap.* 79. quem sequitur *Sayr. lib.* 8. *Clauis Reg. cap.* 2. *nu.* 12. ut locum sibi non uendicet, ubi huiusmodi Clerici adeò inopia laborarent, ut non haberent aliundè bona, ex quibus alimenta percipere possint: nam Clerico suspenso à beneficio alimenta non denegantur ad propriæ uitæ substentationem, ut latè habetur ex eodem *Sayro to.* 1. *Thes. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 22. Sic etiam Clerico deposito tribuuntur necessaria ad uitam, *cap. studeat*, 50. *d.* & eo magis, quoniam semper habenda est ratio, ne Clerici cogantur mendicare in opprobrium Clericatus, *cap. Diaconi*, 93 *d.* Non tamē à Clericis fornicarijs, ac concubinarijs eiusmodi citra culpam Diuina audiuntur, aut Sacramēta percipiuntur, ut in *cap. nullus audiat*, 13. *d.* Quod uerum est de fornicarijs, & concubinarijs publicis; secus autem de ijs, qui tolerantur: siquidem à Clerico fornicario, quàmdiù toleratur, & non habet operis euidentiam licitè audiuntur diuina, & percipiuntur Ecclesiastica Sacra-

menta: à notorio verò fornicario præcipitur, non quia in Sacramento sit defectus; sed ad fornicariorum emendationem. Ita *tex. in cap. nostra, de cohabit. Cler. & mulier.* & benè declarat *D. Anton. 3 p. tit. 27. cap. 3.*

9 Et quoniam appellatione Clericorum veniunt Monachi, & omnes Ecclesiasticæ personæ, vt in *cap. duo sunt, 12. q. 1.* hinc fit, quòd concubinariorum pœnis subijciuntur non solùm Clerici, sed etiam Monachi concubinarij, & fornicarij, vt supra, & aliæ personæ ecclesiasticæ in eiusmodi criminibus permanentes, vt habetur ex eodē *Sayro, d. cap. 2. n. 10. & lib. 5. Thes. cap. 21.* Imò Clerici, & Laici concubinarij subijciuntur pœnis in *d. cap 8. Conc. Trid. de refor matr. sess. 24.* contentis, non solùm si concubinas domi retineant; sed etiam extra domum eas habētes; quoniam cōcubina ex sola animi destinatione æstimari oportet, vt in *l. cōcubinam, ff. de concubin.* Et cùm concubinatus criminis punitio pertineat ad forum Ecclesiasticum, vt habetur ex *Panor. in cap. cùm sit generale, de foro compet.* Et multò magis concubinatus Clericorum ratione adiuncti, vt post *Felin* & alios probat *Marta de iurisd. par. 4. casu 44.* & nos etiam de hac re egimus in nostris *Commentar. ad Bull. Cœna, lib. 2. cap. 15. q. 27. num. 17.* hinc sequitur, quòd iudices competentes huius criminis, tam quoad concubinarios, quàm ad eorum concubinas, siue laicorum sint, siue Clericorum, sunt tantùm Ecclesiastici. Nec absolui possunt, nisi concubinarij concubinas prius dimiserint: etenim prohibetur non solùm peccatum mortale; sed sub lethali culpa prohibetur proxima occasio peccandi, vt latè habetur ex *Nauar. in Man. cap. 14. num. 32.* Est tamen verum, quod si aliquis reperiatur constitutus in mortis articulo, ita ut desit tempus eijciendi concubinam de domo, potest concubinarius ipse absolui; dummodò propositum firmum habeat vitandi in futurum tale crimen, & eijciendi quam citius concubinam: secus autem si tempus habeat eijciendi concubinam; quoniam tunc non est absoluendus, nisi concubina ipsa prius expulsa, vt post alios docet *Molfes. par. 1 suæ sum. tr. 8. cap. 8. num. 185.* vbi *num. 186.* etiam addit, quòd si concubinarius nō habeat domi concubinam, præmittendam prius esse aliquam experientiam de eius continentia; maximè si frequenter proposuit se ab illa continere, & non continuit, nisi ostenderet signa contritionis adeò manifesta, vt arbitrio boni viri iudicetur valdè dispositus ad sacramentalem absolutionem suscipiendam.

10 Quæ diximus de concubinarijs, vt mortalitèr peccent, extendimus etiam ad eos, quos populus existimat esse tales, licèt non sint, donec veritas manifestetur, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 16. sub num 20. in fin.* Etenim non solùm ab omni malo, sed etiam ab omni mali specie cauendum esse docet *Apostol. 1. ad Thessal. cap 5.* & est *tex. in cap cùm ab omni, de vita & honest. Cler.* Vnde hoc ipsum ipse *Nauar. loc. cit. num. 21.* extendit ad omnem aliam personam, quæ cuidam alteri cohabitando ob suam fragilitatē in lethalem culpam incidit: nam tunc tenetur se separare ab ea, etiam si mater sit, filius, filia, maritus, vxor, ancilla, &c. Illud autem denique hoc loco nolui silentio esse prætereūdum, quod docent *Bald. in cap. 1. num. 3. vt lite non contest. Dec. cons. 530. num. 4. vol. 4.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. de matr. lib. 10. disp. 18. num. 20.* dicentes, quòd vxor propter viri concubinatum potest ab eo diuortium quoad habitationem petere: siquidem non benè conueniūt vxor, & concubina, cùm hæc soleat illius vitæ insidiari: quod ampliat ipse *Sanch.* verum esse, siue vir concubinam detineat in propria domo, siue extra domum: siquidem concubina quocunque loco detineatur, semper molesta est, & discordiarum seminarium inter coniuges. Vndè vxor non tenetur ad virum concubinarium redire, nisi sufficienter caueat de dimittenda concubina. Denique adnotandum est, quòd concubinatus crimine non modò punitur in ipsis concubinarijs, sed etiam in eorum filijs si concubinarij, aut fornicarij Clerici sint: nam filij Clericorum in Ecclesijs, in quibus eorum patres beneficia obtinēt, vel ante obtinuerint, beneficium habere prohibentur, *in cap. proposuisti, 82. d. cap. 2. & toto tit. de fil. presb & Conc. Trid. de refor. sess. 25. c. 15.*

✠ Vnde meritò Addo hic, q̃ fuit dānata ab Alex. VII. P. M. propositio 41. quæ sic asserebat, Non est obligandus concubinarius ad eijciendam concubinam, si hæc nimis vtilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgò Regalo; dum deficiēte illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inueniretur.

† Addo etiam hoc loco circa materiam luxuriæ alias duas propositiones dānatas à præfato S. P. scilicet Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ; ideòq; sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem, Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta graue peccatum contra castitatem, non explicādo copulam.

De Tutorum, & Curatorum culpis, & in eorum tutela, seu cura existentium. SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Tutor à tutela deriuatur, & quid tutela sit.*
2 *Curator à cura dicitur, & in quibus Tutor à Curatore differat.*
3 *Peccant Tutores, & Curatores, recusantes acceptare tutelam, & curam, cum nullam legitimam excusationem habeant.*
4 *Quamplurimæ sunt legitimæ à tutela excusationis causæ, & quæ.*
5 *Clerici à tutelæ, seu cura onere excusantur, sed non prohibentur suscipere tutelam legitimam si velint.*
6 *Peccant Tutores, & Curatores dati, si cū possint non caueant de bono administrando.*
7 *Peccant Tutores, & Curatores, non facientes inuentarium de omnibus pupillorum, ac minorum bonis.*
In quibus casibus Tutor non teneatur ad confectionem inuentarij.
8 *Peccant Tutores, & Curatores, salarium de eorum administratione percipientes propria authoritate.*

9 Pec-

9 *Peccant Tutores, & Curatores, si negligentes sint in præseruando pupillos, & minores à criminibus intactos.*

10 *Peccant Tutores, & Curatores, si pupillorum, ac minorum bona mobilia, quæ seruata non essent illis vtilia, non vendant, & in prædiorum, vel censuum emptionem non conuertant. Et quomodo id sit intelligendum.*

11 *Peccant Tutores, & Curatores negligentes in administrandis pupillorum, & minorum bonis, ac in prosequendis, & defendendis eorum litibus.*

12 *Peccant, & in periurium incidunt Tutores, & Curatores, si scienter in omnibus vtilia non agunt, & inutilia non prætermittunt.*

13 *Peccant Tutores, & Curatores, bona ementes pupillorum, ac minorum.*

14 *Peccant Tutores, consentientes pupillis, eisdēque facultatem tribuentes, ad euitanda certa vota, & post emissa, absq; rationabili causa irritauerint.*

15 *Peccant Tutores offerentes pupillos Religioni; citra consensum Contutorum.*

16 *Peccant Curatores, prohibentes minoribus Religionē professuris, bonorum suorum alienationem.*

17 *Peccant pupilli, & minores, si eorum Tutoribus, ac Curatoribus reuerentes non sint, atque obsequentes.*

18 *Peccant minores, & pupilli rationis compotes, si promissa non adimpleant.*

19 *Fideiussor si accedat contractui celebrato per pupillum citra Tutoris authoritatem, remanet obligatus, & tenet fideiussio: maximè si in solidum obligetur cum pupillo.*

20 *Peccant pupilli rationis compotes, & minores non restituentes vsuras eorum nomine extortas, aliaq; bona, malè quæsita à suis Tutoribus, ac Curatoribus.*

1 PRomisimus in principio huius Disputationis tractaturi de peccatis eorum, qui naturalem quandam potestatem habent super alios: & quoniam inter alios connumerauimus Tutores, ac Curatores; meritò de his hoc loco duximus discutiendum. Ad cuius rei explicationem adnot. quòd Tutor à tutela deriuatur, quę est vis, atq; potestas in capite libero posita ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, à iure ciuili data, ac permissa, vt *l. 1. ff. de tutel. & §. est autem, in Inst. eod. tit.* Vndè Tutor dicitur, qui pupillum, vel pupillā morte patris, vel emācipatione sui iuris factum, vel factam tuetur. Et is vel est testamentarius, qui datur in testamento, vt *in §. permissum est, in Instit. de tutel. & l. muto, ff. eod.* vel est legitimus, cui tutela tāquam proximiori, vel tanquam Patrono per legem defertur, cessante testamentaria, vt *in §. 1. in Instit. de legit. agnat. tut. cum plur. seq. tit. Vel denique est datiuus*, qui datur à Iudice, cessantibus testatamentario, & legitimo, vt *in l. sororis, C. qui dar. tut. poss. & §. 1. in Instit. de Attil. tut.*

2 Curator autem à cura deriuatur; eò quòd curam gerit alicuius ipsum defendendo, à Prætore secundùm leges legitimè datus: aut adolescentis res administrans. Vndè Tutor, & Curator in multis inter se differunt. Primò enim Tutor à Curatore differt, quòd Tutor principaliter datur personæ; secundariò rebus, atq; ideò tutela dicitur vis, atq; potestas in capite libero posita, &c. itaq; Tutores nuncupant tuitores, atq; defensores: sicut editiui appellantur ex eo quòd ædes quasi tueantur, vt *in §. tutores autem, in Instit. de tutel.* Curator verò principaliter datur rebus; secundariò personæ. qua ratione ait *Glosa in d. §. tutores autem*, quòd etiam Curatores sūt Tutores, & plerumq; sic appellantur, vt *in l cum filio, §. 1. ff. de legat. 3. & l. 1. §. 2. ff de minor.* Secundò differrunt inter se Tutor, & Curator; quoniā Tutor datur impuberi masculo minori 14. ann. & fœminę minori 12. vt patet ex *toto tit. in Instit. quib. mod. tut. finit. §. impuberes autem, de Attil. tut. & §. permissum est, de tutel.* Curator verò datur adulto, vsq; ad 25. annum, vt *in § 1. in Instit. de Curat.* nisi veniam ætatis impetrēt, nempè masculus in 20. anno: & fœmina in 18. *l. 1. & 2. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* & datur prodigo, surdo, & muto, cęco, & alijs, qui rebus suis præesse non possunt, vt *in §. furiosi, in Inst. de tutel.* Imò aliquando datur pupillo si eius Tutor cum ipso litiget, vel sit infirmus, aut non idoneus, aut necessitate aliqua non impeditus, vt *in toto tit. in Inst. de Curat.* Tertiò differunt; quoniam Tutor datur quandoq; à Iudice, & quandoq; à Testatore, vt *in toto tit. de testam. tut. & de Attil. tut.* Curator verò testamento non datur; sed datus confirmatur, vt *in d §. 1. de Cur.* latè *Panor. in cap. ex parte, 2. de appellat. & in conf 93.* Deniq; differunt, quoniam Tutor datur inuito: nam ob id tutela dicitur vis, atq; potestas, &c. vt in *l. 2. ff. de tutel. & l. nec non, ff de tutor. & curat. dat. ab his.* Curator verò datur volenti, nisi detur ad lites; nam tunc datur etiam inuito, vt *in §. item inuiti, in Instit. de curat. & l. 2. §. si pupillus, ff eod.* Etenim minor natu in iudicio, siue vt actor, siue vt reus sine Tutore, aut Curatore non admittitur, vt *in d. §. item inuiti:* exceptis tamen causis spiritualibus, nempè ecclesiastici beneficij, matrimonij, & his annexorum, in quibus pubes 25. ann. minor per se, vel per procuratorem agere, & conueniri potest, vt *in cap. vlt. de iudic. in 6.* & habetur ex *Laym. lib. 3. sua sum. tr. 4. cap. 9. sub num. 2. §. Secundò tutor.* His breuiter sic adnotatis.

3 Dico primò peccare Tutores, & Curatores recusantes acceptare tutelam, & curam cum nullam legitimam excusationem habeant. Imò Tutores; & Curatores eo casu ciuiliter cogi possūt, vt *in l. 1. ff. de admin. tut.* Etenim tutela, seu cura est vnum ex publicis muneribus, à quibus lex neminem vult esse immunem, vt *in toto tit. C. de Decur. lib. 10.* Et multò magis peccant Tutores ipsi, ac Curatores falsas causas excusationis porrigentes: siquidem non solùm peccant contra charitatem; sed etiam contra iustitiam, cùm tutelæ, & curæ onus sit publicum, vt diximus. Et si falsis excusationibus excusationem à tutela, vel cura impetrauerint, non sunt liberati ab onere tutelæ, seu curæ, vt *in §. fin. in Instit. de excusat. tutor. vel curat.* vbi *Glosa* idem dicendum esse ait de iniusta excusatione. Quòd si Tutores, & Curatores legitimas habeant excusationis causas, non acceptantes eiusmodi onera non peccāt. Sunt autem legitimæ excusationis causæ quamplurimæ: nempè liberorum certus numerus, Fisci procuratio, publicæ iurisdictionis admini-

4

stra-

ſtratio, ſi maioris partis bonorum cum pupillo tutor litem habeat tria tutelæ onera non affectata, paupertas, infirmitas, & litterarum imperitia, capitalis inimicitia inter tutorem, & patrem pupilli: ſi tutor à patre pupilli paſſus ſit controuerſiam ſtatus, ſeptuagenaria ætas, militia: ac ſi tutor grammaticam, rethoricam, uel medicinam doceat: item qui pupilli tutelam geſſit, eius curam ſubire non cogitur; ſicut maritus etiam ſi ſe immiſcuerit in cura vxoris ſuæ excuſationem habet, vt patet ex toto *tit. in inſtit. & in ff. de excuſat tutor. & curat.* A tutelæ, ſeù curæ onere excuſantur mulieres: ſiquidem tutelam adminiſtrare virile munus eſt, & vltra ſexum fœmineę infirmitatis tale officium eſſe, ait *tex. in l. 1. C. quando mulier. tut. offic. fun pot.* Vndè nec volentes quidem admittuntur, niſi mater ſit, vel auia paterna: ſiquidem matri, & auiæ paternæ ante omnes agnatos, & cognatos ius tutelæ permuttitur ſi recipere velint, non extantibus teſtamentarijs tutoribus; & dummodò renuncient velleiano, & ſecundis nuptijs, vt in *auth. matri, & auia C. eod tit.* ita ſe habente: *Matri, & auiæ ſecundũ ordinem tutelam, etiam ante agnatos ſubire permittimus, ſi inter geſta nuptijs alijs, & Senatus Conſulti Velleiani auxilio renunciauerit, ſolis teſtamentarijs tutoribus eas præcedentibus, legitimis, & datiuis poſtpoſitis. Defuncti namque voluntatem præferri volumus, præter has autem alijs mulieribus interdicimus officium tutelæ ſubire.* Vndè ſi mater, aut auia ad ſecundas nuptias tranſeant, aut luxurioſam vitam ducant, nec volentes quidem admittuntur ad tutelæ munus, vt pe. *Gloſ in d. auth. matri, & auia, Panor. in cap. ex parte, 2. de appell. Nauar. in Man. cap. 25. nu 67.* & alios, quos refert, & ſequitur *Layman loco citato ſub num. 3. § Porrò*, qui ob eaſdem cauſas matri negari poteſt educatio pupilli, quæ alioquin ante alios debetur, *l. 1. C. vbi pupil. educ. deb.*

5 Excuſantur quoque à tutelæ, ſeu curæ onere Clerici: non enim ad ſuſcipiendam tutelam Clerici cogi poſſunt, præterquam perſonarum miſerabilium, ſi aliæ perſonæ idoneæ non reperiantur, ut in *cap. fin. 86. d. & cap. 1. d. 88.* Eſt tamen uerum, quòd ſi Clerici uelint legitimam, tanquã proximi cognati, tutelam ſuſcipere, non prohibentur, ut colligitur ex *d. cap. fin. 86. d.* & latè *Syl verſ. Tutela, q. 3.* qui id extendit etiam ad Religioſos licentia eorum Prælatorum, & ad Epiſcopum non per ſe ipſum; ſed per Archipræsbyterum, aut Archidiaconum, ut in *cap. Monachi 16 q 1. cap. 1. cap. Epiſcopus tutiorem, & c. Epiſcopus nullam, 88. d* Quæ quidem ſententia uidetur probabilis per *tex in d cap. 1.* ſiquidem appellatione Clericorum ueniunt, etiam Monachi. Sed probabilior nobis uidetur oppoſita ſententia, quoad Religioſos, quam tenet *Laym. d. c. 9. num. 4.* cùm tutelæ munus à profeſſione Religioſa nimis alienum ſit: ſiquidem tutor, ſeu curator ex mala adminiſtratione obligatur pupillo, aut minori: & antequam adminiſtrationem ſuſcipiat, regulariter legitimus; ſicut, & datus ſatiſdare cogitur, ut mox dicemus: & in iuribus ſupraçitatis nulla ſit Religioſorum mentio: qui quamuis ſub nomine Clericorum ueniant; nihilominus id niſi largè uerum eſſe uidetur.

6 Dico ſecundò peccare tutores, & curatores dati, ſicut, & legitimi ſi cùm poſſint, non caueãt de benè adminiſtrando, ut in §. 1. *in inſtit. de ſatiſd. tutor. vel curat. l. non quaſi, ff. rem pupil. ſal. for. & l. 1. ff qui ſatiſd. cognat.* Dixi: *Tutores, & curatores dati.* Nam ſi tutores teſtamento dentur, uel à iudice ex inquiſitione, ſatisdare non compelluntur; quia fides tutorum, qui teſtamẽto dati ſunt, & eorum diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt, & à iudice ex inquiſitione idonei cenſentur electi, ut in *d. §. 1. in inſtit. de ſatiſdat. tutor. & curat.* quod quidem ſecus eſt de curatore furioſi, qui ſatiſdat, ſi non habeat idoneam ſubſtantiam, licèt ſit cum inquiſitione datus, ut in *l. fin §. & ſi quidem, & § ſi verò non talis, C. de curat. furioſi.*

7 Dico tertiò peccare tutores, & curatores non facientes inuentarium de bonis omnibus pupillorum, ac minorum, & ad ea quorum intereſt, tenentur; niſi ex iuſta cauſa fuerint impediti, ut in *l. tutor, qui repertorium*, & ibi, *Bart. ff. de admin. & peric. tut. & cur.* Cauſa autem legitima, & neceſſaria ex parte tutorum, & curatorum nõ conficientium inuentarium, eſt eorum infirmitas: vel ex parte rei; quia non inuenitur facta diligenti inquiſitione. Vndè ceſſante impedimento, obligantur ſtatim inuentarium, vt ſupra facere per perſonas publicas ad id ſpecialiter adhibitas, ut in *l. tutores*, & ibi, *Gloſa, C. de admin. tut.* & rectè declarat *Molfeſ.* poſt alios *par. 2. ſuæ ſumm. tr. 13. cap. 10. num. 29. & 30.* Eſt tamen verum, quòd in pluribus caſibus tutor non tenetur ad confectionem inuentarij: nempè ſi inuentarij confectio à teſtatore remittatur, *l. fin. C. de arbitr. tut.* quod verum eſt, niſi aliter Iudici videatur, vt in *l. vtilem, C. de confirm. tut.* Secundò ſi conſuetudo eſſet, vt non fieret inuentarium, vt habetur per *Bart. in d. l. tutor, qui repertorium.* Et tertiò, ſi iudex ex cauſa remitteret, vt benè poſt alios docet *Syl. in verſ. Tutela, q. 6.* & antè ipſum *Bart. in d. l. tutor.*

8 Dico quartò peccare tutores, & curatores ſalarium propria auctoritate percipientes pro eorum adminiſtratione: id enim de iure eis interdicitur; niſi ipſis à Iudice conſtitutum ſit, vt in *l. à tutoribus, § vlt. ff. de admin. tut. & Gloſa in l. in eos, ff. de tutel.* Imò ſi pupilli adeò pauperes ſint, vt bona vix ſatis ſint ad eorum ſuſtentationem, non debet iudex eiuſmodi ſalarium conſtituere, cum hoc caſu lex charitatis reſiſtat, vt habetur ex *Layman d. cap 9. ſub num. 2. § tutor, ſicuti, & curator.*

9 Dico quintò peccare tutores, & curatores ſi negligentes ſint in præſeruando pupillos, & minores à criminibus intactos: id enim ad eorum officium pertinere, docet *Syl. verſ. Tutela, q. 4.* ſiquidem ſufficiuntur in locum parentum, atque ideò ſicut peccant parentes, qui negligenter ſe habent in proprijs filijs rectè educandis, & multo magis ſi non præbeant eis exemplum boni operis, vt infra dicemus *ſec. ſeq. dicto 1.* & ſupra oſtendimus *ſec. 1. dicto 1.* ita quoque peccant tutores, & curatores in hac re negligentes. Eſt puerorum animus, tanquam tabula raſa; atque ideò ſicut de facili reducuntur ad bonum, & præſeruantur in bono; ita etiam parentum, tutorum, aut curatorum incuria de facili corruunt in malũ. Hinc *Prouerb. cap. 22.* legitur: *Adoleſcens enim iuxta viam ſuam ambulans; etiam cùm ſenuerit,*

rit, non recidit ab ea. Et *Horat.*

Quo semel est imbuta, recens seruabit odorem, testa diu.

Vt hæc, & alia cumulauimus *d. sec. 1. d. 1.* de parentum culpis agentes. Quibus adde, quæ post alios habentur ex *Molfes. in sua summ. tr. 13. c. 10. num 21.*

10 Dico sextò peccare tutores, & curatores, si pupillorum, ac minorum bona mobilia, quæ seruata vtilia illis non essent, non vendant, & in prædiorum, vel censuum emptionem conuertant, aut in iustam aliquam negotiationem, ex quibus emolumentum aliquod assequi possint, vt habetur per *Bart. in d. l. tutor, qui repertoriũ, §. 1 ff. de admin. & peric. tut. & cur.* Imò si mobilia huiusmodi non vendant, & eorum pretiũ, & omnem aliam pupillorum, ac minorum pecuniam non conuertant in emptionem, vt supra, tenentur eis ad fructus, quos percipere poterant, deductis expensis, ac periculis, vt per *Bald. C. de condit. ind. Ioann. de Anania in cap. quia in omnibus, de vsur. Surd. decis. 179. nu. 10.* & alij apud *Molfes. par. 2. sua summ. tr. 13. num. 31.* Quod tamen intelligendum est, vbi tutores, & curatores potuerint emere, & iustè negotiari: quapropter præfati Doctores consulunt, vt id fiat ex propinquorum pupilli, ac minoris consilio, & interuentu: siquidem eiusmodi consilium, & interuentus omnem doli, & culpę præsumptionẽ à tutoribus, & curatoribus tollit, arg. *tex. in l. etiã, C. si tutor. vel cur. inter.* latè *Syl. loc. cit. & Tab. in sum. vers. Tutela, §. 3.*

11 Dico septimò peccare tutores, & curatores, negligentes in administrandis pupillorum, ac minorum rebus, ac in eorum litibus prosequendis, ac defendendis, ita vt non solùm teneantur eis omnia damna reficere ex eorum mala administratione prouenta; verum etiam de suo efficiuntur obnoxij, si pupillis, ac minoribus, potuerint aliquid acquirere, & neglexerint, *l quicquid, C. arbitr. tut. l. non ignotum, C. de admin.* dummodò id neglexerint ex dolo, vel lata culpa; quoniam tenentur de dolo, & lata culpa, vt per *Glos. in §. 1. vers. Vis, atque potestas in instit. de tutel.* ad id allegat *tex. in l. 4 C. arbitr. tut.* Sed melius dicamus, vt tutores, & curatores teneantur, etiam de leui culpa; sicut Prælatus in administratione rei Ecclesiæ, vt per *Glos. in cap. ea qua, vers. Negligentia, de offic. Archid.* & est *tex. in terminis in l. quicquid, C. arbitr. tut.* ita se habente: *Quicquid tutoris dolo, vel lata culpa, aut leui, seu curatores minoris amiserint, vel cũ possent non acquisierint, hoc in tutela, seu negotiorum gestorum vtile iudicium venire, non est incerti iuris.* Est tamen verum, quod in exigendis nominibus debitorum pupilli, in vtroque foro solùm tenetur de dolo, & lata culpa, vt in *l. 2. C. arbitr. tut. & Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. c. 10. sub num 29.*

12 Dico octauò peccare, & in periurium incidere tutores, & curatores, si scienter in omnibus vtilia non agunt, & inutilia non prætermittunt in administratione rerum, ac negotiorum pupillorum, seu minorum: Etenim hi omnes iurant vtilia agere, & inutilia prætermittere, vt in *auth. qui ob. se, & c. 9 fin. collat. 6.* & habetur per *Glos. in §. 1. in inst. de satisd. tut. & cur. vers. Idonei.* Imò si dolus, lata culpa, vel etiam leuis interueniat, tenentur ad reficienda omnia damna, & interesse, iuxta ea, quæ supra diximus, ex *tex. in l. quicquid, C. arbitr. tut.* Nõ tamen tutores, & curatores tenentur de culpa leuissima, vt per *Doctor. in d. l. quicquid.*

13 Dico nonò peccare tutores, & curatores emẽtes bona pupillorum, & minorum: id enim ratione officij eis interdicitur, *l. non licèt, & l. si in emptione, § tutor, ff. de contrah. empt.* siquidem lex præsumit fraudem inesse in eiusmodi contractibus: & quando fraus abesset, auctoritatis defectus adesset. In foro tamen conscientiæ, in quo attenditur ueritas, si emptio, ac venditio fiat iusto pretio, & careat omni fraude & utilitas, seu necessitas pupilli id exegerit, non prohibetur tutor, vel curator bona illa emere, prout regulariter faciunt per interpositas personas: & interponitur decretum Iudicis ad maiorem cautelam, vt habetur ex *Reginaldo lib. 25. sua prax num. 26 & Molfes. in sua sum. Theol. tr. 12. cap. 5. nu. 121.* latè *Layman lib. 3. sua sum. tr. 4. cap 9. n 8.*

14 Dico decimò peccare tutores consentientes pupillis, eisdemque facultatem tribuentes ad emittenda certa vota, si post emissa citra rationabilem causam irritauerint. Etenim quamuis tutores facultatem habeant irritandi pupillorum vota; sicut parentes suorum filiorum impuberũ vota irritare possunt ad eorum libitum, & absq; aliqua causa; etiam si simplex votum emiserint Religionis; quoniam hoc casu iure suo vtuntur, vt in *cap puella, & cap. illud, 20. q. 2. cap. noluit, & cap manifestum, 33. q. 5. & Nauarr. in Man. cap. 12. num. 68. & 73* nihilominus si in ipsis votis tutores ipsi semel consensum præbuerint, non possunt citra rationabilem causam irritare. Et licèt pupilli non peccent, si vota non impleant, quæ fuerunt ita perperam irritata, peccant tamẽ lethaliter tutores eiusmodi vota absque causa, & irrationabiliter irritantes, vt habetur ex *Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. & Nauar. loco citato, num. 73.*

15 Dico vndecimò peccare tutores offerentes pupillos Religioni citra consensum contutorũ: siquidem tutores quamuis possint offerre pupillos Religioni sicut parentes filios impuberes, vt in ea viuant sub Regulari disciplina, siue masculi sint, siuè fœminæ, ita vt non possint resilire donec pubertatem compleant, vt in *cap. 1. 20 q. 2. & Sanch. lib. 4 sua sum. cap 18. num. 4. & seq.* nihilominus si plures sint tutores debent omnes concurrere ad oblationem; aliàs etiam vno contradicente, peccant offerentes; sicut peccat pater offerens filium contradicente matre, & è conuerso, vt habetur ex *Inn. cap. 2. de Regular.* & ex alij apud *Sanch. d. cap. 18. num 16.* in re enim communi satis est contradictio prohibentis, *l. Sabinus. ff. communi diuid. cap. in re communi de regul. iur. in 6.* & hanc sententiam receptiorem esse contra *Syl.* & alios, testatur *Molfes par. 1. sua summ. tr. 11 cap. 13 num. 15 & seq.* vbi etiam *num. 18.* addit, quod si tutores, aut parentes semel consenserint pupillis, aut filijs, ut Religionem ingrediantur, non possunt amplius resilire, & reuocare consensum pupillis, filijs inuitis: quoniã res non est amplius integra: & satis esset consensus tacitus per scientiam cum taciturnitate.

16 Dico duodecimò peccare Curatores prohibentes minoribus Religionem professuris bonorum suorum alienationem: licèt enim minor

de

de iure nequeat contrahere, se obligans, citra Curatoris auctoritatem, vt *in §. admonendi, in Instit. quibus alien. lic. & l. 3. C. de in integr restit.* nihilominus Religionem professurus absq; Tutoris auctoritate alienare, seu cuicumq; velit donare potest citra beneficium restitutionis in integrum: siquidem minor per professionem censetur mori, ac pro mortuo habetur, vt per *Abbat. in cap. in præsentia, de probat.* atq; ideò in donatione, aut renunciatione bonorum intuitu Religionis ingrediendæ, aut profitendæ, nulla iuris solemnitas exigitur, vt *in § illud quoque, in auth. de monach. & cap. de his, in fine, de sepultur.* latè *Laym lib. 3. sua sum theol. tr. 4 cap. 9. sub num. 6 vers. Tertiò minor.* Est tamen verum, quod Nouitij hodie non possunt professionem emittere in quacumq; Religione, tam virorum, quàm mulierum ante decimum sextū annum completum: nec suorum bonorum renunciationes, aut obligationes antea factæ valent, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij intra duos menses proximos ante professionem, non obstante quocumq; iuramento fuerint vallatæ, vt *in Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. & 16.*

Quoad Pupillos, & minores.

17 Dico tertiodecimò è conuersò peccare pupillos, & minores si eorum Tutoribus, ac Curatoribus non sint reuerentes, ac obsequētes: sufficiuntur enim Tutores, & Curatores in locum parentum Vndè sicut filij peccant honorem debitum parentibus non deferentes, vt latè ostendimus sup. *sec. 1. vers. Liberorum verò,* ita etiam pupilli, & minores.

18 Dico quartodecimò peccare minores, & pupillos rationis compotes si promissa non adimpleant. Etenim quamuis minores, & pupilli ciuiliter non obligentur citra auctoritatem, & cōsensum eorum Tutorum, ac Curatorum, vt sup. ostendimus *dicto 12.* obligantur tamen naturaliter, atq; ideò in foro conscientiæ, vt contra nonnullos docent *Gomez. 2 resol. cap. 14. Sāch. lib. 6. disp. 38 bnm. 21. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 17. nu. 61. Rebell par. 2 de obligat. iust. lib. 1. de contr q 8. sec. 2. Lopez par. 1. instr. cap. 124. q. 3.* & hanc sententiam communiorem esse testatur *Laym. lib. 3 sua sum. tr. 4. cap 9. sub nu. 7.* Rationem autem hanc esse volunt; quia obligatio naturalis oritur ex consensu, vt *in l. Stichū, §. naturalis, ff. de solut.* At pupillus si pubertati proximus sit, & rationis compos; & minor 25. annis, sufficientem consensum habent, vt patet ex *tex. in §. pupillus, in Instit. de inutil. stipulat.* Ergò naturaliter obligantur ex contractu; atque ideò peccant promissa non seruantes: siquidem in foro conscientię attenditur ius tantùm naturale, & Diuinum. Confirmatur hoc dictum ex *tex. in l. pupillus, ff. ad leg. falcid. l si eius iuncta Glosa, ver. Reddiderit ff. ad Trebell. & l 1. ff. de nouat.* vbi apertè dicitur, pupillum contrahentem absque Tutoris interuentu, obligari naturaliter. Denique fideiussor si accedat contractui celebrato per pupillum citra Tutoris auctoritatem, remanet obligatus ciuiliter, ac tenet eiusdē

19 fideiussio, maximè si insolidum obligetur cum pupillo, vt *in l. si vero, ff. de iureiur. & l si pupillus, ff. de recept. arbitr.* Ergò principalis pupilli obligatio suas vires habebit saltem naturaliter; sicut obligatio serui, cui accedit fideiussor pro ipso seruo, vt *in l naturaliter, ff. de cond ind* & obligatio Religiosi circa Superiori cōsensum, vt habetur ex *Nauar. de Regular. com. 2. nu. 42.* Si igitur pupillus contrahens absq; Tutoris auctoritate, remanet obligatus naturaliter; ergò peccat promissa non adimplendo, cùm in foro interno ius naturale, & Diuinum attendatur, & obliget in conscientia, vt ostendimus in nostris *Comment. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 46. n. 15.* Quibus adde, quæ habetur ex *Laym. loc. cit. nu. 9 & seq* vbi plures casus definit prouenientes ex obligatione naturali, quam contrahunt minores, & pupilli contrahentes absq; Curatoris, ac Tutoris interuentu, vt si debitum suis creditoribus soluant: ludant, compensationem faciant, & alia eiusmodi, nisi velint vti legis beneficio: quod quomodo verum sit, rectè declarat *Laym. vbi sup.* qui addit *num 6 per totum,* pupillos, ac minores etiam ciuiliter ex contractibus per eos celebratis sine consensu, ac auctoritate Tutorum, ac Curatorum. Obligantur enim pupilli, ac minores ex contractibus huiusmodi quatenus facti sunt locupletiores, vt *in l. pupillus, §. pupillus ff de auctor. tut. & l. vlt. C. de vsucap. pro empt.* Item si res eis tradita dolo eorum perierit, *l. 1. §. an in pupillum, ff. depos. l. 3. §. pupillus,* & ibi *Glosa, ff de negot. gestis:* & denique si minores contractum initum citra Curatoris consensum iuramento confirmauerint, vt *in Auth. Sacramenta puber. C. si aduers. vendit.*

20 Dico quintodecimò peccare pupillos rationis compotes, ac minores nō restituentes vsuras extortas eorum nomine, & alia bona eisdem malè quæsita à suis Tutoribus, & Curatoribus: siquidem pupilli, ac minores tenentur vsuras, & bona eiusmodi quæsita restituere insolidum cum Tutoribus, & Curatoribus, vt per *Glos. in cap. fin. 46. d.* latè *D. Anton in sua sum. p. 2. tit. 2. cap. 4. §. 3.* Est tamen verum, quod pupilli, ac minores agere possunt pro interesse contra Tutores ipsos, ac Curatores, si pecuniam pupillarem, vel adultorum poterant in emptionem stabilium, aut in iustam aliam negotiationem conuertere, vt habetur ex *Syl. ver. Tutela, q. 4.*

De Dominorum, Seruorum, ac Famulorum culpis à discreto Confessario explorandis.

S E C. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Potestas Domini in seruos licet sit iuri naturali contraria, potest tamen etiam dici naturalis, & quare.*
2 *Serui in duplici sunt differentia propriè scilicet, & formaliter à seruando dicti.*
Et impropriè dicti a seruiendo.
3 *Peccant Domini, exempla boni operis non præbentes seruis.*
4 *Peccant Domini non curantes seruos suos Dei, & Ec-*

& Ecclesiæ mandata diligenter seruare, & vt Sacramenta frequentent.

5 Serui si conductitij sint, atq; ideò famuli, non excusantur à culpa eorum Domini, qui negligunt nosse eorum manifesta peccata, vt eosdē corrigere valeant.

6 Peccant Domini, si seruos, vel famulos mox quod infirmantur ad hospitale transferunt curandos, cum possint in eorum domo commodè detinere, & curam eisdem procurare.

7 Peccant Domini grauantes seruos, & famulos laboribus plusquam par est, non permittentes, nec diebus quidem festiuis quiescere.

8 Peccant Domini, iustas seruorum quarelas, ac famulorum audire recusantes.

9 Peccant Domini, seruos, vel famulos exasperantes.

10 Peccant Domini, denegantes seruis alimenta.

11 Peccant Domini, si rogati, vt seruos suos manumittant, dolosè latitant, nè eos manumittant. Et an peccant Domini manumittentes seruos in fraudem creditorum.

12 Peccant Domini, manumittentes seruos, qui propter delictum in seruitutem redacti sunt.

13 Peccāt Domini, si eorum famulis iustam mercedem non soluant, & ad restitutionem tenentur.

14 Peccant serui, si Dominis debitum honorem non deferant, debitamq; obedientiam non præstent.

15 Vbi à Domino præcipitur aliquid seruo, quod non est intrinsecè malum, sed dirigitur a Domino in finem malum, & contra Dei legem, seruus Domino obediendo, non peccat.

An peccent Christiani in seruitutem redacti, remigando in Piraticis triremibus.

16 Peccant serui, qui in munere, sibi à Domino iniuncto, non quærant pro iuribus iustam Domini vtilitatem.

17 Peccant serui, Domino non obedientes non solùm in manifestè licitis, sed etiam in rebus, de quibus dubitant, an sint licita.

18 Peccant serui, si in seruitute permanentes, aliquem ordinem suscipiant.

19 Peccant serui, à proprio Domino aufugientes, cum faciant furtum sui ipsius.

20 Serui in bello capti, qui fidem Domino præstiterunt non aufugiendi, si aufugiant, licet peccent, non tenentur tamen redire ad hostes.

Quid si venundari passi fuerint ad pretiū participandum.

21 Serui effecti ex eo, quod arma, cæteraq; prohibita ad Infideles detulerunt, itemq; serui facti propter crimen raptus, citra culpam aufugere possunt.

22 Ancilla in seruitutē redacta, ex quo passa sit se venundari ad pretium participādum si à Domino impetatur de turpitudine, licitè, & absq; peccato potest ab eo aufugere.

23 Peccant serui aliquid donantes, vel etiā eleemosynam facientes sine consensu Dominorum suorum.

24 Peccant serui, aliquid sibi retinentes de bonis, per eos acquisitis.

25 In quatuor casibus possunt serui aliquid sibi retinere, alijsq; donare de bonis per eos acquisitis.

26 Peccant serui, vota peregrinationis, ieiuniorū, vel religionis, cæteraq; personalia exequentes contra Dominorum voluntatem.

27 Peccāt serui, Religionē ingrediētes, vel ad bellum accedentes etiam contra infideles, absq; Dominorum consensu.

28 Sic etiam peccant si in actibus legitimis se ingerant, asserentes dolosè se esse liberos.

29 Peccant serui scienter contrahentes matrimonium cum libera, ignorante eorum conditione, vel è conuerso.

Idq; non solùm consentientibus, sed etiam cōtradicentibus, & ignorantibus eorum Dominis.

1 AD huius rei explicationem est adnotandū, quòd quamuis potestas, quam habent Domini in seruos sit naturali iuri cōtraria, cùm eo iure omnes liberi nascerentur, atque ideò solo gentium iure seruitus fuerit introducta, vt *in §. ius autem gentium, in Instit. de iure nat. gent. & ciuili*; tamen potestas eiusmodi potest quoq; dici naturalis, quatenus omnis hominis potestas in alios à Deo est, & naturalem propensionem habent subditi ad obtemperādum eorum Dominis, meritò post præcedentem *sec.* in qua egimus de potestate, quam Tutores habent, & Curatores in pupillos, ac minores, sequitur modò videndum de potestate, quam habent Domini in seruos, & de amborum culpis à discreto Confessario explorandis.

2 Sunt autem serui in duplici differentia. Nam quidem propriè, ac formaliter dicūtur serui, qui à seruando deriuantur: siquidem Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent: qui quidem alio vocabulo appellantur mancipia; eo quòd captiui ab hostibus manu capiuntur, vt *in § serui autem, in Instit. de iur person.* Item propriè, & formalitèr nuncupātur serui, qui cum sint liberi patiuntur venundari ad pretium participandum: sicut enim priores fiunt serui iure gentium, ita quoque hi de iure ciuili, vt *in §. serui autem in Inst. eod. tit.* De iure verò Canonico deferentes arma, & alia prohibita ad Turcas, Saracenos, & ad alios Christiani nominis inimicos, si capiantur efficiuntur formaliter serui capientium, vt *in cap. ita quorundam, de Iudæis*, & nos adnotauimus in nostris *Commēt. in Bull. Cœnæ, lib 2. cap. 7. q. 1. num. 19.* Præterea serui quoq; appellantur propriè, & formalitèr, qui nascuntur ex ancillis nostris, vt *in d. § serui.* Et deniq; serui propriè efficiuntur emptione cū ab alijs inuiti venduntur: qui quidem vt serui formaliter dici possint, multas conditiones exigunt, vt habetur ex *D. Anton. 3. par tit. 4. cap. 6. §. 5.* Dantur quoque serui impropriè à seruiendo nuncupati, qui propriè dicuntur conductitij: eo quòd conducuntur sub certa mercede ad seruiēdum, & alio vocabulo appellantur famuli, & liberi sunt. Nos igitur hoc loco tractabimus, Deo duce, de Dominis, & seruis, siue Domini dominium habeant in seruos, siue non: & siue serui sint formaliter, & propriè serui, vt sunt mancipia, siue impropriè, quales sunt famuli. His breuiter sic prælibatis.

3 Dico primò peccare Dominos, eorum seruis exemplum boni operis non præbentes, sicut de Episcopis, & de ijs omnibus qui alijs præsūt supdiximus. Etenim Dominus propter scandalum, quod

quod suis malis operibus suis seruis iugiter præbet, eiusdem voluptatibus peccata cumulat aliena, vt ex *D. Ambrosio* habetur in *cap. an putatis 86. d.* formalibus sequentibus verbis: *Et voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens Reum esse futurum tàm de suo delicto, quàm de perditione seruorum.*

4 Dico secundò peccare Dominos, si non curent seruos suos Dei, & Ecclesiæ mandata diligenter seruare; atque ideò debent pro viribus curare, vt Sacramenta frequententent, Missam audiãt, & prędicationes diebus festiuis, ieiunia seruent, orationi vacent, erudiantur in fide, ac Christiana Religione; aliàs Domini efficerentur infidelibus deteriores, iuxta illud Apostoli *1. ad Timot. 5.* dicentis: *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Et si Deo suos seruos Domini non curant esse fideles, virtutes sectando, vitia fugiendo, & veram Religionem prosequendo, quomodo ipsis Dominis serui fideles poterũt esse: postquam scriptum legimus, non posse hominibus esse fidelem, qui Deo est infidelis. Et multò magis peccant Domini, si conspicientes seruos in graui infirmitate constitutos eos destituant, non curantes Sacramentis refici, vt rectè disponantur ad benè moriendum, atque ideò Centurionis Euangelici pietatem abijciẽtes. Nõ minus peccant Domini si videant seruos se malè habere, præcipuè circa vitæ honestatem, & illos non corrigant verbis, ac etiam verberibus si videant expedire; citra tamen mutilationem membri, aut fractionis ossis, vt habetur ex *Diu. Anton. 3 par. tit. 4. cap. 6. §. 7.* imò aliquando tenentur de eorum facto, vt rectè declarat *Graff. p. 1. decis. lib. 2 cap. 59 num. 20.* & antè eum *Sylu. in summ. vers. Dominium, q. 6.* cum alijs, quos

5 allegat. Et si serui conductitij sint, atque ideò famuli, non excusantur à culpa Domini negligentes nosse manifesta eorum peccata, vt eosdem corrigere valeant. Et si post binam, aut trinam monitionem, negligant se emendare, maximè si in concubinatu permaneant, tenentur illos, è domo expellere; nisi probabiliter credant, è domo expulsos deteriores esse futuros; quoniam eo casu satis est si vt melius poterunt, eorum saluti cõsulant.

Et quamuis *Sot. in relect. de tegen. secr. m. 2. q. 3. conclus. 4 & Lopez par. 1. instr. consc. cap. 55.* uelint, non teneri Dominum ad expellendum è domo famulum concubinarium; nisi fortè propter scandalum; nihilominus *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 7 sub num. 11. in vers. Quartò si notabiliter:* id uerum putat; dummodo concubinam serui in domo sua non retineat; aliàs esset quodammodo fouere peccatum serui. Idem dicendum est de seruo hæretico: siquidem Dominus non potest illum in domo retinere; nisi cum intentione reducendi eum paulatim ad fidem, ut habetur ex *Sayro loco citato*, cum alijs, quos allegat. Sed quicquid sit de famulis Dominorum Sæcularium, & eorum seruis concubinarijs; famuli tamen S. R. E. Cardinalium, & Episcoporũ, ac aliorum Ecclesiæ beneficiatorum sunt omninò ejciendi, siuè in domo Domini concubinas habeant, siue extra domum: & id per *Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 1.* in illis uerbis: *Vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à Sancto hoc instituto sit alienũ, quodque non simplicitatem Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.* Est tamen uerum, quod uix, aut nunquam Dominus seruorum, & familiæ suæ uitia corripiet, nisi morum correctionem à se ipso incipiat, quoniam ait *Isidor. lib. 3. de sum bono cap. 32. Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus seruit: impium est enim arguere quidquam in alio, quod deprehendit in semetipso.*

6 Dico tertiò peccare Dominos, si seruos, & famulos eorum mox, quòd infirmantur, ad hospitale transferunt curandos, cùm possint in eorum domo commodè detinere, & curam eisdem procurare. Etenim nec Centurio, licèt Ethnicus erga puerum ita se habuit; sed in domo sua paraliticũ gubernandum curauit, & ad obtinendam eiusdẽ ualitudinem ad Christum Dominum se contulit, ut habetur *Matt. cap. 8.* Debent autem per paucos ad minus dies seruis, seu famulis ægrotantibus necessaria ministrare: ingrauescente deindè morbo citra culpam ad hospitale possunt transferre, aut ad alia loca pia, ubi similes personæ curari solent. Quòd si in aliquo loco non adsit hospitale, nec aliunde habeant, quo curentur, tũc ex præcepto eleemosynæ tenẽtur Domini ad eorum curationem in propria, uel in aliena domo, ut rectè post alios inquit *Molfes. par. 1. suæ sum. tract. 11 cap 18. num. 49.* Imò idem *Molfes. sub num. 48.* probat, quòd si famulus per paucos dies ægrotauerit, currit ei salarium, arg. *tex. & ibi, Doctor in l. diem functo, ff. de offic. assess.*

7 Dico quartò peccare Dominos grauantes seruos, & famulos laboribus plusquam par est, non permittentes, nec diebus quidem festiuis quiescere contra Domini præceptũ *Deut. cap 5.* ubi mandat in die Sabbati eos quiescere, & *Deuter. cap. 15.* in septimo anno à seruitio mandat Deus esse liberos, & exemptos. Oportet Dominos esse discretos, quoad seruitia seruis præscribenda, eorum uires, conditiones, & qualitates considerantes, ac mensurantes, atque ita commensurare laboribus, vt immoderatis laboribus eos non affligant: quod quidem facilè adhibebunt propriã conditionem considerantes. Etenim serui ex eadem massa cõflati sunt, ac Domini, eodem fruũtur Cœlo, æquè spirant, ac deficiunt, ab vno Deo sũt producti, & ad eiusdem imaginem facti. Ob id enim Deus homines, quos æqualis conditionis cõdidit, nõ hominibus, sed pecudibus prætulit *Gen. cap. 1.* dicens: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, &c.* Et in summa, ita Dominus cum inferiore viuat, quemadmodum vellet secum Superiorem viuere, vt ex Seneca inquit *D. Anton. 4 par. tit. 2. cap. 5. § 7* Non tamen ob id dicimus debere Dominos seruos delitiosè nutrire: quoniam legitur *Prouer. cap 29 Qui delicatè pascit seruum, in fine sentiet eum contumacem.*

8 Dico quintò peccare Dominos iustas seruorũ, seu famulorum quærelas audire recusantes. Debent enim illos benignè audire, prout Iob seruasse, asserit, dicens, *cap. 31. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & cum ancilla mea, cùm mecum disceptaret.*

9 Dico sextò peccare Dominos, seruos, seu famulos

mulos irrationabiliter exasperantes Decet enim Dominos, vt placidis verbis vtatur cum seruis: siquidem verborum asperitas reddit Dominos seruis onerosos, & prompto animo ad inseruiendum eis seruos difficiles. Est tamen verum, quòd sicut non decet Dominos inhumanos se habere erga seruos, ita quoque cum eisdem non decet tanta vti familiaritate, ne contemnantur. Nam vt ait *Arist. 5. Polit.* Princeps debet esse seuerus, idest reuerendus, vt rectè explicat *D. Ant. 4. par. tit. 2. cap. 5 de prudent. econom. §. 7.*

10 Dico septimò peccare Dominos, seruis alimenta denegantes: ad ea enim tenentur, vt in *l cùm plures, §. cùm tutor, ff. de admin. tut.* Imò si Dominus in seruos, vel seruas sæuiat alimenta illis denegans, aut ad impudicitiam, turpemque violationē compellat, aut infami iniuria afficiat, potest à iudice compelli ad eos vendendos, vt in *l. 2.* & ibi, *Glos. & Doctor. ff de his, qui sunt sui, vel alieni iur.* Adeò Domini tenentur seruis alimēta ministrare, vt si serui pro alimentis, & vestibus, iuxta consuetudinem loci sibi conferendis pecuniam mutuo accipiant, teneantur Domini eam mutuantibus reddere: siquidem pecunia illa conuersa dicitur in Dominorum vtilitatem, vt in *l. quòd si seruus, § proindè, ff de in rem, verf. Sicut filius si pro alimentis, & vestimentis, vt supra pecuniam mutuo sumpserit*; licèt aliàs ex mutuo non teneatur, nec ipse, nec pater eius; tamen pater pro alimentis acceptam mutuo pecuniam obligatur mutuanti reddere, tanquam in patris vtilitatem conuersam, *l. 3. §. Labeo, ff. eod.* Quæ de seruis propriè, ac formaliter, quoad alimenta præstanda, extendimus etiam ad famulos, quos supra diximus conductitios, & impropriè seruos nuncupari, cùm militet eadem ratio; nisi de mercede tantùm fuerit inter eos conuentum; non autem de alimentis; quoniam tunc standum est pacto.

11 Dico octauò peccare Dominos, si rogati seruos suos manumittere, dolosè latitent, ne manumittant: eiusmodi enim serui de iure liberi efficiuntur: & ipsi Domini, vt supra rogati, in pœnam eorum fraudis succedunt ad tutelæ libertorum onus; non tamen succedunt ad illorum hæreditatem, nec ius patroni acquirunt, vt in *l 1. §. interdum, ff. de legit. tutor.* E conuerso autem nō minus peccant Domini libertatem donantes seruis in fraudem creditorum, & libertatis donatio est nullius momenti, quoad creditorum dispendium, vt in *l si mortis, ff. qui & à quib. Glos in §. 1. verf. Nihil agit, in instit. quib. ex caus. manum. non lic. & l. 1. C. qui manum. nō poss.* Dixi, *quoad creditorum dispendium*, quoniam ipsis Dominis manumittentibus nocet manumissio, ita vt reuocare illam non possint, si uelint, vt in *l. si creditoribus, C. de ser. pign. dato manum.* Est tamen verum, quòd licitum est Domino quantumuis ære alieno grauato seruum suum liberum, & hæredem facere; modo nemo alius ex testamento sit futurus hęres, vt habetur in *d. § 1. & in §. 2.* quod quidem verum est, etiam si Dominus seruum hęredem sine libertate faciat; quoniam eo ipso, quod seruus est institutus hæres liber efficitur, vt in *§. idem iuris, in instit. eod. tit. quibus ex causis, &c.* Dicitur autem in fraudem creditorū facta manumissio; si manumissoris facultates tēpore quo manumittit æri alieno pares non sint, uel datis libertatibus impares sint futuræ, ut in *§. in fraudem, in instit. tit citato.*

12 Dico nonò peccare Dominos manumittentes seruos, propter eorum delictum in seruitutem redactos, ut sunt illi, qui prohibita ad Saracenos detulerunt, de quibus supra egimus: fiunt enim serui capientium, ut in *cap. ita quorundam de Iudæis*; & manumitti non possunt, sicut qui raptus crimen commiserunt, ut post alios docet *Syl. in sum. verf. Manumissio q. 7.*

13 Dico decimò peccare Dominos, si eorum famulis iustam mercedem non exoluant, cum obligatione restituendi una cum omnibus damnis, & interesse: quod uerum est, non solùm si eā expresfsè promiserint; sed etiam si non promiserint; quoniam adhuc ad iustam mercedem tribuendam tenentur; siquidem eo casu tacitè censetur facta conuentio de iusta mercede, ut post *Reginal. lib. 20 sua prax. num. 6 cum plur. seq.* & alios *Molsef par. 1 sua sum. tr. 11 cap. 18. num. 48.* Et non minus peccant Domini si benefici non sint in remunerando seruos, sed potius partiales: est enim non minus debita remuneratio, quàm merces. Debent enim Domini bonos seruos amore prosequi, & beneficijs cumulare, & malos iusto zelo coercere, ut habetur ex *D. Anton 4 p. tit 2. c 5. §. 7.* † Hic etiam adde peccare Dominos, ac uiros æquestres tenentes, circa materiam duelli sententiam damnatam ab Alexād. VII. P. M. quæ est subsequens. Vir æquestris ad duellum prouocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat, & uide *P. Quartum de cas. reser. sect. 1. cap. 1.*

Quo vero ad seruos erga Dominos è conuerso.

14 Dico undecimò peccare seruos si Dominis honorem debitum non deferant, & debitam obedientiam non præstent, non tantùm bonis; sed etiam discolis, iuxta illud *1. Petri, cap. 2. Serui subditi estote in timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis: sed etiā discolis.* Et *Matt. cap. 23. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite.* Et non solùm Christianis, uerum etiam Paganis, dicente *Apost. 1. ad Timoth. cap. 6. Quicunque serui sunt sub iugo infidelium, Dominos suos omni reuerentia dignos esse arbitrentur.* Imò qui Superiorum præcepta uiolat in re graui, uel etiam in re leui ex contemptu, peccat mortaliter, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Th. 2. 2. q. 105. ar. 1* Secus si in re leui transgrediatur Superioris præceptum ex concupiscentia; quoniam tunc non peccat pluquam uenialiter, ut rectè declarat *Nauar. in Man. cap. 14. sub num. 22.* ubi etiam addit, quòd si subditus præcepta Domini uiolat; eo quod putat in hac uita, neminem in alium potestatem habere, non solùm lethalem culpam contrahit contra *tex. in cap. ad hac, 89 d.* sed etiam in hæresim incidit, ut in *extrauag. vnam Sanctam, de maior. & obed. Glossa in cap. generali, in verf. Inhibemus, de elect. in 6.* Peccant igitur serui debitum honorem, & reuerentiam non deferentes eorum Dominis: quod quidem uerum est; dummodò, quæ præcipiuntur non sint contra legem Dei; cùm oporteat nos

magis Deo obedire, quàm hominibus.

15 Benè verum est, quòd vbi à Domino præcipitur seruo aliquid, quod ex se non est intrinsecè malum; sed dirigitur à Domino in finem malum, & contra legem Dei, tunc si seruus, vt suo muneri satisfaciat, Domino obediat, non peccat. Vndè Christiani ab Infidelibus in seruitutem redacti, & in piraticis triremibus remigio mancipati, dum præcipiuntur remigare; estò, quòd remigatio ipsa tendat in perniciem, & damnum Fidelium; nihilominus remigando excusantur à lethali culpa: siquidem remigatio secundùm se non est intrinsecè, & ex obiecto mala; quoniam si talis esset, nunquam licitum foret remigare, cùm intrinsecè, & ex obiecto mala nulla circũstantia fieri possint bona, qualis est vsura, vt *in cap. super eo, de vsur.* Si igitur remigatio ipsa nõ est intrinsecè, & ex sui natura mala; ergo erit bona, vel mala secundùm finem remigantium bonum, vel malum: at quamuis remigatio ipsa præcipiatur ab Infidelibus ad malum finem, nẽpè ad perniciem Christianorum; à captiuis tamẽ non fit propter illum finem, sed ad propriam mortem effugiendam, qui finis bonus est: vel vt suo muneri satisfaciant; qui quidem finis bonus etiam est. Hac eadem ratione meretricis seruo amasio venienti, quem nouit ideò venire, vt fornicationem cum domina habeat, ostiũ aperiens, lectum sternens, litteras si detulerit ad eum, nullam culpam contrahit, si peccatum illud ipsi nõ placeat; sed ostium aperiat, lectum sternat, litteras ad illum dederit, vt suo muneri satisfaciat, vt ex *Nauar. lib. 5. conf. p. 2. de pœnit. conf. 6. & Sanch. lib. 1 in Decal. cap 7.* latè rem hanc tractauimus in nostris *Commentar. in Bull. cœnæ lib. 2. cap. 3. q 13. concl. 1. per totam.*

16 Dico duodecimò peccare seruos si in munere sibi à Domino iniuncto, non quærant pro viribus iustam Domini vtilitatem, benè, ac fideliter illud adimplendo: & si pro viribus omne damnum imminens Domino in persona, honore, vel in bonis temporalibus non conentur auertere: & si futurum sit, & licitè fieri possit, Domino nõ indicent: quibus casibus mortaliter, vel venialiter peccabunt iuxta quantitatem culpæ, aut negligentiæ, vt post alios habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 18. num. 45.* Est tamen verũ, quòd famulus, seu seruus cõductitius, qui à Domino pecunias aureas, vel argenteas accipiens ad aliquid emendum, ad soluendum debitum, aut ad satisfaciendum operarijs pro eorum mercede, illas cum alijs commutat cambio ad minutum, si quid ex tali cambio quærat, sibi non Domino quærit; quoniam lucrum illud prouenit ex famuli industria, ac labore, atq; ideò Domino est indebitum: quod tamen quomodo verum sit, latius declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag B Pij V. de camb. in proœm. q. 14. num. 28* Idem est dicendum de seruis formalibus, ac propriè dictis, qui alio vocabulo appellãtur mancipia, quamuis huiusmodi serui quicquid acquirunt, acquirunt Dominis suis, vt infra latiùs dicemus *dicto 17. casu 4.*

17 Dico tertiodecimò peccare seruos non obedientes Domino non solùm in manifestè licitis; sed etiam in rebus, de quibus dubitant, an sint licita: quoniam in dubijs, an aliquid sit contra Dei præceptum; standum est præcepto Superioris: Siquidem quamuis sit contra legem Dei; nihilominus propter obedientiæ bonum, nõ peccat subditus, sed Superior, vt latè de hac re tractauimus sup. *disp. 16. sec. 1. per totam*, de peccatis subditorum agentes, vbi multipliciter eam limitauimus.

18 Dico quartodecimò peccare seruos si in seruitute permanentes aliquem ordinem suscipiãt: nam licèt seruitus non impediat alicuius ordinis susceptionem de facto; atque ideo si serui ordinẽtur, ordinem verè consequuntur, nihilominus de iure impedit cuiuslibet ordinis susceptionem, vt *in cap. 1. 54. d.* nisi à seruitute liberentur, vel Dominorum cõcurrat consensus, aut videat, & non contradicat: siquidem seruus suscipiens tunc ordines; etiam minores, statim efficitur liber, vt *in cap. si seruus sciente, ead. d.* Quòd si Domino ignorante, aut contradicente, ordinetur, tunc si ad minores ordines promoueatur, remanet seruus: si verò sacros ordines suscipiat ab Episcopo sciente, eum esse seruum, eo casu tenetur Episcopus satisfacere cum duplicis pretij solutione, vt liber fiat, vt *in d. cap. si seruus.* Si demum, Domino, & Episcopo ignorantibus, ipse seruus ad sacros ordines se fecerit promoueri vltra lethalem culpam, quam contrahit, tenetur se redimere, pretio soluto Domino, si peculiũ habeat: Si verò peculio careat, nec alius sit, qui eũ redimat, remanet in seruitute, ac in Domini potestate, vt illi seruiat in actibus, & obsequijs spiritualibus, ac honestis: non autem in seruitijs indecentibus Clericis in sacris constitutis. Vndè si talis seruus fiat Sacerdos, pro Domino Missam celebret: si Diaconus, vel Subdiaconus horas, & alias preces pro ipsius Domino recitet, vt *in cap frequens, 54. d.* & latè *Sayr.* post alios *tomo 1. Thes lib. 6. cap. 14 à num. 2. ad 6.* vbi plura circa rem hanc cumulat.

19 Dico quintodecimò peccare seruos à proprijs Dominis aufugientes, cùm seruus aufugiens sui ipsius furtum committat, *l. 1. C. de seru. fugit. Glosa in cap. ius gentium, verf. Seruitutes, d. 1.* Quæ tamen conclusio limitatur, vt vera sit de seruis emptitijs, qui seipsos venundari passi sunt ad pretium participandum, de quibus *in § serui autem nascuntur, in Instit de iure person.* secus autem de seruis captis in bello, siue christiani sint, siue non; quoniam isti citra omnẽ culpam aufugere possunt, & ad suos redire: siquidem horum captiuitas est quædam iuris pœna, quæ à victoribus infligitur, qui locum Iudicis tenent in bello iusto: & propterea quemadmodum reus potest aufugiendo dùm commodè potest, vitare pœnas; ita quoque, & multo magis id potest agere captiuus, vt habetur ex *Sot. lib. 4 de iust. & iure, q. 2. ar. 2. Reginal. lib. 2. sua prax sub num 118.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Molfes par. 2 sua sum. tr. 12. cap. 3. num. 191. & 192.* quod quidem verum est, nisi serui capti in bello fidem Domino præstiterint non aufugiendi; quoniam tenentur seruare fidem, ac iuramentum, ne Deo efficiantur infideles, arg. *tex in cap. debitores, de iureiur.*

20 Est tamen verum, quod serui capti in bello, qui fidem Domini præstiterunt non effugiendi, si de facto aufugerint licèt peccauerint violando fidem, & iuramentum; nihilominus non tenentur redire ad hostes: & Prælatus tenetur cum eius-

eiusmodi fugitiuis dispensare circa violationem iuramenti, *arg. tex. in cap. si verò, de iure iur. Reginald. loc. cit. Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 6 num. 11. & 12. & Molfes. d. cap. 3 num. 193* qui multo magis id verum esse inquit, si existentes captiui penès infideles ab illis cogerentur deserere, & abnegare fidem. Idem dicendum est de seruis natis ex ancillis nostris, quæ in bello similiter fuerunt captæ; siquidem licitè possunt aufugere, & ad suos redire, sicut eorum matres: & de iure etiam quoad ipsos habet locum fictio postliminij, vt toto retroacto tempore præsumantur fuisse in Patria, *l. apud hostes, l. Diuus, ff. de capt. & postlim. reuer. l. 1 C. eod. tit. & Molfes. d. tr. 12. cap. 2. num. 41.* Dixi: *Quæ fuerunt capta in bello:* quia sese venundari passæ fuerint ad pretium participandum; sicut matres citra culpam aufugere non possunt; ita puto seruos ab illis natos: nam dolus matris transfunditur in filios: & sicut mater voluntariè se libertate priuauit; ità etiam voluntariè priuauit filios: & cessat ratio eorum, qui capti sunt in bello. In omnem autem euentum, in quo licitum est seruis aufugere, & redire ad suos; si antequam perueniant ad patriã, & pristinam recipiant libertatem capiantur ab aliquo tertio, obligatur ille proprio Domino restituere: siquidem donec in suam pristinam recipiantur libertatem penès suos semper remanent prioris Domini, vt habetur ex *Molfes. d. cap. 3. num. 193. in fine*, & ex alijs.

21 Seruos autem effectos ex eo, quòd arma, & alia prohibita detulerũt ad Infideles, aut gale s, & piraticis Saracenorum nauibus regimen, & curam gubernationis exercuerint, iuxta *tex. in cap. ita quorundam, de Iudæis*: & seruos factos propter crimen raptus, vt *in cap. de raptoribus, 36 q. 1.* posse citra culpam aufugere, probabiliter arbitror: siquidem seruitus eiusmodi inducta est in pœnam prædicta crimina committẽtium; at reus licitè potest effugere pœnas si cõmodè valeat, vt supra ostendimus. Idem dicendum puto de muliere redacta in seruitutem, & eius filijs ex eo quòd scienter contraxit cum existente in sacris, vt *in cap. eos, 32 d. & cap. cum multæ, 15 q. fin.* cùm in pœnam quoque sui criminis seruitus illa fuerit statuta. De eo tandem, qui inuitus venditur ab aliquo, cùm re vera non sit de iure seruus, proculdubio si aufugiat, nullã culpam contrahit, vt habetur ex *D. Anton. 3. p. tit. 3. cap. 6. §. 7. in fine.*

22 Imò si ancilla in seruitutem redacta ex eo ꝙ venundari passa sit ad pretium participandum, si à Domino imperatur de turpitudine, ab eo absq; peccato potest aufugere: siquidem eo casu Dominus abutitur sua potestate, & potest officiũ Episcopi implorare, & manumittatur, & Episcopus potest ipsum Dominum ad illam manumittẽdam compellere, vt *in l. si lenones C. de Episc. aud.* & habetur ex *Syl. in sum. ver. Seruitus, q. 5. in fine, Tab eod. ver. num 2. §. 1.* & alij, qui indistinctè loquuntur de omnibus ancillis. Idem puto dicendum de seruo, qui à Domino ad turpia, vel ad alia crimina allicitur, aut cogatur, vt habetur ex *D. Anton 3 p. tit. 3. cap. 6. §. 7. circa fin.* Et eodem modo iudicandum est de seruo, cui Dominus alimenta deneget: vel si eos lãguidos exponat: aut si ancilla vendatur, ne prostituatur, & emptor nõ steterit pacto, & in omnibus alijs casibus, in quibus seruis libertas de iure debetur, quos enumerant *Syl. & Tab. locis citatis.* Nam si possunt agere pro libertate allequenda, possunt etiam à Dominis iniustè maximè eam denegantibus, aufugere.

23 Dico sextodecimò peccare seruos, aliquid donantes, vel etiam eleemosynam facientes sine consensu Dominorũ suorum. Etenim serui priuantur libertate quoad actus externos, vt quicquid acquirant, Dominis acquirant, *§. item nobis in instit per quas personas nobis acquir.* atq; ideò nec vestimentorum suorum sunt Domini, *l. id vestimentum, ff. de pecul.* imò nec illorum possessionem dicuntur habere, cùm non possit aliquid possidere, qui ab alio possidetur, *cap. cũ olim, 2. de priuil.* Hac eadem ratione non habẽt serui testandi facultatem, nec contrahendi, nec alios exteriores actus exercendi, quoniam eorũ respectu carent libertate. Solùm autem sunt liberi quoad libertatẽ arbitrij, & domini actionum suarum internarum quoad meritum, & demeritum.

24 Dico decimoseptimò peccare seruos aliquid sibi retinentes de bonis per eos acquisitis. Etenim seruus sicut secundum se totum quicquid est, Domini est quoad actiones exteriores; multò magis quicquid habet, & acquirit, Domino acquirit, vt sup. præcedenti diximus: siquidem accessorium sequitur naturam sui principalis, *cap accessorium de regul. iur. in 6.* Et quamuis *Sot lib. 4 de iust & iure q 2. ar. 2.* post *3. concl.* id verum esse velit quoad illos seruos, qui se venundari passi sunt ad pretium participandum: quia dum spontè vendi patiuntur, voluntariè se priuant omni dominio, & facultate acquirendi; nihilominus secundùm communem opinionem id etiam vniuersaliter est verum quoad omnes seruos, etiam captos in bello, & natos ex ancillis nostris, cùm iura superius allegata de illis etiam loquantur, vt benè aduertit *Molfes. p 2 sua sum. tract. 12. cap. 2 num. 33.* Est tamen verum, quòd in multis casibus serui possunt aliquid sibi retinere, & alij quoq; donare de bonis acquisitis.

25 Primus casus est vbi constat de expressa, vel tacita Domini voluntate, qui seruo peculium concedat, vel alia bona largiatur, aut ab alijs donata permittat esse serui, maximè, vt se redimat, vt *in l. vix certis, ff. de iudic.* Etenim cùm de iure concedatur seruis facultas, vt suis nummis se redimant, consequẽter implicitè concessum eis censetur aliquarum rerum, seu pecuniarum habere dominium, vt colligitur ex *tex in §. fin. in Instit de donat.* & post alios tenet *Molfes. loco citato, num 34.*

26 Secundus casus est, vbi seruo legantur alimẽta: nam seruus licèt sit ciuilis possessionis omninò incapax naturalis possessionis, & naturalis dominij earum rerum, quæ deseruiunt pro conseruatione indiuidui, vt habetur ex *D. Thomæ 2. 2. q. 66. ar. 1. & 2. & Molfes. p. 2. sua summ. tr. 12. cap. 1. num. 109.* Vndè cum serui sint alimẽtorum capaces, iustè legantur eisdem alimenta, *l. quædam, §. illo, C. de necess. ser. hæredis instit.*

Tertius casus est, vbi aliquid seruo donatur, vel testamento relinquatur ad se redimendum: nam tunc illius rei dominium, nõ Domino, sed seruo acquiritur, vt habetur ex *Less. lib. 2 de iust. & iure, cap. 4 sub num. 16. vers Secundò si aliquid*

quid seruo donatur, Sayr. lib. 4. Clauis Reg. cap. 6. num. 39 §. Tertiò etiam lucratur, & Molfes. d. cap. 2. num. 35.

Quartus casus est, quando seruus ex sua industria citra Domini incommodum, & seruitij dispendium aliquid acquireret, siue id acquirat ex beneficij remuneratione alteri exhibiti, siuè ex parcitate viuendi aliquid sibi referuet ex cibarijs à Domino sibi deputatis, & taxatis absque Domini detrimento, quoniam harum rerum dominium acquiritur seruo; non autem Domino, vt per *Less. & Sayr. locis citatis, Rebell. lib. 1. de obligat. iust. q. 11. sec. 2. num* 8. Idem dicendum est de bonis vlterius acquisitis ex rebus, quarum dominium habent serui: nam adhuc eorum cõparant dominium, cùm lucrum eandem naturã sortiatur, ac sors principalis. Ita *Less. Rebell. & Sayr. locis citatis*: & de consuetudine seruari testatur *Molfes. d. cap. 2. num.* 38 vbi etiam *num.* 41. addit, quòd si serui capti in bello, vel nati ex ancillis nostris, si aufugiant, & ad hostes redeãt, quæ acquirunt, sibi acquirunt; quoniam de iure etiam apud ipsos locum habet fictio postliminij, *l. apud hostes, & l. Diuus, ff. de capt. & postlim. reuer.* Verum tamen est, quòd si serui, vt supra fugitiui non peruenerint ad hostes: vel si peruenerint animum non habeant ibi permanendi, tunc quicquid acquirunt, Domino acquirunt, vt rectè declarat *Molfes. loc. cit.*

26 Dico decimo octauò peccare seruos, uota peregrinationis, aut ieiuniorum, Religionis, & alia personalia, aut realia executioni demandantes contra voluntatem, & in præiudicium suorũ Dominorum: siquidem serui non possunt emittere vota personalia, quæ ipsos impediant à Dominorum seruitio: nec etiam realia; quia quicquid acquirit seruus, acquirit Domino, vt latè habetur ex *Sayro lib. 6 Clauis Reg. cap. 5. num. 7. Sanch. lib. 4. in Decal. cap* 25. & alij. Non tamen serui peccant adimplentes vota, circa ea, in quibus Dominis non sunt subiecti, etiam contra Dominorum voluntatem. Imò si castitatem vouerint, inuito Domino, aut aliquas orationes, & preces, quibus non impediantur à seruitio Dominorum, eiusmodi vota si non adimpleãt, proculdubio peccant, vt in *cap. relatum, de sentent. excom. l. si quis rem. ff. de pollicit. D. Thom. 2. 2. q. 88. nũ. 8. Sayr. & Sanch. locis citatis, & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 13. sub num.* 25 Idẽ puto dicendum de votis realibus, si serui peculium habeant, & res, quarum naturale dominiũ retinent: nam de eiusmodi rebus; cùm sint earum Domini possunt, ac debent vota realia reddere.

27 Dico decimonono peccare seruos si Religionem ingrediantur, aut ad bellum proficiscantur, etiam contra infideles citra Dominorum consẽsum: siquidem serui quemadmodum non possunt uouere ea, in quibus Dominis subditi sunt; ita etiam non possunt aliquid agere circa eadem cõtra Dominorum voluntatem. Vndè Religionis ingressus, & professio nullam uim haberent in eorum Dominorum præiudicium, ur habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 6. §. 7.*

28 Dico vigesimò peccare seruos in actibus legitimis dolosè se ingerentes, præsertim si liberos se asserant; atque ideò accusent, testificentur, iudicent, & alia eiusmodi faciunt: siquidem actuum legitimorum sunt incapaces serui, vt habetur ex *D. Anton. loc. cit.*

29 Dico uigesimoprimò peccare seruum scienter matrimonium contrahentem, cum libera ipsius serui conditionem ignorante: & è conuerso, & matrimonium est nullius momenti, vt in *cap. ad nostram, de coniug. seruor.* Est tamen verũ, quod circa nullitatem matrimonij id limitatur multis modis. Primò, vbi conditio contrahentis non fieret deterior, vt cùm seruus matrimonium contrahat cum serua putans esse liberam: vel seruus contrahat cum libera putans esse seruam, atque ideò melior redderetur eius conditio, vt per *D. Thom. in 4 d. 36. & Tolet. lib. 7. sua summ. cap.* 3. Secundò, limitatur, vbi errans ita contrahat, vt paratus sit matrimonium contrahere, etiam cognita tali conditione seruitutis, vt per *Nauarr. in Man. cap. 2. num.* 35. Idem dicendum est, vbi cognita deteriori conditione post contractum matrimonium iterum copulam habeat is qui errauit cum eadem serua affectu maritali, aut de nouo expressè vtriusque accedat consensus; quoniam tunc matrimonium dicitur ratificari, & de nouo contrahi. Etenim potest esse matrimonium inter seruos, & liberos, & seruos, & seruas, vt in *cap. 1. de coniug. seruor. & cap. si quis liber, 29. q. 2.* Et id non solùm consentientibus, sed etiam cõtradicentibus, & ignorantibus eorum Dominis: nam sicut seruus non subditur Domino, quin possit liberè comedere, dormire, & alia huiusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis secũdum naturam necessaria sunt, quoad ea, quæ pertinent ad interiorem dispositionem, nempè ad orandum, Sacramenta suscipienda, &c. ita etiam non subditur quin possit matrimonium contrahere domino ignorante, vel etiam contradicente, tanto magis, quòd non propterea eximuntur à seruitijs ipsi Domino debitis, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 6 §. 7.* Est tamen verum, quòd si serui matrimonium contrahant, accedente Domini voluntate, non possunt vendi in locis, vbi impediatur vita coniugalis: secus autẽ si Domino contradicente, vel ignorante: quia tũc possent vendi etiam extra dicta loca: quamuis id non debeat Dominus absque vrgenti necessitate: aliàs lethalem culpam contraheret, vt per *Tolet. loc. cit.* vbi etiam addit, quòd Dominus nõ potest horum totum impedire dum præsentes sunt.

De Patrono, & Liberto, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

S E C. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Patronus dupliciter sumitur, vel Canonicè, vel ciuiliter.*

2 *Peccant patroni recusantes libertorum suorum tutelam.*

3 *Peccant patroni denegantes alimenta libertis, non habentibus vnde se alant.*

4 *Peccant patroni, qui ad tutelam libertorum succedentes, bonam educationem ipsorum fideliter non curant.*

5 *Peccant patroni, qui seruos in fraudem creditorum manumissos velint in seruitutem reuocare.*

6 Pec-

6 *Peccant patroni, quorum serui de iure facti sūt liberi, si ipsorum tutelam non suscipiant.*
7 *Peccant liberti, debitum obsequium non praestantes patronis, eorundemque vxoribus haeredibus & priuignis.*
8 *Ista vera sunt in patronis qui voluntarie seruis suis gratuitam praestiterunt libertatem, secus si ex causa fideicommissi, atque ideò ex necessitate.*
9 *Peccant liberti, in fraudem patronorum aliquid alienantes.*
10 *Libertus Ecclesiae in multis differt à liberto priuatorum.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd Patronus dupliciter sumitur. Primò Canonice, & secundum iura Canonica, & est ille, qui potestatem habet in Ecclesia praesentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum, pro eo, quod de consensu Episcopi eam fundauit, cōstruxit, vel dotauit ipse, vel is, à quo causam habuit, vt habetur ex *Panor. & alijs in rubr de iure patr* & de hoc non loquimur, sed in seq. sec. Deo duce agemus. Secundò Patronus sumitur ciuiliter, seu secundum iura ciuilia, & dicitur ille, qui seruum manumisit, & dicit ordinem ad libertū, qui ex seruo factus est liber per manumissionē. Vndè manumissor appellatur Patronus: & seruus manumissus dicitur libertus, qui in hoc differt ab ingenuo, quòd prior per manumissionem efficitur liber; posterior verò nascitur liber. His breuiter adnotatis, dicimus, quòd peccant Patroni.

2 Primò, recusantes libertorum suorum tutelā: nam sicut succedunt libertorum haereditati; ita debent succedere ad tutelae onus, vt in § 1 *in instit de legit. patr. tutela, l. 1. ff de legit. tutor* Hoc dictum ampliatur primò, vt Patronus succedat in tutelam liberti, siuè spontè, siuè compulsus ex causa fideicommissi manumisit, vt in *l tutela, in fin ff de legit. tutor.* Secundò ampliatur, vt in liberti tutelam succedat non solum Patronus; sed etiam patroni filius, mortuo patre: Et si aliquando liberti haereditatem non obtineat, vt in *d. l fin.* Limitatur tamen hoc ipsum dictum, vt non procedat, vbi foemina sit, quae manumisit seruum: nam quamuis foeminae patronae dicantur; non tamen tenentur libertorum tutelam suscipere; sicut nec patroni vxor, filia, neptis, &c. vt in *d. § 1. de legit. patr. tut. & d. l. 1. ff. de legit. tutor.* Secundò limitatur, vt quamuis filij patroni succedant ad tutelam libertorum; nihilominus si patronus apud hostes sit, patroni filio tutela non defertur; sed interim à Praetore datur, vt in *d. l. 1. § si apud hostes.*

3 Secundò peccant patroni, si libertis non habentibus vndè se alant alimenta denegent, & ob id perdunt iura patronorum, vt liberti efficiuntur ingenui, vt in *l. Diuus Claudius, ff. de iur. patr.*

4 Tertiò peccant patroni, qui ad libertorum tutelam succedentes, eorum bonam educationem fideliter non curant: & tutelam ipsam fideliter, & vtiliter non administrent, iuxta ea, quae supra diximus de tutore, & curatore tractantes.

5 Quartò peccant Patroni, qui videntes seruos manumisisse in fraudem creditorum, velint manumissos in seruitutem reuocare. Etenim quamuis peccauerint, in fraudem creditorum eos manumittendo, & libertatis datio sit inutilis respectu creditorum; nihilominus manumissio respectu manumittentium valida est; & propterea, si creditores manumissionem ratam habeant, manumissores non possunt eam reuocare, vt in *§. 1.* & ibi. *Glos. in vers. Nihil agit, in instit. quib. ex caus. man non lic.*

6 Quintò peccant Patroni, quorum serui de iure facti sunt liberi: si huiusmodi libertorum non suscipiant: siquidem etsi propter patronorum crimen, libertorum haereditas ad ipsos patronos non deferatur; succedunt tamen ad legitimae tutelae onus, vt in *l. 1. §. interdum, ff de legit tutor.*

Quo verò ad libertos è conuerso.

7 SExtò peccant Liberti, si debitum obsequium patronis, eorūdemque vxoribus, liberis, heredibus, etiam extraneis, & priuignis non deferant, vt colligitur ex toto *tit. de obseq. patr. praest. & l 2 l. parens, cum plur seq. ff.* Consistit autem obsequium in hoc, vt non possint liberti vocare patronos in iudicio sine venia: vt teneantur illis assurgere coram eis trāseuntibus: vt teneātur alimenta eisdem praestare, si indigeant, ad operas autem, si tempore manumissionis eas non promittant, non tenentur, *l. operis. & toto tit ff de oper. liber.* Adde, quòd non solùm ob obsequium patronis non praestitum Liberti, tanquam ingrati possunt in seruitutem reuocari, sed etiam ex omnibus causis, ex quibus reuocatur donatio: nempè si Liberti manus in patronos iniecerint, si atrocem iniuriam, seu graue damnum in patronorum personis, vel rebus intulerint, &c. ut per *Glos in cap fin de donat D Anton. 3 par. tit. 3 cap. 6 §. 4. in fine, Syl. in sum. vers. Manumissio q 2. Tab in sum. vers Libertus §. 1. nu. 2. & Moisef.* post alios *par 1. sua summ. tr. 11. cap. 18 num 89.* Imò etiam pro leui iniuria in faciēdo commissa contra patronum libertus in seruitutem reuocatur, ut in *l si manumissus, C. de liber. & eor. liber.* Ingratus autem dicitur libertus non solùm ubi obsequium patrono non praestat; sed etiam si res eius, filiorumue tutelam administrare detractat, ut in *l. ingratus, ff. de iure patr* Et non solùm Liberti, propter eorum ingratitudinem efficiuntur serui; sed etiam libertorum filij ingenui, ut in *l. fin. C. tit cit.* Et id tam pro ingratitudine commissa in patronos, quàm in eorum liberos, & haeredes, etiam extraneos, vt in *l. liberti, C de liber. & eor. liber.* Et denique per ingratitudinem reuocati in seruitutem non possunt ulterius ad libertatem perduci sine licentia Principis, ut in *d l. si manumissus.*

8 Haec autem limitantur vera esse in illis patronis, qui voluntariè seruis suis gratuitam libertatem praestiterunt: secus autem in illis patronis, qui ex causa fideicommissi, atque ideò ex necessitate libertatem contulerunt eorum seruis: nam hi ex capite ingratitudinis non habent ius reuocandi eos in seruitutem, vt in *l. 1. C eod tit* Idem puto dicendum esse de eo, qui de iure efficitur liber, ex eo, quòd necem Domini sui detexerit: siquidem talis nullius efficitur libertus; sed statim erit ingenuus, vt in *l. si necem Domini, ff. de bon. libert.*

ſtratio, ſi maioris partis bonorum cum pupillo tutor litem habeat tria tutelæ onera non affectata, paupertas, infirmitas, & litterarum imperitia, capitalis inimicitia inter tutorem, & patrem pupilli: ſi tutor à patre pupilli paſſus ſit controuerſiam ſtatus, ſeptuagenaria ætas, militia: ac ſi tutor grammaticam, rethoricam, uel medicinam doceat: item qui pupilli tutelam geſſit, eius curam ſubire non cogitur; ſicut maritus etiam ſi ſe immiſcuerit in cura vxoris ſuæ excuſationem habet, vt patet ex toto *tit. in inſtit. & in ff. de excuſat. tutor. & curat.* A tutelæ, ſeu curæ onere excuſantur mulieres: ſiquidem tutelam adminiſtrare virile munus eſt, & vltra ſexum fœmineę infirmitatis tale officium eſſe, ait *tex. in l. 1. C. quando mulier. tut. offic. fun. pot.* Vndè nec volentes quidem admittuntur, niſi mater ſit, vel auia paterna: ſiquidem matri, & auiæ paternæ ante omnes agnatos, & cognatos ius tutelæ permittitur ſi recipere velint, non extantibus teſtamentarijs tutoribus; & dummodò renuncient velleiano, & ſecundis nuptijs, vt in *auth. matri, & auia C. eod. tit.* ita ſe habeute: *Matri, & auiæ ſecundũ ordinem tutelam, etiam ante agnatos ſubire permittimus, ſi inter geſta nuptijs alijs, & Senatus Conſulti Velleiani auxilio renunciauerit, ſolis teſtamentarijs tutoribus eas præcedentibus, legitimis, & datiuis poſtpoſitis. Defuncti namque voluntatem præferri volumus, præter has autem alijs mulieribus interdicimus officium tutelæ ſubire.* Vndè ſi mater, aut auia ad ſecundas nuptias tranſeant, aut luxurioſam vitam ducant, nec volentes quidem admittuntur ad tutelæ munus, vt pe. *Gloſ. in d. auth. matri, & auia, Panor. in cap. ex parte, 2. de appell. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 67.* & alios, quos refert, & ſequitur *Layman loco citato ſub num. 3. § Porrò*, qui ob eaſdem cauſas matri negari poteſt educatio pupilli, quæ alioquin ante alios debetur, *l. 1. C. vbi pupil. educ. deb.*

5 Excuſantur quoque à tutelæ, ſeu curæ onere Clerici: non enim ad ſuſcipiendam tutelam Clerici cogi poſſunt, præterquam perſonarum miſerabilium, ſi aliæ perſonæ idoneæ non reperiantur, ut in *cap. fin. 86. d. & cap. 1. d. 88.* Eſt tamen uerum, quòd ſi Clerici uelint legitimam, tanquã proximi cognati, tutelam ſuſcipere, non prohibentur, ut colligitur ex *d. cap. fin. 86. d.* & latè *Syl. verſ. Tutela, q. 3.* qui id extendit etiam ad Religioſos licentia eorum Prælatorum, & ad Epiſcopum non per ſe ipſum; ſed per Archipræsbyterum, aut Archidiaconum, ut in *cap. Monachi 16. q. 1. cap. 1. cap. Epiſcopus tutiorem, & c. Epiſcopus nullam, 88. d.* Quæ quidem ſententia uidetur probabilis per *tex. in d. cap. 1.* ſiquidem appellatione Clericorum ueniunt, etiam Monachi. Sed probabilior nobis uidetur oppoſita ſententia, quoad Religioſos, quam tenet *Laym. d. c. 9. num. 4.* cùm tutelæ munus à profeſſione Religioſa nimis alienum ſit: ſiquidem tutor, ſeu curator ex mala adminiſtratione obligatur pupillo, aut minori: & antequam adminiſtrationem ſuſcipiat, regulariter legitimus; ſicut, & datus ſatisdare cogitur, ut mox dicemus: & in iuribus ſupracitatis nulla fit Religioſorum mentio: qui quamuis ſub nomine Clericorum ueniant; nihilominus id niſi largè uerum eſſe uidetur.

6 Dico ſecundò peccare tutores, & curatores dati, ſicut, & legitimi ſi cùm poſſint, non caueãt de benè adminiſtrando, ut in *§. 1. in inſtit. de ſatiſd. tutor. vel curat. l. non quaſi, ff. rem pupil. ſal. for. & l. 1. ff qui ſatiſd. cognat.* Dixi: *Tutores, & curatores dati.* Nam ſi tutores teſtamento dentur, uel à iudice ex inquiſitione, ſatisdare non compelluntur; quia fides tutorum, qui teſtaměto dati ſunt, & eorum diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt, & à iudice ex inquiſitione idonei cenſentur electi, ut in *d. §. 1. in inſtit. de ſatiſdat. tutor. & curat.* quod quidem ſecus eſt de curatore furioſi, qui ſatiſdat, ſi non habeat idoneam ſubſtantiam, licèt ſit cum inquiſitione datus, ut in *l. fin. §. & ſi quidem, & § ſi verò non talis, C. de curat. furioſi.*

7 Dico tertiò peccare tutores, & curatores non facientes inuentarium de bonis omnibus pupillorum, ac minorum, & ad ea quorum intereſt, tenentur; niſi ex iuſta cauſa fuerint impediti, ut in *l. tutor, qui repertorium*, & ibi, *Bart. ff. de admin. & peric. tut. & cur.* Cauſa autem legitima, & neceſſaria ex parte tutorum, & curatorum nõ conficientium inuentarium, eſt eorum infirmitas: vel ex parte rei; quia non inuenitur facta diligenti inquiſitione. Vndè ceſſante impedimento, obligantur ſtatim inuentarium, vt ſupra facere per perſonas publicas ad id ſpecialiter adhibitas, ut in *l. tutores*, & ibi, *Gloſa, C. de admin. tut.* & rectè declarat *Molfeſ.* poſt alios *par. 2. ſuæ ſumm. tr. 13. cap. 10. num. 29. & 30.* Eſt tamen verum, quòd in pluribus caſibus tutor non tenetur ad confectionem inuentarij: nempè ſi inuentarij confectio à teſtatore remittatur, *l. fin. C. de arbitr. tut.* quod verum eſt, niſi aliter Iudici videatur, vt in *l. vtilem, C. de confirm. tut.* Secundò ſi conſuetudo eſſet, vt non fieret inuentarium, vt habetur per *Bart. in d. l. tutor, qui repertorium.* Et tertiò, ſi iudex ex cauſa remitteret, vt benè poſt alios docet *Syl. in verſ. Tutela, q. 6.* & antè ipſum *Bart. in d. l. tutor.*

8 Dico quartò peccare tutores, & curatores ſalarium propria auctoritate percipientes pro eorum adminiſtratione: id enim de iure eis interdicitur; niſi ipſis à Iudice conſtitutum ſit, vt in *l. à tutoribus, § vlt. ff. de admin. tut. & Gloſa in l. in eos, ff. de tutel.* Imò ſi pupilli adeò pauperes ſint, vt bona vix ſatis ſint ad eorum ſuſtentationem, non debet iudex eiuſmodi ſalarium conſtituere, cum hoc caſu lex charitatis reſiſtat, vt habetur ex *Layman d. cap. 9. ſub num. 2. § tutor, ſicuti, & curator.*

9 Dico quintò peccare tutores, & curatores ſi negligentes ſint in præſeruando pupillos, & minores à criminibus intactos: id enim ad eorum officium pertinere, docet *Syl. verſ. Tutela, q. 4.* ſiquidem ſufficiuntur in locum parentum, atque ideò ſicut peccant parentes, qui negligenter ſe habent in proprijs filijs rectè educandis, & multo magis ſi non præbeant eis exemplum boni operis, vt infra dicemus *ſec. ſeq. dicto 1.* & ſupra oſtendimus *ſec. 1. dicto 1.* ita quoque peccant tutores, & curatores in hac re negligentes. Eſt puerorum animus, tanquam tabula raſa; atque ideò ſicut de facili reducuntur ad bonum, & præſeruantur in bono; ita etiam parentum, tutorum, aut curatorum incuria de facili corruunt in malũ. Hinc *Prouerb. cap. 22.* legitur: *Adoleſcens enim iuxta viam ſuam ambulans; etiam cùm ſenuerit,*

rit,non recidit ab ea. Et *Horat.*

Quo semel est imbuta, recens seruabit odorem, testa diu.

Vt hæc,& alia cumulauimus *d.sec.1.d.1.* de parentum culpis agentes. Quibus adde, quæ post alios habentur ex *Molfes. in sua summ. tr.13. c.10.num 21.*

10 Dico sextò peccare tutores, & curatores, si pupillorum, ac minorum bona mobilia, quæ seruata vtilia illis non essent,non vendant, & in prædiorum, vel censuum emptionem conuertant, aut in iustam aliquam negotiationem, ex quibus emolumentum aliquod assequi possint, vt habetur per *Bart.in d.l.tutor, qui repertoriũ, §.1 ff.de admin.& peric.tut.& cur.* Imò si mobilia huiusmodi non vendant, & eorum pretiũ, & omnem aliam pupillorum, ac minorum pecuniam non conuertant in emptionem,vt supra, tenentur eis ad fructus,quos percipere poterant, deductis expensis,ac periculis,vt per *Bald.C.de condit. ind. Ioann. de Anania in cap. quia in omnibus,de vsur.Surd. decis.179. nu.* 10. & alij apud *Molfes. par. 2. sua summ. tr.13. num. 31.* Quod tamen intelligendum est, vbi tutores, & curatores potuerint emere,& iustè negotiari:quapropter præfati Doctores consulunt,vt id fiat ex propinquorum pupilli, ac minoris consilio, & interuentu:siquidem eiusmodi consilium, & interuentus omnem doli,& culpę præsumptionẽ à tutoribus,& curatoribus tollit,arg.*tex.in l.etiã, C.si tutor.vel cur.inter.* latè *Syl.loc.cit.& Tab. in sum.vers.Tutela,§.3.*

11 Dico septimò peccare tutores, & curatores, negligentes in administrandis pupillorum, ac minorum rebus, ac in eorum litibus prosequendis, ac defendendis, ita vt non solùm teneantur eis omnia damna reficere ex eorum mala administratione prouenta; verum etiam de suo efficiuntur obnoxij, si pupillis, ac minoribus, potuerint aliquid acquirere,& neglexerint, *l quicquid, C. arbitr.tut.l.non ignotum, C.de admin.* dummodò id neglexerint ex dolo, vel lata culpa; quoniam tenentur de dolo, & lata culpa, vt per *Glos.in §.1.vers. Vis,atque potestas in instit. de tutel.*ad id allegat *tex.in l.4 C.arbitr.tut.*Sed melius dicamus, vt tutores, & curatores teneantur, etiam de leui culpa; sicut Prælatus in administratione rei Ecclesiæ, vt per *Glos. in cap. ea, qua, vers. Negligentia, de offic. Archid.* & est *tex.in terminis in l quicquid,C.arbitr.tut.* ita se habente:*Quicquid tutoris dolo,vel lata culpa, aut leui,seu curatores minoris amiserint, vel cũ possent non acquisierint, hoc in tutela, seu negotiorum gestorum vtile iudicium venire, non est incerti iuris.*Est tamen verum, quod in exigendis nominibus debitorum pupilli,in vtroque foro solùm tenetur de dolo,& lata culpa,vt in *l.2. C.arbitr.tut.& Molfes.par.2. sua sum.tr.13. c.10.sub num 29.*

12 Dico octauò peccare,& in periurium incidere tutores, & curatores, si scienter in omnibus vtilia non agunt, & inutilia non prætermittunt in administratione rerum,ac negotiorum pupillorum, seu minorum: Etenim hi omnes iurant vtilia agere,& inutilia prætermittere,vt in *auth. qui ob.se,&c.§ fin.collat.6.*& habetur per *Glos. in §.1. in inst de satisd tut. & cur. vers. Idonei.* Imò si dolus, lata culpa, vel etiam leuis interueniat,tenentur ad reficienda omnia damna, & interesse, iuxta ea, quæ supra diximus, ex *tex.in l. quicquid,C.arbitr.tut.* Nõ tamen tutores,& curatores tenentur de culpa leuissima, vt per *Doctor.in d.l.quicquid.*

13 Dico nonò peccare tutores, & curatores emẽtes bona pupillorum, & minorum: id enim ratione officij eis interdicitur,*l.non licèt, & l.si in emptione, § tutor,ff.de contrah empt.* siquidem lex pręsumit fraudem inesse in eiusmodi contractibus: & quando fraus abesset, auctoritatis defectus adesset. In foro tamen conscientiæ, in quo attenditur ueritas, si emptio,ac venditio fiat iusto pretio, & careat omni fraude & utilitas,seu necessitas pupilli id exegerit,non prohibetur tutor, vel curator bona illa emere, prout regulariter faciunt per interpositas personas: & interponitur decretum Iudicis ad maiorem cautelam, vt habetur ex *Reginaldo lib. 25. sua prax num. 26 & Molfes.in sua sum.Theol.tr.12.cap 5.nu. 121.*latè *Layman lib.3 sua sum.tr.4. cap 9.n 8.*

14 Dico decimò peccare tutores consentientes pupillis, eisdemque facultatem tribuentes ad emittenda certa vota,si post emissa citra rationabilem causam irritauerint. Etenim quamuis tutores facultatem habeant irritandi pupillorum vota; sicut parentes suorum filiorum impuberũ vota irritare possunt ad eorum libitum, & absq; aliqua causa; etiam si simplex votum emiserint Religionis; quoniam hoc casu iure suo vtuntur, vt in *cap puella,& cap.illud,20.q.2. cap.noluit, & cap manifestum,33.q.5.& Nauarr.in Man. cap.12.num.68.& 73* nihilominus si in ipsis votis tutores ipsi semel consensum præbuerint, non possunt citra rationabilem causam irritare Et licèt pupilli non peccent, si vota non impleant, quæ fuerunt ita perperam irritata, peccant tamẽ lethaliter tutores eiusmodi vota absque causa, & irrationabiliter irritantes, vt habetur ex *Caiet. 2.2.q.88.ar.8.& Nauar.loco citato, num.73.*

15 Dico vndecimò peccare tutores offerentes pupillos Religioni citra consensum contutorũ: siquidem tutores quamuis possint offerre pupillos Religioni sicut parentes filios impuberes, vt in ea viuant sub Regulari disciplina,siue masculi sint,siuè fœminæ, ita vt non possint resilire donec pubertatem compleant,vt in *cap.1.20 q.2.& Sanch.lib.4 sua sum.cap 18.num.4.& seq.* nihilominus si plures sint tutores debent omnes concurrere ad oblationem; aliàs etiam vno contradicente,peccant offerentes; sicut peccat pater offerens filium contradicente matre,& è conuerso, vt habetur ex *Inn. cap. 2 de Regular.* & ex alij apud *Sanch.d.cap.18.num 16.* in re enim communi satis est contradictio prohibentis, *l. Sabinus.ff.communi diuid.cap.in re communi de regul.iur.in 6.*& hanc sententiam receptiorem esse contra *Syl.* & alios, testatur *Molfes par. 1.sua summ.tr.11 cap.13 num. 15 & seq.* vbi etiam *num.18.*addit,quod si tutores,aut parentes semel consenserint pupillis, aut filijs, ut Religionem ingrediantur,non possunt amplius resilire,& reuocare consensum pupillis, filijs inuitis: quoniã res non est amplius integra: & satis esset consensus tacitus per scientiam cum taciturnitate.

16 Dico duodecimo peccare Curatores prohibentes minoribus Religionem professuris bonorum suorum alienationem: licèt enim minor

de

de iure nequeat contrahere, se obligans, citra Curatoris auctoritatem, vt *in §. admonendi, in Instit. quibus alien. lic. & l. 3. C. de in integr. restit.* nihilominus Religionem professurus absq; Tutoris auctoritate alienare, seu cuicumq; velit donare potest citra beneficium restitutionis in integrum: siquidem minor per professionem censetur mori, ac pro mortuo habetur, vt per *Abbat. in cap. in præsentia, de probat.* atq; ideò in donatione, aut renunciatione bonorum intuitu Religionis ingrediendæ, aut profitendæ, nulla iuris solemnitas exigitur, vt *in § illud quoque, in auth. de monach. & cap. de his, in fine, de sepultur.* latè *Laym lib. 3. suæ sum theol. tr. 4 cap. 9. sub num. 6 vers. Tertiò minor.* Est tamen verum, quòd Nouitij hodie non possunt professionem emittere in quacumq; Religione, tam virorum, quàm mulierum ante decimum sextū annum completum: nec suorum bonorum renunciationes, aut obligationes antea factæ valent, nisi cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij intra duos menses proximos ante professionem, non obstante quocumq; iuramento fuerint vallatæ, vt *in Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 15. & 16.*

Quoad Pupillos, & minores.

17 Dico tertiodecimò è conuersò peccare pupillos, & minores si eorum Tutoribus, ac Curatoribus non sint reuerentes, ac obsequētes: sufficiuntur enim Tutores, & Curatores in locum parentum Vndè sicut filij peccant honorem debitum parentibus non deferentes, vt latè ostendimus sup. *sec. 1. vers. Liberorum verò*, ita etiam pupilli, & minores.

18 Dico quartodecimò peccare minores, & pupillos rationis compotes si promissa non adimpleant. Etenim quamuis minores, & pupilli ciuiliter non obligentur citra auctoritatem, & cōsensum eorum Tutorum, ac Curatorum, vt sup. ostendimus *dicto 12.* obligantur tamen naturaliter, atq; ideò in foro conscientiæ, vt contra nonnullos docent *Gomez. 2. resol. cap. 14. Sāch. lib. 6. disp. 38 num. 21. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 17. nu. 61. Rebell par. 2 de obligat. iust. lib. 1. de contr q 8. sec. 2. Lopez par. 1. instr. cap. 124. q. 3.* & hanc sententiam communiorem esse testatur *Laym. lib. 3. sua sum. tr. 4. cap 9. sub nu. 7.* Rationem autem hanc esse volunt; quia obligatio naturalis oritur ex consensu, vt *in l. Stichū, §. naturalis, ff. de solut.* At pupillus si pubertati proximus sit, & rationis compos; & minor 25. annis, sufficientem consensum habent, vt patet ex *tex. in §. pupillus, in Instit. de inutil. stipulat.* Ergò naturaliter obligantur ex contractu; atque ideò peccant promissa non seruantes: siquidem in foro conscientię attenditur ius tantùm naturale, & Diuinum. Confirmatur hoc dictum ex *tex. in l. pupillus, ff. ad leg. falcid. l si eius iuncta Glosa, ver. Reaaiderit. ff. ad Trebell. & l 1. ff. de nouat.* vbi apertè dicitur, pupillum contrahentem absque Tutoris interuentu, obligari naturaliter. Denique fideiussor si accedat contractui celebrato per pupillum citra Tutoris auctoritatem, remanet obligatus ciuiliter, ac tenet eiusdē

19 fideiussio, maximè si insolidum obligetur cum pupillo, vt *in l. si vero, ff. de iureiur. & l si pupillus, ff. de recept. arbitr.* Ergò principalis pupilli obligatio suas vires habebat saltem naturaliter; sicut obligatio serui, cui accedit fideiussor pro ipso seruo, vt *in l. naturaliter, ff. de cond. ind.* & obligatio Religiosi citra Superiori cōsensum, vt habetur ex *Nauar. de Regular. com. 2. nu. 42.* Si igitur pupillus contrahens absq; Tutoris auctoritate, remanet obligatus naturaliter; ergò peccat promissa non adimplendo, cùm in foro interno ius naturale, & Diuinum attendatur, & obliget in conscientia, vt ostendimus in nostris *Comment. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 46. n. 15.* Quibus adde, quæ habetur ex *Laym. loc. cit. nu. 9 & seq* vbi plures casus definit prouenientes ex obligatione naturali, quam contrahunt minores, & pupilli contrahentes absq; Curatoris, ac Tutoris interuentu, vt si debitum suis creditoribus soluant: ludant, compensationem faciant, & alia eiusmodi, nisi velint vti legis beneficio: quod quomodo verum sit, rectè declarat *Laym. vbi sup.* qui addit *num 6 per totum*, pupillos, ac minores etiam ciuiliter ex contractibus per eos celebratis sine consensu, ac auctoritate Tutorum, ac Curatorum. Obligantur enim pupilli, ac minores ex contractibus huiusmodi quatenus facti sunt locupletiores, vt *in l. pupillus, §. pupillus ff de auctor. tut. & l. vlt. C. de vsucap. pro empt.* Item si res eis tradita dolo eorum perierit, *l. 1. §. an in pupillum, ff. depos. l. 3. §. pupillus*, & ibi *Glosa, ff de negot. gestis:* & demiq; si minores contractum initum citra Curatoris consensum iuramento confirmauerint, vt *in Auth. Sacramenta puber. C. si aduers. vendit.*

26 Dico quintodecimò peccare pupillos rationis compotes, ac minores nō restituentes vsuras extortas eorum nomine, & alia bona eisdem malè quæsita à suis Tutoribus, & Curatoribus: siquidem pupilli, ac minores tenentur vsuras, & bona eiusmodi quæsita restituere insolidum cum Tutoribus, & Curatoribus, vt per *Glos. in cap. fin. 46. d.* latè *D. Anton in sua sum. p. 2. tit. 2. cap. 4. §. 3.* Est tamen verum, quod pupilli, ac minores agere possunt pro interesse contra Tutores ipsos, ac Curatores, si pecuniam pupillarem, vel adultorum poterant in emptionem stabilium, aut in iustam aliam negotiationem conuertere, vt habetur ex *Syl. ver. Tutela, q. 4.*

De Dominorum, Seruorum, ac Famulorum culpis à discreto Confessario explorandis.
SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Potestas Domini in seruos licet sit iuri naturali contraria, potest tamen etiam dici naturalis, & quare.*
2 *Serui in duplici sunt differentia propriè scilicet, & formaliter à seruando dicti.*
Et impropriè dicti à seruiendo.
3 *Peccant Domini, exempla boni operis non præbentes seruis.*
4 *Peccant Domini non curantes seruos suos Dei, & Ec-*

& Ecclesiæ mandata diligenter seruare, & vt Sacramenta frequentent.

5 Serui si conductitij sint, atq; ideò famuli, non excusantur à culpa eorum Domini, qui negligunt nosse eorum manifesta peccata, vt eosdē corrigere valeant.

6 Peccant Domini, si seruos, vel famulos mox quod infirmantur ad hospitale transferunt curandos, cum possint in eorum domo commodè detinere, & curam eisdem procurare.

7 Peccant Domini grauantes seruos, & famulos laboribus plusquam par est, non permittentes, nec diebus quidem festiuis quiescere.

8 Peccant Domini, iustas seruorum quarelas, ac famulorum audire recusantes.

9 Peccant Domini, seruos, vel famulos exasperantes.

10 Peccant Domini, denegantes seruis alimenta.

11 Peccant Domini, si rogati, vt seruos suos manumittant, dolosè latitant, nè eos manumittant. Et an peccant Domini manumittentes seruos in fraudem creditorum.

12 Peccant Domini, manumittentes seruos, qui propter delictum in seruitutem redacti sunt.

13 Peccāt Domini, si eorum famulis iustam mercedem non soluant, & ad restitutionem tenentur.

14 Peccant serui, si Dominis debitum honorem non deferant, debitamq; obedientiam non præstent.

15 Vbi à Domino præcipitur aliquid seruo, quod non est intrinsecè malum, sed dirigitur à Domino in finem malum, & contra Dei legem, seruus Domino obediendo, non peccat.

An peccent Christiani in seruitutem redacti, remigando in Piraticis triremibus.

16 Peccant serui, qui in munere, sibi à Domino iniuncto, non quærant pro iuribus iustam Domini vtilitatem.

17 Peccant serui, Domino non obedientes non solùm in manifestè licitis, sed etiam in rebus, de quibus dubitant, an sint licita.

18 Peccant serui, si in seruitute permanentes, aliquem ordinem suscipiant.

19 Peccant serui, à proprio Domino aufugientes, cum faciant furtum sui ipsius.

20 Serui in bello capti, qui fidem Domino præstiterunt non aufugiendi, si aufugiant, licet peccent, non tenentur tamen redire ad hostes.

Quid si venundari passi fuerint ad pretiū participandum.

21 Serui effecti ex eo, quod arma, cæteraq; prohibita ad Infideles detulerunt, itemq; serui facti propter crimen raptus, citra culpam aufugere possunt.

22 Ancilla in seruitutē redacta, ex quo passa sit se venundari ad pretium participādum si à Domino impetatur de turpitudine, licitè, & absq; peccato potest ab eo aufugere.

23 Peccant serui aliquid donantes, vel etiā eleemosynam facientes sine consensu Dominorum suorum.

24 Peccant serui, aliquid sibi retinentes de bonis, per eos acquisitis.

25 In quatuor casibus possunt serui aliquid sibi retinere, alijsq; donare de bonis per eos acquisitis.

26 Peccant serui, vota peregrinationis, ieiuniorū, vel religionis, cæteraq; personalia exequentes contra Dominorum voluntatem.

27 Peccāt serui, Religionē ingredietes, vel ad bellum accedentes etiam contra infideles, absq; Dominorum consensu.

28 Sic etiam peccant si in actibus legitimis se ingerant, asserentes dolosè se esse liberos.

29 Peccant serui scienter contrahentes matrimonium cum libera, ignorante eorum conditione, vel è conuersò.

Idq; non solùm consentientibus, sed etiam cōtradicentibus, & ignorantibus eorum Dominis.

1 AD huius rei explicationem est adnotandū, quòd quamuis potestas, quam habent Domini in seruos sit naturali iuri cōtraria, cùm eo iure omnes liberi nascerentur, atque ideò solo gentium iure seruitus fuerit introducta, vt *in §. ius autem gentium, in Instit. de iure nat. gent. & ciuili*; tamen potestas eiusmodi potest quoq; dici naturalis, quatenus omnis hominis potestas in alios à Deo est, & naturalem propensionem habent subditi ad obtemperādum eorum Dominis, meritò post præcedentem *sec.* in qua egimus de potestate, quam Tutores habent, & Curatores in pupillos, ac minores, sequitur modò videndum de potestate, quam habent Domini in seruos, & de amborum culpis à discreto Confessario explorandis.

2 Sunt autem serui in duplici differentia. Nam quidem propriè, ac formaliter dicūtur serui, qui à seruando deriuantur: siquidem Imperatores captiuos vendere, ac per hoc seruare, nec occidere solent: qui quidem alio vocabulo appellantur mancipia; eo quòd captiui ab hostibus manu capiuntur, vt *in § serui autem, in Instit. de iur. person.* Item propriè, & formaliter nuncupātur serui, qui cum sint liberi patiuntur venundari ad pretium participandum: sicut enim priores fiunt serui iure gentium, ita quoque hi de iure ciuili, vt *in §. serui autem in Inst. eod. tit.* De iure verò Canonico deferentes arma, & alia prohibita ad Turcas, Saracenos, & ad alios Christiani nominis inimicos, si capiantur efficiuntur formaliter serui capientium, vt *in cap. ita quorundam, de Iudæis*, & nos adnotauimus in nostris *Commēt. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 7. q. 1. num.* 19. Præterea serui quoq; appellantur propriè, & formaliter, qui nascuntur ex ancillis nostris, vt *in d. § serui.* Et deniq; serui propriè efficiuntur emptione cū ab alijs inuiti venduntur: qui quidem vt serui formaliter dici possint, multas conditiones exigunt, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 4. cap. 6. §. 5.* Dantur quoque serui impropriè à seruiendo nuncupati, qui propriè dicuntur conductitij: eo quòd conducuntur sub certa mercede ad seruiēdum, & alio vocabulo appellantur famuli, & liberi sunt. Nos igitur hoc loco tractabimus, Deo duce, de Dominis, & seruis, siue Domini dominium habeant in seruos, siue non: & siue serui sint formaliter, & propriè serui, vt sunt mancipia, siue impropriè, quales sunt famuli. His breuiter sic prælibatis.

3 Dico primò peccare Dominos, eorum seruis exemplum boni operis non præbentes, sicut de Episcopis, & de ijs omnibus qui alijs præsūt sup. diximus. Etenim Dominus propter scandalum,

quod suis malis operibus suis seruis iugiter præbet, eiusdem voluptatibus peccata cumulat aliena, vt ex *D. Ambrosio* habetur in *cap. an putatis 86. d.* formalibus sequentibus verbis: *Et voluptatibus suis peccata accumulat aliena, nesciens Reum esse futurum tàm de suo delicto, quàm de perditione seruorum.*

4 Dico secundò peccare Dominos, si non curent seruos suos Dei, & Ecclesiæ mandata diligenter seruare; atque ideò debent pro viribus curare, vt Sacramenta frequententent, Missam audiãt, & prędicationes diebus festiuis, ieiunia seruent, orationi vacent, erudiantur in fide, ac Christiana Religione; aliàs Domini efficerentur infidelibus deteriores, iuxta illud Apostoli 1. *ad Timot.* 5. dicentis: *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet fidem negauit, & est infideli deterior.* Et si Deo suos seruos Domini non curant esse fideles, virtutes sectando, vitia fugiendo, & veram Religionem prosequendo, quomodo ipsis Dominis serui fideles poterũt esse: postquam scriptum legimus, non posse hominibus esse fidelem, qui Deo est infidelis. Et multò magis peccant Domini, si conspicientes seruos in graui infirmitate constitutos eos destituant, non curantes Sacramentis refici, vt rectè disponantur ad benè moriendum, atque ideò Centurionis Euangelici pietatem abijciẽtes. Nõ minus peccant Domini si videant seruos se malè habere, præcipuè circa vitæ honestatem, & illos non corrigant verbis, ac etiam verberibus si videant expedire; citra tamen mutilationem membri, aut fractionis ossis, vt habetur ex *Diu. Anton. 3 par tit 4. cap 6. §. 7.* imò aliquando tenentur de eorum facto, vt rectè declarat *Graff. p. 1. decis. lib. 2 cap 59 num 20.* & antè eum *Sylu. in summ. vers Dominium, q. 6.* cum alij., quos allegat.

5 Et si serui conductitij sint, atque ideò famuli, non excusantur à culpa Domini negligentes nosse manifesta eorum peccata, vt eosdem corrigere valeant. Et si post binam, aut trinam monitionem, negligant se emendare, maximè si in concubinatu permaneant, tenentur illos, è domo expellere; nisi probabiliter credant, è domo expulsos deteriores esse futuros; quoniam eo casu tatis est si vt melius poterunt, eorum saluti cõsulant.

Et quamuis *Sot. in relect. de tegen. secr. m. 2. q. 3. conclus. 4 & Lopez par. 1. instr. consc. cap. 55.* uelint, non teneri Dominum ad expellendum è domo famulum concubinarium; nisi fortè propter scandalum; nihilominus *Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 7. sub num 11. in vers. Quartò si notabiliter:* id uerum putat; dummodò concubinam serui in domo sua non retineat; aliàs esset quodammodo fouere peccatum serui. Idem dicendum est de seruo hæretico: siquidem Dominus non potest illum in domo retinere; nisi cum intentione reducendi eum paulatim ad fidem, ut habetur ex *Sayro loco citato*, cum alijs, quos allegat. Sed quicquid sit de famulis Dominorum Sæcularium, & eorum seruis concubinarijs; famuli tamen S.R.E. Cardinalium, & Episcoporũ, ac aliorum Ecclesiæ beneficiatorum sunt omninò ejciendi, siuè in domo Domini concubinas habeant, siue extra domum: & id per *Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 1.* in illis uerbis: *Vt Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint; verum etiam in reliquo vita genere, ac tota eius domo caueant, ne quid appareat, quod à Sancto hoc instituto sit alienũ, quodque non simplicitatem Dei zelum, ac vanitatum contemptum præseferat.* Est tamen uerum, quod uix, aut nunquam Dominus seruorum, & familiæ suæ uitia corripiet, nisi morum correctionem à se ipso incipiat, quoniam ait *Isidor. lib. 3. de sum bono cap. 32. Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus seruit: impium est enim arguere quidquam in alio, quod deprehendit in semetipso.*

6 Dico tertiò peccare Dominos, si seruos, & famulos eorum mox, quòd infirmantur, ad hospitale transferunt curandos, cùm possint in eorum domo commodè detinere, & curam eisdem procurare. Etenim nec Centurio, licèt Ethnicus erga puerum ita se habuit; sed in domo sua paraliticũ gubernandum curauit, & ad obtinendam eiusdẽ ualitudinem ad Christum Dominum se contulit, ut habetur *Matt. cap. 8.* Debent autem per paucos ad minus dies seruis, seu famulis ægrotantibus necessaria ministrare: ingrauescente deindè morbo citra culpam ad hospitale possunt transferre, aut ad alia loca pia, ubi similes personæ curari solent. Quòd si in aliquo loco non adsit hospitale, nec aliunde habent, quo curentur, tũc ex præcepto eleemosynæ tenẽtur Domini ad eorum curationem in propria, uel in aliena domo, ut rectè post alios inquit *Molfes. par. 1. suæ summ. tract. 11 cap 18. num. 49.* Imò idem *Molfes. sub num. 48.* probat, quòd si famulus per paucos dies ægrotauerit, currit ei salarium, arg. *tex. & ibi, Doctor in l. diem functo, ff. de offic. assess.*

7 Dico quartò peccare Dominos grauantes seruos, & famulos laboribus plusquam par est, non permittentes, nec diebus quidem festiuis quiescere contra Diuini præceptũ *Deut. cap 5.* ubi mandat in die Sabbati eos quiescere, & *Deuter. cap. 15.* in septimo anno à seruitio mandat Deus esse liberos, & exemptos. Oportet Dominos esse discretos, quoad seruitia seruis præscribenda, eorum uires, conditiones, & qualitates considerantes, ac mensurantes, atque ita commensurare laboribus, vt immoderatis laboribus eos non affligant: quod quidem facilè adhibebunt propriã conditionem considerantes. Etenim serui ex eadem massa cõflati sunt, ac Domini, eodem fruũtur Cœlo, æquè spirant, ac deficiunt, ab vno Deo sũt producti, & ad eiusdem imaginem facti. Ob id enim Deus homines, quos æqualis conditionis cõdidit, nõ hominibus, sed pecudibus prætulit *Gen. cap. 1.* dicens: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, &c.* Et in summa, ita Dominus cum inferiore viuat, quemadmodum vellet secum Superiorem viuere, vt ex Seneca inquit *D. Anton. 4 par. tit. 2. cap. 5. § 7* Non tamen ob id dicimus debere Dominos seruos delitiosè nutrire: quoniam legitur *Prouer. cap 29 Qui delicatè pascit seruum, in fine sentiet eum contumacem.*

8 Dico quintò peccare Dominos iustas seruorũ, seu famulorum quærelas audire recusantes. Debent enim illos benignè audire, prout Iob seruasse, asserit, dicens, *cap. 31. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & cum ancilla mea, cùm mecum disceptaret.*

9 Dico sextò peccare Dominos, seruos, seu famulos

mulos irrationabiliter exasperantes Decet enim Dominos, vt placidis verbis vtatur cum seruis: siquidem verborum asperitas reddit Dominos seruis onerosos, & prompto animo ad inseruiendum eis seruos difficiles. Est tamen verum, quòd sicut non decet Dominos inhumanos se habere erga seruos, ita quoque cum eisdem non decet tanta vti familiaritate, ne contemnantur. Nam vt ait *Arist. 5. Polit.* Princeps debet esse seuerus, idest reuerendus, vt rectè explicat *D. Ant. 4. par. tit. 2. cap. 5 de prudent. econom. §. 7.*

10 Dico septimò peccare Dominos, seruis alimēta denegantes: ad ea enim tenentur, vt in *l. cùm plures, §. cùm tutor, ff. de admin. tut.* Imò si Dominus in seruos, vel seruas sæuiat alimenta illis denegans, aut ad impudicitiam, turpemqne violationē compellat, aut infami iniuria afficiat, potest à iudice compelli ad eos vendendos, vt in *l. 2.* & ibi, *Glos. & Doctor. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni iur.* Adeò Domini tenentur seruis alimēta ministrare, vt si serui pro alimentis, & vestibus, iuxta consuetudinem loci sibi conferendis pecuniam mutuo accipiant, teneantur Domini eam mutuantibus reddere: siquidem pecunia illa conuersa dicitur in Dominorum vtilitatem, vt in *l. quòd si seruus, § proindè, ff de in rem, vers. Sicut filius si pro alimentis, & vestimentis, vt supra pecuniam mutuo sumpserit;* licèt aliàs ex mutuo non teneatur, nec ipse, nec pater eius; tamen pater pro alimentis acceptam mutuo pecuniam obligatur mutuanti reddere, tanquam in patris vtilitatem conuersam, *l. 3. §. Labeo, ff. eod.* Quæ de seruis propriè, ac formaliter, quoad alimenta præstanda, extendimus etiam ad famulos, quos supra diximus conductitios, & impropriè seruos nuncupari, cùm militet eadem ratio; nisi de mercede tantùm fuerit inter eos conuentum; non autem de alimentis; quoniam tunc standum est pacto.

11 Dico octauò peccare Dominos, si rogati seruos suos manumittere, dolosè latitent, ne manumittant: eiusmodi enim serui de iure liberi efficiuntur: & ipsi Domini, vt supra rogati, in pœnam eorum fraudis succedunt ad tutelæ libertorum onus; non tamen succedunt ad illorum hæreditatem, nec ius patroni acquirunt, vt in *l. 1. §. interdum, ff. de legit. tutor.* E conuerso autem nō minus peccant Domini libertatem donantes seruis in fraudem creditorum, & libertatis donatio est nullius momenti, quoad creditorum dispendium, vt in *l. si mortis, ff. qui & à quib. Glos in §. 1. vers. Nihil agit, in instit. quib. ex caus. manum. non lic. & l. 1. C. qui manum. nō poss.* Dixi, *quoad creditorum dispendium,* quoniam ipsis Dominis manumittentibus nocet manumissio, ita vt reuocare illam non possint, si uelint, vt in *l. si creditoribus, C. de ser. pign. dato manum.* Est tamen verum, quòd licitum est Domino quantumuis ære alieno grauato seruum suum liberum, & hæredem facere; modo nemo alius ex testamento sit futurus hæres, vt habetur in *d. § 1. & in §. 2.* quod quidem verum est, etiam si Dominus seruum hæredem sine libertate faciat; quoniam eo ipso, quod seruus est institutus hæres liber efficitur, vt in *§. idem iuris, in instit. eod. tit. quibus ex causis, &c.* Dicitur autem in fraudem creditorū facta manumissio; si manumissoris facultates tēpore quo manumittit æri alieno pares non sint, uel datis libertatibus impares sint futuræ, ut in *§. in fraudem, in instit. tit. citato.*

12 Dico nonò peccare Dominos manumittentes seruos, propter eorum delictum in seruitutem redactos, ut sunt illi, qui prohibita ad Saracenos detulerunt, de quibus supra egimus: fiunt enim serui capientium, ut in *cap. ita quorundam de Iudæis;* & manumitti non possunt, sicut qui raptus crimen commiserunt, ut post alios docet *Syl. in sum. vers. Manumissio q. 7.*

13 Dico decimò peccare Dominos, si eorum famulis iustam mercedem non exoluant, cum obligatione restituendi una cum omnibus damnis, & interesse: quod uerum est, non solùm si eā expresfè promiserint; sed etiam si non promiserint; quoniam adhuc ad iustam mercedem tribuendam tenentur; siquidem eo casu tacitè censetur facta conuentio de iusta mercede, ut post *Reginal. lib. 20 sua prax. num. 6 cum plur. seq.* & alios *Molses par. 1 sua sum. tr. 11 cap. 18. num. 48.* Et non minus peccant Domini si benefici non sint in remunerando seruos, sed potius partiales: est enim non minus debita remuneratio, quàm merces. Debent enim Domini bonos seruos amore prosequi, & beneficijs cumulare, & malos iusto zelo coercere, ut habetur ex *D. Anton. 4 p. tit 2. c 5. §. 7.* † Hic etiam adde peccare Dominos, ac uiros æquestres tenentes, circa materiam duelli sententiam damnatam ab Alexād. VII. P. M. quæ est subsequens. Vir equestris ad duellum prouocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat, & uide *P. Quartum de cas. reser. sect. 1. cap. 1.*

Quo vero ad seruos erga Dominos è conuerso.

14 DIco undecimò peccare seruos si Dominis honorem debitum non deferant, & debitam obedientiam non præstent, non tantùm bonis; sed etiam discolis, iuxta illud *1. Petri, cap. 2. Serui subditi estote in timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis; sed etiā discolis.* Et *Matt. cap. 23. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis seruate, & facite.* Et non solùm Christianis, uerum etiam Paganis, dicente *Apost. 1. ad Timoth. cap. 6. Quicunque serui sunt sub iugo infidelium, Dominos suos omni reuerentia dignos esse arbitrentur.* Imò qui Superiorum præcepta uiolat in re graui, uel etiam in re leui ex contemptu, peccat mortaliter, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Th. 2. 2. q. 105. ar. 1* Secus si in re leui transgrediatur Superioris præceptum ex concupiscentia; quoniam tunc non peccat plusquam uenialiter, ut rectè declarat *Nauar. in Man. cap. 14. sub num. 22.* ubi etiam addit, quòd si subditus præcepta Domini uiolat; eo quod putat in hac uita, neminem in alium potestatem habere, non solùm lethalem culpam contrahit contra *tex. in cap. ad hac, 89 d.* sed etiam in hæresim incidit, ut in *extrauag. vnam Sanctam, de maior. & obed. Glossa in cap. generali, in vers. Inhibemus, de elect. in 6.* Peccant igitur serui debitum honorem, & reuerentiam non deferentes eorum Dominis: quod quidem uerum est; dummodò, quæ præcipiuntur non sint contra legem Dei; cùm oporteat nos ma-

magis Deo obedire, quàm hominibus.

15 Benè verum est, quòd vbi à Domino præcipitur seruo aliquid, quod ex se non est intrinsecè malum; sed dirigitur à Domino in finem malum, & contra legem Dei, tunc si seruus, vt suo muneri satisfaciat, Domino obediat, non peccat. Vndè Christiani ab Infidelibus in seruitutem redacti, & in piraticis triremibus remigio mancipati, dum præcipiuntur remigare; estò, quòd remigatio ipsa tendat in perniciem, & damnum Fidelium; nihilominus remigando excusantur à lethali culpa: siquidem remigatio secundùm se non est intrinsecè, & ex obiecto mala; quoniam si talis esset, nunquam licitum foret remigare, cùm intrinsecè, & ex obiecto mala nulla circũstantia fieri possint bona, qualis est vsura, vt *in cap. super eo, de vsur.* Si igitur remigatio ipsa nõ est intrinsecè, & ex sui natura mala; ergo erit bona, vel mala secundùm finem remigantium bonum, vel malum: at quamuis remigatio ipsa præcipiatur ab Infidelibus ad malum finem, nẽpè ad perniciem Christianorum; à captiuis tamẽ non fit propter illum finem, sed ad propriam mortem effugiendam, qui finis bonus est: vel vt suo muneri satisfaciant; qui quidem finis bonus etiam est. Hac eadem ratione meretricis seruamalio venienti, quem nouit ideò venire, vt fornicationem cum domina habeat, ostiũ aperiens, lectum sternens, litteras si detulerit ad eum, nullam culpam contrahit, si peccatum illud ipsi nõ placeat; sed ostium aperiat, lectum sternat, litteras ad illum dederit, vt suo muneri satisfaciat, vt ex *Nauar. lib. 5. cons. p. 2. de pœnit. cons. 6. & Sanch. lib. 1 in Decal. cap 7.* latè rem hanc tractauimus in nostris *Commentar. in Bull. cœnæ lib. 2. cap. 3. q 13. concl. 1. per totam.*

16 Dico duodecimò peccare seruos si in munere sibi à Domino iniuncto, non quærant pro viribus iustam Domini vtilitatem, benè, ac fideliter illud adimplendo: & si pro viribus omne damnum imminens Domino in persona, honore, vel in bonis temporalibus non conentur auertere: & si futurum sit, & licitè fieri possit, Domino nõ indicent: quibus casibus mortaliter, vel venialiter peccabunt iuxta quantitatem culpæ, aut negligentiæ, vt post alios habetur ex *Molfes. par. 1. suæ sum. tr. 11. cap. 18. num. 45.* Est tamen verũ, quòd famulus, seu seruus cõductitius, qui à Domino pecunias aureas, vel argenteas accipiens ad aliquid emendum, ad soluendum debitum, aut ad satisfaciendum operarijs pro eorum mercede, illas cum alijs commutat cambio ad minutum, si quid ex tali cambio quærat, sibi non Domino quærit; quoniam lucrum illud prouenit ex famuli industria, ac labore, atq; ideò Domino est indebitum: quod tamen qu modo verum sit, latius declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag B Pij V. de camb. in proœm. q. 14. num. 28* Idem est dicendum de seruis formalibus, ac propriè dictis, qui alio vocabulo appellãtur mancipia, quamuis huiusmodi serui quicquid acquirunt, acquirunt Dominis suis, vt infra latiùs dicemus *dicto 17. casu 4.*

17 Dico tertiodecimò peccare seruos non obedientes Domino non solùm in manifestè licitis; sed etiam in rebus, de quibus dubitant, an sint licita: quoniam in dubijs, an aliquid sit contra Dei præceptum; standum est præcepto Superioris: Siquidem quamuis sit contra legem Dei; nihilominus propter obedientiæ bonum, nõ peccat subditus, sed Superior, vt latè de hac re tractauimus sup. *disp. 16. sec. 1. per totam*, de peccatis subditorum agentes, vbi multipliciter eam limitauimus.

18 Dico quartodecimò peccare seruos si in seruitute permanentes aliquem ordinem suscipiãt: nam licèt seruitus non impediat alicuius ordinis susceptionem de facto; atque ideò si serui ordinẽtur, ordinem verè consequuntur, nihilominus de iure impedit cuiuslibet ordinis susceptionem, vt *in cap. 1. 54. d.* nisi à seruitute liberentur, vel Dominorum cõcurrat consensus, aut videat, & non contradicat: siquidem seruus suscipiens tunc ordines, etiam minores, statim efficitur liber, vt *in cap. si seruus sciente, ead. d.* Quòd si Domino ignorante, aut contradicente, ordinetur, tunc si ad minores ordines promoueatur, remanet seruus: si verò sacros ordines suscipiat ab Episcopo sciente, eum esse seruum, eo casu tenetur Episcopus satisfacere cum duplicis pretij solutione, vt liber fiat, vt *in d. cap. si seruus.* Si demum, Domino, & Episcopo ignorantibus, ipse seruus ad sacros ordines se fecerit promoueri vltra lethalem culpam, quam contrahit, tenetur se redimere, pretio soluto Domino, si peculiũ habeat: Si verò peculio careat, nec alius sit, qui eũ redimat, remanet in seruitute, ac in Domini potestate, vt illi seruiat in actibus, & obsequijs spiritualibus, ac honestis: non autem in seruitijs indecentibus Clericis in sacris constitutis. Vndè si talis seruus fiat Sacerdos, pro Domino Missam celebret: si Diaconus, vel Subdiaconus horas, & alias preces pro ipsius Domino recitet, vt *in cap frequens, 54. d.* & latè *Sayr.* post alios *tomo 1. Thes. lib. 6. cap. 14 à num. 2. ad 6.* vbi plura circa rem hanc cumulat.

19 Dico quintodecimò peccare seruos à proprijs Dominis aufugientes, cùm seruus aufugiens sui ipsius furtum committat, *l. 1. C. de seru. fugit. Glosa in cap. ius gentium, verf. Seruitutes, d. 1.* Quæ tamen conclusio limitatur, vt vera sit de seruis emptitijs, qui seipsos venundari passi sunt ad pretium participandum, de quibus *in § serui autem nascuntur, in Instit de iure person.* secus autem de seruis captis in bello, siue christiani sint, siue non; quoniam isti citra omnẽ culpam aufugere possunt, & ad suos redire: siquidem horum captiuitas est quædam iuris pœnã, quæ à victoribus infligitur, qui locum Iudicis tenent in bello iusto: & propterea quemadmodum reus potest aufugiendo dùm commodè potest, vitare pœnas; ita quoque, & multo magis id potest agere captiuus, vt habetur ex *Sot. lib. 4 de iust. & iure, q. 2. ar. 2. Reginal. lib. 2. suæ prax sub num 118.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 2. suæ sum. tr. 12. cap. 3. num. 191. & 192.* quod quidem verum est, nisi serui capti in bello fidem Domino præstiterint non aufugiendi; quoniam tenentur seruare fidem, ac iuramentum, ne Deo efficiantur infideles, arg. *tex in cap. debitores, de iureiur.*

20 Est tamen verum, quod serui capti in bello, qui fidem Domini præstiterunt non effugiendi, si de facto aufugerint licèt peccauerint violando fidem, & iuramentum; nihilominus non tenentur redire ad hostes: & Prælatus tenetur cum eius-

eiusmodi fugitiuis dispensare circa violationem iuramenti, *arg. tex. in cap. si verò, de iure iur. Reginald. loc. cit. Sayr. lib. 7. Clauis Reg. cap. 6 nu. 11. & 12. & Molfes. d. cap. 3 num. 193* qui multo magis id verum esse inquit, si existentes captiui penès infideles ab illis cogerentur deserere, & abnegare fidem. Idem dicendum est de seruis natis ex ancillis nostris, quæ in bello similiter fuerunt captæ; siquidem licitè possunt aufugere, & ad suos redire, sicut eorum matres: & de iure etiam quoad ipsos habet locum fictio postliminij, vt toto retroacto tempore præsumantur fuisse in Patria, *l. apud hostes, l. Diuus, ff. de capt. & postlim. reuer. l. 1 C. eod. tit. & Molfes. d. tr. 12. cap. 2. num. 41.* Dixi: *Quæ fuerunt capta in bello:* quia si se venundari passæ fuerint ad pretium participandum; sicut matres citra culpam aufugere non possunt; ita puto seruos ab illis natos: nam dolus matris transfunditur in filios: & sicut mater voluntariè se libertate priuauit; ità etiam voluntariè priuauit filios: & cessat ratio eorum, qui capti sunt in bello. In omnem autem euentum, in quo licitum est seruis aufugere, & redire ad suos; si antequam perueniant ad patriã, & pristinam recipiant libertatem capiantur ab aliquo tertio, obligatur ille proprio Domino restituere: siquidem donec in suam pristinam recipiantur libertatem penès suos semper remanent prioris Domini, vt habetur ex *Molfes. d. cap. 3. num. 193. in fine,* & ex alijs.

21 Seruos autem effectos ex eo, quòd arma, & alia prohibita detulerũt ad Infideles, aut galeis, & piraticis Saracenorum nauibus regimen, & curam gubernationis exercuerint, iuxta *tex. in cap. ita quorundam, de Iudæis*: & seruos factos propter crimen raptus, vt *in cap. de raptoribus, 36 q. 1.* posse citra culpam aufugere, probabiliter arbitror: siquidem seruitus eiusmodi inducta est in pœnam prædicta crimina committẽtium; at reus licitè potest effugere pœnas si cõmodè valeat, vt supra ostendimus. Idem dicendum puto de muliere redacta in seruitutem, & eius filijs ex eo quòd scienter contraxit cum existente in sacris, vt *in cap. eos, 32 d. & cap. cum multa, 13 q. fin.* cùm in pœnam quoque sui criminis seruitus illa fuerit statuta. De eo tandem, qui inuitus venditur ab aliquo, cùm re vera non sit de iure seruus, proculdubio si aufugiat, nullã culpam contrahit, vt habetur ex *D. Anton. 3. p. tit. 3. cap. 6. §. 7 in fine.*

22 Imò si ancilla in seruitutem redacta ex eo quòd venundari passa sit ad pretium participandum, si à Domino impetatur de turpitudine, ab eo absq; peccato potest aufugere: siquidem eo casu Dominus abutitur sua potestate, & potest officiũ Episcopi implorare, & manumittatur, & Episcopus potest ipsum Dominum ad illam manumittẽdam compellere, vt *in l. si lenones C. de Episc. aud.* & habetur ex *Syl. in sum. ver. Seruitus, q. 5. in fine, Tab eod. ver. num 2. §. 1.* & alij, qui indistinctè loquuntur de omnibus ancillis. Idem puto dicendum de seruo, qui à Domino ad turpia, vel ad alia crimina alliciatur, aut cogatur, vt habetur ex *D. Anton 3 p. tit. 3. cap. 6. §. 7. circa fin.* Et eodem modo iudicandum est de seruo, cui Dominus alimenta deneget: vel si eos lãguidos exponat: aut si ancilla vendatur, ne prostituatur, & emptor nõ steterit pacto, & in omnibus alijs casibus, in quibus seruis libertas de iure debetur, quos enumerant *Syl. & Tab. locis citatis.* Nam si possunt agere pro libertate assequenda, possunt etiam à Dominis iniustè maximè eam deneg antibus, aufugere.

23 Dico sextodecimò peccare seruos, aliquid donantes, vel etiam eleemosynam facientes sine consensu Dominorũ suorum. Etenim serui priuantur libertate quoad actus externos, vt quicquid acquirant, Dominis acquirant, *§. item nobis in instit. per quas personas nobis acquir.* atq; ideò nec vestimentorum suorum sunt Domini, *l. id vestimentum, ff. de pecul.* imò nec illorum possessionem dicuntur habere, cùm non possit aliquid possidere, qui ab alio possidetur, *cap. cũ olim, 2. de priuil.* Hac eadem ratione non habẽt serui testandi facultatem, nec contrahendi, nec alios exteriores actus exercendi, quoniam eorũ respectu carent libertate. Solùm autem sunt liberi quoad libertatẽ arbitrij, & domini actionum suarum internarum quoad meritum, & demeritum.

24 Dico decimoseptimò peccare seruos aliquid sibi retinentes de bonis per eos acquisitis. Etenim seruus sicut secundum se totum quicquid est, Domini est quoad actiones exteriores; multò magis quicquid habet, & acquirit, Domino acquirit, vt sup. præcedenti diximus: siquidem accessorium sequitur naturam sui principalis, *cap accessorium de regul. iur. in 6.* Et quamuis *Sot lib. 4 de iust. & iure q. 2. ar. 2.* post *3. concl.* id verum esse velit quoad illos seruos, qui se venundari passi sunt ad pretium participandum: quia dum spontè vendi patiuntur, voluntariè se priuant omni dominio, & facultate acquirendi; nihilominus secundùm communem opinionem id etiam vniuersaliter est verum quoad omnes seruos etiam captos in bello, & natos ex ancillis nostris, cùm iura superius allegata de illis etiam loquantur, vt benè aduertit *Molfes. p. 2 sua sum. tract. 12. cap. 2 num. 33.* Est tamen verum, quòd in multis casibus serui possunt aliquid sibi retinere, & alij quoq; donare de bonis acquisitis.

25 Primus casus est vbi constat de expressa, vel tacita Domini voluntate, qui seruo peculium concedat, vel alia bona largiatur, aut ab alijs donata permittat esse serui, maximè, vt se redimat, vt *in l. vix certis, ff. de indic.* Etenim cùm de iure concedatur seruis facultas, vt suis nummis se redimant, consequẽter implicitè concessum eis censetur aliquarum rerum, seu pecuniarum habere dominium, vt colligitur ex *tex in §. fin. in Instit de donat.* & post alios tenet *Molfes. loco citato, num 34.*

26 Secundus casus est, vbi seruo legantur alimẽta: nam seruus licèt sit ciuilis possessionis omninò incapax naturalis possessionis, & naturalis dominij earum rerum, quæ deseruiunt pro conseruatione indiuidui, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 66. ar. 1. & 2. & Molfes. p. 2. sua summ. tr. 12. cap. 1. num. 109.* Vndè cum serui sint alimẽtorum capaces, iustè legantur eisdem alimenta, *l. quadam, § illo, C. de necess. ser. hæredis instit.*

Tertius casus est, vbi aliquid seruo donatur, vel testamento relinquatur ad se redimendum: nam tunc illius rei dominium, nõ Domino, sed seruo acquiritur, vt habetur ex *Less. lib. 2 de iust. & iure, cap. 4 sub num. 16. vers Secundò si aliquid*

quid seruo donatur, Sayr. lib. 4. Clauis Reg. cap. 6. num. 39 §. Tertiò etiam lucratur, & Molfes. d. cap. 2. num. 35.

Quartus casus est, quando seruus ex sua industria citra Domini incommodum, & seruitij dispendium aliquid acquireret, siue id acquirat ex beneficij remuneratione alteri exhibiti, siuè ex parcitate viuendi aliquid sibi referuet ex cibarijs à Domino sibi deputatis, & taxatis absque Domini detrimento, quoniam harum rerum dominium acquiritur seruo; non autem Domino, vt per *Less. & Sayr. locis citatis, Rebell. lib. 1. de obligat. iust. q. 11. sec. 2. num* 8. Idem dicendum est de bonis vlterius acquisitis ex rebus, quarum dominium habent serui: nam adhuc eorum cōparant dominium, cùm lucrum eandem naturā sortiatur, ac sors principalis. Ita *Less. Rebell. & Sayr. locis citatis*: & de consuetudine seruari restatur *Molfes. d. cap. 2. num.* 38 vbi etiam *num.* 41. addit, quòd si serui capti in bello, vel nati ex ancillis nostris, si aufugiant, & ad hostes redeāt, quæ acquirunt, sibi acquirunt; quoniam de iure etiam apud ipsos locum habet fictio postliminij, *l. apud hostes, & l. Diuus, ff. de capt. & postlim. reuer.* Verum tamen est, quòd si serui, vt supra fugitiui non peruenerint ad hostes: vel si peruenerint animum non habeant ibi permanendi, tunc quicquid acquirunt, Domino acquirunt, vt rectè declarat *Molfes. loc. cit.*

26 Dico decimo octauò peccare seruos, uota peregrinationis, aut ieiuniorum, Religionis, & alia personalia, aut realia executioni demandantes contra voluntatem, & in præiudicium suorū Dominorum: siquidem serui non possunt emittere vota personalia, quæ ipsos impediant à Dominorum seruitio: nec etiam realia; quia quicquid acquirit seruus, acquirit Domino, vt latè habetur ex *Sayro lib. 6 Clauis Reg. cap. 5. num. 7. Sanch. lib. 4. in Decal. cap* 25. & alij. Non tamen serui peccant adimplentes vota, circa ea, in quibus Dominis non sunt subiecti, etiam contra Dominorum voluntatem. Imò si castitatem vouerint, inuito Domino, aut aliquas orationes, & preces, quibus non impediantur à seruitio Dominorum, eiusmodi vota si non adimpleāt, proculdubio peccant, vt in *cap. relatum, de sentent. excom. l. si quis rem. ff. de pollicit. D. Thom. 2. 2. q. 88. nu. 8. Sayr. & Sanch. locis citatis, & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 13. sub num.* 25 Idē puto dicendum de votis realibus, si serui peculium habeant, & res, quarum naturale dominiū retinent: nam de eiusmodi rebus; cùm sint earum Domini possunt, ac debent vota realia reddere.

27 Dico decimonono peccare seruos si Religionem ingrediantur, aut ad bellum proficiscantur, etiam contra infideles citra Dominorum consēsum: siquidem serui quemadmodum non possunt uouere ea, in quibus Dominis subditi sunt; ita etiam non possunt aliquid agere circa eadem cōtra Dominorum voluntatem. Vndè Religionis ingressus, & professio nullam uim haberent in eorum Dominorum præiudicium, ut habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 6. §. 7.*

28 Dico vigesimò peccare seruos in actibus legitimis dolosè se ingerentes, præsertim si liberos se asserant; atque ideò accusent, testificentur, iudicent, & alia eiusmodi faciunt: siquidem actuum legitimorum sunt incapaces serui, vt habetur ex *D. Anton. loc. cit.*

29 Dico uigesimoprimò peccare seruum scienter matrimonium contrahentem, cum libera ipsius serui conditionem ignorante: & è conuerso, & matrimonium est nullius momenti, vt in *cap. ad nostram, de coniug. seruor.* Est tamen verū, quod circa nullitatem matrimonij id limitatur multis modis. Primò, vbi conditio contrahentis non fieret deterior, vt cùm seruus matrimonium contrahat cum serua putans esse liberam: vel seruus contrahat cum libera putans esse seruam, atque ideò melior redderetur eius conditio, vt per *D. Thom. in 4 d. 36. & Tolet. lib. 7. sua summ. cap.* 3. Secundò, limitatur, vbi errans ita contrahat, vt paratus sit matrimonium contrahere, etiam cognita tali conditione seruitutis, vt per *Nauarr. in Man. cap. 2. num.* 35. Idem dicendum est, vbi cognita deteriori conditione post contractum matrimonium iterum copulam habeat is qui errauit cum eadem serua affectu maritali, aut de nouo expresè vtriusque accedat consensus; quoniam tunc matrimonium dicitur ratificari, & de nouo contrahi. Etenim potest esse matrimonium inter seruos, & liberos, & seruos, & seruas, vt in *cap. 1. de coniug. seruor. & cap. si quis liber, 29. q.* 2. Et id non solum consentientibus, sed etiam cōtradicentibus, & ignorantibus eorum Dominis: nam sicut seruus non subditur Domino, quin possit liberè comedere, dormire, & alia huiusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis secūdum naturam necessaria sunt, quoad ea, quæ pertinent ad interiorem dispositionem, nempè ad orandum, Sacramenta suscipienda, &c. ita etiam non subditur quin possit matrimonium contrahere domino ignorante, vel etiam contradicente, tanto magis, quòd non propterea eximuntur à seruitijs ipsi Domino debitis, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 6 §* 7. Est tamen verum, quòd si serui matrimonium contrahant, accedente Domini voluntate, non possunt vendi in locis, vbi impediatur vita coniugalis: secus autē si Domino contradicente, vel ignorante: quia tūc possent vendi etiam extra dicta loca: quamuis id non debeat Dominus absque vrgenti necessitate: aliàs lethalem culpam contraheret, vt per *Tolet. loc. cit.* vbi etiam addit, quòd Dominus nō potest horum torum impedire dum præsentes sunt.

De Patrono, & Liberto, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

S E C. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Patronus dupliciter sumitur, vel Canonicè, vel ciuiliter.*
2 *Peccant patroni recusantes libertorum suorum tutelam.*
3 *Peccant patroni denegantes alimenta libertis, non habentibus vnde se alant.*
4 *Peccant patroni, qui ad tutelam libertorum succedentes, bonam educationem ipsorum fideliter non curant.*
5 *Peccant patroni, qui seruos in fraudem creditorum manumissos velint in seruitutem reuocare.*

6 Pec-

6 *Peccant patroni, quorum serui de iure facti sūt liberi, si ipsorum tutelam non suscipiant.*

7 *Peccant liberti, debitum obsequium non praestantes patronis, eorundemque uxoribus haeredibus & priuignis.*

8 *Ista vera sunt in patronis qui voluntarie seruis suis gratuitam praestiterunt libertatem. secus si ex causa fideicommissi, atque ideò ex necessitate.*

9 *Peccant liberti, in fraudem patronorum aliquid alienantes.*

10 *Libertus Ecclesiae in multis differt à liberto priuatorum.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd Patronus dupliciter sumitur. Primò Canonicè, & secundum iura Canonica, & est ille, qui potestatem habet in Ecclesia praesentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum, pro eo, quod de consensu Episcopi eam fundauit, cōstruxit, vel dotauit ipse, vel is, à quo causam habuit, vt habetur ex *Panor. & alijs in rubr de iure patr* & de hoc non loquimur, sed in seq. sec. Deo duce agemus. Secundò Patronus sumitur ciuiliter, seu secundum iura ciuilia, & dicitur ille, qui seruum manumisit, & dicit ordinem ad libertū, qui ex seruo factus est liber per manumissionē. Vndè manumissor appellatur Patronus: & seruus manumissus dicitur libertus, qui in hoc differt ab ingenuo, quòd prior per manumissionem efficitur liber; posterior verò nascitur liber. His breuiter adnotatis, dicimus, quòd peccant Patroni.

2 Primò, reculantes libertorum suorum tutelā: nam sicut succedunt libertorum haereditati; ita debent succedere ad tutelae onus, vt in § 1 *in instit de legit. patr. tutela, l. 1. ff de legit. tutor* Hoc dictum ampliatur primò, vt Patronus succedat in tutelam liberti, siuè spontè, siuè compulsus ex causa fideicommissi manumisit, vt in *l tutela, in fin ff de legit. tutor.* Secundò ampliatur, vt in liberti tutelam succedat non solum Patronus; sed etiam patroni filius, mortuo patre: Et si aliquando liberti haereditatem non obtineat, vt in *d. l fin.* Limitatur tamen hoc ipsum dictum, vt non procedat, vbi foemina sit, quae manumisit seruum: nam quamuis foeminae patronae dicantur; non tamen tenentur libertorum tutelam suscipere; sicut nec patroni uxor, filia, neptis, &c. vt in *d. § 1. de legit. patr. tut. & d. l. 1. ff. de legit. tutor.* Secundò limitatur, vt quamuis filij patroni succedant ad tutelam libertorum; nihilominus si patronus apud hostes sit, patroni filio tutela non defertur; sed interim à Praetore datur, vt in *d. l. 1. §. si apud hostes.*

3 Secundò peccant patroni, si libertis non habentibus vndè se alant alimenta denegent, & ob id perdunt iura patronorum, vt liberti efficiuntur ingenui, vt in *l. Diuus Claudius, ff. de iur. patr.*

4 Tertiò peccant patroni, qui ad libertorum tutelam succedentes, eorum bonam educationem fideliter non curant: & tutelam ipsam fideliter, & vtiliter non administrent, iuxta ea, quae supra diximus de tutore, & curatore tractantes.

5 Quartò peccant Patroni, qui videntes seruos manumisisse in fraudem creditorum, velint manumissos in seruitutem reuocare. Etenim quamuis peccauerint, in fraudem creditorum eos manumittendo, & libertatis datio sit inutilis respectu creditorum; nihilominus manumissio respectu manumittentium valida est; & propterea, si creditores manumissionem ratam habeant, manumissores non possunt eam reuocare, vt in *§. 1.* & ibi *Glos. in vers. Nihil agit, in instit. quib. ex caus. man non lic.*

6 Quintò peccant Patroni, quorum serui de iure facti sunt liberi; si huiusmodi libertorum non suscipiant: siquidem etsi propter patronorum crimen, libertorum haereditas ad ipsos patronos non deferatur; succedunt tamen ad legitimae tutelae onus, vt in *l. 1. §. interdum, ff de legit tutor.*

Quo verò ad libertos è conuerso.

7 SExtò peccant Liberti, si debitum obsequium patronis, eorūdemque uxoribus, liberis, haeredibus, etiam extraneis, & priuignis non deferant, vt ce l igitur ex toto *tit. de obseq. patr. praest. & l 2 l. parens, cum plur seq. ff.* Consistit autem obsequium in hoc, vt non possint liberti vocare patronos in iudicio sine venia: vt teneantur illis assurgere coram eis transeuntibus: vt teneātur alimenta eisdem praestare, si indigeant, ad operas autem, si tempore manumissionis eas non promittant, non tenentur, *l. operis. & toto tit ff de oper. liber.* Adde, quòd non solùm ob obsequium patronis non praestitum Liberti, tanquam ingrati possunt in seruitutem reuocari, sed etiam ex omnibus causis, ex quibus reuocatur donatio: nempè si Liberti manus in patronos iniecerint, si atrocem iniuriam, seu graue damnum in patronorum personis, uel rebus intulerint, &c. ut per *Glos in cap fin de donat D Anton. 3 par. tit. 3 cap. 6 §. 4. in fine, Syl. in sum. verf. Manumissio q 2. Tab in sum. verf Libertus §. 1. nu. 2. & Moyses.* post alios *par 1. sua summ. tr. 11. cap. 18 num 89.* Imò etiam pro leui iniuria in faciēdo commissa contra patronum libertus in seruitutem reuocatur, ut in *l si manumissus, C. de liber. & eor. liber.* Ingratus autem dicitur libertus non solùm ubi obsequium patrono non praestat; sed etiam si res eius, filiorumue tutelam administrare detractat, ut in *l. ingratus, ff. de iure patr* Et non solùm Liberti, propter eorum ingratitudinem efficiuntur serui; sed etiam libertorum filij ingenui, ut in *l. fin C. tit cit.* Et id tam pro ingratitudine commissa in patronos, quàm in eorum liberos, & haeredes, etiam extraneos, vt in *l. liberti, C de liber. & eor. liber.* Et denique per ingratitudinem reuocati in seruitutem non possunt ulterius ad libertatem perduci sine licentia Principis, ut in *d l. si manumissus.*

8 Haec autem limitantur vera esse in illis patronis, qui voluntariè seruis suis gratuitam libertatem praestiterunt: secus autem in illis patronis, qui ex causa fideicommissi, atque ideò ex necessitate libertatem contulerunt eorum seruis: nam hi ex capite ingratitudinis non habent ius reuocandi eos in seruitutem, vt in *l. 1. C eod tit* Idem puto dicendum esse de eo, qui de iure efficitur liber, ex eo, quòd necem Domini sui detexerit: siquidem talis nullius efficitur libertus; sed statim erit ingenuus, vt in *l. si necem Domini, ff. de bon. libert.*

quid seruo donatur, Sayr. lib. 4. Clauis Reg. cap. 6. num. 39 §. Tertiò etiam lucratur, & Molfes. d. cap. 2. num. 35.

Quartus casus est, quando seruus ex sua industria citra Domini incommodum, & seruitij dispendium aliquid acquireret, siue id acquirat ex beneficij remuneratione alteri exhibiti, siuè ex parcitate viuendi aliquid sibi reseruet ex cibarijs à Domino sibi deputatis, & taxatis absque Domini detrimento, quoniam harum rerum dominium acquiritur seruo; non autem Domino, vt per *Less. & Sayr. locis citatis, Rebell. lib. 1. de obligat. iust. q. 11. sec. 2. num. 8.* Idem dicendum est de bonis vlterius acquisitis ex rebus, quarum dominium habent serui: nam adhuc eorum cõparant dominium, cùm lucrum eandem naturã sortiatur, ac sors principalis. Ita *Less. Rebell. & Sayr. locis citatis:* & de consuetudine seruari testatur *Molfes. d. cap. 2. num. 38* vbi etiam *num. 41.* addit, quòd si serui capti in bello, vel nati ex ancillis nostris, si aufugiant, & ad hostes redeãt, quæ acquirunt, sibi acquirunt; quoniam de iure etiam apud ipsos locum habet fictio postliminij, *l. apud hostes, & l. Diuus, ff. de capt. & postlim. reuer.* Verum tamen est, quòd si serui, vt supra fugitiui non peruenerint ad hostes: vel si peruenerint animum non habeant ibi permanendi, tunc quicquid acquirunt, Domino acquirunt, vt rectè declarat *Molfes. loc. cit.*

26 Dico decimo octauò peccare seruos, uota peregrinationis, aut ieiuniorum, Religionis, & alia personalia, aut realia executioni demandantes contra voluntatem, & in præiudicium suorũ Dominorum: siquidem serui non possunt emittere vota personalia, quæ ipsos impediant à Dominorum seruitio: nec etiam realia; quia quicquid acquirit seruus, acquirit Domino, vt latè habetur ex *Sayro lib. 6 Clauis Reg. cap. 5. num. 7. Sanch. lib. 4. in Decal. cap 25.* & alij. Non tamen serui peccant adimplentes vota, circa ea, in quibus Dominis non sunt subiecti, etiam contra Dominorum voluntatem. Imò si castitatem vouerint, inuito Domino, aut aliquas orationes, & preces, quibus non impediantur à seruitio Dominorum, eiusmodi vota si non adimpleãt, procuIdubio peccant, vt in *cap. relatum, de sentent. excom. l. si quis rem. ff. de pollicit. D. Thom. 2. 2. q. 88. nu. 8. Sayr. & Sanch. locis citatis, & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 13. sub num. 25* Idẽ puto dicendum de votis realibus, si serui peculium habeant, & res, quarum naturale dominiũ retinent: nam de eiusmodi rebus; cùm sint earum Domini possunt, ac debent vota realia reddere.

27 Dico decimononò peccare seruos si Religionem ingrediantur, aut ad bellum proficiscantur, etiam contra infideles citra Dominorum consẽsum: siquidem serui quemadmodum non possunt uouere ea, in quibus Dominis subditi sunt; ita etiam non possunt aliquid agere circa eadem cõtra Dominorum voluntatem. Vndè Religionis ingressus, & professio nullam uim haberent in eorum Dominorum præiudicium, ut habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 6. §. 7.*

28 Dico vigesimò peccare seruos in actibus legitimis dolosè se ingerentes, præsertim si liberos se asserant; atque ideò accusent, testificentur, iudicent, & alia eiusmodi faciunt: siquidem actuum legitimorum sunt incapaces serui, vt habetur ex *D. Anton. loc. cit.*

29 Dico uigesimoprimò peccare seruum scienter matrimonium contrahentem, cum libera ipsius serui conditionem ignorante: & è conuerso, & matrimonium est nullius momenti, vt in *cap. ad nostram, de coniug. seruor.* Est tamen verũ, quod circa nullitatem matrimonij id limitatur multis modis. Primò, vbi conditio contrahentis non fieret deterior, vt cùm seruus matrimonium contrahat cum serua putans esse liberam: vel seruus contrahat cum libera putans esse seruam, atque ideò melior redderetur eius conditio, vt per *D. Thom. in 4. d. 36. & Tolet. lib. 7. sua summ. cap. 3.* Secundò, limitatur, vbi errans ita contrahat, vt paratus sit matrimonium contrahere, etiam cognita tali conditione seruitutis, vt per *Nauarr. in Man. cap. 2. num. 35.* Idem dicendum est, vbi cognita deteriori conditione post contractum matrimonium iterum copulam habeat is qui errauit cum eadem serua affectu maritali, aut de nouo expresè vtriusque accedat consensus; quoniam tunc matrimonium dicitur ratificari, & de nouo contrahi. Etenim potest esse matrimonium inter seruos, & liberos, & seruos, & seruas, vt in *cap. 1. de coniug. seruor. & cap. si quis liber, 29. q. 2.* Et id non solùm consentientibus, sed etiam cõtradicentibus, & ignorantibus eorum Dominis: nam sicut seruus non subditur Domino, quin possit liberè comedere, dormire, & alia huiusmodi facere, quæ ad necessitatem corporis secũdum naturam necessaria sunt, quoad ea, quæ pertinent ad interiorem dispositionem, nempè ad orandum, Sacramenta suscipienda, &c. ita etiam non subditur quin possit matrimonium contrahere domino ignorante, vel etiam contradicente; tanto magis, quòd non propterea eximuntur à seruitijs ipsi Domino debitis, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 3. cap. 6 §. 7.* Est tamen verum, quòd si serui matrimonium contrahant, accedente Domini voluntate, non possunt vendi in locis, vbi impediatur vita coniugalis: secus autẽ si Domino contradicente, vel ignorante: quia tũc possent vendi etiam extra dicta loca: quamuis id non debeat Dominus absque vrgenti necessitate: aliàs lethalem culpam contraheret, vt per *Tolet. loc. cit.* vbi etiam addit, quòd Dominus nõ potest horum torum impedire dum præsentes sunt.

De Patrono, & Liberto, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Patronus dupliciter sumitur, vel Canonicè, vel ciuiliter.*
2 *Peccant patroni recusantes libertorum suorum tutelam.*
3 *Peccant patroni denegantes alimenta libertis, non habentibus vnde se alant.*
4 *Peccant patroni, qui ad tutelam libertorum succedentes, bonam educationem ipsorum fideliter non curant.*
5 *Peccant patroni, qui seruos in fraudem creditorum manumissos velint in seruitutem reuocare.*

6 Pec-

6 *Peccant patroni, quorum serui de iure facti sūt liberi, si ipsorum tutelam non suscipiant.*
7 *Peccant liberti, debitum obsequium non præstantes patronis, eorundemque vxoribus hæredibus & priuignis.*
8 *Ista vera sunt in patronis qui voluntarie seruis suis gratuitam præstiterunt libertatem. secus si ex causa fideicommissi, atque ideò ex necessitate.*
9 *Peccant liberti, in fraudem patronorum aliquid alienantes.*
10 *Libertus Ecclesiæ in multis differt à liberto priuatorum.*

1 AD huius rei explicationem est adnot. quòd Patronus dupliciter sumitur. Primò Canonice, & secundum iura Canonica, & est ille, qui potestatem habet in Ecclesia præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum, pro eo, quod de consensu Episcopi eam fundauit, cōstruxit, vel dotauit ipse, vel is, à quo causam habuit, vt habetur ex *Panor. & alijs in rubr de iure patr* & de hoc non loquimur, sed in seq. sec. Deo duce agemus. Secundò Patronus sumitur ciuiliter, seu secundum iura ciuilia, & dicitur ille, qui seruum manumisit, & dicit ordinem ad libertū, qui ex seruo factus est liber per manumissionē. Vndè manumissor appellatur Patronus: & seruus manumissus dicitur libertus, qui in hoc differt ab ingenuo, quòd prior per manumissionem efficitur liber; posterior verò nascitur liber. His breuiter adnotatis, dicimus, quòd peccant Patroni.

2 Primò, recusantes libertorum suorum tutelā: nam sicut succedunt libertorum hæreditati; ita debent succedere ad tutelæ onus, vt in § 1 *in instit de legit patr. tutela, l. 1 ff de legit. tutor* Hoc dictum ampliatur primò, vt Patronus succedat in tutelam liberti, siuè spontè, siuè compulsus ex causa fideicommissi manumisit, vt in *l tutela, in fin ff de legit. tutor.* Secundò ampliatur, vt in liberti tutelam succedat non solum Patronus; sed etiam patroni filius, mortuo patre: Et si aliquando liberti hæreditatem non obtineat, vt in *d. l fin.* Limitatur tamen hoc ipsum dictum, vt non procedat, vbi fœmina sit, quæ manumisit seruum: nam quamuis fœminæ patronæ dicantur; non tamen tenentur libertorum tutelam suscipere; sicut nec patroni vxor, filia, neptis, &c. vt in *d. § 1. de legit. patr. tut. & d. l. 1. ff. de legit. tutor.* Secundò limitatur, vt quamuis filij patroni succedant ad tutelam libertorum; nihilominus si patronus apud hostes sit, patroni filio tutela non defertur; sed interim à Prætore datur, vt in *d. l. 1. §. si apud hostes.*

3 Secundò peccant patroni, si libertis non habentibus vndè se alant alimenta denegent, & ob id perdunt iura patronorum, vt liberti efficiuntur ingenui, vt in *l. Diuus Claudius, ff. de iur. patr.*

4 Tertiò peccant patroni, qui ad libertorum tutelam succedentes, eorum bonam educationem fideliter non curant: & tutelam ipsam fideliter, & viriliter non administrent, iuxta ea, quæ supra diximus de tutore, & curatore tractantes.

5 Quartò peccant Patroni, qui videntes seruos manumisisse in fraudem creditorum, velint manumissos in seruitutem reuocare. Etenim quamuis peccauerint, in fraudem creditorum eos manumittendo, & libertatis datio sit inutilis respectu creditorum; nihilominus manumissio respectu manumittentium valida est; & propterea, si creditores manumissionem ratam habeant, manumissores non possunt eam reuocare, vt in *§. 1.* & ibi *Glos. in vers. Nihil agit, in instit. quib. ex caus. man non lic.*

6 Quintò peccant Patroni, quorum serui de iure facti sunt liberi, si huiusmodi libertorum non suscipiant: siquidem etsi propter patronorum crimen, libertorum hæreditas ad ipsos patronos non deferatur; succedunt tamen ad legitimæ tutelæ onus, vt in *l. 1 §. interdum, ff de legit tutor.*

Quo verò ad libertos è conuerso.

7 SExtò peccant Liberti, si debitum obsequium patronis, eorūdemque vxoribus, liberis, hæredibus, etiam extraneis, & priuignis non deferant, vt col igitur ex toto *tit. de obseq. patr. præst. & l 2 l. parens, cum plur seq. ff.* Consistit autem obsequium in hoc, vt non possint liberti vocare patronos in iudicio sine venia: vt teneantur illis assurgere coram eis trāseuntibus: vt teneātur alimenta eisdem præstare, si indigeant, ad operas autem, si tempore manumissionis eas non promittant, non tenentur, *l. operis. & toto tit ff de oper. liber* Adde, quòd non solùm ob obsequium patronis non præstitum Liberti, tanquam ingrati possunt in seruitutem reuocari, sed etiam ex omnibus causis, ex quibus reuocatur donatio: nempè si Liberti manus in patronos iniecerint, si atrocem iniuriam, seu graue damnum in patronorum personis, vel rebus intulerint, &c. ut per *Glos in cap fin de donat D Anton. 3 par. tit. 3 cap. 6 §. 4. in fine, Syl. in sum. vers. Manumissio q 2. T ab in sum. vers Libertus §. 1. nu. 2. & Moises.* post alios *par 1. sua summ. tr. 11. cap. 18 num 89.* Imò etiam pro leui iniuria in faciēdo commissa contra patronum libertus in seruitutem reuocatur, ut in *l si manumissus, C. de liber. & eor. liber.* Ingratus autem dicitur libertus non solùm ubi obsequium patrono non præstat; sed etiam si res eius, filiorumue tutelam administrare detractat, ut in *l. ingratus, ff. de iure patr* Et non solùm Liberti, propter eorum ingratitudinem efficiuntur serui; sed etiam libertorum filij ingenui, ut in *l. fin C. tit cit.* Et id tam pro ingratitudine commissa in patronos, quàm in eorum liberos, & hæredes, etiam extraneos, vt in *l. liberti, C de liber. & eor. liber.* Et denique per ingratitudinem reuocati in seruitutem non possunt ulterius ad libertatem perduci sine licentia Principis, ut in *d l. si manumissus.*

8 Hæc autem limitantur vera esse in illis patronis, qui voluntariè seruis suis gratuitam libertatem præstiterunt: secus autem in illis patronis, qui ex causa fideicommissi, atque ideò ex necessitate libertatem contulerunt eorum seruis: nam hi ex capite ingratitudinis non habent ius reuocandi eos in seruitutem, vt in *l. 1. C eod tit* Idem puto dicendum esse de eo, qui de iure efficitur liber, ex eo, quòd necem Domini sui detexerit: siquidem talis nullius efficitur libertus; sed statim erit ingenuus, vt in *l. si necem Domini, ff. de bon. libert.*

libert. Quod si ancilla vendita sit pacto, ne prostituatur, si emptor contrauenerit, ancilla fit libera, non ementis, sed vendentis, *l. Diuus Vespesianus, ff. de iure patr.* Secundò limitantur, vt quamuis liberti propter vitium ingratitudinis reuocari possint in seruitutem ab eorum patronis, qui gratuitò eos manumiserunt; nihilominus non statim commissa ingratitudine, efficiũtur ipso facto serui, vt benè notat *D. Anton. loco citato, in finalibus verbis.*

9 Septimò dicimus peccare libertos, in fraudem patronorum aliquid alienantes. Etenim quamuis libertus si habeat minus centum aureis in bonis possit securè testari; etiam patrono preterito, nihilominus si plus cẽtum habeat in bonis, & careat liberis, & collateralibus cognatis, non potest preterire patronum, sed ei debetur legitima portio, vt *in l. 1. C. si in fraud. patr.* Vndè alienando eius bona dolosè, vt habeat in bonis minus centum, vt patronum fraudet legitima portione, proculdubio peccat, cùm faciat contra *tex. in l. liberto ff. de bon. quæ liber.* Quod quidẽ verum esse dicimus, n. si patroni filius libertum paternum calumniosè in seruitutem petierit; quoniam tunc ei non debetur legitima portio liberti, vt *l. qui in seruitutem,* & ibi *Glosa, ff. de bon. libert.* Idem dicendum est si patroni filius maior 25. annorum accuset libertum de capitali crimine, nempè pro quo statuta sit mors naturalis, vel ciuilis, nempè amissio Ciuitatis, vel libertatis, vt *in l. filius patroni*, & ibi *Glosa, ff. eod tit.*

10 Hæc quæ huiusque diximus de libertis priuatorum non omnia vera sunt quoad libertos Ecclesiæ: siquidem libertus Ecclesiæ in multis differt à liberto priuatorum: nam prior reuocatur in seruitutem propter operas non præstitas, vt *in cap. Diaconi, 12. q. 2.* non sic posterior, *l. solo, C. de liber. cau.* Secundò filij liberrorum Ecclesiæ, etiam post manumissionem nati, sunt obnoxij Ecclesiæ, vt *in cap. de liberis, 12. q. 2.* filij verò priuatorum secus *l. 1. & 2. C. de libert. & eor. liber.* Tertiò liberti Ecclesiæ tenentur operas præstare Ecclesiæ; etiam non promissas, vt *in d. cap. diaconi:* non sic alij, nisi id promittant, *l. operis, & toto tit. ff. de oper. liber.* Quartò liberti Ecclesiæ propter vitium ingratitudinis reuocantur in seruitutem, etiamsi ordinati fuerint, & si ordinentur, non possunt de acquisitis quocumq; modo in alios præter quam in Ecclesiam transmittere: at liberti priuatorum non item, vt *ex Host. & alijs Syl. in sum. ver. Manumissio, q. 8. Tab. ver. Libertus, §. 2. num. 3. & alij.*

De Patrono Ecclesiæ, & de ijs, qui ad Ecclesiam, seu ad beneficium Ecclesiasticum præsentantur, ac de eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

S E C. VIII.

S V M M A R I V M.

1 *Iuspatronatus Canonicum in Ecclesiasticum, & laicale diuiditur.*

2 *Iuspatronatus Ecclesiasticum in multis differt à laicale.*
Et quod tempus habeat ad præsentandum patronus Ecclesiasticus, & quod laicus.

3 *Patronus ob ignorantiam excusatur in omni euentu, in quo probabili laborat ignorantia.*

4 *Patronus Ecclesiasticus si præsentauerit indignum, erit nullius momenti præsentatio, & deuoluitur institutio ad Ordinarium; secus si patronus sit laicus.*

5 *Legatus conferre potest beneficia patronata Clericorum, non verò patronata laicorum.*

6 *Clausula generalis derogatoria in rescripto Romani Pontificis includit tantum iuspatronatus Ecclesiasticum, non verò laicale.*

7 *Quid sit Iuspatronatus Ecclesiasticum. Et in quo consistat honor patronis debitus.*

8 *In acquisitione iurispatronatus consensus exigitur, Diœcesani, & satis est si post fundationem, ædificationem, & c. interueniat.*

9 *Iuspatronatus acquiritur fundatione, vel ædificatione, aut Ecclesiæ dotatione, & etiã Ecclesiæ readificatione.*

10 *Iuspatronatus etiam acquiritur ex fundatione, seu constructione altaris, vel hospitalis.*

11 *Acquiritur etiam Iuspatronatus per successionem, & in eo succeditur in stirpes, non vero in capita.*

12 *Acquiritur etiam Iuspatronatus per alterius donationem vel renunciationem, sed fundatoris donatio, seu renunciatio nocet omnibus, alterius verò nocet tantum renuncianti, non verò alijs descendentibus.*

13 *Etiam iure legati acquiritur Iuspatronatus, et quomodo. Sic etiam, & per venditionem, & quomodo,* & n. seq.

14 *Peccat primo Patronus, si Iuspatronatus vendat, & simoniam committit. Dummodò vendatur specialiter; secus si cum Vniuersitate bonorum.*

15 *Peccat Patronus fraudulenter donando Iuspatronatus laico, vt scilicet Ecclesiæ conditio deterioretur.*

16 *Peccat Patronus, & simoniam cõmittit, si Iuspatronatus donet, vel vendat etiam cum Vniuersitate bonorum cum pacto tamen, vt ipsum in beneficio præsentet.*

17 *Peccat Patronus præsentans aliquem cum pacto, vt præsentatus locet ipsi Patrono bona, seu partem bonorum Ecclesiæ patronatæ.*

18 *Peccet Patronus, præsentans aliquem sub quacumque alia spe rei temporalis.*

19 *Peccat Patronus, exigens aliquid in recognitionem Iurispatronatus.*

20 *Peccat Patronus, præsentans personam indignam.*

21 *Peccat patronus præsentans Rectorem, contempto Compatrono. Idq; quando verum sit.*

22 *Peccat Patronus, non defendens Ecclesiam, cuius est Patronus.*

23 *Peccat Patronus, vsurpans sibi iuspatronatus, ex eo quod Ecclesiam ipsam fundauit, ædificauit, vel dotauit, non interueniente Episcopi consensu.*

24 *Peccat Patronus, vendicans sibi Iurapatronatus, dum non habet authenticas scripturas, aut legitimas præsentationes cum legitimo tempore, non exhibet, quamuis afferat testes,* qui

qui deponant de fundatione, &c.

25 *Peccat Patronus, si post institutionem Rectoris legitimè factam, Rectorem ipsum turbet, aliũque velit præsentare. Et an præsentatio fieri possit per procuratorem.*

26 *Peccant Patroni si plures sint eiusdem Ecclesiæ, & irrationabiliter discordent in præsentando, odio, amore, temporali commodo, &c.*

27 *Peccant Patroni ab Ordinario appellantes, qui ex iusta causa recusat præsentatum instituere, tanquam videlicet inhabilem, vel minus Ecclesiæ vtilem.*

28 *Peccant Patroni, iuspatronatus fundatum in certo prædio ad aliud corpus bonorum transferentes.*

29 *Peccat præsentatus, si simoniace, mediante scilicet aliquo temporali commodo à patrono procurauerit præsentari. Sic etiam si agnoscens se minus idoneum, ab Episcopo institui procuret.*

30 *Peccat præsentatus, & institutus, si patrono ad inopiam redacto, alimenta non tribuat.*

31 *Peccat præsentatus si honorem debitum patrono non deferat.*

1 Diximus superiori *sec.* patronum sumi dupliciter canonicè scilicet, & secundùm ius canonicum: & ciuiliter, idest secundum iura ciuilia. Egimus supra de patrono secundi generis, atq; ideò de patrono secundum iura ciuilia; restat modo competenti ordine videndum de patrono secundum iura canonica consideratũ, & de iure patronatus Ecclesiarum, per quod Ecclesiæ dicuntur quodammodo in seruitutem redigi, vt *in Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 9.* Ad cuius rei explicationem est adnot. quòd ius patronatus canonicum, seu de iure canonico, quod in principio proximæ *sec.* definiuimus, & de quo in præsenti *sec.* agendum duximus, diuiditur in iuspatronatus Ecclesiasticũ, & in iuspatronatus laicale. Primum dicitur, quod est institutum intuitu, & de bonis Ecclesiæ, siue institutum sit à Clericis sæcularibus de bonis Ecclesiæ sæcularis: siue à Regularibus de bonis Monasterij. Secundum verò appellatur, quod ex proprijs bonis laicorum constituitur: siue laici masculi sint, siue fœminæ, vt post alios probat *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 5. num. 43. & 48.* & ante ipsos *D. Anton. 3. p. tit. 12. cap. 12. ante §. 1.* & latissimè *Lambert. de iurepatr.*

2 Differunt autem iuspatronatus Ecclesiasticũ, & laicale inter se in pluribus. Primò, quia ad præsentandum patronus laicus habet quatuor tantùm menses: patronus verò Ecclesiasticus habet sex menses, quamuis à laico reacquisierit ius patronatus, vt *in cap. vnico, §. verum, de iurepatron. in 6.* & satis est si præsentatio fiat vltima die vltimi mensis, vt habetur ex *Gemin. & Frãch in d. cap. vnico, §. verum, in 2. not. num. 2. & Ioan. Andr. in cap. cùm vos, de offic. Ordin.* Mẽsis autem accipitur, prout currit in calendario, & currit continuè de momento ad momentum, & de hora in horam: tam diebus festiuis, quàm non festiuis, vt per *DD. in cap quæsitum, §. electus, super Glos. in ver. Mensem, de elect. in 6.* Non tamen currit terminus, nisi à die scientiæ post vacationem: & hanc sententiam receptiorem esse, & ità pluries fuisse decisum post *Ricc. decis. 172.* & alios testatur *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 5. nu. 54.* Dixi, *Hanc esse receptiorem sententiam*, quoniam, quòd currat tempus à die vacationis etiam ignoranti, & non computetur tempus à die scientiæ, quamplurimi sunt *DD.* præsertim *Lãbert. de iur. patr. par. 2. lib. 2. art. 8.* vbi inquit, hanc esse communem ex Rota: & id ne laici ad eorum libitum vacare sinant: & ità hodie seruari testatur; quoniam per Ordinarium non admittitur ignorantiæ allegatio, vel impedimenti; sed elapso tempore dato ad præsentandum, incontinenti ipse prouidet. Quam quidem sententiam videtur quoque sequi *Graff. par. 2. decis. lib. 2. cap. 26. sub num. 3.* duabus tamen ex eodem *Lamber.* adhibitis limitationibus; nempè quando beneficium vacaret per secretam resignationẽ beneficij, vel Ecclesiæ: aut quando beneficiarius esset absens in longinquis partibus, & Ecclesia regatur per suum Vicariũ: siquidem dictis casibus patronus probabili laboratet ignorantia, quæ regulariter excusat: atq; ideò non currit tempus, nisi à die scientiæ.

3 Sed re vera videtur, quòd si patronus excusatur ab ignorantia in prædictis casibus, excusabitur quoq; non tantùm in illis duobus casibus; sed in omni alio euentu, in quo probabili laborat ignorantia; cùm non possit assignari diuersitatis ratio, cur potius in prædictis casibus excusetur patronus, & non in alijs, si probabili laboret ignorantia, cùm ignorantia probabilis excuset ab omni contumacia, vt nos ostendimus in *nostris Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap. 2. q. 5. num. 19. & 20.* Sed quicquid sit de hac re, id tamen est certum, quòd si laicus patronus vna cum Clerico habeat iuspatronatus, laicus gaudet priuilegio Clerici; ita vt habeat sex menses ad præsentandum, nisi Clericus habeat iuspatronatus ratione proprij patrimonij; quia tunc in præsentatione haberetur tanquam laicus, cum iuspatronatus sit mere laicale, vt habetur ex *Panor. in cap. cum te, de iure patr. Vasq. cap. 2. de Benefic. §. 1. dub. 3. num. 12. & 13.* & ex alijs apud *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 5. num. 55.*

4 Secundò differunt iuspatronatus Ecclesiasticũ, & laicale: siquidem patronus Ecclesiasticus si præsentaret indignum, præsentatio esset nullius momenti, & deuolueretur institutio, seu libera collatio ad Ordinariũ; atq; ideò perdit ius præsentandi pro illa vice: secus autem si patronus esset laicus, quoniam si præsentet indignum, admittitur ad præsentandum iterum, vt *in cap. cum vos,* & ibi *Ioan. de Anan. num. 3. de offic. Ordin.* & hanc sententiam tutiorem, & æquiorem esse, ait *Graff* post alios *par. 2. decis. lib. 2. cap. 16. nu. 20. & Molfes. d. cap. 5. num. 64. & 65.* Benè verum est, quod Clericus patronus, qui variandi facultatem non habet, si indignum præsentet Vicario Episcopi, qui admittendi præsentatum ius non habet: & idoneum Episcopo, valet præsentatio idonei facta Episcopo; atq; ideò non priuatur iure præsentandi propter indignum Vicario præsentatum, qui cùm non habeat ius admittendi, habetur pro non facta. Et si essent plures patroni, quorum alter præsentet idoneum; alter verò minus idoneum, præsentatio vnius non nocebit alteri. Ità *Surd. cons. 28. num. 37. Ricc. in praxi iurispatron. decis. 209. & Molfes. d. cap. 5. nu. 66.* Dicitur autem quis indignus, seu minus ido-

 neus,

neus, suspensus ab ordine, excommunicatus, irregularis, & alij eiusmodi, de quibus *Ricc.* post alios, *loc.cit. decis.* 183.*cum seq.* Imò si quis præsentet inhabilem sub conditione impetrandi dispensationem super inhabilitate, non priuaretur facultate iterum præsentandi, etiam si patronus clericus esset, dummodò tempus non fuerit elapsum, vt ex *Lapo*, & alijs inquit *Ricc.* ibi *decis.* 205.*& Molfes.d.cap.*5.*num.*69.

5 Tertiò differunt iuspatronatus Ecclesiasticũ, & laicale: quia legatus potest conferre beneficia patronata Clericorum; non autem beneficia patronata laicalia, *cap. cum dilectus, de iurepatr. & cap.dilectus, de offic.deleg.* latè *Ioan.de Imola in Clem. per litteras, de praben.* Quod tamen verum est, quando iuspatronatus pertinet ad Clericum, tanquam ad Clericum ratione dignitatis: secus autem si spectaret ad Clericum tanquam ad laicum ratione patrimonij, vt habetur ex *Anton.de Butr.in d.* §*cap.cùm dilectus, num.* 5. Adde, quòd si Clericus, & laicus sint simul patroni, tunc legatus à latere non potest huiusmodi beneficium conferre; quoniam nõ debet priuari laicus patronus propter mixturam Clerici, nisi laici consensus interueniat, vt per *Abb. in cap.fin.num* 9.*de iurepatr. Felin.in cap. multorum, de Iuda. & Graff.par.*2.*decis.lib.*2.*cap.*26.*num.*24.

6 Quartò differunt iuspatronatus Ecclesiasticũ, & laicale: quoniam si in rescripto Rom. Pontificis adsit clausula generalis derogatoria: *Ad cuiuscumq; præsentationem beneficium pertineat*; tunc censetur derogatum Ecclesiastico. At per illam clausulam non censetur derogatum iuripatronatus laicali; sed laicorum debet fieri expressa mentio, nempè, *Ad cuiuscumq; præsentationem pertineat, etiam laicorum*, vt habetur ex *Couar.pract.qq.cap.*36 *Lamber.* & ex alijs relatis à *Molfes.in d cap* 5 *à num.* 85. *ad* 90. vbi id ampliat verum esse, etiã si laici patroni essent in pacifica possessione, & non constaret, se esse veros dominos: vel si simul ad Clericos, & laicos spectaret iuspatronatus: quia non censetur derogatum laicorum iuripatronatus; nisi de eis fiat specialis mentio saltem modo supradicto; quia in re indiuidua, non debet sociu sentire damnum ratione socij. Imò dicta clausula, *Ad cuiuscumq; præsentationem pertineat, etiam laicorum.* Satis non est ad derogandum iuripatronatus, spectanti ad Imperatorem, Reges, Duces, & alios Principes habentes præcipuè iura Imperij, nisi specialis, & expressa de illis in rescripto Rom. Pontificis fiat mentio, vt habetur *ex regula Cancell.* 40. *Garz. par.* 5. *de benefic. cap* 1.*num.*214 *cum seq* vbi latissimè tractat de iurepatronatus Regum Hispaniarum, & Franciæ, & *Molfes.d cap.*5.*num.*89. vbi refert dictã regulam Cãcellariæ de verbo ad verbum: & ibi etiam *num.* 86. ex Doctoribus supra citatis regulam statuit, vt nunquam in rescripto Papæ censeatur derogatum iuripatronatus etiã Clericorum, nisi iurispatronatus fiat mẽtio, vt supra; sed rescriptum præsumitur subreptitium. Quamplurimas alias differentias inter iuspatronatus Ecclesiasticum, & laicale, vide apud *Host. in sum.de iurepatr. vers. In quibus differat, nu.*10. *Io. Andr.in cap.cum propter eod. tit. & Franc, in cap.vnico, eod.tit.in* 6.

7 Definitur autem ius patronatus, tàm Ecclesiasticum, quàm Laicale ex *Ioann.Andr. Panorm. Anan.in rub. de iure patr. Henr. Boich in cap. quoniam, eod.tit.* & ex alijs recens. hoc modo: Ius patronatus est ius honorificum, onerosum, & vtile, competens alicui in Ecclesia, ex eo, quod ex Diœcesani consensu Ecclesiam construxit, fundauit, vel dotauit ipse, vel is, à quo ipse accepit. Dixi, *ius* loco generis. Dixi, *honorificum, onerosum, & vtile*, quoniam, vt latius infra dicemus, Patrono debẽtur tria; nẽpè honor, onus, & emolumentum. Honor consistit in præsentatione, & reuerentia. In præsentatione; quoniam præsentat ad præbendas, & ad Ecclesias non collegiatas. In collegiatis autem non exigitur consensus eius pro electione facienda; sed tantùm electus ei præsentatur, & consensus postulatur, vt in *cap nobis, & toto tit. de iure patr. D. Anton.* 3. *par.tit.*12. *cap.*12.*ante* §.1.*Syl.in sum.vers.Ius patronatus ante* 1.*q.Graff.par.*2.*decis.lib.*2 *cap.*26. *sub nu.* 2. & alij. Consistit etiam honor in reuerentia, quæ Patrono debetur: siquidem Patronus in sua Ecclesia patronata sedet iuxta Prælatum, & in processione præ alijs honoratur, cùm primus incedat, honorificentius suscipi, & studiosius seruiri debeat, *cap. pia mentis,* 16. *q.*7. vbi etiam *Turrecram.& Molfes. par* 1.*sua sum.tr.*6. *cap.* 5.*num.*35. vbi testatur, in Ecclesia Montis Oliueti Neap. in die Palmarum dari Patrono de familia Ill. Aurilia palmã, antequã detur singulis alijs, etiam si sibi adesset Prorex; Et idem seruari in datione candelæ in die Purificationis. Est tamen verum, quòd eodem tempore accedere solent duo Patres; quorum alter Patrono, alter verò Proregi palmam, seu candelam tribuunt. Onus autem consistit in defensione Ecclesiæ, vt inferius latius explicabitur. Et denique vtile; quoniam Patrono indigenti debentur alimenta, vt infra declarabimus. Dixi, *alicui in Ecclesia*, scilicèt non collegiata, vt supra diximus, & habetur ex *Conc.Trid.sess.*25.*de refor. cap.*9. in illis verbis: *Reliqui patronatus omnes, &c.*

8 Dixi, *Ex Diœcesani consensu.* Etenim in iuris patronatus acquisitione exigitur Diœcesani cõsensus, vt habetur ex *Panor. & alijs in cap. nobis, de iure patr.* qui quidem consensus satis est si interueniat ante, vel post fundationem, ædificationem, vel dotationem Ecclesiæ, vt latè *Lãbert.* & alij, quos refert, & sequitur *Garz. de benefic.par.*5 *cap.*9.*num.*71. *& seq. Ricc. de iure patr decis.*140.*num.*2.*& seq.* & ita pluries fuisse decisum, testatur *Molfes. d. cap.*5. *num* 38. vbi etiam *num.* 39. *&* 40 inquit post alios, quòd Capitulum, Sede vacante, potest hanc eandem facultatem tribuere. Non tamen id potest Vicarius Episcopi, nisi de speciali eius licentia. Et si Episcopus, vel Capitulum, Sede vacante, irrationabiliter denegant consensum in constituendo iure patronato, tunc ad illum præstandum potest per Superiorem compelli, atq. *tex.in l.fin.*§. *necessitatem, C.de bon.qua liber. & Graff.d.cap.* 26.*num.*14.

9 Dixi, *Ecclesiam construxit, fundauit, vel dotauit*, quia ius patronatus acquiritur vno ex prædictis modis, nempè fundatione, ædificatione, seu etiam reædificatione; dummodò requisitus primus patronus noluerit Ecclesiam reædificare, & Ecclesia sit funditus destructa, vt inquit *Graff.*

Graff. par.2.decis. lib.2.cap.25.num.19. Denique ius patronatus acquiritur dotatione Ecclesiæ, vt cùm quis dat fundum pro construenda Ecclesia: aut ædificat, vel reædificat in fundo eiusdem Ecclesiæ: aut dotet ipsam Ecclesiam cõgruenter; ita vt dos satis sit ad subministranda necessaria pro numero ministrorum, qui constituuntur in ipsa Ecclesia, & insuper iura Episcopalia solui possint. Vndè ius patronatus non acquiritur ex augmento dotis; quia augmentum excedit congruitatem dotis, vt rectè ex *Garz. d. cap.9 num.* 122. & alijs declarat *Molfes. d.cap.* 5. *à num.* 21. *ad* 33. ubi etiam probat, quòd si plures æqualiter, vel inæqualiter competenter dotassent Ecclesiam construissent, uel fundassent omnes simul efficerentur patroni: sicut omnes patroni fierent quilibet pro eius portione si unus dederit fundum tantùm: alius ædificauerit Ecclesiam: & alius eandem dotauerit. Etsi vnus tãtùm uelit esse patronus, tenetur soluere æstimationem fundi illi, qui fundum tribuit; & expensas ei, qui ædificauit, ut habetur ex *Lamber. lib.* 1. *de iure patr. par.* 1. *q.* 3. *in princ. in quinque primis articulis, & par.2.ar.23. q.* 1. *in princ.* quibus adde, quæ latissimè habentur ex *D. Anton.* 3 *par.tit.*12. §.6. & 7. vbi nonnullas quæstiunculas ad hanc rem pertinentes resoluit: & id, quod habetur ex eod. *Lamber.* post *Panor.* & alios, *lib.3.de iure patr.ar.4.q.5. in princ.num.* 5. & *seq.* dum ait, quòd reficiens Ecclesiam requisito fundatore, potest apponere arma, seu insignia suæ familiæ in ostio, vel in alio loco Ecclesiæ: non tamen potest tollere arma primi fundatoris; sed tantùm potest versus, seu litteras apponere, quæ se habeant, Ecclesiam illam fuisse suis sumptibus reædificatam. Verumtamen est, quòd si quis dederit fundum, & sequuta sit ædificatio, sed non fuerit subsecuta dotatio, non acquiritur ius patronatus: quoniam nõ dum dicitur Ecclesia si constructio non sequatur ac dotatio, vt post *Panor.* & alios docet *Reginal. lib.*30. *sua prax.tr.*3. *num.* 209. & *Molfes. loco citato, num.*30.

10 Quæ diximus de fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ, aut alio ex dictis modis acquiratur ius patronatus, extendimus etiam ad fundantes, construentes, & dotantes altare, vel hospitale; atque ideò sicut ius patronatus acquiritur per fundationem, vel dotationem Ecclesiæ, ita etiam per fundationem, vel dotationem altaris, vel hospitalis: quia idem iuris est de Ecclesia, & altari, cùm etiam nomine altaris Ecclesia intelligatur, *cap. quæsitum*, 11. *q* 3. & *cap. si motum, de consecr. d.* 1. Et de hospitale est *tex in cap. inter dilectos, de donat.* quoniam omnia priuilegia Ecclesijs concessa, hospitalibus competunt, & translata sunt, *l. omnia, C. de Sacrosanct. Eccles. Felin. in cap. de quarta, num.* 3. *de præscrip.* & nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bul. Cœna lib.2.c.*15 *q* 16. *num.*10. Quod intelligendum est, vbi hospitale est fundatum auctoritate Episcopi; atque ideò Religiosum: secus si hospitale priuatum sit, ædificatum citra Episcopi facultatem: quoniam tunc fundans, construens, seu dotans eiusmodi hospitale non potest dici patronus; sed potius Dominus regens ipsum auctoritate propria: nec ab eo Episcopus potest exigere iura Episcopalia, vt habetur ex *Felino in d.cap. de quarta, num.*3. *vers. Quintò, de præscr.* & *Graff. d. cap.*26. *num.*7. & 8. Est tamen adnot. quòd licèt aliqui velint, ad acquirendum ius patronatum per dotationem Ecclesiæ, huiusmodi dotationem fieri debere ante consecrationem eius, vt habetur ex *Tab. in sum. verf. Ius patronatus*, §.3. *num.*4. & *Graff. par.*2. *decis. lib.*2. *cap.*25. *num.* 18. nihilominus si post consecrationem fiat dotatio, licèt malè fuisset actum; dotans tamen patronus efficeretur, vt benè declarat *D. Anton.* 3. *par. tit.*12. *cap.*12. §.6. Illud autem circa rem hanc noluisse silentio prætereundum, quod inquit *Molfes.* post alios in suis *Commentar. ad Consuet Neap. tom.*1. *par.*3. *qu.* 10. *num.*10. & *par.*2. *sua sum. tr.*13. *cap.*5. *num.* 205. dum ait, reijciendum esse pactum appositũ in fundatione Cappellaniæ, vel iuris patronatus, vt Episcopus nequeat se in illis ingerere, cùm sit contra iuris dispositionem, iuxta ea, quæ habentur in *l. non dubium, C. de legib.* quoniam implicat, legatum esse pium, & nolle Episcopum in eo se ingerere, cùm non possit quis disponere, vt leges non seruentur in suis dispositionibus, vt in *auth. licèt testator, C. de Episc. & Cler.* & *c. tuanos, de testam.*

11 Dixi denique, *Ipse, vel is, à quo ipse accepit*, quoniam ius patronatus acquiritur, non solum per fundationem, ædificationem, aut dotationẽ ipsiusmet fundantis, ædificantis, vel dotantis, & sic ex persona propria; sed etiam ex persona alterius, nempè per successionem; itaut in eo succedatur in stirpes, non autem in capita, vt si vnus frater tres filios relinquat hæredes, & alter quatuor, habentur, ac si duo essent: quoniam subingrediuntur in locum parentum, vt ex *Lamber.* & alijs probat *Ricc. de iure patr. decis.*210. Trãsit autem ius patronatus hæreditarium non solùm ad masculos; sed etiã ad fœminas, quamuis nuptas extra familiam, & ad descendentes ex eisdem fœminis; nisi aliter statutum sit in fundatione, seu dotatione, vt habetur ex *Garz. de benefic. p.* 5. *cap.*9. *num.*143. *Ricc. de iure patr. decis.* 175. & 193 & *Molfes. d. cap.*5. *num.*49. & *tom* 2. *ad Consuet. Neap. par.*4. *q.*40. *num.*4. vbi refert Cõsuetudinem Neapolitanam, secundum quam fœminæ succedunt ad ius patronatus hæreditarium ex defectu masculorum tantùm, sicut in alijs bonis: quo casu si fœmina, quæ iuri patronatus succedit sit nupta, licèt de iuris rigore secundum opinionem magis receptam, ad solum virum pertineat, cùm ipse solus dicatur dotis Dominus, *leg. dote ancillam, C. de rei vend.* nihilominus saltem de æquitate honoris causa, simul cum viro præsentabit quoque vxor: & multò magis vbi ius patronatus esset annexum bonis vxoris, quæ habet extra dotem, vt docet idem *Garz. d. cap.*9. *à nu.* 147. *vsque ad num.*185. & *Ricc. decis.*223. cum alijs, quos refert, & sequitur *Molfes. d. cap.*5. *nu.* 50. & 51. Illud tamen est adnotandum, quod tradidit *Graff* post alios *par.*2. *decis. lib.*2. *c.*25. *num.*26. dicens, ius patronatus ita demum ad hæredes sanguinis transire, cùm in bonis sunt hæredes; siquidem ius patronatus transit cum Vniuersitate bonorum. Vndè extraneo vniuersali hærede instituto, ius patronatus ad eum pertinet, & non ad filium, etiam in re certa institutum, vt per *Abb. in cap.*1. *de iure patr.* & *conf.*54. *lib.*1.

12 Acquiritur quoque ius patronatus ex persona alte-

alterius per donationem, seu renunciationem. Est tamen verum, quòd si donans, vel renunciās ius patronatus sit illius fundator, potest illud ad sui libitum renunciare, ac donare: si verò descēdat ab eius antecessoribus, tunc renunciatio, seu donatio nocet tantùm renuncianti; non autem ijs, qui ordine successiuo vocantur ad ius patronatus post mortem renunciantis: nam prior in gradu non potest præiudicare sequentibus in gradu, vt per *Glos. in l. peto, § fratre, vers. Ex familia, ff. de legat.* 2. & in terminis nostris est *Glosa in cap. vnico, vers. Eidem, de iure patr. Ricc.* cum alijs, quos allegat, *decis.* 116. *eod. tit. Garz. d. cap.* 9. *num.* 68. Imò donans, seu renuncians ius patronatus Clericis, & alijs Ecclesiasticis, licèt id facere possit citra consensum Episcopi, vt in *cap. vnico de iure patr. in* 6. nihilominus si donet illud Laico in fraudem maximè, & potentiori, requiritur Episcopi consensus, vt in *cap. cùm Laici, de iure patr. Graff. par.* 2. *decis. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 30. *Ricc. de iure patr. decis.* 180. & ante eos *D. Anton* 3. *par. tit.* 12 *cap.* 12. §. 2. *& Syl. in summ. vers. Ius patronatus, qu.* 5. Quod si Episcopus irrationabiliter dissentiret, posset per Metrapol. compelli, vt per eundem *Ricc. ibi, num.* 152. *& Molfes. d. cap.* 5. *num.* 81. *&* 82. cum alijs ab eo allegatis.

13 Acquiritur præterea ex persona alterius ius patronatus iure legati, vt si legatum esset particulari iure familiæ ius patronatus, quo casu omnes succedunt in capita, & non in stirpes: non sic si successio fieret iure hæreditario, vt supra diximus, & habetur per *Bald. in l.* 2. *sub num.* 4. *C. de suis, & legit. Ricc. in sua praxi de iure patr. decis.* 210. *num.* 269 *& Molfes. d. cap.* 5. *num.* 92. vbi etiam *num.* 93. id ampliat, vbi ius patronatus pertineret ad plures vti singulos; non autem vti vniuersos: quoniam fieret præsentatio à patronis per capita, & non in stirpes: Secus autē si competeret singulis, vt vniuersis; quia tūc fieret in stirpes, iuxta ea, quæ habentur ex *Lamber. lib* 1 *de iure patr. par.* 2. *q.* 5. *prin. ar.* 25. *nu.* 28. *cum seq. & ar.* 27. *& Ricc. loco citato in* 2. *limit.* vbi etiam inquit, quod in hac materia multum præualet obseruantia loci.

Acquiritur denique ex persona alterius ius patronatus per venditionem cum vniuersitate bonorum, & permutatione cum alio, *cap. nemini* 16. *q.* 7. latè *D. Anton.* 3. *par. tit.* 12 §. 2. & nos infra latius, Deo duce, dicemus. His ita prælibatis.

14 Dico primò peccare patronum si ius patronatus vendat, & insuper simoniam committit: siquidem ius patronatus est spirituali annexum, vt in *cap. de iure, de iure patr. Suar. tom.* 1. *de Relig. tr.* 3. *lib.* 4. *de simon. cap.* 28. *num.* 7. *& seq. Vasq. cap.* 2. *de benefic* §. 1. *dubit.* 2 *num.* 10. *&* 11. *Garz. d. cap.* 9 *num.* 11. *Graff. par.* 2 *decis. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 31. *Ricc. in praxi de iure patr. decis.* 178. *cum seq.* Quod tamen verum est quando specialiter venderetur ius patronatus de eo specialem mentionem faciens: secus autem si venderet illud cum Vniuersitate bonorum; nisi expressè excipiatur, vt si quis venderet Villam, vel Castrum, in quo esset ius patronatus, vt rectè declarat *D. Anton. loco citato, & §.* 5 vbi id ampliat, vt ius patronatus transeat etiam cum Vniuersitate in conductione ad firmam, siue ad pensionem, vt in *cap. ex litteris, de iure patr. Tab. in summ. vers. Ius patronatus, §.* 10. *Graff. par.* 2. *decis lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 31. *&* 32. *Garz. d. cap.* 9. *num.* 34. *&* 35. & alij apud *Molfes d. cap.* 5. *num.* 79. *&* 80. Hoc eodem modo posset etiam ius patronatus dari in feudum citra simoniæ labem: secus autem si specialiter, vt habetur ex *Tab. in sum. vers. Ius patronatus* §. 9. *num.* 10 Non tamē ius patronatus potest pignori obligari, nec simpliciter, nec cum Vniuersitate bonorum: quoniā creditor non potest vti re pignorata: nec debitor quando eam transtulit in creditorem: & propterea cùm neuter valeat præsentare, lęderetur Ecclesia contra *tex. in cap. cùm secundum, de iure patr.* Ità *D. Anton. in d. §.* 2.

15 Dico secundò peccare patronum fraudulenter donantē Laico ius patronatus, nempè, vt Ecclesiæ conditio deterioraretur; maximè si Laicus cui donatur sit potentior, cùm soleant Laici Ecclesiæ esse nimium infesti, *cap. Laicos, & cap. Laici,* 2. *q.* 7. Vbi autem donatio iuris patronatus sit Clericis, vel Ecclesiæ, aut alij loco Religioso, cum eripiatur à manibus Laicorum, proculdubio meliorationem cōsequitur: Et propterea in donatione dicti iuris facienda Laico exigitur Episcopi consensus; secus verò si fiat Ecclesiæ, loco Religioso, aut Ecclesiasticis, vt habetur ex *Graff par.* 2. *decis. lib* 2. *cap.* 25. *nu.* 30. *D. Anton.* 3. *par. tit.* 12. *cap.* 12. §. 2. & ex alijs Doctor.

16 Dico tertiò peccare patronum, & in simoniā incidere si ius patronatus donet, vendat cum Vniuersitate bonorum, aut eodem modo det in feudum, aut cum Vniuersitate in locationem ad firmam cum pensione, sub hoc pacto, vt ipsum patronum præsentet ad beneficium is, cui ius patronatus conceditur: hæc enim concessio est simoniaca: siquidem obligatio illa præsentandi cū sit ciuilis, est pretio æstimabilis, atque ideò datur patronus rem spiritualem, seu spirituali annexam pro illa obligatione, quæ res est temporalis. Est tamen verum, quòd licèt patronus non possit præsentare se ipsum, vt in *cap per nostras, de iure patr. & cap. in scripturis,* 8. *q.* 1. nihilominus, si Ecclesia vacante, Episcopus vocet patronum, & conferat ei motu proprio Ecclesiam patronatam, id fieri posse ex *Host.* docet *D. Anton.* 3 *par. tit.* 12 *cap.* 12. §. 1. *in fine*, per *tex. in cap. cùm in iure, de elect.* vbi etiam ait per illum *tex.* quod si plures essent patroni possent præsentare vnum de se ipsis; sicut patronus posset filium præsentare adde etiam *Molfes. d. cap.* 5. *num.* 78.

17 Dico quartò peccare patronum præsentantem aliquem cum pacto, vt præsentatus locet ipsi patrono bona, seu partem bonorum Ecclesiæ patronatę: siquidem tale pactum est simoniacum, cum obligatio locādi sit pretio æstimabilis. Imò patronus nullo modo potest habere administrationem Ecclesiæ patronatæ, non obstante quacūque consuetudine, vt habetur in *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 9. *de reform.* sub his verbis: *Patroni autē beneficiorum cuiuscunque Ordinis, & dignitatis; etiam si Communitates, Vniuersitates, Collegia quacunque Clericorum existant, in perceptione fructuum, prouentuum, obuentionum quorumcunque beneficiorum; etiam si verè de iure patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, nullatenus, nullaue causa, vel occasione se ingerant;*

rant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato, non obstante etiam quacumque consuetudine, distribuendos dimittant. Et re uera Rector cauere debet, quoad fieri potest à locatione bonorum Ecclesiæ ipsius patrono; etiam si præsentationis nullum pactum inter eos fuerit initum: siquidem huiusmodi locatio ferè semper solet tendere in præiudicium ipsius Ecclesiæ: & maximè si vltra triennium fiat locatio contra formam *extrauag. Pauli II. ambitiosæ, de reb. Eccl. non alien.* Nam vltra excommunicationem, quæ contrahitur vi d. extrauag. res Ecclesiæ manifestæ vsurpationi exponuntur, & confusæ cum alijs rebus patroni progressu temporis distingui nõ poterant. Ob id etiam *Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 11.* post damnatas anticipatas solutiones in locationibus Ecclesiasticis ita statuit: *Locationes verò rerum Ecclesiasticarum; etiam auctoritate Apostolica confirmatas, Sancta Synodus irritas decernit, quas à triginta annis citra, ad longum tempus, seu, vt in nonnullis partibus ad viginti nouem, seu bis viginti nouem annos vocant factas: Synodus Prouincialis, vel deputandi ab ea in dãnum Ecclesiæ, & contra Canonicas Sanctiones contractas fuisse indicabunt.*

18 Dico quintò peccare patronum aliquem præsentantem sub quacũque alia spe rei temporalis: & si interueniat pactum committitur simonia conuentionalis; & secuta solutione committitur realis. Non tamen simoniam committeret patronus, nec aliquam culpam contraheret si citra omne pactum à præsentato propter præsentationem speraret rem aliquam temporalem, sponte, & ex mera liberalitate, ac gratitudine tribuendam: siquidem simonia non committitur, vbi pactum non interuenit: & desideret aliquid ex mera liberalitate, ac gratitudine præsentati, non est desiderare illud in pretium rei spiritualis, sed est appetere officium naturæ qua inclinamur benefacienti benefacere. Etenim hac eadem ratione mutuans, non committit vsuram si intendat à mutuatario aliqu d ex beneuolentia, ac gratitudine citra omne pactum, vt cum communi Theologorum, & Canonistarum sententia, docent *Molina de contr. disp. 303 & Less lib. 2. de iust. & iur. cap. 20. dub. 5.* Et multò minus peccat patronus si post præsentationem factam citra omnem spem rei temporalis, Rector in recompensationem beneficij aliquod temporale eidem tribuat: quoniam res illa temporalis non datur in pretium rei spiritualis, sed ex gratitudine, ac beneuolentia. Nec patronus simoniam committeret aliquem præsentans sub pacto, vt alimenta sibi subministret, vbi eis indigeat; quoniam, vt infra dicemus, alimenta eo casu debentur patrono: & Rector potest etiam in foro exteriori cõpelli ad ea sibi præstanda, quamuis nullum pactum intercesserit. Imò quamuis interni simoniaci dicantur dantes, vel accipientes rem spiritualem pro temporali, seu rem temporalem in pretium rei spiritualis; nihilominus, nisi pactum interuenerit, non contrahunt excommunicationem latam contra simoniacos; quoniam illa exterior datio, seu acceptio rei temporalis pro spirituali, non est actus per se expressiuus internæ simoniæ; sed est actus indifferens: sola ergò exterior pactio rei spiritualis pro temporali, est actus simoniæ internæ per se expressiuus, vt in *c. mãdato, & cap. tua nos, de simon. Suar. de censur. disp. 4. sec. 2. Sayr. eod. tract. cap. 4. num. 19.* & adnotauimus *in nostris Commẽtar. in Bull. Cœnæ lib. .. cap. 1. q. 3. num. 52. & 53.*

19 Dico sexto peccare patronum aliquid exigentem à Rectore in recognitionem iurispatronatus: id enim exigi nequit, nisi cautum reperiatur in fundatione, seu constitutione dicti iuris, & reseruatum sibi à Diœcesano, vt habetur ex *Panor. in cap. præterea, de iurepatr.* & latè declarat *Tab. in sum. ver. Iuspatronatus, num. 22.*

20 Dico septimò peccare patronum præsentantem personam indignam: nam quatenus est ex parte sua infideliter se habet, cùm per talem præsentationem detrimentum inferat Ecclesiæ: & si præsentans indignum, sit Ecclesiasticus, præsentatio non solùm esset inualida; sed deuolueretur libera institutio pro illa vice ad Ordinarium: secus autem vbi præsentans esset laicus, quoniã tunc posset variare, ac præsentare dignum, vt ostendimus supra, differentia 2. inter iuspatronatus Ecclesiasticum, & laicale. Imò si duo ei offerantur, quorum alter sit dignior, tenetur præsentare magis idoneum, nisi ex certo loco deberet vnum eligere, quoniam tunc satis est, si idoneum de illo loco eligat, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 12. cap. 12. §. 1.* & latiùs §. 4. *Reginal. lib. 30. sua prax. tr. 3. num. 220. Vasq.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 5. num. 61. cum plur. seq.* quibus adde, quæ sup. adnotauimus *disp. 4. sec. 8. disp. 5 sec. 1. & disp. 6. sec. 9* de electione idoneorum tractantes. Est tamen circa rem hanc adnot. quòd si Collegium, aut Ecclesiastica persona est patrona, facta alicuius præsentatione, non potest amplius variare: at laicus potest variare saltem per viam cumulationis, idest non recedẽdo a primo præsentato, quatenus sit idoneus, præsentat alterum, ita vt sit in facultate Episcopi vnum ex illis instituere, vt benè probat *Garz. de benefic. par. 5. cap. 9. num. 11. & seq. Ricc. de iurepatr. decis. 173. & Molfes. loc. cit. num. 65.* Imò si plures essent patroni vnius Ecclesiæ, & eligant vnum, vel plures, aut compromittent in aliquem, vt ipse nomine eorum eligat, vel præsentet, vt sibi videbitur, per huiusmodi electionem non est ius quæsitum electo, vt *in cap. fin. de iurepatr.* atq; ideò, non obstante dicta electione, possent patroni alium præsentare, quoniam talis electio dicitur potiùs quædam postulatio, quæ antequã Superiori præsentetur, non impeditur alia electio, vt *in cap. bona, il 2. de postul* & latè *D. Anton. d. §. 4.* vbi etiam addit, quod præsentatus, & non admissus, potest agere contra non admittentem, vt *in cap. pastoralis, de iurepatr.* qui si alium non præsentatum instituerit, poterit primus appellare, & instare, sicut & patroni, vt institutum remoueatur.

21 Dico octauò peccare patronos, si plures essẽt, Rectorem præsentantes, aliquo ex ipsis patronis contempto: & præsentatio, ac ex ea institutio annullari potest à contempto, vbi contemptum prosequi velit, sicut in electionibus seruari probat *Panor. & alij in cap. quia propter, de elect.* Quod verum esse ait *Ioan. Andr. in nouel. super cap. quoniam, de iurepatr.* quem refert *D. Anton. loc. cit.* quando præsentatio pertinet ad vniuersitatis corpus, vel collegium, sicut de electionibus

nibus statuit *tex. in cap. cum in Ecclesijs, de præben. in 6.* siquidem non singuli vt singuli; sed vt corpus præsentare tenentur: secus autem si præsentatio spectet ad plures vt singulos; quia si præsentent, vt singuli, dato quod aliqui præsentationem suam faciant, alijs non vocatis, tenet: & illis non prohibetur, quin possint eundem, vel alium præsentare; ita ut ille, qui plures voces habeat, si sit idoneus instituatur. Et si primò præsentatus, ab Episcopo refutatus non fuit, si deindè alium præsentatum instituat, tunc cùm ius fuerit primò quæsitum, tenetur Episcopus primo præsentato de competenti beneficio prouidere in mensa sua; quoniam eum iniuria affecit, dum recusauit idoneum. Id autem quomodo verum sit, benè declarat *D. Anton. loc. cit.*

22 Dico nonò, peccare patronum, Ecclesiam, cuius est patronus non defendentem: siquidem iuspatronatus non solùm est honorificum, & vtile; verùm etiam onerosum: & id nō immeritò, cùm secundum naturam sit, vt eum sequātur incommoda, quem sequuntur commoda: & sequantur onera, quem sequuntur honores, ac succedat ad tutelæ onus, qui habet successionis emolumentum, vt *in §. 1. in Inst. de legit. patr. tut. & l. secundum naturam, ff. de regul. iur.* Etenim patroni debent diligentem curam habere de Ecclesijs, quarum sunt patroni, *cap. decernimus, 16. q. 7.* non solùm in præsentandis Rectoribus idoneis ab Episcopo instituendis: & non permittēdo, vt Episcopus, spretis ipsis patronis, quē maluerit, instituat; quibus casibus institutio aliàs esset nullius momenti, vt rectè declarat *D. Anton. d. cap. 12. cap. 4. in princ. & Molfes.* latè *d. cap. 5. num. 74.* vbi probat, institutionem non esse nullam ipso facto; verùm etiam in reparando Ecclesiam ipsam, si reparatione indigeat; & in reædificando, si collapsa sit; aliàs amittit ius patronatus. Debent quoque patroni sollicitam curam habere in defendendis bonis Ecclesiæ, ne dilapidentur, vsurpentur. Quod tamen intelligendum est, coadiuuando Rectores in iudicio, vel alio licito modo; non autem se intermittendo in administratione rerum Ecclesiæ patronatæ, cùm id eis expresse prohibeatur ex *Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 9.* & est *tex. in cap. præterea, de iurepatr.* latè *Ricc. in praxi, de iurepatr. decis. 165. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 5. num. 36.*

23 Dico decimò peccare patronum iurapatronatus sibi vsurpantem ex eo quòd Ecclesiam fundauit, ædificauit, & dotauit, non interueniente Episcopi consensu: siquidem iuspatronatus nūquam acquiritur; nisi accedat Diœcesani consensus, etiam si quis fundauerit Ecclesiam, construxerit, vel dotauerit, vt *in cap. nobis*, & ibi *DD de iurepatr.* & supra latiùs declarauimus.

24 Dico vndecimò, primò peccare patronum iurapatronatus sibi vendicantem, & authenticas scripturas non habentem, aut legitimas præsentationes cum legitimo tempore non exhibentē, quamuis testes afferat, qui deponant de fundatione, ædificatione, ac dotatione Ecclesiæ per ipsum facta, vt habetur *in Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 9.* ita se habente: *Sicuti legitima patronorum iura tollere, piasq; fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est; sic etiam vt hoc colore beneficia Ecclesiastica in seruitutem, quod à multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Vt igitur debita in omnibus ratio obseruetur, decernit sancta Synodus, vt titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iuris requisitis, ostendatur, siue etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasuè secundum iuris dispositionem. In ijs verò personis, seu communitatibus, vel vniuersitatibus, in quibus id ius plerumque ex vsurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ non minus saltem quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint, authenticis scripturis probētur, &c.* Pro cuius Conc. intelligentia sunt in primis pōderanda verba illa, *Ex authentico documento, & ex authenticis scripturis.* Quoniam, vt supra diximus, iuspatronatus non potest probari per testes, nec per libros visitationum, vt rectè post alios probat *Molfes. d. cap. 5. num. 44 & 45.* vbi etiam *num. 46. & 47.* per inscriptiones in marmoribus positas in foribus Ecclesiæ, si antiquæ sint, & non recenter scriptæ, inquit probari ius patronatus, vt decisum fuisse in facti contingētia, testatur *Vincēt. de Anna singul. 289. & Ricc. in praxi iurispatr. decis. 140. num. 7.* & præsentationes continuas vltra hominum memoriam satis probare iuspatronatus, etiam si in eis nulla facta sit mentio de fundatione, & dotatione, refert declarationem Sac. Congr. S. Concil. Trid. de verbo ad verbum, *Ricc. loc. cit. & Garz. d. cap. 9. num. 85. & seq.* Est denique adnot. pro explicatione d. Concil. quòd licèt in eo mentio fiat de fundatione, & dotatione Ecclesiæ; non tamen censetur excludere iuspatronatus ex sola constructione Ecclesiæ; nam constructio comprehenditur sub illa dictione, fundatione, vt rectè aduertit *Garz. loc. cit. sub num. 38. & seq. Ricc. decis. 168. Vasq. cap. 2. de benefic. §. 1. dub. 2. & Molfes. d. cap. 5. num. 41.*

25 Dico duodecimò peccare patronum si post institutionem Rectoris legitimè factam ab Episcopo ex eo quòd patronus infra legitima tempora non præsentauit, iuxta ea, quæ supra diximus ex *Molfes. d. cap. 5. num. 54. cum plur. seq.* Rectorem ipsum turbet, & velit alium præsentare: is enim iniustè turbat, postquam patronus vbi infra quatuor menses si laicus est: & infra sex si est Clericus, saltem à die notitiæ non præsentat, amittit pro illa vice ius præsentandi, & Episcopus iure licito liberè potest absque alia patroni præsentatione Rectorem instituere. Idē puto dicendum si patronus non per se infra legitima tempora Rectorem instituendum præsentauerit; per procuratorem tamen ad id speciale mandatum non habentem: nam licèt non repugnet de iure, quin præsentatio fieri possit per procuratorem, vt pluries fuisse decisum in Rota Romana refert *Seraph decis. 559. par. 1.* & post alios *Ricc. de iurepatr. decis. 189.* debet tamen procurator habere speciale mandatum, vt habetur ex dictis DD. *& Molfes. d. cap. 5. num. 73.* atq; ideò præsentatio facta à procuratore non ha-

habente speciale mandatum, habetur, ac si facta non esset. Vndè si labantur tempora, & præsentatio legitimè non fiat, patronus ipse priuatus remanet iure præsentandi pro illa vice, & Episcopus habet liberam instituẽdi facultatem; & propterea citra culpam Rectori ab Episcopo liberè instituto molestiam non potest inferre. Idem dicendum est in omnibus casibus, in quibus extinguitur iuspatronatus. Extinguitur autem iuspatronatus, si patronus simoniam committat circa iuspatronatus, quoniam tunc Ecclesia libera remaneret, vt habetur ex *Couar. lib. 1. var. resol. cap. 18. num. 7. Vasq. cap. 2. de benefic. §. 1. dub. 2. num.* 10. & ex alijs, atque ideò patronus priuatus esset iure præsentandi. Extinguitur etiã iuspatronatus renunciatione, donatione, ac derogatione Rom. Pontificis, vt habetur per *Molfes. d. cap. 5. num. 80. cum plur. seq.*

26 Dico tertiodecimò peccare patronos si plures sint eiusdem Ecclesiæ, & irrationabiliter sint discordantes in præsentando, odio, amore, temporali commodo, aut aliqua iniusta, & irrationabili causa se mouentes: siquidem patroni in præsentando, non debent ad aliud intendere, quàm ad Dei cultum, & patronatæ Ecclesię commodũ, vtilitatem, ac in omnibus ad iustam, & debitam defensionem. Quid autem agendum sit quando patroni sint inter se, vel cum Episcopo discordes, aut inter ipsosmet præsentatos lis pẽdeat, videa ea, quæ diffusè tractat *D. Anton 3. par. tit. 12. cap. 12. §. 8. & Molfes. d. cap. 5. num. 58. 59. 60. & 90. cum plur. seq.*

27 Dico quartodecimò peccare patronos appellantes ab ordinario, qui ex iusta causa recusat instituere præsentatum, tanquam inhabilem, & Ecclesiæ minus vtilem: nam ordinarius non potest, nec debet instituere minus idoneum; atque ideò iniusta est appellatio: at nemo citra culpam potest iniustam appellationem interponere. Dixi, *Qui ex iusta causa, &c.* quia si Episcopus nullam causam habeat recusandi præsentatum, tunc patroni citra culpam appellationem interponere possunt ad Superiorem, cùm dicatur grauare patronos, & præsentatum, & propterea tenetur admitttere appellationem, vt habetur ex *Glosa in cap. pastoralis, vers. Appellauerint, de iure patr. Bursat.* & alij, quos refert, & sequitur *Ricc. in praxi de iure patr. decis.* 159.

28 Dico quintodecimò peccare patronos, ius patronatus fundatum in certo prædio transferentes ad aliud corpus bonorum: id enim non possunt citra Diœcesani consensum, vt in *cap. ad audientiam, de Eccl. ædific. Azor par. 2. inst. moral. lib. 6. cap. 30. q. 2. & 5.* Dixi, *In certo prædio*, quoniã aliàs posset vnire citra Episcopi consensum ius præsentandi ad ius patronatus certo generi bonorum, nempè feudo, vt rectè declarat *Molfes. p. 1. sua sum. tr. 6. cap. 14. num. 49. & 50.*

E' conuerso quoad præsentatum.

29 Dico sextodecimò peccare præsentatum ad Ecclesiam si simoniacè, mediante scilicet aliquo temporali commodo, à patrono procurauerit pręsentari: & insuper excommunicationem vna cum patrono, & omnes aliàs pœnas contrahit contra simoniacos latas, de quibus tractant *Suar. tom. 1. de Relig. tr. 13. lib. 4. de sim. cap. 55. cum seq. Garz. de benefic. par. 8. cap. 1. per totum, Reginal. lib. 23. sua prax. num. 170. cum seq. & Molfes. par. 1. sua summ. tr. 6. cap. 15. à num. 90. vsque ad num.* 105. cum alijs quos allegant.

Dico decimoseptimò peccare præsentatum, vt supra, si se minus idoneum agnoscens, ab Episcopo institui procuret, & in multis alijs casibus, de quo supra tractauimus, *disp. 11. sec. 4.*

30 Dico decimo octauò peccare præsentatum, & institutum, si patrono ad inopiam redacto alimenta non tribuat. Etenim eo casu patronus ali debet de bonis Ecclesiæ, si sua culpa ad inopiam deuenerit, *cap. non satis, 86. d. cap. filijs, & c. quicunque, 16. q. 7.* Est tamen verum, quòd alimenta sunt patrono præstanda, non secundum ipsius patroni voluntatem, sed iuxta eiusdem qualitatem, & Ecclesię facultates, ac detractis expensis necessarijs pro ipsius reparatione, cultu Diuino, ac pro victu Rectoris, & aliorum famulorum: nam de ijs tantùm, quæ supersunt subueniendũ est patrono pro alimentis; ad quæ in casu renitẽtiæ potest Ecclesia, seu eius Rector compelli per Superiorem, vt habetur ex *Ioann. Andr. in cap. nobis, vers. Vergat, de iure patr. Graff. par. 2. dec. lib. 2. cap. 25. num. 3. 4. & 5. Ricc in prax. de iure patr. decis.* 170. & alij apud *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 6. cap. 5. num. 37. & tr. 11. cap. 18. num.* 90. vbi etiam ait, quòd dum semel sunt alimenta taxata patrono, potest ipse patronus commoditatem illam vendere.

31 Dico decimononò peccare præsentatum si honorem debitum patrono non deferat, cum ius patronatus non solùm sit ius onerosum; sed etiã honorificum, & vtile, vt supra diximus in definitione iuris patronatus.

De postulante, & postulato, nominante, & nominato, electore, & electo, confirmante, & confirmato, & de conferẽte, & de eo, cui confertur beneficium, seu Ecclesia, & eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

DISP. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Postulatio, & nominatio affinitatem quandam habet cum præsentatione.*
2 *Electio in quo differat à confirmatione, collatione, institutione, postulatione, ac præsentatione.*
3 *Electio semper postulationi præualet.*
4 *Electio cum nominatione solemni magnam habet affinitatem, à non solemni verò omninò differt.*
An differat à nominatione, quæ fit in scrutinio electionis.
5 *Postulatio licet videatur eadem cum nominatione, in hoc tamen differt, quia postulatio fit de vno, nominatio vero fieri potest de pluribus*
6 *Peccant primò postulantes, si scienter indignũ postulent.* 6 Pec-

6 *Peccant postulantes, à postulatione resilientes postquam est Summo Pontifici præsentata, vel alij Superiori.*

8 *Peccat postulatus, si postulationem affectauerit. Et quomodo respondere debeat Episcopus postulatus ad aliam Ecclesiam.*

9 *Nominatio, quæ hodiè est in vsu præsertim in Regnis Galliæ, & nostro Neapolitano, quoad Archiepiscopatus, & Episcopatus, vt rectè fiat, quamplurima exigit.*

10 *Peccant nominantes quoties nominatio fit omissis prædictis conditionibus, vel aliqua earum scienter.*

11 *Peccant confirmantes, qui indignos scientes cõfirmant, vel dignum mediante pecunia.*

12 *Summus Pontifex per præuentionem ius habet conferendi quæcunque beneficia, & potest priuare Clericum beneficio, etiam sine causa, attamen cum dicatur quoque dispensator, peccare poterit dispensando sine causa.*

13 *Ex defectu potestatis peccare possunt in beneficijs conferendis omnes Prælati, Romano Põtifici inferiores, vt Episcopi, Archiep. &c. Item Cardinales, & multò magis, si legati essent.*

14 *Peccare possunt in conferendis beneficijs, etiam Legati nati, qui regulariter sunt Archiepiscopi, qualis est Rhemensis in Gallia, Cantuariensis in Anglia, &c.*

15 *Multis alijs modis peccare possunt supradicti Prælati, de quibus remissiuè.*

1 TRACTAVIMVS superiori sectione de præsentatione, quæ pertinet ad patronum, nec tribuit plenum ius præsentato, sed exigit institutionem ab Episcopo, vt supra diximus, & patet ex toto titulo de iure patr. Et quoniam postulatio, & nominatio habēt quandam affinitatem cum præsentatione, & præcedunt collationem, seu institutionem, sicut electio confirmationem, idcircò aliqua de postulante, & postulato, nominante, & nominato, electore, & electo, confirmante, & confirmato; & de conferente, seu instituente, & eo, qui instituitur, seu cui confertur beneficium aliquod, seu Ecclesia, atque ideò de peccatis eorum meritò hoc loco sequitur discutiendum.

2 Ad cuius rei explicationem est adnot. quod electio in hoc differt à confirmatione, collatione, seu institutione, à postulatione, nominatione, ac præsentatione; quòd electio est idoneæ personæ ad dignitatem, vel fraternam societatē, seruata forma Canonica, facta vocatio. Pertinet ad Collegium, & præcedit confirmationem. Cōfirmatio uerò sequitur electionem, & spectat ad Superiorem: undè dicitur actus Superioritatis, ut in *cap. 1. de treg. & pace*; quæ si fiat à Summo Pontifice ex certa scientia electionem, aliàs inualidam de iure communi facit ualidam: facit firmum, quod est infirmum, & solemne, quod non est solemne, supplendo defectum solemnitatis omissæ, *cap. in primis, 2. q. 1. cap. 1. de transact. cap. quia, de concess. preb. Panor. in cap. super, de causa poss. & propriet.* & alij. Si uerò confirmatio fiat in forma cōmuni, nihil iuris tribuit confirmato; sed uetus tantum illi conseruat, *cap. dilecta, & cap. 1.* ubi *Glosa, de confir. vtili, vel inut. cap. diuersitatem, de concess. praben. & cap. quia intentionis, de priuileg.* Vndè per priorem derogatur iuri communi, non autem per posteriorem *cap. licèt, de offic. ordin. & cap. inter dilectos, de fid. instr. Syl. in sum. vers. Confirmatio humana, ante 1. q. Tab. vers. Confirmatio in communi, §. 13. num. 14.* & alij. Differt electio à collatione, quin collatio pertinet ad Superiorem, & dat plenum ius non indigens confirmatione; siuè fiat motu proprio, siuè ad petitionem impetrantis, ut in *cap. si motu proprio, & cap. si tibi, de praebend. in 6. & toto tit. de concess. prab.* Hinc collatio dicitur beneficij Ecclesiastici uacantis, nulla indigens confirmatione alterius Superioris: Electio uerò, ut diximus pertinet ad Collegium, non dat plenum ius; eo quòd confirmatione indiget: & ob easdes rationes differt ab institutione: siquidē institutio beneficiorum pertinet ad Rom. Pontificem, locorum ordinarios; qui tenentur instituere eos, quos patronus præsentauit, uel nominauit, vt diximus *disp. præced. sec. vlt.* vndè institutio licèt sit beneficij quoque collatio: nihilominus non est adeò libera sicut collatio; cùm institutionem præsentatio, vel nominatio præcedat: collatio verò fiat motu proprio, vel ad impetrantis petitionem. Differt præterea electio à postulatione; quoniam per electionem acquiritur ius electo, & eligitur habilis; at per postulationē non acquiritur ius postulato, & petitur non omninò idoneus, sed habens impedimentum ita tolerabile, vt eo non obstante, possit vtiliter, & honestè præfici Ecclesiæ, ut cùm petitur minor ob defectum ætatis, Religiosus non dum professus in Abbatem, &c. vt in *cap. 1. de postul.* Hinc fit, quòd cùm per postulationem petatur, qui de iuris rigore eligi non potest, postulatio multoties confunditur cum electione, cùm vtraque pertineat ad Collegium, *cap. bona, 2. de postul.* Differt tamen electio in hoc à postulatione, quòd prior sit personæ idoneæ: posterior verò sit eius, qui de iuris rigore eligi non potest. Vndè possunt aliqui vnum eligere, & in eius defectum, si non eligeretur, postulare alium, vt confirmetur à Superiore, cùm id de iure non reperiatur prohibitum.

3 Verum tamen est, quòd electio semper præualet postulationi; quia remedium ordinarium facit cessare extraordinarium: & propterea licet postulatio fiat à duabus partibus Collegij, vt fieri deberi aliqui volunt, cùm debeat esse concors, & certa, vt benè daclarat *Syl.* post alios *in summ. vers. Postulatio, ante q. 1. & q. 2.* nihilominus electio facta à tertia parte præfertur postulationi factæ à duabus partibus, vt in *cap. scriptum, de elect. Glosa in cap. bona, 1. de postul. Præl.* atque adeò hic est casus, in quo electio non facta à maiori parte; sed à tertia parte fit valida, vt notat *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 6. cap. 6. num. 16. & 27. Tab. in vers. Postulatio, q. 1. num. 2.* & alij, qui id, quod diximus intelligunt verum esse, cæteris paribus. In postulatione autem solemni si quis admittatur, non exigitur confirmatio; sed postulatus consequitur ius, ac si fuisset electus, & cōfirmatus, vt inquit *Syl. vers. Postulatio, q. 6.* quod intelligitur quando postulatur ab eo, qui potest super omni impedimento postulati dispensare, & propterea dicitur solemnis, vt latè post alios *Tab. vers. Postulatio, §. 5. num. 6.* Vndè quando postulatio non est solemnis per postulationem non acquiritur ius postulato: atque ideò in hoc hu-

huiusmodi postulatio differt ab electione: sicut differt quoque electio à postulatione; quia in electione maximè Prælatorum seruatur forma, *cap. quia propter, de elect.* non sic in postulatione, vt habetur ex eodem *Syl. loco citato, q. 1. circa fin. & Tab. vbi supra, §. num. 2.* vbi nonnullas alias differentias recenset inter electionem, & postulationem.

4 Electio denique licèt cum nominatione solemni magnam habeat affinitatem, qualis est illa, qua duo, vel tres, qui sunt solemniores in Capitulo nominantur Papæ, vel alij Superiori, & per Collegium petitur, vt de aliquo eorum prouideat; cùm per hanc postquam est Superiori præsentata, acquiratur quodammodò ius nominato; ita ut nominantes non possint amplius variare, vt habetur ex *Host. Panor* & alijs in *cap. bona, 1. de elect.* Nihilominus differt omninò à nominatione non solemni, quæ ante scrutinium inter electores aliquis nominatur tanquam bonus, & sufficiens: nam hæc nullum ius tribuit nominato; sed solùm proponitur in collegio, vt eligatur, si placet. Idem dicendum est de nominatione, quæ fit in scrutinio electionis, dicendo, eligo, seu nomino talem: siquidem ante publicationem scrutinij nullum ius acquiritur nominato, *cap. si tibi absenti, de præbend. lib. 6.* quãuis, publicato scrutinio, non possit nominans amplius variare, cùm dignum nominauerit, vt *in cap. publicato, de elect.* Vndè electio differt à nominatione saltem non solemni; quia per electionem acquiritur ius electo; non sic per nominationem. Imò differt etiam electio à nominatione solemni primò, quia per electionem verè acquiritur ius electo; non sic per nominationem solemnem, vt per *Abb loc. cit.* Secundò electionem subsequitur confirmatio, nominationẽ verò solemnem, sicut & præsentationem consequitur propriè institutio. Tertiò electio fit per Collegium, seu Capitulum; nominatio autem, sicut & præsentatio fieri potest etiam per singulares personas, vt cum Reges, & alij Principes in terris suis nominant aliquas personas ad Archiepiscopatum, Episcopatum, Abbatias, & alij patroni ad Ecclesias, & beneficia patronata.

5 Et quamuis postulatio eadem videatur cum nominatione; ab ea tamẽ in eo præcipuè differt; quòd postulatio nominatio propriè sumpta fit de vno tantùm; nominatio verò potest fieri non solùm de vno; sed etiam de pluribus, vt probat *Reginal. lib. 3. sua praxis, tr. 3. num.* 204. Et quoniam supra diffusè egimus de electione, electoribus, & electis, *dis. 9. sec. 7.* & latiùs *disp. 16. à sec. 21. vsque ad sec. 34.* De collatoribus, & de ijs, quibus beneficia conferuntur, nonnulla tractauimus sup. *disp. 4. sec. 5. cum plur. seq. disp. 5. sec. 4. & disp. 6. sec. 9.* De patrono pariter, & præsentato, ac præsentatione sufficienter quoq; sup. discussum fuit *disp. 21. sec. 8.* idcircò in hac disputatione, ne bis idem repetere videamur, discutiemus tantùm de Postulantibus, & Postulatis: Nominantibus, & Nominatis: Confirmantibus, & Confirmatis. Et denique de Collatore, seu Conferente, & de eo, cui confertur beneficium multa addemus, quæ in sup. relatis locis prætermisimus. His adnotatis quoad Postulantes dicimus primò peccare postulantes si scienter postulent indignum: & insuper priuati sunt potestate eligendi, ac postulandi, vt *in cap. 2.* & ibi *Panor. & alij de postul. Prælator.* Quod ampliat ibi *Panor.* etiam si facultatem habeant eligendi, ac postulandi de iure communi, vel ex priuilegio: & vtroq; casu potestas malè postulantium deuoluitur ad alios, vt *in d. c. 2. & cap. Vintoniensis, de elect.* Dummodò eligant, seu postulent, vt collegium: secus autem si eligant, seu postulent, vt singuli. Vndè si duo ex tribus compromissarijs delinquant eligentes indignũ, non valet electio tertij eligentis dignum, & idoneum, cùm non eligant vt collegium; sed vt singuli habentes potestatem à Collegio; atq; ideò eo casu potestas deuoluitur ad compromittentes, vt *in cap. si compromissarius de elect. in 6.* Idem dicendum est de innouantibus postulationem cassatam: nam priuantur ipso facto, vt habetur ex *Panor. in d. cap. 2. & Syl. in summ. ver. Postulatio, q. 10.*

7 Dico secundò peccare postulãtes à postulatione resilientes, postquam est præsentata S. Pontifici, vel alij Superiori, qui potest illam admittere: siquidem id de iure eis prohibetur, vt probat *Panor. in cap. bonę, 2. de postul. Prælat.* & ita resilientes censentur illudere Superiori. Dixi, *postquam est presentata, &c.* quoniam ante præsentationem, etiam post publicationem scrutinij, variare possunt, & à postulatione resilire, inuito quoque postulato. Imò ea præsentata si concordauerint postulantes, & superior, possunt resilire, non obstante contradictione postulati: nam facta præsentatione, est prohibita variatio non propter postulatum, sed propter Superiorem, qui admisit postulationem: ergò si concordauerint postulantes, & superior admittitur variatio. Benè verum est, quòd si postulatio fieret in scrutinio electionis, tunc non posset resilire à postulato, iuxtà ea, quæ habentur ex *Syl. ver. postulatio, q. 2. in fine:* & si primò postulatus est dignior, non potest citrà culpam variari postulatio eligendo dignum, vel æquè digniorem, nulla alia legitima subsistente causa: quia mutare consiliũ quis non potest in alterius detrimentum, vt in *cap. mutare, de regul. iur. in 6.* Adde, quòd non desunt, qui velint, quòd postulatus eo casu posset repetere expensas, quas fecit ratione dictæ postulationis de consensu postulantium: & si post postulationem fecerunt postulatum ordinare, obligantur ad interesse, & potest postulantes conuenire, vt ei prouideant de beneficio conuenienti, quod quidem cum communi non admittit *Syl. ver. postulatio, q. 8. & 9.*

Quoad postulatum verò èconuersò.

8 Dico tertiò peccare postulatum, si postulationem affectauerit: siquidem id citra ambitionis notam fieri non potest. Vndè postulatus in Episcopum ad aliam Ecclesiam, respondere debet: *Non assentio, nec dissentio; sed in hoc voluntati Domini Papæ me suppono*, vt in *cap. cupientes, circa finem, de elect cap in scriptis, 8. q. 1. Syl. in sum. ver. postulatio, q. 9. & 11. & Tab. eod. ver. §. 7. num. 8.* Quibus adde ea, quæ sup. adnotauimus *disp. 16. q. 13 circa princ.* tractantes de eligentibus solicitũtem pro sua electione.

Quoad nominantes autem.

9 Est adnot. quod nominatio, quæ hodie in vsu est apud Reges, & Principes, præsertim in Regnis Galliæ, & nostro Neapolitano quoad Archiepiscopatus, & Episcopatus, de qua latissimè *Rebuff. q. 1. de nominat. num. 25. & seq. Reginal. lib. 30 suę praxis, tr. 3. num. 204. & Molfes. par. 1. suę sum. tr. 6. cap. 6. num. 22.* quamplurima exigit, vt rectè fiat. Primò enim expostulat, vt nominatio non fiat de beneficio vacaturo; sed de vacante in actu. Secundò, vt nominatio fiat per ipsos Principes, vel per suos procuratores cum speciali mandato. Tertiò vt nominatio ad Archiepiscopatum, vel Episcopatū soli Rom. Pontifici fiat. Quartò requiritur, vt nominatio agatur vnius tantùm personæ, non autem plurium. Quintò, vt nominatio sint personæ dignę, nempè Magistri in Theologia, vel Baccalarij, vtriusq; iuris Doctores, vel professores. Sextò, vt nominatio fiat intra sex menses à die vacationis: vel si nominatus comprehensus fuerit indignus à Romano Pontifice, debet post tres menses à die recusationis, & intimationis facta procuratori, seu Oratori ipsorum Principum, qui nominarunt, vt alterum, qui dignus sit, nominēt; aliàs ipso termino elapso collatio Archiepiscopatus, vel Episcopatus liberè deuoluitur ad ipsum Pōtificem. Quòd si Princeps aliquis potestatem habeat nominandi ad Prælaturas Regulares, seu Conuentuales, tunc exigitur, vt nominandus sit Religiosus eiusdem ordinis, quibus præficiendus erit: quòd sit annorum saltèm 23. quòd nominetur à Principe Romano Pontifici, quòd Prælatura actu vacet: & denique, quòd infra sex menses fiat ipsa nominatio. Et si nominatus repertus fuerit indignus, nominatio digni debet iterum fieri intra tres menses à die recusationis, & intimationis vt supra.

10 Quoties igitur, prædictis conditionibus, vel earum aliqua scienter omissis fit nominatio, proculdubio peccant nominantes; maximè si indignos nominent, & ad Ecclesiæ vtilitatem, & ad Dei honorem non tam intendant, quàm ad remunerandum suos: atq; ideò tenentur insuper vltra culpam ad omnia damna, quę populis eueniunt ex indebita personę minus idoneæ nominatione, vt supra ostendimus agentes de Dominis temporalibus, & Ecclesiasticis pręficiēt bus Ecclesijs, & populis Prælatos, Rectores, & Magistratus indignos, *disp. 4. sec. 8. disp. 6. sec. 9. disp 11. sec. 4. disp. 16. sec. 33. § Quinto peccant, & disp. 17. sec. 1. § vigesimonò peccant.* Ipsi verò nominati si minus idonei sint, peccant acceptādo huiusmodi Prælaturas, & multo magis si ipsas affectauerint: & insuper tenentur eas renunciare, & donec renuncient, viuunt in peccato mortali: nam se exponunt manifesto periculo eorum animas, & commissi sibi gregis perdēdi, nisi saltem Vicarios eruditissimos, & Dei timoratos pro viribus apud se curent habere, constituta eisdem competenti mercede, ne necessitate compulsi, ipsi quoq; ad iniquitatem conuertant manus suas.

Quoad Confirmantes.

11 Dico quartò peccare Confirmantes, qui indignos scienter confirmant, vel si confirment aliquem, mediante pecunia: nam tunc vltra culpam contrahunt quoq; simoniam. Confirmati verò non solùm lethaliter peccant confirmationi, ac electioni scienter consentientes, dum scirent se esse indignos, sed etiam tenentur beneficium renunciare, iuxta ea, quæ supra diximus.

Quoad Conferentes denique.

12 Dico quintò plura nos circa rem hanc cumulasse, vt sup. diximus; solùm his addimus, quòd licet Rom. Pontifex per præuentionē ius habeat conferendi quæcumq; beneficia, tam libera, quàm electiua, & patronata; cum omnes electores, & patroni habeant ius eligendi, siue præsentandi de iure canonico, cui ad libitum Papa derogare potest, vt est *tex. in Clem. 1. vt lit. pend. Garz.* post alios *par. 5. de benefic. cap. 1. & Ricc. in sua praxi de benefic. decis. 394.* vbi etiā probat S. Pontificem etiam sine causa posse priuare Clericum beneficio: quod etiam docent *Dec. & alij in cap. quæ in Ecclesiarum, de const.* Et quamuis S. Pontifex in beneficio vacante concurrat cum quolibet Ordinario; atque ideò habet locum præuentio inter ipsum, & Ordinarium: & si non constet de prioritate concessionis, in pari causa præferatur prouisus à Papa; si prouisus ab Ordinario non fuerit possessione adeptus, iuxta ea, quæ habentur *in cap. si à Sede Apostolica, de prębend. in 6.* latè *Garz. d. cap. 1. num. 8.* imò si essemus in mensibus, in quibus Ordinarius habet alternatiuam in prouisionibus Papæ, non est necesse derogare regulæ alternatiuæ, & si Papa prouideat in mēsibus alternatiuæ, vt per eundem *Garz. d. cap. 1. num. 15.* & alios, quos ipse refert, & *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 6 cap. 6. num 34. cum plur. seq.* Nihilominus citra culpam sine iusta, ac rationabili causa non potest, nec ipse quidem S. Pontifex, beneficia conferre; maximè electiua, & patronata in præiudicium electorum, & patronorum. Etenim S. Pontifex licet dicatur omnium beneficiorum, & Ecclesiarum Dominus; nihilominus dicitur etiam dispensator; & ideò cùm non detur dispensatio sine causa, si regulate, & rationabiliter non conferat, proculdubio culpam contrahit, iuxta ea, quę sup. adnotauimus *disp. 4. sec. 6. & seq.* & habetur etiam ex *Molfes. loco supra relato, num. 32. in fine.* Vndè Rom. Pontifex licèt non possit peccare ex defectu potestatis in beneficijs, & Ecclesijs conferendis, cùm liberam habeat omnium beneficiorum, & Ecclesiarum collationem, & dispensationem; potest tamen culpam contrahere si irrationabiliter conferat. Non enim omnia vni; sed singulis quędam præstare debet, vt pluribus possit prodesse, iuxta ea, quæ diximus *d. disp. sec. 6. & 7.*

13 Ex defectu autem potestatis in conferendis beneficijs possunt peccare omnes Prælati Rom. Pontifici inferiores, siue Episcopi sint, siue Archie-

chiepiscopi, Patriarchę, Cardinales, Legati à Latere, Legati nati, Nuncij Apostolici, & alij, qui conferendi beneficia facultatem habent, vel omninò non habent. Vndè Concilium Generale, & Collegium Cardinalium, Sede vacante, non possunt citra culpam beneficia conferre extra casum necessitatis, quo collatio differri nequeat: siquidem beneficia conferre pertinet ad potestatē Pontificiam, quæ non transit ad Collegium, Sede vacante, cùm eligendi tantùm Sum. Pontifex ius habeat, vt in *Clem. ne Romani* §. 1. *de elect.* & *Azor.* post alios *tom. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 25. q. 2.* vbi etiam *q. 4.* ex *Rebuffo*, & alijs idem probat de Vicario in Vrbe: nam Romæ ea tantū exercet, quæ fori sunt contentiosi; & extra Vrbē omni caret iurisdictione. Item Cardinales quamuis Episcopi non sint, nec Præsbyteri; facultatem tamen habent conferendi omnia beneficia in eorum Ecclesijs existentia, & quarum habent titulum quasi Episcopalem, vt per *Garz. par 5. de benefic. cap. 1. num. 37. & seq. & Reginald. lib. 3. sua prax. tr. 3 num. 237.* Imò si Cardinales essent Archiepiscopi, vel tantùm Episcopi possent omnia eorum Ecclesiarum beneficia vacantia conferre: nec in eis locum habet alternatiua ob magnam Cardinalatus dignitatem, vt habetur ex regula 12. Cancell. cuius meminit *Garz. d. cap. 1. num. 582.* Et multò magis si Legati essent; quoniam eo ipso, quòd Cardinales sunt, dicuntur à Latere, cùm fiunt Legati, vt ostēdimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, can. 11 q. 7. in fine.* Qui Legati à Latere in Prouincijs sibi commissis possunt liberè beneficia conferre, concurrunt cum ordinarijs, & habet locum præuentio: siquidem exercent iura Pontificalia, vt in *cap. 1. de offic. Leg. in 6. Reginal. lib. 30. sua prax. tr. 3. nu. 237. Garz. par. 5. de benefic. cap. 3. & Molfes p. 1. sua summ. tract. 6. cap. 6. num. 37. cum plur. seq.* & nihilominus possunt ex defectu potestatis culpam committere in conferendo; cùm scilicet Cardinales conferre volunt beneficia, quæ non continentur in eorum Ecclesijs: & si Legati sint à Latere, extra Prouincias sibi commissas.

14 Idem dicendum est de Legatis natis, & Episcopis conferentibus beneficia, sub eorum Ecclesijs non contenta: Etenim Legati nati regulariter sunt Archiepiscopi; quales sunt Archiepiscopus Rhemensis in Gallia: Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia: Archiepiscopus Bituricensis in Aquitania Superiori: & Burdegalensis in Aquitania inferiori, &c. vt rectè declarat *Azor. par. 2. instit. moral. lib. 5. cap. 28. §. Legati nati*: qui tamen dicuntur nati, quoniam simul cum eorum Ecclesijs, quibus præsunt nati sunt: atque ideò non iure legationis, vt faciunt Legati à Latere, sed iure ordinario; nempè quatenus sūt Metropolitani, & sic ordinarij eiusdem loci cōferunt, vt in *d. cap. 1. de offic. deleg in 6. Azor. p. 2. instit. moral. lib. 6. cap. 25. q. 6. & seq.* Legati denique missi, qui alio vocabulo appellantur Nuncij Apostolici, & Cardinales non sunt, si citra specialem Rom. Pontificis commissionem beneficia conferant, proculdubio peccant: nam huiusmodi Nuncij non habent facultatem, & ius conferendi beneficia; nisi in specie hæc potestas à Rom. Pontifice fuerit eis concessa, vt in *d. cap. 1. de offic. deleg. in 6.* & latè *Garz. d. cap. 3. num. 80. & Molfes d. cap. 6. num. 42.*

15 Peccant etiam supradicti Prælati, Antistites, & Cardinales non solùm ex defectu potestatis; sed etiam multis alijs modis, & in multis alijs casibus, de quibus supra egimus, *disp. 5. & 6.* Quoad eos denique, quibus beneficia conferuntur, est aduertendum quod peccant in multis casibus, de quibus supra tractauimus *disp. 11. sec. 4.*

De Testatore, Hærede, Legatarijs, Fideicommissarijs, & testamentorum executoribus, ac eorum culpis, à discreto, & cauto Confessario, cùm sibi videbitur explorandis.

DISP. XXIII.

DE TESTATORE SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Testator à testatione, seu testamento deriuatur. Hæres verò ab hæreditate dicitur. Et quid sit hæreditas.*
2 *Peccat testator, si absque causa testamentum condere differat, vsque ad extremum vitæ.*
3 *Si timor non sit scandali, aut damni, tunc testamentum condere differens, vel illud nullo modo faciens, non peccat mortaliter.*
4 *Peccat testator, qui condit adeò obscuris verbis, vt iurgiorum, ac litium causa inter hæredes existat.*
5 *Peccat testator, qui liberos, nec parentes habens, bona sua alijs, quam pauperibus cognatis relinquit.*
6 *Si Testator filios non habeat, an debeat bona sua inter cognatos distribuere, seruato ordine charitatis.*
7 *Peccat testator, qui liberos, parentes, & cognatos non habens relinquat diuitias suas non indigentibus, & nihil pauperibus, vel locis pijs leges.*
8 *Peccat testator, & omninò decipitur, tutusque non est in conscientia, qui bona aliena restitutioni obnoxia suis relinquat hæredibus, vt de illis fiat Ecclesia, Cappella, &c.*
9 *Peccat testator non solum si male ablata habeat, sed etiam quæcumque debita licitè contracta, & non restituat, cum possit in vita citra infamiam, scandalum, &c.*
10 *Peccat testator, qui seruis suis libertatem legat in fraudem suorum creditorum.*
11 *Peccat testator proprios liberos exhæredando, vel parentes sine causa*
12 *Quatuordecim sunt causæ, propter quas liberi à parentibus exhæredari possunt.*
13 *Peccat testator, si filios, vel parentes in minus legitima instituat, vel eos in legitima grauet.*
14 *An, & quando in legitima imponi possit grauamen.*
15 *Peccat testator, si filium in testamento prætereat.*
16 *Peccat testator, filio suo illegitimo alimenta non legans scienter.*
17 *Peccat testator, si hæredem sibi instituat spurium, seu incestuosum, ac ex damnato coitu. Et multò magis si in fraudem legis bona sua ami-*

amico fideicommiserit.

Quid de instituentibus damnatos ad triremes in perpetuum, vel de instituente proprium seruum haeredem, qui cum Domina sua adulterium commiserit.

18 *Non solum peccat testator instituendo haereticos, deportatos, damnatos in perpetuum ad triremes, &c. Sed etiam si ipse sit haereticus deportus, &c. & testamentum condideret.*

Quid si appellauerint à sententia contra eos lata, num appellatione pendente condere possint testamentum.

19 Peccat testator, qui testamentum condit, cum probibita illi sit testamenti factio quocumque modo.

20 *Religiosi professi num reuocare valeant testamenta, per ipsos condita ante professionem.*

21 *Religiosus si professionem emittat in Monasterio, bonorum capace in communi reuocare potest testamentum antea conditum.*

22 *Quibus alijs interdicta sit testamenti factio.*

23 *Peccat testator, si alium testamentum condat, reuocando primũ, quod non reuocare iurauit.*

24 *Peccat testator, si Clericus sit, & de bonis beneficij testetur.*

25 *Beneficiarius dispensando fructus beneficij, si partes, quas in vsum pauperum, & aedificationem, seu instaurationem Ecclesiae impendere debebat, in totum, vel in notabili quantitate, in alios vsus expenderet, licet peccet mortaliter, ad nullam tamen tenetur restitutionem.*

26 *Peccat testator si vltra, quam par est sollicitus sit de honorifica sepultura, post suam mortem constituenda. Verum peccatum est tantum veniale.*

27 *Peccat testator, à successione repellens Religionem ingressos.*

Quid si professionem fecerit in Monasterio bonorum incapace.

1 AD euidentiam eorum, quae dicenda erunt, est adnot. quòd testator à testatione deriuatur; seu à testamento, quod idem est, quod testatio mentis, §. 1. *in instit. de testam.* Haeres autẽ ab haereditate dicitur, quae est successio in vniuersum ius, quod habet defunctus, vt in *l. nihil, ff. de verb. signif. Bart.* & alij in *rub. de acquir. hared.* Vndè haeres nuncupatur, qui succedit in vniuersum ius defuncti, *l. cùm hares, ff. de diuer. & temper prascr.* Et iste in haeredem ab intestato, & ex testamento. Prior dicitur, qui succedit in ius defuncti, citra omne testamentum, vt in *§. 1. eod. tit. in instit. de haredit. qua ab intest. defer.* Posterior verò succedit ex testamento. Et est duplex, vniuersalis scilicet, & particularis. Vniuersalis, qui institutus est in vniuersum ius defuncti; siue directè instituatur; nempè vt sua manu haereditatem capiat, vt in *l. hares esto, ff. de hared. instit.* siue per fideicommissum, cui ex fideicommisso relicta est haereditas danda illi, cui testator disposuit, vt in *§. restituta, in instit. de fideic. hared.* Haeres autem particularis dicitur, qui instituitur in certa re, qui propriè dicitur legatarius, *l. quoties, ff. de hared. instit.* Fideicommissarius autem nuncupatur, qui committitur fidei haeredis, aut legatarij, vt haereditatem, aut legatum restituat. Vndè fideicommissarius diuiditur quoque in vniuersalem; cui tota haereditas venit restituenda: & in particularem, cui restituenda est res aliqua particularis. Et licèt olim multae darentur differentiae inter legatarios, & fideicõmissarios particulares; hodiè tamen per omnia exequata sunt legata fideicommissis, vt in *l. 1. ff. de legat. 1. l. 1. & 2. C. commun. de legat. & in instit de legat. §. Sed non vsque.* Executor denique testamenti appellatur, cui commissa est testamẽti executio; quia aliquando dicitur Fideicommissarius, aliquando commissarius, aliquando distributor, & interdum gladiator, vt post alios inquit *Syl. vers. Testamentum, 2. in princ.* Et *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 3. § 9.* His constitutis.

2 Dico primò peccare testatorem si testamentũ condere differat, nulla subsistente causa, vsque ad extremum vitae; & multò magis si nullum testamentum condidit, vbi id necessarium esset quoad debita; quae nisi testamento, vel codicillo exprimerentur, non soluerentur; vel si soluerentur, solutio futura non esset, citra lites, & contentiones, magnos labores, & expensas. Idem dicendum est si ex testamento non condito odia, & inimicitiae oriarentur: quod peccatum ex suo genere est mortale, si ob hãc causam malum notabile, aut scandalum prouenire: proximo: siquidem posteriori casu est causa damni notabilis, & scandali: & priori casu exponitur periculo proximo notabilis damni, & scandali. Debet enim quis dum sanae mentis est, condere testamentũ, iuxta illud *Isaia c. 38. Dispone domui tua; quia morieris tu, & non viues*, quod dictum intelligit *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2 §. 2.* non tantũ de testamento faciendo; sed etiam de admonendo familiam suam salubribus monitis, & exortationibus, plura referens exempla. Et in primis illud Domini Saluatoris nostri, qui passioni proximus admonuit Discipulos *Ioann. 14. & seq.* praesertim de dilectione inuicem habenda, dicens: *Hoc est praeceptum meum, vt diligatis inuicem. Matath.* quoque 1. *Macab. 2.* dum existimans se moriturum ita suos filios admonuit: *O filij, emulatores estote legis: & date animas vestras pro testamento patrum, &c. Tob.* pariter *c. 4.* admonuit filium qualiter se habiturus esset in vita sua. Et Beatus Domin. suis Monachis dum moreretur, sic ait: *Hac sunt, charissimi, qua vobis possidenda relinquo, charitatem habete: humilitatem seruate: paupertatem voluntariam seruate: & familiaritatem iuuencularum vitate.* Vndè meritò *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2. §. 2. in fine, Nauarr. in Man. cap. 26 num. 36.* monent testari volentes, vt sani, & in princ. morbi id faciant.

3 Quòd si timor non sit damni, aut scandali, vt supra ex testamento non condito, tunc differens, vel nullo modo testamentum faciens, non peccat saltem mortaliter, vt habetur ex *Zecch. par. 2. sua summ. de testam. cap. 58. num. 23.* Imò testator curare debet, vt testamentum condat in statu gratiae: altàs legata pro anima sua sibi non proderunt ad gratiam, nec ad gloriam, nec ad satisfactionem poenarum, quas in Purgatorio debet, si in statu peccati mortalis ea fecerit, quamuis postea in statum gratiae redeat, & in eo moriatur, vt post alios inquit *Nauarr. loco citato.* Verum tamen est, quòd si testator in mortali permanens testamento legauit Missas pro anima sua celebrandas si in statu gratiae moriatur, & Missae

Missæ fuerint celebratæ, proderunt ei in Purgatorio, non vi testamenti; sed vi applicationis offerentis, vt habetur ex *D. Bonauent. in 4. d. 16.* quem refert, & sequitur *Zecch. loco citato, vers. Secundò aduerte*.

4 Dico secundò peccare testatorem, qui licèt testamentum condat; nihilominus scienter adeò obscuris vtitur verbis, vt iurgiorum, ac litium causa existat inter hæredes, & legatarios: Debet enim testator discretus esse in legando familiæ, vt ita diuidat, & clarè testetur, vt non sint futura litigia inter hæredes, vt per *D. Anton. par. 3. tit. 10. cap. 2. §. 2.*

5 Dico tertiò peccare testatorē, qui nec liberos, nec parentes; atque ideò suos, & necessarios hæredes non habens, bona sua alijs, quàm cognatis suis pauperibus testamento relinquit: siquidem eo casu testator ex debito honoris parentelæ tenetur cognatos pauperes potius, quàm extraneos fouere. Sub præcepto enim honorandi patrem, & matrem, præcipitur etiam honor erga parentelam in his, quæ ad parentelam pertinent, vt sūt subsidia temporalia, ita *D. Anton. 3 par. tit. 10. cap. 1. §. 2. in fine*, vbi id tamen limitat verum esse vbi cognati manifestè indigeant: aliàs si non indigeant manifestè, potest liberè in alios, præsertim in pauperes distribuere. *Nauar. verò in Man. cap. 26. num. 36. in fine*, hanc conclusionē limitat procedere tantùm in cognatis extremè indigentibus, quibus nullus alius proximior cognatus sit, qui eos alere possit, & velit: quoniam nulla lex naturalis, Diuina, vel humana ad plus de præcepto obligat, arg. *tex. in l. 1 C. de Sacros. Ecclef.* Quæ quidem sententia nobis non probatur; alias nulla differentia daretur inter cognatos, & extraneos, cùm extremè indigentibus, siuè cognati sint, siuè extranei ex præcepto teneamur subuenire, *cap. pasce, 86. d.* Vndè arbitror teneri testatorem in casu, de quo agitur, legare bona sua cognatis, si boni sint, & digni etiā si indigeant tantùm pro conseruatione status: quoniam ijs tenebatur in vita eleemosynam facere, potius quàm extraneis ex præcepto charitatis: etenim in eleemosyna distribuenda præferēdus primò est, qui daturus est eleemosynam, cū ordinata charitas incipiat primò à se ipso, *l. præses*, & ibi, *Glos. C. de seruit. & aqua.* Deindè cæteris paribus præponuntur sui: tertiò noti: quartò boni: & demum extranei, vt est *tex. in cap. nō satis, & cap. quiescamus*, & ibi, *Glosa, 86. d.* & latè declarat *Syl.* post alios *in sum. vers. Eleemosyna, q. 1. & 2.* Hanc eandem sententiam videtur etiam tenere *Zecch. par. 2. sua sum cap. 58. de testam. sub num. 24.* dum ait, quod si testator filios non habeat, debet bona sua distribuere inter cognatos, seruato ordine charitatis, & naturæ præferendo honestiores, propinquiores, & magis egenos alijs: qui si non egeant, possunt bona sua conuertere in opera pia. Est tamen æquum, vt eo casu bona antiquitus quæsita conseruentur cognatis ad euitanda scandala, & murmurationes, vt hæc, & alia circa rem hanc habentur ex *Salon. 22. q. 5. ar. 5. concl. 1 & 2.* Vndè *Molfes. tom. 1. ad Consuet. Neapol par. 3 quæst. 8. sub numer. 30. & par. 2. sua summ. tract. 13. cap. 4. numer. 83.* dum ex doctrina *Diu. Augustini in cap. fin. 17. quæst. 4.* ait, quòd parentes peccant si alienis relinquant diuitias suas, cùm teneantur relinquere agnatis, & cognatis, quibus de iure cōpetunt, relicta aliqua portione pauperibus, debet moderari, iuxta ea, quæ supra diximus: & nisi agnati, & cognati vitium ingratitudinis non cōmiserint in ipsum testatorem, vt infra, Deo duce, latius dicemus.

7 Dico quartò peccare testatorem, qui liberos, parentes, & cognatos non habens, alienis relinquat diuitias suas, eis non indigentibus, & nihil pauperibus, aut locis pijs leget pro anima sua. Etenim si dum viueret ad eleemosynā elargiendam tenebatur non solùm pro conseruatione indiuidui; sed etiam pro conseruatione status, iuxta ea, quæ habētur ex *Syl. d. q. 1.* & alijs; multò magis ad eam tenetur in morte, cùm tunc tēporis vrgeat charitas eiusdem testatoris erga se ipsum, & animam suam; quæ cunctis est præferenda. Et si *D. Augustinus* relatus in *cap. si quis, 13. q. 2.* existimat valdè congruum esse, vt filios habentes, aliquid testamento quoque pauperibus donent, ita inquiens: *Sed planè sic faciat sæpè, quod hortatus sum, qui vnum filium habet, putet Christum alterum: si duos habet, putet Christum tertium: si decem habet, vndecimum Christum faciat, & suscipio*, quantò magis ad id obligatur, qui nec liberos, nec ascendentes, nec cognatos habet.

8 Dico quintò peccare testatorem, omninò decipi, & tutum non esse in conscientia, qui bona aliena possidens restitutioni obnoxia, relinquat hæredibus suis, vt de illis fiat Ecclesia, Cappella, Calix, paramenta, & alia eiusmodi. Debet enim testator malè ablata, & restitutioni obnoxia dū viuit restituere eorum Dominis si certi sint: aut pauperibus, & locis pijs, si sint incerti. Etenim dum quis in articulo mortis est constitutus, & potest restituere per se, non est absoluendus, nisi restituat, nec tutus est in conscientia, si in testamento relinquat ab hæredibus restituenda; nisi graue scandalum, aut infamia ex tali restitutione sibi proueniret: hæredes enim multoties non restituunt: si restituunt sæpè id non agunt, nisi à Iudice coacti non sine litis sumptibus, & expensis, vt habetur ex *D. Anton par. 2. tit. 2 cap. 1. §. vlt. Syl. vers. Restitutio, 5. q. 7. Nauar. in Man. cap. 17. num 67. Sot. lib. 4. de iustit. & iure, qu. 7. ar. 4.* & ex alijs apud *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. cap. 2. dub. 10. num 31. & Zecch par. 2 sua summ. de restit. cap. 7. vers. Quando.* Quòd si testator non possit aliter restitutionem facere, nisi post mortem faciendam ab hærede, tunc vt salubriter animæ suæ consulat, debet certa dimittere restituenda certis personis: & incerta pauperibus. Etenim non est pauperibus dare incerta, si hæredibus relinquantur, vt ex eis ædificent Ecclesias, Cappellas, Calices, &c. Scriptum est enim *Prouerb. cap. 3. Honora Dominum de tua substantia, non autem de aliena.* Vndè *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 1. §. 2.* sic ait: *Caueat autem talis testator, ne de malè ablatis, quæ sunt obnoxia restitutioni relinquat hæredibus suis, vt indè fiat Cappella paramenta, &c.* Et reprehendit Religiosos, & alios id consulentes; atque ideò, qui pauperibus eroganda in alia conuertere faciunt citra dispensationem aliquam.

9 Dico sextò peccare testatorem non solùm si malè ablata habeat; sed etiam quæcunque debita licitè contracta, & non restituat in vita sua cùm

cùm possit, citra infamiam, scandalum, aut magnum detrimentum, vel damnum hæreditatis, vt si pecuniam habeat apud se, vel supellectilem, quam sine graui damno vendere potest: nam ad id tenetur, per ea, quę supra adnotauimus in proximo dicto. Quòd si testator tunc non possit suis creditoribus satisfacere, vel commodius, tunc per hæredes est facienda; atque ideò si hæredibus in testamento præcipiat, vt satisfaciant, tunc tutus est in conscientia, etiam si per hæredes solutio differatur, vt habetur ex *Zecch. par. 2. sua summ. de testam cap. 58. sub num. 23. vers. Tertiò aduerte.*

10 Dico septimò peccare testatorem, seruis suis libertatem legantem in fraudem creditorum: & libertatis donatio est nullius momenti, quoad creditorum detrimentum, vt in *l. si mortis. ff. qui, & à quib. Glos. in §. 1. vers. Nihil agit, in instit. quib. ex caus. manum non lic. & l. 1. C. qui manum. non poss.* Dicitur autem in fraudem creditorum libertatis datio, si manumissoris facultatum vires manumissionis tempore æri alieno pares non sint: vel data libertate impares sint futuræ, vt in *§. in fraudem, in instit. quib. ex caus. manum. non lic.* Dixi, *quoad creditorum detrimentum*; quoniam ipsis Dominis libertatem dantibus nocet manumissio, si reuocare eam velint, vt in *l. si creditoribus, C. de ser. pign. dato manumiss.* Benè verum est, quòd licitum est Domino quantumuis ære alieno grauato seruum suum manumittere, & hæredem instituere, si nemo alius testamento sit futurus hæres, vt in *d. §. 1.* vbi etiam §. 2. id ampliatur, etiam si Dominus seruum sine libertate hæredem instituat; quoniam adhuc liber efficietur.

11 Dico octauò peccare testatorem exhæredando proprios liberos, vel parentes si liberos non habeat sine causa. Est enim contra officium pietatis talis exhæredatio, & reuocatur testamentũ querela inofficiosi testamenti, vt in § 1. *in instit. de inoffic. testam.* nam ita testamentum condentes non præsumuntur sanæ mentis, vt habetur ex *Mantic. lib 4. de coniectur. vltim volunt. tit. 12. num. 40. & seq.* cum alijs, quos allegat. Quæ quidem querela inofficiosi testamenti debet à prædictis intentari intra quinquennium à die aditæ hæreditatis, *l. si quis filium, in fine, & l sancimus §. illud, C. de inoffic. testam. & Molfes.* post alios *par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 2. num.* 160. Tenentur enim parentes, & è conuerso liberi parentes ex defectu filiorum, nominatim instituere, vel nominatim exhæredare exprimendo exhæredationis causam; aliàs testamentum est nullius momenti, vt in §. 1. & ibi, *Doctor. in instit. de exhæred. liber. l. quoties, C. ad Senatusc. offic. & §. Aliud quoque Capitulum, in auth Vt cùm de appell. cogn. Ias. & alij in auth ex causa, C de liber. præter. Vasq. cap. 4. de testam §. 4. num. 66. & seq. Molfes. tom 1. ad Consuetudin. Neap. par. 4. q. 62. & par. 2. sua sum. tr. 13. cap 2. num. 62. 63. & 169.* & alij id ampliantes procedere etiam quoad filias dotatas, quas secundum aliquos satis est instituere in dote: vel tutius debent instituere in aliquo modico, sicut Religiosos professos, *l. fin. §. hoc etiam cognitum, C de Episc & Cler. Syl. in sum. vers. Testamentum, 1. q. 10. & vers. Hæreditas, 1. ante q. 1. vers. Sciendum est.*

12 Causæ autem, quibus liberi à parentibus exhæredari possunt, sunt quattuordecim: octo verò, quibus parentes exhæredari possunt à liberis, vt habetur *in d. §. aliud quoque capitulum, §. sancimus, & §. victum autem in auth. vt cum de appell. cognosc. Molfes. d. tr. 13. cap. 2. à nu. 170. vsque ad num.* 182. Et tres denique sunt causæ, quibus frater potest exhæredare fratrem, vel sororem, etiam instituta turpi persona, vt *in §. ingratitudinem, in auth. de nup. Glosa in cap. fin. in Inst. de inoffic. testam.* Est tamen verum, quòd licèt filij, parentes possint ex dictis causis exhæredare, testator tamen debet esse cautus, vt aliquem non exhæredet ob iniuriam in se factam; sed satis est si ei reconcilietur: cùm in tali casu etiam cum extraneo reconciliari debeat, vt in *cap. si quis irascitur*, & ibi *Glosa 13. q. 2. & Zecch par. 2. sua sum de testam. cap. 58. sub nu.* 24. Possunt autem ingratitudinis causa remitti expressè, vel tacitè multis modis; de quibus latè *Molfes tomo 1. ad Consuet. Neapol. par. 5. q. 12. num. 7. & seq.* Imò casu quo ingratitudinis causæ non remittantur à parentibus eorum liberis, & è conuersò, exhæredatio ab ipsis facta intelligitur quoad hæreditatem legitimam, & alimẽta ordinaria tantùm; non autem quoad alimenta necessaria pro conseruatione indiuidui, ac vitæ substẽtatione, vt habetur ex eodem *Molfes* post alios *loco cit. & par. 2. sua sum. tr. 13. cap 2. nu.* 181. Et in casibus, in quibus potest pater exhæredare filium, & è contra, licèt possint & alimẽta denegare; id tamen limitatur, si filium ingratum, vel patrem, qui vitium ingratitudinis cõmisit contra filium, ingratitudinis commissæ pœnitent: & maximè si Religionem ingrediantur: quoniam per Religionis ingressum purgatur omne vitiũ ingratitudinis, *l. fin. C. de Episc. & Cler. & cap non liceat*, 19. q. 3. & nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib 2. cap. 15. q. 17. num. 7.* vndè *Panor in cap. ex litterarum. de eo, qui dux. in matrim &c.* & ante ipsum *Specul. in tit. Qui fil. sint legit. vers. Quid si filia*, dicunt, quòd si filia, quæ fornicationem commisit, vult pœnitentiam agere de peccato, pater tenetur eam alere; atque ideò dotare: siquidem causa dotis non est minus fauorabilis, quàm alimentorum, vt per *Bart. in auth Ex complexu, C. de incest. & inut. nupt.*

13 Dico nono peccare testatorem, si filios, vel parentes in defectum filiorum instituat in minus quàm in legitima, vel in legitima eos grauet. Etenim legitima debetur liberis in bonis parentum, sicut è conuersò parentibus in bonis filiorum, seu liberorum, vt *in l. nam etsi parentibus, ff. de inoffic. testam. Bart. & DD. in auth. Ex causa, C. de liber. præterit. Peregr. de fideic. ar. 4. num. 44. & seq. & Molfes. par 2. sua sum. tr. 13. cap. 4. num. 75. cum seq.* vbi latè hanc rem pertractat. Taxatur autem legitima secundùm numerum filiorũ; ita vt si sint quatuor, vel pauciores liberi, erit tertia pars eius, quod habituri essent ab intestato: si verò quinque sint, & vltra medietas, vt in *auth. nouissima, C. de inoffic. test.* & debetur in omnibus bonis parentum, deducto ære alieno, & impensis funerum defuncti, ac pretio seruorum manumissorum, etiã in bonis, quæ accrescunt ex causa habente initium viuẽte testatore, vt *in l. Papinianus*, §. *quarta*, & ibi *Glosa, & DD. ff. de inoffic. testam.* Est tamen taxanda

xanda

xanda legitima iuxta bona, quæ remanserunt tempore mortis: & habetur ratio donatorum à parentibus, non quia in illis legitima competit; sed vt pinguior taxetur, habita ratione ad bona donata, vt rectè declarat idem *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 17. num. 63. & d. cap. 4. num. 74.* vbi etiam *num. 79. cum plur. seq.* probat, quòd legitima debetur ex corpore bonorum tantùm; non autem ex fructibus: nec eam filius potest sibi eligere in certo corpore, maximè si resultet electio in damnum alterius, quamuis id Iudex facere possit, cuius arbitrio relinquitur.

14 Et licèt super legitima non possit imponi grauamen, vt *in l. omnimodo, cum duabus seq. C. de inoffic. testam.* nihilominus qualiter id fieri possit, benè declarat idem *Molfes. tomo 2. ad Consuet. Neapol. par. 2. tit. de bon. q. 19.* Benè verum est, quod licèt pater non possit filios bonos legitima priuare, nec in ea regulariter grauamen aliquod imponere, vt sup. diximus; nihilominus potest in alijs bonis vnum alijs præferre, nec peccat si iusta ratione moueatur, vt quia ab eo maius seruitium fuit consecutus, vel obedientior fuit, aut magis filijs abundet, quàm alij, vel sit infirmus, &c. vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 10 cap. 1. §. 2. Salon. 22 q. 5. de dom ar. 5. concl. 1. & 2. & Zecch. par. 2. sua sum. de testam. cap. 58. sub num. 24.* Hinc Iacob Patriarcha legauit Ioseph filio omnium optimo partem vnam præ cæteris, nempè agrum cum speluca duplici, vt legitur *Genes. cap. 48* quibus adde, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 26. num. 37.* Dixi, *Si iusta ratione moueatur*, quia si irrationabiliter id faciat, præsertim aliqua passione ductus, à culpa non erit immunis, maximè si legitima satis non sit ad alimenta, iuxta decentiam status subministranda, nec aliundè habeat vndè ea percipere valeat. Etenim licet non peccat cōtra iustitiam, cùm pater non teneatur instituere filium nisi in legitima, & è conuersò, vt diximus; nihilominus facit contra charitatem, & partialiter irrationabiliter ostēditur: quod quidem à contrario sensu clarè etiam colligitur ex *D. Anton. loc. cit.* & ex ex alijs sup. citatis DD. Imò si filius egeret tota hæreditate, quia modica sit, & legitima sibi non sufficiat, debet pater filio totam hæreditatem relinquere, quàm alijs pauperibus, vel Ecclesijs; cùm Ecclesia debeat, cùm potest, pauperibus subuenire: quoniam quicquid habent Clerici vltra indigentiam pauperum est, *C. quoniam, 16. q. 1.* & habetur ex eodē *D. Anton.* vbi supra. Cæterum si pater minus legitima filio legauit; & è contra, non datur eis querela inofficiosi testamenti; sed possunt agere ad supplementum legitimæ, vt *in d. l. omnimodo, C. de inoffic. testam.* Siquidem hæc querela datur liberis, & parentibus in subsidium, quando eis nihil relictum est in testamento: vel iniustè fuerunt exhæredati, & nullo alio iure ad defuncti bona venire possunt, vt *in §. tam autem, & §. sed nunc, in Instit. de inoff. testam.*

15 Dico decimò peccare testatorem, si filium in testamento prætereat: vel si filios non habeat, prætereat fratrem, vel sororem, turpi persona instituta: quoniam his casibus dicitur Testator agere contra officium pietatis, & præteritis competit querela inofficiosi testamenti, vt in *§. 1. in Inst. eod. tit.* paulò sup. relato. Idem dicendum est de præteritione filij emācipati, & posthumi: nam proculdubio pater eos prætereundo, cōtra officium pietatis dicitur agere, sicut irrationabinabiliter eos exhæredando, & possunt tastamentum rumpere: nec potest saluari per clausulam codicillarem, vt per *Glos. in auth. ex causa, C. de liber preter. Ann alleg. 19. Gram. decis. 42. nu. 19. & seq. Molfes. par. 2. sue sum. tr. 13. cap. 2. num. 67. & 68* siquidem legitima debetur iure institutionis, quam sententiam quidam veram esse putant quoad institutionem hæredis tātùm; atq; ideò cætera firma remanent, vt colligitur ex *tex.* & ibi *DD. in d. auth. ex causa, Vasq. cap. 1. de testam. num. 50.* & alij, quos refert, & sequitur idem *Molfes. par. 2. sua sum tr. 13 cap. 3. nu. 40* vbi *num. 41. cum plur. seq.* id limitat cum communi, quando præteritus esset posthumus ignoranter: tunc enim non valet testamentum; & propterea non debentur legata, quod quomodo verū sit, & quando clausula codicillaris vim habeat, per ipsum *Molfes.* rectè declaratur.

16 Dico vndecimò peccare testatorem filio suo illegitimo alimenta scienter non legātem: quoniam id esset contra officium pietatis Et quamuis iure ciuili denegentur illegitimis alimenta, vt in *auth. licet, C. de natur. liber. & in auth. Ex complexu, C. de incest. & inutil. nupt.* nihilominus illa iura ciuilia tanquam contra ius naturale condita, fuerūnt per ius canonicum reuocata, vt in *cap. cum haberet, de eo, qui dux. in matr. &c.* vbi *Glosa, & DD.* communiter, quem canonem vbi seruari testatur *Molina tomo 1. de Iust. & iure. disp. 168.* & alij, quos retulimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnę, lib. 1. cap. 6. q. 2. num. 20.*

17 Dico duodecimò peccare testatorem instituētem sibi hæredem spurium, seu incestuosum, atque ideò ex damnato coitu: & multò magis si in fraudem legis inhabilitantis spurios ad successionem parentum bona sua amici fideicommiserit, vt filio suo spurio traderet, aut eundem institueret, vt eidem filio hæreditatem restituat: quod peccatum est mortale: siquidem lex humana iusta obligat in foro conscientiæ, vt habetur ex *Panor.* & ex alijs *in cap. 1 de constit.* Et amicus ille fideicommissarius non minus, ac spurius accipiendo peccaret, bona ipsa eidem tradendo, vt ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnę lib. 2. cap. 1. q. 27. num. 42 & 43.* vbi etiam *num. 44. cum plur. seq.* id multipliciter limitauimus, & infra latius, Deo duce, dicemus. Idem dicendum est de instituentibus damnatos ad triremes in perpetuum; quoniam hi succedunt in locum damnatorum ad metallum; qui institui non possunt, nec actiuam habent testamenti factionem, *l. si in metallum, ff. de his, qui pro non script. habent.* Sic etiam dicimus de deportatis, seu perpetuò bannitis: hi enim nec institui possunt, nec ipsi valent instituere, *l. 1. C. de hered. instit.* latè *Syl. in sum. ver. Testamentum 1. q. 3.* vbi id ampliat in damnatis ad mortem naturalē, etiam si aufugiant de manu Iudicis: quod quidē verum est de Bannitis de iure communi: secus autem si per statutum loci banniantur, vt habetur ex *Iul. Claro in §. testamētum, q. 20. & Molfes. d. tr. 13. cap. 2. num. 173. cum duob. seq.* vbi etiam probat institui non posse hæreticos manifestos, apostatas, *cap. secundum leges, de haret. in 6.*

in 6. & collegia illicita à superiore legitimo nō approbata, *l. collegium, C. de hered. instit.* Etenim testator huius personas, & loca instituens contra iuris dispositionem, proculdubio peccat, cùm lex humana iusta, maximè præceptiua, obliget in conscientia, vt sup. diximus, & de hac re latè egimus in dictis nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 3. §. 8. q. 2.* Eadem ratione testator citra culpam non potest seruum instituere hæredem, qui cum propria Domina adulterium commisit; nam id de iure prohibetur, *l. 1. C. de mulier. quæ ser. propr. se immisc. & §. est tamen casus, in instit. de hered. instit.* Sic etiam peccat patronus, qui interfecit Rectorem, aut Clericū Ecclesiæ patronatæ, si in illo iure instituat filiū, aut quemlibet alium: quoniam patronus, vel habens aliquod ius, seu feudum in Ecclesia, quod debet transire ad filios, & ipse occidit, vel mutilauit Rectorem, aut Clericum illius Ecclesiæ, statim perdit omne ius, & omnem dignitatem, quam in ea obtinebat, & nihil pertinet ad filios, vt *in cap. in quibusdam, de pœn.* & *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 3. §. 3.* vbi idem ait de committente crimen læsæ Maiestatis; nam huius bona confiscantur, sicut bona hæreticorum, *cap. quæro. §. si quis, 6. q. 1.*

18 Dico tertiodecimò, testatorem non solùm peccare instituendo hæreticos, deportatos, damnatos in perpetuum ad triremes, qui crimen læsæ Maiestatis commiserunt, & alias personas supra relatas; sed etiam si ipse testator sit hæreticus, aut crimen læsæ Maiestatis commiserit, sit damnatus ad mortem ciuilem, vel naturalem, & testamentum condiderit: siquidem huiusmodi personæ carent testamenti factione non solùm passiua; sed etiam multò magis actiua: & bona eorum, qui in hæresim, vel crimen læsæ Maiestatis inciderunt, sunt acquisita Fisco quoad dominium statim commisso crimine, vt *in l. commissa, C. de publican. & vectigal.* ita ut res quælibet per delinquentem alienata à Fisco vendicari possit; quamuis pœna non debeatur ante Iudicis condemnationem, vt latè declarauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 1, q. 27. à num. 46. vsq; ad 53.* vbi idem diximus de quolibet alio delicto habente annexam pœnam confiscationis ipso facto. Idem dicendum est de omnibus alijs, quibus ratione pœnæ, & ex propria culpa prohibentur testamentum condere, vt sunt condemnati ad perpetuos carceres, excommunicati per publicos cædulones, banniti à Principe pro delicto, quo pœna mortis veniunt puniendi, vsurarij manifesti, nisi præstent cautionem de restituendis vsuris, damnati ob carmen famosum, qui Cardinales hostiliter insecuti sunt, percusserint, aut ceperint, auxilium, vel fauorem dederint, vel ratum habuerint, iuxta *tex. in cap. fælicis, de pen. in 6.* & alij, de quibus *Glosa in cap. fin. in Instit. quib. non est permis. facere testam. Syl in sum. ver. Testamētum, 1. q. 3.* & latius *Molfes par. 2 suæ sum. tr. 13. cap. 2. à num. 109. vsq; ad num. 117.*

Est tamen verum, quod si prædicti vt supra condemnati appellauerint à sententia contra eos lata, pendente appellatione possunt testari. Vndè damnatus ad mortem naturalem, & deportatus licèt post sententiam efficiantur intestabiles, *l. eius qui, ff. de testam.* nihilominus si à sententia appellauerint, pendente appellatione, non prohibentur testari, vt habetur ex *Vincent. de Franch. decis. 501. & Molfes. loco citato, num. 109.*

19 Dico quattodecimò peccare testatorem, qui testamentum condat, quocunque alio modo testamenti factio ei de iure interdicta sit; quales sunt serui, qui de eorum statu sunt incerti; atque ideò dubitant, an liberi sint, vel serui, *l. de statu, ff. de testam.* Sic etiam obsides, qui dati sunt apud hostes pro captiuis, vel pro pace componenda: nam hi citra Principis dispensationem non possunt testari, vt in *l. obsides,* & ibi, *Glosa, ff. de testam. Tusch. vers. Testari, concl. 104. num. 13. & Molfes. d. cap. 2. num. 117.* Eadem ratione peccat testamentum faciens Monachus, aut quilibet alius Religiosus, qui fuit professus tria vota substantialia Religionis: siquidem Religiosis est interdicta testamenti factio actiua, *c. 2. de testam. & in auth ingressi, C. de Sacros. Eccl. cap. nō dicatis, 12. q. 2.* Quod verum est etiam si Religiosus fiat Episcopus: quoniam Episcopo sola dispēsatio rerum Ecclesiasticarum committitur, quæ finitur morte, ex qua testamentum incipit vim habere. Quòd si ex dispensatione Rom. Pontificis testamentum condat, tunc non dicitur de proprio testamentum condere, sed auctoritate Apostolica intelligitur ampliata potestas suæ dispensationis, vt possit valere post mortem, vt post *D. Thom.* docet *Syl. in sum. vers. Testamētum, 1. sub q. 3.* Eremitæ verò, & alij, qui dicuntur largè Religiosi, cum de iure non prohibeantur testari, iuxta ea, quæ habentur ex *Tab. vers. Testamentum, §. 1 sub num. 2. & Syl. loco citato,* citra culpam dicuntur testamentum condere.

20 Quo verò ad Religiosos professos est adnot. quòd magna est inter Doctores altercatio, an possint reuocare testamenta ante professionem per eos condita. In qua re licet pugnantes extent opiniones; nihilominus mihi placet opinio distinguentium, quòd aut Religiosus emisit professionem in Monasterio, seu Religione incapaci bonorum in communi, & tunc facta professione non potest amplius reuocare testamentum antea conditum: nam post professionem statim testamentum vires sumit, & soluenda sunt legata illis, quibus relicta sunt Etenim huiusmodi Religiosus si testamentum non fecisset, tunc ei succederent venientes ab intestato, vt per *Bald. in auth. si qua mulier, num. 11.* vbi etiam *Bart. nu. 9. C. de Sacros. Eccles. Panor. in cap. in præsentia,* & ibi, *Dec. num. 261. de probat. Alex. in l. ex facto ff. ad Trebell. & cons. 13. vol. 3.* Et ita quidam volunt esse intelligendam sententiam eorū, qui tenent, Religiosos post professionem emissā non posse reuocare testamenta per eos antea cōdita, quorum meminit *Iul. Clar. in §. Testamentum, q. 28 num. 9. Rodriq. tom. 3. qq. Regular. qu. 69. ar. 3. Couar. cap. 2. de testam. Vasq. tr. de reddit. cap. 3. dub. 3. & 5. & Sanch. lib. 6. de matr. disp. 17. num. 11.*

21 Quòd si Religiosus professionem emittat in Monasterio, seu Religione bonorum in communi capaci; tunc posset reuocare testamentum antea conditum, accedente Superioris saltem cōsensu: & ita volunt intelligi *Bart. in l. sed etsi mors,* per illum *tex. num. 2. ff. de donat. inter vir. & vxor.* & alios; & ideò legatarij, & fideicommis-

missarij fructum non consequuntur, nisi post mortem naturalem talis Religiosi; & interim Monasterium consequitur vsumfructum eius bonorum, vt per *Glos. in l. 1. C. de bon. matern. Bart. in auth si qua mulier, num. 10. & seq. C. de Sacr. Eccl. Vasq. d. cap. 3. dub. 4. num. 20. & 21. Mastrill. decis. 153 num 26 par... P. D. Francisc. de Ponte, cons. 155. num. 7. Molfes. tom. 1. ad Consuet. Neap. par. 4. q. 65. & par. 2. sue sum. tr. 13. cap. 2. num. 164.* qui licèt hanc sententiam existimet esse probabilem; tamen, quòd Religiosus post professionem indistinctè non possit reuocare testamentum antea conditum putat verius; nisi ad id habilitatus esset à Rom. Pontifice, cū possit Rom. Pontifex concedere Regularibus facultatem testandi, per quam dispensationem quodammodò habilitantur à voto paupertatis, cuius vigore non possunt habere proprium, nec disponere; atque ideò ad disponendum dumtaxat habilitantur, vt tanquam habentes proprium transferre valeant bona illa in alios, vt habetur per *Couar. cap. 2. de testam. num 9. Nauar. de reddit. Eccles. par. 3. num. 26. Vasq d. cap. 3. dub. 5. num. 22. & 23.* Sed hæc controuersia hodiè videtur sopita per *Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.* vbi irritas facit omnes renunciationes, nisi intra duos menses ante professionem cum licētia Episcopi, vel eius Vicarij fiant. Plura quoque tractat *Molfes. d. cap. 2. num. 168.* de portione, quæ debetur agnatis, & cognatis, vigore Consuetudinis Neapol. Et de legitima, seu alimentis, quę tenetur pater professus dare filijs relictis in sæculo. Et *num. 165.* indistinctè putat, quòd si Religiosus professus efficeretur Episcopus, posset reuocare testamentum prius factum; quia recuperaret primęuam libertatem, & facultatem disponendi: quemadmodum resurgens ex mortuis reuocat testamentum prius factum, & recuperat eius bona, vt euenit Lazaro resuscitato.

22 Sunt quoque nonnulli alij, quibus interdicta est testamenti factio, quales sunt prodigi, quibus à Iudice interdicta est bonorum administratio, vt in *l. is cui. ff. de testam.* captiui apud hostes Imperij Rom. *l. eius, ff. eod.* Filij familias, nisi peculium, & bona habeant castrensia, vel quasi, vt in *l. pen. C. qui testam. facere non poss. & cap. licèt, de sepult. lib. 6.* & alij, exceptis casibus, quos recenset *Molfes. par. 2. sue summ. tr. 13. cap. 2. à num. 96. vsque ad num.* 107. qui etiam à *nu. 73. vsque ad num. 96.* recenset alias personas, quibus prohibitum est testamentum condere. Hi omnes si de facto testamentum condant; proculdubio culpam contrahunt cùm faciant contra legem prohibentem, vt patet ex ijs, quæ supra adnotauimus, quibus adde, quæ habentur ex *Tabiena, vers Testamentum, §. 2. num. 2 & Syl. eod. vers. q. 4.* dicentibus, quòd quamuis supradictæ personæ, & aliæ de iure testari prohibeantur, nihilominus ad pias causas validè disponunt.

23 Dico quintodecimò peccare testatorem si aliud testamentum condat reuocando primum testamentum, quod iurauit non reuocare: siquidē proculdubio is diceretur periurus. Est tamen verum, quòd eo casu reuocatio testamenti valida esset, non obstante supradicto iuramento: quia dum testamentum ex sui natura sit reuocabile, nulla potest dari cautela, qua reddatur irreuocabile, vt rectè probat *Tusch. vers. Testator, conclus. 151. & 152. Menoch. cons. 1093. vol. 11. Vasquez cap. 2. de testam. dub. 2. & 3. Molfes. tomo 1. ad Consuet. Neapol. par. 4. tit de renunc. q. 9. num 22. & seq. & par. 2. sua sum. tr. 13. cap. 2. num. 153.* vbi etiam *num. 154. & 155.* id ampliat primò, etiam si in priori testamento testator dixerit, nolle posse illud reuocari; nisi in reuocatione in specie ponatur salutatio Angelica: nam si in posteriori testamento derogationem æquiualentem inferat, dicens: *Reuoco omnia alia testamenta, non obstante qualibet clausula in illis posita, illa non reuocandi; etiam si de verbo ad verbum esset inferenda,* vt habetur ex *Vasq. d. c. 2. num. 2.* Secundò ampliat dictam conclusionē veram esse; etiam si testator in priori testamento certam pœnam sibi imposuisset, vbi illud reuocare vellet: nam pœna ista est contra naturam testamenti, quod de sui natura est reuocabile, atque ideò tanquam contra bonos mores, ea non obstante, potest testamentum reuocare, vt habetur per *Tusch post alios vers. Testamentum, conclus. 150. num. 18. Rom. cons. 171. & 293. Dec. cons. 242* & ex alijs.

24 Dico sextodecimò peccare testatorem si sit Clericus, & testetur de bonis beneficij: nam quamuis Clericus etiam si esset filius familias possit testari de bonis acquisitis per Clericatum, cùm sint quasi castrensia; & de bonis aduentitijs qualitercumque sibi obuentis, vt in *auth. Præsbyteros, C. de Sacros. Eccles. Iul. Clar. in § testamentum, q. 27.* nihilominus non potest testamentum condere de bonis beneficij citra Rom. Pontificis consensum, vt per *Doctor.* supra citatos, & *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13 cap. 2. num. 104.* Verum tamen est, quod si Clericus parcè vixerit, & suam portionem de fructibus beneficij sibi reseruasset, tunc secundum communem sētentiam posset non solùm viuens, sed etiam in morte de illis disponere; quoniam huiusmodi fructus censentur tanquam bona patrimonialia eiusdem beneficiarij, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 185. ar 7. ad 2. Reginal. lib. 30 sua praxis, tract. 3. num. 89. & seq. & Molfes par. 1. sua sum. tr. 6. cap. 10. num. 54.* licet contrarium doceat *Garz par. 2. de benefic. c. 1. num. 9. & 10.* Quod quidem verum est de illa fructuum portione, quam sibi reseruat beneficiarius pro sua commoda sustentatione: siquidem de alijs duabus fructuum portionibus, quas tenetur in vsum pauperum, & in reparationem Ecclesiæ expendere, iuxta *tex. in cap. dilectissimis, & cap. sæpè alias, 12. q. 1.* Secundum veriorem sententiam non potest testari citra Rom. Pontificis dispensationem, vt in *cap. cùm in officijs, de testament. Garz loco citato, Vasq. cap. 1. de reddit. Eccles. § 3. dub. 4. num. 66. Reginald. vbi supra, & Molfes. d. cap. 10. num. 55.* vbi etiam *num 56.* addit, quòd si beneficiarius emeret bona ex fructibus beneficij, illa bona essent Ecclesiæ, quoad dominium, ita vt donec viuat ipse beneficiarius, possit fructus tantùm percipere dictorum bonorum, vt in *cap placuit, 12. q. 3.* & post alios *Vasq. d. § 3. dub. 1. num. 38. & Reginald. ibidem, num. 110.*

26 Cæterum si beneficiarius in dispensandis fructibus beneficij, partes eorum, quas debebat expendere in vsum pauperum, & in ędificationem, seu restaurationem Ecclesiæ, dispenset in totum, vel in notabili quantitate in alios vsus, licèt pec-

cet mortaliter; non tamen tenetur ad aliquam restitutionem: quoniam beneficiarius omnium fructuum beneficij efficitur dominus, vt contra *Nauar.* & alios probat idem *Molfes. d. cap. 10. à num. 47. vsque ad nu. 58.* Imò si fructus beneficij satis non sint, nisi pro commoda sustentatione ipsius beneficiatij, non peccat si omnes fructus in proprios vsus conuertat. Etenim beneficiarius facit fructus suos habens obligationem annexam, vt primò capiat suam portionem, ac victum: & quod superest postea expendat in vsum pauperum, & in reparationem Ecclesiæ beneficiatæ, vt aliàs diximus, & habetur ex eodem *Molfes. loco citato, sub num. 47. in fine.*

26 Dico decimoseptimò peccare testatorem, si vltra quàm par est sollicitus sit de honorifica sepultura, post mortem sibi construenda, de excessiuis pompis funeralibus, & quòd eius corpus pretiosissimis vnguentis condiatur: siquidem *D. August. ser. 1. in Psal. 48.* admonet, vt cogitemus de anima; non autem de sepultura, ita inquiens; *Vbi maneat spiritus malè agentis, non vbi ponatur corpus mortale cogitandum est.* Et *ser. 2. Quid ergò habebit corpus mortuum? quid habebit caro putrescens? quid habebit caro non sentiens? Quod tollit sepultura, non tollit secum mortuus, vbi enim sensus, ibi homo, vbi nullus sensus non est homo. Iacet vas, quod continebat hominem: corpus dicamus domum; spiritum habitatorem domus. Spiritus torquetur apud inferos quid illi prodest, quia iacet corpus in cinamomis, & aromatibus, inuolutum pretiosis lineis? tanquam si Dominus domus mittatur in exilium, & tu ornes parietes ipsius, ille in exilio eget, fame deficit, vix ibi vnam cellam inuenit, vbi somnum capiat, & tu dicis, felix est, quia ornata est domus illius: qui te non aut iocari, aut insanire arbitretur. Da aliquid spiritui, & dedisti aliquid mortuo Sed quid illi dabis qui contempsit mittere aliquid ante se, & non putauit vitam, nisi præsentem.* Hanc vanitatem legitur etiam nonnullos Philosophos Ethnicos contempsisse, vt testatur idem *D. August. lib. de Ciuit. Dei, cap 12.* Et Christiani Christi Domini sanguine redempti eam sectantur? Qui de huiusmodi vanitatibus nimis sollicitos se ostendunt, vt plurimum animarum eorum parum solliciti esse solent. Non tamen arbitror eos peccare mortaliter, sed tantũ venialiter; nisi ob id notabiliter grauent suos, & legitimos hæredes; ita vt indigentes remaneant, eisque necessaria sint ad decentiam eorum status: & multò magis si legitima in totum, vel pro parte notabiliter defraudarentur.

27 Dico decimo octauò peccare testatorem repellentem ab eius successione Religionem ingressos, etiam si professionem emiserint: & quãuis dum Laici fuerunt, ingratitudinis vitium cõmiserint; quia per Religionis ingressum purgatur omne vitium ingratitudinis, vt supra diximus, & est *tex. in cap. fin. 19. q. vlt. D. Anton. 3 par. tit. 10. cap 3. §. 3.* Etenim Religiosi, etiam Fratres Prædicatores, quamuis sint mendicantes ex priuilegio habent, vt possint succedere, vt habetur ex eodem *D. August ibidem, §. 4.* Quod verum est, nisi Religiosus professionem fecerit in Monasterio incapaci bonorum in communi, iuxta ea, quæ sup. diximus. Vel si professionem emiserit in Monasterio bonorum in communi capaci, & bona renunciauerit, seruata forma *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 16.* ita se habentis: *Nulla quoq; renunciatio antea facta, etiam cum iuramento, & in fauorem cuiuscumq; causa piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectũ suum sortiri, ni secuta professione aliter verò facta, etiam si cum huius fauoris expressa renunciatione, etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.*

De Hæredibus, & eorum culpis, vt tales sunt,

S E C. I I.

S V M M A R I V M.

1 *Peccant hæredes, qui hæreditatem non acceptãt in fraudem creditorum.*

2 *Peccant hæredes, qui dum spurij, nefarij, aut incestuosi sunt, à patre in fraudem sint instituti, & hæreditatem capiunt.*

3 *Pœna exterior consideranda non est in foro interiori, donec executio fiat.*

4 *Pater spurij si amico suo bona tradiderit absolutè, & non sub conditione vt filio restituat, quamuis pater certam habeat fiduciam, qua amicus ipse filio prædicto sit bona ipsa daturus, & cum effectu bona adiudicauerit, tenet adiudicatio, nec spurius bona ipsa restituere tenetur ab intestato venientibus.*

5 *Filij, & nepotes eius, qui cõmiserũt crimen læsæ Maiestatis, aut hæresis ipso iure efficiuntur incapaces paternæ hæreditatis.*
Et quando hæc pœna extendatur ad filios.

6 *Peccant hæredes non sepelientes defunctum in loco, quem elegit.*

7 *Si quis ad sugestionem Regularium, vel etiam Clericorum sæcularium sepulturam sibi eligat in aliquo loco, nulla est electio, & inducẽtes sunt ipso facto excommunicati.*
Et quomodo id intelligendum sit.

8 *Vbi constet defunctum non sibi elegisse sepulturam, si impubes sit, aut seruus, vel vxor, potest pater, vel dominus, aut vir illi eligere sepulturam.*
Quot modis probari possit defunctum sibi elegisse sepulturam.
Et quid seruetur Neapoli circa impuberes sepeliendos.

9 *Iure communi puberes, qui sibi sepulturam non elegerunt, sepeliendi sunt in sepulcro maiorũ suorum, siue in propria, siue in aliena parochia moriantur.*
In qua sepultura sepeliendi sunt Peregrini, ac Vagabundi.

10 *Sepultura magis accedit ad Communionem Sacramentorum, quam ad communionem diuinorum officiorum.*
An Parochus in associandis mortuis præferatur Canonicis.

11 *Peccant hæredes, qui dubitantes, hæreditatem non sufficere ad soluendum debita Testatoris de-*

defuncti, soluat prius legata.

12 *Probabilior est sententia, prius esse soluenda legata, quam debita per haredem contracta.*

13 *Debita contracta per haredem intuitu defuncti, quare prius sint soluenda, quam legata.*

15 *Plures si sint creditores, & hareditas satis non sit ad satisfaciendum omnibus creditoribus, quibus nam sit prius satisfaciendum.*

15 *Iuxta sententiam magis receptam sunt diuidenda bona debitoris inter creditores personales pro rata debitorum, nulla prioritatis temporis habita ratione.*

16 *Idq; locum habet in quocumq; debito personali, siue licitè, siue illicitè contracto.*

17 *Etiam id locum habet, si omnia debita ex delicto fuissent contracta, in ijs enim locum non habet prælatio temporis.*

18 *Hæres non seruando ordinem supradictum, non solùm peccat, sed etiam omnia damna, expensas, & interesse resarcire tenetur.*

19 *Vera tamen est supradicta conclusio, vbi hæres spontè soluit, secus si coactus à Iudice.*

An, & quando peccet debitor, gratificando creditoribus personalibus.

20 *Potest hæres gratificare creditori personali magis indigenti, ei soluendo integrum debitum.*

21 *Secundum veram, & communem sententiam prius soluenda sunt debita ex causa onerosa, quam ex causa lucratiua.*

22 *Hæres soluendo vni ex creditoribus, ordine supradicto prætermisso, ex ignorantia iuris, vel facti, excusatur.*

An hæredes Ecclesiastici non conficientes inuentarium, teneantur vltra vires hæreditarias.

23 *Etiam hæredes laici, inuentarium non conficientes, non tenentur vltra vires hæreditarias in foro conscientiæ.*

24 *Peccant hæredes non tantùm legata, & debita non soluentes, vel prius legata, quàm debita, sed etiam si eorum solutionem differant.*

25 *Si res legata in patrimonio sit Testatoris, statim est legatario præstanda, nulla interposita mora.*

26 *Hæredes elapso anno, & legata non soluant, Testatorisue voluntatem non impleant, priuari possunt hæreditate, siue res legata sit in patrimonio defuncti, siue extra.*

27 *Hæres voluntatem Testatoris non implens, quicumq; sit, siue sit grauatus ad dandum, siue ad faciendum, & legata sint ad pias causas, potest statim ab Episcopo compelli, etiam anno, vel semestre non elapso.*

An hæc sententia sit tantum vera in Terris Ecclesiæ.

28 *Peccant hæredes non soluendo legata relicta, quamuis in minus solemni testamento, si eis constet, Testatorem voluisse verè legata facere.*

29 *Legatarij, quibus relicta sunt legata in minus solemni testamento petere, & consequi possunt legata prædicta in Curia Episcopali per denunciationem Euangelicam.*

30 *Potest hæres sibi retinere hæreditatem sibi relictam in minus solemni testamento ex defectu solemnitatis.* & n. 32.

31 *Idq; magis receptum est non solùm quoad legata pia, verum etiam quoad legata non pia.* & n. 33.

32 *Modo tamen hæres certus sit de voluntate defuncti aliundè, quam ex testamento minus solemni, & adducitur tex. in l. 2. C. de fideicom.*

33 *Non desunt Doctores magnæ authoritatis, volentes tantùm legata pia deberi ex testamento minus solemni.*

34 *Peccant hæredes non restituentes venientibus ab intestato hæreditatem, sibi ex testamento nullo delatam.*

35 *Tenetur hæres hæreditatem restituere sibi delatam cum defectu voluntatis testantis, quãuis Testator mentis compos factus testamentum non reuocauerit.*

36 *Nullum est testamentum ex defectu voluntatis testantis, quamuis fuerit conditum ad pias causas*

Quid dicendum de testamento condito à mentecapto, & quisnam dicatur Mentecaptus.

37 *Testamentum impuberis, quamuis proximus sit pubertati, nullum est ex defectu consensus.*

Quid dicendum de testamento prodigi, cui bonorum est interdicta administratio.

38 *Peccant hæredes, non soluentes legata facta ad pias causas quamuis relicta non in testamento, sed coram duobus testibus.*

39 *Peccant hæredes, detrahentes falcidiam, vel Trebellianicam ex legatis, & fideicommissis ad pias causas.*

40 *Legatum ad pias causas dicitur omne, quod relinquitur pro anima.*

41 *Potest quoq; dici legatum ad pias causas omne quod in honorem Dei, & Sanctorum relinquitur.*

An dicatur pium, quod relinquitur pro custodia Ciuitatis, & aliorum locorum communiũ, vel publicorum.

42 *Peccant hæredes non soluentes legatum relictũ puellæ causa dotis, vel donationis propter nuptias, esto quod Religionem ingrediatur ibiq; professionem emittat.*

43 *Vbi coniecturæ concurrunt, Testatorem de nuptijs carnalibus sensisse puella ingrediendo Religionem, legatum non habebit.*

44 *Peccant hæredes, alienando bona, fideicommisso subiecta.*

An possit hæres citra culpam alienare rem restitutioni obnoxiam sub conditione tamen vel sub die incerta.

45 *Hæres ex causa dotis, vel alienationis propter nuptias alienare bona potest rem fideicommisso subiectam.*

Idem est dicendum pro filia ponendo in Monasterio.

46 *Hæres citra culpam alienare potest rem subiectam fideicommisso, si egeat pro alimentis sibi ministrandis, vel pro filio captiuo ab hostibus redimendo.*

47 *Hæres ex hæreditate fideicommisso subiecta detrahere potest Trebellianicam, licet non possit eam alienare.*

48 *Quemadmodum debetur legitima filijs in bonis parentum, sic debetur parentibus in bonis filiorum.*

An hodie exequata sint legata fideicommissis, & in quo differat Trebellianica à legatis.

49 *Peccant hæredes in fraudem, seu substituti Religionem ingredientes, adeò vt fideicommissũ euanescat.*

50 *In quibus alijs casibus teneatur hæres substituto hæreditatem restituere si Religionem fuerit ingressus.*

51 *Peccat hæres institutus in certa parte, alio tamen non dato cohærede si totam adeat hæreditatem contra defuncti voluntatem. Maximè si Testator dixerit: Volo, quod de bonis meis plus petere non possit.*

52 *Peccant hæredes non soluentes legatum certæ quantitatis, puellæ factum, cum nubilis erit ætatis, si noluerit puella nubere, sed Monasterium fuerit ingressa.*

53 *Peccant hæredes legatum non soluentes puellæ factum pro ea maritanda quamuis nupserit viuente Testatore, & legatum non reuocauerit.*

54 *Peccant hæredes legatum non soluentes, factũ à Testatore alicui Ecclesiæ pro eius sepultura.*

55 *Peccat hæres filia, si succedere velit cum alijs sororibus, non prius collatis in dotem, vel donationem propter nuptias receptis.*

56 *Feudum an, & quando imputetur in legitima. Et quid de donatione facta filio, vt Clericus efficiatur.*

57 *Donatio facta filio tunc in legitimam imputetur, cum est facta ob causam secus si simpliciter.*

58 *Expensæ factæ per parentes liberis ex causa studiorum regulariter in legitimam non imputantur.*

59 *Inter filios emancipatos nunquam locum habet collatio, secus si alter fuerit emancipatus, alter verò in potestate.*

60 *Peccant hæredes annuum legatum non soluentes à die mortis Testatoris.*

61 *Peccant hæredes vsurariorum, non restituentes vsuras, per vsurarios defunctos extortas.*

62 *Vsurariorum hæredes restituere tenentur vsuras, mutuatarijs, extortas ab ipsis, siue manifesti sint, siue occulti.*

63 *Vsurariorum hæredes ad restitutionem tenẽtur vsurarum, tum in foro exteriori, tum interiori.*

64 *Hæredes vsurariorum restituere tenentur vsuras extortas per defunctum, siue eadem numero ad eos peruenerint, siue aliorum vsurariorum bona.*

65 *Nec solum ad vsurarum restitutionem, sed etiã ad omnia damna, & interesse, quæ mutuatarijs peruenerint, & illorum extorsione.*

66 *Quæ diximus de vsurariorũ hæredibus extenduntur ad eorum legatarios, ac donatarios.*

67 *Hæredes prædicti compelli possint ad vsuras reddendas sub eisdem pœnis, quibus poterat defunctus.*

68 *Hæres restituere tenetur quamcumq; rem alienam à defuncto relictam, alias esset in statu damnationis.*

69 *Hæredes si plures sint, non tenentur ad restitutionem insolidum, sed quilibet pro sua portione.*

70 *In foro saltem interiori hæredes ad restitutionem vsurarum non tenentur vltra vires hæreditarias, quamuis inuentarium non fecerint.*

71 *Si vnus ex hæredibus esset causa, vt alij non restituant suas partes, ad omnium vsurarum restitutionem teneretur.*

72 *Peccant hæredes, ratum non habentes factum defuncti.*

73 *Peccant grauiter hæredes, qui eleemosynas, quas pro eius anima legauit defunctus, differant soluere, & multo magis, si nunquam exoluant.*

74 *Hæres non soluens eleemosynas à defuncto legatas, graue damnum infert defuncto, & potest esse, quod ei non prosint; propterea non excusatur ex eo, quod commodè non possit.*

75 *Peccant hæredes non implendo vota realia defuncti.*

76 *Hæredes implere tenentur vota defuncti, non solùm realia, sed etiam mixta, quoad partem tamen realem.*

77 *Etiam cum detrimento legitimæ tenetur hæres si sit ex descendentibus, vel ascendentibus adimplere vota realia, & mixta defuncti.*

78 *Hæredes adeò tenentur adimplere vota prædicta, vt etiam compelli possint per censuras Ecclesiasticas.*

79 *Non tenetur hæres adimplere vota defuncti purè personalia.*

80 *Plures si sint hæredes, & vota defuncti sint diuidua, quilibet adimplere tenetur pro sua portione.*

81 *Peccant hæredes, sub conditione grauati de restituenda hæreditate, si cautionem præstare nolint de ea restituenda fideicommisso adueniente conditione.*

82 *Peccant hæredes grauati per fideicommissum, si hæreditatem adire nolint, vt illam fideicommissario restituant.*

83 *Peccant hæredes, gabellam non soluentes impositam ratione vltimarum voluntatum.*

84 *In multis casibus gabella non debetur pro vltimis voluntatibus, non obstante statuto.*

85 *Peccant hæredes, siue ex testamento succedãt, siue ab intestato, si alimenta non tribuant filio naturali, spurio, vel ex damnato coitu defuncti.*

86 *Peccant hæredes reuocando donationem nondum acceptatam, factam absenti à defuncto. An requiratur vt donans ante mortem nuncium, aut epistolam ad donationem intimandam misisset.*

87 *Si donans non dum nuncium destinasset, vel litteras misisset, non potest acceptari donatio post mortem donantis.*

88 *Donationem non modò acceptare potest donatarius, sed etiam ipsius hæres.*

89 *Peccat vxor instituta hæres à viro, aut vsufructuaria relicta, sub conditione si castè vixerit: Et ipsa fornicetur, & hæreditatem, vel fructus perceptos restituere tenetur substituto, aut venientibus ab intestato.*

90 *Peccat hæres, cui à Testatore optio est tributa alicuius rei tribuendæ legatario, & ipse dat deteriorem.*

1 PEccant primò hæredes, hæreditatem non acceptantes in fraudem creditorum. Etenim quamuis *l. qui autem, ff. quæ in fraud. cred.* permittat debitori legatum sibi factum renunciare in præiudicium suorum creditorum; nihilominus cùm lex illa sit contra iustitiam, vel saltem contra charitatem; atque ideò contra ius naturale,

le, in foro conscientiæ seruari non debet, vt habetur ex *Nauarr. lib.3.de restit.cap.1.in noua editione,num.112.* *Molina tom.2. de iust.& iur. disp.435.in fine,Sanch.lib.3.de matrim.disp.4. num.9.cum plur. seq.* & nos id adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull.Cœn. lib.2.c.4.qu. 18 concl.1.num.14.*

2 Secundò peccant hæredes, si sint spurij, nefarij, aut incestuosi instituti à patre per interpositam personam in fraudem *auth. ex complexu,de incest. & inutil.nupt.* Et hæreditatem caperent, & acceperent doli,ac fraudis conscij. Etenim filius spurius,nefarius,seu incestuosus per *d.auth.* efficitur incapax bonorum paternorum:& propterea ab illorum possessione tenetur recedere in foro conscientiæ, vt benè declarat *Couar. in reg.peccatum, par.2.§.8.sub num.6. & Graff.p. 1 decis.lib.2.cap.11.num.47.* Vndè si Sacerdos, aut Clericus in Sacris constitutus amicum suum hæredem instituat cum pacto,& sub hac conditione, vt hæreditatem restituat filio suo spurio, sicut peccant pater, & amicus hæreditatem ei tribuendo;ita etiam spurius eandem scienter acceptando,ac adeundo in fraudem legis; cùm lex humana iusta obliget in conscientia, vt habetur ex *Panor.*& alijs in *cap.1. de constit.* & nos sup. adnotauimus *sec. praced. dicto 12. & in nostris Commentar.in Bull.Cœna.lib.2.cap.1.q.27.nu. 42.& 43.*

3 Nec obstat si dicatur, quod pœna exterior nō est consideranda in foro exteriori, donec executio fiat: atque ideò quamuis bona committentiū crimen læsæ Maiestatis sint Fisco addicta, vt in *l.vlt.C.ad leg.Iul.Maiest.*non tamen huiusmodi crimen committens tenetur in foro conscientiæ ante condemnationem bona sua Fisco tradere,iuxta ea, quæ habentur ex *Molina tom. 1. de iust. & iure, disp.95. & Azor par.1. instit.moral.lib.5.cap.7.* quoniam respondetur, id verum esse in pœnis exigentibus iudicis executionem, vt in pœnis impositis pro crimine læsæ Maiestatis, &c.vt habetur ex *Felino in cap. Rodulphus, num.38. limit.4.de rescript.* secus autem in pœnis,quæ iudicis actum aliquem non expostulāt, vt sunt pœnæ,quibus incapax quis efficitur alicuius actus,qualis est spurius, qui propter patris delictum paternæ hæreditatis efficitur incapax.

Est tamen verum, quòd si spurij pater amico suo bona tradiderit, non sub conditione, vt filio restituat, sed absolutè:neque amicus ipse sub illa conditione suscipiat, sed tanquam sua: quamuis pater certam fiduciam conceperit, quod amicus esset bona supradicta suo filio daturus: & cum effectu eidem adiudicauerit; nihilominus firma remanet adiudicatio, nec spurius tenetur bona illa restituere succedentibus patri ab intestato: siquidem bona illa non erant patris;sed translata fuerant in dominium amici; ita vt sicut de illis disposuit in fauorem spurij,poterat etiam disponere in fauorem alterius. Idem dicendum est si pater hæredem instituerit amicum suum, data illi fide de restituenda hæreditate eius filio spurio:nam licèt,qui fidem dederit,lethalem culpā contraxerit,fraudem contra legem committens; nihilominus institutio tenet: atque ideò cùm dictæ hæreditatis efficiatur Dominus,licitè potest eam in spurium transferre. Etenim huiusmodi spurius non potest dici dictæ hæreditatis incapacem fieri à lege, cùm sibi acquiratur, non ex voluntate patris; sed ex voluntate ipsius amici, qui non tenebatur hæreditatem spurio restituere vi promissionis,ac fidei præstitę;cùm promissio ipsa facta sit contra legem, & in fraudem illius, vt probauimus in dictis nostris *Commentar.in Bull.Cœna, lib.2.cap.1.q.27.num.44.45. & seq.*

5 Quæ diximus de filio spurio, extendimus ad omnes alios,qui hæreditatis paternæ efficiuntur incapaces ipso iure, quales sunt filij, vel nepotes eius, qui commisit crimen læsæ Maiestatis, vel crimen hæresis:siquidem bona hæreticorum sūt ipso iure confiscata, *cap.cùm secundum, de haeret. lib.6.* sicut bona eorum,qui cōmiserunt crimen læsæ Maiestatis,*l.quisquis,ad leg. Iul. Maiest cap si quis 6.q.1.* Est tamen verum,quòd pęna incapacitatis non extēditur ad filios;nisi quādo crimen est commissum in eum,qui non recognoscit Superiorem: nam si Superiorem cognoscit, quamuis crimen sit læsæ Maiestatis, vt in *l.1.ff.ad leg.Iul.Maiest.* non tamen tale dicitur quoad incapacitatem filiorum, vt habetur ex *Salyc. in d. l. quisquis:* & eo magis, quia huiusmodi crimen committitur à subdito tantùm, vt in *Clem pastoralis,de re iud. & Syl.in sum.ver. Hæreditas,2.q.1.* Nec obstat,quòd committens crimen læsæ Maiestatis non tenetur bona sua Fisco tradere ante iudicis sententiam, vt supra diximus; sicut nec hæreticus, vt ostendimus in dictis nostris *Commentar. d. q 27. num. 46. & seq.* quoniam pœnæ committentium dicta crimina exigunt iudicis factum: non sic pœnæ incapacium, vt supra diximus. Tales sunt filij eorum,qui eiusmodi crimina commiserunt.Idem dicendum est de filijs eorum,qui hostiliter insecuti sunt Cardinalem, aut eundem percusserint, *cap felicis, de pęn. in 6.* & de filijs patroni, seu feudum habentis in Ecclesia, qui interfecit Rectorem,seu Clericum Ecclesiæ patronatæ: nam ipsi filij fiunt inhabiles ad succedendum iuripatronatus,seu feudo,vt in *cap.in quibusdam, de pœn.*& rectè declarat *D Anton.3 p.tit.10.§.3.*

6 Tertiò peccant hæredes non sepelientes Defunctum in loco, quem elegit. Etenim quamuis antiquitus ad Ecclesiæ immunitatem pertineret, ne passim fideles intra Ecclesiam sepeliantur;nisi Episcopi sint,vel Abbates, aut aliqui Præsbyteri, vel Laici insignis sanctitatis, vt habetur ex *Turrecr.in cap nullas,13.q.2. Syl.vers Immunitas,1 num.7.* Sed regulariter sepeliebantur in atrio Ecclesiæ, vel in Cœmeterio, vt in *cap præcipimus,ead.causa,& q.*& nos quoque diximus in nostris *Commentar.in Bull.Cœna, lib.2.cap. 15 q.16 sub num.1 vers. Imò ad immunitatem;* nihilominus hodiè consueuerunt omnes Christi fideles sepeliri,tàm in Ecclesijs,quàm in Cœmeterijs, ita vt liberum sit vnicuique eligere sibi sepulturam in loco,quem maluerit; dummodò legitimam portionem relinquat Parochiali Ecclesię,à qua Sacramenta percepit,vt in *cap. 1 & cap. liberum sit,de sepult.* Et dummodò id non agat ex odio,& temeritate,vt in *cap.placuit, 13. q 2.*quod quidem verum est,siuè masculi sint,siue fœminæ, siue sui iuris, siue sub potestate;dūmodò filii familias maiores sint 14.annis, & sanæ mentis; quoniam eligentes sibi sepulturam, debent esse adulti, & discreti,vt in *cap.licèt,de sepult.*

sepult. & Innoc. in rub. eod. tit. Zerola in sua praxi, vers. Sepultura, §. 1. in finem. Idem dicendum est si proximi sint pubertati, & malitia suppleret ætatem, nempè quòd habiles essent ad cōtrahendum matrimonium, vt habetur ex *Sebastiano Medic. quæst. 8. de sepult.* & ex alijs apud *Molfes. par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 8. nu. 25.* qui testantur, hanc consuetudinem seruari Neap.

7 Verumtamen est, quòd si quis ad sugestionem Regularium, vel aliorum Clericorum Sæcularium, sibi sepulturam eligat in aliquo loco, electio nulla est, & inducentes essent ipso facto excommunicati, vt in *cap. 1. de sepult. in 6. Clem. cupientes, de pœnis, Marius Anton. lib. 1. var. resol. cap. 112. casu 59. Ricc. in sua praxi de sepult. resol. 563.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 8. num. 20.* & propterea si hæres eo casu non sepeliendum curet Defunctum in loco, quem elegit, nullam culpam contrahit. Quod quidem intelligendum est, quādo talis sugestio fuit facta dolo, fraude, vel minis: aliàs si quis fide, voto, vel iuramento spontè sibi elegisset sepulturam in Ecclesijs, vel Cœmeterijs Regularium, aut alibi, tenetur ad obseruātiam electionis, vt per Doctores supra citatos; & hæres non posset alibi Defunctum sepelire. Idē dicendum est si inter Ecclesiam Parochialem, & Regulares pactum fuisset initū, vt certos quosdam Parochianos non recipiant: quoniam si Defunctus esset vnus ex illis Parochianis in pacto contentis, & in huiusmodi Regularium Ecclesia sepulturam elegerit, cùm Religiosi teneātur stare tali pacto, non obstante sepultura electa, vt in *cap. pactum, de sepul. in 6. Syl. vers. Sepultura, q. 3.* & alij, hæres proculdubio culpam non contraheret, Defunctum non sepeliendo in loco, quem elegit: sed satis est si Defunctum sepeliendum curet apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendus de iure fuisset, si aliàs sepultura non electa, decessisset, vt habetur in *d. cap. 1. de sepult. in 6.*

8 Defunctum autem, vbi sepulturam sibi non elegisse constat per testamentum, per dictū Confessarij, cui in hoc creditur, vel per testes singulares, aut quouis alio modo, quod satis esset, iuxta ea, quæ habentur ex *Guid. Pap. decis. 544.* & alij apud *Mascard. de probat. concl. 1303. & Ricc. in praxi, de sept resol. 565.* cum alijs, quos allegat; tunc si impubes esset, & patrem habeat, vel Dominum, aut si mulier esset virum habens; pater filio impuberi, Dominus seruo impuberi, vir vxori indistinctè sepulturam eligit, ut in *cap. licet,* & ibi, *Doctor. de sepult. in 6. Marius Antonius* post alios *lib. 1. var. resol. cap. 112. casu 59. & Tusch vers. Sepeliri conclus. 189. num. 9. & seq.* ubi etiam adeò id uerum esse probat, ut si uxor in aliena Parochia moriatur, & sepulturam sibi non elegerit, soluta prędictę Parochiæ quarta funeris, sepeliēda est in sepulchro uiri. Neapoli uerò seruatur, quòd si impubes moriatur ante 12. annum, siuè liber sit, siuè seruus, seruatur ius commune, atq; ideò sepelitur vbi parentes, vel domini voluerint. At vbi maior sit 12. annorū, nec sepulturam sibi elegit, sepelitur à Capitulo in Ecclesia Sanctæ Restitutæ. Quòd si sepulturam sibi elegisset, & ob aliquam causam non posset in electa sepultura sepeliri, tunc à Domino Vicario declaratur, in qua Ecclesia sit sepeliendus. Ita testatur *Molfes.* cum alijs, quos allegat, *par. 2 sua sum. tr. 13. cap. 8. num. 28.*

9 Cæterum licèt de consuetudine ità seruetur Neapoli; nihilominus de iure communi puberes, qui sepulturam sibi non elegerunt, sepeliendi sunt in sepulchris maiorum suorum, *cap. is qui, de sepult. in 6. Syl. in summ. ver. Sepultura, q. 5.* & alij, quos refert, & sequitur *Tusch. ver. Sepeliri, concl. 189. num. 8.* Et id verum, siue in propria, siue in aliena Parochia moriantur, quoniam tacitè censentur elegisse sepulturam maiorum suorum, vt per *Oldrad. cōs. 25. & Tusch. in ver. Sepultura concl. 194.* Idem dicendum est de Peregrinis in peregrinatione mortuis, quoniam essent transferēdi ad sepulchra maiorum suorum, si commodè possent; alias sepeliēdi sunt in Parochia, in qua moriuntur, vt habetur ex *Syl. in sum. ver. Sepultura, q. 8.* quamuis *Tusch. ver. Sepeliri, concl. 189. nu. 5.* post alios, in Ecclesia cathedrali sepeliendos esse censeat, cùm tam paruo temporis spatio non possint dici effecti parochiani: & idem probat de vagabundis, nisi parochia Sacramenta illis ministrauerit: nam tunc ad eam, non autem ad Ecclesiā Cathedralem pertineret eos sepelire: siquidem

10 sepultura magis accedit ad communionem Sacramentorum, quàm ad communionem Diuinorum officiorum, vt per *Gemin. in cap. Alma mater, § in festiuitatibus, num. 8. de sent. excom.* Ob id Parochos in associandis mortuis præferri Canonicis, probat *Molfes. d. cap. 8. sub num. 30. in fin.* Quòd si impuberes sepulturam maiorum suorum non habeant ex parte patris; sed tantùm maiorum suorum ex parte matris; tunc in dicta sepultura non habent ius sepeliendi, nisi ex illa linea descendit mater, non essent alij agnati, vt benè declarat idem *Molfes. loc. cit. num. 27.* vbi etiam plura de hac materia tractat, & præcipuè *num. 23.* tractat de Episcopo, vbi sit sepeliendus, quando sepulturam sibi non elegit, & probat, illum esse sepeliendum in Ecclesia sua Cathedrali, expensis eiusdem Ecclesiæ: & si Episcopus esset duarum Ecclesiarum vnitarum, vt est Episcopus Auellinensis, qui etiam est Episcopus Frequentensis; tunc vtriusq; expensis sepeliri debet, vt ait *Tusch loc. cit. num. 14. & seq.* vbi hoc ipsum locum sibi vēdicare probat, etiam si Episcopus absens fuerit ex iusta causa: nam quamuis eo casu sepeliendus esset in illa Parochiali, vel Cathedrali Ecclesia, in qua moritur; nihilominus sui Episcopatus expensis sepeliri debet: secus autem si citra rationabilem causam extra propriam Ecclesiam residebat. Quibus adde, quòd *Tusch. vbi sup. num. 23.* subdit, quòd Episcopus duarum Ecclesiarum simul vnitarum, dum sepelitur expensis communibus in Ecclesia, in qua moritur, vel in qua sibi eligit sepulturam, quarta funeralis diuidi debet, & pro medietate debet applicari Ecclesiæ, cui sepelitur, & altera medietas alteri Ecclesiæ: de qua quarta, seu portione canonica, an & quando debeatur, & quomodo taxetur, latè tractat *Molfes. p. 2. suę sum. tr. 13. c. 9. per totum.*

11 Quartò peccant hæredes, si dubitantes, hæreditatem nō esse sufficientem ad soluendum nisi debita testatoris defuncti, soluat prius legata: & tenetur ipsius creditoribus reficere omnia dāna, expensas, & interesse: & multo magis si legatarij con-

concurrā: cum creditoribus; quoniam tunc præferendi sunt creditores; etiam si hæres sciat, hæreditatem satis esse pro satisfaciendis creditoribus, & legatarijs. Quòd si legatarij, & creditores veniant separatim, & ipse hæres ignoret, ac non dubitet probabiliter satis, vt supra non esse, tunc soluere potest legata prius, quam debita; dummodo citra dolum, & fraudem id agat: & creditores postea venientes, hæredem inquietare non debent; nisi de hæreditate illi remanserit: sed ius suum habent integrum contra legatarios. Ita *D. Anton. 3 p. tit. 10. C. 3. §. 11. Syl. in summ. ver. Hæreditas, 3. q. 9. Sayr.* post alios *lib. 10. Clauis Regiæ, tr. 2. C. 7. dub. 2. cum pluribus seq.* qui tamen ait eo ordine teneri hæredē ad persoluenda defuncti debita, quo ipse defunctus tenebatur. Et debita contracta per defunctum præponēda sunt, legatis pijs, cùm illa debeantur de iustitia; non autem ista, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thoma opusc. 73. de vsur. C. 18. Syl. ver. Hæreditas, 3. q. 9. & ver. Restitutio, 6. q. 6. Ioan. Medina, C de restit cap. 6 dub. 1. num 7. & dub 10. num. 48. Angel. ver. Restitutio, 2. §. 17. & Rodriq. par. 2. sua sum. cap. 46. concl 9.* Imò id ampliamus, & verum esse dicimus, etiam si debita contracta sint per hæredem post mortem defuncti, intuitu tamen ipsius defuncti, vt sunt impensæ funerum, & impensæ factæ ad vindicandas, vel conseruandas res hæreditarias, ad aperiendū testamentum, ad conficiendum inuentarium, & alia eiusmodi: siquidem hæc debita præferenda sunt legatis etiam pijs, vt habetur ex *Petro Nauar. lib. 4. de restit cap 6 dub. 10 num. 5. Rodriq. d. cap. 46. concl. 9 & Sayro, d. cap. 7. nu. 25. dub. 3.* Qui ait, idem dicendum esse de alijs debitis ab hærede contractis; quoniam huiusmodi debita restitutioni sunt obnoxia ex iustitia: legata verò solum ex consilio: præcepta autem non sunt ob consilia prætermittenda.

12 Sed re vera probabilior nobis videtur quoad hoc opinio Angeli, *ver. Restitutio, 2. §. 17. & Syl. ver. Restitutio 6 q. 6.* dum dicant, esse prius soluenda legata, quàm debita per hæredem contracta: etenim eorum sententia videtur rationabiliter restringi posse ad debita hæredis secundi generis: nam bona defuncti sunt tacitè hypothecata pro legatis, *l. 1. C. commun. de legat.* & dominium legatorum statim à die mortis testatoris, transit in legatarios, vt *in l. si tibi homo, §. cùm seruus, ff. de legat. 1. l. à Titio, in fine, ff. de furt.* atq; ideò legatario competit reiuendicatio contra quoscumq; rei legatæ possessores, vt habetur ex *Mant. lib. 7. de coniectur. vltim. volūt. tit. 10. num. 31.* & ex alijs apud *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. cap. 5. num. 113. 114 & 115* Nec obstat id, quod dicit *Sayr.* quòd si bona defuncti sunt pro legatis hypothecata ante omne debitum personale, etiā antiquissimum ipsius defuncti, essent persoluenda; quoniam negatur cōsequētia. Etenim bona defuncti sunt tacitè obligata pro legatis non quatenus defuncti sunt; sed quatenus hæredis per aditionem hæreditatis: hæres enim adeundo hæreditatem, videtur quasi contrahere cum legatarijs, & alijs creditoribus defuncti: & se obligare ad adimplendum quicquid defunctus adimplere debebat, & adimplere mandauit, vt *in l. 2.* vbi *Glosa, ver. Personales, C. commun. de legat.* vndè cùm defunctus tenebatur in vita ad debita personalia persoluenda potius quàm ad legata, & donationes, meritò hæres tenetur prius debita personalia defuncti soluere, quàm legata.

13 Quo verò ad debita contracta per hæredem intuitu defuncti, de quibus sup. diximus, idcircò sunt prius soluenda, quàm legata: quia debita illa dicenda sunt potius defuncti, quam hæredis. Imò si omnia, quæ relicta sunt, sint aliena, & in specie extent, licèt ex eis detrahi nequeant expensę funerum citra creditorum licentiam; cùm nemo honorari debeat de alieno; nihilominus impensa funeris, quæ simpliciter necessariæ sunt ad sepeliendum defunctum: vt quia non esset aliud remedium ad illum sepulturæ tradendum, tunc expensa huiusmodi moderatæ possunt extrahi etiam ex dictis bonis alienis in specie extantibus, cùm eo casu defunctus dicatur constitutus in extrema necessitate ratione corporis, quod fuit instrumētum animæ rationalis, & pars substantialis hominis. Et eo magis, quoniam licet bona defuncti sint expressè hypothecata suis creditoribus; ex eis tamen prius soluendæ sunt expensæ funeris moderatæ, quàm satisfaciendū creditoribus habentibus eiusmodi hypothecas, vt colligitur ex *tex. in l pen. ff. de Relig. & sum p. funer.* & habetur ex *Palud. in 4 d. 15 q. 2. ar 5. vers. Hæres autem, D. Anton. 2 par. tit. 2 cap 7. §. 3. ante fin. Syl. ver. Restitutio 6. q 5. §. tertio, Nauar. in Man. cap. 17. nu. 51. vers. Quinto loco, Pet. Nauar. lib. 4. de restit. c. 6. dub. 2 nu. 27.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. d. c. 7. n. 23.*

14 Est tamen adnot. quod quando plures sunt creditores, & hæreditas satis non est ad satisfaciendum omnibus creditoribus, tunc illis prius est satisfaciendum, quorum bona eadem numero extant in hæreditate: nam illorum bonorum dominium cùm sit adhuc penès creditores, eisdē eadem numero sunt reddenda, cùm non connumerentur bona illa inter bona defuncti, vt si essent bona commodata, deposita; deposita essent ad negotiandum, & vt soluantur vsuræ, & interesse, *l. si hominem §. fin. ff. depos. Nauar. in Man. cap. 17 num. 51.* Item si essent bona furto sublata, locata, &c. vt habetur ex *Bal.* communiter recepto *in l pro debito, C. de bon. Iud. auctor possessis. Sayro d. cap. 7. num. 7.* & sub *num. 26 vers. Primo enim certum est* Secundo loco satisfaciendum est prius habentibus hypothecā expressam, vel tacitam, vel aliquo modo actionē realem, vel saltem priuilegium personale; quàm habentibus personales tantum actiones, vel chirographa. Vndè regula illa, qui prior est in tempore, prior est in iure, de qua *in cap qui prior, de regul. iur. in 6.* intelligi debet de debitis realibus, non autē personalibus; ita vt habentes priorem hypothecam expressam præferantur habentibus posteriorem: & doti priori loco, quàm posteriori satisfaciendum est, *l. assiduis, C. qui potior in pign. habean.* Siquidē cæteris paribus, præfertur vxor habentibus tacitam hypothecā, non autem habent bus expressam, sicut nec Fiscus, vt benè declarat *D Anton. 2 par. tit. 2 cap. 7. § 3 Bald. in l pro debito, C. de bon. iud. auct. poss. Syl. ver. Restitutio 6. q 5. Pet. Nauar. l. 4. de rest. c. 6 dub. 5. n. 30. Pet. de Arag. 22 q. 62 ar. 8. in fin. cōcl. 4. Bān.* ibidē post docum. ū 5. cōcl 3. *Rodriq. par. 2 sua sum c. 46. concl. 5. & Sayr. loco*

eo cit. sub num. 26. vers. Secundo certum est. Tertio loco satisfaciendum est creditoribus habentibus personalem tantùm actionem.

15 Pro cuius rei explicatione est adnot. quòd licèt *Io: Med. C. de restit. q. 2. dub. 5. cõcl. 5. Salon. 22. q. 62. ar. 8. in fine, concl. 2. Gregor. de Valen. tomo 3. disp. 5. q. 6. pun. 10. vers. Septimo:* velint habendam esse rationem prioritatis temporis, sicut supra diximus de debitis hypothecarijs, & priuilegiatis; etiam inter huiusmodi personas; nihilominus secundùm sententiam magis receptam, nulla habita ratione prioritatis temporis, sunt diuidenda bona debitoris pro rata inter ipsos creditores habentes personalem tantùm actionem secundùm proportionem debitorum, vt habetur ex *D. Anton.* vbi supra, *Ang. ver. Restitutio 2. §. 16. in fine, Syl. ver. Restitutio 6 q. 5. vers. Post hos autem sextò. Tabiena ver. Restitutio, num. 25. §. Sextò. Petr. de Arag. 22. q. 62. ar. 8. in fine, concl. 5. Bann.* ibidem, post documentum 5. *concl. 2. Nauar. in Man. c. 17. num. 51. vers. Quinto loco, Petr. Nauar. lib. 4. de Rest. c. 6. dub. 5. num. 31. Ioseph Angl. in flor. 4. sent. q. 2 de restit. art. 3. concl. vlt. Ludouic. Lopez p. 1. instr. c. 110. in fine, Cosm. Philiar. de offic. Sacerd par. 2 lib. 6. c. 29. Rodriq p. 2 suæ sum. c. 46. concl. 6. Ludouic. Carb. q 92. de restit. concl. 11. §. 6. & Sayr. lib. 10. Clauis Regiæ, tr. 2. c. 7. num. 27.* Rationem autem eam esse volunt; quòd licitum sit debitori propter creditorum cumulum, non dominium, nec hypothecam, nec priuilegium habentium facere eorum causam deteriorem, quamuis priores sint, *l. 1. § ex contrario, ff. de separ. bon.*

16 Ampliatur hæc cõclusio primò, vt locum sibi vendicet in quocunque debito personali, siuè licitè, siuè illicitè contracto, quale est debitum vsurarum; ex causa furti, vel ex alia illicita causa proueniens: quoniam nec in his debitis personalibus habet locum prælatio, cùm id nullo iure probetur, vt habetur ex *Doctorib. supracit.* præsertim *Sayro d. c. 7. num. 31. & 32.* vbi soluit contraria oppositum sentientium.

17 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt ea, quæ diximus, vera sint, etiam si omnia debita essent ex delicto contracta; nam adhuc in ijs non habet locum prælatio temporis, nec prius restituenda veniunt, quæ cum maiori iniuria contracta fuerunt, & id ob supra relatam rationem, vt contra *Medin. Salon Gregor. de Valen.* & alios probat *Petr. Nauar. lib. 4. de restit. cap 6 dub. 8. num. 43. Petr. de Arag. 22. q 62. ar. 8. in fine, Bann. ibidem, docum. 4. Sayr. d. cap. 7. sub num. 33. per tot.* & ante ipsos *Syl. in sum. ver. Restitutio 6 q. 5. in fine.*

18 Tertiò ampliatur, vt hæres non seruãdo prædictum ordinem, non solùm peccet mortaliter; sed etiam teneatur resarcire omnia damna, expensas, & interesse: nam fraudat alios creditores, & iniustitiam committit, vt habetur ex *D. Anton. 2. par tit. 2 cap. 7. §. 3. Nauar. in Man. cap. 17. num. 52. Petr. Nauar. d. cap. 6. num. 51. Petr. de Arag. loc. cit. concl. 5. & vlt. & Sayro d. cap. 7. num. 35.* cum alijs, quos allegat.

19 Sic ampliata limitatur prædicta conclusio quoad debita personalia primò, vt vera sit, vbi hæres, seu debitor sponte sua, non coactus debita personalia non distribuit creditoribus habentibus personales actiones pro rata, iuxta ea, quæ sup. diximus. Vndè meritò *Nauar. d. cap. 17. nu. 53. vers. Tertium,* quem sequitur *Sayr. vbi sup.* inquit, peccare debitorem, qui videns sua bona diuidenda esse inter creditores per Iudicem, volens rem gratam facere alicui ex creditoribus, illi soluit integrè debita sua; quia hoc modo fraudantur alij creditores portione sua: secus autem si hæres, seu debitor coactus à Iudice soluat vni ex creditoribus, habentibus personales actiones: vel requisitus ab vno creditore prius debitum petente, eidem satisfecerit: siquidem debitor potest, ac debet soluere creditori posteriori prius poscenti, & exigenti debitum in iudicio, vel extra illud, quàm priori nullatenus priuilegiato, atq; ideò nec hypothecam habẽti: quia creditor ille propter diligentiam, quam adhibuit in petendo debitum, efficitur potior, cùm vigilantibus, non autem dormientibus iura subueniant, vt èst *tex.* in terminis, *in l. pupillus,* & ibi *Glosa. ff. quæ in fraud. credit. Nauar. in Man. cap. 17. sub num. 53. vers. Secundo.* Dixi, *Vni ex creditoribus habentibus personales actiones,* quoniam hæc, quæ diximus locum habent, quando sunt omnes creditores personales tantùm; secus si aliqui habeant hypothecam, vt per *Glos in d. l. pupillus, & Sayr. d. cap. 7. sub num. 92.*

20 Secundò limitatur, vbi hæres pietate motus satisfecerit prius indigẽti: quoniam debitor potest vni creditori ex personalibus magis indigẽti gratificare, eidem totum debitum soluendo, vt habetur ex *Syl. ver. Restitutio 6 q 8. in fin. Ioan. Med. C. de restit. q. 2. dub. 5. concl. 5. Greg. de Valen. tomo 3. disp. 5. q 6. pun. 10. vers. Octauò, Petr. de Arag. 22. q. 62. ar. 8. in fine, concl. 5. Ludouic. Lopez in instr. par. 1. cap. 111. Rodr. par. 2 suæ sum. cap. 46. concl. 6.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. d. cap. 7. num. 36.* vbi hanc esse rationem ait; quoniam in debito personali tantùm nemo potiori iure fraudatur: & necessitas suadet, vt huic potius, quàm alteri sit subueniendum. Dixi, *In debito personali tantùm,* quia in debito hypothecario tacitè, vel expresse, atq; adeò reali aliter est dicendum: nam licèt eo casu magis pium sit soluere indigenti; non tamen est magis iustum: & ità ipse *Sayr.* debere intelligi ait sententiam *Petri Nauar. lib. 4. de restit. cap. 6. dub. 9. num. 47.* contrarium sentientis.

21 Tertiò limitatur hæc eadem conclusio, vt vera sit vbi agitur, vel de debitis omnibus ex causa onerosa, vel de debitis ex causa lucratiua: tunc enim diuidi debent inter creditores pro rata iuxta ea, quæ sup. diximus: secus autem si agatur de debitis, quorum quædam proueniunt ex causa onerosa, & quædam ex causa lucratiua: quia secundùm communem, & veram sententiam sunt soluenda prius debita prouenientia ex causa onerosa, quàm ex causa lucratiua. Vndè obligatio ex mutuo, vel ex emptione proueniens præferenda est obligationi prouenienti ex donatione, aut simplici promissione: quia prioris generis debita ex iustitia debentur: non sic posteriora, vt benè declarat *Caiet. in sum. ver. Restitutio, cap. 8. Ioan. Medina, C. de restit. q. 2. dub. 5. con. 4. Nauar. in Man. cap. 17. num. 50.* & alij apud *Sayr. d. cap. 7. sub num. 34.*

22 Quartò limitatur, nisi hæres vt supra debitor,

Igno-

ignorantia facti, vel iuris prius solueret vni ex creditoribus, prætermisso supradicto ordine; quia tunc excusatur, vt habetur ex *Nauar. d. cap. 17. num. 52.* cum alijs, quos allegat, & *Sayro loc. cit.* Plura ad hanc rem pertinentia dicemus infra de debitore, & creditore agentes. Quibus adde, quòd hæc, & alia similia, quæ sup. tradidimus, vera sunt, quando hæres hæreditatem adiuit cum beneficio legis, & inuentarij: aliàs in foro saltem exteriori creditores possunt agere contra hæredem, & teneretur etiam vltra vires hæreditarias per ea, quæ habetur *in tex. in l. fin. §. cùm igitur, C. de iure delib. Natta cons. 575. nu. 6. & 7.* & alij, quos refert, & sequitur *Scac. de commerc. §. 7. Glosa 5. sub num.* 101. Nisi hæres esset Clericus: siquidem Ecclesiastici hæredes instituti non conficientes inuentarium, non tenentur vltra vires hæreditarias in solidum omnibus creditoribus hæreditarijs, cùm id iure tantùm imperiali caueatur; cui non subduntur Ecclesiastici, ac eorum Ecclesiæ, ac Monasteria, sed solùm de eo, quod in hæreditate reperitur, vt per *Ioan. Andr. in cap. quamquam, num. 9. de vsur. lib. 6. Marta de iurisd. par. 4. casu* 75. vbi idem post alios probat locum habere in Ecclesijs, & Monasterijs institutis hæredibus.

23 Imò in foro conscientiæ etiam laici hæredes instituti si inuentarium non conficiant, non tenentur vltra vires hæreditarias, vt habetur ex eodem *Marta loc. cit.* & nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bulla Cœnæ, lib. 2. cap. 15. q. 17. num. 8.* & latiùs *lib. 3. §. 8. q. 2. num. 20. ex Panor. Suar. & alijs:* quoniam lex illa imperialis fundatur super præsumptione; nempè quòd hæres, qui inuentarium non curauit conficiendum, bona hæreditaria in fraudem creditorum occultauerit: & propterea si veritas aliter se habeat, in foro conscientiæ non tenetur, cùm in foro conscientiæ attendatur rei veritas, non autẽ præsumptio. Adde, quòd si plures sint hæredes, licèt quilibet teneatur pro portione hæreditaria tantùm ad soluenda debita hæreditaria, vt in *l. pro hæreditarijs, C. de action. hæred.* nihilominus id locum sibi vendicat quoad actiones personales passiuas: nam hæ diuiduntur inter hæredes pro portione hæreditaria: at reales passiuæ sequuntur possessorem. Vndè si bona aliqua defuncti erant expresse, vel tacitè hypothecata creditoribus, tunc possessor rei obligatæ conueniẽdus est, sicut etiam rei pignoratæ, vt in *d. l. pro hæreditarijs, C. de action. hæredit.*

24 Quintò peccant hæredes non tantùm non soluentes legata, & debita, vel prius legata, quàm debita iuxta ea, quæ supra diximus; sed etiã differendo eorum solutionem, ac adimplere defuncti voluntatem, vt *in cap. si hæredes, de testam.* vbi non adimplenti iussa Testatoris, ab Episcopo interdicitur perceptio redditus, & emolumẽtorũ rei à Testatore relictæ: etenim hæres adeũdo hæreditatem dicitur quasi contrahere cum creditoribus defuncti, & legatarijs, vt eis soluat, & debito tempore satisfaciat, *l. 3. & 4. ff. quib. ex caus. in poss eat. & §. vnico, in Instit. de obligat. quæ ex quasi contr. nasc.* Imò quamuis hæres sit pupillus; non tamen potest differre solutionem debitorum prætextu pupillaris ætatis, vt in *l. sub prætextu, C. de acquir. hæred.*

25 Ampliatur hæc conclusio primò, vt adeò hæredes citra culpam non differant legata soluere, vt si res legata sit in patrimonio Testatoris, statim sit ab hæredibus legatario præstanda, nulla interposita mora: siquidem dominium illius rei statim adita hæreditate, transit in legatarium, *l. si liber homo, & l. cùm res, ff. de legat. 1.* Idem dicendum est si pecunia legata sit; quoniam illicò debetur, non expectato anni lapsu, vt *in d. cap. si hæredes,* & ibi *Panor. de testam.* quod locum sibi vendicat, siue legatum sit ad pias causas, siue ad causas non pias: nam *tex. in d. cap. si hæredes indistinctè loquitur.* Imò si legatum sit ad pias causas, & hæres differat illud soluere vltra sex menses numerandos à die insinuationis testamenti, tenetur deindè ad illius solutionem cum omni emolumẽto inde habito, & interesse, & id in pœnam negligentiæ, vt *in §. si autem legatur, in auth. de Eccles. tit.* Et si hæres huiusmodi legata ad pias causas neget vsque ad sentẽtiam, potest in duplum cõdemnari, iuxta *tex. in §. item mixta, in Instit. de action.* quod verum puto si scienter ea neget: secus autem si iustam fortè negandi causam habeat. Dixi, *Vt si res legata sit in patrimonio testatoris:* quia si res legata non sit in patrimonio testatoris, aut legatũ non consistat in pecunia numerata, tunc hæres obligatur intra annũ à die admonitionis adimplere voluntatem defuncti, vt *in §. si quis verò,* & ibi *Glosa, in auth. de hæred. & falcid. & in auth. hoc amplius, de fideicom.*

26 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt si hæredes, elapso anno, legata non soluant, & Testatoris voluntatem non impleant, siue legata sint in patrimonio testatoris, siue extra: siue consistãt in pecunia numerata, siue in aliquo alio indistinctè potest priuari tota hæreditate, si hæres sit extraneus, vt *in cap. licèt, de voto, cap. Syluester, 11. q. 1.* & facit *tex. in d. cap. si hæres, de testam.* Idem puto dicendum, si hæres sit necessarius, qualis est seruus, & id ex maioritate rationis, argum. *tex. in auth multo magis, C. de sacros. Eccles.* Quòd si hæres sit suus, atque ideò filius, nepos, &c. tunc si hæreditas est diuisibilis, potest priuari hæreditate, reseruata sibi tantùm legitima, vt *in d. auth. hoc amplius, C de fideic.* Si autem hæreditas sit indiuisibilis, puta Ducatus, Regnum, &c. tunc tota priuabitur hæreditate, vt *in d. licèt de voto,* & habetur ex *Tab. in sum. ver. Testamentum, §. 15. num. 16.* & latè *D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 3. §. 6.* vbi tamen id verũ esse inquit, crescente hæredis contumacia, & vbi datus non fuerit à Testatore executor: aliàs si Testator deputauerit specialem testamenti executorem; atq; ideò appareat, Testatorem voluisse ipsum hæredem priuare potestate exequendi: tunc enim hæres voluntatem defuncti non implens, non poterit hæreditate priuari.

27 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt hæres voluntatem Testatoris non implens quicumque sit, siue grauatus fuerit ad dandum, siue ad faciendum, vel non faciendum; siue elapsus sit annus, vel semestris, siue non sit elapsus, siue legata sint in patrimonio Testatoris, siue extra; & siue consistat in pecunia numerata, siue in qualibet alia re, potest statim adita hæreditate; etiam hæreditate non adita, si legata fuerint ad pias causas, compelli ab Episcopo ad defuncti volũtatem implendam, ita vt ei possint interdici red-

 ditus,

ditus,& emolumenta,& eidem auferri,vt voluntati Defuncti satisfaciat,vt in *d.cap.si hæredes,de testam.* Et quamuis *Innoc. Hostien.* & alij velint executionem testamenti contra hæredem negligentem,pertinere ad Episcopum,siuè legata pia sint,siue non;nihilominus *Panor.in d.cap.si hæredes*,putat,hanc executionem esse mixti fori;atque ideò in ea locum habere præuentionem. Imò *D. Anton. loco citato*, §.5. putat,hanc opinionem veram esse in Terris Ecclesiæ tantum;sed non procedere secũdum leges: cùm per leges satis prouisum sit contra negligentiam non implẽtis voluntatem Defuncti.Est tamen verum,quòd id intelligit quoad priuandum hæredem contumacem hæreditate : nam quoad hoc non poterit Episcopus se intromittere ; sed ad finem, vt capiat hæreditatem, & satisfaciat legatarijs , ac distribuat,& moneat,vt deferatur personis,de quibus in *d.auth.* hoc amplius,id facere poterit.Quę omnia potest Episcopus executioni demandare, etiam ante elapsum annum, & ante semestre, vt diximus; quia ille annus in supra citatis iuribus, seu semestre , quoad pia legata , non datur pro executione testamenti , sed præfigitur ad incurrendam pœnam grauiorem,vt benè explicat *Panor.in d.cap.si hæredes.sub num.*5.vbi etiam *num.*6. id limitat, nisi testator prouiderit se de executore testamentario;& specialiter de executore ad pias causas: nam tunc ad ipsum pertinet, non ad Episcopum: quod quomodo procedat,rectè per ipsum declaratur,& per *D.Anton.ac Tab. locis citatis*,& alios. His adde,quæ habentur ex *Diana par.4.resol.moral.tr.1.resol.*99. & quæ infra dicemus *sec.5.vers.Est autem*.

Limitãtur tamen hæc,quæ diximus intelligẽda esse,quando hæres potest debita,& legata soluere citra notabilem ipsius incommoditatem , & hæreditatis iacturam : aliàs posset differre debitorum , & legatorum solutionem , iuxta ea , quæ habentur ex *Nauar.in Man.cap.*17.*num.*65.*& Graff.par.* 1. *decis.lib.*2. *cap.*32. *num.*42.*cum plur. seq.* vbi plures enumerat casus , in quibus quis potest debiti solutionem differre.

28 Sextò peccant hęredes,si eis constet de voluntate Defuncti volentis verè legata facere,si legata non soluat , quamuis relicta sint in testamento minus solemni.Etenim quamuis in foro exteriori non possit hæres compelli ad soluenda legata in testamento minus solemni relicta; quia ius ciuile non concedit actionem huiusmodi testamẽtis imperfectis;nisi hæres promisisset testatori se legata ipsa soluturum:quæ promissio sufficienter probatur per duos testes; quo casu saltem ratione contractus tenetur promissionem adimplere , vt in *l.fin.C.de fideicomm.Bart.in l.nemo potest,ff. de legat.*1. *Surd. decis.*53.*num.*4 *& decis.*149. *num.*12. nihilominus, quia ex testamento minus solemni oritur naturalis obligatio adimplendi voluntatem Defuncti , meritò tenetur hæres in foro conscientiæ , vbi sibi verè constat de voluntate Defuncti , legata soluere ex testamento etiam minus solemni relicta . Ita *Panor. in cap. quia plerique,sub num.*43. *vers.Hac quæstio,de immunit. Eccles.Bart.& Alex.in l. nemo potest, sub num.*23.*vers.Item in quantum, ff.de legat.*1. *Ias.in l. cum quis,num.*14. *vers. Et etiam adde, C.de iur.& facti ignor.* qui addit,legatarios,qui-29 bus relicta sunt legata in testamento minus solemni,posse in Curia Episcopali petere,& consequi dicta legata per denunciationem Euangelicam, vt per *Mantic. de coniectur.vltim.volunt. lib.*2.*tit.*14.*num.*9.cum innumeris ferè,quos allegat *Syl.in summ. vers.Hæreditas*, 3 *q.*7.*in fine, Reginald.lib.*25. *sua prax.nu.* 105. *& Molfes par.*2 *sua summ.tr.*13.*cap.*2.*nu.*147. Et hanc sententiam magis communem esse, testatur *Sot. de iust. & iur. lib.*4. *q.*5.*ar.*3. *vers. Quæstio præsens,col.*3.licèt eam non sequatur. Et *Mantica loco citato* , tanquam magis communem , ait , ab ea non esse recedendum : qui vltra rationem supra relatam , probat *num.* 10. hanc ipsam sententiam multis rationibus,præcipuè,quia solemnitas iuris ciuilis requiritur, vt falsitas non committatur,vt in *d.l. fin. C.de fideicomm. & l.hac consultissima,C.qui testam.fac poss.* Ergo cessante falsi suspicione , testamentum solemnitate carens in foro conscientiæ, in quo attenditur veritas , & non præsumptio est seruandum . Et licèt *Couar.* qui contrariam opinionem tuetur, ad dictam rationem respondeat;nihilominus *Mantica d.num.*10.*cum plur.seq.* contraria omnia benè soluit.

30 Hanc eandem opinionem tanquam magis communem sequitur denique *Scacc. de commerc.*§.1.*q.*7.*num.*117.*& seq.par.*2. Confirmatur, quia potest hæres sibi retinere hæreditatem sibi relictam in testamento minus solemni ex defectu solemnitatis;sicut,& legatarius legatum:siquidem duæ obligationes ex contractibus,& vltimis voluntatibus oriuntur;naturalis scilicet,& ciuilis . Etenim naturalis tantùm oritur ex ipsamet contractatione,promissione , seu dispositione,qua singuli naturaliter obligantur ad promissa seruanda. Ciuilis verò nascitur ex ipso iure ciuili approbante talem contractum , seu dispositionem . Vndè dum ius ciuile non improbat dispositionem,sed ei nec assistit,nec resistit, dispositio retinet suam naturalem obligationem, plures effectus parturientem, vt benè declarat *Molfes.par.*2.*sua summ.tr.*12 *cap.*4.*à num.*80. *vsque ad num.*96. *& tr.*13. *cap.*2.*num.*142.*cum plur. seq.* Cùm igitur ex testamento minus solemni oriatur hæc ipsa naturalis obligatio adimplendi voluntatem Defuncti,atque ideò hæres eiusdem vi citra culpam potest sibi hæreditatem retinere, ex testamento minus solemni sibi delatam : sicut legatarius legatum , vt habetur ex *Bald. in l.* 1. *num.* 5. *C. de fideicomm.* & ex alijs relatis per *Mantica loco citato,sub num.*9. vbi etiam *num.* 17.ex *l.*2. *C.eod.* probat, quòd si hæres soluit fideicommissum relictum in testamento minus solemni,frustra repetit: ergò idem dicendum est in casu , de quo agitur , vbi liquidò constat de voluntate testatoris .

31 Quam quidem sententiam secundum opinionem magis receptam veram esse putant supradicti Doctores , non solùm quoad legata pia , de quibus non est dubitatio, quòd ex testamento minus solemni oriatur pro eis obligatio; sed etiã quoad legata , quæ pia non sunt, cùm iura indistinctè loquantur,& rationes pro omnibus legatis probent: quapropter vbi certò constat de voluntate Defuncti , in foro conscientiæ debentur quæcunque legata , etiam in testamento minus solemni relicta. Benè verum est, quòd *Scacc. de commerc. par.*2. §.1. *q.*7. *num.* 117. putat hanc opi-

opinionem esse intelligendam cum hac declaratione, vt hæres tunc dicatur certò scire voluntatẽ testatoris fuisse, vt legata soluantur, quando vltra testamentum fidei hæredis oretenus postea commisisset, vt legata solueret, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor. in d. cap. quia plerique num.* 43. Et multò magis id ei comisisset, dicens, non obstante testamenti nullitate. Quòd si hæres simpliciter audiuisset à testatore ante conditum testamentum, quòd volebat facere huiusmodi legata, ipse *Scacc.* dubitat, id satis esse; cùm faciendo posteà testamentum minus solemne potuisset, vel mutare voluntatem, vel illam simulasse, quam declarationem puto esse rationabilem, vbi testator sciens iuris solemnitates in testamento requisitas, illas non adhibuit: quoniam tunc præsumitur voluisse dispositionem delusoriam facere, arg. *tex. in l. an inutilis, in princ. ff. de accept. & l. si domus in fine in princ. ff. de legat.* 1. *Alciat. in l. nemo potest, num.* 26. *vers. Sed quid si hæres, ff. eod. & in l.* 2. *C. de bonor. poss. secundum Tab.* Secus autem si testator sit rusticus ignorans iuris solemnitates vel si sciat iuris solemnitates, constet, testatorem non potuisse adhibere solemnitates, propter temporis angustiam, vel propter loci solitudinem: vel quia expresè declarauit suam dispositionem velle vim habere; etiam si adhibitæ non sint iuris solemnitates; nam tunc non præsumitur testatorem eam viam elegisse, per quam iudicium suum infringatur, vt in *l.* 3. *ff. de milit. testam.* & latè probat *Mantica loco citato, sub num.* 12. & 13.

32 Hanc eandem sententiam declarat secundò idem *Scacc. d. q.* 7. *num.* 118. veram esse, cùm hęres certus est de voluntate Defuncti aliunde, quã ex testamento minus solemni. Pro qua re videtur *tex. in d. l.* 2. *C. de fideicom* ita se habens: *Et si inutiliter fideicommissum relictum sit; tamen hæredes comperta voluntate Defuncti, prædia ex causa fideicommissi auo tuo præstiterunt, frustra ab hæredibus eius, de ea re quæstio tibi mouetur; cùm non ex sola scriptura, sed ex conscientia relicti fideicommissi, Defuncti voluntati satisfactum esse videatur.* Secus autem vbi hæres certus non sit de voluntate Defuncti aliunde, quàm ex testamento imperfecto, vt colligitur ex *d. l.* 2. Vndè meritò ait reijciendam esse sententiã *Manticæ*, & aliorum, qui non supponunt certã scientiam in hærede aliunde, quàm ex testamento imperfecto, per rationem quam ipse affert, & colligitur expresè ex *d. l.* 2. quam supra ad verbum retulimus. Denique hæc ipsa opinio declaratur, vt locum sibi vendicet, vbi testamentum est nullum ex defectu alicuius solemnitatis: secus autem si nullum sit ex defectu consensus, vt si conditum fuerit à pupillo, phrenetico, mentecapto, vi, aut metu, quoniam tunc ex huiusmodi testamento non debentur legata, vt habetur ex eodem *Scacc. loc. cit. num.* 119. *vers. Ad confirmationem respondeo.*

33 Cæterum licèt supradicta sententia sit magis communis, vt supra ostendimus; nihilominus, quia non desunt Doctores magnæ auctoritatis, qui velint opinionem ipsam veram esse tantùm quoad legata pia; atque ideò legata pia duntaxat deberi ex testamento minus solemni; non autem alia, quamuis hæres certò sciat voluntatem Defuncti, vt legata soluantur, cùm id quod nullum est non pariat naturalem obligationem, iuxta ea, quæ habentur ex *Baldo in l. post diuisionem, in fine, num.* 5. & *l. cum quis, num.* 6. *vers. Decimò, & vltimo, C. de iur. & fact. ignor.* & in terminis *Sot. lib.* 4. *de iust. & iur. q.* 5. *ar.* 3. *col.* 3. *in fine, & col.* 4. *vers. Vbi frater meus liberis, Salon. in D. Thom.* 2. 2. *q.* 5. *de domin ar.* 4. *tit. An per contractum, concl. vlt.* Imò hanc sententiam veriorem esse, docet *Couar. in cap. cùm esses, nu.* 5. *in fine, vers. Ego verò, & seq. de testam. & in reg. peccatum, par.* 2. §. 3. *num.* 8. *in fine, vers. Nono hinc, & num.* 9. *de regul. iur. in* 6. Et de facili sustineri posse, putat *Clar. recept. sent. lib.* 3. §. *testamentum, vers. Secundò infertur, Vasq. de testam. cap.* 3. *num.* 11. & alij, quos refert *Mantica de coniectur. vlt. volunt. lib.* 2. *tit.* 14. *num.* 9. idcircò vbi casus accidit, optimum consilium ait esse *Molfes. par.* 2. *suæ sum. cap.* 2. *num.* 147. *in fine*, si hæres se conueniat cum legatarijs, vt si integra legata nolit soluere ex testamento minus solemni, aliquid ex eis soluat, & iuratam cessionem à legatarijs obtineat. Quòd si hæres velit sequi sententiam *Soti*, & sequacium; atque ideò nolit soluere legata ex testamento minus solemni, exceptis pijs, cùm sententia huiusmodi sit probabilis, quamuis contraria sit probabilior, & magis recepta, arbitror illi non esse denegandam absolutionem: siquidem Cõfessarius tenetur cum ipsius pœnitentis probabili opinione se conformare, vt latè de hac re egimus supra *disp.* 13. *sec.* 2. *vers. Sextò peccant Confessarij.*

34 Septimò peccant hęredes non restituentes venientibus ab intestato hęreditatem, ex testamento nullo delatam ex defectu voluntatis testatoris: siquidem ex huiusmodi testamento, nec naturalis quidem oritur obligatio; atque ideò non solùm in foro exteriori; sed nec in foro interiori vim habet, cùm dici non valeat testatio mentis, seu voluntatis iusta sententia, iuxta testamenti definitionem, de qua in §. 1. *in inst. de testam. & l.* 1. *ff. eod.* Vndè furtum committeret hæres talia bona sibi retinens, cùm diceretur contrectare rem alienam, inuito Domino. Ita *Clar.* §. *testamentum, q.* 90. *Mant. lib.* 2. *de coniectur. vltim. volunt. tit.* 14. *Couar. in cap. cùm esses, de testam. Vasq. de testam. cap.* 3. *num.* 1. *cum seq. & Molfes. par.* 2. *suæ sum. tr.* 13. *cap.* 2. *nu.* 138. Dixi: *Ex defectu voluntatis*, quoniam secus est ex defectu solemnitatis; sicut supra diximus de legatis.

35 Ampliatur dicta conclusio primò, vt hæres teneatur restituere hæreditatem sibi delatam, cum defectu voluntatis testantis, etiam si testator cõpos mentis factus testamentum non reuocauerit: quia quod ab initio non valet, tractu temporis conualescere non potest. Vndè furiosus quãtis sit pubes cùm careat consensu, ad testamenti validitatem requisito, si tempore furoris testamentum condiderit, & deindè compos mentis factus decesserit, hæres vigore huiusmodi testamenti non potest hæreditatem adire: & si adierit tenetur eam restituere venientibus ab intestato, cùm testamentum fuerit ab initio nullum ex defectu voluntatis, vt in §. *item furiosi, in instit. qui testam. facere poss. l. senium, C. de testam.*

36 Secundò ampliatur hæc ipsa conclusio, vt vera sit, etiam si testamentum huiusmodi fuerit conditum ad pias causas: nam ob eandem rationem hæres non potest vi testamenti hæreditatem adire, &

re, & aditam tenetur omninò restituere venientibus ab intestato. Ita *Bart. in l 1. num. 16. C. de Sacrosf. Eccles.* & alij post *Clar. in §. testamentum, vers. Sed an furiosus.* Est tamen verũ, quòd si agatur de testamento condito à mentecapto, vt est ille, qui habet dilucida interualla, & dubitetur, an tempore furoris, vel tempore sanitatis testamentum fecerit, tunc attendenda est forma dispositionis: nam si prudenter appareat facta, tũc præsumitur facta tempore sanæ mentis, & testamentum præsumitur validum, atque ideò ex vi talis testamenti hæres potest hæreditatem adire, & aditam non tenetur restituere: sed dicenti cõtrarium incumbit onus probandi, vt habetur ex *Ias. in l. furiosum, num 3. C. de testam. Afflict. decis. 143. num. 5. Gramm. decis. 37. nu. 36. Mãtica de coniectur. vltim. volunt. lib. 2. tit. 5. Mascard. de probat. conclus. 825.* cum alijs, quos allegant, & *Molfes. par 2. suæ summ. tr. 13. cap. 2. num. 79.* vbi etiam *num. 80.* ait, quòd si furiosus Religionem ingrediatur, & professionem emittat, sicut per emissionem professionis præsumitur sanæ mentis, atque ideò valet professio; ita etiam præsumitur sanæ mentis testamentum cõdendo, & valet testamentum, iuxta ea, quæ habentur ex *Ioan. Andr. in cap in præsentia,* & ibi etiam *Panor. de probat. Clar. in §. testamentum, q. 28. num. 3. Mant. d. tit. 5. & Tusch in vers. Testatori, concl. 104. num. 10.*

37 Quæ diximus de furioso, & mentecapto, extẽdimus ad testamentum impuberis; etiam si proximus esset pubertati: nam cùm ex defectu consensus perfecti non valet eius testamentum, vt in *l. qua ætate, ff. de testam. & l. fin. C. eod.* & id verũ est etiam si testetur cum consensu tutoris: quia voluntas testantis non debet pendere ex alieno arbitrio, & tutor datur, vt consulat pupillo viuenti, non autem morienti, vt in *d. l. frater.* Imò idem dicendum est si disponeret ad pias causas; quoniam fauor piæ causæ non potest supplere defectum ætatis, vt rectè probã: *Tusch. loco citato, num. 3. 4 & 5.* & alij apud *Molfes. d. cap. 2. num. 75. & 76.* atque ideò hæres ex tali testamẽto non potest adire hæreditatem, & aditam tenetur venientibus ab intestato restituere. Idem dicendum est de testamento prodigi, cui mediante iudicis sententia interdicta est bonorum administratio: nam cùm testamentum sit nullum; etiã si fiat ad pias causas, vt per *Glos. in l. is cui, ff. de testam. Clar. § Testamentum, q 33 Tusch. d. conclus. 104. num. 14. & seq.* vbi hæres vi talis testamenti hæreditatem adierit, tenetur illam, vt supra restituere. Dixi: *De testamento prodigi, cui mediante, &c.* quoniam si interdicta illi non sit administratio, cùm liberè contrahere valeat, tàm inter viuos, quàm in vltima voluntate, vt in *l. is cui bonis,* & ibi, *Doctor ff. de verb. obligat.* (quãuis non desint, qui velint prodigo ipso iure esse interdictam administrationem, cùm careat pleno consensu, & perfecta deliberatione, iuxta ea, quæ habentur ex *Vincent. de Francb. decis. 672.* quem refert *Molfes.* latè de prodigo tractans, *par. 2. suæ summ. tr. 12. cap 4. num. 111. cum plur. seq.)* hæres ex vi talis testamenti potest adire hæreditatem, & aditam sibi licitè retinere. Quod quidem multò magis verum est, si prodigus Religionem ingrederetur, & professionem emitteret: siquidem *Iul. Clar.* post alios *loco citato, & Tusch. d. concl. 104.* per professionem prodigus sicut præsumitur sanæ mentis; ità valet eius testamentum, etiam si sibi interdicta fuerit bonorum administratio, vt per eundem *Molfes. par. 2. suæ sum. tr. 13. cap. 2. num. 81. & 82.*

38 Octauò peccant hæredes nõ soluentes legata facta ad pias causas; etiam si non in testamento; sed tantùm coram duobus testibus relicta sunt. Etenim relicta ad pias causas sunt valida; atque ideo debentur, etiam si fiant coram duobus testibus dumtaxat, non rogatis, & mulieribus: & non solùm in terris Ecclesiæ; sed etiam in terris Imperij; siuè fiant coram parochiali Presbytero, siuè non, vt *in C. cùm esses,* vbi *Glosa* iuncto *c. relatum, il 1. de testam.* & benè declarat *Syl. in sum. ver. testamentum, 1. q. 5. vers. tertium,* & latius *q 7.* vbi etiam refert *Panor. in c. Raynaldus eod. tit.* dicentem valere legata ad pias causas, etiam si testamentum esset nullum, & nõ adesset clausula codicillaris: quoniam in legatis ad pias causas cessat solemnitas iuris positiui, & satis est solemnitas iuris gentium.

39 Nonò peccant hæredes ex legatis, & fideicõmissis ad pias causas detrahentes falcidiam, vel trebellianicam: nam quamuis hæreditas vbi est exhausta legatis, possit hæres ex eis detrahere quartam falcidiam, vt *in § quarta, in Inst. de inoffic. testam. & l. quartam ff. ad leg. Falcid.* & hæres rogatus restituere totam hæreditatem, possit detrahere quartam trebellianicam, vt *in §. Sed quia, in Instit. de fideicommiss. hæred.* nihilominus ex legatis, & fideicommissis factis ad pias causas non detrahitur falcidia, nec trebellianica, vt *in auth. Similiter,* & ibi *DD. C. ad leg. falcid. Tiraq de priuileg. piæ causæ, priuil. 26. & seq. Tusch. ver. Legata ad pias causas, cõclus. 111.* & alij apud *Molfes. par. 2. suæ summ. tr. 13. cap. 5. num. 180.* vbi post *Tiraq.* & alios enumerat plura priuilegia piæ causæ: quibus adde ea, quæ traduntur à *Syl. in sum. ver. Testamentum 1. q. 7.*

40 Dicitur autem legatum ad pias causas omne quod relinquitur pro anima, vt per *Glos. & Bart. in l. si quis Titio, ff. de legat. 2.* Secundò legatũ ad pias causas appellatur omne id, quod legatur viduis, pupillis pauperibus; secus si diuites sint, vt *in cap. ex tenore, de foro compet. & cap. significationibus, de offic. deleg.* Sic etiam quod relinquitur peregrinis, & alijs miserabilibus personis: siquidem eiusmodi personę, tàm in iudicio, quàm extra iudicium prærogatiua quadam potiuntur, vt *in l. vnica, C. vt quan. Imper. &c.* & *l. si quis ad declinandum, C. de Episc. & Cler. § fin. in auth. de Eccles. tit. & cap. super quibusdam, in fine, de verb. signif.* Item legatum ad pias causas nuncupatur, quod Ecclesię relinquitur, aut alijs pijs locis, vt *in cap. fin de testib.* Sunt autem pia loca hospitalia, monasteria, & alia huiusmodi, in quibus senes, pauperes, & lãguidæ personæ aluntur, & alia opera charitatis exercentur, vt *in d. l. si quis ad declinandum, C. de Episcop. & Cler.* Etenim ad constituendum locum pium, qui gaudeat priuilegijs, tria debẽt copulatiuè concurrere. Primò vt sit locus, cui personæ ita adiunctæ sint, vt separatim nequeat considerari. Secundò, vt sit ordinatus ad pia opera exercenda. Tertiò, vt sit approbatus, & ædificatus auctoritate Rom. Pontificis, vel Ordi-

dinarij: vndè confraternitates disciplinatorum, & aliæ eiusmodi cum non sint erectæ auctoritate Ordinarij, non possunt dici loca pia propriè, sed quodammodò talia, quatenus pia opera in eis exercentur; sed simpliciter sunt profana; ita vt de legato facto confraternitati disciplinatorum, non potest ab Episcopo detrahi quarta; sicut potest ex legato, sicut ex legato facto pio, ac religioso loco, vt habetur ex *Marta de iurisd. par. 4. casu 113. num. 2. cum plur. seq.* & nos ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 15. q. 7. concl. 1.*

41 Potest quoq; dici legatum ad pias causas omne id, quod legatur in honorem Dei, & Sanctorum, & pro salute animæ, vt per *Syl. in sum. ver. leg. 4. q. 1.* vbi etiam q. 2. addit ex *Ioan. Anton. in addit. ad Specul.* quòd legatum factum pauperibus Ecclesiæ, aut alijs locis pijs pro malè ablatis, dicitur ad pias causas; secus si legatum fiat diuitibus. Vndè si legatum fiat diuiti pro anima, non dicitur ad pias causas; secus autem si nō diuiti. Quod verum esse, inquit ipse *Syl.* quoad præsumptionem; non verò quoad veritatem, quæ principaliter respicit intentionem. Imò legatum ad pias causas secundum aliquos vocatur etiam, quod relinquitur pro custodia Ciuitatis, vel aliorum locorum commnnium, seu publicorum, arg. *tex. in cap. 2. de immun. Eccles. l. pen. §. 2. C. de donat. & l. illud, C. de sacros. Eccles.* Idem dicendum videtur de legato facto pro refectione pontium, & viarum, vt habetur per *Glos. in l. 1. §. ad municipium, ff. ad leg. falc.* & de legato relicto pro refectione murorum, & fossatorum Vrbis, seu Castri; dummodò necessitas immineat, aliàs secus, vt *in l. ad instructiones, C. de sacros. Eccl. l. omnes Prouinciarum, & l. ad portus, C. de oper. public.* Præterea legatum ad pias causas dicitur relictum pro ornamentis Ecclesiæ, pro luminaribus, pro eiusdem fabrica, & alijs ad diuinum cultū pertinentibus, ad perpetuum, vel temporale cultum, *c. fin. de testam. Glosa in auth. similiter, C. ad leg. falcid.* Item legatum ad pias causas appellatur, quod relinquitur pro redimendis captiuis, *l. nulli, C. de Episc. & Cler. §. si quis, in auth. de Eccles. tit.* Et denique legatum ad pias causas nuncupatur legatum pro maritandis puellis, & pro alimentis egentium, cum dos sit pia causa, *Bart. in l. 1. ff. sol. matr. & in l. si ego, in prin. de iure dot.* sicut & alimenta egentium, *c. aurum, 12. q. 2.*

42 Decimò peccant hæredes non soluentes legatum factum puellæ causa dotis, vel causa donationis propter nuptias; estò quòd Religionem ingrediatur, & professionem emittat, atq; ideò non nubat, vt post *Panor. in cap. in præsentia, de probat.* docet *Syl. in sum. ver. Hereditas, 3. q. 8.* pro qua re facit *tex. in §. sed hoc præsenti, in auth. de Sanctiss. Episc. collat. 9.* & constabit melius ex mox dicendis. Sic etiam legatum factum puellæ determinatæ, vt matrimonium cōtrahat, debetur illi si Religionem ingrediatur, vt *in d. §. Sed hoc præsenti, & in auth. nisi rogati, C. ad Senatuscons. Trebell. Socc. in l. mulieri, num. 12. ff. de cond. & demonstr. Felin. in cap. Ecclesia S. Mariæ, num. 79. vers. Cæterum, de constit. Couar. lib. 1. var. resol. cap. 19. num. 10. Fulgos. cons. 53. Natta cons. 296. num. 4.* & hanc sententiam communem esse testatur *Molina to-mo 1. de iustit. & iure tr. 2. disp. 207. concl. 1. & Sanch. lib. 1. de matr. disp. 33. num. 29.* vbi ait, quòd licèt decisionem dictorum iurium multi velint fundari, ne impediatur vita contemplatiua; nihilominus ipse quoq; putat cum Doctoribus paulò infra citandis, fundari præsumptioni voluntatis testatoris, qui vbi oppositum non declarauit, præsumitur, vt idē disponeret, si meminisset, casu, quo ista matrimonium contrahere, Religionem ingrederetur; & id Religionis fauore, vt habetur ex *Couar. loc. cit. nu. 11. Menoch. lib. 4. de præsump. præsump. 148. num. 14. Mant. de coniectur. vlt. volunt. lib. 11. tit. 18. num. 31. & Molina loco cit.*

43 Vndè ex hac ratione inferunt, quòd vbi coniecturę sunt, quòd testator de nuptijs carnalibus intellexerit, tunc puella Religionem ingressa legatum non habebit; quoniam tunc cessat præsumptio, quam sup. diximus, vt per eūdem *Menoch. loco cit. nu. 2. Mant. de coniect. vltim volunt. lib. 11. tit. 19. num. 26.* & ante ipsos *Guliel. Bened. in cap. Raynutius, sub nu. 32. de testam.* Prima igitur coniectura est, vbi Testator legauit puellę, si nubat certæ personæ; quoniam tunc præsumitur, Testatorem intellexisse de nuptijs carnalibus; atque ideò Religionem ingressa legatum non consequetur, etiam si persona illa obijt, antequā puella fuerit in mora: sed si aliud matrimonium contraheret, eo casu potest si vult legatum consequi: quia per illa verba censetur, Testatorem de nuptijs carnalibus intellexisse, vt habetur ex *Bal. Nouel. in tr. de dote, par. 6. priuileg. 76. num. 4. ad fin.* quamuis *Sanch.* ibi, sub *num. 30. ex Couar.* & alijs probet, deberi hoc casu legatum puellæ Religionem ingredienti, nisi diues sit. Secunda coniectura est si Testator reliquerit tertio, si certa puella nupserit; nam tūc non habebit legatum, si puella Religionem fuerit ingressa, vt per *Menoch. d. præsum. 148. nu. 7. & Sanch. ibidem.* Tertia coniectura est, quādo Testator non certæ personæ matrimonio collocandæ; sed indefinitè puellarum matrimonio legatum fuerit; nam puellæ Religionem ingressæ ob eandem rationē, & alias allatas per *Sāch. loc. cit. nu. 32.* vbi etiam soluit contraria Doctorum contrarium sentientium non debetur legatum. Contrariam tamen sententiam tuetur *Diana par. 5. tr. 14. resol. 35.* quem omninò vide. Et intra *sec. 5. dicto 4. vers. Sed iuxta hac quæro.*

44 Vndecimò peccant hæredes alienando bona fideicommisso subiecta: siquidem alienatio nulla est, & tenetur ad damna, & interesse, vt in *l. fin. §. Sed quia, C. comm. de legat.*

Limitatur primò hæc conclusio, vt hæres citra culpam possit alienare rem restitutioni obnoxiam sub conditione, vel sub die incerta: nam id de iure illi permittitur: & adueniente casu restitutionis, fingitur retro nullum, quod est factum, vt *in d. l. fin. § fin.*

45 Secundò limitatur, vt hæres rem fideicommisso subiectam alienare possit ex causa dotis, vel donationis propter nuptias, vt *in auth. res quæ, C. comm. de leg.* quem *tex.* loqui in liberis, & non in extraneis, putat *Syl. in sum. ver. Hereditas, 4. q. 2.* Et alienationem fieri posse pro illa tantùm dote secundùm ad quem tenebatur fideicommittens: non autem pro dote, ad quam tenebatur fideicommissarius, vt habetur ex *Peregr.*

regr. in suo tr. de fideicommiss. art. 40. cum plurib. seq. quod quidem an sit verum latè tractat *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. cap. 4 num. 62.* & in alijs locis, quos ipse allegat.

Tertiò limitatur, vt hæres possit rem subiectā fidei commisso alienare pro ponendo filiam in Monasterio, vt per *Bart. in d. res qua.*

46 Quartò limitatur, vt hæres citra culpam alienet rem fideicommisso subiectam, si egeat pro alimentis sibi ministrandis, vel pro redimendo filio captiuo ab hostibus, vt per *DD. in d. auth. res qua.*

47 Quintò limitatur, vt licèt hæres non possit alienare hæreditatem fideicommisso subiectam; nihilominus potest ex ea detrahere quartam trebellianicam, vt in *Instit. de fideicomm. hæredit. & toto tit. ff. & C. ad Senatusc. Trebell.* Imò si sit filius potest detrahere non solùm trebellianicam; sed etiam legitimam: quoniam legitima debetur filijs de iure naturę; trebellianica verò de iure ciuili. Debetur quoque trebellianica ex bonis subiectis restitutioni: legitima verò ex omnibus bonis, considerato filiorum numero, vt *in auth. nouissima, C. de inoffic. testam.* Verum tamen est, quòd trebellianica in multis casibus non potest detrahi, nempè quoties restitutio facienda esset loco pio immediatè: secus autem si mediante aliqua persona, vt post *Dyn. Angel. Salyc. & alios in l. 1. §. in filijs, ff. ad Trebell. Pereg. de fideicom ar. 3. nu. 67. cum seq. & Molfes. d. cap. 4. num. 70.* Præterea trebellianica non potest detrahi, quādo expresiè prohibetur à Testatore, vt in *auth. Sed cum testator, C. ad leg. falcid.* Controuersia tamen est inter Doctores, an trebellianica prohiberi possit in filijs primi gradus. Et quamuis secundum communem sētentiam, dum filij grauati sunt simpliciter hæreditatem restituere, possit illis prohiberi trebellianicæ detractio; nihilominus si grauati sunt sub conditione, multi, quos refert, & sequitur *Vinc. de Franch. decis.* 11. adhuc tenent validam esse prohibitionem. At *Surd. decis.* 251. oppositam sententiam tenet; quam etsi probabilem esse putet *Molfes. loc. cit. num.* 68. priorem tamē putat esse æquiorem: pro qua sententia plura cumulauit *tomo 2. ad Consuetud. Neap. tit. de person. q. 10. num. 10. & cons. 14. num. 24.* Etenim satis est si filij non defraudentur legitima.

48 Quæ diximus de parentibus respectu liberorum, extendimus ad liberos respectu parentum: siquidem legitima quemadmodum debetur filijs in bonis parentum; ita etiam legitima debetur parentibus in bonis filiorum, seu liberorum, *l. nam etsi parentibus, ff. de inoffic. testam.* latè *DD. in auth. ex causa, C. de liber. præter. & Pereg.* post alios, *de fideicomm. ar. 49. num. 44. & seq.* Est denique circa rem hanc adnot. quòd potest hæres non solùm ex hæreditate detrahere quartam trebellianicam, atque adeò ex fideicōmisso vniuersali; sed etiam ex fideicōmisso particulari potest detrahere quartam falcidiam, vbi Testator non totam hæreditatem, vel ipsius partem, sed certam rem, nēpè domum, agrum, &c. legat Titio, vt restituat Sempronio, vel alteri, vt in *Instit. toto tit. de singular. reb. per fideicomm. relict.* Et cùm per omnia hodie exequata sint legata fideicommissis, *l. 1. ff. de legat. 1. l. 2. C. commun. de legat.* hinc fit, quòd trebellianica detrahitur ex legatis, & fideicommissis uniuersalibus: falcidia uerò ex legatis, & fideicommissis singularibus, ut latè habetur ex *Peregr. de fideicomm. ar. 3. Mantic. de coniectur. vltim. volunt. tit. 11.* & ex alijs. Vndè ex subiectis fideicommisso hæres citra culpam potest disponere de trebellianica, & legitima, exceptis casibus, in quibus trebellianica detrahi non potest, de quibus supra diximus. Et si legatarius ex fideicommisso particulari, cùm possit detrahere quartam falcidiam, de eo proculdubio disponere potest, exceptis casibus, in quibus falcidia detrahi non potest; nempè cùm legata sunt ad pias causas, uel expresiè prohibeatur à testatore, iuxta ea, quæ supra adnotauimus.

49 Duodecimò peccant hæredes, in fraudem fideicommissarij, seu substituti Religionem ingredientes; atque ideò ne bona fideicommisso subiecta transeant in fideicommissarium; sed fideicommissum euanescat. Licèt enim substitutio facta hæredi si sine filijs decesserit per Religionis ingressum expiret, ut in *cap. in præsentia, &* ibi, *Doctor. de probat. cap. Raynutius, & c. Raynald. de testam.* quod uerum est etiam si testator addat si decedat sine liberis ex se legitimè descendentibus, uel ex suo corpore natis, ut post *Bart. Panor. & Anton. de Butr. in d. cap. præsētia, de probat.* quam opinionem ueriorem esse docet *Syl. in summ. verf. Hæreditas, 4. q. 8. verf. Quintum, & verf. Hæreditas, q. 7.* ex *Panor. in d. cap in præsentia,* post *Bart. & Cyn. in l. si ita quis, ff. de legat. 2. & Archid. in cap. si qua, 19. q. vlt.* imò idem dicendum est si fiat Clericus, vt in *§. Sed, & hoc præsenti, de Sanctiss. Episc.* nihilominus si hæres in fraudem fideicommissarij Religiosus efficiatur substitutio non euanescit, & ratione doli, ac fraudis citra culpam id facere nō potuit, vt habetur ex *Panor. in cap. in præsentia:* siquidem fraus, & dolus nemini patrocinari debet, *cap. sedes, de rescr.* quam sententiam communem esse testatur idem *Syl. loco citato, verf. Quartum.* Vbi etiam ait probari fraudem probando comminationes factas substituto per hæredem, *cap. fin. 20. q. 3.* vel si Religionem adhuc non ingressus Monasterium hæredem instituit, vt per *Glos. & Archid. in cap si qua, 19. q. vlt.*

50 Adde, quòd tenetur hæres restituere hæreditatem substituto, quamuis Religionem fuerit ingressus in pluribus alijs casibus, etiam si bona fide id egerit; quorum primus est, vbi fuerit ei substituta Ecclesia, aut alius locus Religiosus, vel præcipiatur expendi in pias causas: quia tunc per Religionis ingressum non expirat substitutio, seu fideicommissum, vt in *§. Sed & hoc præsenti, in auth. de Sanct. Episc. Panor. in d. cap. in præsentia, & alij, de prob. & Arch. in d. si qua.* Etenim quòd expiret substitutio, seu fideicommissum per Religionis ingressum, est iure cautū fauore piæ causæ contra propriam significationem verborum; atque adeò vbi fideicommissū expendi debet in pias causas, cessat ratio; cùm non debeant impropriari verba in fauorē vnius piæ causæ in alterius piæ causæ præiudicium, arg. *tex. in cap. cùm causa, de præben.* Secundus casus est, vbi testator aliquem hęredem instituat, & ei substituat Titium v. g. aut venientes ab intestato si Religionem ingrediatur; quoniam tūc per Religionis ingressum non expirat substitutio,

tio, seu fideicommissum: siquidem huiusmodi substitutio non est vitæ contemplatiuæ impeditiua, quia non est verisimile, vt Religionis zelo verè succensus ob id retrahatur à Religionis ingressu; aliàs professio, & desiderium eius inter se discreparent, vt in *l. professio, C. de muner. patrimon. lib.* 10. & latè *Bald. cons.* 407. *num.* 13. *Anton. de Butr. in d. cap. in præsentia, num.* 16. *&* *Dec. num.* 58. *de probat.* Idem *Dec. cons.* 426. *nu.* 2. Eandē sententiam amplectuntur *Castr. Corn. & alij in auth. rogati, C. ad Trebell. Alex. cons.* 121. *num.* 13. *lib.* 2. *Couar. lib.* 1. *var. resolut. cap.* 19. *num.* 8. *Mantic. de coniect. vltim. volunt. lib.* 11. *tit.* 28. *num.* 31. *& tit.* 7. *num.* 28. *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 83. *num.* 18. *cum plur. seq. Molina tom.* 1. *de iust. & iur. tr.* 2. *disp.* 207. *Sanch. lib.* 1. *de matr. disp.* 34. *num.* 11. Idem *Bald. in l. Deo nobis, num.* 3 *in fine*, qui ita testatur de consuetudine seruari, & secundum hanc eandem consuetudinem iudicandum esse consuluit *Fulgos. cons.* 53. *& Tusch. vers. Conditio impediens, conclus.* 592. & alij, qui soluunt contraria. Tertius casus est, ubi quis ingreditur Religionem bonorum incapacem, vt mendicantium non habentium in proprio, vel communi, vt in *auth. bona, C. de bon. præscr.* Est tamen verum, quod *Syl.* post alios, *vers. Hæreditas,* 1. *q* 7. *vers. Quintò bona:* quòd hæres si fuerit institutus sub conditione si decesserit sine liberis, bona debeat expendi in pias causas, vt in *d. §. sed hoc, in auth. de Sanct. Episc.* Imò si imploratione officij iudicis vellet dicta bona vendere, & pretium in vtilitatem Monasterij conuertere, Monasterium succederet. Quæ diximus de fideicommisso vniuersali, idem proportionaliter dicendum est de fideicommisso particulari, vt euanescat per Religionis ingressum, cum limitationibus supra relatis, cùm militet eadem ratio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

51 Tertiodecimò peccat hæres institutus in certa parte, non dato alio hærede, adeundo totam hæreditatem contra Defuncti uoluntatem: quoniam licèt de iure institutus in certa parte, qui propriè non dicitur hæres, sed legatarius, ut in *l. quoties, C. de hered. instit.* non dato alio hærede, de iure possit adire totam hæreditatem, ut in *l.* 1. *§. si ex fundo, ff. de hæred. instit.* quod etiam in foro conscientiæ locum sibi vendicare, docet *Panor. in cap. quia ingredientibus, de testam.* quia ius humanum non contrarium Diuino in foro conscientiæ seruari debet; nihilominus quādo constat de voluntate testatoris intendentis alteram partem hæreditatis esse deueniendam ad successores ab intestato, tunc legatarius non potest totam hæreditatem adire, vt rectè declarat *Syl. vers. Hæreditas,* 3. *q.* 3. Id autem sufficienter constabit, si testator ita disponat: *Volo, quòd de bonis meis plus petere non possit*, vt habetur ex eodem *Syl.* ibi, qui idem dicendum esse putat, quando testator dolosè fit inductus ad instituēdum legatarium in certa parte, nempè quia suasit, quòd non possit habere regresū ad alia bona.

52 Quartodecimò peccant hæredes non soluentes legatum certæ quantitatis factum puellæ, eidemque soluendum tempore nubilis ætatis, si puella nolit nubere, sed Monasterium fuerit ingressa: quoniam eo ipso, quòd puella Monasterium ingreditur; atque ideò per professionem cælesti sponso nubat, debetur ei totum legatum; quamuis minor quantitas satis sit pro paragio Monasterij, arg. *tex. in §. Sed hoc præsenti, de Sanctis. Episc. & in auth. nisi rogati, C. ad Trebell.* Vndè relicto paragio Monasterio, potest de reliqua quantitate legati disponere ad sui libitum, vt rectè probat *Molfes. par.* 2. *sua sum. tr.* 13. *cap.* 5. *num.* 34 35. *&* 36. vbi id limitat primò vbi puellæ relinquantur mille si nubat, & quingenta si ingrediatur Monasterium: nam tunc nō debentur mille si Monasterium ingrediatur; sed tantum debetur paragium ingressarum si puellæ non sufficiant scuta 500. vt latè de hac re egit idem *Molfes. tom.* 1. *ad consuet Neapol. par.* 4. *tit. de renunc. q.* 16. Secundò hoc ipsum limitat, vbi testator legauit filiabus, vel nepotibus certum quid pro singularum maritagio, & eas inuicem substituit: siquidem si vna ex illis efficiatur monialis, videtur factus locus substitutioni, vt remanens in sæculo succedat; dummodò detur moniali paragium ingressarum: quod quomodo verum sit, latè declarat idem *Molfes. tom.* 1. *ad Consuet. Neap de renunc. q.* 16. *num.* 21 *& seq.* Sed legatum dotis factum puellæ sit purum, conditionale, vel modale: & quando paragium transmittatur ad hæredes, latè habetur ex eodem *Molfes. d. tom.* 1. *ad Consuet. Neapol. par.* 4. *q.* 3. *num.* 5. *& seq.* vbi plurimos cumulauit *in addit. & q.* 5. *& d. tr.* 13 *sua summ. cap.* 5. *num.* 33. His adde, & vide omninò, quæ habentur ex *Diana par.* 5. *tr.* 14. *resol* 35.

53 Quintodecimò peccant hæredes legatum factum puellæ pro ea maritanda non dantes, quāuis nupserit, viuente testatore, & legatum non reuocauerit: etenim quamuis legatum factum sub modo, seu sub conditione, vt in tali loco Ecclesia ædificetur, vel puella nubat, si viuente testatore Ecclesia ædificetur, aut puella nubat legatum efficitur caducum; quoniam conditio fortuitò iam fuit impleta, vt in *l. conditionem, ff. de condit. & demonstrat. Vasq. de testam. cap.* 8. *num.* 35 *§. octauum dubium*; id tamen intelligendum est, quando testator ignorauerit implementum legati: secus autem si sciuerit, & legatū non reuocauerit; quoniam tunc censetur legatum dedisse in augmentum dotis, vt latè probat *Molfes. tom* 1. *ad Consuet. Neapol. par.* 4. *qu.* 3. *num.* 10. *& in sua summ. d. tr.* 13 *cap.* 5. *num.* 51.

54 Sextodecimò peccant hæredes, legatum factū à testatore alicui Ecclesiæ pro eius sepultura nō soluentes; etiam si testator culpa sua in ea sepeliri non possit, vt quia sit excommunicatus, &c. siquidem tunc conditio habetur pro adimpleta ex parte Ecclesiæ cum per ipsam non steterit, quin adimpleatur, licèt facta sit impossibilis facto testatoris, vt habetur ex *Syl. in summ. vers. Legatum,* 1. *q.* 6. *& Vasq de testam. cap.* 8. *sub nu.* 35. *§. Septimum dubium.*

55 Decimoseptimò peccat hæres filia si velit succedere cum alijs sororibus, non collatis dote recepta, & donatione, propter nuptias. Etenim filia volens succedere cum alijs sororibus, tenetur conferre dotem receptam vna cum antefato, seu donatione propter nuptias, vt latè probat *Molfes. ad Consuetud. Neap. tom.* 1. *par.* 4. *qu.* 25. *&* 31. *& tom.* 2. *par.* 4. *q.* 25. *& par.* 2. *sua summ. tr.* 13. *cap.* 2. *num.* 183. *& num.* 184. & facit *tex. in auth. ex testamento, C. de collat.* Quod quidem verum

verum est, nisi pater collationem vetuit, vt in *d. auth ex testamento*. Idem dicendum est de donatis filio pro emenda militia, quæ est transmissibilis ad hæredes: nam illius pretium imputatur in legitima filij, vt in *l. omnimodo, §. imputari, C. de inoff. testam.* Hoc ipsum extenditur ad quamcumque aliam dignitatem, quæ ad hęredes transmittitur, vt habetur ex *Glos. Bart. Bald. Salyc.* & ex alijs in *d. §. imputari, Couar. lib. 3. var. resol. cap. 19. num. 4. Vasq. de testam. cap. 7. dub. 9. num. 159. & Ferdin. Vasq. lib. 3. de success. creata, §. 30. par. 3. num. 202.* cum alijs, quos allegant.

56 Imò feudum quoque imputatur in legitima, ut habetur ex *Vincent. de Franch. decis. 368.* ubi ita fuisse decisum testatur: quod quidem uerum est, quando frater uellet succedere cum alijs in reliquis bonis hæreditarijs Defuncti, aliàs cessat collatio, ut probat *Rouit. pragm 24. num. 23.* quē refert, & sequitur *Molfes. loco citato, num. 185.* vbi etiam *num. 186.* id ampliat locum sibi vendicare in donatione facta filio, vt efficiatur Clericus: quoniam hæc donatio dicitur ex causa Clericatus, atque ideò imputatur eidem in legitima: & si vult succedere æqualiter cum alijs fratribus, debet eam conferre; nisi contrarium constet ex voluntate patris donantis, vel ex meritis filij; atque ideò donatio facta ex meritis non cōputatur: & ita conciliat opinionem *Couar. in c. Raynutius, §. 2. num. 7. de testam. Molina de iust. & iur. tom. 1. disp 238. Guttier. lib. 2. qq. ciuil. cap. 65. Vasq. de testam. cap. 7. dub. 10.* Plura alia circa hanc materiam tractat idem *Molfes. tom. 2. ad Consuet. Neap.* præcipuè *par. 3. q. 16.* vbi agit de imput. quartæ, quæ debetur vxori vigore consuetudinis, vel ex dispositione *auth. preterea, C. vndè vir, & uxor, & tom. 1. 3. par. q. 16.* latè tractat, an, & quando filius debeat sibi in legitimam imputare, quæ pater in uita coactus soluit pro delicto ipsius filij.

57 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt vera sit vbi donatio facta est filio ob causam, nempè pro donatione propter nuptias, pro militia, clericatu, & filiæ pro dote, &c. Siquidem huiusmodi donationes conferuntur, iuxta ea, quæ sup. diximus: secus autem si donatio simpliciter fiat, quoniam tunc non confertur, vt in *l. pen. C. de Collat. & Glosa in d. auth. ex testamento, vers. Doctorum, C. eod.* exceptis tamen tribus casibus per eandem *Glos.* enumeratis, in quibus etiam simplex donatio confertur: quorum primus est quando pater vni filio donauerit inter viuos, & alteri ob causam, vt in *d. l. pen.* Secundus casus est, quando pater id expresserit, *l. si quando, §. fin. C. de inoffic. testam.* Et tertius casus est, quando dedit ei vt filio, nempè, vt habeat in peculio, vt in *l. si donatione, C. de collat.* Et si quidam velint, *Glosam* eo loco ineptè loqui, quoniam tunc non est tractandum de collatione; sed de diuisione, vt in *l. certum, C. famil. ercisc.*

58 Secundò limitatur, vbi agitur de expensis factis per parentes liberis ex causa studiorum; tunc enim regulariter non imputantur eis in legitimam; nisi contrarium constet de voluntate patris, vt quia haberet apud se bona filij, vt in *l. qua pater. ff. famil. ercisc. Nauar. in Man. cap. 17. num. 159. Vasq. de testam. cap. 7. dub. 7. nu. 147. & seq. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. casu 131.* & alij apud *Molfes. d. cap. 2. num. 187.*

59 Tertiò limitatur, vt nunquam habeat locum collatio inter filios emancipatos inter se: sed si alter fuerit emancipatus, alter in potestate, & pater ab intestato decesserit, quæcunque emancipatus acquisierit, fratri in potestate mortis tempore constituto, conferre debet, vt in *l. si emancipati, C. de collat.*

60 Decimo octauò peccant hæredes annuum legatum non soluentes à die mortis testatoris: Siquidem annua legata debentur in principio cuiuslibet anni, numerandi à die mortis testatoris, vt est *tex. in l. nec semel, ff. quando dies leg. ced. & in l. 1. C. eodem tit.* Ampliatur hæc conclusio, vt vera sit etiam si non sit adita hæreditas per multos annos, nec esset testamentum apertum; quoniam adhuc legatum annuum debetur legatario à die mortis testatoris: Etenim huiusmodi annua præstatio, ut sors petitur; non autem vt vsura; atque ideò debetur absque interpellatione, vt in *l. libertis, §. manumissis,* & ibi, *Bart. ff. de alim. & cibar. legat.* & latè *Vinc. de Franch. decis. 634.* Benè verum est, quòd huiusmodi legatum annuum præstandum est ab hærede de fructibus hæreditarijs: & si ab hærede non soluatur, ab hæredis hærede solui debet; dummodò onera annua non sint tanta, vt absorbeant omnes fructus, vt habetur ex *Tusch.* post alios, *vers. Legatum, concl. 130. Peregrin. de fideicomm ar. 4. num. 24. in fine.* Et quamuis aliqui velint, non posse hæredem assignare legatario certum fundum, ut inde legatum annuum consequatur; nihilominus id locum sibi uendicat, ubi fundus ille satis non esset; aliàs secus; atque ideò in electione hæredis esset soluere annuum legatum, uel assignare legatario fundum pro eo soluēdo, ut in *l. si quis argentum, §. si verò,* & ibi, *Angel. C. de donat. l. 3. ff. de trit. vin. & ol. leg. Castr. cōsil. 47. num. 3. lib. 2. Surd. cons. 319. vol. 3. Tusch. d. concl. 130. num. 3.* & alij apud *Molfes. par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 5. num. 59.* ubi etiam *num. 57.* post alios addit, quod si quis promittat soluere centum annua integrè, & sine diminutione, potest deducere adoham, & collectam, quoniam ueniunt ex natura rei, & debentur; nisi expressè remittantur.

61 Decimononò peccant hæredes usurariorum non restituentes usuras per usurarios defunctos extortas: siquidem ad eas restituendas de iure tenentur, ut in *cap. tua nos, de vsur. Glosa in cap. quamquam, vers. Facultates, eod. tit. in 6. Bann. 22. q. 78. art. 3. dub. 4. Molina de contr. disp. 332. Rebell. lib. 8. de vsur. cap. 16. sec. 2. in princip. Azor. lib. 5. instit. moral. cap. 17. q. 11. tom. 3.* cum alijs, quos allegant. Etenim actiones cùm transeant ad hæredes, & contra hæredes, ut in toto *tit. C. vt action. ab hered. & contra hered. l. veteris, & l. vlt. C. de contr. & com. stipul.* & hæres adeundo hæreditatem dicatur quasi contrahere cum legatarijs, & creditoribus Defuncti, ut in *§. vnico, in instit. de obligat. quæ ex quasi contr. nasc.* sicut usurarius dum uiueret tenebatur ad usurarum restitutionem; ita etiam tenentur eorum hæredes.

62 Ampliatur primò hæc conclusio, ut usurariorum hæredes teneantur restituere usuras mutuatarijs, à quibus ipsi usurarij extorserūt, siuè usurarij manifesti fuerint, siue occulti. Etenim rationes

tiones

tiones supradictæ conuincunt de omnibus usurariorum hæredibus, ex *tex. in d. cap. tua nos generaliter loquitur de ipsis*, nec distinguit; ergò generaliter est intelligendus, nec nos distinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præst.* Vndè si quis post mortem comperiatur usuras extorsisse, quamuis occultè in vita extorserit, potest compelli ipsius hæres in foro tam interiori, quàm exteriori ad usuras restituendas.

63 Secundò ampliatur, ut hæredes usurariorum ad restitutionem ut sup. teneantur non solùm in foro exteriori, ut loquitur *tex in cap. tua nos, de vsur.* Sed etiam in foro interiori: siquidem omnis restitutio debetur uel ratione rei iniustè acceptæ, uel ratione iniustæ acceptionis, modò hæredes usurariorum licèt non teneantur restituere usuras extortas ratione iniustæ acceptionis; tenentur tamen ratione rei iniustè acceptæ, sicut dicimus de re furtiua, quæ à tertio bona fide fuit empta, & debet ab emptore restitui uero Domino, etiam pretio sibi non reddito, ut *in l. incivilem, C. de furt.*

64 Tertiò ampliatur, vt hæredes vsurariorum teneantur vsuras per defunctos extortas restituere, siue eadem numero ad eos peruenerint, siue alia vsurariorum bona, vt colligitur ex *tex. in d. cap. tua nos.* Nam si vsuræ eędem numero extent, earum dominium non comparat vsurarius, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 3.* & in eum *Bann. num. 1. & Salon. contr. 1.* & alij communiter. Et si eadem numero non perseuerent, dato, quòd bona propria vsurariorum ad hæredes peruenerint, quę si in vita titulo saltem oneroso distraxissent, rata esset distratio; nihilominus quia vsurarij actione saltem personali remanserant obligati ad vsurarum restitutionem vnà cũ omnibus damnis, expensis, & interesse: & actiones transeunt ad hæredes, & contra hęredes, meritò vsurariorum hęredes tenentur vsuras extortas restituere, vt habetur ex *Bann. 22. q 78. ar. 3. dub. 1. col. 3. vers. Secundò probatur, Azor. par. 3. Instit moral. lib. 5. cap. 15. & cap. 17. q. 11.* Vndè si res per vsuram acceptę consistant in pondere, numero, uel mensura, ut est uinum, oleum, pecunia numerata, &c. & cõmisceantur cum alijs similibus bonis usurarij, ita ut separari nequeant, licèt eorum dominium comparet usurarius, cùm rerum dominium per commixtionem factam inuito Domino, nobis etiam acquiratur, ut *in §. si duorum, in Instit. de rer. diuis. & l. si alieni, ff. de solut.* & propterea eorũ dominium transferat in hæredes; nihilominus, quia ipse usurarius tenebatur ad usurarum restitutionem actione personali, eandem obligationem transfert in hæredes, ita ut eadem actione teneantur eius hæredes. Imò quãdo cumulus prædictus integer perseuerat, potest à mutuatario uindicari ratione rei usurariæ permistæ secundùm quãtitatem permixtam, à Iudice discernendam, arg. *tex. in l. Marcellus, § Pomponius, ff de reiuend.* & latè *Molina de contr. disp. 326.*

65 Quartò ampliatur, ut hæredes teneantur non solùm ad restitutionem usurarum, quas defunctus extorsit, sed etiam ad omnia damna, & interesse, quæ mutuatarijs peruenerunt ex causa extorsionis eorum, ut rectè probat *Azor. loc. cit.* Siquidem ad hæc omnia defunctus erat obnoxius dum uiueret, & in hæredem, & contra hæredem quælibet actio transmittitur, ut in *d. l. velit, & l. fin. C. de contrah. & com. stipul* latè *Glos. in cap. fin. de sepul. & Couar. lib. 9. var. resol. cap. 3. sub n. 7.*

66 Quintò ampliatur, ut quæ diximus de hæredibus usurariorum extendantur etiam ad eorum legatarios, ac donatorios causâ mortis per rationes supradictas. Est tamen uerum, quòd si illa, quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus de iure debitam, legatarij, & donatarij supradicti non tenentur ad restitutionem: quoniam onera debitorum Testatoris non trãseunt ad legatarios; sed ad hæredes; nam hæres succedit in uniuersum ius defuncti, *l. hæreditas, ff. de regul. iur.* atq; ideò etiam in eiusdem onera, cùm in locum defuncti subrogetur. Quòd si bona hæredibus relicta satis non sunt, ut debitis solutis habeant suam legitimam, uel quartam iure debitam, tunc legatarij, uel donatarij, à quibus aliquid causa mortis donatum est, tenentur contribuere, seruata proportione, & solutis debitis pro falcidia ipsis hæredibus de iure debita, iuxta ea, quæ habentur ex *Molina de contr. disp. 328. num. 5. & Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 20. num. 20. & cap. 19. num. 7.*

67 Sextò ampliatur, vt hæredes vsurarij possint compelli ad vsuras restituendas sub eisdem pœnis in Conc. Lateran. contentis, quibus poterat compelli defunctus, atque ideò non admitti ad communionem altaris, ad Ecclesiasticam sepulturam, & ad oblationem faciendam, vt *in cap. quia in omnibus, de vsur.* & id per *tex. in d. cap. quia nos*, vbi etiam *Panor. num. 3.* Quod quidẽ verum est, & locum sibi vendicat in hæredibus vsurarij manifesti, cùm de vsurarijs manifestis loquatur *Concil. in d. cap. quia in omnibus, & cap. cum tu, de vsur.*

68 Septimò ampliatur, vt hæres teneatur restituere quamcumq; rem alienam à defuncto relictam: aliàs si scienter retineat, est in statu dãnationis, vt post alios *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 132. num. 47.*

69 Sic ampliata limitatur primò eadem conclusio, vt si hæredes sint plures, non teneantur ad restitutionem in solidum; sed quilibet pro portione hæreditaria, vt contra *Glos. in d. cap. tua nos. Nauar. in Man. cap. 17. num. 178.* docet *Bann. 22. q. 78. ar. 3 dub. 4. vers. Hanc difficultatem*: ex *Caiet. & Soto Sal. ibidem, controuer. 8. sub num. 2. circa finem, & num. 3. Molina de contr. disp. 332. sub num. 2. in fine.* Et hanc sententiam communem esse tenet *Rebell. lib. 8. de vsur. cap. 16. sec. 2. num. 5. & Azor. tomo 3. Instit. moral. lib 5. q. 11.* Ratio autẽ hæc est, quoniam hæredes vsurarij non tenentur ratione iniustæ acceptionis; sed solùm ratione rei acceptæ: ergo quilibet tenetur pro portione hæreditaria, quam accepit. Confirmatur, quia in successione hæreditatis sicut bona defuncti, diuiduntur inter hæredes; ita etiam eius obligationes personales, & debita, *l. pacto, C. de pact. & l. 1. & 2. C. de hæred. action.* Rationi enim satis congruum videtur, vt qui pro parte commodum percipit, pro parte quoq; onus sentiat. Quod quidem verum est, etiam si vnus ex hæredibus, si duo sint, non possit, aut nolit restituere; nam adhuc alter non tenetur in integrum; sed tantùm

pro rata, vt iuxta Modern. sententiam docet *Panor. sub d cap. tua nos, sub num. 9. Molina loco cit. sub num. 3. Azor. vbi sup & alij*. Etenim defuncti bona pro restitutione vsurarum obligata non sunt, vt suo loco dicemus; & passiuæ actiones quæ aduersus defunctum erant, ac onera hæreditaria pro rata inter hæredes diuidi supra ostendimus.

70 Imò in foro saltem interiori hæredes non tenentur ad restitutionem vsurarum vltra vires hæreditarias, etiam si inuentarium non fecerint: quoniam heredes huiusmodi non tenentur ad restitutionem ratione iniustę acceptionis; quoniam nos supponimus non fuisse cooperatos ad extorquendas vsuras: nec tenentur ratione rei acceptæ, vt patet; ergo nullo modo restituere tenentur: nam omnis restitutio debetur vel ratione rei iniustè acceptę, vel ratione iniustę acceptionis, vt sępè diximus. Etenim quamuis de iure ciuili heres, qui non fecit inuentarium teneatur vltra vires hæreditarias, vt in *l. fin § cum igitur, C. de iure delib.* nihilominus lex illa, vt aliàs ostẽdimus, fundatur in pręsumptione fraudis contra heredes, nempè quod hęreditatis partem occultent, ne debita persoluant: at in foro conscientiæ cessat præsumptio, vbi de veritate constat. Ita *Bann. in D. Thom. 2. 2. q 78. art. 3. dub. 4 Salon. ibidem, contr. 8. Rebell. de oblig. iust. lib 8 de vsur. q 16. sec. 2.* & hanc opinionem communem esse testatur *Azor tomo 3. inst. moral. lib 5. cap 7 q. 11. Sanch. lib. 4. in Decalog. cap. 15 num. 35 & seq.* & alij apud *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 14. num. 41.*

71 Est tamen verum, quod vbi agitur de vno heredum, qui esset in causa, vt alij non restituant suas partes, tunc ille vnus teneretur ad omnium usurarum restitutionem, cùm iniquè impedierit bonum alienum, & alijs debitum, ut benè notat *Salon. loc. cit. sub num. 3. vers. Obseruemus tertio*. Sic etiam ubi apud aliquem ex hæredibus, legatarijs, aut donatarijs deuenisset res aliqua vsuraria eadem numero, tunc tota restituenda est mutuatario, à quo usurarius illam extorsit, ut rectè docet *Molina d. disp. 332. in fine, Less lib. 2. de iust. & iure, cap. 20. dub. 20 num. 173.* Siquidem inter hæredes actiones tantùm personales diuiduntur pro portione hæreditaria, non autem reales: actio enim realis sequitur rem à quocumq; detineatur, ut *in l. inciuilem, C. de furt.* Et propterea cùm res usuraria eadem numero extat apud aliquem, mutuatarius poterit illam integrè uendicare, tanquam eiusdem Dominus, ut ex *Caiet.* & alijs docet *Less. loc. cit. concl. 2.* Quòd si hæredes non solùm succedant in bonis usurarij; sed etiam in crimine vsurarũ, tanquam cooperantes, tunc tenentur ad restitutionem vsurarum singuli in solidum, siue hæreditas sufficiat, siue non: & siue inuentarium fecerint, vel non fecerint; quia cum sint participãtes in crimine, omnes tenentur insolidum ex iniusta acceptione, vt *in l. 2 C. de fruct. & lit. expens. cap. tua nos, de vsur. Reginald. lib. 10. sua prax num. 113. & sub num. 397. § secundum est, Salas dub. 43. de vsur. & Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 23. num. 109.*

72 Vigesimò peccant hæredes non habentes ratum factum defuncti; quoniam hæres de iure tenetur stare facto defuncti, vt in *l. cum à matre, C. de reiuend.* Vndè quamuis successor particularis, vt emptor, aut donator, non teneatur stare locationi factæ à venditore, vel donante rei venditæ, vel donatæ, vt *in l. emptorem, C. loc.* nisi adesset speciale pactum in contrarium, vel pactũ cum speciali hypotheca, vt durante tempore cõductionis non alienentur bona locata, & in alijs casibus, de quibus *Molfes. tomo 3. apud Consuetud. Neapol. q. 23. & 24. & par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 8 num. 63. cum plur. seq.* cum alijs, quos ipse refert; nihilominus hæres tenetur stare locationi factæ per defunctum, *l. viam veritatis, C. locati, & Molfes. d. cap. 8. num. 68 & d q. 25. § secundo locationis stare tenetur.* Vbi id ampliat locum sibi vendicare etiam in fideicõmissario, & in successore particulari necessario per sententiam Iudicis.

73 Vigesimo primò grauiter peccant hæredes si eleemosynas, quas pro eius anima legauit defunctus, differant soluere, & multò magis, si eas nullo modo exoluant; quoniam licèt quantum ad meritum dilatio executionis eleemosynarum non præiudicet defuncto, si maximè omnem diligentiã adhibuit, vt eius eleemosynæ post mortem citò darentur cùm meritum principaliter ex voluntate, & intentione dependeat; nihilominus quantum ad effectum eleemosynæ, talis dilatio affert detrimentum defuncto, non vt puniatur ob huiusmodi dilationem; sed quia non adhibetur remedium expiationis pœnæ, cùm non sit suffragium vndè subleuetur, atq; ideò non liberatur à pœna purgatorij tam citò, vt habetur ex *D. Thom. quodlib. 6. ar. 13.* vbi etiam inquit, quòd si defunctus iubeat in testamento restitutionem fieri, & sic in morte, & fecit quod potuit, vt restitutio fiat, si hæres restitutionem differat, talis dilatio non affert detrimentum defuncto; quia illa non ordinatur ad expiandam pœnam, nec est pars satisfactionis. Hanc eandem opinionem sequitur *Syl. in sum. ver. Testamentum, 2.* qui reprehendit *Angel.* dicentem, quòd animæ non intrat in Cœlum, nisi restitutione facta: id enim est contra *D. Thom.* & contra veritatem.

74 Ex his igitur patet, quàm graue peccatum sit eleemosynas legatas à defuncto non soluere; postquam hæres graue dãnum infert defuncto: & tanta potest esse dilatio, vt eleemosyna licèt postea saluatur; defuncto tamen non prosit, si purgatorij igne expiatus in Cœlũ euolauit. Imò ipse *Syl.* ibi ait, non excusari hæredem ex eo, quod commodè non possit: nec executorem testamẽti, etiam si non potest, cum debeat id Episcopo notificare, ad quem diximus pertinere executionem piæ voluntatis defuncti, vt *cap. Ioannes, de testam.* atq; ideò *Syl.* ipse tales egentium necatores appellat, & ab Ecclesia abijciendos, vt in *cap qui & duobus, & seq. 13. q. 2.* Est tamen verum, quòd hæres potest paulum retardare executionem eleemosynæ, vt rebus defuncti melius venditis, maiorem eleemosynam faciat; dummodò illud augumentum eleemosynæ sit magnum, & tempus dilationis valdè exiguum, vt per eundem *D. Thom. & Syl. locis sup. cit.*

75 Vigesimo secundò peccant hæredes non implendo vota realia defuncti: nam ad ea implenda tenentur tum de iure canonico, vt *in c. licèt, de voto*, vbi latè habetur per Doctores, an huiusmodi vota non implentes veniant priuandi tota hæ-

hæreditate, vel pro parte, quos refert *Sanch. lib. 4. in Decal. cap. 15. num. 26.* tum etiam ratione: quoniam vt sæpè diximus, actiones reales transeunt ad hæredes, & contra hæredes. Vndè si testator dum viueret, votum emiserit ædificandi Ecclesiam, fundandi Monasterium, hospitale, vestiendi pauperes, & alia eiusmodi vota realia, tunc si in vita non impleuit, tenetur hæres ea persoluere sicut alia defuncti debita. Siquidem votum reale est debitum quoddam Deo persoluendum, vt post alios *Sayr. lib. 6. Clauis Regiæ, cap. 8. dub. 6. prop. 2. num. 12.*

76 Ampliatur hæc conclusio primò, vt hæredes teneantur implere vota defuncti non solùm realia tantùm; sed etiam mixta, quoad partem tamen realem. Vndè si defunctus dum viueret, votum emiserit peregrinationis ad S. Iacobum de Galitia, & ibi calicem offerre, aut Monasterium ædificare, & ipsum ingredi, tunc hæres tenetur solùm ad reale, non autem ad personale; atque ideò tenetur calicem tantùm mittere ad S. Iacobum; non autem eò ire: & Monasterium tantum ædificare; sed illud non ingredi: siquidem, vt infra dicemus, hæres non tenetur implere vota personalia defuncti. Imò nec ad partem realem voti mixti adimplédam tenetur hæres; nisi vtrũque expressum sit à defuncto, vt in exemplis supra positis: secus autem si personale sit expresśũ, & reale sit tacitum, ac accessorium. Vt si quis vouerit ire ad S. Iacobũ de Galitia, quod est principale in voto: & non expressit expensas, quas in itinere facturus erat, quæ sunt accessoriæ voto, tunc hæres ad nihil tenetur: etenim si hæres non tenetur ad principale, neq; tenetur ad accessorium, cùm accessorium sequatur naturam principalis, vt *in cap. accessorium, de regul. iur. in 6.* Eadem ratione, qui vouit Religionem ingredi, & ibi dare sua bona si professionem emitteret, si moriatur vouens ante professionem, nó tenetur hæres bona tradere Religioni: ita *Sayr. loco cit. num. 13. & 14. Sanch. d. cap. 15. nu 30.* cum alijs ab eo allegatis, & *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 14. num. 40.*

77 Secundò ampliatur, vt hæredes adeò teneantur adimplere vota realia, & mixta defuncti, vt supra, vt si hæres sit vnus ex Descẽdentibus, vel Ascendentibus, ad ea persoluenda teneatur etiã cum detrimento propriæ legitimæ: siquidem legitima debetur, deducto ære alieno: & parentes possunt præiudicare in vita quoad legitimam, ut, per *Nauar. cons. 16. num. 4. de voto, in 2. edit.* Contrariam tamen opinionem tenet *Couar. in cap. si hæredes, num. 9 de testam.* & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. d. cap. 15. num. 38. & 39. & Molfes. d. cap. 14. num. 42.* qui hanc opinionem veriorem esse affirmat; quoniam Ecclesia non præsumitur acceptare tale uotum in præiudicium legitimæ prædictorum: & propterea huiusmodi uota alijs tantum legatis præferenda esse volunt, exceptis expensis funerum, quę præferuntur omnibus alijs creditoribus, etiam hypothecarijs. In omnem tamen euentum, quando filius hæres per uota patris grauatur, iustam habet causam petendi dispensationem: & si hæres sit necessarius grauari non potest ultra quintam partem bonorum, etiam si in testamento relicta fuerint huiusmodi uota, ut habetur ex *Sayro lib. 6. Clauis Reg. cap. 8. num. 15.*

78 Tertiò ampliatur, ut hæredes adeò obligentur eiusmodi uota adimplere, ut si non impleãt possint compelli, etiam per censuras Ecclesiasticas, ut per *Abb. in d. cap. licet. num. 15.* & alios, quos refert, & sequitur *Sayr. loc. cit.* qui idem dicendum esse probã de successoribus Vniuersitatum, ut teneantur reddere uota realia prædecessorum, siue soluenda sint pro reparatione Ecclesiarum, siue pro earum dotatione, siue pro alia re.

79 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, ut hæres non teneatur reddere uota defuncti, quæ purè personalia sunt: siquidem uota personalia expirant morte uouentis, atq; ideò solas personas uouentium obligant, ut *in cap. licèt, de voto.* Benè uerum est, quod si Testator grauauerit hæredem soluere certum quid pro executione talium uotorum, uel ut personaliter hæres uota illa adimpleat, tunc hęres acceptando testamentum, tenetur uota illa reddere, ut legata sunt, & ordinata à Testatore: quoniam hæres tenetur habere ratum factum defuncti, *l. cum à matre, C. de reiuend. Sayr. loc. cit. dub. 6. propos. 1. sub num. 11. Sanch. d. cap. 15. nu. 27.* cum alijs, quos allegat *Molfes. d. cap. 14. num. 37.*

80 Secundò limitatur ut quamuis hæredes obligentur uota, ut sup. adimplere; nihilominus cùm plures sunt hæredes, & legata sunt diuidua, quilibet hæres tenetur pro portione tantùm hæreditaria; sicut dicitur de omni alio legato. Quòd si uota undequaq; indiuidua sint, tunc quilibet hæres tenetur in solidum, ut postea iure cesso agat contra alios hæredes, vt per eundem *Molfes. loc. cit. nu. 43.* vbi addit, quòd obligatio semper dicitur diuidua, quando resolui potest in æstimationem pecuniarum, vt ædificare Ecclesiam, præstare calicem, &c. quoniam licèt Ecclesia sit indiuidua, sicut, & calix; obligatio tamen est diuidua, arg. *tex. in l. 2. & in l. in executione, ff. de verb. obl. l. fideicommissa, §. si in opere, ff. de legat. 3.* & latè post alios *Sanch. d. cap. 15. num. 44.*

81 Vigesimo tertiò peccant hæredes si grauati restituere hæreditatem sub conditione, & dubium sit, an eueniat cõditio, cautionem prętare nolint fideicommissario, vt adueniente conditione, ei integrè restituantur bona: nam de iure ad hanc cautionem præstandam tenetur hæres, vt *in l. hæc stipulatio, ff. vt leg. nom. caueat.* quæ quidẽ cautio datur, vt fideicõmissario restituantur etiã bonorum fructus, qui sine dicta cautione ei non restituerentur, vt in *l. si is, à quo, ff. eod.* cum alijs relatis à *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. cap. 4. nu. 160.* vbi id limitat ex *Vinc. de Franch. decis. 8. num. 2. & decis. 311. num. 5.* quando clarè constat, bona esse supposita fideicõmisso; secus autẽ si dubiè. Quæ diximus de fideicommisso vniuersali, extendimus ad fideicommissum singulare, cum militet eadem ratio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

82 Vigesimo quartò peccant hæredes grauati per fideicommissum, si hæreditatem nolint adire, vt illam fideicommissario restituant: etenim de iure ad id tenentur, & possunt auctoritate Iudicis compelli, vt in *§. restituta in Instit. de fideic. hæred. & toto tit. ff. & C. ad Trebell.* Et sicut legatarius tenetur de manu hæredis legatum suscipere; ita etiam fideicommissarius hæreditatẽ:

aliàs si propria auctoritate capiant, incidunt in commissum, vt in *l. Paulus, & l. restituta*, & ibi, *Bart. ff. ad Trebell.* Et nos latius infra Deo duce, dicemus de Legatarijs agẽtes *sec.* Hæc autem fideicommissi restitutio dupliciter fieri contingit, verbaliter scilicet, & realiter. Per verbalem restitutionem transfertur in fideicommissarium dominium, retenta possessione; at per realem trãsfertur non solum dominium, sed etiam possessio, vt habetur per *Glos.* & ibi, *Bart. in d. l. restituta*, & post alios *Farinac. q.* 113. *de furt. n.* 295.

83 Vigesimoquintò peccant hæredes non soluẽtes gabellam impositam ratione vltimarum voluntatum: Etenim gabella soluenda est ab eo, qui lucrum consequitur, vt in *l debet, in fine, ff. de edil. edict.* latè *Tusch. vers. Gabella, cõcl. 6.* quod quidem verum est, nisi statuto caueatur contrarium, vel testator grauasset hæredem, vt solueret legatum liberum, vt benè declarat ibi *Tusch.* Dixi: *Gabellam impositam*, statuto scilicet municipali, quoniam de iure communi gabella nõ est constituta pro institutione hæredis, pro legatis, fideic. donationibus causa mortis, &c. vt habetur per *Ias. in l. edicto, in 2. not. C. de edict. Diui Adriani toll. & Tusch. vers. Gabella, conclus. 5. num. 5.*

84 Imò etsi, quod statutum feratur, vt gabella soluenda sit pro vltimis voluntatibus; in multis tamen casibus non debetur; quorum primus est, quando filius, & alij Descendentes succedunt Ascendentibus, tàm ex testamento, quàm ab intestato: siquidem filius dicitur quasi Dominus in vita patris, & per eius mortem, eiusdem bona continuãtur in filium, *l. in suis, ff. de liber. posth. Tusch. loco citato, num.* 8. vbi etiam *num.* 31. idẽ dicendum esse ait, vbi parentes refutant bona feudalia filijs immediatè successuris: quoniam in actu inter viuos, aut in vltima voluntate non debetur gabella, vbi dominium non transfertur, vt probat *Marcobrun. cons.* 103. *num.* 42. *Tusch. ibi, & Surd. decis.* 305. *nu.* 19. Secundus casus est, vbi agitur de legato facto ex causa remunerationis, vel in compensationem dotis, vel alterius debiti: nam hæc non dicuntur propriè legata, & donationes; sed debiti satisfactiones. Vndè si maritus legat dotem vxori, dominus mercedem seruo, & alia huiusmodi; de talibus legatis non debetur gabella, vt habetur ex *Bart. & alijs in l. si pupillus, ff. ad leg falcid. Iasone in l. si creditori num* 2. *&* 12 *ff. eod. Tusch. d. conclus.* 5. *num.* 4. *& Molfes. par.* 2. *sua sum. tr.* 12. *cap.* 22 *num* 115. vbi in fine ex *Surdo decis.* 305. *num.* 29. *& seq.* similiter addit, non deberi gabellam pro contractu necessario; quia non spontè fit alienatio. Tertius casus est, quando agitur de legatis ad pias causas; quoniam de his non debetur gabella: etenim pia legata habent à iure hoc priuilegium, vt habetur ex *Tuscho d. cõclus* 5. *in princ. & Molfes. d. cap.* 22. *num.* 116.

85 Vigesimosextò peccant hæredes siue ex testamento succedant, siue ab intestato alimenta non tribuentes filio naturali, spurio, vel ex damnato coitu Defuncti. Etenim quamuis de iure ciuili filijs ex damnato coitu denegentur alimẽta à patre, vt in *auth. ex complexu, C. de incest. nupt. & in auth. licèt, C. de natur. liber.* nihilominus damnatur ius ciuile hoc casu à iure Canonico, tanquàm contra ius naturale disponens; atq; ideò compellitur pater huiusmodi filijs alimenta ministrare: & propterea cùm actiones Defuncti transeant in hæredes, & contra hæredes, vt in *l. veteris, & l. fin. C. de contrah. & committ. stipul.* sicut Defunctus dum viueret tenebatur filio ex damnato coitu nato alimenta subministrare; ita etiam tenetur hæres. Et cùm dos succedat loco alimentorum, sicut pater tenebatur filiam ex damnato coitu dotare, vt aliàs diximus; ita etiam hæres. Quæ omnia intelligenda sunt, nisi filius, vel filia aliundè alimenta, vel dotem quærere sibi possit, nempè ex suis bonis, vel ex artificio; dummodò non sit infirmus; quia aliàs nec pater tenebatur eius filio nato ex damnato coitu alimenta subministrare, vt in *l. si quis ff. de liber. agnosc.*

86 Vigesimoseptimò peccant hęredes reuocando donationem non dum acceptatam, factam absẽti à Defuncto. Nam quamuis donatio absenti facta antequam accepietur, possit à donante reuocari, vt in *l. absenti, ff. de donat. l. nec ambigi, C. eod. tit.* quod etiam iure naturali procedere, secluso iure positiuo contra nonnullos probat *Sanch.* post alios *de matrim. lib.* 1. *disp.* 6. *sub num.* 10. *ver. Cæterum:* nihilominus, mortuo donante ante donationis acceptationem, non potest hæres donatoris donationem reuocare; quoniam facultas reuocandi non transit ad hæredes, ita *Couar. lib.* 3. *var. resol. cap.* 14. *num.* 17. *decis. Pedem.* 70. *num.* 9. *Molina lib.* 4. *de primogenijs, cap.* 2. *num.* 77 *& Sanch. d. disp.* 6. *num.* 5. *vers. Verius tamen.* Vbi etiam ait, mortuo donante ante acceptationem, potest donatarius donationem ipsam absolutè acceptare; etiam si suo nomine Tabellarius non acceptauerit, vt contra nonnullos probat *Molina loco citato* Est tamen verum, quòd ipse *Sanch. ibi, vers. Necessario tamen*, vult prædictam sententiam locum sibi vendicare, quando donans ante mortem, nuncium, aut Epistolam ad intimandam donationem misisset; quia cùm illud non sit mandatum donandi, quod finitur morte mandantis, sed donatio perfecta, censetur durare voluntas donantis in nuncio, aut Epistola, per quam intimanda erat; quoniam illa gratia iam erat ex parte donantis facta, & nuncius erat executor, seu intimator illius gratiæ; atque ideò potestas illius non expirat per mortem donantis, *cap. si super gratia de offic. deleg. in* 6.

87 Quòd si donans non dum nuncium destinasset, aut literas dedisset, tunc post mortem donantis non potest acceptari donatio, cùm iàm non possit destinari nuncius, aut Epistola scribi ab ipso donante: quod omninò exigitur, vt acceptatio donationis in absentia factæ fieri posset: siquidem contractus perficitur vnione voluntatum contrahentium, vt in *l.* 1. *ff. de pact.* at absentium voluntates non coniunguntur, nec in vnum veniunt; nisi voluntas vnius alteri per Epistolam, vel nũcium ad id ab eo missum intimetur, vt in *l.* 1. *in fin. ff. de contrah. empt. l. consensu, vers. Consentire, ff. de action. & obligat. & l. nec ambigi, C. de donat. Bart. in l. absenti, ff. eod.* & alij relati ab eodem *Sanch. d. disp.* 6. *sub num.* 3.

88 Hæc autem conclusio ampliatur, vt locum sibi vendicet, non solùm vt huiusmodi donationẽ acceptare possit donatarius cum supradicta limitatione; sed etiam hæres donatarij; quoniam do-

donatio illa erat ex parte donantis perfecta, ac ualida, ut latè *Molina loco citato*, qui plures allegat *& tom. 2. de iust. & iur. tr 2. disp. 264. §. iuxta hactenus dicta, decis. Pedem 70. num. 10.* cum alijs relatis per *Sanch. d. disp. 6 num. 6.* ubi *num. 7.* id limitat, quando donans non donat, nec promittit; sed nuncio, aut famulo dat, uel mittit donum, ut absenti donetur. Nam si donans interim moriatur, cùm mandatum spiret morte mandantis, *l. mandatum, C. mand.* & illa non sit donatio, sed mandatum de donando, tunc non solùm hæres donatarij, sed nec ipse donatarius, possunt eiusmodi donationem acceptare; atque ideò rem esse reddendam hæredibus donantis. Vndè infert, *num. 8.* quòd si quis non statim donet, aut promittat, vt supra, sed mittat aliquid donandum Titio, & nuncius iniustè donum sibi vsurpet, aut iniustè differat manifestare Titio, vt acceptet, & interim donum mittens moriatur; tunc ipse nuncius obligatur ad duplicem restitutionem, alteram hæredibus donatoris; quia mandatum donantis morte cessauit: & alteram donatario; quoniam iniustè causa fuit, ne donum illud consequeretur, ita *Molina tom. 2. de iust. & iur. tr. 2. disp. 263. §. iuxta hactenus dicta*, & alij apud *Sanch. d. num. 7.* vbi tamen id moderatur quando mandatum sit ad causas pias: vt si quis famulo præciperet centum in eleemosynam elargiri, & re integra mandans decederet: tunc enim talis eleemosyna deberetur, etiam non acceptata: siquidem fauore piæ causæ mandatum non expirat morte mandantis, vt habetur ex *Tiraquell. de priuil. piæ causæ, priuil. 82. & 132. & de priuil. Scholast. priuil. 80.* vbi idem ait dicendum esse fauore dotis, Scholasticorum, fauore libertatis, & quacunque alia pia causa, *l. si pater in princ. ff. de manumiss. vind.* & habetur ex eodem *Molina loco citato, § Dixi mandatum*: cũ alijs, quos allegat, vbi addit quoque, id locum sibi non vendicare, quando quis est constitutus Procurator cum donandi potestate: nam si interim mandans decedat, & Procurator donet, cùm ipse, ac donatarius obitum ignorent, valida erit donatio: quoniam gesta per Procuratorem, dum eius mandati reuocatio, siuè tacita, siue expressa ignoretur, firma habentur, *l. si mandatum, l. inter causas, ff. mand. l. vero Procuratori, in princ. & § 1. de solut.*

89 Vigesimoctauò peccat vxor hæres à viro instituta, aut vsufructuaria relicta sub conditione, si castè vixerit, si fornicetur: Etenim non solùm peccat ratione fornicationis; sed etiam in peccato mortali dicitur viuere, donec hæreditatem, seu fructus perceptos restituat substituto, vel succedentibus ab intestato, vt post alios probat *Nauar. in Man. cap. 25. num. 65. vers. Secundò, qua vidua.* Quòd tamen verum esse inquit, quãdo restitutionem facere potest citra detrimẽtum famæ, honoris, & quando aliàs non adsit aliqua ex causis excusantibus à restitutione, de quibus latè *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. cap. 3.* & nos latius supra de restitutione agentes. Idem dicẽdum est si testator legauit vxori vsufructum certi fundi sub conditione si castè, ac vidualiter vixerit, & post eius mortem eundem fundum legauerit Titio: nam si vxor postea ad secundas nuptias transierit, statim tenetur fundum pleno iure restituere Titio, vt cum opinione magis recepta tenet *Mantica de coniectur. vltim. volunt. lib. 3. tit. 19. num. 19.*

90 Vigesimononò peccat hæres, cui tributa est à testatore optio alicuius rei tribuendæ legatario, si tribuat deteriorem: etenim tenetur dicta facultate vti arbitrio boni viri, vt non eligat deteriorem; sed mediam, vt in *§. optionis in instit. de legat.* Non sic dicendum est de legatario: nam is potest eligere meliorem, vt infra dicemus de legatarijs agentes.

De Legatarijs, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Legatarij, legatum non acceptantes in fraudem creditorum.*
2 *Peccant Legatarij Religionem ingredientes in fraudem fideicommissariorum suorum, vel nõ restituentes vsuras a testatore extortas.*
3 *Peccant Legatarij, & legata incidunt in commissum, si propria auctoritate legata capiant, & non de manu hæredis.*
4 *Idque non solum in legatis, sed etiam in fideicommissis locum habet.*
5 *Tunc legatum, & fideicommissum in commissum incidunt, cum legatarius, vel fideicommissarius legatum, & fideicommissum propria auctoritate occupat post aditam hæreditatem secus si ante, nam tunc ad restitutionem tantum tenetur.*
6 *Neque in commissum incideret, si citra dolum, & fraudem pœnes legatarium, & fideicommissariũ legatum, vel fideicommissum reperiretur.*
7 *Sic etiam si legata, & fideicommissa percipiãt cum consensu exequutoris testamenti, vel si hæres tacuit.*
Vel si Legatario, aut fideicommissario sit à testatore tributa potestas capiendi propria auctoritate.
8 *Fauore piæ causæ potest Legatarius propria auctoritate legatum capere.*
An legata, & fideicommissa prædicta cadant in commissum ipso iure, vel sententia iudicis exigatur.
9 *Peccant Legatarij, quibus legata est optio alicuius rei, ipsique eligant meliorem, sed contrarium est magis receptum, quando expresse habet optionem a testatore.*
10 *Peccant Legatarij, qui legata relicta ad certũ vsum, in alium transferunt.*
Quid si testatoris voluntatem, legatarius commutasset in melius.
11 *Et peccat, tam si commutauerit legata pia, quam non pia.*
12 *Legatarius legatum ad certum vsum relictum ad alium commutare non potest non solum in facto, sed neque in modo, vel in loco.*
13 *Et siue impleri possit de iure, siue de facto.*
14 *Auctoritate Principis potest legatum ad vnum vsum factum, in alium commutari.*
15 *Legatum ad certum vsum relictum, potest in alium*

alium vsum commutari iusta, & rationabili ex causa.

Idque sublimitatur pluribus modis.

16 *Si legatum fiat contemplatione alicuius personæ, cui solui nequit, caducum efficitur.*

17 *Possunt aliquando commutari legata pia ex iusta, & rationabili causa per alium, quàm per Romanum Pontificem.*

18 *Attenta dispositione* Concil. Trid. *hodiè Missarum reductio soli Romano Pontifici reseruatur.*

19 *Peccant Legatarij, qui debitam de iure falcidiam non restituunt hæredi, qui per errorem integram legatam ipsis soluerit.*

20 *Falcidia, & Trebellianica dicuntur quarta portio hæreditatis, in qua æs alienum includitur, legitima vero dicitur quota bonorum, non includens æs alienum.*

21 *Hæres soluendo integrum legatum per errorem facti, tam in foro externo, quam interno petere potest falcidiam; secus si soluerit per errorem iuris.*

In quibus casibus detrahi non possit falcidia.

22 *Peccant Legatarij non restituentes legatum, factum à prodigo, cui interdicta fuit bonorum suorum administratio.*

23 *Peccant Legatarij, qui relicti à testatore tutores, tutelam repudiant, & legata retinent.*

24 *Peccant Legatarij, qui pro consecutione legati ad pias causas, iudicem adeunt secularem.*

DIco primò peccare Legatarios non acceptantes legatum in fraudem eorum creditorum, vt supra diximus, eodem modo de hærede: siquidem quamuis de iure licitum sit debitori renunciare legatum in præiudicium suorum creditorum, vt in *l. qui autem, ff. quæ in fraud. credit.* nihilominus cùm lex illa sit contra ius naturale, in foro conscientię non est seruanda, vt habetur ex *Molina, tom. 2. de instit. & iure, disp. 435. in fin.* & ex alijs.

2 Dico secundò peccare legatarios in fraudem suorum fideicommissariorum Religionem ingredientes; ne scilicet legata fideicommisso supposita transeant in fideicommissarios, atque ideò fideicommissa euanescant, iuxta ea, quæ sup. diximus *sec. præcedenti, vers. Duodecimò peccant:* de hæredum peccatis agentes.

Dico tertiò peccare Legatarios non restituendo vsuras, quas testator extorsit: quod quomodo procedat latè tractauimus supra *sec. præced. ver. Decimonono peccant:* de peccatis hæredum agentes.

3 Dico quartò peccare Legatarios, & insuper incidere in commissum, si propria auctoritate legata capiant. Etenim quamuis legatarius acquirat dominum rei legatæ, & pro consequendo legato tres sibi competant actiones, nempè personalis, hypothecaria, & reiuendicatio, vt in *l. 1. & 2.* & ibi, *Glosa, in verf. Personales, C. comm. de legat. l. à Titio, in fine ff. de furt. Tusch. verf. Legatarius. conclus. 147 & seq. Mantica lib. 7. de coniectur. vltim volunt. tit. 10. num. 31.* & alij apud *Molfes. par. 2. suæ sum. tr. 13. cap. 5. nu. 113. cum plur. sequent.* nihilominus legatum debet capere de manu hæredis, cùm legatum sit donatio quædam à Defuncto relicta, ab hærede præstanda: & propterea auctoritate propria illud accipiens perdit legatum, siue sit speciei, siue quantitatis, vel quouis alio modo, vt in *l. non dubiũ, C. de legat.* latè *Farinac. q. 175. de furt. nu. 316. cum seq. Tusch. ver. Legatarius, concl. 151. & 152.*

4 Ampliatur hæc conclusio, vt non solùm locũ habeat in legatis; sed etiam in fideicommissis, vt in *l. Paulus. ff. ad Trebell.* cùm per omnia exequata sint legata fideicommissis, *l. 1. ff. de legat. 1.* & nemo possit sibi ipsi ius dicere, *l. qui iurisdictioni, ff. de iurisd. omn. iud.* & benè declarat *Molfes. d. tr. 13. cap. 4. num. 55.*

5 Sic ampliata limitatur primò hæc eadem cõclusio, quando legatarius, vel fideicommissarius post aditam hæreditatem ab hærede huiusmodi temeritatem committerent: alias si ante hæreditatem aditam id agerent, in commissum non inciderent, sed ad restitutionem tantùm possessionis legati, seu fideicommissi hæredi tenerentur, vt indè Trebellianicam ex fideicommisso vniuersali, aut falcidiam ex particulari, seu legato percipiat, vt per *Glos. in d. l. non dubium,* vbi etiã *Bart. & alij, C. de legat. Farinac. de furt. q. 113. num. 293.* Et si Trebellianica non venit detrahenda, non habet locum restitutio, cùm frustra fieret, si mox hæreditas esset reddenda.

6 Secundò limitatur, vbi citra omnem dolum, ac fraudem legatum, seu fideicommissum reperiretur penès legatarium, seu fideicommissariũ: nam tunc competit illis retẽtio, maximè si Trebellianica, vel falcidia non veniat detrahenda, quoniam frustra esset restitutio, vt dixi supra, & habetur ex *Farinac. de furt. q. 175 num. 344 & 352.*

7 Tertiò limitatur, vt legatarij, vel fideicommissarij legata, seu fideicommissa propria auctoritate percipiant cum consensu executoris testamentarij, vel si hæres tacuit; quoniam primo casu non propria auctoritate; sed cum licentia dicuntur legata, seu fideicommissa percepisse: Et posteriori, cùm hæres expressè non contradixerit, censetur consensum præstasse, arg. *tex. in cap. qui tacet, de regul. iur. in 6.* & benè declarãt *Farinac. & Tusch. locis supra cit.*

Quartò limitatur; quando legatario, seu fideicommissario fuit tributa potestas à Testatore capiendi legatum, seu fideicommissum propria auctoritate: nam tunc citra culpam, & pœnam id agerent, vt de fideicommissario est *tex. in d. l. Paulus, ff. ad Trebell. l. Titia, §. Lucius Titius, ff de legat. 2. & Surd. decis. 333.* cum alijs, quos allegat.

8 Quintò limitatur, vt dicta conclusio locum sibi non vendicet in legato ad pias causas; quia potest propria auctoritate à legatario fauore piæ causæ, vt habetur ex *Tiraq. de priuil. pia causa, priuil. 26. & 45. Farin. loco cit. num. 336. & seq.* & ex alijs apud *Molfes. d. tr. 13. cap. 5. n. 119.*

Sextò limitatur, vt quamuis fideicommissarij, & legatarij capientes sibi legata, & fideicõmissa propria auctoritate cadant in commissum; non tamen cadunt ipso iure; sed exigitur sententia Iudicis, præmissa petitione hæredis, qui posset iuri suo renunciare, vt per *Farinac. d. q. 175. nu. 350. & Tusch. ver. Legatarius, concl. 151. & 152.* & propterea legatarij, & fideicommissarij ante sententiam possunt legata, & fideicommissa citra culpam retinere.

9 Dico

9 Dico quintò peccare legatarios, quibus legata est optio alicuius rei, si eligant meliorem: siquidem optio cen etur à Testatore legata arbitrio boni viri, vt scilicet non eligat meliorem; sed mediocrem: quoniam sicut hæres non potest eligere deteriorem, sed mediā, ita & legatarius; vt in §. *optionis, in Instit. de legat.* Est tamen verum, quòd sententia magis recepta est, vt legatarius possit eligere meliorem, dum expressè habet optionem à Testatore: & tunc eligit mediocrem quando non est ei legata optio, vt *in l. legato generaliter, ff. de legat. 1. Glosa in l. fin. §. 1. ver. Ex seruis*, vbi etiam *Cyn. Bald. Ias.* & alij, *C. commun. de legat. & Fab. in d. §. optionis.*

10 Dico sextò peccare legatarios legata relicta ad certum vsum, in alium commutantes, vt in *Clem. quia contingit*, & ibi *Cardin. & alij, de Religios. domib.* Etenim voluntas Testatoris pro lege seruanda est, § *disponat, auth. de nupt.*

Ampliatur hæc conclusio primò, vt locum habeat, etiam si legatarius Testatoris voluntatē cōmutaret in melius, vt post alios probat *Molfes d. cap. 5. num. 182.*

11 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt vera sit quoad omnia legata, non solùm pia, vt in *d. Clem. quia contingit*; sed etiam si pia non sint, vt in *l. 1. & l. legatum, ff. de admin. rer. ad Ciuit. pertin.* Etenim citra iniquitatem non potest quis commutare voluntatem defuncti, & bona ipsius contra eiusdem voluntatem possidere, vt in *cap. conquestus, de foro compet.*

12 Tertiò ampliatur, vt legatarius non possit legatum ad certum vsum mutare in alium non solùm in facto, sed nec etiam in modo, nec in loco. Vndè si Testator leget, Monasterium construi in tali loco, quod contineat tot cellas sub tali forma construendas; Monasterium non potest construi in alio loco, vel in definito loco cū cellis sub alio modo, seu forma ædificandis, arg. *tex in cap. Pisanis, de restit. spoliat. Syl. in sum. ver. Legatum, 4. sub q. 11.*

13 Quartò ampliatur, vt legatum in vnum vsum factum, non possit conuerti in alium, siue possit impleri de iure, & de facto, vt si legatum sit Monasterium construendum in tali Diœcesi, & cōcurrat illius Diœcesis Episcopi consensus, atque ideò de iure potest, vt *in cap nemo, de consecr. d. 1.* Et impleri potest de facto; eo quòd parata sunt omnia necessaria ad ipsum Monasterium construendum, nec est, qui aduersetur, vt in *cap. nos. de testam. & l. 1. ff. de admin. rei ad Ciuit. pertin. & l. nulli, C. de Episc. & Cler.* quo casu si per legatarium non adimpleatur legatum iuxta Testatoris dispositionem, reuertitur ad hæredē, si legatum non sit ad opus pium, vt in *cap. cùm dilecti, de donat. & cap. verum, de condit. apposit.* Dixi, *Si legatum non sit ad opus pium*, quia si esset ad pias causas, secus est dicendum, vt infra dicemus. Siue legatum possit impleri de facto, sed non de iure, vt quia factum est ad finem inhonestum; atque ideò fuerunt legata mille ad faciendum ludum teatralem in Ecclesia, qui de iure est illicitus, ut in *cap. cum decorem, de vita, & honest. Cler.* quo casu legatum esset inutile per ea, quæ habentur per *Glos. in l. 1. ff. de condit. instit. & Tab. in sum. ver Legatum, 2. § decimò, num. 11.* Idem dicendum est si legatum non possit impleri de iure; quia ius prohibet, *l. legatum Ciuitati, ff. de vsufr. leg.* Non tamen hoc legatum est inutile, ut infra dicetur. Siuè legatum possit impleri de iure; uerùm non potest impleri de facto. Vt cum quis legauerit mille pro construēda Ecclesia in tali loco, ubi propter bella non potest ædificari, arg. *tex. in cap. significatus de rescr.*

14 Sic ampliata limitatur primò hæc eadem cōclusio, ut legatum ad unum usum factum, possit commutari in alium usum auctoritate Principis; ità ut si legatum non sit ad pias causas, possit commutari per Principem sæcularem, ut in *l legatum Ciuitati, ff. de vsufr. leg. & l. legatum, ff. de admin. r ~. ad Ciuit. pert.* Si uerò legatum sit pium, per Rom. Pontificem: siue adsit commutandi causa, siue non adsit, saltem quoad ualiditatem commutationis, ut quia legatum impleri possit de iure, & de facto, & nihil apparet, in quod sit bonum mutare, ut in *d. l. legatum, & d. Clem. quia cōtingit*, & ibi *DD. de Relig. dom. Syl. in sum. ver. Legatum, 4. q. 10. in princ. Tusc. ver. Legata pia, concl 113. cum seq. Couar. in cap nos quidem, de testam. Mol. tomo 2. de iust. & iure, disp. 249 & Vasq. cap. 8. de testam.* Et id etiam sine consensu hæredum propter supremam Principis in hoc potestatem, ut habetur per *Tusch. ver. Legata pia, concl. 114.* & alios apud *Molfes p. 2. sua sum. tr. 13. cap. 5. num. 182. & 184.* Dixi, *Saltem quoad validitatem commutationis.* quia si nulla adsit commutationis causa, tunc puto, quòd estò quòd firma, & ualida sit commutatio; nihilominus citra culpā à Principe non fiet: siquidem iniquum est, uoluntatem defuncti citra irrationabilem causam commutare, ut in *cap. conquestus, de for. comp.* cum alijs cumulatis ex eodem *Molfes. d. cap. 5. sub num. 182.* & ante ipsum *Syl. ver. Legatum, 5. q. 10 circa med.*

15 Secundò limitatur prædicta conclusio, ut ita demum citra culpam commutari non possit legatum factum ad certum usum in alium, quando nulla adest iusta, ac rationabilis causa, vt sup. ostendimus: aliàs si iusta adsit causa, sicut per inferiores à Principe legata profana, ad opus pium non facta commutari possunt, vt in *d. l. legatum*, & ibi *Glos. & Bart ff. de adm rer. ad Ciuit. pert.* ita etiam per inferiorem à Papa; atque ideò à Diœcesano commutari possunt legata pia in alium vsum, & valida erit commutatio, etiam si de iure, & de facto impleri possunt, vt habetur ex *Syl. loc. cit. Tab. ver. Legatum, 2.* & ex alijs, quod ampliat ipse *Syl.* ibidem post alios, etiam si dubitetur, an causa commutandi voluntatem defuncti sit legitima ex parte rei: nam adhuc per Diœcesanum commutari potest. Est tamen verum, quòd prædicta limitatio multipliciter sublimitatur; primò id verum esse, nisi Testator disposuisset de legato, vsu non impleto; quoniā tunc non posset per Diœcesanum saltem fieri cōmutatio in alium vsum, quàm ab ipso Testatore præscriptum, vt habetur per *Bart. in l. liberto, § Lucius*, per illum *tex. ff. de ann. legat. Syl. & Tab. locis cit.* Secundò sublimitatur, vt tunc per Diœcesanum possit fieri ex causa commutatio

legari

legati in alium vsum, quando commutatio fit in opus eiusdem speciei, vt in *l. legatum, ff. de ann. legat. & d. l. legatum, ff. de adm. rer. ad Ciuit. pertin.* Secus autem si commutatio fieret in opus alterius speciei; quia tunc Diœcesani dispensatio satis non esset; sed dispensatio tunc pertineret ad Rom. Pontificem, vt *in cap. nos quidem, de testam. Syl. d. ver. Legatum, 4. q. 13. Tusch. ver. Legata pia, concl. 114. Felin. in cap. super his, de accusat. Vasq. de testam. cap. 8. nu. 104. & Molfes. d. cap. 5. num. 184.* Tertiò sublimitatur, vt cõmutatio legati in alium vsum per Diœcesanum fieri tantùm possit, vbi legatum factum fuerit ad certum opus, nempè pro construenda Ecclesia, Cappella, Hospitali, Monasterio, &c. tunc enim si non potest adimpleri in opere iniuncto, commutatur in aliud simile, vt in *d. l. legatum, Anch. in d. Clem. quia contingit, de Relig. domib. Tusch. d. concl. 114.* cum alijs, quos allegat *Menoch. cons. 969. num. 6. lib. 10. Syl. loco cit. q. 12.* Sic etiam vbi legatum non posset licitè in illo opere specificè adimpleri, vt si per Testatorē disponatur, vt in proprio fundo erigatur Ecclesia, vel Monasterium, & ibi licitum non esset ædificare: nam tunc reijcitur illa conditio, & ædificium construi posset in alio loco decenti, iuxta arbitrium Diœcesani, vt habetur ex eodem *Syl. ibi q. 11. Tusch. loc. cit. num. 15. & seq. & concl. 115.*

16 At si legatum fiat contemplatione alicuius personæ, cui solui nequit, aliter est dicendum: quoniam tunc legatum efficeretur caducum, nec alia indigeret commutatione secundùm aliquos; atque ideò legatum non extenditur de una persona in aliam, cum electa fuerit industria personæ. Est tamen verum, quòd quouis modo legatum fieret caducum, non remaneret sine onere in hærede: & propterea etiam ad opus piū est expendendum; eò magis, quoniam legatum pium non fit caducum, vt probat *Vinc. de Franch. decis. 156. num. 3. Tiraq. de priuil. piæ causæ, priuil. 53 cum plurib. seq. Tusch. ver. Legata pia, concl. 109. & 110. & Molfes. contra Molin. d. cap. 5. num. 176. & 186.* vbi etiam *num. 187. cum plur. seq.* inquit post alios, quod vbi impossibile esset, vel illicitum exequi opus à Testatore iniunctum, tunc receditur à voluntate Testatoris irrationabili, & commutatur legatū in aliud opus licitum. Sublimitatur denique supradicta limitatio, vt ita demum fieri possit legati commutatio, vt supra per Diœcesanum si concurrat hæredis consensus: nam licèt commutatio legati facta à Rom. Pontifice nullum exigat hæredū consensum propter supremam, quam in hoc habet potestatem; nihilominus quando commutatio ab alijs inferioribus, hæredum consensus, & Ecclesiæ, cui legatum est, omninò exigitur; quādo scilicet nec de iure, nec de facto posset in forma specifica adimpleri, & quandocumq; ex causa legitima fieri debet commutatio, vt in *d. l. legatum, ff. de vsufr. leg.* & habetur ex *Syl. loc. cit. q. 13.* vbi etiam addit, quòd si Ecclesia, cui legatur consentit commutationi, hæredes verò dissentiunt, Episcopus debet potius Ecclesiæ, quàm hæredibus fauere, vt in *d. l. legatum*, quod tamen limitat in legato facto pro Monasterio ædificādo: nam huiusmodi legatum commutari nequit per Diœcesanum citra hæredis consensum, nisi hæres ipse fuerit negligens: nam hoc casu, elapso termino, posset Episcopus absque illius consensu, vt in *d. cap. nos quidem, de testam.*

17 Tertiò limitatur præfata conclusio, vt aliquādo commutari possint legata pia ex iusta, & rationabili causa, etiam per aliū, quàm per Rom. Pontificem, vel per Diœcesanum. Etenim non solùm Episcopi; sed etiam Abbates, & Generales Ordinum Missam perpetuam in participationem plurium Missarum, & reducere multiplicitatem Missarum ad illum numerum, pro quo respondet iustum stipendiū singulis Missis, &c. vt in *Conc. Trid. sess. 25. de refor. cap. 4.* Et de alijs similibus operibus habere ex priuilegio Apostolico Prælatos Religionum facultatem cōmutandi legata, ac relicta suis Ecclesijs, vt habetur ex *Rodriq. to. 2. qq. Regul. q. 115. ar. 9. Henr. lib. 1. de sacr. Missæ cap. 22. & Molfes. d. cap. 5. num. 291.* & latius *par. 1. eiusdem suæ sum. tr. 3. cap. 16. num. 29. & 30.* vbi addit, quòd non ob id fideles, qui pro eorum animabus legata fecerunt per huiusmodi Missarum reductionem, ac commutationem detrimentum aliquod patiuntur: siquidem quicquid satisfactionis in eo casu minuitur ijs, qui Missarum stipendia reliquerunt, eisdem applicat Summus Pontifex ex inexhausto Ecclesiæ Thesauro, cuius ipse S.P. est dispensator, vt rectè etiam declarat *Suar. tom. 3. in 3. par. D. Th. disp. 86. sec. 4.*

18 Cæterum licèt vera sint, attenta dispositione Conc. Trid. ea quæ sup. diximus; hodie tamen Missarum commutatio, moderatio, seu reductio soli Rom. Pontifici reseruatur per S. D. N. D. Vrbanum VIII. vt patet ex Decreto S. Congreg. Conc. *de celebr. Miss. edito sub die 21. Iunij* 1625. §. 1. cuius tenor est, qui sequitur. *Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoque modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formā fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.*

19 Dico septimò peccare legatarios nō restituētes debitā de iure falcidiā hæredi, qui per errorem ipsi legatario integrum legatum soluit, ea non detracta. Etenim quarta falcidia est hæredi debita ex legatis relictis, quando hæreditas est exhausta legatis, vt in *§. 1. in instit. de lege falc.* Deducitur etiam falcidia ex donatione causa mortis; quoniam est relictum particulare, vt in *l. 1. §. si quis ex mortis, ff. quor. legat.* Item detrahitur falcidia ex mortis causa capione, *l. pen. C. ad leg. falc.* Detrahitur quoq; falcidia ex donatione inter viuos, quæ morte confirmatur, vt est donatio inter virum, & vxorem; patrem, & filiū, dum est sine causa, *l. in donationibus, C. eod. tit.* Et denique falcidia deducitur ex fideicommissis particularibus; quia hodie per omnia exequata sunt legata fide commissis particularibus, ut in *l. 1. ff. de legat. 1.* Fuit autē introducta quarta falcidia à Falcidio tribuno plebis, *cap. quedam,*

d. 2.

d. 2. Nam cùm per legem 12. *tabul.* non debeberetur, ita statuentem, *Vti quisq; legasset de re sua, ita ius esto.* hæres videns hæreditatẽ exhaustam legatis, dum nihil lucri consequeretur, recusabat hæreditatem adire; atque ideò Testator intestatus decedebat, ut igitur tam Testatori, quàm hæredi consuleretur, fuit quarta falcidia introducta, vt in d. § 1. *in Instit. de lege falc.* Ad quam taxandã consideratur tempus mortis Testatoris, atque ideò prout tunc valent ipsius bona, ita taxatur falcidia, vt in §. *quantitas, in Instit. eod. tit.* & latè declarat *Mantica lib. 9 de coniect. vlt. volunt. tit.* 13. & quicquid iudicio Testatoris hæres habuit, ex cõputat sibi in quartam, *l. in quartam, ff. ad leg. falc.*

20 Differt autem falcidia à legitima, & à quarta Trebellianica in hoc, quòd falcidia est quarta portio hæreditatis, in qua includitur æs alienũ, vt in *d. l. in quartam, ff. ad leg. falcid.* Legitima est quota bonorum, in qua non includitur æs alienum, sed deducitur, deducto ære alieno, §. *quarta, in Instit. de inoffic. testam.* Trebellianica verò detrahitur ex fideicõmissis vniuersalibus, & legatis vniuersalibus, vt in *l. in testamento*, 2. & ibi *Glosa*, *C. de testam. milit.* & latè *Mant. lib. 7 de coniect. vlt. volunt. tit. 2. num. 6. & tit. 11. num. 2.* Est igitur verum, quòd si hæres per errorem soluerit legatario integrum legatum, non detracta debita sibi legitima, citra culpam non potest eam retinere; sed eandem omninò tenetur restituere.

21 Hæc conclusio limitatur, vt locum sibi vendicet, quando hæres soluendo integrum legatũ errauit in facto, credens in hæreditate remanere adhuc falcidiam: quoniam tunc, quia huiusmodi error omninò consensum excluderet, legatarius tam in foro externo, quàm in foro interno teneretur falcidiam restituere: secus autem si hæres soluendo integrum legatum errauerit in iure, vt quia sciebat in hæreditate falcidiam non remanere; sed ignorabat, se posse illam sibi retinere: nam hoc casu potest legatarius integrum legatum sine detractione falcidiæ sibi retinere. Etenim error iuris hoc casu est iniustus. Ita *Innoc. Io. Andr. Anton. de Butr. Anchar. & Panor. in cap. quia plerique, de immun. Eccles. Medina tom. 2 de reb. restit q. 23. col. antepen. vers. Inde patet fol. 184. & Scacc. de commerc. par. 2. §. 1. q. 7. num. 13. & 113. ampl. 19.* quamuis hoc secundo casu cum *Medina loc. cit.* dicam, quæ diximus procedere in foro fori dũtaxat: verùm quoad forum interius existimant, esse distinguendum, quòd aut Testator, qui legauit erat iuris peritus, vel aliàs sciebat ex legato detrahi falcidiã, & tunc legatarius, cui hæres soluit integrum legatum tenetur hæredi in foro conscientiæ falcidiam restituere; licèt in foro fori, si hæres soluerit per iuris ignorantiam non teneatur: quia voluntas Testatoris præsumitur talis, qualis est dispositio iuris, quam sciebat: siquidem de iure potest Testator ad sui libitum prohibere detractionem falcidiæ ex legatis, fideicommissis particularibus, donationibus causa mortis, &c. vt in *auth. Sed cùm testator, C. ad leg. falc.* Imò dum falcidia non est prohibita in multis casibus detrahi non potest, nempè ex legatis ad pias causas, vt in *auth. Similiter, C. eod. tit. Mant. d. tit. 13 num. 7. & Peregr. de fideicom. ar. 3. num. 62.*

Præterea falcidia prohibetur tacitè, quoties Testator legatario iniunxit, & nequeat rem legatã alienare, vt in *auth. Sed in ea, C. eod. Mant. loco cit. & Molfes. par. 2 suæ sum. tr. 13. cap. 5. num. 198.* vbi id ampliat etiam in testamento militis, *l. in testamento, C. ad l. falcid.* Vndè cùm Testator in casu, de quo agitur non prohibuit falcidię detractionem, quam prohibere potuisset, censetur concessisse hæredi, vt possit illam detrahere. Quod si Testator erat rusticus, seu aliter ignarus huius falcidiæ: & tunc si hæres integrum soluit legatum ex ignorantia iuris; legatarius falcidiam restituere non tenetur quoad vtrumque forum: quoniam eo casu voluntas Testatoris non præsumitur talis, qualis est dispositio iuris, cùm non potuerit velle id quod ignorauit. Ità *Scac. cum Mol. loc. cit.*

22 Dico octauò peccare legatarios non restituẽtes legatum ipsis factum à prodigo, cui interdicta fuit bonorum suorum administratio: siquidẽ prodigus, cui interdicta est bonorum suorum administratio, non potest nec inter viuos, nec in morte disponere, etiam si testaretur ad pias causas, vt per *Glos. in l. is cui bonis, ff. de testa. Tusc. ver. Testari, concl. 104 num. 14. & seq.* cũ alijs, quos allegat. Imò ex eius dispositione nec naturalis quidem oritur obligatio, vt per *Molfes. par. 2. suæ sum. tr. 12. cap. 4. num. 114. & tr. 13. cap. 2. num. 81.* ubi *num. 82.* id limitat, vbi prodigus ingrederetur Monasterium. Dixi, *Cui interdicta fuit bonorum suorum administratio.* quoniam si ei interdicta nõ sit administratio, potest contrahere tam inter viuos, quàm in morte, vt per Doctores supra cit.

23 Dico nonò peccare legatarios, relictos à Testatore tutores, repudiantes tutelam, & retinẽtes legata: Etenim præsumitur eis facta legata contemplatione tutelæ, ita vt tutelam eisdem non acceptantibus legata non debeantur, *l. Nessennius, ff. de excus. tutor.* latè *Molfes. tomo 1. ad Consuet. Neapo. par. 6. q. 11. sub num. 24. & par. 2. suæ sum. tr. 13. cap. 5. num. 209.* vbi reprobat opinionem quorundam id limitantium, vt non procedat, vbi legatarius, cui est relictum legatum, & tutela, esset consanguineus. Imò legatarius sicut non potest pro parte acceptare legatũ, & pro parte nõ, vbi legatũ est vnicũ, quia vnica est, & indiuidua voluntas defuncti, *l. eum qui pro parte, ff. de his, quib. vt indign.* ità etiam, quando plura sunt legata separabilia: licèt regulariter possit legatarius acceptare vnum, & aliud repudiare, vt in *l. legatarius, ff. de legat. 1.* Non tamen id potest, vbi impositum est onus in vno ex ipsis legatis: quoniam tunc legatarius nõ posset repudiare rem, in qua onus est annexum: quia contemplatione oneris censentur ei omnia legata relicta, vt habetur ex *Gratiano tom. 2. discept. forens. cap. 248. Surd. cons. 107. & decis. 88. num. 22 & Molfes. loc. cit. num. 207. cum plur. seq.*

24 Dico decimò peccare legatarios pro consecutione legati ad pias causas adeuntes Iudicem sæcularem: id enim citra iurisdictionis Ecclesiasticæ detrimentum, non agunt. Etenim legata, vbi essent profana, & hæres esset sæcularis pro solutione legati Iudex competens esset Iudex sæcularis, etiam si legatarius esset persona Ecclesiastica, & consanguineus Testatoris, seu ratione

sanguinis,non pro causa pia fuerit factum legatum,cùm actor sequatur forum rei, *cap.sanè, de foro comp.* nihilominus de iure executio legatorum piorum, spectat ad Episcopum loci,vt in §. *si quis autem pro redemptione, in auth.de Eccl. tit.Conar.in cap.tua nobis,de testam.Nauar.in sum.cap.17.num.117.Syl.ver. Legatum,1.q 15.* & Nos latiùs sup. *sec. praecedenti, vers. Quintò peccant haeredes, ampl.3.de peccatis haeredum tractantes,* ubi quomodo Episcopus etiã quoad executionem legatorum profanorum se intromittere possit, latiùs quoq; declarauimus. Verũ tamen est, quòd in nostro Regno Neapolitano ex conuentione facta inter Rom.Pontificem,& Regem Philippum II. s. m. fuit constitutum Tribunal Fabricæ SS. Apostolorum Petri, & Pauli de Vrbe: quod regitur per Iudicem Ecclesiasticum, & Consultores laicos, & ad illud spectat hodie executio legatorum ad piascausas, elapso anno,ut habetur ex *Rouito in prag. 1 de legat. pijs.* Quòd si in actu uisitationis Episcopus præuenirет in executione legatorum piorũ post annum à die mortis Testatoris, tunc tanquam Delegatus S.Apostolicæ,potest in eorum executione se intromittere, non obstante recursu ad S. A. ut *in Conc. Trid sess 22. cap. 10. & 11.* & ità in facti contingẽtia fuisse practicatum in Ciuitate Surrenti, testatur *Molfes. par. 1. sua sum.tr. 13 cap.5.num.203.* † Adde, quod propositio 43. est damnata ab Alex. VII. quæ ait: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos.*

De Fideicommissarijs, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

S E C. IV.

S V M M A R I V M.

1. *Per omnia legata exequata sunt fideicommissis. Et an fideicommissum fieri possit tum ex testamento,tum ab intestato.*
2. *Fideicommissum fieri potest tum expressè, tum tacitè, & quomodo.*
3. *Fideicommissum,aut est purum,aut sub condit. aut in diem. Et quando in vnoquoque dies cedat.*
4. *Peccant fideicommissarij, si propria authoritate fideicommissum capiant. Et an,& quando incidat in commissum.*
5. *Peccant fideicommissarij renunciantes fideicommissa in fraudem suorum creditorum.*
6. *Peccant fideicommissarij qui fideicommissum, ad certum vsum relictum in alium commutent.*
7. *Peccant fideicommissarij, Trebellianicam,aut falcidiam, haeredi debitam non restituentes.*

1 QVoad fideicommissarios plura faciunt,quę supra adnotauimus *sec. praecedenti*, de legatarijs agentes. Etenim per omnia legata exequata sunt fideicommissis,*l.1.ff de legat. 1.* nam sicut dantur legata vniuersalia, & particularia, quæ sunt donationes quædam à Defuncto relictæ ab hærede præstandæ, *l.legatum ff.de legat.* 2.*& §.legatum,in instit.de legat.* ita quoque dãtur fideicommissa vniuersalia,& particularia;atque ideò inter se confunduntur, vt habetur ex *Mantica de coniectur.vltim.volunt.lib.7. tit.2. & tit.11.* Vndè fideicommissum, vt colligitur ex *tex.in §.1.in instit.de fideicomm.hared.* dicitur libertas,qua alicui ex testamento,vel ab intestato per interpositam personam aliquid precario relinquitur: siquidem fide commissum non solũ ex testamento;sed etiam ab intestato fieri potest, vt in *§.praetereà, in inst. eod. tit.* atque ideò qui condit testamentum potest grauare suum hæredem,vt totam hæreditatem,vel partem illius,vel aliquam rem particularem restituat: Si vero quis testamentum non condat, potest facere codicillos; in quibus quamuis non possit directè, nec adimi hæreditas;sicut nec substitutio directa, ac tutoris datio, cùm hæc omnia sint dispositiones directæ, quæ ad testamentum pertinent, vt in §. *codicillis,in instit.de codicill.l.2. C.eod.tit.* latè *Tusch. vers. Codicilli, concl.606.* nihilominus obliquè,& sic per fideicommissum hęreditas dari, & adimi potest. Possunt enim in codicillis grauari hæredes testamentarij, vel succedentes ab intestato restituere alteri hæreditatem, vel quotam ipsius,aut certam rem,vt in iuribus sup. citatis,& habetur etiam in *l.2. C. de legat.*

2 Hoc autem dupliciter fieri contingit expresѕè scilicet, & tacitè. Expresѕè, quando testator expressis verbis grauat hæredem successurum ex testamento,vel ab intestato, vt totam, vel partem hæreditatis, vel certam rem alteri restituat: vel quando testator vulgariter, pupillariter, vel per fideicommissum fecit alteri substitutionem, vt in *d. l. 2. C.de legat. Bart. in l. Centurio ff de vulg.& pupill. substit.* latè *Peregr.ar.1.de fideicommiss.* Tacitè verò fideicommissum censetur factum ex coniectura ta mẽte testatoris, vt si pręcipiat bona sua conseruari in familia,aut vocauit masculos,exclusis fœminis,&c. *Glosa in leg. quoties,C.de fideicomm.Peregr eod.tit.ar.12.& seq.& Bald.consf.198.* Præterea tacitè dicitur fieri fideicommissum, quando simpliciter prohibet alienationem bonorum suorum,iuxta ea,quę habentur in *l filius familias,§.Diui, ff de legat.* 1.& latissimè *Peregrin de fideicomm.ar.40.* De-

3 nique fideicommissum diuiditur in parum, & sub conditione, ac in diem Prioris fideicommissi statim mortuo testatore, cedit dies, & cogi potest hæres adire hæreditatem,& restituere, vt habetur ex *Glosa in l vnica, vers.Derelictis, C.de his, quib. ante aper.tab.* Et si fideicommissarius moriatur,etiam ante aditam hæreditatem, fideicommissum ad suos hæredes transmittit, *l. haeredes mei, §.cùm ita,* & ibi, *Glosa in vers. Suscepisset, ff. ad Trebell.* Posterioris verò fideicommissi ante conditionis aduentum non cedit dies, vt ex communi habetur per *Glos.in d.l.vnica, vers.Derelictis,& Peregr.de fideicommiss. ar.5. num.7.* Et si fideicommissarius moriatur ante conditionis aduentum, & fideicommissum respiceret commodum fideicommissarij, regulariter extinguitur; nisi illud fideicommissum debeatur loco legitimæ, vt est paragium legatum filiabus,vt rectè declarat *Molfes tom.1.ad Consuetud.Neap.par.4.q.15.& par.2.sua summ. tr. 13.cap.5.num.52.* In diem denique constituitur fideicommissum, quoties hæres grauatur hære-

di-

ditatem restituere post certum tempus; quoniam tunc hæres facit fructus suos donec adueniat tēpus, vt in § *restituta, in instit. de fideicomm. hæred.* & latè *Molfes. d. tr. 13 cap. 4. à num. 22. vsq; ad num.* 27. Est tamen verum, quod huiusmodi fideicommissum transmittitur, si ante diem fideicommissarius moriatur, quia habetur, ac si purum esset. His breuiter sic constitutis.

4 Dico primò peccare fideicommissarios si propria auctoritate fideicommissum recipiant: & insuper in commissum incidunt, quod amplia, & limita, sicut supra diximus de legatarijs, *sec. præcedenti, dicto* 4. propria auctoritate legata capientibus.

5 Dico secundò peccare fideicommissarios fideicommissa renunciantes in fraudem eorum creditorum, iuxta ea, quæ supra adnotauimus de hæredibus, & legatarijs, *sec. 2. vers. Peccant primò, & sec. 3. dicto* 1. hæreditatem, & legata renūciantibus, seu non acceptantibus in fraudem creditorum.

6 Dico tertiò peccare fideicommissarios, si fideicommissum relictum ad certum vsum commutent in alium: quod amplia, & limita, iuxta ea, quæ supra cumulauimus *d. sec. 3. dicto* 6. de legatarijs tractantes, qui legatum relictum ad certum vsum in alium commutant.

7 Dico quartò peccare fideicommissarios non restituentes quartam Trebellianicam, aut falcidiam hæredi debitam, qui per errorem ipsis fideicommissarijs integra fideicommissa restituerunt, iuxta ea, quæ supra diximus de legatarijs *d. sec. 3. dicto* 7. cum suis limitationibus, cùm legata per omnia exequentur fideicommissis, *l. 1. ff. de legat.* 1. Vndè peccant fideicommissarij in omnibus alijs casibus, in quibus supra probauimus peccare legatarios.

De executoribus testamentorum, & eorum culpis à discreto, & cauto Cōfessario explorandis. SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Testamenti executor quis nam dicatur?*
2 *Testamenti executor vnus legitimus, alter verò testamentarius dicitur.*
3 *Testamentarius executor, vel est vniuersalis, vel particularis.*
Et quisnam dicatur vniuersalis.
4 *Peccant testamenti executores, si à testatore nominati, tale officium citra causam rationabilem non accepient.*
5 *Oppositam sententiam defendit* P. Diana, *& qua ratione.*
6 *Testamentarius executor, si pòst munus susceptum, citra legitimam causam ab eo se abdicare velit, non poterit citra culpam.*
7 *Peccant executores testamentarij, si intra præfinitum à testatore tempus legata non soluant, suamque voluntatem non adimpleant.*
8 *Peccant quoque si legata facta nullo præfinito tempore statim non soluant.*
9 *An, & quando teneantur ad interesse.*
10 *Peccant executores, si legata relicta à testatore, vt pauperibus erogentur proprijs vsibus applicent in totum, vel in partem.*
11 *Executor datus à testatore ad distribuendum in pias causas, vel in pauperes poterit dispensare legatum pro supplemento congruo dotis.*
12 *Exequutores testamentorum, quibus iniunctum est, vt legata distribuant inter puellas maritandas, an possint elargiri puellis, Religionem ingredientibus,*
13 *Probabilior sententia affirmat. Et probatur.*
14 *Testator si exequutori dederit aliquid distribuendum, cui videbitur, & placuerit, tenetur in pios vsus dispensare, quamuis non appareat de mente testatoris.*
15 *Peccant executores, distributionem differentes eleemosynarum, vt hæredi prosint, & melius vendantur res hæreditariæ.*
Refertur de quodam militis consanguineo, qui fuit à Dæmonibus captus, & in Infernum ductus, ex quo eleemosynam in proprios vsus cōuerterat.
16 *Peccant executores, si prius legata soluant, quā debita testatoris.*
17 *Peccant executores vltimarum voluntatum si regulares sint.*
18 *Si Monasterium vacet, & Regularis à proprio Superiore licentiam obtinere non possit, ab Episcopo loci obtinere debet.*
19 *Regulares munus executoris exercentes citra Superioris licentiam possunt acriter puniri.*
20 *Licet Regularis executoris munus absque Superioris licentia exercere nequeat, gesta tamē per ipsum de facto, valida erunt.*
21 *Superior Monasterij si fuerit relictus executor, citra alicuius licentiam poterit hoc munus exercere.*

1 AD huius rei explicationem est adnotādum, quòd testamenti executor is dicitur, qui nulla sibi retēta commoditate, nudum, &c. habet in distribuendo, iuxta ea, quæ habentur, *in l. executore,* & ibi *Bart. C. de execut. rei iud.* Vndè Testator committens aliquid conscientiæ alterius per verba denotantia arbitrium boni uiri, dicitur illum constituere executorem ad illum actum, vt post alios probat *Tusch. vers. Executor, concl.* 496. Non tamen diceretur executor, si ei relictum esset aliquid in confidentia, vt quantitatem relicti declaret, aut personas, seu loca, quibus soluendum sit, vt habetur ex *Panor. in c. nos quidem, num.* 12. *& alij de testam.*

2 Est autem testamenti executor in triplici differentia; nam quidam dicitur legitimus: quidam verò testamentarius; & quidam datiuus. Legitimus executor dicitur, qui de iure talis constituitur, qualis est Episcopus loci, quoad executionē Legatorum præsertim piorum, vt in *l. nulli, C. de Episc. & Cler.* & § *si quis autem pro redemptione, in auth. de Ecclesi. tit.* Et quamuis aliqui putent executionem dictorum legatorum piorū esse mixti fori, vt habetur ex *Tiraqnell. de priuileg. pia causa, priuil.* 149. *Mart. de iurisd. par. 2. cap. 11. num.* 14. & ex alijs, & id per tex. *in leg. hereditas, & d. l. nulli, C. de Episc. & Cler. & l. hereditas, §. fin. ff. de petit. hæred.* nihilominus dictorum Doctorum, & sequacium opinio procedit attento iure ciuili. At attento iure Canonico priuatiuè executio legatorum piorum solis

Episcopis commissa est, vt habetur ex *P. Diana par. 4. tr. 1. resol. 99. Bonaccin. de contr. disp. 3. q. 18. pun. 1. §. 10. num. 1. Spin. in spec. testam. glosa 28. num. 44.* quos pro sua affert idem *Diana loco citato*, & allegat *tex. in cap. tua, & cap. si hæredes de testam.* ac *Concil. Trid. sess. 7. cap. 15. & sess. 22. de reform. cap. 8.* Quibus adde, quòd id adeò verum est, vt etiam contradicente testatore, vel donatore loci Episcopus legatorum piorum sit legitimus executor, vt docet *P. Molfes. tom. 1. ad Consuetud. Neap. par. 3. q. 10. num. 10. & par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 5. num. 205.* & alij, quos ipse citat, moti ex eo, quod testator, & donatores non possūt facere quin leges seruentur in eorum dispositionibus, vt in *auth. licet testator, C. de Epis. & Cler.* Item executor legitimus legatorum maximè piorum est Capitulum, Sede vacante, vt inquit *Diuus Anton. 3. p. tit. 10. cap. 3. §. 9.* Et quamuis *Molfes. d. tr. 13. cap. 11. num. 16.* dicat, legitimum executorem legatorum, quæ pia non sunt, esse Iudicem Sæcularem; id tamen non est intelligendum priuatiuè quoad alios: siquidem executionem legatorum, quæ pia non sunt, esse mixti fori; atque ideò Episcopus, si præueniat posse in eorum executione se intromittere supra ostendimus, *sec. 2. vers. Quintò peccant, ampl. 3.*

3 Testamētarius autem executor est duplex, vniuersalis scilicet, & particularis: executor vniuersalis, qui est ad instar hæredis dicitur vniuersalis executor voluntatis Defuncti, *l. ita quod pauperibus, & l. si quis ad declinandam. C. de Episc. & Cler.* Non tamen is potest bona vendere habita fide de pretio, vt probat *Tusch. verf. Executores, conclus. 527. & 531.* Particularis verò executor appellatur is, qui specialiter fuit constitutus certarum rerum distributor à testatore, dubitante fortè de fide hæredis, vt in *l. alio hærede, ff. de alim. & cib. legat.* Executor denique datiuus datur à Iudice, vel ab Episcopo in locū eorum, qui renunciauerunt, si agatur maximè de legatis pijs, vt post alios *Tusch. verf. Executores, concl. 535. & Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. cap. 11. num. 30.* His breuiter sic adnotatis.

4 Dico primò peccare testamenti executores si à testatore nominati, tale officium citra rationabilem causam non acceptent, vt habetur ex *Spino in speculo testam. glosa 28. num. 18.* qui addit, huiusmodi peccatum esse mortale, & probat ex *Glos. in cap. sicut, 11. q. 1. verbo vsum*, & ibi, *Archid. Imola in cap. pastoralis, in princ.* vbi etiam *Felin. num. 6 de offic. de leg.* dum dicunt, peccare mortaliter sine causa non acceptantem officium arbitri; quando spes est, quòd partes ad concordiam reducat: siquidem is dicitur facere contra charitatem, cùm vnicuiq; mandauerit Deus de proximo suo, ergo idem dicendum est casū nostro, cùm militet eadem ratio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* quod maximè verū puto si alius executor non inueniatur idoneus, & executor testamentarius cognoscit se aptum ad eiusmodi munus exercendum, & valdè vtilem pro executione demandanda voluntate Defuncti, qui fortè dubitauerit de fidelitate, & sufficientia hæredis. Et multò magis vera est hæc conclusio, si testator aliquid ei legauerit, & ab eodem fuerit acceptatum legatum, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, *sec. 3. dicto nonò.*

Scio *P. Dianam* oppositam sententiam defendere *4 par. resol. moral. tr. 4. resolut. 162.* motum ex eo, quòd aliàs officium executoris testamentarij non esset voluntarium contra communem Doctorum opinionem. Sed re vera ratio concludit quoad forum exterius, vt non possit executor compelli ad subeundum tale munus: secus autem quoad forum internum, si alius maximè non reperiatur idoneus; quoniam tunc vrget præceptū charitatis. Etenim eleemosyna voluntaria est, quoad forum exterius, & tamen ex præcepto charitatis in multis casibus necessaria est, quoad forum interius. Quòd si alius executor reperiatur æquè idoneus, ac testamentarius, qui eiusmodi munus subire velit, tunc puto excusari à lethali culpa testamentarium ipsum si dictum munus nolit acceptare, quoniam tunc non vrget præceptum charitatis. Vnde cùm Episcopus sit executor, quando executor à testatore nominatus non vult acceptare huiusmodi munus, vel testator assignauerit eum, qui executor nequit esse, vel is obijt, vt habetur ex *Syl. verf. Testamentū, 2. q. 2. dicto 1. Armilla verf. Executor, num. 25. Anch. in cap. Religiosus, de testam. in 6. nu. 2.* & ex alijs relatis ab eodem *Diana loco citato*, si ipse Episcopus sit idoneus, vel saltem alium substituat æquè sufficientem, tunc puto executorem citra culpam saltem posse non acceptare tale munus, etiam si non habeat aliquam reluctandi causam.

6 Cæterùm si executor testamentarius post susceptum executoris munus velit à tali munere se abdicare citra legitimam causam, tunc citra culpam non poterit: imò in foro exteriori potest cōpelli ad perseuerandum, siue munus ipsum acceptauerit expressè, siue tacitè, vt in *cap. Ioannes de testam.* late *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 3. §. 9.* vbi plura de executoribus vltimarum voluntatum tractat, & præsertim probat executores datiuos posse à Iudice compelli ad acceptādum munus, nec possunt renunciare, nisi legitima subsistente causa: & idem ait de executoribus legitimis, de quibus supra diximus.

7 Dico secundò peccare executores testamentarios legata non soluentes, & Defuncti voluntatē non adimplentes infra tempus ab eo præfinitum, cùm ad id de iure teneātur, vt in *cap. nos quidem*, & ibi, *Panor. & alij, de testam.* Est tamen verum quòd quamuis testator aliquid fieri, vel dari mādet infra aliquod tempus à die mortis suæ computandum; computatio tamen fieri debet non tātùm à die mortis; sed etiam à die scientiæ, aditionis hæreditatis, vt in *l. statu liberos, §. si quis hæredi, ff. de stat. liber. & l. fin. § si autem dubius*, & ibi, *Glosa, C. de iure deliber.*

8 Dico tertiò peccare executores si legata facta, nullo præfinito tempore, statim non soluant: siquidem dominium illorum statim adita hæreditate transit in legatarium, *l. si tibi homo, § cùm seruus ff. de legat. 1.* Et licèt executores in foro externo habeant annum ad exequendum testamentum; id tamen non procedit in foro consciētiæ; atque ideò executores, & hæredes si cū possint, differant notabiliter soluere debita, & legata Defuncti peccant mortaliter, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 25. num. 65. Petro Nauarr. de restit lib. 3. cap. 4 num. 165.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Diana par. 4. resol. moral. tr. 4 resol. 162.* Imò executores etiam ante dictum tem-

tempus possunt cogi à Iudice in foro exteriori ad præstanda legata; & ad adimplendam Defuncti voluntatem per subtractionem alimenti: vel per censuras Ecclesiasticas à Diœcesano si legata maximè sint pia, vel per pœnam arbitrariã, vt post *Specul.* habetur ex *D. Anton. par. 3. tit. 10. cap. 3. § 9.* & nos latè supra ostendimus *sec. 2. vers. Quintò peccant*, de hæredibus agentes. Et insuper tenentur ad damni, & interesse restitutionem legatarijs, & alijs quibuscunque obuenti ex eo, quòd negligenter se gesserint, aut dolosè se habuerint in exercendo executoris officium. Etenim omnis administrator aliorum bonorum tenetur fideliter munus suum adimplere; & si dolo, vel negligenter in administratione se habeat, tenetur ad interesse, vt supra adnotauimus *disp. 21. sec. 5. dicto 6. & 7.* de tutore, & curatore tractantes. Et insuper possunt executores eiusmodi tanquam suspecti remoueri, sicut diximus de tutoribus, & curatoribus *d. sec. 5.* & habetur ex *Castro cons. 92 num 2. & cons. 332. num. 3. lib. 1.* & latè *Molfes. par. 2. suæ sum. tr. 13 num 31. &*

9 *39.* cum alijs, quos allegat. Non tamen tenentur ad interesse; nisi post sex menses, quoad legata ad pias causas, vt in *§. si autem legatum in auth. de Eccles. titulis:* & idem dicendum est à fortiori in legatis non pijs, vt per *Syl. in summ. versic. Testamentum, 2. q 6.* imò quamuis hæres si per annum à die monitionis per Iudicem, non impleat voluntatem Defuncti, quoad legata satisfacienda, possit priuari hæreditate, iuxta ea, quæ supra cumulauimus *d. sec 2. vers. Quintò peccãt, ampl. 2.* & succedet substitutus, aut accrescet cohæredibus, vt in *auth. hoc amplius. C. de fideic.* nihilominus si ex defectu executorum legata nõ soluantur, non priuatur hæres hæreditate, sed executores cogi possunt, vt supra diximus *dict. ampl. 2.*

10 Dico quartò peccare executores legata relicta à testatore eroganda in beneficium pauperum, proprijs vsibus applicantes, & in propriam vtilitatem in totum, vel pro parte conuertentes. Etenim executor; estò quòd sit pauper; semper tamen dicit ordinem ad alios, vt in *l. si mandauero, §. si tibi centum ff. mand. & Syl. in summ. ver. Eleemosyna, q. 2. in fine.* Et eo magis, quia præsumitur testator executorem omninò excludere à dicto legato, si aliter non constet de eius voluntate. Verum tamen est, quòd si executor consanguineos, & filios habeat pauperes, poterit eiusmodi legata in eorum vtilitatem conuertere, vt in *cap. probanda, 86. d. Valenz. cons. 98. num. 11. & seq. Syl. loco citato. & in vers. Testamentum 2. q. 7. Graff lib. 1. decis. par. 1. cap. 26. num. 23. & Molfes. par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 11. nu. 37.* Et quamuis executor eo casu de iure ciuili nihil erogare possit in filium spurium Defuncti; etiam si datum sit executori arbitrium dispensandi, cũ nec per se, nec per alium capere possit, *l. si pater, ff de vulg. & pupill. substit.* nihilominus de æquitate Canonica id potest, cùm de iure Canonico pater teneatur spurium alere, *cap. cũ haberet, de eo, qui dux. in matr. & c. Bald. cons. 95. Sylu. & Graff. locis citatis.*

11 Imò si executor datus sit à testatore ad distribuendum in pias causas, vel in pauperes, poterit legatum dispensare pro supplemento congruæ dotis, vt possit puella congruenter, iuxta eius conditionem matrimonio collocari: siquidem pia causa dicitur causa dotis: & non dicitur posse nubere, quæ secundum decentiam sui status honestè nubere non potest, arg. *tex. in l. plenum. §. equitij, ff de vsu, & habit. l. nepos Proculo. ff. de verb. signif Bald. in tr. de dote, col. 4. in fine, & in l post mortem, col pen. C. de fideic. & Graff. d. c. 26. num. 20.* vbi etiam *num 21.* ex eodem *Baldo in l. si quis ad declinandum, col. 3. vers. Circa tertium, C. de Episc. & Cler.* id ampliat in nobile, qui licèt alimenta habeat; attamen decentiã status conseruare non valet; quoniam tunc executor potest legata relicta ad distribuendum in pias causas, vel in pauperes distribuere huiusmodi nobili in totum, vel pro parte secundum decentiam status, & iuxta boni viri arbitrium: nam is inter pauperes connumeratur: & in pari paupertatis causa, præcipuè subueniendum est Nobilibus, *cap consideranda 86. d.*

12 Sed iuxta hæc quæro, an executores testamentorum, quibus onus iniunctum est distribuendi bona legata à testatore inter puellas maritandas, possint ea elargiri puellis intrantibus Religionem. In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est *Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 33. num. 52. Illephons. de Lara lib. 1. de Capel. cap. 21. nu. 26 Petri Cenedi, qq. Can. q. 35. num. 11.* & aliorum, docentium partem negatiuam, etiam si legatum fuerit factum puellæ determinatæ, vt patet etiam ex ijs, quæ supra adnotauimus *sec. 2. vers. Decimò peccant hæredes:* ibi, vndè ex hac ratione circa finem, vbi alios pro hac eadem opinione retulimus, & valdè probabilem eam existimamus, cùm testator loquatur de nuptijs carnalibus, non autem spiritualibus.

13 His tamen non obstantibus oppositam sententiam dicimus esse probabiliorem, quam tenent *Boer decis. 3. num. 13. Pontius de matrim. lib. 3. cap. 7. num 11.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana par. 5. resol moral tr. 14 resol. 35.* dicentes, quod siue legatum prædictũ fiat certis puellis, aut consanguineis, siuè fiat incertis absolutè, posse testamenti executores erogare legatum puellis Religionem intrantibus. Probant eorum sententiam ex *tex. in §. sed ex hac præsenti in auth. de Sanctiss. Episcop.* vbi apertè habetur, quod legato facto alicui si nuptias contrahat, si is Religionem ingrediatur legatum habebit, ac si nuptias contraxerit: & cùm dicta constitutio inducta sit ex mero fauore Religionis, & non ex præsumptione aliqua, ingrediens Religionem consequitur legatum, siue factum fuerit certis personis, siue in genere, ac incertis, cùm militer in vtroque casu eadem ratio. Et hanc sententiam testatur *Pontius loco citato*, communem fuisse inter Theologos Salmanticenses. Vndè *P. Diana* vbi supra, eandem posse practicari à nostris Præpositis domus nostræ Sancti Ioseph Panormi, in legatis distribuendis ratione hæreditatis Fabritij à Prepano, citra omnem scrupulum censet.

14 His omnibus adde, quod habetur ex *Syl. in summ. vers. Testamentum, 2.* docente, quod si testator executori dederit aliquid distribuendum, vbi ei videbitur, & placuerit, tenetur illud in pios vsus dispensare; quamuis id non appareat de mente testatoris, arg. *tex. in cap. cum tibi, de testam.* Etenim verbum illud, videbitur, & verbum,

bum, placuerit, referuntur ad arbitrium boni viri, vt in *l. tuis, §. sorore sua, & l. fideicommissa libertas, 2. ff. de fideicomm. legat.* bonus autem vir arbitrabitur, magis esse dispensandum in pios vsus, cùm magis expediat Defuncti animæ saluti, vt in *cap. conquestus, de foro compet.* atq; ideò ait, quòd si aliter fiet dispensatio, possit ab Episcopo reuocari.

15 Dico quintò peccare executores distributionem eleemosynarum differentes, vt hæredi prosint, & res hæreditariæ melius vendantur: siquidem quoad effectum eleemosynę Defunctus detrimentum patitur, si distribui differatur; non vt ex huiusmodi dilatione puniatur, vt aliàs diximus; sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, quibus plurimum iuuaretur. Est tamen verum, quòd si executor, aut hęres per modicum tempus eleemosynam dare differat, vt rebus Defuncti melius venditis ampliores eleemosynas dare possit, laudabiliter faciet, vt habetur ex *D. Thoma quodlib. 6. ar. 14. Syl. in summ. verf. Testamentum, 2. q. 1. D. Anton. 3. p. tit. 10. cap. 3. §. 12. P. Diana par. 4. resol. moral. tr. 4. resol. 162. circa fin. & Graff lib. 1. decis. par. 1. cap. 26. à num. 16. ad 26.* vbi in comprobationem eorum, quæ dicta sunt, refert historiam cuiusdam militis, qui in articulo mortis constitutus cuidam suo consanguineo præcepit, vt suum equum venderet, & pretium in beneficium Clericorum egenorum erogaret; cuius equi pretium cùm consanguineus ille in proprios vsus conuertisset, post triginta dies apparuit ei Defunctus, & dixit, scias, omnia mea crimina Deum mihi remisisse; sed quia iniustè eleemosynam meam retinuisti, per triginta dies in tartareis pęnis moras me intelligas fecisse: te autem in eundem locum infernalem, vndè egressus sum, die crastina scias transferendum, & me in Paradisũ euolaturum. Et ita euenit; nam sequenti die à Dęmonibus captus fuit. Discant igitur hæredes, & executores legata pia quàm citius satisfacere: siquidem eorum dilatio plus nocet Defuncto, quã dilatio satisfaciendi creditoribus Defuncti, aut restituendi malè ab eo ablata. Nam Defunctus, qui testamento præcepit hæredibus, vt sua debita creditoribus satisfaceret, si hæredes negligentes fuerint in satisfaciendo, vel ea non soluerint, non ob id detinebitur in Purgatorio: quoniam hæredum culpa non debet nocere Defuncto, & restitutio debiti non ordinatur ad expiandam pœnam sicut eleemosyna, vt rectè declarat *Syl.* post alios, & *D. Anton. locis citatis, & Graff. d. cap. 26. num. 15.*

16 Dico sextò peccare executores si prius legata soluant, quàm debita testatoris, dubitantes hæreditatem satis non esse pro satisfaciendis, tum legatis, tum etiam debitis: quod declara, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 5. §. 9.* & iuxta ea, quæ latè cumulauimus supra *sec 2. vers. Quartò peccant hæredes, vsque ad ver. Quintò peccant.*

17 Dico septimò peccare executores vltimarum volũtatum, si Regulares sint, & eiusmodi munus exerceant absque Superiorum licentia. Etenim Regulares quamuis possint de iure esse testamẽtorũ executores; nihilominus hoc munus exercere non valent citra eorum Superiorum licentiam, vt in *cap. tua nos,* & ibi, *Doctor. de testam. & cap. Religiosus, eod. tit. in 6.* Imò satis non est tacita licentia, sed omninò expostulatur expressa vt in *Clem. vnica,* & ibi, *Glosa, verf. Obtenta, de testam. Campeg. q. 81. de dote, num. 2. Paccin. tr. de visit. q. 52. num. 90. Dur. de arte testand. caut. 7. Galliaul. tr. de stat. q. 1. num. 7. & Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13. cap. 11. num. 23.*

18 Ampliatur primò dicta conclusio, vt adeò vera sit, vt si Monasterium vacet, & Regularis relictus executor non posset à proprio Superiore licentiam obtinere, ad eiusmodi munus subeundum, tunc debeat facultatem impetrare ab Episcopo loci, vt post alios probat *Molfes. loco citato:* quamuis casum istum dicat euenire non posse, cùm semper in Monasterio in absentiam Prælati Vicarius, vel alius Senior sufficiatur, qui Prælati vices exerceat.

19 Secundò ampliatur, vt Regulares executoris munus exercentes citra Superioris licẽtiam possint acriter puniri; etiam tanquam proprietarij: siquidem eiusmodi munus exerceri nequit citra pecuniæ contrectationem, vt in *Clem. exiui, §. verum, de verb. signific. Rodriq. tom. 3. qq. Regul. q. 72. ar. 1. Carmelit. de varijs Religiof. act. lib. p. 3. cap. 7. dub. 4.* Imò non desunt, qui velint, Fratribus Minoribus simpliciter esse interdictum executoris officium; etiam si Superioris licentia intercesserit, vt post alios probat *Tusch. versic. Executores, conclus. 538.* per *tex. in d. Clem. exiui, §. verum.* Sed contraria opinio est verior, quã docent *Rom. cons. 409. Tusch. vers. Executores, concl. 498. num. 6.* & alij apud *Molfes. d. cap. 11. num. 27.* qui *tex.* illum, & Doctores contrarium sentientes interpretantur loqui, vbi non concurrit Superioris licentia.

20 Sic ampliata limitatur eadem conclusio primò, vt licèt Regularis non possit esse executor vltimarum voluntatum citra Superioris consensum; nihilominus si de facto absque sui Prælati licentia tale munus exerceat, gesta per ipsum valida erunt, donec fuerit oppositum, vt habetur ex eodem *Rom. loco citato, num. 6. & cons. 235.* incipit, quoad primum, *num. 4. Tusch. d. concl. 498.* Et licèt nonnulli contrariam sententiam teneant, nempè *Syl. vers. Testamentum, 2. num 2. Couar in cap. tua nobis, nu. 1. de testam.* & alij, nihilominus Doctores ipsi intelligendi sunt, quando Superior expressè contradiceret: secus autem si tacita saltem sui Prælati licentia interueniret, vt declarat *Molfes. d. cap. 11. sub nu. 25.*

21 Secundò limitatur hæc eadem conclusio, vbi Superior Monasterij fuerit relictus executor; nempè Præpositus, Guardianus, Prior, &c. quia tunc poterit citra alicuius licentiam executoris munus exercere, nisi constitutiones ipsius Religionis oppositum disponerent. Etenim talis Superior, sicut eiusmodi facultates suis subditis potest impertiri; ita quoque citra omnem licentiã poterit tale munus exercere: siquidem quicquid potest Superior cum subditis, potest etiam circa se ipsum; licèt hæc regula non sit vera in omnibus, vt habetur ex *Castr. cons. 13. lib. 1. Tusch. vers. Executores, conclus. 538. & Molfes. loco citato, num. 28.* vbi etiam *num. 29.* probat Regulares quamuis exemptos, teneri rationem reddere coram ordinario loci, à quo possunt quoque puniri pro mala administratione, vt in *Clem. vnica, de testam.* quod tamen verum putat *Glosa* ibi,

ibi, quando expressè fuerit derogatum eorum exemptionis priuilegio; aliàs secus; sed à suis Prælatis essent compellendi ad rationem reddẽdam, & puniendi pro mala administratione, vt benè post alios inquit *Rodriq. tom. 3. qq. Regul. q. 70. ar. 5.* & ità seruari in praxi testatur idem *Melsel. ibidem.*

De Creditoribus, & Debitoribus, ac eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario, cum expediens sibi videbitur explorandis.

DISP. XXIV.

Hanc disputationem per duas Sectiones explicabimus, agentes primò de creditorum culpis, in quas incidere solent: & deindè de peccatis debitorum; ac omnia, & singula ad hãc rem pertinentia per conclusiones, & dubia absoluemus.

De Peccatis Creditorum, vt tales sunt. SEC. I.

SVMMARIVM.

1. *Peccant Creditores, seuerè se habentes contra debitores vltra quam par est, qui soluere non valent simpliciter.*
2. *Idque locum habet non solum in Creditore ex contractu, sed etiam ex vltima voluntate.*
3. *Peccant Creditores seuerè se habentes contra suos debitores ex contractu, vel delicto, qui licet non indigeant pro sui indiuidui conseruatione, indigent tamen pro conseruatione Status.*
4. *Multo minus potest creditor compellere suum debitorem, qui cessit bonis.*
5. *Potest Creditor suum compellere debitorem, quamuis indigentem pro conseruatione status, si ipse detrimentũ patiatur decentiæ proprij Status.*
6. *Si tam debitor, quàm Creditor reperiantur in extrema necessitate, an possit citra culpam suum debitorem compellere ad reddendum sibi debitum.*
7. *Si res debita Creditori maneat eadem numero apud debitorem, in pari extrema necessitate, præfertur Creditor ratione dominij.*
8. *In pari causa necessitatis melior est conditio possidentis.*
9. *Peccant Creditores, recusantes solutionem debiti recipere à suis debitoribus in alia pecunia, quam conuenta.*
10. *Hodie ex consuetudine communi tenetur Creditor solutionem recipere in alia pecunia, quã conuenta, quamuis differant in materia.*
11. *Hodie ex communi consuetudine tenetur Creditor solutionem debiti recipere in alia specie pecuniæ, quam conuenta, etiamsi conuenta moneta genus solutionis tempore reperiatur.*
12. *Ex vi talis consuetudinis tenetur Creditor solutionem debiti recipere in alia pecunia, quàm conuenta, quamuis obligatio sit de tali specie pecuniæ.*
13. *Idq; extenditur etiamsi solutio promittatur de pecunia imaginaria, puta de liris, vel de scutis de Marcha.*
14. *Non tenetur Creditor aliam pecuniam recipere pro conuenta, quando ex receptione pateretur damnum æquiualentis pecuniæ.*
15. *Quando dicatur damnum pati Creditor ex receptione alterius pecuniæ, quàm conuentæ.*
16. *Peccant Creditores exigentes pecuniæ diminutæ supplementum a suis debitoribus, in mora soluendi debitum non constitutis.*
17. *Morosus Creditor, quando dicatur.*
18. *Non solum peccant Creditores bis petentes debitum, sed etiam ad refectionem damnorum tenentur, & expensarum, atq; in crimen incidunt Stellionatus.*
19. *Peccat Creditor, si debitum illiquidum, vel etiam liquidum, quod de facili Iudicis authoritate consequi poterat, clam suscipit, & maximè si cum scandalo id agat.*
    Et quæ requirantur vt fieri possit compensatio in foro conscientiæ.
20. *Peccat Creditor si vtatur pignore, à suo debitore accepto, & furtum committit.*
21. *Creditor vtens pignore, non solùm furtum committit, sed etiam vsuram.*
22. *Creditor pignore vti non potest: nec fructus ab eo percipere, sed computare tenetur in sortem, fitq; computatio ipso iure.*
23. *Creditor computare tenetur in sortem non modo fructus ex pignore perceptos, sed etiam qui percipi poterant, & Creditor culpa sua non percepit.*
24. *Non potest Creditor cum suo debitore pacisci, vt debito non soluto infra tempus conuẽtum, pignus remaneat in dominio ipsius, Creditoris.*
25. *Limitantur hæc in contractu Antichresis, qui in Germania maximè frequentatur.*
    An contractus iste dicatur emptio, vel venditio rei traditæ in pignus.
26. *Antichresis, vt dicatur census consignatiuus, quidnam requiratur.*
27. *Dominus directus, si feudum accipit in pignus à proprio Vassallo potest fructus percipere, & suos facere.*
28. *Potest Creditor fructus percipere ex pignore ratione lucri cessantis, vel damni emergentis.*
29. *Nunquam potest Creditor damnum etiam formidatum pacisci, & quare.*
30. *Vendens alicui domum habita fide de pretio, accepto pignore, vel mutuans pecuniam spontè, vel coactè ante, vel post moram, pignusque recipiat, potest ex eo fructus percipere ratione lucri cessantis.*
31. *Licet Creditor pacisci non possit cum debitore, vt debito non soluto, pignus remaneat in dominio Creditoris, valet tamen pactum, si addatur: pro pretio æstimando per expertos.*
32. *Maritus si fundum in pignus acceperit, donec dos ei soluatur, potest fructus percipere, nec in sortem computare tenetur,* & n. 34.
    An possit maritus cum dotis promissore pacisci, de certa quantitate vltra sortem sibi soluẽda singulis annis, donec de dote sibi fuerit satisfactum.
33. *Vidua soluto matrimonio per mortem viri potest fructus ex pignore percipere, aut ab hæredibus viri*

viri emolumentum aliquod consequi loco alimentorum.

34 *Quot requirantur conditiones, vt maritus possit ex pignore fructus percipere.*

35 Tex. in cap. salubriter de vsur. *an intelligatur de contractu Antichresis, seu de contractu ad gaudendum.*

36 *Peccant Creditores vsurariorum, scienter recipientes in debiti satisfactionem res, quas ipsi vsurarij extorserunt, & res ipsas vsurarias tenentur restituere.*
Quid si acceperint bona fide, credentes esse propria vsurariorum.

37 *Peccant Creditores, solutionem recipientes in alio loco, quam conuento, inuitis debitoribus.*

38 *Creditor si instet sibi satisfieri in alio loco, quã conuento, & debitor reluctet, offerendo soluere in loco conuento, erit liber ab interesse.*

39 *Idq; non solùm locum habet, vbi locus est à partibus expressus, sed etiam quando tacitè censetur appositus ex natura contractus.*

40 *Peccat Creditor, nolens accipere debiti solunem in loco conuento, siue debitum sit in pecunia, siue in alia re.*

41 *Locus solutionis si sit appositus gratia Creditoris, potest Creditor suo fauori renunciare, & solutionem debiti petere, vbi de iure debetur.*

1 Peccant in primis Creditores vltra quàm par est seuerè se habentes contra suos debitores debita soluere non valentes simpliciter, vel citra magnam propriorum bonorum iacturam. Creditor enim qui talis est seruus nequam appellatur à Domino *Matth. cap.* 18 in illis verbis: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, non ne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum* Etenim quando debitor non est soluendo simpliciter: aut non potest creditoribus satisfacere, nisi cum notabiliter maiori damno sibi, suis, aut Reip. inferendo, quàm æstimari debeat commodũ ex debiti satisfactione creditoribus obuenturum; tunc differri potest ipsa debiti solutio quousque difficultas, vel impotentia cesset, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 57. *& seq. Petro Nauar. de restit. lib.* 4 *cap.* 4. *nu.* 40. & ex alijs quamplurimis, quos refert, & sequitur *Laym. lib.* 3. *sua sum. tr.* 3. *cap.* 12. *sub num.* 1, qui testatur hanc esse communem Doctorum sententiam.

2 Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat nõ solùm in creditore ex contractu, vel vltima voluntate; sed etiam ex delicto, nempè ex causa furti, vsurarum, &c. siquidem fur, & vsurarius si efficiantur non soluendo, excusantur à restitutione, vt quousq; fiunt potentes, vt in *cap.* 1. 14. *q.* 6. & post *D. Anton. Nauar. in sua sum d. cap.* 17. *sub num.* 57. *in fine*, vbi *num.* 58. rationem assignans, sic ait: *Quia quamuis hæc duo debita differant, quia in vnius origine peccatum est, & in alterius, non; quoad hunc effectum tamen, saltem in foro conscientiæ similia sunt: siquidem vtrumq; restituere tenetur, & in vtroque totalis impotentia omninò excusat: & sic in vtroque mediocris impotentia, mediocriter excusare debet, arg. de toto ad partem, l. qua de tota, ff. de re vendic. & cap. pastoralis, §. idem si totum, de offic. deleg.*

3 Secundò ampliatur, vt vera sit, atq; ideò creditores peccent seuerè se habentes contra suos debitores ex contractu, vel delicto, qui licèt non indigeant pro conseruatione indiuidui; indigent tamen pro conseruatione status. Etenim nihil refert ad excusationem ob impotentiam, licèt debita ex delicto contracta sint; modò status, dignitas, officium, aliudue bonum, cuius iacturam passurus est debitor, si debitum satisfaciat, iustè ipsi acquisitum fuerit, vt rectè declarat *Laym.* post alios *lib.* 3. *sua sum. theol. tr.* 2. *cap.* 12 *sub num.* 2. *vers. Porrò*, vbi exemplum affert de Duce belli, qui dignitatem sui status proprio valore, ac industria iustè acquisiuit: is enim post militiam adeptus quamuis multa debita ex latrocinijs, & furtis, ac ex alijs delictis contraxerit; nihilominus non tenetur ea restituere cum iactura sui status, ac dignitatis, quam militari industria sibi comparauit, graui familiæ dedecore, vel Reip. detrimento. Dixi, *Iustè ipsi acquisitum fuerit*, quoniam si dignitatem sui status debitor acquisierit iniustè, nempè ex vsuris, furtis, aut ex alijs iniustis lucris, tunc tenetur debita suo creditori reddere etiam cum iactura decentiæ proprij status, quem iniustè ex alienis bonis fuit adeptus, vt habetur ex *Caiet. in sum. ver. Restitutio, cap* 6. *Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 58. & ex alijs apud *Laym. loco cit. vers. Requiritur*, vbi tamen ex *Adriano* addit, quod si talis debitor multis debitis grauatus per partes paulatim restituere velit in commodum suorum creditorum, vt interim bona sua multiplicando, pluribus satisfacere possit, damnari non debet; dummodò damnum, quod ex dilatione solutionis, suis creditoribus resarciat. Imò quoad debita ex delicto, quę incerta sunt, & pauperibus veniunt restituenda, possunt applicari debitori pro conseruatione status indigenti, vel compositionem fieri cum S. Pontifice, vt per eundem *Layman. d. cap.* 12 *num.* 3. *&* 4.

4 Tertiò ampliatur eadem conclusio, vt creditor citra culpam compellere multò minus possit suũ debitorem, qui cessit bonis. Etenim debitor per bonorum voluntariam cessionem nõ potest pro debito carceribus mãcipari, vt *in l.* 1. *C. qui bon. ced. poss.* Et si post bonorum cessionem aliquid acquisierit, non potest conueniri, nisi in quãtum facere potest, seruatis ei alimentis necessarijs, secundùm statum, & qualitatem personę, vt in *l.* 4. *&* 6. *ff. de cess. bonor.* Siquidem per cessionem bonorum debitor non liberatur à reliquo debito: sed in vtroq; foro compellitur ad laborãdum, & ad acquirendum vndè soluat, quantum conditio, & personæ status permittit, vt *in d. l* 4. & quoad forum conscientiæ cum communi docet *Conar. lib.* 2. *var. resol. cap.* 1. *num.* 6 & alij apud *Laym. loco cit. num.* 5. *per totum*, vbi etiam probat, *vers. Illud vero*, quod Clerici debitores pro debito conueniri non possunt, nisi deducto ne egeant; licèt bonorum cessionem non faciant, vt in *cap. Odoardus, de solut.* vbi *Panor. & DD.* communiter.

5 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt creditor possit suum debitorem compellere ad soluẽdum sibi debitum, etiam si debitor indigeat pro conseruatione status, satisfaciens; si creditor etiã ob defectum solutionis debiti patiatur detrimẽtum decentiæ proprij status: siquidem in pari

causa

causa potior est conditio creditoris, vt ex communi dicit *Maior in 4. d. 15. q. 28. Nauar. in Man. cap 17. num. 59. & Laym. d. cap. 12. nu. 2.*

6 Sed iuxta hoc quæro quid dicendum, si tam debitor, quàm creditor reperiantur in extrema necessitate, an scilicet citra culpam possit creditor compellere suum debitorem ad reddendum sibi debitum? In hac re tres extant opiniones: Nam prima sententia est *Scoti in 4. q. 2. ar. 4. in resp. ad arg. Gabr. ibidem, q. 2. ar. 2. Richard. ar. 5. q. 4. Angelus, ver. Restitutio, num. 3. Syl. ver. Restitutio, 5. q. 2. Medina de restit. q 3. in causa 4. ad 4.* & aliorum, existimantium eo casu, creditorem esse præferendum, atq; ideò citra culpam posse compellere suum debitorem ad sibi reddendum, quod debet; maximè si rem abstulit tẽpore, quo ambo erant in extrema necessitate constituti: secus vero si ante; quoniam tunc res illi deberetur, qui primus in illam necessitatem deuenerit. Supponunt enim, quòd quando eodem tempore tam creditor, quàm debitor constituũtur in extrema necessitate, creditor rei suæ non amittit dominium, atq; ideò duobus concurrentibus, præfertur dominus, cum sit potior, arg. *tex. in l. quæritur, ff de stat. homin.*

7 *Lorca* verò 2. 2. *disp. 38. sec. 3. num. 11.* putat, quòd si res debita creditori manet eadem numero apud debitorem, in pari necessitate extrema, præfertur creditor, cùm sit rei dominus, non autem ipse debitor: siquidem in vero domino semper perseuerat ius præoccupationis; atq; ideò creditor citra omnem culpam eam potest sibi vendicare: & idem dicendum putat in mutuo, ac deposito. Quod si res illa confusa sit cum alijs bonis debitoris, ita vt secerni nequeat, & sic mixtione illius rei debitor efficiatur dominus, tũc præfertur debitor possessor in pari extremæ necessitatis articulo constitutus; quoniam Dominus est, potior in iure, & in possessione prior.

8 Tertia sententia, quæ nobis videtur verior, est *Palud. in 4. d. 15. q. 2. ar. 4. concl. 1. Sot. lib. 4. de iust. & iure, q. 7. ar. 1. ad 4. Caiet. 22. q. 62. ar. 5. ad 4. Less. lib. 2. cap. 16. dub. 1. num. 13. Vasq. opusc. de eleemos. cap. 1. num. 72. Turrian. 22. disp. 82. dub. 9. Hurtad. 22. disp. 159. sec. 3. § 69. & Laym. lib. 3. suæ sum. tr. 2. cap. 12. sub num. 2.* & aliorum, dicentium in pari causa necessitatis extremæ meliorem conditionem esse possidentis, atque ideò dicerent, eo casu non posse creditorem compellere debitorem ad sibi satisfaciendum de re debita, etiam ex delicto prouenta. Hanc opinionem probabiliorem sibi videri cẽset *P. Diana par. 5. resol. moral. tr. 8. resol. 9.* tum per rationem supra relatam; tum quia in tali necessitate omnia sunt, quoad vsum spectat, communia; quamuis res si eadem numero extet sit in dominio creditoris. Limitat tamen hanc conclusionem post *Azor. & Lorc.* nisi debitor rem furto, aut vi, & sic per rapinam rem à creditore in extrema necessitate constituto subtraxerit; siquidem licèt ipse in eadem necessitate reperiretur; tamen ad illius restitutionem potest compelli, quoniam est violentus, non legitimus rei possessor.

9 Dico secundò peccare creditores recusantes recipere à suis debitoribus solutionem debiti in alia pecunia, quàm conuenta. Etenim creditor debet esse contentus de satisfactione in quacunque alia pecunia æquiualenti, etiam si non sit speciei conuentæ, maximè si sit eiusdem materiæ, & ligæ: nam quamuis aliud pro alio, inuito creditore, solui non possit, vt *in l. Paulus, 99. ff. de solut.* nihilominus quando per debitorem fit solutio per æquiualentem monetam ex legis fictione dicitur idem solui, vt per *Bart. in d. l. Paulus, q. 2. num. 3.* Vndè quando solutio fit in moneta eiusdem materiæ, & ligæ potest moneta illa conuerti in monetam debitam, & sic non dicitur aliud pro alio solui, inuito creditore, cùm censeatur eadem moneta, vt per *Boss in suo tr. crim. tit. de monet. num. 2.* Siquidem in debito quantitatis potest vnum pro alio solui, iuxta *Glos. in l. 2. § mutui, ver. non potest, in fine, ff. si cert. petat. Alber Brun. tr. de mon in 2 præsupp. sub num. 1. vers. Aliqui tom. 12.* quos refert, & sequitur *Scac. de commerc. § 2. Glosa 5 sub nu. 102.* vbi testatur ita docere omnes loquentes de mutuo pecuniarum certæ speciei.

10 Ampliatur hæc conclusio, vt hodie ex communi consuetudine creditor teneatur recipere solutionem in alia pecunia, quàm conuenta, etiã si differat in materia; atque ideò si obligatio sit de moneta aurea, potest fieri solutio in pecunia argentea, vt habetur *Paulo Castr. in d. l. Paulus sub num. 1. ff. de sol.* & latè *Scac. loc. cit. nu. 104.* vbi addit, hanc esse vnam maximam in iure nostro, vt circa pecuniæ numerationem, seu solutionem attendi debeat consuetudo patriæ, & generalem esse consuetudinem totius mundi, vt vna pecunia soluatur pro alia: quam consuetudinem vbiq; ferè esse testantur *Glosa in l. si quis argentum, C. de donat. Boer. decis 227. col. 3. Caph cons. 31 num. 5. & 11. Soc. iun. cons. 145. num. 96. Cenc. de censib. par. 2. cap. 2. q 4. art. 4. num. 9.* quos nos retulimus, & secuti sumus in nostris *Comment. in extr. B. Pij V. de censib. § 3. q. 6. sub num. 48.* vbi etiam citauimus *Federic. de Mart. de iure cens cap. 5. num. 123.* dicentem ex vi consuetudinis compelli creditorem accipere pro auro conuento argentum, & pro maiori summa minorem; quamuis de iure debitor teneatur stare conuentioni: nec creditor cogi potest aliud monetarum genus accipere, vt *d. q. 6. num. 39 cum plur. seq.* ostendimus. Et quãuis dictam consuetudinem aliqui velint esse nullius momenti, vel saltem habere locum quando species monetæ conuentæ difficile reperitur, vt diximus *d. q. 6 sub num. 48 & 49.* nihilominus aliter esse dicendum infra ostendimus *ampl. seq.*

11 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt hodie ex communi consuetudine teneatur creditor recipere solutionem debiti in alia specie pecuniæ, quàm conuentæ, etiam si conuentæ monetę genus reperiatur tempore solutionis. Nã adhuc debitor potest debitum soluere in pecunia ęquiualenti, attenta præfata consuetudine; vt habetur per *Scac. loc. cit. nu. 106.* post alios, qui ampliationem hanc probat, tum quia Doctores ampliationem firmantes non distingunt, an moneta conuenta reperiatur, vel non reperiatur, tum etiã quia de iure quando moneta conuenta non reperitur, potest fieri solutio in alia moneta, nempè vsuali, ac currenti, & liberatur debitor, vt per *Bart. in d. l. Paulus, num. 6. ff. de solut.* habita tamen semper relatione ad æstimationem pecunię conuentæ, vt habetur ex *Curt. sen. in suo tr. de mon-*

mon.num.3.& sub num 4.verf.Quarit, tom.12. & ex alijs relatis per *Scac.vbi sup.nu.127.* Imò quando est facta conuentio de soluendo debito in certo, ac definito monetarum genere, licèt de iure standum sit conuentioni si dictum monetarum genus reperiatur tempore solutionis, vt sufficienter nos ostendimus *d.q.6. num.39.* nihilominus si tale monetæ genus reperiatur quidem solutionis tempore, sed non sine magna difficultate, tunc etiam de iure solutio fieri potest in alia moneta, iuxta tamen valorem antiquæ, & conuentæ; siquidem magna difficultas in moralibus habetur pro impossibilitate, *l. Iulianus, § fin.ff. de legat.1.Dec.in l.nemo potest facere in fine, ff. de regul.* & in terminis nostris *Cenc. d. ar. 4. num. 12.* quem retulimus vna cum *decis. Rota Rom. d.q 6. num.45.* Vndè sicut de iure potest in dictis casibus fieri solutio in alia moneta, quã conuenta; ita etiam ex vi consuetudinis potest eodẽ modo solui simpliciter, etiam extra dictos casus, vt censeatur aliquid operari.

12 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt cui talis consuetudinis creditor teneatur recipere solutionem debiti in alia pecunia, quàm conuenta, etiam si obligatio sit de tali specie pecuniæ, & nõ de alia; atque ideò debitor se obligauerit expressè soluere debitum in pecunia conuenta, & non in alia: ac pecunia conuenta non reperiatur tempore solutionis faciendæ; vel si reperiatur, id non sine magna difficultate contingeret: Siquidem si pecunia conuenta non reperiatur, solutio illius est impossibilis: & si reperiatur non sine magna difficultate, est etiam ipsa solutio moraliter impossibilis: quia magna difficultas in moralibus habetur pro impossibilitate, vt supra diximus: at ad impossibile nemo tenetur, arg. *tex. in cap. erit autem lex*, & ibi, *Glosa in verf. Possibilis, d.4. & Scacc. de commerc.§.2.glosa 5 num.128.* vbi *nu. 130.* id verum esse putat, etiam si promissio de restituendo, seu soluendo eandem speciem monetæ, & non aliam, esset iurata: siquidem iuramentum regulatur secundum naturam actus, super quo interponitur.

13 Quartò ampliatur cõclusio prædicta, vt extendatur, etiam si solutio promittatur de pecunia imaginaria, nempè de liris, seu libris, ac de scutis de Marcha, quæ non reperiantur in rerum natura, & solutio intelligitur de scutis aureis quinq; stamparum: siquidem vi consuetudinis liræ, seu libræ prædictæ soluuntur in alijs monetis, vt rectè declarat *Scacc. loco citato, nu.18.* & signanter Genuæ ex decreto Senatus Ian. scutum Marcharum soluitur in moneta argentea, vt diximus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb.§.1.q.27.num.16.*

14 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio; vt creditor non teneatur recipere aliam monetam pro conuenta, quando pateretur damnum ex receptione æquiualentis pecuniç, vt in *l.Paulus, 99. ff. de solut.* & rectè declarat *Scacc. d. glosa 5.num. 102.cum plur.seq.* vbi ex *Bruno*, & alijs ita putat esse intelligendam Consuetudinem, de qua agitur: & intelligendam esse *decis. Rotæ Rom.* & propterea *num.107.* inquit prælatam Consuetudinem esse ferè elusoriam, cùm creditor semper damnum quasi sentiat ex solutione in alia moneta, quam in moneta debita. Imò hanc consuetudinem nullius momenti esse quidam contendũt; quoniam acceptio illa in alia specie monetç, quã in conuenta, fuit introducta ex ciuilitate, & beneuolentia; atque ideò non est sufficiens ad inducendam consuetudinem; nam ex ijs, quæ dependent ex mera facultate non inducitur cõsuetudo, vt in specie ex *Federico Mart. de iure cens. cap.5.num 123.* adnotauimus, quamuis non fuerimus eos secuti in nostris *Commẽtar. in extrauag.B.Pij V. de camb.§.3.q.6.num.49.*

15 Dicitur autem damnum pati creditor ex receptione alterius pecuniæ, quam conuentæ, non ex eo, quia illa moneta sibi non placeat; sed ex eo quòd ex talis pecuniæ receptione patrimonij diminutionem patitur, vt per *Bart. in d. l. Paulus, sub num.3.ff.de solut.* quod quidem contingere potest vbi agatur de notabili quantitate pecuniç, & pro moneta breui cogeretur recipere longam, & ponderosam ab ipso creditore deferendam in longinquas partes: siquidem difficilius defertur longa, quàm breuis, & non citra expẽsas aliquas. Sic etiam creditor scutorum solis profecturus in Galliam non cogitur recipere ducatos; quia ducati in Gallia expenduntur pro minori valore, & non est tantùm interesse pro delatione dictorum scutorum, vt benè declarat *Scacc. loco citato, sub num.108.* vbi plura affert exempla, qui quidem licet ex eis, *in verf. Infero,* inferat, consuetudinẽ supradictam esse inanem; eo quòd semper creditor patitur damnum ex solutione debiti in alia pecunia, quam conuenta; nihilominus ego arbitrer non esse inanem; quia multi dantur casus, in quibus potest fieri solutio alterius monetæ, quã cõuentæ citra omne damnum creditoris. Etenim si pecunia conuenta sit aurea, & paucissimç quãtitatis, nihil interest creditoris quòd ei fiat in alia moneta saltem etiam, quòd aliò sit eam transmissurus: & si eam non aliò esset transmissurus, sed erogaturus in expensas quotidianas, idem dicendum, estò quòd agatur de mediocri pecuniarum quantitate. Sic etiam si obligatio pecuniæ conuentæ Florentiæ sit in ducatis Florentinis, & solutio fiat in testonis Florentinis, aut Romanis, nullum damnum dicitur subire creditor, maximè si eam non sit aliò translaturus; sed expensurus in eadem Ciuitate Florentiæ, in qua promissa est solutio. Idem dici potest in multis alijs casibus, vt considerandi patet: ergo consuetudo prædicta non est inanis ex eo, quòd semper patiur damnum creditor recipiendo pro pecunia conuenta aliam pecuniam: sed potius dicitur iuri communi conformis quando agitur de debito quantitatis, iuxta *Glos.in l 2.§.mutui, verf. Non potest.* Siquidem in debito quantitatis potest vnum pro alio solui secundum iura allegata per *Glos* ibi, vbi etiam addit, quòd quando debitum est speciei, non potest vnum pro alio solui de iure, inuito creditore, nisi iusta causa intercedat, ad quod allegat *tex. in l.fideicomm. §.si seruo ff de legat.3.*

Secundo limitatur dicta conclusio, vt vna species pecuniæ non possit solui pro alia conuẽta, quando debitor litem contestatus est super specie monetæ conuentæ, vt habetur ex eodem *Scacc.loco citato, num.143.* ad quod allegat *tex. in l.si quis stipulatus, ff.de solut.& num.144.* declarando dictam limitationem probat eam procedere, quando facultas soluendi in adiecto cõpetit ex dispositione hominis; secus autem si ex dif-

dispositione legis; quoniam tunc facultas durat etiam post litem contestatam, cum mitius agatur cum lege, quàm cum homine, vt per *Bart. & Paul. Castr. in d. l. si quis stipulatus.*

16 Dico tertiò peccare creditores exigentes pecuniæ diminutæ supplementum à suis debitoribus, in mora soluendi debitum non constitutis. Etenim quando debitor soluit in tempore, damnum pecuniæ debitæ, ac diminutæ pertinet ad creditorem; sicut ad eundem pertineret augmentum, si pecunia debita fuerit aucta, vt latè habetur ex *Sola tract. de monet. cas. 24. numer. 1. & seq.* & ex alijs apud *Scacc. de commerc. §. 2. glos. 5. num. 148.* Dixi: *A suis debitoribus, in mora soluendi debitum non constitutis*, quoniam debitores si fuerit in mora, tunc damnum diminutæ pecuniæ spectaret ad ipsos, non autem ad creditores, vt ex *Gabr.* & ex alijs docet idem *Scacc. loco citato sub num. 147. cum plurib. seq.* vbi *num. 153.* agens, è conuersò de mora creditoris in recipienda solutione pecuniæ sibi debitæ, & realiter congruis loco, & tempore oblatæ, concludit eiusmodi moram nocere creditori moroso: quia contra contumaces omnia iura clamant; atque ideò si valor, seu pretium scutorum quinque stamparum, qui sunt in obligatione creuerit post oblationem debiti à debitore factam, illud augmentum erat debitoris, ita vt si illud totum augmentum ascenderet ad duos scutos aureos stamparum, & debitum sit centū scutorum stamparum, debitor non tenetur soluere integros scutos centum, sed tantum nonaginta octo, & dicetur dare centum, attento valore temporis, quo erant soluendi, & fuerāt realiter oblati, vt habetur ex *Paul. Castr. in l. Paulus, sub nu. 4.* ibi, & è conuersò, *ff. de solut. Brun. de mon. lim. 1. num. 2. in fine, & num. 3.*

17 Regulariter autem hæc, quæ diximus de moroso creditore vera sunt, quando à debitore fuit facta realis pecuniæ conuentę oblatio suis loco, & tempore; secus autem si fuerit facta verbalis tantùm, quoniam hæc satis non esset, vt per *Anch. cons. 86 num. 3. Gabr. lib. 3. comm. concl. tit. de solut. concl. 8. num. 1.* quæ quidem realis oblatio debet fieri cum sacculo, & numeratione, vel saltem cum sacculo; aliàs non diceretur realis, vt habetur ex *Io. Bapt. Lupo, in l. 2. com. 2. §. 3. num. 3. C. de pact. inter empt. & vendit.* Imò oblatio facta in sacculo, aut marsupio nō iuuat, nisi pecunia ab eis extrahatur, & numeretur coram testibus, & deindè reponatur in sacculo, seu marsupio, & offeratur, vt rectè declarat *Scac. in suo de commerc. §. 2. Glosa 5. cum plurib. seq.* vbi etiam addit, quòd ad constituendum creditorem in mora vt supra, satis est aliquando sola conuentæ, seu debitę pecuniæ verbalis oblatio, vt si debitor solo verbo offerat creditori pecuniam debitā; & ille responderet nolle recipere: tunc enim constituitur in mora creditor, inquit *Gabr. loco cit.* à qua communi opinione putat non esse recedendum, vt sequitur *Scac. vbi sup num. 157.* vbi tamen, *num. 158.* id probat esse verum, quādo creditor, cui solo verbo offertur solutio, diceret expresśè, nolle eam recipere; secus autem si taceret; & insuper *n. 160. & 161.* addit, quòd oblatio realis, seu verbalis, de quibus agitur, licet possint nocere creditori quoad augmentum, & diminutionē valoris monetæ, seu alterius rei debitæ, & possint iuuare debitorem, ne contrahat moram, atque ideò ne incidat in pœnā, & ne teneatur ad interesse; nihilominus quoad interitum pecuniæ, seu rei debitæ, huiusmodi oblationes non iuuant ipsum debitorem, nisi vltra oblationes ipsas faciat depositum; aliàs si pecunia, aut res debita oblata pereat, non liberatur ipse debitor, vt *in l. acceptā, C. de vsur.* & alij apud eundem *Scac. vbi supra, & num. 162. cum plur. seq.* sufficienter hanc rem explicat.

18 Dico quartò nō solùm peccare creditores petentes bis debitum; sed etiam teneri ad refectionem damnorum, & expensarum: & insuper efficiuntur rei criminis stellionatus, iuxta ea, quæ habentur per *Maran. cons. 38. num 10.* Est tamen verum, quòd creditor nunquam prædicta pœna plectitur, nisi debitum bis petitum simul exigat, arg. *tex in l. Papinianus, §. meminisse ff. de inoffic. testam* latè *Rouit. in prag. Regni, prag. 7. sub tit. de fals.* qui testatur ita fuisse decisum: semper tamen venit priuandus iure suo, nisi per inaduertentiam debitum bis peteret: quod Iudicis arbitrio remittitur, vt habetur ex *Farin. in suis fragm. ver. Creditor petens debitum, num. 732. cum seq.* Imò non solum creditor peccat petendo bis debitum; sed petens plus debito, & potest puniri tanquam temerè litigator pœna pecuniaria, periurij, ac infamiæ, vt *in §. 1. & toto titulo in Instit. de pœna temerè litig.* Sed iuxta hoc quæro; an creditor peccet, petendo bis debitum à suo debitore ex vna causa, ad recuperandum aliud debitum ab eodem debitore ex alia causa, iniustè, ac scienter, & dolose sibi denegante: & quod aliter debitum ipsum recuperare nequeat, cùm non habeat nec testes, nec instrumenta, aut chirographa, quibus probare debitum possit. Hęc difficultas explicabitur ex ijs, quę dicemus dicto sequenti.

19 Dico quintò peccare creditorem si debitum illiquidum, aut liquidum, quod Iudicis auctoritate à suo debitore de facili consequi poterat, clam suscipiat: & eo maximè si citra scandalum id non agat. Etenim quamuis creditor possit debitum, aut loco debiti tantundem in valore de bonis debitoris clam suscipere citra culpam, & obligationem restituendi, vt *in l. si res, & l. si is qui rem, ff. de furt. & D. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 5. ad 3.* & hoc siue id, quod capit, sit viu consumptibile, siue non, vt contra *Panor. in cap. bona fides, de depos.* communiter *DD.* docent; nihilominus ad hoc, vt licitè fieri possit multæ conditiones exiguntur: quarum prima est, vt debitum sit liquidum, & certum: quocirca si debitum sit ambiguum, non potest illud creditor occultè accipere, cùm in dubijs melior sit conditio possidentis: & in foro conscientiæ illud debitum dicitur liquidum, quod est certum. Vndè *Gabr. in 4. d. 15. q. 4. ar. 2. concl. 2.* dum ait, quod liquidi ad non liquidum habet locum compensatio in foro conscientiæ, intelligitur de liquido, & illiquido propriè dictis: siquidem de iure debitū dicitur liquidum, quod adeò certum est, & euidenter apparet per publicas scripturas, vt illius non possit impediri executio: illiquidum verò nuncupatur, vel quod est incertum, vel licèt sit certum; non tamen habet executionem paratam: & de huiusmodi illiquido loquitur *Gabr.* fieri

posse compensationem in foro conscientiæ. Verum tamen est, quòd si dum creditor debitum accepit, si deindè efficiatur certus de debito, licèt peccauerit accipiendo; licitè tamen id sibi retinet, nec tenetur restituere, si aliæ concurrant conditiones, de quibus infra dicemus, vt benè declarat *Sayr. lib. 9. Clauis Reg c. 14. sub n. 7.* Secunda conditio est, vt debitum aliter compensari non possit, aut si possit, nō sine notabili iactura, & ad illud recuperandum, nihil prodesset petere à debitore; tunc enim licitum esset creditori clàm illud subtrahere; aliàs secus: quam cōditionem potissimam esse inter alias, ait *Sayr. loco cit. vers. Quarta conditio*, & in *vers. Quinta conditio.* Tertia conditio exigitur, vt debitum sit ex iustitia, nō autem ex charitate, aut ex gratitudine. Vndè qui alicui pauperi alimenta tribuit, non poterit ab illo si ad pinguiorem fortunam deuenerit, aliquid occultè in compensationem accipere, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 113. Cord. in sum. q. 3.* & latè declarat *Sayr. ibidem, sub num. 6.* vbi ad plura infert, & præsertim *illat. fin. ex Cord.* quem sequitur *Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1 par. 4 dub. 8. num. 396. & Martin. Nauar d. cap. 17. num. 114.* inquit, peccare illos, & ad restitutionem teneri, qui aliquid accipiunt clàm ratione pœnæ: quia pœna non debetur ante condemnationem. Quarta, quinta, & sexta conditiones sunt, vt creditor non plus accipiat, quàm sibi debetur ex iustitia: quòd citra scandalum id fiat: & quòd admoneat debitorem, vel eius hæredem iam debitum esse solutum.

His conditionibus non concurrentibus citra culpam non potest creditor pro debito clàm sibi satisfacere. Vndè ex dictis patet etiam quid dicendum sit ad difficultatem propositam in præcedenti dicto in fine. Respondemus creditorem citra culpam non posse petere bis debitum ex vna causa à debitore ex alia causa, denegante debitum: nam estò quòd eiusmodi creditor aliter non possit recuperare suū, nec plus petat, quàm sibi debetur ex iustitia: quod debitum sit certū, & quòd debitorem interpellauerit: nihilominus ob id petere bis debitum non potest fieri sine scandalo, ac mendacio; maximè si debitor possit probare debiti satisfactionem, atq; ideò à culpa non esset immunis. In omnem euentum, quia in vtroque casu supponimus debitum esse certū, ad accepti restitutionem huiusmodi creditores non tenerētur: nam quamuis illicita fuerit ablatio ex defectu alicuius ex dictis conditionibus; non tamen dicitur iniusta, cum re vera rem propriam acceperint, ad quam ex iustitia tenebatur debitor, & cui nullam iniuriam intulit ipse creditor, vt rectè declarat, & indè plura deducit idē *Sayr. loc. cit. num. 7. & 8.*

20 Dico sextò peccare creditorem pignore à suo debitore accepto vtentem: siquidem huiusmodi creditor furtum committit, vt *in l. si pignore in prin. ff de furt.* in illis verbis: *Si pignore creditor vtatur furti tenetur*; sic etiam furti reus est creditor si pignus vendat antequam debeat, vt *in l. si is qui, ff. eod.* ita se habente: *Si is, qui pignori rem accepit: cùm de vendendo pignore nihil cōuenisset, vendidit: aut antequam dies venditionis veniret, pecunia non soluta, id fecit, furti se obligat.*

21 Ampliatur hæc conclusio primò, vt non solùm furtum committat creditor vtens pignore sibi à suo debitore tradito, sed etiam in vsuræ crimen incidat, etiam si cum debitore conuenerit, vt vti illo valeat, & fructus ab eo percipere: siquidem id esset contra naturam pignoris; atq; ideò contractus esset vsurarius; quoniam paria sunt de pignoris fructibus pacisci, ac de vsuris præstandis, vt *in cap 1. de vsur.* Etenim qui fructus ex pignore percipit, perindè est ac si pecuniam sibi debitam debitori mutuasset, & ratione mutui palliati ex pignore fructus percepisset, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 78 ar. 2. Syl. in sum. ver. Pignus, q. 7.*

22 Secundò ampliatur, vt creditor non possit vti pignore, & fructus ab eo percipere, non computando in sortem, etiam si per longum tempus illud possederit, vt si Vassallus à Domino Castrū in pignus acceperit, & per longum tempus in eiusdem possessione permanserit: tunc enim creditor non potest fructus illius sibi facere, etiam si debitum debitor non obtulerit creditori; sed tenetur illos in sortem computare, quæ compēsatio fit ipso iure, etiam nemine opponente: & id ad euitandum vsuræ crimen, vt *in l. 1.* & ibi *Glosa, & Bald. C. de distr. pign. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 11. tit. 8. num. 3. cum seq. Reginald. lib. 25. sua prax. num. 503.* & alij apud *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12 cap. 18. num. 56.*

23 Tertiò ampliatur, vt creditor adeò pignore vti nō possit, vt teneatur fructus in sortem computare non solùm perceptos; sed etiam qui percipi potuerunt, & creditor culpa sua non percepit, vt *in l. creditor, C. de pignor. act. l. 2. C. de par. pignor. & omni caus. Surd. decis. 270. Syl. in sum. ver. pignus*, & alij, quos refert, & sequitur *Reginal. loc. cit. num. 594. & Molfes d. cap. 18. num. 57.*

24 Quartò ampliatur eadem conclusio, vt nec creditor pacisci possit cum suo debitore, vt debito non soluto infra tempus conuētum, pignus remaneat in dominio ipsius creditoris: siquidem eiusmodi pactum tanquam vsurarium à iure meritò reprobatur: eo quòd semper pignus maius est credito, vt *in cap. significante, de pignor. l. fin. C. de pac pig. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 2. num. 7. Nauar. in Man cap. 17. num. 203. Reginald. d. lib. 25. sua prax num 597. & Molfes. d. cap. 18 num. 66. vbi num. 68.* id ampliat verum esse, etiam si creditor conueniat, vt non facta sibi satisfactione intra certum tempus possit pignus retinere sibi in feudum, vel in emphyteusim; quoniam concessio in feudum, & in emphyteusim debet fieri liberè, & non prouenire ex causa pignoris: & huiusmodi pactum est legis commissoriæ, quod de iure reprobatur, vt est *tex. in cap. 1.* & ibi *Glosa de feud. dat. in vic. leg. commiss.* latè *Reginal. vbi sup.* post alios, *num. 599.* Est tamen verum, quòd si creditor paciscatur cū debitore, vt si debitum non soluat præfixo termino, pignus remaneat in dominio ipsius creditoris pro pretio æstimando per expertos, tunc pactum huiusmodi erit validū, cùm resoluatur in contractum emptionis, & venditionis conditionalem pretio iusto per Peritos præfigendo, vt *in l. si fundus, §. fin. ff. de pignor. & hypoth. Reginal. loc. cit.* & latè *Mant. de tacit. & ambig. cōuent. tit. 10. num. 14. cum seq.* vbi post multa ex com-

cōmuni DD. sententia concludit, esse in arbitrio debitoris restituere pecuniam creditori, vel perficere contractum emptionis, & venditionis.

25 Sic ampliata limitatur primò hæc ipsa cóclusio, vt locum non habeat in creditore ex contractu anthycresis, qui in Germania maximè frequenter celebratur inter Principes. Solet enim Princeps aliquis pecunia indigens illam mutuo accipere ab alio Principe, cui dat in pignus Ciuitatem, Terram, aut Castrum eo pacto, vt ex ipsis fructus percipiat, & non teneatur eos in sortem computare, donec Princeps, qui pecuniam mutuo accepit, eamdem mutuanti restituat. Is enim licitè fructus ex pignore percipit, nec tenetur illos in sortem computare: siquidem non percipit fructus ex pignore tāquam ex pignore, sed ex censu consignatiuo: nam licèt huiusmodi contractus sonet contractum mutui cum lucro fructuum dati pignoris; non tamen est talis, sed est contractus ueri census consignatiui sub pignore, cuius fructus assignantur Domino cēsus pro redditibus annuis. Etenim dum Princeps ille, Principi pecunia indigenti pecuniam mutuat sub pacto, vt sit in mutuatarij potestate illum reddere mutuanti, qui pignus accepit ea lege, vt eius fructus sibi faciat, quamuis verba sonent mutuum, re uera tamen non est mutuum sub pignore; nam de ratione mutui est, vt repeti possit ad libitum mutuantis, ut *in l.1.& 3.ff si cert.* Nec potest dici emptio, seu venditio rei traditæ in pignus; quoniā res illa datur in pignus, quod cum emptione simul esse non potest: nam si res esset vendita, eiusdem dominium in emptorem censeretur translatum, cum pignus in re propria consistere non ualeat, *l. neque pignus, ff. de regul. iur.* Erit ergò emptio, seu venditio census consignatiui, in quo datur pecunia in pretiū fructus pignoris; atque ideò fructus ex pignore percipiendi ius se habet loco mercis, & res ipsa pro securitate datur in pignus: & sic duo contractus celebrantur simul; alter scilicet emptionis, seu venditionis census: & alter impignorationis cū pacto redimendi rem ipsam pignoratam: siquidem in contractibus nō tantùm verba, sed multò magis attenditur mens contrahentium, vt *in l. C. plus valer. &c.* Est tamen verum, quòd ad

26 hoc, vt contractus eiusmodi dicatur census cōsignatiuus pretium census, atq; ideò pecunia, quæ datur debet esse proportionatum fructibus pignoris iuxta censualium pensionum leges, & locorum consuetudines: & stante pignore accepto, cùm emptor census securus reddatur de sorte, ac pensione, non debet tantam pensionem percipere, vt latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. in proem. q.24. num.*18. *cum plurib. seq.* vbi etiam *num* 25.& 26. idem dicendum esse ostendimus de contractu, qui in Italia vulgò dicitur, *A godere*, vt cum quis dat alicui propriam domum, vt ea fruatur, recepta ab eo certa pecuniarum summa: dummodò sit in arbitrio recipientis pecuniam eam restituere, vel nō restituere: & fructus iustæ pensioni correspondentes percipiantur: & qui supersunt, restituantur; aut in sortem computentur. Siquidem eiusmodi contractus licèt uocetur ad gaudendum, re uera tamen est contractus censualis consignatiuus redimibilis cum pignore.

27 Secundò limitatur eadem conclusio, vt licèt creditor non possit pignoris fructus suos sibi facere; nihilominus id locum non habet in Domino directo recipiente à proprio feudatario, ac Vassallo feudum in pignus: quoniam potest ex eo fructus percipere, & in sortem non tenetur computare, nec Vassallo eos restituere, vt *in cap. conquestus, de vsur.* Etenim quando directus Dominus percipit fructus ex pignore feudali à proprio Vassallo sibi tradito, non percipit illos ex pignore tanquam ex pignore; sed tanquam ex re propria directi Domini: siquidem res feudalis quādo pignoratur directo Domino feudi; tunc incipit Dominus habere non tantùm dominium directum rei feudalis; sed etiam dominium vtile, atque ideò vtrumque dominium: & proindè licitè facit fructus suos, cùm de re; cuius vtrumq; dominium habet fructus percipiat. Nec obstat si dicatur; quod dominium vtile nō videtur translatum vigore constituti pignoris à Vassallo penès directum Dominum, dum quandocumq; rem ipsam pignoratam redimere possit, reddito pretio; quoniam respondetur, quòd dominium in actu transfert Vassallus, retento sibi solùm dominio in habitu, vt habetur ex *Cōrado, de contr. q.22.* vbi prædicta extendit etiam in Dominum directum, qui rem emphyteoticā à suo emphyteuta accepit in pignus: nam eadem ratione ex illa re pignorata potest fructus percipere, & illos non tenetur in sortem computare. Vndè *tex. in d. cap. conquestus, de vsur.* licèt loquatur de Ecclesia, quæ accepit feudum in pignus à proprio Vassallo; non tamen disponit specialiter fauore Ecclesiæ, vt ibi *Glosa* videtur velle: quoniam vsura cùm sit iure Diuino, ac naturali prohibita, intrinsecè, & ex obiecto mala, super eam nulla cadit dispensatio, vt *in cap. super eo, de vsur.*

28 Tertiò limitatur prædicta conclusio, vt creditor ex pignore percipere possit fructus ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Etenim creditori debetur huiusmodi interesse, non solùm sibi prouenienti ex mora debitoris non soluentis debitum præfinito tempore: siue debitum spontè, siue coactè fuerit initum, arg. *tex. in l.3. §. fin. ff de eo quod cer. loco, Glos. in d. cap. conquestus. de vsur. & cap. conquestus. & cap. constitutus. de fideiuss. Nauar. in cap si feneraueris, num.42.14.q.3. Conrad de contr. q 30. concl.2. Molina eod. tr. disp.315. & alij.* Siquidem mora illa debitoris est contra iustitiam; atque ideò est causa interesse contra iustitiam: sed etiam debetur interesse ipsi creditori prouenienti, etiam ante moram debitoris; quando creditum non fuit contractum sponte; sed coactè: nam tunc creditor nec expresse, nec tacitè censetur consentire in illa damna, vel dispendia, vt rectè declarat *Salon. in D. Th. 2.2. q.78. ar.2. contr.8. num.6. in fine, Conrad. de contr. q 42 & 43. & Mol. loco cit.* cum alijs, quos allegant. Imo interesse damni emergentis exigi potest etiā si nec vis, nec mora aliqua interuenerit; modò debitor admonitus fuisset tempore contractus damni, quod euenire poterit, & fuisset contentus vna cū sorte reficere, vt habetur ex *D. Th. 2.2 q.78. ar. 2. & Mol. de contr. disp.314. num.6.*

29 Est tamen verum, quòd creditor nunquam potest totum damnum formidatum pacisci: quoniam

niam adhuc incertius est, quàm præsens. De dãno verò non probabili nullus citra culpam, & vt plurimum citra vsuram pacisci potest; nisi sub conditione, vt si quid damni acciderit, resarciat: aliàs secus, vt habetur ex *Soto lib. 6. de instit. & iure, q. 1. ar. 3 & Tol. loco cit.* Idem dicendum est de interesse lucri cessantis, secundùm sententiam magis receptam; atque ideò licitum esse creditori habenti fidem de pretio, vel mutuanti spontè, qui pecunias suas habeat expositas negotijs, & lucrum deducere in pactum, sibi cessans, etiam ante moram, vt habetur ex *Gabr. in 4. d. 15. q. 11. ar. 1. not. 2. Conrad. de contr. q. 30. concl. 4. Mol. eod. tr. disp. 315. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 4. Syl. in sum. ver. Vsura, 9. q. 19. Nauar. in Man. cap. 17. num. 211. Salon. in D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 9. Less. lib. 2. de instit. & iure, cap. 20 dub. 11. & alij.* Etenim pecunia illa credita mutuata pluris valet creditori quatenus subest eius industriæ ad lucrum ex ea faciendũ, quàm ipsa per se considerata: est enim velut semen fecundum lucri per industriam, quo lucrũ ipsum virtute continetur: ergò plus pro ea exigi potest, quàm ipsa per se valeat, vt habetur ex Doctoribus sup. citatis, qui plures alias rationes afferunt, & soluunt cõtraria aduersariorũ: quod quidem intelligendum est, concurrentibus conditionibus, de quibus *Conrad. & Less locis citatis, & Nauar. in Man. d. cap. 17, num. 211.* qui non omnes putat esse necessarias.

30 Ex his igitur patet, quòd si quis vendit alicui domum, & habet ei fidem de pretio, vel mutuat pecuniam siue spontè, siue coactè, ante, vel post moram, & recipit pignus, potest ex eo fructus percipere ratione lucri cessantis, vel dãni emergentis, iuxta ea, quæ sup. diximus; quia fructus illos non dicitur percipere ex pignore tanquam ex pignore, sed ex alia causa. Verùm si fructus, quos percipit ex pignore sint supra interesse passum, tenetur creditor debitori restituere, vel in sortem computare. Sicut supra diximus de percipiente fructus ex Castro, seu Ciuitate datis in pignus, vel de domo data ad gaudendum: quibus adde, quę habentur ex *Mant.* post alios, *lib. 11. de tacit. & ambig. conuent. tit. 8. cum seq.*

31 Quartò limitatur dicta cõclusio quoad quartam ampliationem, vt licèt creditor non possit pacisci cum debitore, vt debito non soluto, pignus remaneat in dominio creditoris pro pretio debito; nihilominus valet pactum cum debitore initum, vt non soluto debito præfinito tempore, pignus remaneat in dominio creditoris pro pretio æstimando per expertos, vt ibi diximus: vel possit creditor pignus alteri pignorare, ac obligare; quoniam id prouenit ex iuris dispositione, cùm hoc sit ius reale, & possit transire de persona in personam pro illa quantitate, pro qua fuit primo loco datum pignus, vt habetur ex *Nauar. in Man cap. 17. num. 203. Reginal. lib. 25. sua prax. nu 603.* & ex alijs relatis à *Molsef. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 18 num. 72.* vbi etiam *nu. 73.* probat, fieri posse pactum, dummodò dolus absit, in beneficium fideiussoris, vt si debitor debitum non soluat pręfinito tempore, pignus remaneat in dominio ipsius fideiussoris, seruata tamẽ ęqualitate iustitię, vt est *tex in l. fin.* & ibi *Bart.* & alij *ff. de contrah. empt. Couar. lib 3. var. resolut. cap. 2. num. 2. 7. & 8. & Reginal. d. lib. 25. num. 600.* Idem dicendum est de pacto, quo creditor assumeret sibi onus casus fortuiti; nempè quòd si pignus etiam casu amitteret, debitor sit liberatus, *l. quæ fortuitis, C. de pign. act.* Est enim validum hoc pactum; sicut etiam valet pactum, vt donec debitum fuerit integrè solutum, pignus maneat apud creditorem, vt *in l. quamdiù, C. de distr. pign.* & latè *Molsef. loco cit. num. 74. & 75.* cum alijs, quos allegat.

32 Quintò limitatur præfata conclusio, vt licèt regulariter non possit creditor fructus ex pignore percipere; nisi computet eos in sortem principalem: nihilominus si marito fuerit datus fundus in pignus, donec dos ei fuerit soluta, tunc maritus poterit ex eo fructus percipere, & in sortem non computare: quoniam eo casu non dicitur maritus fructus ex pignore, tanquam ex pignore, sed pro oneribus matrimonij, vt in *cap. salubriter, de vsur.* latè *Mol. de contr. disp. 321. Ioan. Bapt. Lup. in l. curabit, com. 1. §. 4. num. 75. cum plur seq. Tolet. lib. 5. sua summ. cap. 30.* & alij recentiores. Quod quidem verum est non solùm in genero respectu soceri, sed in quolibet marito, etiam si diues sit, habeatque aliundè vndè viuat: siquidem ex natura contractus dotales fructus illi debentur: & propterea militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud ff. ad l. Aquil Caiet. in D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2.* vbi etiam *Salon. contr. 14.* Hac eadem ratione maritus pro dote sibi promissa non soluta non modò potest fructus ex pignore percipere, & in sortem non computare; sed etiam cũ eo, qui dotem promisit, & non soluit pacisci vltra sortem certam quantitatem, singulis annis sibi soluendam, donec de dote fuerit sibi satisfactum. Etenim dos datur propter onera matrimonij, & ideò, dote non soluta, debetur marito emolumentum aliquod ex natura contractus dotalis ad onera matrimonij substinendá, vt habetur ex *Panor. in d. cap. salubriter, de vsur. Conar. lib. 3. var. resolut. cap. 1.* cum alijs, quos refert, & sequitur *Ioan Bapt. Lup. in d. l. curabit, com. 1. §. 4 num. 75. 76. & 77.* Imò non solùm maritus pro dote sibi promissa, & non soluta, potest fructus ex pignore percipere, aut emolumentum aliquod ad onera matrimonij substinenda. Sed è conuerso vxor à viro in casu diuortij: quoniam dos succedit loco alimentorum: & proindè, dote sibi nõ restituta, debentur eidem alimenta, pro quibus licitè poterit percipere fructus rei pignoratæ, aut emolumentum aliquod, donec dos sibi restituatur, ita *Sot. lib. 6 de inst & iure, q 1. ar. 2. Salon. in D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 15.* & alij.

33 Idem dicendum de vxore vidua, soluto matrimonio per mortem viri: siquidem potest ab hæredibus viri fructus ex pignore, aut emolumentum aliquod consequi loco alimentorum, etiam infra viduitatis annum, donec dos sibi restituatur: quoniam pecunia illa dotalis eiusdem naturæ est ad quemcunque transeat, & alimentorum onus habet annexum pro ipsa vxore, & eiusdem familia, vt habetur ex *Soto loco citato, & Conar. lib. 3. var. resolut. cap. 1. illat. 7.* Quę quidem alimenta percipere potest vidua, etiã si habeat alia bona vndè viuat: quoniam sicut vir ad alendam vxorem, & propter alia onera matrimonij potest licitè fructus ex pignore percipere, uel emolumentũ aliquod quandiù dos promissa non soluitur, etiam si ipse alia bona habeat, ita, & vidua, donec

donec dos sibi reddatur, cùm non possit assignari diuersitatis ratio, vt benè docet *Salon. loco citato*, vbi etiam addit, quòd licet lucra vxoris cedant in vtilitatem viri, cùm quicquid acquirat sit conuertendum in vtilitatem familiæ, durante matrimonio; nihilominus lucra, quæ propria industria vidua comparauit in domo hæredum, pendente restitutione dotis, cedunt in beneficiū ipsius, non autem hæredum; nisi dos adeò exigua esset, vt omnes fructus eius ad sola alimenta præstanda satis non essent: nam quamuis hæredes succedant in locum viri, quoad obligationem soluendæ dotis, aut quoad alimenta viduæ subministranda, donec dotem ipsi restituant; non tamen succedunt in omni iure, quod habet vir in operas, & industrias vxoris. Quæ quidem vera sunt vbi hæredes parati non sint dotem restituere; aliàs si parati sint, vidua non potest fructus ex pignore, aut emolumentum aliquod ex dote cōsequi, vt benè declarat *Salon. loco citato*. Et ita intelligenda sunt nonnullarum Ciuitatum statuta, disponentia, vt qui promisit dotem, & hæredes eius quousque illam soluant: & è conuerso maritus, qui eam recepit, & hæredes eius donec illam reddant vxori viduæ, aut separatæ certum aliquod emolumentum quot annis donent: quia illud non consequitur ratione mutui impliciti, sed vt quoddam debitū certum, subrogatum loco debiti incerti; nempè pro debito oneris matrimonij respectu viri, & alimentorum respectu vxoris, vt per Doctores supra citatos, non obstante contraria sententia *Molina de contr. disp.* 322. negantis respectu vxoris, nisi adsit interesse lucri cessantis, vel damni emergentis. Quid autē dicendum sit de alimentis præstandis viduæ ab hæredibus viri infra annum luctus, latè habetur per *Doctor. in l.* 1. *C. de rei vxor. act.*

34 Est tamen verum, quòd ea, quæ supra diximus locum sibi vendicant si quatuor concurrant cōditiones; aliàs secus; Harum conditionum prima est, vt licet tunc maritus possit fructus ex pignore percipere, donec dos sibi soluatur; nihilominus eos tantùm percipere potest, qui necessarij sunt ad subeunda onera matrimonij: qui verò supra matrimonij onera sunt, restituere compellitur, aut in sortem computare. Etenim eiusmodi fructus conceduntur marito ad supportāda matrimonij onera dumtaxat; ergò illis cessantibus, cessant fructus, ita *Couar. & Ioann. Bapt. Lup. locis citatis*, cum alijs, quos allegant: quam quidem conditionem tunc veram esse, inquit *Salon. d. contr.* 15. quando fructus pignoris adeò excedunt matrimonij onera, vt socer grauiter remaneret circumuentus: aliàs si parum excederent, non teneretur maritus illos fructus in sortem cōputare: nam cum ex natura contractus dotalis eos consequatur, & pignus sibi retineat, donec dos sibi soluatur, sicut ex natura contractus dotalis, si actu dotem reciperet, omnes illius fructus lucraretur, nec ratio haberetur de oneribus matrimonij, an excederent, vel ne; ità quoque fructus omnes lucratur ex pignore. Et re vera id videtur colligi ex ratione Innocentij Papæ in *d. cap. salubriter*, assignata, dum ait: *Cùm frequenter fructus dotis non sufficiant ad onera matrimonij, &c.* quasi dicat, cùm fructus huiusmodi aliquando non sufficiant, aliquando vberiores sint, percipiat illos sicut perciperet dotis fructus, siue satis non essent, siue excederent; & ita ait *Salon.* est omnium vsus.

Secunda conditio est, vt obligatio dotis soluendæ sit ad præsens tempus; secus autem si fuerit in futurum: quia maritus tenetur fructus ex pignore perceptos restituere, aut in sortem computare: eo quod præsumitur eo casu promittentē dotem pignus tradidisse in securitatem tantùm dotis soluendæ præfinito tempore, vt habetur ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, num.* 64. *& seq.* 14. *q.* 3. quam quidem conditionem restringit similiter *Salon. loc. cit. ex Syl. & alijs*, vbi promittens dotem, expressè pactus fuerit, ne maritus donec dos sibi soluatur, fructus consequatur: vel rem sterilem in pignus tradiderit: aut denique dos prius fuerit promissa, soluenda post certum tempus, & deindè fuerit traditum pignus; quoniam tunc in securitatem dotis dumtaxat tradidisse censetur.

Tertia conditio est, vt maritus ex pignore fructus percipere ita demum possit, si matrimonij onera cum effectu sustineat; aliàs secus. Vndè si vxor à patre, aut ab alio alimenta suscipiat, maritus pignoris fructus suos non faceret; sed teneretur in sortem computare, vt habetur ex *Nauar. Salon. & Ioan Bapt. Lupo locis citatis, Molina de contr. disp.* 321. *sub num.* 7. *Rodriq par.* 1. *suæ summ. cap.* 97 *concl.* 4. & ex alijs, ab eisdem allegatis.

Quarta conditio est, vt vir fructus ex pignore percipiat, durante matrimonio: aliàs si matrimonium solutum sit per mortem vxoris, vir non posset fructus ex pignore consequi nomine filij superstitis, propter onera matrimonij; quoniam matrimonium dissolutum est; sed tantum ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, iuxta ea, quæ habentur ex *Molina de contr. disp.* 322. Quam quidem conditionem meritò reijcit *Salon. loco citato, contr.* 14. eo quòd quamuis matrimonium sit dissolutum per mortem vxoris; nihilominus adhuc maritus dicitur matrimonij onera substinere, non præsentis, sed præteriti, cū teneatur alimēta præstare filijs; atque ideò poterit fructus ex pignore consequi donec dos sibi soluatur.

35 Cæterùm licèt hæc vera sint, & iuxta sententiā magis communem; nihilominus, qui vellet, *tex. in d. cap. salubriter, de vsur.* agere de contractu anthycresis, seu de contractu ad gaudendum, de quibus supra egimus *limit.* 1. tunc posset dici, *tex.* illum nihil specialiter statuere fauore onerum matrimonij, sed cum datur fundus in pignus, donec dos promissa, & non soluta, soluatur, constituitur census consignatiuus cum pignore pro pretio dotis promissę non solutæ, cum facultate redimendi pignus quandocunque dos soluatur: quo casu est in arbitrio eius, qui dotem promisit, dotem soluere, & fundum pignoratum redimere; ita vt ratio non habeatur quantitatis oneris matrimonij; sed quantitatis dotis, vt sit iustum pretium talis cēsus, ita vt fructus iustæ pensioni correspondentes percipiantur. Et hoc titulo posset citra culpam vxor separata, aut vidua percipere fructus ex pignore; sicut, & filij, soluto matrimonio per mortem vxoris, & ipse maritus, iuxta conditiones iusti census, de quibus tractauimus *d. limit.* 1.

36 Dico septimò peccare creditores vsurariorū scien-

Episcopis commissa est, vt habetur ex *P. Diana par.4.tr.1.resol.99. Bonaccin.de contr. disp.3.q.18.pun.1.§.10.num.1.Spin.in spec.testam.glosa 28.num.44.* quos pro sua affert idem *Diana loco citato*,& allegat *tex.in cap tua.& cap.si haeredes de testam.*ac *Concil. Trid.sess.7.cap.15.& sess.22.de reform cap.8.* Quibus adde, quòd id adeò verum est, vt etiam contradicente testatore, vel donatore loci Episcopus legatorum piorum sit legitimus executor, vt docet *P.Molfes.tom.1.ad Consuetud.Neap.par.3 q.10.num.10. & par.2.sua summ.tr.13 cap.5.num.205.*& alij,quos ipse citat,moti ex eo,quod testator,& donatores non possũt facere quin leges seruentur in eorum dispositionibus,vt in *auth.licet testator,C.de Episc.& Cler.* Item executor legitimus legatorum maximè piorum est Capitulum,Sede vacante,vt inquit *Diuus Anton.3.p.tit.10 cap.3.§.9.* Et quamuis *Molfes d.tr.13.cap.11.num 16.* dicat,legitimum executorem legatorum, quæ pia non sunt, esse Iudicem Sæcularem;id tamen non est intelligendum priuatiuè quoad alios: siquidem executionem legatorum, quæ pia non sunt, esse mixti fori;atque ideò Episcopus,si præueniat posse in eorum executione se intromittere supra ostendimus *sec.2.vers.Quintò peccant, ampl.3.*

5 Testamẽtarius autem executor est duplex,vniuersalis scilicet,& particularis: executor vniuersalis,qui est ad instar hæredis dicitur vniuersalis executor voluntatis Defuncti,*l.ia quod pauperibus,& l si.quis ad declinandam C.de Episc.& Cler.* Non tamen is potest bona vendere habita fide de pretio,vt probat *Tusch.vers.Executores, conclus.527.& 531.* Particularis verò executor appellatur is, qui specialiter fuit constitutus certarum rerum distributor à testatore, dubitante forte de fide hæredis, vt in *l.alio harede, ff. de alim.& cib.legat.* Executor denique datiuus datur à Iudice,vel ab Episcopo in locũ eorum, qui renunciauerunt,si agatur maximè de legatis pijs, vt post alios *Tusch.vers.Executores, concl 535. & Molfes par 2.sua sum tr.13.cap.11.num.30.* His breuiter sic adnotatis.

4 Dico primò peccare testamenti executores si à testatore nominati,tale officium citra rationabilem causam non acceptent, vt habetur ex *Spino in speculo testam.glosa 28.num.18.*qui addit, huiusmodi peccatum esse mortale, & probat ex *Glos.in cap.sicut,11.q.1.verbo vsum*,& ibi, *Archid.Imola in cap pastoralis,in princ.* vbi etiam *Felin.num.6 de offic.de leg.* dum dicunt,peccare mortaliter sine causa non acceptantem officium arbitri;quando spes est, quòd partes ad concordiam reducat: siquidem is dicitur facere contra charitatem,cùm vnicuiq;mandauerit Deus de proximo suo, ergo idem dicendum est casu nostro,cùm militet eadem ratio,arg *tex.in l.1 illud, ff.ad leg.Aquil.* quod maximè verũ puto si alius executor non inueniatur idoneus,& executor testamentarius cognoscit se aptum ad eiusmodi munus exercendum, & valdè vtilem pro executione demandanda voluntate Defuncti,qui fortè dubitauerit de fidelitate, & sufficientia hæredis. Et multò magis vera est hæc conclusio, si testator aliquid ei legauerit, & ab eodem fuerit acceptatum legatum,iuxta ea,quæ supra adnotauimus,*sec.3.dicto nono.*

Scio *P. Dianam* oppositam sententiam defendere 4 *par.resol moral tr.4.resolut.162.* motum ex eo, quòd aliàs officium executoris testamentarij non esset voluntarium contra communem Doctorum opinionem. Sed re vera ratio concludit quoad forum exterius,vt non possit executor compelli ad subeundum tale munus:secus autem quoad forum internum, si alius maximè non reperiatur idoneus; quoniam tunc vrget præceptũ charitatis. Etenim eleemosyna voluntaria est, quoad forum exterius, & tamen ex præcepto charitatis in multis casibus necessaria est, quoad forum interius. Quòd si alius executor reperiatur æquè idoneus,ac testamentarius,qui eiusmodi munus subire velit,tunc puto excusari à lethali culpa testamentarium ipsum si dictum munus nolit acceptare, quoniam tunc non vrget præceptum charitatis. Vndè cùm Episcopus sit executor, quando executor à testatore nominatus non vult acceptare huiusmodi munus, vel testator assignauerit eum, qui executor nequit esse, vel is obijt,vt habetur ex *Syl. vers. Testamentũ, 2.q.2 dicto 1. Armilla vers.Executor, num. 25. Anch.in cap.Religiosus,de testam.in 6.nu.2.* & ex alijs relatis ab eodem *Diana loco citato*,si ipse Episcopus sit idoneus,vel saltem alium substituat æquè sufficientem, tunc puto executorem citra culpam saltem posse non acceptare tale munus, etiam si non habeat aliquam reluctandi causam.

6 Cæterùm si executor testamentarius post susceptum executoris munus velit à tali munere se abdicare citra legitimam causam,tunc citra culpam non poterit:imò in foro exteriori potest cõpelli ad perseuerandum, siue munus ipsum acceptauerit expressè,siue tacitè, vt in *cap.Ioannes de testam.*late *D.Anton.3.par.tit.10.cap.3. §.9.* vbi plura de executoribus vltimarum voluntatum tractat,& præsertim probat executores datiuos posse à Iudice compelli ad acceptãdum munus, nec possunt renunciare, nisi legitima subsistente causa: & idem ait de executoribus legitimis,de quibus supra diximus.

7 Dico secundò peccare executores testamentarios legata non soluentes, & Defuncti voluntatẽ non adimplentes infra tempus ab eo præfinitum, cùm ad id de iure teneãtur.vt in *cap.nos quidem*, & ibi, *Panor.& alij,de testam.* Est tamen verum quòd quamuis testator aliquid fieri,vel dari mãdet infra aliquod tempus à die mortis suæ computandum;computatio tamen fieri debet non tãtùm à die mortis;sed etiam à die scientiæ,aditionis hæreditatis,vt in *l.statu liberos, §.si quis haeredi.ff.de stat.liber.& l.fin.§ si autem dubius*,& ibi,*Glosa,C.de iure deliber.*

8 Dico tertiò peccare executores si legata facta, nullo præfinito tempore, statim non soluant: siquidem dominium illorum statim adita hæreditate transit in legatarium, *l.si tibi homo, § cùm seruus ff. de legat.1.* Et licèt executores in foro externo habeant annum ad exequendum testamentum;id tamen non procedit in foro conscientiæ; atque ideò executores, & hæredes si cũ possint,differant notabiliter soluere debita, & legata Defuncti peccant mortaliter, vt habetur ex *Nauar.in Man.cap.25.num.65.Petro Nauarr. de restit lib.3.cap.4 num. 165.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Diana par.4.resol. moral.tr.4 resol.162.* Imò executores etiam ante dictum tem-

tempus possunt cogi à Iudice in foro exteriori ad præstanda legata; & ad adimplendam Defuncti voluntatem per subtractionem alimenti: vel per cẽsuras Ecclesiasticas à Diœcesano si legata maximè sint pia, vel per pœnam arbitrariã, vt post *Specul.* habetur ex *D. Anton. par.3. tit. 10. cap.3. § 9.* & nos latè supra ostendimus *sec. 2. vers. Quintò peccant*, de hæredibus agentes. Et insuper tenentur ad damni, & interesse restitutionem legatarijs, & alijs quibuscunque obuenti ex eo, quòd negligenter se gesserint, aut dolosè se habuerint in exercendo executoris officium. Etenim omnis administrator aliorum bonorum tenetur fideliter munus suum adimplere; & si dolo, vel negligenter in administratione se habeat, tenetur ad interesse, vt supra adnotauimus *disp. 21. sec. 5. dicto 6. & 7.* de tutore, & curatore tractantes. Et insuper possunt executores eiusmodi tanquam suspecti remoueri, sicut diximus de tutoribus, & curatoribus *d. sec. 5.* & habetur ex *Castro cons. 92 num 2. & cons. 332. num. 3. lib. 1.* & latè *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 13 num 31. &*

9 *39.* cum alijs, quos allegat. Non tamen tenentur ad interesse; nisi post sex menses, quoad legata ad pias causas, vt in *§. si autem legatum in auth. de Eccles. titulis:* & idem dicendum est à fortiori in legatis non pijs, vt per *Syl. in summ. versic. Testamentum, 2. q 6.* imò quamuis hæres si per annum à die monitionis per Iudicem, non impleat voluntatem Defuncti, quoad legata satisfacienda, possit priuari hæreditate, iuxta ea, quæ supra cumulauimus *d. sec 2. vers. Quintò peccãt, ampl. 2.* & succedet substitutus, aut accrescet cohæredibus, vt in *auth. hoc amplius. C. de fideic.* nihilominus si ex defectu executorum legata nõ soluantur, non priuatur hæres hæreditate, sed executores cogi possunt, vt supra diximus *dict. ampl. 2.*

10 Dico quartò peccare executores legata relicta à testatore eroganda in beneficium pauperum, proprijs vsibus applicantes, & in propriam vtilitatem in totum, vel pro parte conuertentes. Etenim executor; estò quòd sit pauper; semper tamen dicit ordinem ad alios, vt in *l. si mandauero, §. si tibi centum ff. mand. & Syl. in summ. ver. Eleemosyna, q. 2. in fine.* Et eo magis, quia præsumitur testator executorem omninò excludere à dicto legato, si aliter non constet de eius voluntate. Verum tamen est, quòd si executor consanguineos, & filios habeat pauperes, poterit eiusmodi legata in eorum vtilitatem conuertere, vt in *cap. probanda, 86. d. Valenz. conf. 98. num. 11. & seq. Syl. loco citato. & in vers. Testamentum 2. q. 7. Graff lib. 1. decis. par. 1. cap. 26. num. 23. & Molfes. par. 2. sua summ. tr. 13. cap. 11. nu. 37.* Et quamuis executor eo casu de iure ciuili nihil erogare possit in filium spurium Defuncti; etiam si datum sit executori arbitrium dispensandi, cũ nec per se, nec per alium capere possit, *l. si pater, ff. de vulg. & pupill. substit.* nihilominus de æquitate Canonica id potest, cùm de iure Canonico pater teneatur spurium alere, *cap. cũ haberet, de eo, qui dux. in matr. & c. Bald. cons. 95. Sylu. & Graff. locis citatis.*

11 Imò si executor datus sit à testatore ad distribuendum in pias causas, vel in pauperes, poterit legatum dispensare pro supplemento congruæ dotis, vt possit puella congruenter, iuxta eius conditionem matrimonio collocari: siquidem pia causa dicitur causa dotis: & non dicitur posse nubere, quæ secundum decentiam sui status honestè nubere non potest, arg. *tex. in l. plenum. §. equiti, ff. de vsu, & habit. l. nepos Proculo. ff. de verb. signif Bald. in tr. de dote, col. 4. in fine, & in l. post mortem, col pen. C. de fideic. & Graff. d. c. 26. num. 20.* vbi etiam *num 21.* ex eodem *Baldo in l. si quis ad declinandum, col. 3. vers. Circa tertium, C. de Episc. & Cler.* id ampliat in nobile, qui licèt alimenta habeat; attamen decentiã status conseruare non valet; quoniam tunc executor potest legata relicta ad distribuendum in pias causas, vel in pauperes distribuere huiusmodi nobili in totum, vel pro parte secundum decentiam status, & iuxta boni viri arbitrium: nam is inter pauperes connumeratur: & in pati paupertatis causa, præcipuè subueniendum est Nobilibus, *cap considerandа 86. d.*

12 Sed iuxta hæc quæro, an executores testamentorum, quibus onus iniunctum est distribuendi bona legata à testatore inter puellas maritandas, possint ea elargiri puellis intrantibus Religionem. In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est *Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 33. num. 52. Illephons de Lara lib. 1. de Capel. cap. 21. nu. 26 Petri Cenedi, qq. Can. q. 35. num. 11.* & aliorum, docentium partem negatiuam, etiam si legatum fuerit factum puellæ determinatæ, vt patet etiam ex ijs, quæ supra adnotauimus *sec. 2. vers. Decimò peccant hæredes:* ibi, vndè ex hac ratione circa finem, vbi alios pro hac eadem opinione retulimus, & valdè probabilem eam existimamus, cum testator loquatur de nuptijs carnalibus, non autem spiritualibus.

13 His tamen non obstantibus oppositam sententiam dicimus esse probabiliorem, quam tenent *Boer. decis. 3. num. 13. Pontius de matrim. lib. 3. cap. 7. num 11.* & alij, quos refert, & sequitur *P. Diana par. 5. resol moral tr. 14 resol. 35.* dicentes, quod siue legatum prædictũ fiat certis puellis, aut consanguineis, siuè fiat incertis absolutè, posse testamenti executores erogare legatum puellis Religionem intrantibus. Probant eorum sententiam ex *tex. in §. sed ex hac præsenti in auth. de Sanctiss. Episcop.* vbi aperte habetur, quod legato facto alicui si nuptias contrahat, si is Religionem ingrediatur legatum habebit, ac si nuptias contraxerit: & cùm dicta constitutio inducta sit ex mero fauore Religionis, & non ex præsumptione aliqua, ingrediens Religionem consequitur legatum, siue factum fuerit certis personis, siue in genere, ac incertis, cùm militet in vtroque casu eadem ratio. Et hanc sententiam testatur *Pontius loco citato*, communem fuisse inter Theologos Salmanticenses. Vndè *P. Diana* ubi supra, eandem posse practicari à nostris Præpositis domus nostræ Sancti Ioseph Panormi, in legatis distribuendis ratione hæreditatis Fabritij à Prepano, citra omnem scrupulum censet.

14 His omnibus adde, quod habetur ex *Syl. in summ. vers. Testamentũ, 2.* docente, quod si testator executori dederit aliquid distribuendum, vbi ei videbitur, & placuerit, tenetur illud in pios vsus dispensare; quamuis id non appareat de mente testatoris, arg. *tex. in cap. cum tibi, de testam.* Etenim verbum illud, videbitur, & verbum,

ibi, quando expressè fuerit derogatum eorum exemptionis priuilegio; aliàs secus; sed à suis Prælatis essent compellendi ad rationem reddẽdam, & puniendi pro mala administratione, vt benè post alios inquit *Rodriq. tom. 3. qq. Regul. q. 70. ar. 5.* & ità seruari in praxi testatur idem *Molses. ibidem.*

De Creditoribus, & Debitoribus, ac eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario, cum expediens sibi videbitur explorandis.

DISP. XXIV.

Hanc disputationem per duas Sectiones explicabimus, agentes primò de creditorum culpis, in quas incidere solent: & deindè de peccatis debitorum; ac omnia, & singula ad hæc rem pertinentia per conclusiones, & dubia absoluemus.

De Peccatis Creditorum, vt tales sunt. SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Creditores, seuerè se habentes contra debitores vltra quam par est, qui soluere non valent simpliciter.*
2 *Idque locum habet non solum in Creditore ex contractu, sed etiam ex vltima voluntate.*
3 *Peccant Creditores seuerè se habentes contra suos debitores ex contractu, vel delicto, qui licet non indigeant pro sui indiuidui conseruatione, indigent tamen pro conseruatione Status.*
4 *Multo minus potest creditor compellere suum debitorem, qui cessit bonis.*
5 *Potest Creditor suum compellere debitorem, quamuis indigentem pro conseruatione status, si ipse detrimentũ patiatur decentiæ proprij Status.*
6 *Si tam debitor, quàm Creditor reperiantur in extrema necessitate, an possit citra culpam suum debitorem compellere ad reddendum sibi debitum.*
7 *Si res debita Creditori maneat eadem numero apud debitorem, in pari extrema necessitate, præfertur Creditor ratione dominij.*
8 *In pari causa necessitatis melior est conditio possidentis.*
9 *Peccant Creditores, recusantes solutionem debiti recipere à suis debitoribus in alia pecunia, quam conuenta.*
10 *Hodie ex consuetudine communi tenetur Creditor solutionem recipere in alia pecunia, quã conuenta, quamuis differant in materia.*
11 *Hodie ex communi consuetudine tenetur Creditor solutionem debiti recipere in alia specie pecuniæ, quam conuenta, etiamsi conuenta moneta genus solutionis tempore reperiatur.*
12 *Ex vi talis consuetudinis tenetur Creditor solutionem debiti recipere in alia pecunia, quàm conuenta, quamuis obligatio sit de tali specie pecuniæ.*
13 *Idq; extenditur etiamsi solutio promittatur de pecunia imaginaria, puta de liris, vel de scutis de Marcha.*
14 *Non tenetur Creditor aliam pecuniam recipere pro conuenta, quando ex receptione pateretur damnum æquiualentis pecuniæ.*
15 *Quando dicatur damnum pati Creditor ex receptione alterius pecuniæ, quàm conuentæ.*
16 *Peccant Creditores exigentes pecuniæ diminutæ supplementum a suis debitoribus, in mora soluendi debitum non constitutis.*
17 *Morosus Creditor, quando dicatur.*
18 *Nòn solum peccant Creditores bis petentes debitum, sed etiam ad refectionem damnorum tenentur, & expensarum, atq; in crimen incidunt Stellionatus.*
19 *Peccat Crediter, si debitum illiquidum, vel etiam liquidum, quod de facili Iudicis authoritate consequi poterat, clam suscipit, & maximè si cum scandalo id agat.*
Et quæ requirantur vt fieri possit compensatio in foro conscientiæ.
20 *Peccat Creditor si vtatur pignore, à suo debitore accepto, & furtum committit.*
21 *Creditor vtens pignore, non solùm furtum committit, sed etiam vsuram.*
22 *Creditor pignore vti non potest: nec fructus ab eo percipere, sed computare tenetur in sortem, fitq; computatio ipso iure.*
23 *Creditor computare tenetur in sortem non modo fructus ex pignore perceptos, sed etiam qui percipi poterant, & Creditor culpa sua non percepit.*
24 *Non potest Creditor cum suo debitore pacisci, vt debito non soluto infra tempus conuẽtum, pignus remaneat in dominio ipsius, Creditoris.*
25 *Limitantur hæc in contractu Antichresis, qui in Germania maximè frequentatur.*
An contractus iste dicatur emptio, vel venditio rei traditæ in pignus.
26 *Antichresis, vt dicatur census consignatiuus, quidnam requiratur.*
27 *Dominus directus, si feudum accipit in pignus à proprio Vassallo potest fructus percipere, & suos facere.*
28 *Potest Creditor fructus percipere ex pignore ratione lucri cessantis, vel damni emergentis.*
29 *Nunquam potest Creditor damnum etiam formidatum pacisci, & quare.*
30 *Vendens alicui domum habita fide de pretio, accepto pignore, vel mutuans pecuniam spontè, vel coactè ante, vel post moram, pignusque recipiat, potest ex eo fructus percipere ratione lucri cessantis.*
31 *Licet Creditor pacisci non possit cum debitore, vt debito non soluto, pignus remaneat in dominio Creditoris, valet tamen pactum, si addatur: pro pretio æstimando per expertos.*
32 *Maritus si fundum in pignus acceperit, donec dos ei soluatur, potest fructus percipere, nec in sortem computare tenetur,* & n. 34.
An possit maritus cum dotis promissore pacisci, de certa quantitate vltra sortem sibi soluẽda singulis annis, donec de dote sibi fuerit satisfactum.
33 *Vidua soluto matrimonio per mortem viri potest fructus ex pignore percipere, aut ab hæredibus viri*

viri emolumentum aliquod consequi loco alimentorum.

34 *Quot requirantur conditiones, vt maritus possit ex pignore fructus percipere.*

35 Tex. in cap. salubriter de vsur. *an intelligatur de contractu Antichresis, seu de contractu ad gaudendum.*

36 *Peccant Creditores vsurariorum, scienter recipientes in debiti satisfactionem res, quas ipsi vsurarij extorserunt, & res ipsas vsurarias tenentur restituere.*
Quid si acceperint bona fide, credentes esse propria vsurariorum.

37 *Peccant Creditores, solutionem recipientes in alio loco, quam conuento, inuitis debitoribus.*

38 *Creditor si instet sibi satisfieri in alio loco, quã conuento, & debitor reluctet, offerendo soluere in loco conuento, erit liber ab interesse.*

39 *Idq; non solùm locum habet, vbi locus est à partibus expressus, sed etiam quando tacitè censetur appositus ex natura contractus.*

40 *Peccat Creditor, nolens accipere debiti solutionem in loco conuento, siue debitum sit in pecunia, siue in alia re.*

41 *Locus solutionis si sit appositus gratia Creditoris, potest Creditor suo fauori renunciare, & solutionem debiti petere, vbi de iure debetur.*

1 PEccant in primis Creditores vltra quàm par est seuerè se habentes contra suos debitores debita soluere non valentes simpliciter, vel citra magnam propriorum bonorum iacturam. Creditor enim qui talis est seruus nequam appellatur à Domino *Matth. cap.* 18 in illis verbis: *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me, non ne ergo oportuit, & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum* Etenim quando debitor non est soluendo simpliciter: aut non potest creditoribus satisfacere, nisi cum notabiliter maiori damno sibi, suis, aut Reip. inferendo, quàm æstimari debeat commodũ ex debiti satisfactione creditoribus obuenturum; tunc differri potest ipsa debiti solutio quousque difficultas, vel impotentia cesset, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 57. *& seq. Petro Nauar. de restit. lib.* 4 *cap.* 4. *nu.* 40. & ex alijs quamplurimis, quos refert, & sequitur *Laym. lib.* 3. *sua sum. tr.* 3. *cap.* 12. *sub num.* 1, qui testatur hanc esse communem Doctorum sententiam.

2 Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat nõ solùm in creditore ex contractu, vel vltima voluntate; sed etiam ex delicto, nempè ex causa furti, vsurarum, &c. siquidem fur, & vsurarius si efficiantur non soluendo, excusantur à restitutione, vt quousq; fiunt potentes, vt in *cap.* 1. 14. *q.* 6. & post *D. Anton. Nauar. in sua sum. d. cap.* 17. *sub num.* 57. *in fine*, vbi *num.* 58. rationem assignans, sic ait: *Quia quamuis hæc duo debita differant, quia in vnius origine peccatum est, & in alterius, non; quoad hunc effectum tamen, saltem in foro conscientiæ similia sunt: siquidem vtrumq; restituere tenetur, & in vtroque totalis impotentia omninò excusat: & sic in vtroque mediocris impotentia, mediocriter excusare debet, arg. de toto ad partem, l. quæ de tota, ff. de re uendic. & cap. pastoralis, §. idem si totum, de offic. deleg.*

3 Secundò ampliatur, vt vera sit, atq; ideò creditores peccent seuerè se habentes contra suos debitores ex contractu, vel delicto, qui licèt non indigeant pro conseruatione indiuidui; indigent tamen pro conseruatione status. Etenim nihil refert ad excusationem ob impotentiam, licèt debita ex delicto contracta sint; modò status, dignitas, officium, aliudue bonum, cuius iacturam passurus est debitor, si debitum satisfaciat, iustè ipsi acquisitum fuerit, vt rectè declarat *Laym.* post alios *lib.* 3. *sua sum. theol. tr.* 2. *cap.* 12 *sub num.* 2. *vers. Porrò*, vbi exemplum affert de Duce belli, qui dignitatem sui status proprio valore, ac industria iustè acquisiuit: is enim post militiam adeptus quamuis multa debita ex latrocinijs, & furtis, ac ex alijs delictis contraxerit; nihilominus non tenetur ea restituere cum iactura sui status, ac dignitatis, quam militari industria sibi comparauit, graui familiæ dedecore, vel Reip. detrimento. Dixi, *Iustè ipsi acquisitum fuerit*, quoniam si dignitatem sui status debitor acquisierit iniustè, nempè ex vsuris, furtis, aut ex alijs iniustis lucris, tunc tenetur debita suo creditori reddere etiam cum iactura decentiæ proprij status, quem iniustè ex alienis bonis fuit adeptus, vt habetur ex *Caiet. in sum. ver. Restitutio, cap* 6. *Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 58. & ex alijs apud *Laym loco cit. vers. Requiritur*, vbi tamen ex *Adriano* addit, quod si talis debitor multis debitis grauatus per partes paulatim restituere velit in commodum suorum creditorum, vt interim bona sua multiplicando, pluribus satisfacere possit, damnari non debet; dummodò damnum, quod ex dilatione solutionis, suis creditoribus resarciat. Imò quoad debita ex delicto, quę incerta sunt, & pauperibus veniunt restituenda, possunt applicari debitori pro conseruatione status indigenti, vel compositionem fieri cum S. Pontifice, vt per eundem *Layman. d. cap.* 12. *num.* 3. & 4.

4 Tertiò ampliatur eadem conclusio, vt creditor citra culpam compellere multò minus possit suũ debitorem, qui cessit bonis. Etenim debitor per bonorum voluntariam cessionem nõ potest pro debito carceribus mãcipari, vt *in l.* 1. *C. qui bon. ced. poss.* Et si post bonorum cessionem aliquid acquisierit, non potest conueniri, nisi in quãtum facere potest, seruatis ei alimentis necessarijs, secundùm statum, & qualitatem personę, vt in *l.* 4. *&* 6 *ff. de cess. bonor.* Siquidem per cessionem bonorum debitor non liberatur à reliquo debito: sed in vtroq; foro compellitur ad laborãdum, & ad acquirendum vndè soluat, quantum conditio, & personæ status permittit, vt *in d. l* 4. & quoad forum conscientiæ cum communi docet *Couar. lib.* 2. *var. resol. cap.* 1. *num.* 6 & alij apud *Laym. loco cit. num.* 5. *per totum*, vbi etiam probat, *vers. Illud vero*, quod Clerici debitores pro debito conueniri non possunt, nisi deducto ne egeant; licèt bonorum cessionem non faciant, vt in *cap. Odoardus, de solut.* vbi *Panor. & DD.* communiter.

5 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, vt creditor possit suum debitorem compellere ad soluẽdum sibi debitum, etiam si debitor indigeat pro conseruatione status, satisfaciens; si creditor etiã ob defectum solutionis debiti patiatur detrimẽtum decentiæ proprij status: siquidem in pari

causa

causa potior est conditio creditoris, vt ex communi dicit *Maior in 4. d.15. q.28. Nauar. in Man.cap 17.num.59.& Laym.d.cap.12. nu.2.*

6 Sed iuxta hoc quæro quid dicendum, si tam debitor, quàm creditor reperiantur in extrema necessitate, an scilicet citra culpam possit creditor compellere suum debitorem ad reddendum sibi debitum? In hac re tres extant opiniones: Nam prima sententia est *Scoti in 4. q.2. ar.4. in resp. ad arg. Gabr. ibidem, q.2. ar. 2. Richard.ar.5. q.4. Angelus, ver. Restitutio, num.3 Syl. ver. Restitutio, 5.q.2. Medina de restit. q 3. in causa 4. ad 4.* & aliorum, existimantium eo casu, creditorem esse præferendum, atq; ideò citra culpam posse compellere suum debitorem ad sibi reddēdum, quod debet; maximè si rem abstulit tēpore, quo ambo erant in extrema necessitate constituti: secus vero si ante; quoniam tunc res illi deberetur, qui primus in illam necessitatem deuenerit. Supponunt enim, quòd quando eodem tempore tam creditor, quàm debitor constituūtur in extrema necessitate, creditor rei suæ non amittit dominium, atq; ideò duobus concurrentibus, præfertur dominus, cum sit potior, arg. *tex. in l. quæritur, ff de stat. homin.*

7 *Lorca* verò *2.2. disp.38. sec.3. num. 11.* putat, quòd si res debita creditori manet eadem numero apud debitorem, in pari necessitate extrema, præfertur creditor, cùm sit rei dominus, non autem ipse debitor: siquidem in vero domino semper perseuerat ius præoccupationis; atq; ideò creditor citra omnem culpam eam potest sibi vendicare: & idem dicendum putat in mutuo, ac deposito. Quod si res illa confusa sit cum alijs bonis debitoris, ita vt secerni nequeat, & sic mixtione illius rei debitor efficiatur dominus, tūc præfertur debitor possessor in pari extremæ necessitatis articulo constitutus; quoniam Dominus est, potior in iure, & in possessione prior.

8 Tertia sententia, quæ nobis videtur verior, est *Palud. in 4.d.15.q.2.ar.4.concl.1. Sot. lib.4. de iust. & iure, q.7.ar.1.ad 4. Caiet. 22.q.62. ar.5. ad 4. Less. lib.2. cap.16. dub.1. num. 13. Vasq. opusc. de eleemos. cap. 1. num. 72. Turrian. 22. disp.82.dub.9. Hurtad.22.disp.159. sec.3. § 69. & Laym.lib.3. sue sum. tr.2. cap.12. sub num.2.* & aliorum, dicentium in pari causa necessitatis extremæ meliorem conditionem esse possidentis, atque ideò dicerent, eo casu non posse creditorem compellere debitorem ad sibi satisfaciendum de re debita, etiam ex delicto prouenta. Hanc opinionem probabiliorem sibi videri cēset *P. Diana par.5. resol. moral. tr.8. resol.9.* tum per rationem supra relatam; tum quia in tali necessitate omnia sunt, quoad vsum spectat, communia; quamuis res si eadem numero extet sit in dominio creditoris. Limitat tamen hanc conclusionem post *Azor. & Lorc.* nisi debitor rem furto, aut vi, & sic per rapinam rem à creditore in extrema necessitate constituto subtraxerit; siquidem licèt ipse in eadem necessitate reperiretur; tamen ad illius restitutionem potest compelli, quoniam est violentus, non legitimus rei possessor.

9 Dico secundò peccare creditores recusantes recipere à suis debitoribus solutionem debiti in alia pecunia, quàm conuenta. Etenim creditor debet esse contentus de satisfactione in quacunque alia pecunia æquiualenti, etiam si non sit speciei conuentæ, maximè si sit eiusdem materiæ, & ligæ: nam quamuis aliud pro alio, inuito creditore, solui non possit, vt *in l. Paulus, 99. ff. de solut.* nihilominus quando per debitorem fit solutio per æquiualentem monetam ex legis fictione dicitur idem solui, vt per *Bart. in d. l. Paulus, q.2. num.3.* Vnde quando solutio fit in moneta eiusdem materiæ, & ligæ potest moneta illa conuerti in monetam debitam, & sic non dicitur aliud pro alio solui inuito creditore, cùm censeatur eadem moneta, vt per *Boss in suo tr. crim. tit. de monet. num.2.* Siquidem in debito quantitatis potest vnum pro alio solui, iuxta *Glos. in l.2. § mutui, ver. non potest, in fine, ff. si cert. petat. Alber Brun. tr. de mon in 2 præsupp. sub num.1. vers. Aliqui tom.12.* quos refert, & sequitur *Scac. de commerc. § 2. Glosa 5 sub nu. 102.* vbi testatur ita docere omnes loquentes de mutuo pecuniarum certæ speciei.

10 Ampliatur hæc conclusio, vt hodie ex communi consuetudine creditor teneatur recipere solutionem in alia pecunia, quàm conuenta, etiā si differat in materia; atque ideò si obligatio sit de moneta aurea, potest fieri solutio in pecunia argentea, vt habetur *Paulo Castr. in d.l. Paulus sub num.1. ff. de sol.* & latè *Scac. loc. cit. nu.104.* vbi addit, hanc esse vnam maximam in iure nostro, vt circa pecuniæ numerationem, seu solutionem attendi debeat consuetudo patriæ, & generalem esse consuetudinem totius mundi, vt vna pecunia soluatur pro alia: quam consuetudinem vbiq; ferè esse testantur *Glosa in l. si quis argentum, C. de donat. Boer. decis 227. col.3. Caph cons.31 num.5. & 11. Soc. iun. cons.145. num.96. Cenc. de censib. par.2. cap.2. q 4. art.4. num.9.* quos nos retulimus, & secuti sumus in nostris *Comment. in extr. B. Pij V. de censib. §.3. q. 6. sub num. 48.* vbi etiam citauimus *Federic. de Mart. de iure cens cap.5. num.123.* dicentem ex vi consuetudinis compelli creditorem accipere pro auro conuento argentum, & pro maiori summa minorem; quamuis de iure debitor teneatur stare conuentioni: nec creditor cogi potest aliud monetarum genus accipere, vt *d. q. 6. num.39 cum plur. seq.* ostendimus. Et quāuis dictam consuetudinem aliqui velint esse nullius momenti, vel saltem habere lo[c]um quando species monetæ conuentæ difficile reperitur, vt diximus *d. q.6 sub num.48 & 49.* nihilominus aliter esse dicendum infra ostendimus *ampl. seq.*

11 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt hodie ex communi consuetudine teneatur creditor recipere solutionem debiti in alia specie pecuniæ, quàm conuentæ, etiam si conuentæ monetę genus reperiatur tempore solutionis. Nā adhuc debitor potest debitum soluere in pecunia ęquiualenti, attenta præfata consuetudine; vt habetur per *Scac. loc. cit. nu.106.* post alios, qui ampliationem hanc probat, tum quia Doctores ampliationem firmantes non distinguunt, an moneta conuenta reperiatur, vel non reperiatur, tum etiā quia de iure quando moneta conuenta non reperitur, potest fieri solutio in alia moneta, nempè vsuali, ac currenti, & liberatur debitor, vt per *Bart. in d. l. Paulus, num.6. ff. de solut.* habita tamen semper relatione ad æstimationem pecuniæ conuentæ, vt habetur ex *Curt. sen. in suo tr. de mon.*

*mon.num.*3.*& sub num* 4.*verf.Quarit, tom.*12. & ex alijs relatis per *Scac.vbi fup.nu.*127. Imò quando eft facta conuentio de foluendo debito in certo,ac definito monetarum genere, licèt de iure ftandum fit conuentioni fi dictum monetarum genus reperiatur tempore folutionis,vt fufficienter nos oftendimus *d.q.*6. *num.*39.nihilominus fi tale monetæ genus reperiatur quidem folutionis tempore,fed non fine magna difficultate,tunc etiam de iure folutio fieri poteft in alia moneta, iuxta tamen valorem antiquæ, & conuentæ;fiquidem magna difficultas in moralibus habetur pro impoffibilitate, *l.Iulianus*, § *fin.ff. de legat.*1.*Dec.in l.nemo poteft facere in fine*, *ff.de regul.* & in terminis noftris *Cenc. d. ar.* 4. *num.* 12.quem retulimus vna cum *decif. Rota Rom. d.q.* 6. *num.*45. Vndè ficut de iure poteft in dictis cafibus fieri folutio in alia moneta,quã conuenta; ita etiam ex vi confuetudinis poteft eodẽ modo folui fimpliciter, etiam extra dictos cafus,vt cenfeatur aliquid operari.

12 Tertiò ampliatur ipfa conclufio, vt cui talis confuetudinis creditor teneatur recipere folutionem debiti in alia pecunia, quàm conuenta, etiam fi obligatio fit de tali fpecie pecuniæ,& nõ de alia;atque ideò debitor fe obligauerit expreſsè foluere debitum in pecunia conuenta,& non in alia:ac pecunia conuenta non reperiatur tempore folutionis faciendæ;vel fi reperiatur,id non fine magna difficultate contingeret: Siquidem fi pecunia conuenta non reperiatur, folutio illius eft impoffibilis: & fi reperiatur non fine magna difficultate, eft etiam ipfa folutio moraliter impoffibilis: quia magna difficultas in moralibus habetur pro impoffibilitate, vt fupra diximus: at ad impoffibile nemo tenetur, arg *tex.in cap.erit autem lex*,& ibi,*Glofa in verf.Poffibilis*, *d.*4. *& Scacc.de commerc.§.*2.*glofa* 5 *num.*128.vbi *nu.* 130. id verum effe putat, etiam fi promiffio de reftituendo, feu foluendo eandem fpeciem monetæ, & non aliam, effet iurata: fiquidem iuramentum regulatur fecundum naturam actus, fuper quo interponitur.

13 Quartò ampliatur cõclufio prædicta, vt extendatur, etiam fi folutio promittatur de pecunia imaginaria,nempè de libris,feu libris,ac de fcutis de Marcha, quæ non reperiantur in rerum natura, & folutio intelligitur de fcutis aureis quinq; ftamparum: fiquidem vi confuetudinis liræ, feu libræ prædictæ foluuntur in alijs monetis,vt rectè declarat *Scacc.loco citato, nu.*18. & fignanter Genuæ ex decreto Senatus Ian. fcutum Marcharum foluitur in moneta argentea, vt diximus in noftris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V.de camb.§.*1.*q.*27.*num.*16.

14 Sic ampliata limitatur ipfa conclufio; vt creditor non teneatur recipere aliam monetam pro conuenta, quando pateretur damnum ex receptione æquiualentis pecuniæ,vt in *l.Paulus*, 99. *ff. de folut.* & rectè declarat *Scacc. d.glofa* 5.*num.* 102.*cum plur.feq.*vbi ex *Bruno*, & alijs ita putat effe intelligendam Confuetudinem, de qua agitur: & intelligendam effe *decif. Rota Rom.* & propterea *num.*107. inquit præfatam Confuetudinem effe ferè elufioriam, cùm creditor femper damnum quafi fentiat ex folutione in alia moneta,quam in moneta debita. Imò hanc confuetudinem nullius momenti effe quidam contendũt; quoniam acceptio illa in alia fpecie monetæ,quã in conuenta, fuit introducta ex ciuilitate, & beneuolentia; atque ideò non eft fufficiens ad inducendam confuetudinem; nam ex ijs, quæ dependent ex mera facultate non inducitur cõfuetudo,vt in fpecie ex *Federico Mart.de iure cenf. cap.*5.*num* 123.adnotauimus,quamuis non fuerimus eos fecuti in noftris *Commẽtar. in extrauag.B.Pij V.de camb.§.*3.*q.*6.*num.*49.

15 Dicitur autem damnum pati creditor ex receptione alterius pecuniæ,quam conuentæ, non ex eo,quia illa moneta fibi non placeat;fed ex eo quòd ex talis pecuniæ receptione patrimonij diminutionem patitur,vt per *Bart. in d. l.Paulus, fub num.*3.*ff.de folut.*quod quidem contingere poteft vbi agatur de notabili quantitate pecuniæ, & pro moneta breui cogeretur recipere longam, & ponderofam ab ipfo creditore deferendam in longinquas partes: fiquidem difficilius defertur longa,quàm breuis, & non citra expẽfas aliquas. Sic etiam creditor fcutorum folis profecturus in Galliam non cogitur recipere ducatos; quia ducati in Gallia expenduntur pro minori valore,& non eft tantum intereffe pro delatione dictorum fcutorum,vt benè declarat *Scacc.loco citato,fub num.*108. vbi plura affert exempla, qui quidem licet ex eis,*in verf.Infero*, inferat,confuetudinẽ fupradictam effe inanem; eo quòd femper creditor patitur damnum ex folutione debiti in alia pecunia, quam conuenta; nihilominus ego arbitrer non effe inanem;quia multi dantur cafus,in quibus poteft fieri folutio alterius monetæ, quã cõuentæ citra omne damnum creditoris.Etenim fi pecunia conuenta fit aurea,& pauciffimæ quãtitatis, nihil intereft creditoris quòd ei fiat in alia moneta faltem etiam,quòd aliò fit eam tranfmiffurus:& fi eam non aliò effet tranfmiffurus, fed erogaturus in expenfas quotidianas, idem dicendum, eftò quòd agatur de mediocri pecuniarum quantitate. Sic etiam fi obligatio pecuniæ conuentæ Florentiæ fit in ducatis Florentinis,& folutio fiat in teftonis Florentinis,aut Romanis, nullum damnum dicitur fubire creditor, maximè fi eam non fit aliò translaturus; fed expenfurus in eadem Ciuitate Florentiæ, in qua promiffa eft folutio. Idem dici poteft in multis alijs cafibus,vt confideranti patet: ergo confuetudo prædicta non eft inanis ex eo,quòd femper patitur damnum creditor recipiendo pro pecunia conuenta aliam pecuniam:fed potius dicitur iuri communi conformis quando agitur de debito quantitatis,iuxta *Glof.in l* 2.*§.mutui*, *verf. Non poteft*. Siquidem in debito quantitatis poteft vnum pro alio folui fecundum iura allegata per *Glof* ibi, vbi etiam addit, quòd quando debitum eft fpeciei, non poteft vnum pro alio folui de iure,inuito creditore, nifi iufta caufa intercedat,ad quod allegat *tex.in l.fideicomm.* §.*fi feruo ff de legat.*3.

Secundo limitatur dicta conclufio, vt vna fpecies pecuniæ non poffit folui pro alia conuẽta, quando debitor litem conteftatus eft fuper fpecie monetæ conuentæ, vt habetur ex eodem *Scacc.loco citato,num.*143. ad quod allegat *tex. in l.fi quis ftipulatus,ff.de folut.& num.*144.declarando dictam limitationem probat eam procedere, quando facultas foluendi in adiecto cõpetit ex difpofitione hominis; fecus autem fi ex dif-

dispositione legis; quoniam tunc facultas durat etiam post litem contestatam, cum mitius agatur cum lege, quàm cum homine, vt per *Bart. & Paul. Castr. in d. l. si quis stipulatus.*

16 Dico tertiò peccare creditores exigentes pecuniæ diminutæ supplementum à suis debitoribus, in mora soluendi debitum non constitutis. Etenim quando debitor soluit in tempore, damnum pecuniæ debitæ, ac diminutæ pertinet ad creditorem; sicut ad eundem pertineret augmentum, si pecunia debita fuerit aucta, vt latè habetur ex *Sola tract. de monet. cas. 24. numer. 1. & seq.* & ex alijs apud *Scacc. de commerc. §. 2. glos. 5. num. 148.* Dixi: *A suis debitoribus, in mora soluendi debitum non constitutis*, quoniam debitores si fuerit in mora, tunc damnum diminutæ pecuniæ spectaret ad ipsos, non autem ad creditores, vt ex *Gabr.* & ex alijs docet idem *Scacc. loco citato, sub num. 147. cum plurib. seq.* vbi *num. 153.* agens, è conuersò de mora creditoris in recipienda solutione pecuniæ sibi debitæ, & realiter congruis loco, & tempore oblatæ, concludit eiusmodi moram nocere creditori moroso: quia contra contumaces omnia iura clamant; atque ideò si valor, seu pretium scutorum quinque stamparum, qui sunt in obligatione creuerit post oblationem debiti à debitore factam, illud augmentum erat debitoris, ita vt si illud totum augmentum ascenderet ad duos scutos aureos stamparum, & debitum sit centū scutorum stamparum, debitor non tenetur soluere integros scutos centum, sed tantum nonaginta octo, & dicetur dare centum, attento valore temporis, quo erant soluendi, & fuerāt realiter oblati, vt habetur ex *Paul. Castr. in l. Paulus, sub nu. 4.* ibi, & è conuersò, *ff. de solut. Brun. de mon. lim. 1. num. 2. in fine, & num. 3.*

17 Regulariter autem hæc, quæ diximus de moroso creditore vera sunt, quando à debitore fuit facta realis pecuniæ conuentę oblatio suis loco, & tempore; secus autem si fuerit facta verbalis tantùm, quoniam hæc satis non esset, vt per *Anch. cons. 86 num. 3. Gabr. lib. 3. comm. concl. tit. de solut. concl. 8. num. 1.* quæ quidem realis oblatio debet fieri cum sacculo, & numeratione, vel saltem cum sacculo; aliàs non diceretur realis, vt habetur ex *Io. Bapt. Lupo, in l. 2. com. 2. §. 3. num. 3. C. de pact. inter empt. & vendit.* Imò oblatio facta in sacculo, aut marsupio nō iuuat, nisi pecunia ab eis extrahatur, & numeretur coram testibus, & deindè reponatur in sacculo, seu marsupio, & offeratur, vt rectè declarat *Scac. in suo de commerc. §. 2. Glosa 5. cum plurib. seq.* vbi etiam addit, quòd ad constituendum creditorem in mora vt supra, satis est aliquando sola conuentæ, seu debitę pecuniæ verbalis oblatio, vt si debitor solo verbo offerat creditori pecuniam debitā; & ille responderet nolle recipere: tunc enim constituitur in mora creditor, inquit *Gabr. loco cit.* à qua communi opinione putat non esse recedendum, vt sequitur *Scac. vbi sup num. 157.* vbi tamen, *num. 158.* id probat esse verum, quādo creditor, cui solo verbo offertur solutio, diceret expresè, nolle eam recipere; secus autem si taceret; & insuper *n. 160. & 161.* addit, quòd oblatio realis, seu verbalis, de quibus agitur, licet possint nocere creditori quoad augmentum, & diminutionē ualoris monetæ, seu alterius rei debitæ, & possint iuuare debitorem, ne contrahat moram, atque ideò ne incidat in pœnā, & ne teneatur ad interesse; nihilominus quoad interitum pecuniæ, seu rei debitæ, huiusmodi oblationes non iuuant ipsum debitorem, nisi vltra oblationes ipsas faciat depositum; aliàs si pecunia, aut res debita oblata pereat, non liberatur ipse debitor, vt *in l. acceptā, C. de vsur.* & alij apud eundem *Scac. vbi supra, & num. 162. cum plur. seq.* sufficienter hanc rem explicat.

18 Dico quartò nō solùm peccare creditores petentes bis debitum; sed etiam teneri ad refectionem damnorum, & expensarum: & insuper efficiuntur rei criminis stellionatus, iuxta ea, quæ habentur per *Maran. cons. 38. num 10.* Est tamen verum, quòd creditor nunquam prædicta pœna plectitur, nisi debitum bis petitum simul exigat, arg. *tex in l. Papinianus, §. meminisse ff. de inoffic. testam* latè *Rouit. in prag. Regni, prag. 7. sub tit. de fals.* qui testatur ita fuisse decisum: semper tamen venit priuandus iure suo, nisi per inaduertentiam debitum bis peteret: quod Iudicis arbitrio remittitur, vt habetur ex *Farin. in suis fragm. ver. Creditor petens debitum, num. 732. cum seq.* Imò non solum creditor peccat petendo bis debitum; sed petens plus debito, & potest puniri tanquam temerè litigator pœna pecuniaria, periurij, ac infamiæ, vt *in §. 1. & toto titulo in Instit. de pœna temerè litig.* Sed iuxta hoc quæro; an creditor peccet, petendo bis debitum à suo debitore ex vna causa, ad recuperandum aliud debitum ab eodem debitore ex alia causa, iniustè, ac scienter, & dolose sibi denegante: & quod aliter debitum ipsum recuperare nequeat, cùm non habeat nec testes, nec instrumenta, aut chirographa, quibus probare debitum possit. Hęc difficultas explicabitur ex ijs, quę dicemus dicto sequenti.

19 Dico quintò peccare creditorem si debitum illiquidum, aut liquidum, quod Iudicis auctoritate à suo debitore de facili consequi poterat, clam suscipiat & eo maximè si citra scandalum id non agat. Etenim quamuis creditor possit debitum, aut loco debiti tantundem in valore de bonis debitoris clam suscipere citra culpam, & obligationem restituendi, vt *in l. si res, & l. si is qui rem, ff. de furt. & D. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 5. ad 3.* & hoc siue id, quod capit, sit vsu consumptibile, siue non, vt contra *Panor. in cap. bona fides, de depos.* communiter *DD.* docent; nihilominus ad hoc, vt licitè fieri possit multæ conditiones exiguntur: quarum prima est, vt debitum sit liquidum, & certum: quocirca si debitum sit ambiguum, non potest illud creditor occultè accipere, cùm in dubijs melior sit conditio possidentis: & in foro conscientiæ illud debitum dicitur liquidum, quod est certum. Vndè *Gabr. in 4. d. 15. q. 4. ar. 2. concl. 2.* dum ait, quod liquidi ad non liquidum habet locum compensatio in foro conscientiæ, intelligitur de liquido, & illiquido propriè dictis: siquidem de iure debitū dicitur liquidum, quod adeò certum est, & euidenter apparet per publicas scripturas, vt illius non possit impediri executio: illiquidum verò nuncupatur, vel quod est incertum, vel licèt sit certum, non tamen habet executionem paratam: & de huiusmodi illiquido loquitur *Gabr.* fieri

 posse

posse compensationem in foro conscientiæ. Verum tamen est, quòd si dum creditor debitum accepit, si deindè efficiatur certus de debito, licèt peccauerit accipiendo; licitè tamen id sibi retinet, nec tenetur restituere, si aliæ concurrant conditiones, de quibus infra dicemus, vt benè declarat *Sayr. lib. 9. Clauis Reg c. 14. sub n. 7.* Secunda conditio est, vt debitum aliter compensari non possit, aut si possit, nō sine notabili iactura, & ad illud recuperandum, nihil prodesset petere à debitore; tunc enim licitum esset creditori clàm illud subtrahere; aliàs secus: quam cōditionem potissimam esse inter alias, ait *Sayr. loco cit. vers. Quarta conditio*, & in *vers. Quinta conditio.* Tertia conditio exigitur, vt debitum sit ex iustitia, nō autem ex charitate, aut ex gratitudine. Vndè qui alicui pauperi alimenta tribuit, non poterit ab illo si ad pinguiorem fortunam deuenerit, aliquid occultè in compensationem accipere, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 113. Cord. in sum. q. 3.* & latè declarat *Sayr. ibidem, sub num. 6.* vbi ad plura infert, & præsertim *illat. fin. ex Cord.* quem sequitur *Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. par. 4. dub. 8. num. 396. & Martin. Nauar d. cap. 17. num. 114.* inquit, peccare illos, & ad restitutionem teneri, qui aliquid accipiunt clàm ratione pœnæ: quia pœna non debetur ante condemnationem. Quarta, quinta, & sexta conditiones sunt, vt creditor non plus accipiat, quàm sibi debetur ex iustitia: quòd citra scandalum id fiat: & quòd admoneat debitorem, vel eius hæredem iam debitum esse solutum.

His conditionibus non concurrentibus citra culpam non potest creditor pro debito clàm sibi satisfacere. Vndè ex dictis patet etiam quid dicendum sit ad difficultatem propositam in præcedenti dicto in fine. Respondemus creditorem citra culpam non posse petere bis debitum ex vna causa à debitore ex alia causa, denegante debitum: nam estò quòd eiusmodi creditor aliter non possit recuperare suū, nec plus petat, quàm sibi debetur ex iustitia: quod debitum sit certū, & quòd debitorem interpellauerit: nihilominus ob id petere bis debitum non potest fieri sine scandalo, ac mendacio; maximè si debitor possit probare debiti satisfactionem, atq; ideò à culpa non esset immunis. In omnem euentum, quia in vtroque casu supponimus debitum esse certū, ad accepti restitutionem huiusmodi creditores non tenerētur: nam quamuis illicita fuerit ablatio ex defectu alicuius ex dictis conditionibus; non tamen dicitur iniusta, cum re vera rem propriam acceperint, ad quam ex iustitia tenebatur debitor, & cui nullam iniuriam intulit ipse creditor, vt rectè declarat, & indè plura deducit idē *Sayr. loc. cit. num. 7. & 8.*

20 Dico sextò peccare creditorem pignore à suo debitore accepto vtentem: siquidem huiusmodi creditor furtum committit, vt *in l. si pignore in prin. ff de furt.* in illis verbis: *Si pignore creditor vtatur furti tenetur*; sic etiam furti reus est creditor si pignus vendat antequam debeat, vt *in l. si is qui, ff. eod.* ita se habente: *Si is, qui pignori rem accepit: cùm de vendendo pignore nihil cōuenisset, vendidit: aut antequam dies venditionis veniret, pecunia non soluta, id fecit, furti se obligat.*

21 Ampliatur hæc conclusio primò, vt non solùm furtum committat creditor vtens pignore sibi à suo debitore tradito, sed etiam in vsuræ crimen incidat, etiam si cum debitore conuenerit, vt vti illo valeat, & fructus ab eo percipere: siquidem id esset contra naturam pignoris; atq; ideò contractus esset vsurarius; quoniam paria sunt de pignoris fructibus pacisci, ac de vsuris præstandis, vt *in cap 1. de vsur.* Etenim qui fructus ex pignore percipit, perindè est ac si pecuniam sibi debitam debitori mutuasset, & ratione mutui palliati ex pignore fructus percepisset, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 78 ar. 2. Syl. in sum. ver. Pignus, q. 7.*

22 Secundò ampliatur, vt creditor non possit vti pignore, & fructus ab eo percipere, non computando in sortem, etiam si per longum tempus illud possederit, vt si Vasallus à Domino Castrū in pignus acceperit, & per longum tempus in eiusdem possessione permanserit: tunc enim creditor non potest fructus illius sibi facere, etiam si debitum debitor non obtulerit creditori; sed tenetur illos in sortem computare, quæ compēsatio fit ipso iure, etiam nemine opponente: & id ad euitandum vsuræ crimen, vt *in l. 1.* & ibi *Glosa, & Bald. C. de distr. pign. Mant. de tacit. & ambig. conuent. lib. 11. tit. 8. num. 3. cum seq. Reginald. lib. 25. sua prax. num. 503.* & alij apud *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12 cap. 18. num. 56.*

23 Tertiò ampliatur, vt creditor adeò pignore vti nō possit, vt teneatur fructus in sortem computare non solùm perceptos; sed etiam qui percipi potuerunt, & creditor culpa sua non percepit, vt *in l. creditor, C. de pignor. act. l. 2. C. de par. pignor. & omni caus. Surd. decis. 270. Syl. in sum. ver. pignus*, & alij, quos refert, & sequitur *Reginal. loc. cit. num. 594. & Molfes d. cap. 18. num. 57.*

24 Quartò ampliatur eadem conclusio, vt nec creditor pacisci possit cum suo debitore, vt debito non soluto infra tempus conuētum, pignus remaneat in dominio ipsius creditoris: siquidem eiusmodi pactum tanquam vsurarium à iure meritò reprobatur: eo quòd semper pignus maius est credito, vt *in cap. significante, de pignor. l. fin. C. de pac pig. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 2. num. 7. Nauar. in Man cap. 17. num. 203. Reginald. d. lib. 25. sua prax num 597. & Molfes. d. cap. 18 num. 66. vbi num. 68.* id ampliat verum esse, etiam si creditor conueniat, vt non facta sibi satisfactione intra certum tempus possit pignus retinere sibi in feudum, vel in emphyteusim; quoniam concessio in feudum, & in emphyteusim debet fieri liberè, & non prouenire ex causa pignoris: & huiusmodi pactum est legis commissoriæ, quod de iure reprobatur, vt est *tex. in cap. 1.* & ibi *Glosa de feud. dat. in vic. leg. commiss.* latè *Reginal. vbi sup.* post alios, *num. 599.* Est tamen verum, quòd si creditor paciscatur cū debitore, vt si debitum non soluat præfixo termino, pignus remaneat in dominio ipsius creditoris pro pretio æstimando per expertos, tunc pactum huiusmodi erit validū, cùm resoluatur in contractum emptionis, & venditionis conditionalem pretio iusto per Peritos præfigendo, vt *in l. si fundus, §. fin ff. de pignor. & hypoth. Reginal. loc. cit.* & latè *Mant. de tacit. & ambig. cōuent. tit. 10. num. 14. cum seq.* vbi post multa ex com-

cõmuni DD. sentẽtia concludit, esse in arbitrio debitoris restituere pecuniam creditori, vel perficere contractum emptionis, & venditionis.

25 Sic ampliata limitatur primò hæc ipsa cõclusio, vt locum non habeat in creditore ex contractu anthycresis, qui in Germania maximè frequenter celebratur inter Principes. Solet enim Princeps aliquis pecunia indigens illam mutuo accipere ab alio Principe, cui dat in pignus Ciuitatem, Terram, aut Castrum eo pacto, vt ex ipsis fructus percipiat, & non teneatur eos in sortem computare, donec Princeps, qui pecuniam mutuo accepit, eamdem mutuanti restituat. Is enim licitè fructus ex pignore percipit, nec tenetur illos in sortem computare: siquidem non percipit fructus ex pignore tãquam ex pignore, sed ex censu consignatiuo: nam licèt huiusmodi contractus sonet contractum mutui cum lucro fructuum dati pignoris; non tamen est talis, sed est contractus veri census consignatiui sub pignore, cuius fructus assignantur Domino cẽsus pro redditibus annuis. Etenim dum Princeps ille, Principi pecunia indigenti pecuniam mutuat sub pacto, vt sit in mutuatarij potestate illum reddere mutuanti, qui pignus accepit ea lege, vt eius fructus sibi faciat, quamuis verba sonent mutuum, re vera tamen non est mutuum sub pignore; nam de ratione mutui est, vt repeti possit ad libitum mutuantis, ut *in l. 1. & 3. ff si cert.* Nec potest dici emptio, seu venditio rei traditæ in pignus; quoniã res illa datur in pignus, quod cum emptione simul esse non potest: nam si res esset vendita, eiusdem dominium in emptorem censeretur translatum, cum pignus in re propria consistere non valeat, *l. neque pignus, ff. de regul. iur.* Erit ergò emptio, seu venditio census consignatiui, in quo datur pecunia in pretiũ fructus pignoris; atque ideò fructus ex pignore percipiendi ius se habet loco mercis, & res ipsa pro securitate datur in pignus: & sic duo contractus celebrantur simul; alter scilicet emptionis, seu venditionis census: & alter impignorationis cũ pacto redimendi rem ipsam pignoratam: siquidem in contractibus nõ tantùm verba, sed multò magis attenditur mens contrahentium, vt *in l. C. plus valer. &c.* Est tamen verum, quòd ad

26 hoc, vt contractus eiusmodi dicatur census cõsignatiuus pretium census, atq; ideò pecunia, quæ datur debet esse proportionatum fructibus pignoris iuxta censualium pensionum leges, & locorum consuetudines: & stante pignore accepto, cùm emptor census securus reddatur de sorte, ac pensione, non debet tantam pensionem percipere, vt latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. in proem. q. 24. num. 18. cum plurib. seq.* vbi etiam *num 25. & 26.* idem dicendum esse ostendimus de contractu, qui in Italia vulgò dicitur, *Agodere*, vt cum quis dat alicui propriam domum, vt ea fruatur, recepta ab eo certa pecuniarum summa: dummodò sit in arbitrio recipientis pecuniam eam restituere, vel nõ restituere: & fructus iustæ pensioni correspondentes percipiantur: & qui supersunt, restituantur; aut in sortem computentur. Siquidem eiusmodi contractus licèt uocetur ad gaudendum, re uera tamen est contractus censualis consignatiuus redimibilis cum pignore.

27 Secundò limitatur eadem conclusio, vt licèt creditor non possit pignoris fructus suos sibi facere; nihilominus id locum non habet in Domino directo recipiente à proprio feudatario, ac Vassallo feudum in pignus: quoniam potest ex eo fructus percipere, & in sortem non tenetur computare, nec Vassallo eos restituere, vt *in cap. conquestus, de vsur.* Etenim quando directus Dominus percipit fructus ex pignore feudali à proprio Vassallo sibi tradito, non percipit illos ex pignore tanquam ex pignore; sed tanquam ex re propria directi Domini: siquidem res feudalis quãdo pignoratur directo Domino feudi; tunc incipit Dominus habere non tantùm dominium directum rei feudalis; sed etiam dominium vtile, atque ideò vtrumque dominium: & proindè licitè facit fructus suos, cum de re, cuius vtrumq; dominium habet fructus percipiat. Nec obstat si dicatur; quod dominium vtile nõ videtur translatum vigore constituti pignoris à Vassallo penès directum Dominum, dum quandocumq; rem ipsam pignoratam redimere possit, reddito pretio; quoniam respondetur, quòd dominium in actu transfert Vassallus, retento sibi solùm dominio in habitu, vt habetur ex *Cõrado, de contr. q. 22.* vbi prædicta extendit etiam in Dominum directum, qui rem emphyteoticã à suo emphyteuta accepit in pignus: nam eadem ratione ex illa re pignorata potest fructus percipere, & illos non tenetur in sortem computare. Vndè *tex. in d. cap. conquestus, de vsur.* licèt loquatur de Ecclesia, quæ accepit feudum in pignus à proprio Vassallo; non tamen disponit specialiter fauore Ecclesiæ, vt ibi *Glosa* videtur velle: quoniam vsura cùm sit iure Diuino, ac naturali prohibita, intrinsecè, & ex obiecto mala, super eam nulla cadit dispensatio, vt *in cap. super eo, de vsur.*

28 Tertiò limitatur prædicta conclusio, vt creditor ex pignore percipere possit fructus ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Etenim creditori debetur huiusmodi interesse, non solùm sibi prouenienti ex mora debitoris non soluentis debitum præfinito tempore: siue debitum spontè, siue coactè fuerit initum, arg. *tex. in l. 3. §. fin. ff de eo quod cer. loco, Glos. in d. cap. conquestus, de vsur. & cap. conquestus, & cap. constitutus de fideiuss. Nauar. in cap si feneraueris, num. 42. 14. q. 3. Conrad de contr. q 30. concl. 2. Molina eod. tr. disp. 315. & alij.* Siquidem mora illa debitoris est contra iustitiam; atque ideò est causa interesse contra iustitiam: sed etiam debetur interesse ipsi creditori prouenienti, etiam ante moram debitoris; quando creditum non fuit contractum spontè; sed coactè: nam tunc creditor nec expressè, nec tacitè censetur consentire in illa damna, vel dispendia, vt rectè declarat *Salon. in D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 8. num. 6. in fine, Conrad. de contr. q 42 & 43. & Mol. loco cit.* cum alijs, quos allegant. Imo interesse damni emergentis exigi potest etiã si nec vis, nec mora aliqua interuenerit; modò debitor admonitus fuisset tempore contractus damni, quod euenire poterit, & fuisset contentus vna cũ sorte reficere, vt habetur ex *D. Th. 2. 2 q. 78. ar. 2. & Mol. de contr. disp. 314. num. 6.*

29 Est tamen verum, quòd creditor nunquam potest totum damnum formidatum pacisci: quoniam

niam adhuc incertius est, quàm præsens. De dāno verò non probabili nullus citra culpam, & vt plurimum citra vsuram pacisci potest; nisi sub conditione, vt si quid damni acciderit, resarciat: aliàs secus, vt habetur ex *Soto lib. 6. de instit. & iure, q. 1. ar. 3 & Tol. loco cit.* Idem dicendum est de interesse lucri cessantis, secundùm sententiam magis receptam; atque ideò licitum esse creditori habenti fidem de pretio, vel mutuanti spontè, qui pecunias suas habeat expositas negotijs, & lucrum deducere in pactum, sibi cessans, etiam ante moram, vt habetur ex *Gabr. in 4. d. 15. q. 11. ar. 1, not. 2. Conrad. de contr. q. 30. concl. 4. Mol. eod. tr. disp. 315. Conar. lib. 3. var. resol. cap. 4. Syl. in sum. ver. Vsura, 9. q. 19. Nauar in Man. cap. 17. num. 211. Salon. in D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 9. Less. lib. 2. de instit. & iure, cap 20 dub. 11. & alij.* Etenim pecunia illa credita mutuata pluris valet creditori quatenus subest eius industriæ ad lucrum ex ea faciendū, quàm ipsa per se considerata: est enim velut semen fecundum lucri per industriam, quo lucrū ipsum virtute continetur: ergò plus pro ea exigi potest, quàm ipsa per se valeat, vt habetur ex Doctoribus sup. citatis, qui plures alias rationes afferunt, & soluunt cōtraria aduersariorū: quod quidem intelligendum est, concurrentibus conditionibus, de quibus *Conrad. & Less locis citatis, & Nauar. in Man. d. cap. 17, num. 211.* qui non omnes putat esse necessarias.

30 Ex his igitur patet, quòd si quis vendit alicui domum, & habet ei fidem de pretio, vel mutuat pecuniam siue spontè, siue coactè, ante, vel post moram, & recipit pignus, potest ex eo fructus percipere ratione lucri cessantis, vel dāni emergentis, iuxta ea, quæ sup. diximus; quia fructus illos non dicitur percipere ex pignore tanquam ex pignore, sed ex alia causa. Verùm si fructus, quos percipit ex pignore sint supra interesse passum, tenetur creditor debitori restituere, vel in sortem computare. Sicut supra diximus de percipiente fructus ex Castro, seu Ciuitate datis in pignus, vel de domo data ad gaudēdum: quibus adde, quę habentur ex *Mant.* post alios, *lib. 11. de tacit & ambig. conuent. tit. 8. cum seq.*

31 Quartò limitatur dicta cōclusio quoad quartam ampliationem, vt licèt creditor non possit pacisci cum debitore, vt debito non soluto, pignus remaneat in dominio creditoris pro pretio debito; nihilominus valet pactum cum debitore initum, vt non soluto debito præfinito tempore, pignus remaneat in dominio creditoris pro pretio æstimando per expertos, vt ibi diximus: vel possit creditor pignus alteri pignorare, ac obligare; quoniam id prouenit ex iuris dispositione, cùm hoc sit ius reale, & possit transire de persona in personam pro illa quantitate, pro qua fuit primo loco datum pignus, vt habetur ex *Nauar. in Man cap. 17. num. 203. Reginal. lib. 25. sua prax. nu 603.* & ex alijs relatis à *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 18 num. 72.* vbi etiam *nu. 73.* probat, fieri posse pactum, dummodò dolus absit, in beneficium fideiussoris, vt si debitor debitum non soluat præfinito tempore, pignus remaneat in dominio ipsius fideiussoris, seruata tamē ęqualitate iustitię, vt est *tex in l. fin.* & ibi *Bart.* & alij *ff. de contrah. empt. Conar. lib 3. var. resolut. cap. 2. num. 2. 7. & 8. & Reginal. d. lib. 25. num. 600.* Idem dicendum est de pacto, quo creditor assumeret sibi onus casus fortuiti; nempè quòd si pignus etiam casu ammitteret, debitor sit liberatus, *l. quæ fortuitis, C. de pign. act.* Est enim validum hoc pactum; sicut etiam valet pactum, vt donec debitum fuerit integrè solutum, pignus maneat apud creditorem, vt *in l. quamdiu, C. de distr. pign.* & latè *Molfes. loco cit. num. 74. & 75.* cum alijs, quos allegat.

32 Quintò limitatur præfata conclusio, vt licèt regulariter non possit creditor fructus ex pignore percipere; nisi computet eos in sortem principalem: nihilominus si marito fuerit datus fundus in pignus, donec dos ei fuerit soluta, tunc maritus poterit ex eo fructus percipere, & in sortem non computare: quoniam eo casu non dicitur maritus fructus ex pignore, tanquam ex pignore, sed pro oneribus matrimonij, vt in *cap. salubriter, de vsur.* latè *Mol. de contr. disp. 321. Ioan. Bapt. Lup. in l. curabit, com. 1. §. 4. num. 75. cum plur seq. Tolet. lib. 5. sua summ. cap. 30.* & alij recentiores. Quod quidem verum est non solum in genero respectu soceri, sed in quolibet marito, etiam si diues sit, habeatque aliundè vndè viuat: siquidem ex natura contractus dotales fructus illi debentur: & propterea militat eadem ratio, arg. *tex. in l. illud ff. ad l. Aquil Caiet. in D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 2.* vbi etiam *Salon. contr. 14.* Hac eadem ratione maritus pro dote sibi promissa non soluta non modò potest fructus ex pignore percipere, & in sortem non computare; sed etiam cū eo, qui dotem promisit, & non soluit pacisci vltra sortem certam quantitatem, singulis annis sibi soluendam, donec de dote fuerit sibi satisfactum. Etenim dos datur propter onera matrimonij, & ideò, dote non soluta, debetur marito emolumentum aliquod ex natura contractus dotalis ad onera matrimonij substinendā, vt habetur ex *Panor. in d. cap. salubriter, de vsur. Conar. lib. 3. var. resolut. cap. 1.* cum alijs, quos refert, & sequitur *Ioan Bapt. Lup. in d. l. curabit, com. 1. §. 4 num. 75. 76. & 77.* Imò non solùm maritus pro dote sibi promissa, & non soluta, potest fructus ex pignore percipere, aut emolumentum aliquod ad onera matrimonij substinenda. Sed è conuerso vxor à viro in casu diuortij: quoniam dos succedit loco alimentorum: & proindè, dote sibi nō restituta, debentur eidem alimenta, pro quibus licitè poterit percipere fructus rei pignoratæ, aut emolumentum aliquod, donec dos sibi restituatur, ita *Sot. lib. 6 de inst & iure, q 1. ar. 2. Salon. in D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 15.* & alij.

33 Idem dicendum de vxore vidua, soluto matrimonio per mortem viri: siquidem potest ab hæredibus viri fructus ex pignore, aut emolumentum aliquod consequi loco alimentorum, etiam infra viduitatis annum, donec dos sibi restituatur: quoniam pecunia illa dotalis eiusdem naturæ est ad quemcunque transeat, & alimentorum onus habet annexum pro ipsa vxore, & eiusdem familia, vt habetur ex *Soto loco citato, & Conar. lib. 3. var. resolut. cap. 1. illat. 7.* Quę quidem alimenta percipere potest vidua, etiā si habeat alia bona vndè viuat: quoniam sicut vir ad alendam vxorem, & propter alia onera matrimonij potest licitè fructus ex pignore percipere, uel emolumentū aliquod quandiù dos promissa non soluitur, etiam si ipse alia bona habeat, ita, & vidua, donec

donec dos sibi reddatur, cùm non possit assignari diuersitatis ratio, vt benè docet *Salon. loco citato*, vbi etiam addit, quòd licet lucra vxoris cedant in vtilitatem viri, cùm quicquid acquirat sit conuertendum in vtilitatem familiæ, durante matrimonio; nihilominus lucra, quæ propria industria vidua comparauit in domo hæredum, pendente restitutione dotis, cedunt in beneficiū ipsius, non autem hæredum; nisi dos adeò exigua esset, vt omnes fructus eius ad sola alimenta præstanda satis non essent: nam quamuis hæredes succedant in locum viri, quoad obligationem soluendæ dotis, aut quoad alimenta viduæ subministranda, donec dotem ipsi restituant; non tamen succedunt in omni iure, quod habet vir in operas, & industrias vxoris. Quæ quidem vera sunt vbi hæredes parati non sint dotem restituere; aliàs si parati sint, vidua non potest fructus ex pignore, aut emolumentum aliquod ex dote cōsequi, vt benè declarat *Salon. loco citato*. Et ita intelligenda sunt nonnullarum Ciuitatum statuta, disponentia, vt qui promittit dotem, & hæredes eius quousque illam soluant: & è conuerso maritus, qui eam recepit, & hæredes eius donec illam reddant vxori viduæ, aut separatæ certum aliquod emolumentum quot annis donent: quia illud non consequitur ratione mutui impliciti, sed vt quoddam debitū certum, subrogatum loco debiti incerti; nempè pro debito oneris matrimonij respectu viri, & alimentorum respectu vxoris, vt per Doctores supra citatos, non obstante contraria sententia *Molinæ de contr. disp. 322.* negantis respectu vxoris, nisi adsit interesse lucri cessantis, vel damni emergentis. Quid autē dicendum sit de alimentis præstandis viduæ ab hæredibus viri infra annum luctus, latè habetur per *Doctor. in l. 1. C. de rei vxor. act.*

34 Est tamen verum, quòd ea, quæ supra diximus locum sibi vendicant si quatuor concurrant cōditiones; aliàs secus; Harum conditionum prima est, vt licet tunc maritus possit fructus ex pignore percipere, donec dos sibi soluatur; nihilominus eos tantùm percipere potest, qui necessarij sunt ad subeunda onera matrimonij: qui verò supra matrimonij onera sunt, restituere compellitur, aut in sortem computare. Etenim eiusmodi fructus conceduntur marito ad supportāda matrimonij onera dumtaxat; ergò illis cessantibus, cessant fructus, ita *Conar. & Ioann. Bapt. Lup. locis citatis*, cum alijs, quos allegant: quam quidem conditionem tunc veram esse, inquit *Salon. d. contr. 15.* quando fructus pignoris adeò excedunt matrimonij onera, vt socer grauiter remaneret circumuentus: aliàs si parum excederent, non teneretur maritus illos fructus in sortem cōputare: nam cùm ex natura contractus dotalis eos consequatur, & pignus sibi retineat, donec dos sibi soluatur, sicut ex natura contractus dotalis, si actu dotem reciperet, omnes illius fructus lucraretur, nec ratio haberetur de oneribus matrimonij, an excederent, vel ne; ità quoque fructus omnes lucratur ex pignore. Et re vera id videtur colligi ex ratione Innocentij Papæ in *d. cap. salubriter*, assignata, dum ait *Cum frequenter fructus dotis non sufficiant ad onera matrimonij, &c.* quasi dicat, cùm fructus huiusmodi aliquando non sufficiant, aliquando vberiores sint, percipiat illos sicut perciperet dotis fructus, siue satis non essent, siue excederent; & ita ait *Salon.* est omnium vsus.

Secunda conditio est, vt obligatio dotis soluendæ sit ad præsens tempus; secus autem si fuerit in futurum: quia maritus tenetur fructus ex pignore perceptos restituere, aut in sortem computare: eo quod præsumitur eo casu promittentē dotem pignus tradidisse in securitatem tantùm dotis soluendæ præfinito tempore, vt habetur ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, num. 64. & seq. 14. q. 3.* quam quidem conditionem restringit similiter *Salon. loc. cit. ex Syl. & alijs*, vbi promittens dotem, expressè pactus fuerit, ne maritus donec dos sibi soluatur, fructus consequatur: vel rem sterilem in pignus tradiderit: aut demque dos prius fuerit promissa, soluenda post certum tempus, & deindè fuerit traditum pignus; quoniam tunc in securitatem dotis dumtaxat tradidisse censetur.

Tertia conditio est, vt maritus ex pignore fructus percipere ita demum possit, si matrimonij onera cum effectu sustineat; aliàs secus. Vndè si vxor à patre, aut ab alio alimenta suscipiat, maritus pignoris fructus suos non faceret; sed teneretur in sortem computare, vt habetur ex *Nauar. Salon. & Ioan. Bapt. Lupo locis citatis, Molina de contr. disp. 321. sub num. 7. Rodriq par. 1. sua summ. cap. 97 concl. 4.* & ex alijs, ab eisdem allegatis.

Quarta conditio est, vt vir fructus ex pignore percipiat, durante matrimonio: aliàs si matrimonium solutum sit per mortem vxoris, vir non posset fructus ex pignore consequi nomine filij superstitis, propter onera matrimonij; quoniam matrimonium dissolutum est; sed tantum ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, iuxta ea, quæ habentur ex *Molina de contr. disp. 322.* Quam quidem conditionem meritò reijcit *Salon. loco citato, contr. 14.* eo quòd quamuis matrimonium sit dissolutum per mortem vxoris; nihilominus adhuc maritus dicitur matrimonij onera substinere, non præsentis, sed præteriti, cū teneatur alimēta præstare filijs; atque ideò poterit fructus ex pignore consequi donec dos sibi soluatur.

35 Cæterùm licèt hæc vera sint, & iuxta sententiā magis communem; nihilominus, qui vellet, *tex. in d. cap. salubriter, de vsur.* agere de contractu antihycresis, seu de contractu ad gaudendum, de quibus supra egimus *limit. 1.* tunc posset dici, *tex.* illum nihil specialiter statuere fauore onerum matrimonij, sed cum datur fundus in pignus, donec dos promissa, & non soluta, soluatur, constituitur census consignatiuus cum pignore pro pretio dotis promissæ non solutæ, cum facultate redimendi pignus quandocunque dos soluatur: quo casu est in arbitrio eius, qui dotem promisit, dotem soluere, & fundum pignoratum redimere; ita vt ratio non habeatur quantitatis oneris matrimonij; sed quantitatis dotis, vt sit iustum pretium talis cēsus, ita vt fructus iustæ pensioni correspondentes percipiantur. Et hoc titulo posset citra culpam vxor separata, aut vidua percipere fructus ex pignore; sicut, & filij, soluto matrimonio per mortem vxoris, & ipse maritus, iuxta conditiones iusti census, de quibus tractauimus *d. limit. 1.*

36 Dico septimò peccare creditores vsurariorū scien-

scienter ab eis recipientes in debiti satisfactionē res, quas per vsuram ipsi vsurarij extorserunt: & insuper res vsurarias tenentur restituere. Etenim rerum per vsuram extortarum ipsi vsurarij non efficiūtur Domini, sed dominium remanet apud mutuatarios, à quibus fuerunt extortæ, atque ideò qui scienter illas in solutionem debiti recipiunt, dicuntur res ipsas contrectare; sicut qui scienter à fure rem furtiuam emerit, vel in sui debiti satisfactionem receperit, *l in ciuilem, C. de furt.* & habetur ex *Molfes. 2. par. sua summ. tr. 11. cap. 23. sub num.* 127 Dixi: *Scienter recipientes*, quoniam si res vsurarias bona fide ab vsurarijs acceperint credentes proprias vsurariorum esse, licèt teneantur ad restitutionem, sicut qui rē furtiuam à fure fuerit ignoranter consecutus, vt in *d. l. in ciuilem*; nihilominus excusatur à peccato, cùm non sit voluntarium. Imò si creditores bona fide reciperent res quarum dominium sit penès vsurarios, mixtione, aut alio iusto titulo comparatarum, & per eiusmodi satisfactionem vsurarij non efficerentur inhabiles ad restituendum, non solùm excusantur à culpa; sed etiam à restitutione, vt per eundem *Molfes. d num.* 127. qui etiam *num.* 128. addit, quòd si creditores bona fide rem vsurariam in debiti satisfactionem acceperint, & illam consumerent, vel in aliam speciem transierit, atque ideò eadem non permaneret, putat eos excusari à culpa, & restitutione; etiam si vsurarius impotens redderetur ad restituendas vsuras, cum titulo oneroso recipiant: secus autem si titulo lucratiuo, nempè titulo donationis legati, &c. vt in *l. 1. cum plur. seq. ff. quæ in fraud. credit. Nauar. in Man. cap. 17. numer.* 271. *Reginald. lib. 10. suæ prax. nu.* 423. *&* 427. *& alij*: qui quidem *Nauar. & Reginald. ac Syl. vers. Vsura, 8 q. 3. Molina, & Lopez*, quos refert idem *Molfes. loco citato, num.* 229. Eodem modo distinguit respectu Generi, qui dotem recepit à Socero vsurario, vt si tempore solutionis Socer remansit habilis ad restituendum, tutus sit Gener; licèt Socer efficiatur nō soluendo. Quod si per dotis solutionem efficiatur non soluendo, & id Gener sciat, tunc idem dicendum, quod supra diximus de alijs creditoribus, & vxore vsurarij, vt ad minus tantum retinere possit, quantū est necessarium ad alendam vxorem, quæ poni potest in numero creditorum patris eodem modo, ac de filijs vsurarij, distinguit *Molfes. d. c. 23. num. 122. cum plur. seq.*

37 Dico octauò peccare creditores solutionem debiti recipientes in alio loco, quàm conuento, inuitis debitoribus. Etenim non potest compelli debitor soluere debitum in alio loco, quàm conuento: sicut nec creditor recipere debiti solutionem, quando solutioni faciendæ est appositus certus locus; vt in *l. qui certo*, & ibi Doctor. communiter *ff. de eo, quod cert. loco, Azor. par. 3. instit. moral. lib. 4. tit. de rest. cap. 32. vers. Tertia regula.*

38 Ampliatur primò hæc conclusio, vt instante creditore sibi satisfieri in alio loco quàm conuēto, si debitor reluctet, & offerat debitum soluere in loco conuento, erit liber ab interesse, maximè si faciat depositum, vt rectè declarat *Scacc. de commerc. §. 2. glosa 5. sub num.* 194. vbi etiam *num.* 154. quòd si creditor oblatam sibi pecuniā noluerit acceptare, & postea debitorem reperiat eumque non valentem tunc soluere interpellet, non constituit eum in mora; quoniam censetur dolosè tunc agere, iuxta ea, quæ habentur ex *Tiraquell. in tr. lignager, § 3 glosa 2. nu. 2. vers. Et aliàs.*

39 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt locū sibi vendicet non solùm vbi locus à partibus est expressus verbis expressis; sed etiam quando tacitè censetur appositus ex natura contractus, vt patet in mutuo, & commodato, quæ ex natura talium contractuum, debent restitui in loco vbi res fuit data mutuo, aut commodata; etiam si cōtrahentes sint diuersi fori, vt habetur ex *Azor. p. 3. instit. moral. lib. 4. tit. de restit. cap. 33. vers. Ex quo sequitur.* Et *Scacc. loco citato, num.* 195. *&* 196. vbi declarando hanc ampliationem, inquit, quod si quis Romæ mutuauerit mille scutos, & deindè proficiscatur in Galliam, & mutuans non erat illos delaturus in Galliam, tunc mutuatarius non tenetur eo deferre, seu mittere, sed satis est si Romæ depositum eorum faciat. Quod si mutuans erat illos delaturus in Galliam suis expensis, eo casu mutuatarius expensis mutuantis tenetur mittere in Galliam dictos scutos mille, siquidem mutuans debet conseruari indemnis.

40 Tertia ampliatur, vt peccet creditor nolens recipere debiti solutionem in loco conuento, siue debitum sit in pecunia, siue in quacunque alia re, quoniam eadem ratio militat in quacunque alia re, quæ militat in pecunia, arg *tex in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* & in specie *Scacc. loco citato, num.* 197. vbi *num.* 235. eandem ampliationem restringit, vt locum non habeat in debito, seu legato certæ rei designatæ; nempè centum modiorum frumenti ex illo horreo, aut vini amphoras ex illo dolio. Vndè inquit, quòd si quis pmittat dare centum amphoras vini de Vicentia, tenetur illud tibi dare Vicentiæ. Sed *Scacc.* ibi loquitur, quando non est designatus certus locus: nam ob id *num* 241. ait, quòd vbi quis est debitor pecuniæ, seu alterius rei, quam debitor citra sumptus, & expensas possit deferre, tenetur eas portare ad domum creditoris, & ibi soluere: secus autem si sit debitum alicuius speciei, vel alicuius generis subalterni, in cuius transportatione requirantur labores, & expensæ; quoniam tunc creditor suis expensis, ac periculo tenetur curare, vt ad propriam domum transferatur; nisi aliter inter partes fuerit conuentum, iuxta ea, quæ habentur ex *Paulo Castr. in l. item illa sub num. 13. ff. de cōstit. pecun. Alex. & ex alijs in l. vinum, ff si certi petat.* Dixi: *Si sit debitum alicuius speciei, vel alicuius generis subalterni*, nempè vbi agitur de debito tot salmarum vini de tali vinea, seu de tali vegete, de tali vite, seu de tali apotheca; secus autem si agatur de debito vini in genere, puta, vt cùm promittuntur decem dolia vini; quoniam tunc portari debent ad domum creditoris; expēsis debitoris, vt per *Bart. in d. l. item illa, nu.* 14. & alios apud *Scacc. sub d. num. 241. vers. Sub declara: & vers. Secus.* vndè creditor peccat etiā cogens debitorem ad soluendum sibi debitum in loco de iure sibi indebitum, quando non est appositus locus, vt per eundem *Scacc. ibi à num. 210. vsq; ad num.* 244.

41 Sic ampliata limitatur dicta conclusio, vt locum non habear, vbi locus solutionis appositus est gratia creditoris; quia tunc potest creditor suo

suo fauori renunciare, & petere debiti solutionẽ in loco vbi de iure sibi debetur, iuxta ea, quæ supra adnotauimus in proxima ampliat. Etenim quando locus apponitur gratia debitoris potest ipse debitor gratiæ renunciando alibi soluere, vt per *Glos. in l. is qui certo*, & ibi, *Bart. & Paul. de Castro, ff. de eo, quod cer. loc.* Imò si creditor debitori reficiat, quod eius interest, potest citra culpam petere satisfactionem in alio loco, quam conuento: siquidem è conuerso debitor potest in alio loco, quàm conuento soluere debitum, si creditori soluat, quod eius interest, vt habetur ex *Paulo de Castro in d. l. 15. qui certo, & Scac. de commerc. §. 2. glosa 5. num. 199. 200. & 217. vers. Ratio est.* Siquidem debitor, & creditor sunt correlatiui, & in correlatiuis, quod disponitur in vno, disponitur etiam in alio, vt latè habetur ex *Euerar. in suis loc. argum. legal. loco à correlatiuis.*

De debitoribus, & eorum peccatis, ut tales sunt, à discreto, & cauto Confessario explorandis. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccant debitores Religionem ingredientes, inuitis eorum Creditoribus, non redditis ratiociniis ad quæ tenentur, eorumque professio nulla est. Si habiles sint, non autem inhabiles ad satisfaciendum.*

2 *Debitores habiles ad satisfaciendum creditoribus si in sæculo existant, profitentur nulliter in Religione.*

3 *Debitores ita demum peccant Religionem ingrediendo, si ingentem æris alieni summam contraxerint, & sua culpa decoxerint.*

4 *Nec peccat debitor Religionem ingressus si reliquit sufficientes facultates pro satisfaciendo creditoribus.*

5 *Neque peccant, si Religionem ingrediantur cũ consensu suorum creditorum.*

6 *Debitores ex liberali promissione Religionem ingredi non prohibentur.*

7 *Neque prohibentur fieri Equites Diui Iacobi, & aliorum Ordinum & quare.*

8 *Possunt debitores citra culpam Religionem ingredi si bona creditoribus dimittant, & nulla sit spes euadẽdi potentes ad soluenda debita, si in sæculo remaneant.*

9 *Peccant grauissimè debitores, qui post multa debita cõtracta in fraudem creditorum fraudulenter decoxerint.*

10 *Qui debita contraxit sub spe futura cessionis bonorum, ad illam admitti non debet.*
Aliique deciduntur casus, in quibus quis priuatur beneficio propter fraudem, quam adhibet.

11 *Peccant debitores non acceptantes donationes sibi factas, hæreditates, & similia in fraudem creditorum; licet iure ciuili id licitum sit.*

12 *Peccant debitores non solum nolentes acquirere in fraudem creditorum, sed etiam in fraudem eorundem dona alienantes, aut acceptilatione, vel pacto aliquem liberantes.*

13 *Peccant debitores negantes debitum, & admitti non possunt ad beneficium cessionis bonorũ.*

14 *Peccant debitores Laici, Clericatum suscipiẽtes in fraudem creditorum, ne scilicet conueniantur vltra quam facere possint.*

15 *Peccant debitores non soluentes naturaliter debita, & cur.*
An de iure natura seruus sit capax ad acquirendum, & retinendum.

16 *Peccant quoque debitores si sint in mora soluẽdi debita, cum mora æquipararetur furto.*

17 *Debitor morosus non modo tenetur ad interesse primi anni, sed etiam omnium annorum, & ad interesse.*
An teneatur ad interesse damni emergentis, siue eius mora sit excusabilis siue non.

18 *Maritus debitor ex mora inexcusabili tenetur ad interesse lucri cessantis, & damni emergẽtis, quamuis id ei non indicauerit creditor.*

19 *Debitor si citra suam culpam morosus fuerit, ad interesse lucri cessantis, & ad pœnam non tenetur.*

20 *Peccant debitores non modo si sint in mora soluendi debitum, sed etiam si creditores cogant, pecuniam recipere in alio loco, quam conuento.*

21 *Debitor creditorem compellere non potest pecuniam recipere extra locum conuentum, siue locus expressè appositus sit, siue tacitè, & ex quocunque debito.*

22 *Sed limitatur quando locus est appositus gratia debitoris.*

23 *Peccant debitores non destinato loco ad debitũ solutionem, & creditores cogant, debitum recipere in loco, de iure non debito.*
Quis nam locus sit solutionis de iure debitus.

24 *Debitum si sit reciprocum, vel compensatiuum, & stat in electione vnius an velit dare, vt accipiat: qui eligit dare vnum, vt aliud accipiat accedere debet ad domum illius cui vult dare, & sibi soluere.*

25 *Debitum si sit ex causa onerosa, & debitor, ac creditor sunt eiusdem fori, debitor accedere tenetur ad domum creditoris, ibique soluere, quando alius locus constitutus non erit.*

26 *Quid dicendum, quando debitum procedit ex causa lucratiua.*

27 *An hæc vera sint si debitor, & creditor sint diuersi fori.*

28 *Peccant debitores, si debitum soluant in alia pecunia, quam conuenta.*

29 *Peccant debitores, iuris ordinem non seruantes in soluendis debitis eorum creditoribus.*

30 *Ex certis debitis, quæ nam primo loco restituẽda sint.*

31 *Ex certis debitis debitore defuncto soluenda sunt secundo loco Impensæ funeris.*

32 *Tertio loco sunt à debitoribus creditoribus soluenda debita hypothecaria.*

33 *Si inter aliquos creditores reperiatur facta ipso iure compensatio; posterior creditor, etiam non hypothecarius præfertur priori hypothecario.*

34 *Debitor si pecuniam soluerit creditori posteriori, etiam non hypothecario creditor anterior, quamuis hypothecarius ipsam pecuniam solutam, & consumptam bona fide, auocare non poterit.*

35 Quid dicendum si pecunia soluta non fuerit bona fide consumpta.

36 Qui pecuniam credidit ad emenda prædia, & ad ædes ædificandas, ius pignoris in eis paciscens, præfertur omnibus creditoribus anterioribus generalem hypothecam in bonis debitoris habentibus.

37 Vxor habens tacitam hypothecam pro dote, præfertur omnibus creditoribus, habentibus similiter tacitam, non vero expressam.

38 Fiscus quamuis non præferatur priuato anteriori habenti generalem hypothecam, in bonis ante Fisci obligationem acquisitis, præfertur tamen in bonis, post eiusdem obligationis quæsitis.

39 Inter creditores priuatos, qui habet hypothecã per instrumenta manu publici Notarij confecta, præfertur habenti hypothecam per priuatã scripturam.

40 Post debita realia, & hypothecaria soluenda sunt debita personalia ex quocunque contractu.

41 Peccant debitores ex homicidio, non reficientes damna, & interesse hæredibus occisi.

42 Per hæredes occisi intelliguntur filij, parentes, & vxor.

43 Peccat debitor ex homicidio, &c. non reficiendo damna, & interesse, vt supra, quamuis occisio, mutilatio, &c. facta sit in duello.

44 Debitor ex homicidio, vulnere aut mutilatione obligatur ad reficienda damna, interesse, vt supra, quamuis si præter eius voluntatem, sua tamen culpa, homicidium, mutilatio, &c. subsecuta fuerit,

45 Debitor ex homicidio, mutilatione, &c. non solum peccat, si damna non reficiat, vel expensas, &c. hæredibus occisi mutilati, &c. sed etiã alijs quibuscunque, qui ex homicidio, &c. aliquod interesse passi sunt.

46 Vera tamen hæc sunt, si ex industria fuerit homicidium commissum, vt familiares, & consanguinei occisi priuati remaneant alimentis, & emolumentis præsentibus, aut valdè probabiliter futuris.

47 Non solum debitor ex homicidio, &c. verum etiam eiusdem cooperatores tenentur ad damna, expensas, ac interesse, vt supra, quocunque modo fiat cooperatio.

48 Non tantum debitor ex homicidio, &c. tenetur ad damna, vt supra, sed etiam eius hæres.

49 Debitori ex homicidio, vltra damnorum refectio hæredibus occisi est quoque imponenda grauis pœna in foro pœnitentiali, & quæ.

50 In homicidio iustè commisso, ad sui scilicet defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non sunt reficienda damna, expensæ, ac interesse.

51 Quamuis inuasor non intendat inuasum occidere, sed solum alapa percutere, aut fuste, & inuasus non possit aliter hanc iniuriam propulsare, quam inuasorem interficiendo, erit immunis à culpa, si eum interimat.

52 Licitum non est aggressorem præuenire, eumque priusquam inuadat interficere.

53 Licitum est mulieri adulteræ occidere maritum, quem certo scit habere venenum paratũ, aut gladium ad illam occidendam.

54 Defensio propriæ vitæ licita est, etiam cum vitæ periculo innocentis.

55 Occidens, mutilans, aut vulnerans pro defensione propriorum bonorum damna reficere non tenetur.
Quæ concurrere debeant, vt hæc vera sint.

56 Occidens mutilans, aut vulnerans pro defensione honoris, debitor ex homicidio, mutilatione, &c. non efficitur.

57 Qui ab aliquo opprimitur, potest ab alio adiuuari, nec peccabit adiuuans, quamuis aggressorem interficiat.

58 Quotiescunque non seruabitur moderamen inculpatæ tutelæ, nunquam occidens, mutilans, &c. excusabitur à culpa.

59 Bannitum interficiens nullam pœnam, nullãq; culpam contrahit, etiam si proditoriè eum occidat.
An possit occidi Bannitus extra territorium bannientis.

60 Debitor ex homicidio, mutilatione, &c. si remissionem, aut condemnationem habuerit ab illis, quibus competit accusatio, ad damna reficiendum non tenetur.

61 Si occisus vxorem non habeat, neque ascendẽtes, vel descendentes, & hæredem instituat extraneum, ipsi competit accusatio, ac remissio.

62 Debitor ex homicidio, mutilatione, &c. ad dãna reficienda, ac expensas, vt supra non tenetur, si bona non habeat, quibus satisfacere valeat.

63 Si licitè differatur solutio eorum, quæ debentur ex delicto, reficienda sunt damna, quæ interim creditori eueniunt, & etiam lucrum cessans; Non sic est in debitis ex contractu iusto.

64 Debitor, & creditor si reperiantur in æquali necessitate, num debitor excusetur quoque à solutione damnorum, expensarum, &c.

65 Si tam creditor, quam debitor reperiantur in æquali necessitate extrema, vel graui rei iniustè subtracta, an debitor teneatur restituere rem creditori, à quo rem prædictam subtraxit, & in tali necessitate constituit.

66 Peccant debitores ex crimine stupri, nisi damna, & interesse reficiant puellæ stupratæ. Et quot modis sumatur stuprum.

67 Stuprator ad nullam restitutionem tenetur, si puella ob stuprum sibi per vim illatum, aut per fraudulentes suasiones nullum damnum passa est.
An stuprum contineat peccatum à simplici fornicatione distinctum.

68 Stuprator si puellam deceperit sub promissione coniugij eam tenetur ducere in vxorem, etiam si fictè promiserit.

69 Peccant debitores ex furto, ac rapina, non restituentes res ablatas suis Dominis. Et quid intelligitur hoc loco per lysfurtum.

70 Omnes debitores ex criminibus grauiter peccant, ablata non restituentes, ac damna, & interesse non reficientes.

71 Debitores ex maleficijs ad prædicta tenentur statim, ac potuerint.

72 Nec poterint sacramentaliter absolui, nisi præuia restitutione, quamuis reperiantur in articulo mortis.

73 Nec poterunt citra iniustitiam solutionem rerũ ablatarum, ac damnorum in partem facere, & in partem differre, si statim possint omnia restituere.

74 Hæc

74 *Hæc vera sunt in omnibus debitoribus ex maleficio.*
75 *Quamuis tractetur de restitutione debiti, maxima quantitatis, non potest differri solutio, si commodè fieri possit.*
76 *Quamuis debitores ex maleficijs impedirentur ingentem pecuniæ summam, aut alias res lucrari, non propterea excusantur à restitutione mox facienda si commodè possint.*
77 *Debitores ex maleficijs tenentur statim debita soluere, etiam si cadere eos debeant à statu suo.*
78 *Dummodò statum acquisiuerit per fraudem, & iniustitiam, secundum* Salon. & alios.
79 *Secus est dicendum de eo, qui iustè statum suũ acquisiuit.*
80 *Debitores ex maleficijs iuuari non possunt beneficio cessionis bonorum.*
81 *Quamuis debitores ex maleficijs obligentur ad restituenda omnia damna statim: ly statim non intelligitur mathematicè sed moraliter.*
82 *Qui semel fuit absolutus, cum proposito restituendi, si iterum ad Confessarium accedat, & non restituit, absoluendus non est, nisi actu restituat.*
83 *Debitores ex maleficijs, & restitutione ablatorum, &c. excusantur, quia statim restituentes paterentur famæ propriæ detrimentum.*
84 *Debitoribus ex maleficio restituentibus, si restitutio tenderet in magnum tertij detrimentum, puta Reip. aut ipsorummet creditorum, est differenda. Et creditores tenentur in dilationem rationabiliter consentire.*
85 *Tribus concurrentibus prodest creditoris dilatio, aut remissio tacitè, vel expressè.*
86 *Debitores ex delicto stante compensatione per aliquid æquiualens ablata, ac damna, interesse, &c. restituere non tenentur.*
87 *Si is, cui est facienda restitutio sit excommunicatus vitandus excusatur à solutione debiti debitor durante excommunicatione.*
88 *Excusari possunt debitores ex delicto à solutione debitorum ex vi legis, aut publicæ potestatis.*
89 *Debitores huiusmodi à restitutione excusantur si restituendo, constituerentur in extrema necessitate, vel omninò bona non habeant.*

1 PEccant in primis debitores Religionem ingredientes, inuitis eorum creditoribus, & ratiocinijs, ad quæ sunt obligati non redditis, & insuper eorum professiones nullæ sunt, & eosdẽ recipientes condignis pœnis plectuntur. Etenim quamuis de iure antiquo possint debitores, & ad ratiocinia obligati Religionem ingredi; per *Constitutionem* tamen *Sixti V.* 71 §. 4. quæ incipit, *Cum de omnibus*, hodie prohibetur, & si ingrediantur eorum professiones annullantur, & recipientes eos pœnis debitis plectuntur. Est tamen verum, quòd *Constitutio illa Sixti V.* fuit moderata per *Constit. Clem. VIII.* 83. quæ incipit, *In suprema Ecclesia Catholica specula*, quoad nullitatem professionis, & quod id redacta ad terminos iuris, & Sacrorum Canonũ, firmis tamen permanentibus pœnis contra recipientes eiusmodi debitores, *à dicta Constit. Sixti V.* statutis, vt patet ex §. 3. *in fin. & 4. d. Clementina.* Vndè cum de iure non prohibeatur debitoribus ære alieno grauatis, & ratiocinijs obnoxijs Religionem ingredi, & in ea professionem emittere, præsertim si inhabiles sint in sæculo ad acquirendum, vt creditoribus satisfaciant, vt habetur ex *Sãch. lib. 4. sua sum. cap. 19. nu. 5.* proculdubio ex vi *d. Clementina*, moderantis

2 *Sixti V. Constit.* valet eorũ professio. Dixi: *Præsertim si inhabiles sint, &c.* quia si habiles essẽt existentes in sæculo ad satisfaciendum creditoribus, & professionem emitãt, inualida erit eorum professio, etiam attenta moderatione facta per *dictam Constit. Clem. VIII.* quoniam dicta Constitutio nõ moderat dispositionem *Sixti V.* quoad nullitatem professionis simpliciter, sed reducit eam ad terminos iuris, & Sacrorũ Canonum: at de iure, & secundum Canonum Sacrorum dispositionem, quando debitor permanendo in sæculo habilis est ad satisfaciendum creditoribus non potest citra culpam Religionem ingredi; & si professionem emittat, inualida est ipsius professio, cùm tendat in præiudicium creditorum: eo quòd inualidum est votum emissum in præiudicium tertij: & ita intelligendus est *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 13. nu. 36. & 37.* aliàs sibi ipsi efficeretur contrarius. Imò attenta *Constit. Sixti V.* supra relata, hæc conclusio limitatur multis modis. Etenim

3 Limitatur primò, vt ita demum debitores peccent si Religionem ingrediantur, si ingentem æris alieni summam contraxerint, & eorum culpa decoxerint, ac inhabiles redditi sint ad satisfaciendum eorum creditoribus: secus autem si debitum non sit ingens; sed paruum, aut mediocre; aut culpa sua non sint effecti inhabiles vt supra; quoniam tunc ingredientes Religionem, & professionem emittentes non peccarent, & professio esset valida, vt colligitur ex *d. Const. Sixti V.* disponentis contra decoctores primi generis dumtaxat, his verbis: *Multi decoctores post dilapidatam rem familiarem, & contractam ingentem vim æris alieni, aut interuersam alienã pecuniam, eorum fidei traditam, vt ratiocinia effugiant aly, &c.* & rectè eam declarat *Sanch. loco cit. nu. 24. Diana par. 4. tr. 4. resol. 82. vers. Imò, & Molfes. d. cap. 13. num. 39. & 40.* vbi testatur ita fuisse executum annis elapsis in quodam magno viro, qui decoctus in summa excedẽte quamplurima scutorum millia, Religionẽ ingressus, professionem emisit tanquam nõ comprehensus sub dispositione præfatæ *Sixti V. Cõstitutionis.*

4 Secundò limitatur eadem conclusio, vbi debitor Religionẽ ingressus reliquit facultates, quæ satis sint pro satisfaciendo eorum creditoribus, aut debita non sunt magni momenti, vt supra adnotauimus; quoniam tunc citra culpam Religionem ingreditur, & professionem emittit, cum eiusmodi casus non comprehendantur sub *d. Constit. Sixti V. arg. tex. in l. Seio, ff de in integr. restit.*

5 Tertiò limitatur, vt debitores non peccent Religionem ingredientes cum consensu eorum creditorum, etiam si ingentis æris alieni summa sint grauati, & eorum culpa facti impotentes ad satisfaciendum creditoribus ipsis: etenim creditores consentientes Religionis ingressui suorum debitorum, censentur tacitè remittere actionem personalem, vt per *Molfes. d. cap. 13. sub nu. 19.*

vbi addit, id multò magis verum esse, si alius solueret ipsorum nomine.

6 Quartò limitatur ipsa coonclusio, vt locum nõ habeat in debitoribus ex liberali promissione, vt sunt, qui promittunt donare, mutuare, commodare, &c. Siquidem hi non tenentur vltra quam facere possunt, atque ideò non impediuntur Religionẽ ingredi, vt post alios docet *Sãch. d.cap.19.num.*10.28.30. *& seq. Diana d.resol.* 82.*vers.Notandum est, & Molfes.d.cap.*13.*nu.* 41. vbi hoc idem volunt dicendum esse de eo, qui solo verbo obligatus esset, & citra iuramentum soluere aliquid alicui: siquidem iste talis non comprehẽditur sub *d.Sixti V.Constit.* quoniam talis promissio inuoluit tacitam conditionem, si promittens Religionem aliquam non ingrediatur.

7 Quintò limitatur dicta conclusio, vt non procedat in Equitibus D. Iacobi, & aliorum Ordinum: quoniam hi non dicuntur ingredi Religionẽ in præiudicium tertij, & sic creditorum: eo quòd manent in sæculo, & bona acquirunt, vt habetur ex *Azor.par.*1.*Instit.moral.lib.*12.*cap.* 3.*q.*8.*in fine*, contra *Sanch. d.cap.*19. *num.* 23. quam *Azor.* sententiam sequitur *Molfes. loco cit.num.*42. & eam tamen limitat, vt debitores, de quibus agitur, non possint ingredi Religionẽ Equitum viuentium in communi, & acquirentium bona Conuentui, vt sunt Milites Hierosolymitani.

8 Sextò limitatur præfata conclusio, vt si debitores bona, quæ habent, creditoribus dimittant, & nulla sit spes, vt in sæculo manentes fiant potentes ad soluenda debita, possint citra culpam Religionem ingredi, & professionem emittere, non obstante *d. Constit. Sixti V.* vt habetur ex *Mirãda in Man.Prælat.tom.*1.*q* 17.*ar.*7. *Rodriq. in compen.qq Regular. resol.*101.*num.*10.*Faust. in Thesaur.Religios.lib.*5.*q.*134.*num.*5.*Sanch. d.cap.*19.*num* 26. & ex alijs, quos refert, & sequitur *Diana loco cit.* contra *Malder. & Syluium*, vbi *vers.Non desinam*: addit etiam, quòd licèt Doctores asserant, & verum doceant, quòd quando quis breui tempore manendi in sæculo habeat spem satisfaciendi creditoribus, non potest ingredi Religionem: siquidem eo casu moraliter non est impotens ad soluendum; nihilominus difficultatem ait esse de tempore, quod nam sit breue quoad rem nostram: & post alios concludit, quòd potest esse vnius anni, iuxta sententiam *Suar.tomo* 3.*de Relig.lib* 5.*cap.*7.*nu.*2. vel tempus breue dici potest duorum annorum, ex *Sanch.d.cap.*19.*num.*8. vel etiam tale dicetur tempus trium annorum per ea, quæ docet *Maior in* 4. *d.*38.*q.*17. *concl.*3. Nobis autem probatur opinio media, quæ est *Sanch.* nam est æquior, vt consideranti patet. Est tamen verum, quod vbi tractetur de ingenti summa æris alieni, si debitor intra tempus trium annorum permanens in sæculo poterit creditoribus satisfacere, non est recipiendus ad Religionem; quoniã agitur de ingenti præiudicio: quod si quantitas debiti sit mediocris, media sententia videtur verior si denique agatur de debito paruæ quantitatis, de eo non est habenda ratio, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *in* 2.*limit.*

9 Secundò dico grauissimè peccare debitores, qui post multa debita per eos contracta in fraudem eorundem creditorum fraudulenter decoxerint: eiusmodi enim decoctores à *B.Pio V.in Constit. edita anno* 1570.*die* 3.*Nouemb.* similes furibus efficiuntur, & vltimi supplicij pœna plectuntur. Imò non desunt, qui velint, quòd si ad Ecclesiam confugiant, non gaudeant immunitate Ecclesiastica; quorum tamen sententiam nos non fuimus secuti in nostris *Commentar.in Bull.Cœnæ,lib.* 2.*cap.*15.*q.*16. *sub num.* 16. vbi etiam latius *D. Cæsar* germanus meus *in suis addit. litt. O. fol.* 580. *&* 581. *in secunda edit.* His adde, quod eiusmodi decoctoribus denegatur beneficium cessionis bonorum: quoniam hoc beneficium illis tantùm conceditur, qui ob iniuriam fortunæ, aut partim iniuria fortunæ, & partim eorum culpa decoxerint: non autem illis, qui proprijs eorum bonis, non aduersa fortuna, aut fortuitis casibus, seu hostium incursu, aut maris tẽpestate, sed ipsorummet incuria, negligentia, prodigalitate, atque luxu in explendis proprijs voluptatibus, penitus consumptis, ac dilapidatis, proximos ad nonnulla sibi credenda, mutuo, cambio, & alijs contractibus mediantibus, compellunt, vt rectè declarat *Scac.de commerc.§.*7.*Glosa* 5. *sub num.* 149. vbi declarat qualiter debitor dicatur dolo contraxisse debita, & *num.*150. id extendit etiam in Clericum, vt non gaudeat beneficio, *cap.Odoardus, de solut.* si fraudulenter debita contraxerit, præsertim si nomine laicali, suppresso nomine clericali, & mutato habitu id egerit: siquidem licet Clericus, qui fortunæ iniuria decoxerit non possit conueniri, nisi deducto, ne egeat, vt *in d.cap.Odoardus*; attamen dictum beneficium Clerico fraudulento denegatur: is enim qui clypeo legis malè agit, legi facit iniuriam, atque ideò legis auxilio efficitur indignus, *l.fin.§.fin verò postquam, in fine, C.de iure delib.cap.quia frustra, de vsur.* Quibus adde, quæ infra dicemus, *dicto* 15.*ampl.*8.

10 Vndè *Scac.loc.cit. num.*51.*cum plur.seq.* ex dictis plures casus decidendos esse putat, quorũ primus casus est de eo, qui debita contraxit sub spe futuræ cessionis bonorum: nam is non debet admitti ad ipsam bonorum cessionem, vt habetur ex *Bruno in tract.de cess.bon. q.*30.4.*q prin. num.*1.*& seq. tomo* 3.*par.*2. Secundus casus est, vt licèt Socer non possit pro dote promissa Genero vltra quàm facere potest conueniri; nihilominus si Socer sciens non esse soluendo, nec posse præstare dotem, dotem Genero promiserit, priuilegium, vt non possit conueniri vltrà quàm facere possit, amittit, vt habetur ex *Ias. in §. vlt.fall.*10.*num.*19.*in Instit.de act. Boer. decis.* 349 *sub num.* 10. *Strach. tr.de decoctor.par.*3. *num.*10.*tomo* 6.*par.*1. *Couar. lib.* 2. *var. resol. cap.*16.*sub num.*9. *vers.Secundò illud adnotandum*, & ex alijs apud *Scac. d. Glos.* 5. *sub num.* 148. vbi addit, cessionem bonorum non habere locum in debitore quocunque, siue laicus sit, siue Clericus, vt *cap.Odoardus, de solut.* qui sciens non esse soluendo debitum contraxit: quoniam diceretur dolo cõtraxisse. Tertius casus de Præfecto Vrbis, Imperatorem coronante: nam licèt Imperator satisfaciat de consuetudine omnibus illius Præfecti creditoribus; nihilominus si Præfectus sentiens aduentum Principis vltra debita contrahat sub spe dictæ liberationis à Principe faciendæ, non debet liberari, vt per *Bart.in l.*1. §. *hac*

§. hac autem actio, num. 1. *ff. si quis test. lib. esse iuss. fuer. & Vrsill. in addit. ad Afflict. dec.* 84. *sub num.* 2. dum ait, quòd si quis sub spe coronæ de proximo à Rege capiendæ multa contraxerit debita, non liberatur. Quartus casus ponitur in filio emancipato, qui ante emancipationem, sub spe emancipationis multa contraxit debita; nam eorum non consequitur liberationem, *Ias. in l. qui iurasse, §. si pater, nu.* 2. *ff. de iureiur.* Quintus casus est de muliere intercedente pro alio dolosè, nempè sciente se non posse obligari: quoniam non iuuatur Velleiano, vt *in l. si decipiendi animo, ff. ad Senatusconf. Vell.* Sextus casus est de eo, qui occidit aliquem, vt deindè occidat bannitum, & indultum consequatur; nam non est huiusmodi liberatione dignus, vt probat idem *Scac. in suo tr. de iudic. causs. lib.* 1. *cap.* 97. *sub num.* 149. *& d §.* 7. *Glos.* 5. *sub nu.* 157. qui alios casus recenset, *num.* 154. *&* 158.

11 Tertiò peccant debitores non acceptantes donationes sibi factas, hæreditates, & his similia in fraudem creditorum. Etenim quamuis de iure ciuili licitum sit debitori renunciare legatũ, aut hæreditatem in præiudicium suorum creditorum, vt *in l. qui autem, ff. qui in fraud. credit.* nihilominus cum lex illa sit contra ius naturale in foro conscientiæ non est seruanda, vt sup. ostẽdimus *disp.* 23. *sec.* 2. *&* 3. *in princ. de peccatis hæredum, & legatariorum agentes.*

12 Quartò peccant debitores non solùm nolentes acquirere in fraudem creditorum, sed etiam in eorumdem fraudem bona alienantes, aut acceptilatione, vel pacto aliquem liberantes; id enim de iure eis interdicitur, & in fraudem facta reuocantur, vt *in l.* 1. *ff. quæ in fraud. credit.* vbi notandum esse inquit *Bart.* quòd si quis cõfiteatur se habuisse, & recepisse centum sibi debita ex tali causa, liberans debitorem suum per acceptilationem, & Aquilianam stipulationem, illa verba, habuisse, & recepisse, numerationem non probant: siquidem de natura, & substantia acceptilationis cùm sit, quòd quis debeat confiteri accepisse, dicuntur magis apposita ad substantiam acceptilationis, quàm, vt probent numerationem, *l. si acceptilatum, ff. de accep.* Peccant etiam debitores si pignora liberent, vel aliũ in fraudem creditorum præponant prius ei soluendo, cum omnes instarent; peccant enim contra iustitiam, cùm lege tum naturali, tum ciuili id prohibeatur, vt *in l.* 2. & ibi *Glosa, ff. quę in fraud. credit.* Idem dicendum est de debitoribus se obligantibus fraudandorum creditorum causa; ad iudicium non adfuerint, ac data opera litẽ mori patiantur, vt *in l.* 3. *& seq. ff. eod. tit.* vbi etiã *Bart. in l. qui autem*: qui dicit esse notandum, quòd si patior te præscribere, videor in te transferre, quoniam præscriptio est alienatio quædã, at *in l. alienationis ff. de ver. signif.* vndè proculdubio peccat debitor si patiatur rem præscribi in fraudem creditorum.

13 Quintò peccant debitores negantes debitum: & insuper non possunt admitti ad beneficium cessionis bonorum, & si Clericus sit, qui debitũ neget non gaudet beneficio, *c. Odoardus, de solut.* vt post alios docet *Scac. de commerc. §.* 7. *Glos.* 5. *sub num.* 144. *&* 147. & quoad negantes mutuum qualiter puniantur, vide *Constit. Regni*, quæ incipit, *Regia Maiestatis, & prag.* 1. *de negant. mutuum*; quæ extendit pœnã præfatæ Constitutionis ad quamlibet aliam promissionem, seu stipulationem, negatam in iudicio. Et quamuis mutuum probari debeat per legitimas probationes; nihilominus in pœnam negantis satis est, si testes deponant de incerta quantitate mutuata, vt constet de mutuo: de quantitate postea statur iuramento actoris, vt habetur ex *Rota Gen. decis.* 106. *num* 6. quam sequitur *Rouit. d. pragm.* 1. *de negant. mut.* & quoad ad forum interius negantes mutuũ non solùm obnoxij sunt mutui solutioni; sed etiam tenentur reficere omnia damna, & interesse, & expensas erogatas in probatione mutui, vt per *Molfes. par.* 2. *sua sum. tr.* 12. *cap.* 13. *num.* 73.

14 Sextò peccãt debitores laici suscipientes clericatum in fraudem creditorum, ne scilicet conueniantur vltrà quàm facere possint, iuxta *tex. in cap Odoardus, de solut.* & insuper priuantur beneficio *d. cap. Odoardus.* Etenim quamuis laicus suscipiẽdo clericatum sine fraude, admittatur ad beneficium *d. cap. Odoardus*, etiam pro debitis contractis ante susceptum clericatum, vt habetur per *Scacc. de commerc. §.* 7. *Glosa* 5. *sub num.* 160 *vers. Extende.* Nihilominus si in fraudem creditorum clericatum suscipiat, vt quia sciebat non esse soluendo quando contrahebat, tali beneficio efficitur indignus; sicut indignus redditur Clericus, qui sub nomine, & habitu laicali debitum contraxit, vt diximus supra ex eodem *Scac. loc. cit. num.* 150. *& seq. & num.* 160. *vers. Extende secundo, & vers. Tempera.*

15 Septimò peccant debitores non soluentes debita, ad quæ licèt non sint obnoxij ciuiliter; sunt tamen obligati naturaliter. Etenim in foro conscientiæ soluendum est, quod de iure naturæ debetur, cùm in foro conscientiæ non attendantur iura humana, sed ius naturale, ac ius Diuinum, vt sæpè diximus. Hinc seruus licèt de iure ciuili, licèt sit incapax ad agendum, ac retinendum in foro contẽtioso; de iure tamen naturali est capax ad acquirendum, ac retinendum naturaliter; atque ideò, qui aliquid ei promiserit, efficitur eidem debitor naturaliter, ac tenetur in foro cõsciẽtiæ, quod promisit exoluere; ita vt si promissum non adimpleat, proculdubio peccat, & tali promisso non potest nec eleemosynam quidem facere, vt habetur ex *Innoc. in cap. plerique, nu.* 1. vbi etiam *Ioan. Andr. sub num.* 3. *Anch. sub num* 6. *Panor. & Anton. de Butr. de immunit. Eccles. & Scac. de commerc. §.* 1. *q.* 1. *num.* 533. *& q.* 7. *par.* 2. *ampl* 19. *num.* 95. Sic etiam pactũ quamuis de iure ciuili non pariat actionem, vt *in l. iurisgentium. §. igitur nuda ff. de pact.* attamen quia promittens pacto nudo obligatur naturaliter, vt per *DD. loc. cit.* debitor ex pacto nudo tenetur promissa adimplere, & debitum soluere, aliàs culpam contrahet. Imò hodie de iure canonico pactum nudum obligat non solùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro exteriori, in quo debitor ex illo pacto potest conueniri, vt est *tex. in cap.* 1. & ibi *Panor. & alij de pact.* Deniq; cæteris prætermissis, quamuis nemo possit alteri stipulari, vt *in l. stipulatio ista, §. alteri, ff de verb. obligat. & §. alteri, in Instit. de inutil. stipulat.* nisi qui stipulatur sit Notarius, cum is possit pro alio stipulari, vt per *Bart. in d. l. stipuler alteri, sub n.* 3. *vers. Et dicit, fall.* 3. *& alij*; in-

nihilominus quia debitor ex stipulatione pro alio obligatur naturaliter, vt per *Glos. in d.l. stipulatio ista, §. alteri, ver. Nihil interest*, vbi etiam alij, & latè *Scac. de commerc. §. 2. Glos 7. nu. 21. cum plurib. seq.* hinc fit, quòd debitor ex tali stipulatione teneatur in foro conscientiæ debitum soluere, aliàs peccabit.

16 Octauò peccant debitores non solùm eorum debita non soluentes; sed etiam si sint in mora in eis soluendis. Etenim mora æquiparatur furto, & morosus debitor æquiparatur furi. Vndè sicut fur tenetur non solùm rem furtiuam restituere; sed etiam interesse reficere tam lucri cessantis, quàm damni emergentis, cùm rem detineat inuito domino; ità etiam debitor si pecuniā debitam, aut quamcumq; aliam rem post morā detineat, cùm dicatur eam retinere inuito domino sicut fur, proculdubiò tenetur non solùm ad rei debitæ restitutionem, verum etiam ad omnia damna, expensas, & interesse, vltra culpā, quam ratione moræ contrahit, vt probat *Scac. de commerc. §. 1. q. 7. par. 2 ampl. 8. nu. 100* quibus adde ea, quæ sup. adnotauimus *disp. 23. sec. 2. vers. Quintò peccant hæredes, per tot. Filliuc. tom. 2. qq moral. tr. 33. cap. 9. num. 151. Rebell. par. 2. lib. 8. q. 7. num. 1. concl. 1. Less lib. 2. de iust. & iure, cap. 20. dub. 10. num. 69. & Molin. tom. 1. tr. 2. disp. 315. num. 6.* Dicitur autem morosus, & constituitur in mora debitor per interpellationem hominis, vel diei, cùm dies interpellet pro homine, vt latè probat *Gabr. lib. 3. de solut. concl. 9. num. 9. & seq.* vbi regulam hanc multipliciter ampliat, & limitat.

17 Ampliatur hæc conclusio, vt morosus debitor teneatur ad interesse nō solùm primi anni si per plures annos fuerit morosus; sed etiam omnium annorum, & ad interesse ipsius interesse, vt habetur ex *Filiuc. tom. 2. qq. moral. tr. 34. par. 2. cap. 4 num. 72. & 86. Diana par. 5 resol. moral. tr. 13. resol. 78.* & ex alijs communiter.

Secūdò ampliatur, vt morosus debitor teneatur ad interesse damni emergentis, siue eius mora sit inexcusabilis, siue excusabilis. Vndè licèt debitor ob magnam paupertatem, in quam citra omnem culpam incidit, fuit in mora soluendi, & ob id creditor passus sit propriæ domus ruinam, quam reficere non potuit ob defectum sui debitoris, qui fuit in mora soluendi sibi debitū, ad illud damnum, seu interesse damni emergētis reficiendum proculdubiò tenetur. Dixi, *Ad illud damnum, seu interesse damni emergentis*, quoniam mora excusabilis licèt nō excuset morosum debitorem ab interesse damni emergētis; excusat illum tamen ab interesse lucri cessantis, vt infra latiùs dicemus, *limit. vnica.* Siquidem Doctores quando excusant à mora, loquuntur solùm quoad euadendam pœnam, & obligationem ad interesse lucri cessantis; non autem damni emergentis, vt rectè declarat *Scac. de commerc. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. sub num. 100. vers. Secus etiam, & num. 270. & seq.* qui rationem assignans ait, disparem esse rationem lucri, & damni, vt *in l. proculus, ff de damn. infec. Osasc. decis. 95. sub num. 42. vers. Non obstant, Ioan. Bapt. Lup. in l. curabit, §. 6. num. 3. in fine, C. de actionib. emp.* cum alijs, quos allegant.

18 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt morosus debitor ex mora inexcusabili teneatur ad interesse lucri cessantis, ac damni emergentis, etiam si hoc ipsum ei non indicauerit creditor: siquidē quòd creditor patiatur interesse, non prouenit à denunciatione, seu protestatione, quod faceret creditor; sed ex mora debitoris, & damno indè secuto, vt rectè declarat *Scac. loco cit. nu. 263. Malder. 22. tr. 5. cap. 3. dub. 12. col. 4. q. 2. Petr. Nauar. de restit. lib. 3. cap. 2. num. 281.* quos refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. moral. tr. 13. resol. 78. in fine*, vbi licèt id ampliet etiam si mora non sit culpabilis; id tamen intelligendum est quando agitur de interesse damni emergētis dumtaxat, iuxta ea, quæ supra adnotauimus in proxima *ampl.* & id non solùm quando adest pactum de soluendo damno; sed etiam quando tale pactum non fuerit in contractu expressum, vt probabiliter docet *Mol. tom. 2. de iust. & iure, tr. 1. disp. 315. num 2.* quem sequitur idem *Diana d. resol. 78. in fine.* Nec obstat praxis illa protestandi litteras cambij, quando is, cui litteræ cambij diriguntur, eas non acceperit, de qua egimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 1. sub num. 13.* quoniam illa praxis docendi se fuisse in loco, vt reciperet solutionem addit ad cautelā protestationem; quæ tamen necessaria non esset, vt habetur ex *eod. Scac. d. num. 263 vers. Non obstat*, vbi alia quoque contraria soluit.

19 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt ita demum debitor morosus teneatur ad interesse lucri cessantis, & ad pœnā, si eius mora sit inexcusabilis, atque ideò culpabilis: secus autem si citra suam culpam fuerit morosus, & sic eius mora fuerit excusabilis; quoniam tunc licèt debitor morosus non excusetur ab interesse damni emergentis, vt sup. declarauimus *ampl. 2.* excusatur tamen ab interesse lucri cessantis, & à pœna, si fuerit promissa, atq; ideò si debitor effectus sit pauper, aut quocunq; alio modo impotens ad soluendum debitum, non tenetur ad pœnam, neque ad interesse lucri cessantis, vt docet *Cardin. Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 32. num 2. vers. Tertia est. Forcat. tr. de mora par. 3. num. 1. tomo 6. Rota Gen decis. 99. num. 2. in fine, & num. 3 Salon. 2. 2. in D. Thom. q. 78. ar. 2. contr. 8. sub num. 17. vers. Dico secundò*, & hanc esse communem Theologorum sententiam testatur *Afflic. decis. 20. num. 3.* qui tamen id limitat non procedere in interesse pretij non soluti respectu fructuum rei venditæ: nam ad hoc teneri debitorem morosum, quamuis eius mora sit excusabilis, testatur per omnes fuisse conclusum: quia contra bonam fidē est, quòd debitor rei emptor percipiat fructus absque solutione pretij rei emptæ, vt *in l. bona fides, ff. de action. empt. Bald. in l fin. de iure dot.* quod quidem interesse potest peti per venditorem vsque ad fructuum quantitatem rei venditæ perceptam, & non pretij promissi, vt probat *Vrsill. in addit. ad d. dec. 20. Afflic. sub num. 4.* & sequitur *Scac. de commerc. §. 1. q 7. par. 2. ampl 8. sub num. 100. vers. Secus quoad lucrum.*

20 Nonò peccant debitores non solùm si sint in mora soluendi debitum; sed etiam si cogant creditores debitum recipere in alio loco, quàm conuento. Etenim creditor non cogitur recipere debiti solutionem alibi quàm in loco destinatæ solutionis, vt *in l. is qui certò*, & ibi *DD.* communiter

muniter, *ff. de eo quod cer. loco, Nauar. in man. cap. 17. num. 42. & Laym. lib. 3. sua sum. tr. 2. cap. 8. num. 5.* vbi in hac re putat, spectandam esse locorum consuetudinem, naturam contractus, & alias circumstantias, & patet etiam ex ijs, quæ sup. adnotauimus *sec. 1. dicto 8.* vndè ad cóstituendum debitorem in mora nolentem soluere debitum in loco condicto, satis est si creditor eò se conferat, iuxta ea, quæ nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 1. sub num. 13. & sup. concl. proxima, ampl. 3. circa fin.*

21 Ampliatur primò hæc conclusio, vt debitor citra culpam non possit compellere creditorem ad recipiendum debitum in alio loco, quàm cóuento, siue locus sit expressus verbis expressis; siue tacitè censeatur appositus ex natura contractus iuxta ea quæ sup adnotauimus *sec. 1. dicto 8. ampl. 2.* cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

Secundò ampliatur eadem cóclusio, vt locum sibi vendicet non solùm quando agitur de debito in pecunia, sed de debito in quacumq; alia re, vt latè rem hanc sup. declarauimus *d. sec. 1. d. 8. ampl. 3.*

22 Sic ampliata limitatur ipsa conclusio, quando locus est appositus gratia debitoris; quoniam eo casu debitor potest renunciare gratiæ, & debitũ soluere in alio loco, quàm conuento, de iure saltem debito, vt constat ex ijs, quæ cumulauimus *d. sec. 1. dicto 8. limit. vnica*, quibus adde, quæ cumulat *Scac. de commerc. §. 2. Glosa 5. nu. 194. cum plurib. seq.*

23 Decimò peccant debitores, loco ad debiti solutionem non destinato, cogentes creditores debitum recipere in loco de iure non debito. Etenim debitor tenetur non solum creditori suo satisfacere statuta die, & condicto loco; sed etiam quando non est statuta dies, & conuentus locus, statim facienda est debiti solutio in loco de iure debito, vt *in l. eum qui calendis, §. quoties, ff. de verb. oblig* vbi habetur, quod quando dies non adijcitur, præsenti die debetur; & quando locus non constituitur, solutio in eo loco facienda est vbi de iure debetur. Et quamuis Doctores in hac re confusè loqui videantur, ita vt *Bart. in l. item illa, num. 15. vers. Quaro quia, ff. de constit. pecun.* dicat, quod tota controuersia de creditore an & quando debeat accedere pro satisfactione debiti ad domum debitoris, & è conuerso, pendet ex bono, & æquo: nihilominus nobis videtur dicendum primò, quòd locus solutionis de iure debitus circa mutui restitutionem est domus eius, qui mutuo dedit; sicut locus restitutionis rei commodatæ est domus commodãtis: ex natura enim contractus tam mutui, quàm commodati, quando non adijcitur locus est, vt vtriusque restitutio fiat nõ in domo mutuatarij: seu commodatarij, sed in domo mutuantis, ac commodantis, vt sup. ostendimus *sec. 1. dicto 8. ampl. 2.* & rectè declarat *Scac. de commerc. §. 2. Glosa 5. num. 195. & 196.*

24 Secundò videtur dicendum, quòd quando debitum est reciprocum, seu compensatiuum, & stat in electione vnius, an velit dare, vt accipiat, tunc qui eligit dare vnum, vt accipiat aliud, debet accedere ad domum alterius, cui vult dare, & ibi soluere. Vndè seruus, cui relicta est libertas, si hæredi certam pecuniam soluat; si seruus ipse eligit esse liberum tenetur accedere ad domum hæredis, vt soluat, vt *in l. fin. C. de condit. inser.* Sic etiam seruus, cui fuit data libertas, vt patrono præstet operas, eas debet præstare in domo patroni, vt *in l. quod nisi, ff. de oper libert.* Ita *Bart. in d. l. item illa, sub num. 9.* vbi etiam *Paul. Castr. nu. 13. in secundo casu, ff de constit. pecun.* & alij apud *Scac. loc. cit. sub nu. 220. vers. Prima inspectio,* vbi etiam *sub num. 221 & seq.* id ampliat in omni casu, in quo quis eligendo fit debitor rei modicæ, vt cùm quis accipit rem ad emphyteusim sub modico canone: is enim debet soluere canonem in domo directi domini. Exéplum quoq; affert de Oratore Catholici Regis, qui eius nomine singulis annis salutaré equum, & certam pecuniam S. P. in eius Palatio, in Vaticano præsentat pro recognitione feudi Regni Neapolitani.

25 Tertiò dico, quòd quando debitum procedit à causa merè onerosa, hinc inde obligatoria, citra omnem liberalitatem, & debitor, & creditor sunt eiusdem fori, tunc debitor debet accedere ad domum creditoris, quando alius locus non est condictus, & ibi soluere, ita *Glosa in d. l. item illa, vers. Non venit,* vbi etiam *Bart. num. 9. & 12. vers. Quaro creditor, & num. 13.* ac *Paul. de Castro sub num. 12. ff de constit. pecun. Innoc in cap significante,* vbi *Anton. de Butr. q. 3. nu. 12. de pignor. & Baia. in l. acceptam, sub num. 23. vers. Sed numquid, C. de vsur.* qui constituunt regulam, vt quicunque aliquid alicui debeat, nõ expectet, quòd is, cui debetur, illud petat; sed debitor debet ire ad locum, vbi creditor habet domicilium, & ibi debitum illi offerre: & si non adsit, coram iudice loci protestetur. Et hanc sententiam communem esse testatur *Scacc. de commerc. §. 2. glosa 5. num. 236. cum plur. seq.* pro qua affert etiam *Azor. par. 3. instit. moral. lib. 10. tit. de censib. cap. 9. q. 1. vers. Quares an debitor*, rationes pariter affert, & contrarium soluit; quamuis *num. 240.* hanc ipsam sententiam dicat non seruari; quin potius seruatur oppositum: nam creditor accedit ad domum debitoris, maximè debitor est dignior creditore, vt sunt Domini pauperum artificum debitores: qui duplicem contrahunt culpam; alteram quia cogunt artifices ad domum, seu locum de iure indebitum se conferre: & alteram, quia vt plurimum sunt in mora soluendi debitum non sine damno, & interesse creditorum. Dixi: *Et debitor, & creditor sunt eiusdem fori*, quoniam si sint diuersi fori, quamuis in eadem Prouincia, siue agatur de debito pecuniæ, siue de debito certæ speciei, creditor tenetur se conferre ad domum debitoris ad recipiendam solutionem. Est tamen verum, quod si sint diuersi fori in eadem Ciuitate, tunc debitor tenetur rem debitam deferre ad domum creditoris, ac si essent eiusdem fori: quod tamen intelligendum est in debito pecuniæ, vel alterius rei, quam debitor absque sumptibus, & expensis possit deferre: secus autem si agatur de debito alicuius speciei, vt latè declarat idem *Scacc. loco citato, num. 241.* vbi idem putat dicendum si agatur de debito alicuius generis subalterni, in cuius transportatione exigantur labores, & impensæ; atque ideò si ego emo vinum debeo accedere ad domum venditoris, & meis expensis il-

lud deferre. Sic quoque inquit, si emerem decem cados vini de tali vegete, seu vinea, ex tali vite, seu ex tali cellario. Non tamen ita dicendum esse ait, vbi quis emat vinum, vel frumentum in genere, nempè dolia vini, decem corbes frumenti; quoniam hoc casu vinum, & frumentum sunt deferenda expensis debitoris, vt habetur ex *Bart. in d.l. item illa, num.* 13. *&* 14. *ff de constit. pecun.* & ex alijs apud *Scacc. vbi sup.*

26 Dixi, *Quando debitum procedit à causa merè onerosa*, quia quando debitum procedit à causa lucratiua, atque ideò est merè gratiosum: tunc creditor, idest is, cui debetur, debet accedere ad domum debitoris, arg. *tex. in l. quod legatur ff. de iudic.* vbi legatum consistens in pondere, aut numero, aut mensura soluitur vbi petitur: si verò consistat in specie debet solui vbi est. Vndè *Glosa* ibi, inquit, quòd si leges mihi aliquid in pondere, vel mensura, puta decem corbes frumenti, vel vini debet solui ibi, vbi maior est pars hæreditatis; aliàs vbi hæres habet domicilium: & sic legatarius qui est creditor, tenetur se conferre ad domum hæredis legati debitoris pro eiusdem consecutione; cùm debitum proueniat ex legato, & sic ex causa merè lucratiua, ac gratiosa. Rationem autem hanc esse inquit *Scac. loco supra citato, sub num.* 228. *vers. Ratio huius*; quoniam si is, qui non habet omnimodam causam lucratiuam accedere tenetur ad domũ eius, à quo lucrum vult accipere; multò magis id procedet in eo, qui habet causam gratiosam, & omninò lucratiuam. Ex hoc infert primò ipse *Scac. num.* 229. *&* 230. quòd si Cardinali existenti in Romana Curia sit reseruata pensio scutorum mille in Episcopatu Aretij, Episcopus Aretin. nõ tenetur soluere in Vrbe, sed in Ciuitate Aretij, vt fuit definitum per *Rotam Diuers. decis.* 678. *nu.* 3. *&* 4. in Aretina pensionis, 20. Febr. 1598. coram R. P. D. Litta. Secundò infert, quòd si quis promittit mutuare Titio cẽtum, aut si quid aliud commodare; ipse Titius tenetur se conferre ad domum illius, qui mutuum, seu commodatum promisit. Et si quis rem alienam inueniat, eandẽque bona fide detineat, vt reperto Domino, quã primum restituat, non debet eam suis sumptibus ad Dominum, quem reperit, mittere; sed Dominus debet ad eum accedere, vel suis expensis mittere ad rem ipsam excipiendam, vt habetur ex *Medina tomo* 2. *de reb. restit. q.* 2. *in resp. ad* 3. *dub. & Laym. loco citato, num.* 4. Quòd si Dominus, cui rei restitutio facienda esset, reperiatur in partibus adeò longinquis, ita vt ad eum mitti non possit, aut sine magno periculo, vel scandalo, tunc res illa eroganda est in beneficium Ecclesiæ, vel pauperum, atque ideò Christo restituenda, tanquam incertorum omnium hęredi, vt per *Nauar. in Man. cap.* 17. *sub num.* 29. *versic. Quartò quando*, & per *Scacc. vbi supra sub nu.* 230. *in vers. Confirmatur tertiò*, concludit pro cõfirmatione eorum, quæ supra dicta sunt, quòd vbicunque ex contractu, vel quasi contractu, qui fit solum in gratiam, & vtilitatem creditoris factus, restitutio fieri debeat, facienda est in loco, vbi reperitur debitor, vel in loco vbi res accepta fuit, sed expensis creditoris; dummodò absentia debitoris à loco, à quo res accepta fuit, sed expẽditoris; dummodò absentia debitoris à loco, à quo res accepta fuit, non sit dolosa: quapropter depositum est restituendum in loco vbi est depositarius, & legatum est soluendum in eo loco vbi est res legata, vt benè declarat etiam *Azor. par.* 3. *instit. moral. lib.* 4. *tit. de restit. cap.* 33. *ver. Tertiò dicimus.*

27 Hæc quæ diximus vera sunt, etiam si debitor, & creditor sint diuersi fori, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *hoc eod. dicto, vers. Dixi, & debitor, & Scacc. vbi supra, num.* 231. ad quod allegat *tex. in l. fin. C. de condit. insert. l. quod nisi. ff. de oper. lib. & Rot. Diuers. decis.* 678 *num.* 3. *&* 4 in Aretina pensionis, 20. Febr. 1598. contra *Bart. in l. item illa, num.* 13. *vers. Quaro quia, de constit pecun.* Item supradicta locum sibi vendicant, etiam si labores, & impensæ requirantur. Vndè debitor, qui ad lucrum acquirendum tenetur aliquid soluere; & quod sibi ex mera liberalitate debetur, vult consequi, tenetur suis sumptibus portare, & consequi, vt supra ostendimus, & *Scac. d. Glosa* 5. *num.* 233. Limitantur tamen prædicta, vt procedant, si agatur actione personali: secus autem si agatur actione reali; quoniam vbi res est, ibi peti debet, & si sit mobilis potest agi ad exhibendum, vt *in l quod legatur. ff de iudicijs.* Sic etiam locum non habet in debito certæ speciei designatæ, nempè si debitum foret centum modiorum frumenti ex illo horreo, cẽtum cadorum vini ex illo dolio; quoniam tunc vbi sunt, ibi solui debent, vt patet ex *d. l. quod legatur*, vbi etiam *Glosa, & Alex. in l. vinum sub num.* 7. *not.* 6 *ff. si cert. pet.* dum ait, ꝙ promittens dare alicui vinum Vicentiæ, tenetur illud dare Vicentiæ: quia non simpliciter, & in genere hoc modo vinum promittitur: quam sententiam sequitur *Scac. loc cit. num.* 235. *& Ioan. Anton. Rub. in d. l. vinum, nu.* 140. *cum plurib. seq.* qui id extendunt etiam si debitum non procedat ex causa gratiosa; sed ex causa onerosa, atque ideò quod dicitur in legatario, extenditur etiam in emptorem.

28 Vndecimò peccant debitores, si debitum soluant in alia pecunia, quàm conuenta, vt latè rem hanc supra explicauimus, *sec. præcedenti, dicto secundo per totum, de creditoribus agentes*, cui loco nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Etenim quæ diximus de creditoribus extendi possunt ad debitores, cùm debitor, & creditor sint correlatiui: & in correlatiuis quod disponitur in vno disponitur etiam & in alio, vt latè declarat *Euerard. in loc. argum. legal. loco*, à correlatiuis.

29 Duodecimò peccant debitores iuris ordinem non seruantes in soluendis debitis eorum creditoribus, vbi debita omnia ob ipsorum debitorũ impotentiam restituere non valent. Etenim inprimis debita certa prius soluenda sunt, quàm incerta: nã debita certa proprijs Dominis exolui possunt: non sic incerta, sed eorum loco Ecclesiæ, vel pauperibus erogari debẽt. Vndè quia Dominis, ac creditoribus certis ex iustitia commutatiua debitorum suorum competit satisfacere; non autem ex alienis, vt res illa est dum extat: nam dum rem certam quis iniustè raptam ab aliquo detinet, eius Dominus non efficitur; licet verus Dominus ignoretur, vt in *l. in ciuilem C. de furt.*

30 Ex certis autem debitis primò restituendæ sunt certis Dominis res, quæ in specie extant, nẽpè

pè res commodatæ, depositæ, locatæ, furto subtractæ, ac emptæ, pretio non dum soluto, nec habita fide de pretio, & aliæ res in specie extantes, quarum dominium non est acquisitum debitori, sed apud earum Dominos permanet: siquidem in eiusmodi rebus nullum ius habent creditores. Indè si rei emptæ fides habita sit de pretio, cùm illius dominium in emptorem transierit, vt in *§. vendita, in instit. de rer diuis.* licèt *Nauar. in Man. cap. 17. num. 49. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 15. dub. 2. num. 11.* & alij velint esse præferendum venditorem, si res in specie extet; nihilominus in contrarium est communis opinio, vt latè habetur ex *Petr. Nauar. lib. 4. de restit. cap. vlt num. 11. & Laym. lib. 3. sua sum tr. 2. c. 11. sub num. 2.* Etenim res illa connumeratur inter debitoris bona tanquam in eiusdem dominio existens; non sic aliæ res supra relatæ; quoniam earum debitor dominium non comparauit.

31 Secundò loco ex certis debitis, si debitor defunctus sit, soluendæ sunt impensæ funeris, vt in *l. penul ff religios & sumpt funer.* & latiùs *Diana par. 5. resol. moral. tr. 3. resol. 116.* cum alijs, quos allegat. Item Medicorum honoraria, Aromatariorum credita farmaca, & expensæ factæ pro inuentarij confectione, ac pro testamento operiendo, vt in *l. vlt §. in computatione,* & ibi, *Doctores C. de iure delib Vasq de restit. cap. 11. dub. 3 num. 83 & Laym loco citato sub num. 3.* qui testantur in quibusdam locis præferri quoque ex æquitate cæteris creditoribus mercedes operariorum ad necessarium vsum conductorũ: nam eiusmodi expensæ non censentur factæ in fraudem creditorum: & nemo reperiretur, qui indigentibus talia subministraret, si de satisfactione certus non esset.

32 Tertiò loco sunt à debitoribus exoluenda creditoribus debita hypothecaria, nempè debita illa, pro quibus soluendis debitores non solùm eorum personas, sed etiam bona omnia, vel rem aliquam, aut plures obligauerunt. Etenim creditores hypothecarij præferuntur Chirographarijs, qui solam debitoris personã obligatam habent, vt in *l. eos, C. qui potior. in pign. habean. leg. plus cautionis, ff. de regul.* vbi *Pomponius* ait, quòd plus cautionis in rem est, quàm in personam: & hanc sententiam communẽ esse in vtroque foro, testatur *Nauar. in Man. cap 17. num. 51 Angel. vers. Restitutio 2. §. 16. & Laym. lib. 3. sua sum. tr. 2. cap. 11 sub num. 4.* Est tamen verum, quod licèt nomina debitorum possint hypothecæ submitti, vt probat *Scacc. de commerc. §. 2. glos 6. num 417. vers. Primò præmitto;* nunquam tamen potest obligari pecunia, vt habetur ex eodem *Scacc. loco citato, num. 442.* Inter hypothecarios autem creditores, qui prior est tempore, potior est in iure; atque ideò prior tempore creditor hypothecarius in pignore præfertur posteriori, *l. 2. ff qui potior. in pign. habean. & c. qui prior, de regul. iur. in 6.* Non tamen hæc regula est simpliciter vera, sed nonnullas habet limitationes.

33 Primò enim limitatur præfata regula, vt non procedat, quãdo interuenit ipso iure facta compensatio inter aliquos ex creditoribus; quoniam tunc posterior creditor, etiam non hypothecarius præfertur priori hypothecario, vt inquit *Scacc. loco supra citato, num. 424.* qui rem ipsam exemplo declarans ait, quòd si ego sum creditor tui ex causa cambij in scutis 500. sine hypotheca: & tu ex alia causa es creditor mei in scutis 500. & Petrus est similiter creditor tui in scutis 500. cum hypotheca, & obligatione omnium bonorum, iurium, &c. ego præferor Petro in istis scutis 500. quamuis Petrus sit creditor anterior, & hypothecarius. Rationem autem hanc esse dicit, quia contracto hinc inde debito inter me, & te, fit inter nos compensatio ipso iure sine ministerio hominis, vt in *l. verum, l. si ambo, ff. de cõpens. l. si constat, & l. fin. C. eod. & §. bonæ fidei, in inst. de action.* Vndè Petrus quamuis sit creditor anterior, & hypothecarius, ac ei obligatum esset nomen meum, non poterit illud à me exigere; quia attenta compensatione, quæ fit ipso iure, ego dicor soluisse, mihi ipsi. Nonnullos alios casus, in quibus fit compensatio ipso iure, colligit *Scacc. vbi supra, num. 425. cum plurib. seq.* & præfertur posterior creditor anteriori hypothecario; quod verum esse arbitratur non solùm in casibus, in quibus si non fieret compensatio ipso iure, debitor pateretur damnum; sed etiã si nullum damnum pateretur: ac ad id ostendendum adducit contraria, & soluit à *num. 432. ad 437.* inclusiuè, & firmans regulam, quòd compensatio antecellat quamlibet hypothecam quantumvis anteriorem, eam multipliciter extendit, ac declarat.

34 Secundò limitatur dicta regula, vt non procedat, quando debitor pecuniam debitam persoluerit creditori posteriori, etiam non hypothecario: quia tunc creditor anterior, licèt quoque hypothecarius, & aliàs potior, non posset à posteriori auocare pecuniam bona fide solutam, & consumptam: Etenim si aliter seruaretur totus Mundus esset in litibus, & mercatores à contrahendo deterrerentur. Et ita fuisse decisum Neapol. per Sacr. Cons. testatur *Afflict. decis. 190.* quã sententiam confirmant, & pro ea plures Doctores allegant *Ioan. Angel. Pisan Prosp. Carauita, & Ricc. ad eundem Afflict. Addentes d. dec. 190. & Scacc. de commerc. §. 2. glos 5. num. 441.* quamuis contra *Afflict.* & sequaces opinionem de rigore iuris forsan putat esse veriorem: quam multis rationibus probat *Stracc. in tract. de Decoctor. par. vlt. sub num. 26. 27. & 30 & seq. vers. Sed licet,* quem sequitur *Vrsill. in addit. ad dict. decis. Afflict.* Non tamen est recedendum in praxi à priori sententia; quoniam est æquior, & communior: & in Repub. Genuen. locum habet non solùm in solutione pecuniæ, verum etiam in cessione, & datione in solutum nominis debitoris, seu delegatione posteriori creditori bona fide factis: siquidem tunc creditor anterior, qui habebat hypothecam anteriorem, & potiora iura in illo eodem nomine, non poterit ab illo posteriori creditore auocare illud nomen, vt patet ex statuto *Ian. lib. 4. c. 7. §. penul.* relato à *Scacc. loco citato, num. 443 & 444.*

35 Dixi, *Pecuniam bona fide solutam, & consumptam: & datione in solutum nominis debitoris, seu delegatione posteriori creditori bona fide factis,* quoniam aliter est dicendum, quando pecunia non esset bona fide consumpta, ac soluta; & datio in solutum nominis debitoris, seu delegatio dolosè factæ fuerint in fraudem aliorum creditorum, ac solum, vt posteriori creditori de-

bitor gratum faceret, vt per *Afflict. in d. decis. 190. sub num. 6.* & ad eum *Vrsil. sub num. 1. & 2. vbi supra, num. 445. Ann. singul. 538. Couar. pract. qq. cap. 29. num. 2. Gayll. obseruat. 25. nu. 15. lib. 2.* & alios, quos refert, & sequitur *Ricc. in addit. ad eand. dec. 190.* sublimitās insuper ea, quæ diximus non procedere in Fisco, quoniam ipse potest solutum posteriori creditori auocare hypothecaria, vt *in l. pecunia, ff. de priuil. fisc.* Item inquit locum non habere quando solutio posteriori creditori fieret per decoctum, & non superest, vnde satisfiat anteriori creditori, vt fuit resolutum per *Rot. Rom. in vna Romana pecuniaria, sub die 29. Nouembr. 1593. coram A. D. Penia*, in qua resolutione plures aliæ extant limitationes.

36 Tertiò limitatur præfata regula, vt locum nō habeat in eo, qui pecuniam credidit ad emenda prædia, & ad ædificandas ædes, ius pignoris in ijs paciscēs: siquidem is præfertur creditoribus anteriorem generalem hypothecam in bonis debitoris habentibus *l. 1. ff in quib. causis pignus, &c. & l licet, C. qui potior. in pignor. hab. Laym lib. 3. sua sum. tract. 2. cap. 11. sub num 5. vers. Sunt tamen*, vbi *vers. seq.* idem dicendum esse ait de eo, qui ad conseruationem ædium alteri priori creditori specialis hypothecæ nomine obligatarum, pecuniam credidit: quoniam illi præfertur, vt *in l. interdum, ff. qui potior. in pign. hab.* Sic etiam de eo, qui pecuniam credidit in conseruationem aliarū rerum, puta nauis, mercium, &c. ius pignoris in illis sibi constituens: Etenim in alijs hypothecarijs creditoribus præfertur, vt *in l. huius enim, ff eod.* vbi *Vlp.* rationē assignans, sic ait: *Huius enim pecunia saluam fecit totius pignoris causam, &c.*

37 Quarto limitatur eadem regula in vxore habente hypothecam tacitam, quæ præfertur pro dote quibuscunq; creditoribus habentibus similiter tacitam hypothecam, licet anteriores sint, vt *in l. assiduis, cap. qui potior. in pign. hab.* Dixi: *creditoribus habentibus similiter tacitam hypothecam:* quoniam non præfertur creditoribus habentibus expresam, ac priorem hypothecam, vt ex communi docēt *Accurs. in d. l. assiduis, Couar. lib. 1. resol. 7. num. 1. Gaill. obser. 25. nu. 10. Panor. in cap. ex litteris, num. 8. de pignor* & alij, quos refert, & sequitur *Laym. d. cap. 11. sub num. 5. vers. 15. Bona mariti.* Vndè cùm bona mariti sint tacitè obligata vxori, eiusq; liberis pro dote, ipsa præfertur supra dictis bonis, omnibus creditoribus habentibus similiter tacitam, licet anterioribus, si priuilegiati non sint. Idem dicendum est si de pecunia pupilli res aliqua comparata sit; quoniam cùm in ea tacitam hypothecam acquirat, habet quoq; & iuris prælationem, vt in *l. idemque, ff. qui potior. in pign. habean.* Imò eidem vtilis vindicatio competit, si tutor proprio nomine ex pecunia pupilli rem aliquam emerit, *l. 2. ff. quando ex fac. tut. &c. & l. 3. de reb. cor. qui sub tut. sunt*, quod priuilegiū militi quoque de iure concessum reperitur, vt in *l. si proponis C. de rei vend.* vbi *Glosa* idem priuilegium extendit in Ecclesiam; cùm Ecclesia in illis æquiparetur minori, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor. in C. ex litteris, in fine, de in integr restit.*

38 Quintò limitatur dicta regula in fisco: nam si priuatus generalem accipiat hypothecam in bonis alicuius acquisitis, & acquirendis: & deinde eandem fiscus, quamuis priuatus fisco præferatur in bonis, quæ ante posteriorem fisci obligationem acquisita sunt, vt in *l. fin. ff. qui potior in pign hab.* fiscus tamen ius prælationis habet in illis bonis, quæ debitor post secundam illam obligationem acquisiuit, vt in *l. qui mihi, ff. de iure fisci.*

39 Sextò limitatur regula in creditoribus priuatis, quorum alter habet publicam hypothecam per instrumenta, & scripturas publicas manu publici Notarij, & coram testibus conscriptam, aut coram Iudice datam: alter verò per priuatam scripturā de pignore cau.: nam prior præfertur posteriori creditori, licèt posterior sit tēpore prior, vt *in l scripturas, C. qui potior. in pign. hab. l. in exercendis, C. de fid. instr. Glosa in cap. 2. eod. tit. & Gaill. lib. 2. obser. 25. nu. 10.*

40 Post debita realia, & hypothecaria, sunt soluenda debita merè personalia ex contractu quocunque oneroso, aut ex delicto prouenientia, vt habetur ex *Petro Nauar. lib. 4. de restit. cap. vlt. num 40. Vasq. de restit. cap. 11. dub. 2. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 15. num. 16. & Laym lib. 3. sua summ. tr 2. cap. 11. num. 6.* vbi agit etiam de aliquibus creditoribus priuilegiatis, qui supradictis præferuntur; & ex iuris priuilegio totum debitum suum postulare possunt, antequam alij creditores Chyrographarij non priuilegiati admittuntur, nempè Respub. *l. bonis venditis, ff d. priuil. creditor.* Itē qui pecuniam deposuit apud depositarios à Repub. constitutos, si depositum transeat in contractum mutui, *l. si ventri, §. in bonis, ff. eod. l. si hominem, §. quotiens, ff. depos.* Præterea, qui ad nauem extruendam, instruendam, aut emendam pecuniam credidit, *l. quod quis nauis. ff. de priuil. credit.* Vndè postquam priuilegiatis omnibus integrè satisfactum fuit, si adhuc bona aliqua debitoris supersint, reliquis personalibus creditoribus solutio pro rata facienda est, nulla habita ratione de prioritate tēporis, vt in *l. priuilegia, ff. eod. tit. l. 1. §. ex contrario, ff. de separat l. pro debitis*, & ibi *Doctor. C. de bon. auct. iud. possid. Nauar. in Man. c. 17. sub num. 51.* & alij apud *Laym. loco citat. vers. Assertio septima*: vbi etiam addit, quòd si debitor videns ei non suppetere bona, quibus omnibus creditoribus suis satisfaciat, vni creditori præ alijs non priuilegiato, neque exigenti, nec valdè indigenti; atque ideò, nulla suadente necessitate debitum integrum soluat, licèt peccet, cùm iniuriam alijs creditoribus inferat, & in eorum fraudem censeatur agere; creditor tamen citra culpam accipit, quod sponte sibi offertur, nec est restitutioni obnoxius; nisi per fraudem assecutus sit, simulando grauem inopiam, vel ab inuito extorserit. Quænam autē sint coniecturæ, & qui casus, quibus debitor non præsumitur soluere, ac alienare in fraudem creditorum, vide *Laym. d. c. 11. à num. 7. vsque in finem.* Hæc satis dicta sint de culpis debitorum ex contractu, aut ex alia causa ciuili, restat modò videndum de culpis debitorum ex delicto, nempè ex homicidio, mutilatione, vulnere, furto, stupro, &c. Dicimus igitur.

41 Tertiodecimò peccare debitores ex homicidio non reficientes damna, expensas, & interesse hæ-

hæredibus occisi; ad hæc enim omnia tenetur homicida, sicut mutilans, aut vulnerans, mutilato, & vulnerato, vt per *Glos. in c. 1. vers. operas,* vbi etiam *Panor. num. 5. de iniur. Glosa in l. ex. hac, ff. si quadr. paup. fecis. dic. Nauar. in Man. c. 15. num. 26.* & alij communiter. Est tamen adnotãdum circa interesse, quòd licèt homicida ad totum interesse damni emergentis teneatur; sicut mutilans, & vulnerans; non tamen tenetur ad totum interesse lucri cessantis; quia diuersa ratio est lucri, ac damni, vt supra ostendimus, *vers. Octauò peccant debitores, ampl. 1.* & lucrũ in spe non valet tantum, quantum lucrum in re. Patiens enim interesse damni emergentis expoliatur re, quam actu habet: non sic dicendum est de interesse lucri cessantis, cum sit in potentia, & incertum, & quod potest varijs modis impediri, vt rectè declarat *Less. lib. 2. de iust. & iure, c. 20. dub. 11.* & *Salon. in 2. 2. D. Thomæ, q. 78. ar. 2. contr. condit. 6.* cum alijs, quos allegant. Imò licèt aliqui velint in taxatione lucri cessantis non esse deducendam æstimationem molestiæ, ac laboris, vt docent *Less. loco citat. c. 9. dub. 19. num. 125. Sot. lib. 4. de iustit. & iure. q. 6. ar. 3. circa 3. argum. Nauar. lib. 4. de restit. c. 1. num. 68. Couar. lib. 2. var. resol. c. 10. num. 7.* & *Villalob. in sua sum. tomo 2. tr. 11. differ. 27. num. 4. contra Rebell. p. 1. lib. 3. q. 13 num. & alios;* nihilominus placet nobis in hac re media via, quam eligit *Diana* cum quibusdam alijs *p. 5. resol. moral. tr. 4. resol. 53.* dum volunt, posse ad arbitrium prudentis viri aliquid detrahi à restitutione lucri cessantis ratione leuaminis à labore. Non tamen æstimatio hæc facienda est secundùm dispositionem iuris ciuilis, de qua in *l. computationi, ff. ad leg. Falc.* Sed attendendæ sunt circumstãtiæ personæ, loci, & temporis, vt si occisus erat iuuenis, optimæ salutis, bonus artifex, & valdè labori incumbens, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thom. 2. 2. q. 62 ar. 2. ad 1. Sot. loco citato,* & ex alijs, quam sententiam communem esse testatur *Diana d. resol. 53.* quamuis æstimationem iuxtà dispositionem iuris ciuilis putet esse probabilẽ; cùm illas sequantur *Betran. & alij,* quos ipse refert: & in omnem euentum addit, certum esse in vtraque sententia, quòd quando læsus remanet viuus cum membri abscissione, vel perpetua debilitate, non est necessaria annorum computatio, de qua *in d. l. computationi;* sed poterit eidem solui quolibet anno certa summa pro illo lucro, quod habiturus erat: & reficiendæ impẽsæ, quas erogauit pro ipsius curatione, iuxta *Glos. in d. cap. 1. de iniur. ver. Operas.* Deformitatis autem ex mutilatione, aut vulnere prouenientis, non est habenda ratio; quia liberum corpus non recipit æstimationem, vt probat eadem *Glosa* ibi, quod tamen verum est, nisi ex deformitate damnum temporale resultaret; quoniam tunc non ratione vulneris, & feditatis; sed ratione damni fieret compensatio, vt si deformitas inferatur fœminæ nubili; quæ ob id nuptui dari non possit, vel ampliori indigeat dote: aut seruo, ob quam minus valeret, vt benè notat idẽ *Diana d. tract. 4. resol. 54.* vbi latè probat etiã, quòd non modo deformitatis, sed nec vitæ quidem hominis occisi est habenda ratio; quoniam damna corporis liberi non possunt pretio compensari; cùm sint supra omne pretium, vt *in l. fin. ff. de his, qui effuder. vel deiecer. & l. ex hac lege, ff. si quadr. paup. fecis. dic.* & hæc sententia est magis recepta; nam docet eam *Glos. in d. cap 1. de iniur.* & quamplurimi Doctores magni ponderis, quos refert ipse *Diana, & Laym. lib. 3 sua sum. tr. 3. par. 3. cap. 6. num. 2.* quamuis non desint, qui contrariam doceant sententiam, quos citat idem *Diana in d. resol. 54. in princ.*

42 Quo verò ad hæredes occisi, per hæredes intelligimus filios, parentes, & vxorem occisi: istis enim dumtaxat tenetur homicida damna, & interesse reficere; etiam si sint diuites, & aliundè victum habeant, vt probat *Sanch. in opusc. tomo 1. lib. 1. cap. 4. dub. 3. num. 9.* Vndè ex hoc sequitur excludi fratrem occisi: quia nec est hæres necessarius, nec censetur vna persona cum ipso occiso, vt contra *Mercat. de contr. lib. 6. cap. 6.* docent *Cœlestin. in compend. theol. moral. tr. 10. cap. 3. num. 2. Becan. in 2. 2. D. Th. q. 14. de restit. concl. 3.* cum alijs, quos allegant, & nouissimè *Diana par 5. resol. moral. tr. 4. resol. 59.* qui ait valdè notandum esse id quod ait *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 9. dub. 26. num. 157.* dum putat, probabile esse homicidam non teneri restituere vxori occisi, si illa nullum notabile detrimentum fuerit assecuta, vt quia æquè commodè possit nubere: nec parenti occisi, nisi fortè sit hæres, aut filius occisi ipsum alebat, & ei aliundè non sit prospectum. Imò refert ipse *Diana ibid. Tanner. tom. 3. disp. 4. q. 6 dub. 4. num. 122.* existimantem, satis probabile esse, quòd si occisus de pretio non conuenerit dum viueret, & parentes, ac vxor non egeant alimentis, nec filij, necessarijs ad vitam, non teneri homicidam ante Iudicis sententiam aliquid restituere. Est tamen verum, quòd expensæ factæ in medicandis vulneribus, ex quibus non statim, sed post aliquos dies, vel menses interijt vulneratus, sunt reficiendæ fratri occisi, si sit hæres, & cuicumq; alij eiusdem hæredi extraneo: siquidem ad illas expensas habebat ius defunctus ante mortem: & hæres quantumuis extraneus succedit in iuribus debitorum realium, vt rectè inquit *Diana d. resol. 59 circa fin. in vers. Aduertendum est.*

43 Ampliatur primò hæc conclusio, vt debitor ex homicidio, mutilatione, aut ex vulnere peccet non reficiendo damna, expensas, & interesse, vt supra; etiam si occisio, mutilatio, aut vulneratio sit facta in duello: siquidem ex homicidio commisso, aut læsione facta in duello sequitur restitutionis obligatio, vt docent *Turrian. 2. 2. in D. Thom. tom. 2. disp. 28. dub. 4. num. 12. Bonauen. Colonien. in tr. de duel. cap. 12. Pereg. eod. tr. q. 39. num. 4* & alij docentes, quòd qui in duello lædit aliquem, aut occidit, tenetur in foro conscientiæ resarcire læso, vel filijs, & hæredibus occisi quamcumq; iacturam, quam illi ratione læsionis, & occisionis perpessi sunt. Etenim, qui pugnat in duello dat operam rei illicitæ, cum duellum sit malum nõ solùm quia prohibitum; sed quoniam est intrinsecè malum: ergò si ex duello sequitur læsio, aut occisio, vulnerans, aut occidens tenetur resarcire quascunq; iacturas: quoniam danti operam rei illicitæ, quę prohibita est ex præcepto iustitiæ, imputantur omnia damna, & mala, quæ indè subsequuntur, etiam si præter eiusdem voluntatem eueniant. Hanc eandem opinionem docet *Mol. tomo 4. de*

iust. & iure, tr. 3. disp. 82. num. 2. quam probabilem quoq; censet *Homobon. de casib. reser. par. 2. casu 3.* dum dicunt prouocatum ad duellum, si illud acceptet, vt suum mundanum tueatur honorem, & inimicum occidat, teneri ad restitutionem. Est tamen verum, quòd probabilior nobis videtur, & in praxi omninò seruanda opinio eorum ita distinguentium; quòd aut prouocatus fuit occisus, seu læsus à prouocãte ad duellum: aut è conuerso prouocans occiditur à prouocato: aut inuicem se prouocauerunt ad illud, & eorum alter succumbat, aut vulneretur. Primò casu dicunt deberi restitutionem, quoniam læsus inuoluntariè suscepit certamen; sed ad illud prouocatus descendit, ne apud mundanos vilis haberetur. Secundo casu volunt restitutioni nõ esse locum; quoniam licèt prouocatus peccet lædens prouocantem; nihilominus prouocans malum sua culpa patitur, & proindè sibi imputatur damnum, vt *in cap. damnum, de regul. iur. in 6.* Tertio denique casu neuter alteri ad restitutionẽ tenetur, quia pactum implicitum censetur initũ inter eos, vt nihil læso lædens inde debeat. Et prouocans censetur renunciare iuri suo. Ita *Less. lib. 2. de Iust. & iure cap. 9. dub. 21.* & alij quamplurimi, quos allegat, & sequitur *Diana par. 5. resol. moral. tr. 4. resol. 50.* Si enim prouocans censetur renunciare iuri suo si lædatur à prouocato; ergo ad nihilum tenetur prouocatus si prouocantem occidat, aut qualitercumq; lædat, & quamuis dederit operam rei illicitę, cum & prouocãs eiusdem, ac grauioris criminis sit reus; nõ tamen attenditur damnum, quod ex prouocatione, & sua culpa patitur; sed attenderetur, & ratio haberetur damni, quod ex tali duello tertius fortè pateretur, cum ex datione operis rei illicitæ ab vtroque proueniret. Quæ diximus de inuicem se prouocantibus ad duellum: & de prouocante, si læsio, aut occisio sequatur, extendit *Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. par. 3. cap. 6. sub num. 5.* in eos, qui in ludo periculoso, puta hastiludio congrediũtur: nam si ludi leges seruent, nulla inter eos datur damni compensatio: & id ex vi taciti pacti, vt supra. Et sic ex dictis sufficienter remanẽt soluta contraria.

44 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt debitor ex homicidio, vulnere, aut mutilatione obligetur, vt supra reficere damna, expensas, & interesse, non solùm si ex industria, ac voluntariè homicidium commiserit, mutilauerit, aut vulnerauerit; verùm etiam si præter ipsius voluntatem, sua tamen culpa homicidium subsecutum fuerit, mutilatio, vel vulneratio. Illum enim propter culpam certum est iniuriam, ac iniustitiam commisisse: at omnis restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ ex eiusdem violatione prouenĩens, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 62. ar. 1. Molina de iust. & iure tomo 4. lib. 3. tr. 2. cap. 1. num. 4. & alij DD.* Siquidem restitutio nihil aliud est, quàm damni dati restauratio, vt rectè declarat *Molina loc. cit.* Dixi: *Sua tamen culpa homicidium, &c.* quoniã actione legis Aquiliç ad reficiendum damnum, is tenetur, qui dolo, vel culpa etiam leuissima occidit, vulnerat, aut mutilat: secus autem si casu; quoniam pro eo non obligatur, vt *in §. quoad legem, § iniuria, & §. itaque, cum plurib. seq in Instit. de leg. Aquil. & l. Sed etsi quemcunque, §. iniuria, ff. eod.* Dicitur autem homicidium casu cõmissum quando prouenit ex causa inefficaci, ita vt ex ea non soleat talis effectus produci; sed aliundè, ac per accidens, vt cum quis nõ lethaliter aliquem percusserit, & ex malitia, aut imperitia medicorum, aut ipsius vulnerati incuria mortuus est: talis enim non est homicidij reus, nec tenetur ad restitutionem, vt homicida, sed solùm vt vulnerans, vt benè declarat *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 9. dub. 15.* quem refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. mor. tr. 4. resol. 46.* qui addunt tamen secus esse dicendum, si eo loco non erant Medici, & læsus debitam diligentiam adhibuit; siquidem tali loco, & tempore vulnus illud dici potest lethale. Dicunt etiam casuale quoq; dici homicidium illius, qui dans operam non solùm rei licitæ, sed etiam rei illicitæ, adhibita sufficienti cautione, ne indè malum aliquod sequatur, aliquem nolẽs interemit: siquidem eiusmodi mors illi non imputatur; quoniam nec in se, nec in causa volita est. Nec obstat si dicatur, quòd causa fuerit periculosa, & proindè mors illa fuit volita in causa; quoniam respondetur, quòd per diligentiam prius adhibitam fuit sublatum omne periculũ. Vndè supposito quòd vera sit eiusmodi doctrina, idem dicendum est de eo, qui alienam arborem in via publica consitam conscenderit ad incidenda ligna, & indè auferenda contra voluntatem Domini: nam si ramos incidens proclamauerit, vt casus à transeuntibus vitaretur, quãuis ab inciso ramo quis fuerit peremptus, & putator daret operam rei illicitæ; nihilominus excusatur à culpa; quoniam occisio illa est omninò casualis respectu incidentis, stante diligentia adhibita per eius proclamationem. Pro hac re facit *tex. in § si putator, in Inst. de lege Aquil.* qui non distinguens de putatore dante, vel non dante operam rei illicitæ, sic ait: *Si putator ex arbore deiecto ramo seruum tuum transeuntem occiderit, si propè viam publicam, aut vicinalẽ id factum est, neque proclamauit, vt casus euitari posset, culpa reus est: sed si proclamauit, nec ille curauit præcauere extra culpam est putator.* Ad idem facit *tex. in l. si putator, ff. eod.* vbi inquit *Bald.* nota clamantem excusari: & facit cõtra currentes equos; nam debent dicere *guarda, guarda.* Ex defectu quoq; diligentiæ si quis etiã ad sui defensionem lapidem in aduersarium miserit, & non eum, sed prætereuntem percusserit, non excusatur, vt *in l. scientiam, §. sed si defendendi, ff. eod. tit. paulo sup. cit.* quod quidem limitandum puto non procedere vbi locus iacti lapidis esset seorsim à via, per quam hominum transitus non consueuerat esse, per ea, quæ habẽtur *in tex. in l. si putator, ibi, quòd si nullum iter erit, ff. ad leg. Aquil. & § si putator, eod. tit.*

45 Tertiò ampliatur, vt debitor ex homicidio, mutilatione, aut ex vulnere non solùm peccet nõ reficiens damna, expensas, & interesse hæredibus occisi, mutilato, aut vulnerato; sed etiam ijs, qui ratione dictorum criminum, aut alicuius ex eis interesse passi sint. Hinc *Azor. par. 3. Instit. moral lib 5. cap. 3. q. 11. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. cap. 1. num. 76. Vasq. opusc. de restit. cap. 2. §. 3. dub. 7. num. 24.* & alij putant, non tantum parentibus, filijs, ac vxori esse faciendam restitutionem damnorum, & interesse, vt supra; sed etiã amicis, & alijs cõsanguineis occisi, quibus aliàs ex.

ex iustitia ipse defunctus occisus non tenebatur; si tamen probabile erat, defunctum si vixisset alimenta daturum, aut alia bona collaturum. Et multò magis tenetur debitor homicida reficere damna creditoribus occisi, si ratione talis homicidij non valeant eorum credita recuperare, vt docent *Molina tomo 4. de iustit. & iure, tr. 2. disp. 83. num. 8. & Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. par. 3. cap. 6. nu.* Et deniq; cæteris prætermissis, qui ex suo homicidio aduertit damnum prouenturum tertio, nempè eum fore capiendum, tanquam occisi inimicum, tenetur eidem omnia damna, expensas, & interesse reficere, vt habetur ex *Azor. par. 3. Instit. moral. lib. 5. cap. 3. q. 10.*

46 Horum placita puto vera esse si ex industria fuerit homicidium commissum, vt familiares, & consanguinei occisi priuati remaneant alimentis, & emolumentis præsentibus, aut valdè probabiliter futuris: & multò magis si homicidium fuerit intentum ad priuandum creditores eorũ iuribus, quæ habebant contra ipsum occisum: vel ad inferendum damnum illud tali tertio. Siquidem talis homicida per se concurrit ad supradictorum damna, & est in culpa, & per se causa damnorum: quæ culpa restitutionem habet annexam, vt patet ex ijs, quę adnotauimus in *praced. ampl.* Cæterum si ex alia causa fuerit homicidium subsecutum, & nullo modo volitum in damnum familiarium, consanguineorum, vel creditorum occisi, ac pręnarrati tertij, cùm eiusmodi damna eisdem proueniant per accidens, non sunt ipsis reficienda. Etenim in moralibus attenditur id, quod est per se; non autem id, quod est per accidens: damnum enim quando sequitur ex opere non natura operis, sed per accidens, vt in prædictis casibus, non tenetur quis ex iustitia cauere, ne sequatur, etiam quòd de damno euenturo cogitet; sed solùm ad id tenetur ex charitate; ergò in prædictis casibus non habet locum restitutio, seu damnorum refectio: quoniam omnis restitutio prouenit ex violatione iustitiæ cõmutatiuæ, vt sup. ostendimus *ampl. praced.* Hæc quæ diximus docent quamplures Doctores magni ponderis, nempè *Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 9. dub. 16. & 26. Sot. eod. tr. lib. 4. q. 6. ar. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana par. 5 resolut. moral. resol. 51. 56. & 57.*

47 Quartò ampliatur prædicta conclusio, vt non solùm debitor ex homicidio, mutilatione, aut vulnere, teneatur ad damna, expensas, & interesse vt supra; sed etiam eius cooperatores, siue cooperatio fiat positiuè, nempè mandato, consilio, auxilio, consensu, fauore, aut participatione: siue priuatiuè, nempè non præcipiẽdo, non clamando, non obstando, non impediendo, cùm ex officio debeat, vt rectè declarat *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 13. à dub. 2. ad dub. 9. cum plur. alijs seq.* vbi limitat post alios hanc ampliationem ita demum esse veram quoad cooperationem positiuam, quando mandatum, auxilium, consilium, fauor, &c. influunt in effectum; aliàs secus, vt *in d. dubio 2. & dub. 3.* in quo *num. 15. & 16.* rectè tractat etiam de consulente reuocãte consilium ante cõmissum crimen, an, & quando excusetur à restitutione: & *num. 19.* quærit an consulens minus malum ad auertendum maius sit restitutioni obnoxius. Et quoad cooperationem priuatiuam idem *Less. ibi dub. 10.* rectè probat contra *Caiet.* & alios, neminem ratione damni non impediti teneri ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio: & insuper cõtraria soluit.

48 Quintò ampliatur, vt non tantùm debitor ex homicidio, mutilatione, &c. teneatur ad damna, expensas, & interesse, vt supra; verum etiam eius hæres, si ipse homicida fuerit capitis pœna damnatus, vt habetur per *Couar. lib. 2. var. resol. cap. 10. num. 7. Petr. Nauar. lib. 4. de restit. cap. 1. nu. 91. Sanch. in opusc. tomo 1. lib. 1. cap. 4. dub. 2. num. 2. Malder. in 2. 2. D. Th. tr. 3. cap. 3. dub. 5. Azor. tomo 3. Inst. moral. lib. 5. cap. 3 q. 6. Clar. in praxi lib. 5. § homicidium, nu. 23. Gordon. tomo 1. lib. 5. q. 4. cap. 4. num. 17. & Gomez tomo 3. cap. 3. num. 3.* Et enim pœna capitis plectitur homicida non ad compensandum damnum parti læsæ illatum, sed ad vlciscendam iniuriam, quæ Reip. ac legislatori per crimen infertur: nam ob id ait *tex. in l. ita vulneratus, ff. ad l. Aquil.* quòd publicè interest, vt delicta puniantur. Vndè vna, & eadem sententia ego vidi sæpè condẽnari reum pœna mortis pro homicidio, aut latrocinio, & ad interesse parti læsæ reficiendum: atque ideò ad id teneatur hęres, cum actiones defuncti tam actiuæ, quàm passiuæ transeant ad hæredes: quod verum esse putant *Aragon. in 2. 2. D. Th. q. 62. ar. 2. & Fernandez in exam. theol. moral. par. 1. cap. 14. § 1. num. 16.* quando bona damnati ad mortem peruenerunt ad hæredes, non successione hæreditaria, sed libera legatione, cum qua sententia videtur pertransire *Diana par. 5. resol. moral. tract. 4 resol. 60.* quãuis *Lessij* opinionem *lib. 2. de iust. & iur. cap. 9. dub. 22. num. 139.* & aliorum, hęredem excusantium à restitutione putet esse probabilẽ, eo quòd capitis sententia compensat omnem iniuriam, & damnum homicidij: quam maximè inquit procedere, inquit *Becan. in 2. 2. D. Th. q. 10. de rest. concl.* quando hæres occisi nihil exigat pro satisfactione damnorum. Sed re uera in rigore nõ est recedendum à priori sententia; quoniam capitis sententia compensat omnem iniuriam irrogatam Reip. ac legi; non autem parti: nam sæpè videmus, quòd non obstãte partis læsæ remissione, homicida capite plectitur.

49 Sextò ampliatur præfata conclusio, vt debitor ex homicidio non modò teneatur reficere damna, expensas, & interesse hæredibus occisi vt supra; sed etiam in foro pœnitentiæ est illi imponenda grauis pœna, seu satisfactio ad instar Dauid, qui ob homicidium commissum in personã Vriæ, & adulterium cum eiusdem vxore quotidie satisfaciẽs dixit psal. 101. *Quia cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cũ fletu miscebam.* & alibi ps. 6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Hinc *Comitul. in resp. moral. lib. 4. q. 11. num. 8.* relatus à *Diana loc. cit. resol. 43.* de pœnitentia, seu satisfactione iniungenda pro homicidio agens, sic ait: *Ego meo quidem animo, salutaris esset, vt interfecti propinquis homicida supplicè se abijceret, delictiq; venia deprecaretur, vt ijsdem illata damna sarciret, vt pro salute occisi singulis hebdomadis per annum integrum vnum, alterum sacrificium, si tantum sit ei in bonis, fieri curet, vt singulis item hebdomadis eleemosynam ali-*

aliquam pro illius anima totum annum largiatur egentibus, vt per eundem annum, aut litanias, si legendi gnarus sit, aut si ignarus Beatissimæ Virginis orarium, seu coronam quotidie flexis genibus recitet, vt octauo quoque die per annum Sacramento pœnitentiæ sua peccata expiet, & singulis mensibus Eucharistiam sumat, vt in omni vita quotidie semel orationem Dominicã, & Salutationem Angelicam pronunciet, terrã genibus tangens pro anima occisi. Est tamen verum, quòd licèt *Scot. in 4. d. 15 q. 3. Clar. in sua praxi crim. lib. 5. §. homicidium, vers. Tenetur etiam, Molina de iust. & iure tomo 4. tr. 3. disp. 84. num. 11. Rebell. par. 1. lib. 3. q 14. nu. 6.* & alij velint, homicidam obligari non modo ex charitate, sed etiam ex iustitia pro anima occisi offerre Missas, preces, &c. nihilominus contrariũ docent *Azor. par. 3. lib. 5. cap. 3. q. 12. Filliuc. tomo 2. qq. moral. tr. 32. cap. 8. nu. 205. Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. par. 3. cap. 6. num. 2.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. moral. tr. 4. resol. 55.* moti ex eo, quòd nemo tenetur damnum resarcire ex bonis diuersi generis, & ordinis, si in eodem non possit: siquidem ea tantum bona inter se commensurari possunt secundum proportionem dati, & accepti. Sed quicquid sit de hac re, illud certum est posse Confessarium in foro cõscientiæ obligare homicidam ad Missas, & alias orationes pro anima occisi, vt habetur ex eisdem *Laym. & Diana locis cit.*

50 Sic ampliata limitatur prædicta conclusio, vt locum sibi vendicet in homicidio formali, quo iniustè occiditur aliquis homo: secus autem in homicidio largo modo, quo quis iustè quis occidit hominem, mutilat, aut vulnerat ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, quoniam his hæredibus occisi, mutilato, aut vulnerato damna, expensas, & interesse non tenetur reficere: siquidem omnis restitutio prouenit vel ratione rei iniustè acceptæ, vel ratione iniustè, seu damni iniustè illati: qui autem occidit, mutilat, aut vulnerat inuasorem, iustè occidit, mutilat, aut vulnerat, si id agat cum moderamine inculpatę tutelæ. Etenim defensio permissa est tum iure naturali, vt inquit *Cic. in orat. pro Milone*, tum iure Diuino, vt patet *Exod. cap. 22.* tum iure Canonico, *cap. significasti, 2. de homic. Clem. furiosus, eod. tit. & cap. si verò, de sent. excom.* & tum denique de iure ciuili, *l. vt vim, ff. de iust. & iure, l. sciendũ, §. qui cum aliter ff. ad leg. Aquil. & l. 1. C. de vi, & vi arm.* Qui enim ad sui iustã defensionem occidit, mutilat, aut vulnerat, non dicitur formaliter occidere, mutilare, & vulnerare; sed tantùm largo modo; nam per se inuasus intendit sui defensionem; quòd indè postea sequatur occisio, mutilatio, seu vulneratio, id est per accidens: at in moralibus attenditur id quod fit per se, non autem per accidens. Hinc *Binsfeld* post alios *in cap. 1. q. 5. concl. 3. de iniur. & dam. dato*, meritò ait, quòd si Sacerdos in actu celebrandi Missam inuasus, inuasorem occidat, potest deindè citra omnem culpam perficere sacrificium iam inchoatum. Adeò licita est defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt si inuasus dederit inuadenti inuadendi occasionem, adhuc tamen licitè potest inuasorẽ occidere ad sui defensionem. Vndè adulter in adulterio comprehensus à marito adulteræ, si eius manus non possit effugere, ne occidatur, licitè potest ipsum maritum ad propriæ vitæ defensionem occidere. Siquidem adulter ex iniuria, quam infert marito, non perdit ius se defendendi, quod à natura sibi datur; etiam si periculum præuiderit inuasoris, & statuerit se in illo constituere. Etenim si postea inuasus se defendens occidat inuadẽtem, licèt peccauerit adulterando, non tamen peccat inuadentem occidendo: quoniam tunc iustam habet se defendendi causam, vt de adulterij peccato doleat, quod in tali conflictu, & animi perturbatione nõ ita de facili fieri potest. Ita *Bann. 22 q 64. ar. 7. q. 3. Rodriq. in sum. tom. 1. cap. 210 num. 2. Molina de iust. & iure tomo 4. tr. 3. disp. 15. Petr. Nauar. de restit. lib. 2. cap 3. num. 361.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. mor. tr 4. resol. 3.*

51 Imò quamuis inuasor non intendat inuasum occidere, sed tantùm alapa percutere, vel fuste, si inuasus non possit aliter huiusmodi iniuriam propulsare, nisi inuasorem interimens, si illum occidat, immunis est à culpa, & à damnorum refectione. Etenim licitum est viro honorato inuasorem occidere, qui fustem, aut alapam nititur impingere, vt ignominiam inferat: Si enim potest aliquis interfici ad euitandum pecuniarũ damnum, ut infra dicemus, multò magis interfici potest ad defensionem honoris, cum sit altioris ordinis, & ad euitandam propriam ignominiam, vt rectè probat *Sot. de iustit. & iure lib. 5. q. 1. ar. 8. Nauar. in Man. cap. 15 sub nu. 3. Anton. Gomez. tomo 3. cap. 3. num. 23. Iul. Clar. in sua praxi crim § Homicidium, num. 26. Syl. in sum. ver. Homicidium, 1. q. 5. Less. lib. 2. de iust. & iure cap 9. dub. 12 nu. 77. Villalobos in sum. tom. 2. tr. 12. diffic. 10. num. 5. Mendoza in 22. disp. 170. sec. 16. §. 137. Filliuc. tom. 2. qq moral. tr. 29. cap. 3. num. 50. Azor. tomo 3. Instit. moral. lib. 2. cap. 1. q. 16 Molfes. tomo 1. sua sum. tr 11. cap. 19. num. 73* & alij, quos refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. moral. tract 4. resol. 4.* contra *Sylurum in 2. 2. D. Thom. q 64. ar. 7. Tanner tomo 3. disp. 4. q 8. dub. 4. num. 74. & Malder. 2. 2. tr. 3. cap. 1. dub. 7. assert. 1.* Adeò verum est licitum esse inuasorem occidere pro conseruatione honoris, vt si homo ingenuus inuasus possit aufugere, & vitam propriam, & inuasoris conseruare, si fuga dedecus eidem afferat notabile, non aufugiens, & aggredientem interficiat, excusabitur à culpa, ac à restitutione, vt habetur ex *Mol. tom. 4. de iust. & iure, tr. 3. disp. 17. Nauar. loco cit. Azor. d. cap. 1. q. 14.* & ex alijs apud eundem *Dian. d. tr. 4. resol. 9.* Dixi: *Si fuga dedecus eidem afferat notabile:* quoniam si habita ratione personarum, ac circumstantiarũ concurrẽtium, id dedecus esset parui momenti, aut nullius, tunc inuasus tenetur aufugere pro conseruatione propriæ, & inuasoris vitæ, vt benè declarat *Diana loc. cit.* Et ità fortè intelligendus est *Maior in 4. d. 15. q 20.* dum ait moderamen tutelæ non seruari quando iniuria tanta non est in se considerata, & ratione materiæ, vt cum tanto proximi nocumento iustè potuerit propulsari, non enim vtcunque baculo inuasus mox poterit inuasorem gladio confodere; vt si miles à suo Duce; & quilibet subditus à suo superiore, filius à patre, seruus à domino, aut vilissima persona à patritio baculo inuadatur: hi enim tenentur

tur aufugere; ſicut ſi Religioſus fuerit inuaſus, iuxta ea, quæ habentur ex eodem *Diana d. reſol.* 9. Et infra latius dicemus, *limit.* 3.

52 Multò minus licitum eſt aggreſſorem præuenire, & eum priuſquam inuadat interficere: quoniam præuenire inimicum non inuadentem, nō eſt ſe defendere, vt benè inquit *Syluius in* 2. 2. *D. Th. q.* 64. *ar.* 7 *q.* 6. & declarat *Salon.* 2. 2. *q.* 64. *ar.* 7. *contr.* 1. *concl.* 3 & *Nauar. in Man. cap.* 15. *num.* 2. Quod quidem verum eſſe arbitror, quando inuadendus poteſt damnum vitare non præueniendo; aliàs ſecus eſſet dicendum, vt patet ex *Molina tomo* 4. *de iuſt. & iur. tr.* 3. *diſp.* 12. *num.* 2. dicente, quod quando aliquis non dū inuaſit, ſed decreuerit omninò inimicum occidere, qui aliter cùm non poſſet effugere mortem, aggredi volentem præueniendo interfecit, iuſtè præuenit. Hanc eandem ſententiam tenet *Couar. in Clem. ſi furioſus, par.* 3 §. *vnico, nu.* 3. & *Diana d. tr.* 4. *reſol.* 5. vbi inter alias rationes hanc eſſe ait, quòd naturali iure id vnicuique licitum eſt agere, quod eſt medium neceſſarium ad propriæ vitæ conſeruationem, cui alterius nequitia inſidiæ parantur, nihil impediente, quòd inſidiatori mors ſequatur, vel etiam tertij Innocentis, vt infra dicemus: eo quòd ſecundum charitatis ordinem, præferre vnuſquiſque poteſt conſeruationē vitæ propriæ vitæ alterius, præſertim quando cōcurrit inſidiantis nequitia. Hac eadem ratione, ſi Petrus famulum vocet, vt Franciſcum occidat, iuſtè poteſt Franciſcus Petrum occidere, ſi aliter mortem euadere nequeat, vt per *Reginal. tom.* 2. *ſuæ prax lib.* 21. *cap* 5. *num.* 57. Eadem ratione inquit *Bannes* 22 *q.* 64. *ar.* 7. *dub.* 4. *num.* 7. *concl.* 2. & *Leſſ lib.* 2. *de iuſt. & iur. cap.* 9. *dub.* 8. *num.*

53 45. licitum eſſe mulieri adulteræ occidere maritum, de quo certa eſt, quòd iam habet venenum paratum, aut gladium ad illam occidendam, nec poteſt alia via mortem effugere; quoniam moraliter loquendo id eſt vim vi repellere. Et quoniā hanc ſententiam multi volunt non eſſe deducendam de facili ad praxim; ſpeculatiuè tamen eſt valdè probabilis, vt inquit etiam ibidem, *reſ.* 6. Et denique ob eandem rationem, idem *Diana* poſt alios, eodem loco *reſol.* 8. contra *Salon.* & *Syluium* ait, poſſe recluſum in aliqua domo, ſi videat inimicum ad occidendum eum expectare, præuenire, & occidere illum, vbi aliter ſaluari non poſſet. Et *reſol.* 7. refert *Bann.* & alios docentes, poſſe aliquem occidere teſtem falſum euntē ad Iudicem ad falſum teſtimonium dicendum in crimine maximè vbi venit imponenda pœna capitalis: & idem dicunt de falsò accuſatore, uel de eo, qui licèt nō ſit falſus, eſt tamen delictum occultum, & non procedit ſecundum iuſtitiam legalem; quorum ſententiam *Leſſ. loco citato, num.* 47. & alij meritò inquiunt in praxi non eſſe admittendam ob incommoda, quæ ex ea ſequi poſsūt, & vid. add. *diſ.* 17. *ſec.* 1. *ſub n.* 27. *de ſen. dān.*

54 Cæterùm adeò iuſtam propriæ vitæ defenſionem licitam eſſe omnia iura clamant, vt eam iuſtam fore, ac licitam etiam cum vitę periculo Innocentis, nonnulli velint, atq; ideò excuſari equitem, qui aufugiens ab hoſtibus ad necem perſequentibus infantem equo conculcat in uia iacencentem, vt mortem effugiat, vt habetur ex *Petr. Nauarr. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 147. *Cord. lib.* 1. *qu.* 33. & 38. *dub* 2. *Caiet.* 2. 2. *q.* 67. *ar.* 2. *Leſſ. lib.* 2. *de iuſtit. & iur. cap.* 9. *dub.* 9. *Diana par.* 5. *reſol. moral. reſol.* 34. & nos quoque oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna, lib.* 2. *c.* 7. *qu.* 36. *ſub num.* 38. Etenim hoc caſu directè, ac per ſe primo intenditur mortis vitatio, ac propriæ vitæ conſeruatio: quòd autem inde ſequatur Innocentis occiſio, id prouenit per accidens. Confirmatur, quoniam qui inuaditur ius habet ſe defendēdi, quo iure non priuatur ex illa Innocentis interpoſitione, aliàs rationes vide apud *Leſſ. & Dian. loc. cit.*

55 Secundò limitatur eadem concluſio, vt locum non habeat in debitore ex homicidio, mutilatione, aut vulneratione, qui occidit, mutilat, aut vulnerat aliquem pro defenſione propriorum bonorum: is enim non tenetur reficere damna, expenſas, & intereſſe, vt ſupra. Etenim bona externa ſunt media ad ſuſtentionem vitę, ac ad ſtatus, honoriſque conſeruationem: ergo ſicut pro defenſione vitæ licitum eſt interficere aggreſſorem; ita quoque licitum eſt pro defenſione bonorum, quę vitæ cōſeruationi deſeruiunt, vt habetur ex *Leſſ. lib.* 2. *de iuſt. & iur. cap.* 9. *dub.* 11. *Sot. lib.* 5. *eod. tr. q.* 1. *ar.* 8 *Syl. verſ Homicidium.* 1. *num.* 5. *Ioā. Medin. de reſtit. q.* 45. *num.* 5. qui id ampliant id verum eſſe, etiam pro bonis depoſitis, vel commodatis, & pro rebus amicorum, eos adiuuando. Hoc idem docent *Medina tom.* 4. *tr.* 3. *diſp.* 16. *num.* 1. *Azor. tom.* 3. *inſtit. moral. lib.* 2. *cap* 1. *qu.* 19. *Laym lib.* 3. *ſuæ ſum. tr.* 3 *par.* 3. *cap.* 3. *nu.* 4. *Filliuc. tom* 2. *qq moral. tr.* 19 *cap.* 3 *nu.* 36. *Diana p.* 5. *reſol. moral. tr.* 4. *reſol.* 17. cum alijs, quos allegant, quam opinionem extendunt locum habere, etiam in Religioſis: nam licet hi non habeāt proprium, poſſunt tamen defendere bona, quæ detinent: ſiquidem vnuſquiſque habet ius defendendi non ſolùm ea, quæ poſſidet propria, ſed etiā ea, quæ poſſidet in communi, vel quorum vſus, aut cuſtodia ipſis eſt commiſſa. Imò *Diana*, & multi alij ex Doctoribus ſupra relati volunt eſſe licitum occidere ſagitta, aut alio inſtrumento furem cum re furata aufugientem: & *Henr. Stroverſdorf. de iuſt. & iure*, probabilius putat, aliquando ſufficere, quòd res non poſſit aliter cuſtodiri, etiam ſi poſſet poſtea recuperari: quoniā nemo obligatur rem propriam ſibi ſubtrahi ſub ſpe recuperationis eiuſdem. Benè verum eſt, quod omnes conueniunt, quòd ad hoc ea, quæ ſupra diximus ſint vera debent duo cōcurrere: primò, quòd res propria aliàs defendi nequeat: ſecundò, quòd res, quæ defenditur ſit alicuius momenti: non enim rectæ congruit rationi, vt pro defenſione paruę rei ſit homo occidendus, cum rei minimæ in moralibus non habeatur ratio, vt in *l. quòd ſi Epheſi, ff. de eo, quod cert. loc.*

56 Tertiò limitatur in occidente, mutilante, aut vulnerante aliquem pro defenſione honoris, vel propriæ pudicitiæ: is enim non efficitur debitor ex maleficio, quoniam licita eſt occiſio, mutilatio, aut vulneratio pro defenſione honoris, ac pudicitiæ, vt probat *Leſſ. lib.* 2 *de iuſt. & iur. cap* 9. *dub.* 12. *Molina tom.* 4. *tr.* 3. *diſp* 17. *Zanner. to.* 3. *diſp.* 4. *q* 8. *dub.* 4. *nu.* 73. *Turrian. in* 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 28. *dub.* 5. *num.* 1. *Azor. tom* 3. *inſtit. moral. lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 14. & alij, quos refert, & ſequitur *Diana par.* 5. *reſol. moral. tr.* 4. *reſol.* 19. & 36. & ſupra oſtendimus *limit.* 1. *ſub verſ. Imò quamuis inuaſor*; & *ibi, Adeò verum eſt.* Etenim

ſi fas

si fas est pro defensione bonorum inuasorem occidere, id multò magis licitum erit pro defensione honoris, cùm honor sit altioris ordinis. Vndè pro defensione honoris licitum est aggressorem non modo ante iniuriam illatam præueniendo offendere, vt probauimus *d. lim. 1. verf. Multò minus.* Sed etiam post alapæ, vel fustis percussionem licet inuasorem fugientem insequi, & repercutere, vel occidere, si id opus sit ad honorem recuperãdum, secundum aliquos, vt testatur *Villalobos in sum. tom. 2. tr. 12. differ. 12. num. 3.* Est tamen verum, quòd sententia magis probabilis est verior, quæ negat id licitè posse percussum; nisi insecutio fiat incontinenti post illatam alapam, vel fustem, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 15. num. 4. & Diana loco citato, resol. 11. & res. 12.* vbi refert nonnullos Doctores docentes licitum esse verbis contumeliosis iniuria afficientem interimere, quando aliter talis iniuria tolli nequeat, quorum sententia refellitur à *Less. d. c. 9. dub. 12. num 78. Molsef. tom. 1. sua sum. tr. 11. c. 19 num. 74 Azor. tom. 3. instit. moral. lib. 2 cap. 1. q 17. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tr. 29. cap. 3. nu. 49. & à Diana d. resol. 12.* qui ob id *resol. 13.* reijcit quoque sententiam eorum, qui volunt licitum esse viro honorato ob mentitam contumeliosum interimere: quoniam eiusmodi contumeliæ aliter repelli possunt. Et pro defensione honoris non licet hominem occidere, nisi agatur de læsione notabili in honore, vt supra ostendimus *d. lim. 1.* sed tu vide eandem add. vt sup.

57 Illud autem hoc loco nolo silentio prætermittere, quod post alios docet *Diana d. resol. 36.* dũ ait, quòd si quis ab aliquo per vim opprimatur, potest ab alio adiuuari, & ipsius adiutorem non peccaturum, etiam si occiderit aggressorem seruato moderamine inculpatæ tutelæ: quoniam iure naturæ fas est iuuare Innocentem, & iniuriam patientem. Imò idem *Diana resol. 28. loco citato,* latè probat, licitè posse amicum propriam vitam exponere pro conseruanda vita sui amici, & *res. 19. & 20.* ostendit, licitum esse tertio non tantùm pro defensione vitæ proximi, sed etiam pro defensione eiusdem bonorum externorum inuasorem occidere, & ad id etiam teneri si citra notabile eiusdem damnum posset, secundum aliquos, quos ipse *Diana* refert. Est tamen verum, quòd si mulier cuius pudicitia tentatur nollet iuuari, sed violationi consentiret, priuatus quispiam non posset pro illius defensione violatorem occidere; quoniam volenti, & consentienti nulla fit iniuria; nisi non resistat timens manifestari, iuxta ea, quæ habentur ex *Rodriq. tom. 1 sua sum. c. 220. num. 14.*

58 Dixi, *Seruato moderamine inculpatæ tutelæ,* quoniam si huiusmodi moderamen non seruetur, nunquam occidens, mutilans, uulnerans, aut quocunque alio modo percutiens inuasorem excusabitur à culpa, & refectione damnorum, expẽsarum, & interesse, ut per supra citatos Doctores, & alios communiter. Dicitur autem seruari moderamen inculpatæ tutelæ, cùm id efficitur, quod expediens, ac necessarium iudicatur ad vitam, bona, honorem, seu pudicitiam conseruandum, vt rectè declarat *Mol. tom. 4. de iust. & iure tr. 3. disp. 11. num. 2. & 5.* qui meritò ex hoc infert ad moderamen ipsum non exigi æqualitatem armorum, & alia, de quibus *Glos. vlt. in l. 1. C. vnde vi.*

59 Quartò limitatur conclusio in occidente bannitum: siquidem bannitum occidens nullam pœnam, nullamque culpam contrahit, licet proditoriè eum interficiat, vt habetur ex *Molina tom. 4. de iust. & iur. tr. 3. disp. 7. num. 1. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tr. 28. cap. 1. num. 25. Azor. tom 3. instit. moral. lib. 2. cap. 1. q 3. & Diana par 5 resol. moral. tract. 4. resol. 25.* cum alijs, quos allegant, contra *Bonacc. de contr. disp 2. q. vlt sec. 1. par. 2. num. 3.* & alios. Etenim quamuis proditoriè bannitum occidendo, exponatur ille periculo damnationis; nihilominus cùm sua culpa nolit à peccatis desistere, maior ratio habenda est boni publici, quàm particularis ipsius banniti. Imò nõ desunt, qui velint posse bannitum non solum proditoriè occidi; sed etiam extra territorium præscribentis, & imponi præmium occidentibus, vt per Doctores relatos ab eodem *Diana loco citato, resol. 24.* vbi etiam probat ex *Molina vbi sup. disp. 7. num. 1.* posse interimi grassatorem, qui vias publicas detinet: siquidem id in defensionem suam, & aliorum videtur tacitè publica auctoritate sibi concedi: quæ tamen puto vera, nisi bannitus possit citra damnum aliquod capi viuus; quoniam tunc non debet interfici; sic nec captus occidi; & id ob periculum eiusdem damnationis. Et idem dicendum puto de occidente grassatorem supra relatum eadem ratione. Nunquam tamen licet filio occidere patrem bannitũ, aut stratarum grassatorem: non enim filius in his casibus perdit obligationem naturalem, qua tenetur erga patrem, vt contra *Bart.* & alios docet *Bonacc. de contract. disp. 2. q. vlt. sec. 1. punct. 2. num. 3. & Clar. in praxi, lib. 5. §. Homicidium, num. 61.* quos refert idem *Diana d. resol. 25. in fine.* Imò hi omnes non excusantur ab irregularitate ex defectu lenitatis, sicut non excusantur iudices auctoritate quoque publica malefactores vltimi supplicij pœna condemnantes; & milites in bello quantumuis iusto hostes occidentes, & omnes alij cooperantes ad causam iustam sanguinis, vt patet ex ijs, quæ tradita sunt per *Nauar. in Man. cap 27. num 212. 214. & 217. Couar. in Clem. furiosus. par. 2. §. 5. Molina tom. 4. de iust. & iur. tr. 3. disp. 74.* & alios ab eis citatos.

60 Quintò limitatur hæc ipsa conclusio, vt debitor ex homicidio, mutilatione, seu vulnere non teneatur ad reficiendum damna, expensas, & interesse, si remissionem, seu condonationem habuerit ab illis, quibus competit accusatio. Vndè cùm accusatio pro homicidio competat proximioribus in gradu occisi, æqualiter si plures sint in eodem gradu, vt in *l. 2. § simul ff. ad leg. Iul. de adulter. l. 3 § si ad plures ff. de sepul. viol. & in l. item apud Labeonem, in fine, ff. de iniur.* ab illis satis est, vt habeatur remissio, seu condonatio, ita vt si qui proximior erat in gradu remisit, aut qui in gradu erant proximiores remiserunt, esto postea nascatur alius proximior, aut æquè proximus, ualida erit, & non inualidatur remissio: neque de nouo natus potest accusare, vt si occisus reliquerit vxorem prægnantem, à qua homicida habuerit remissionem, vt rectè declarat *Molina tom. 4. de iust. & iur. tr. 3 disp. 45. sub nu. 1. & 2. qui in verf. Padilla:* insuper addit, quod si pater vxorem interfecerit, ex qua filius communis remanserit; licèt filius non sit admittendus ad accusandum patrem, sed admittendos esse alios cõ-

sanguineos vxoris; nihilominus ad remittendum delictum satis est remissio filij secundum aliquos Doctores, quos non sequitur ipse *Molina* ibi, cuius sententia nobis videtur verior. Quid autem agendum sit, quando is, cui competit accusatio, ac remissio sit pupillus, vel minor, rectè declarat *Molina post alios loco citato, num. 6.* Quod si occisus neque uxorem, neque ascendentes, neque descendentes relinqueret, tunc si hæredem instituat aliquem extraneum, aut is ab intestato succedat illi, tanquam repræsentanti personam Defuncti competit ius accusandi, ac remittendi; non autem ipsius Defuncti consanguineis, vt ex *Anton. Gomes tom. 3. var. resol. cap. 1. num. 64.* ita ut si plures sint hæredes omnium exigatur condonatio, ut cum communiori docet idem *Gomes ibidem, num. 63.* & alij, quos refert, & sequitur *Molina loco citato, sub num. 7. & 8.* ubi etiam ostendit, quid sit agendum, si hæredes non inueniantur, ut quia occisus sit forensis. Et *nu. 9.* communem opinionem refert, se habentem, quòd esto, quòd filius occisi repudiet hæreditatem patris occisi, potest adhuc accusare homicidam, & præfertur hæredi scripto, aut ab intestato, tàm in accusando, quàm in remittendo; quàm sententiā ipse *Molina* non uidetur sequi. Debitor igitur nō solùm ex contractu, uel quasi; sed etiam ex delicto per partis remissionem absoluitur à debito, ac à refectione damnorum, expensarum, & interesse: siquidem sicut dilatio concessa à creditore excusat, ne debitor statim soluat; ita remissione ne vnquam debitū soluat, ut habetur ex *Caiet. in summ. vers. Restitutio, cap. 7. Sot. lib. 4. de iust. & & iur. q. 7. ar. 4.* & alijs relatis à *Less. lib. 2. cap. dub. 2.* vbi conditiones remissionis enumerat, ac declarat, requisitas adhoc, vt remissio sit valida, quibus adde, quæ habentur ex *Molina tom. 4. tr. 3. disp. 46.* vbi latè tractat quousque licita, ac valida sit, aut non sit de iure communi transactio, ac remissio: & *disp. 48.* latius agit de remissionibus delictorum, tam generalibus, quàm particularibus, à Principe factis, quousque valeant, & de restitutione damnorum in pristinum statum. Hæc autem quoad damna, reficienda locū non habent inter Nobiles, quoniam inter eos ex homicidio, non oritur obligatio restitutionis, vt post alios probat *Diana par. 5. resol. mor. tr. 4. resol. 61.*

61

62 Sextò limitatur dicta conclusio, vt debitor ex homicidio, mutilatione, &c. non teneatur ad dāna, expensas, & interesse, vt supra, si bona non habeat, quibus satisfaciat: Etenim ad impossibile nemo tenetur, vt in *l. impossibilium, l. verum est, l. culpa caret, l. nullum crimen, ff. de regul iur.* Ampliatur id verum esse, etiam si debitor aliqua bona habeat, sed vix satis sunt pro conseruatione sui indiuidui suorum liberorum, ac parentum, quoniam is dicitur esse constitutus in extrema necessitate, quæ excusat à debiti solutione, ac satisfactione, etiam pro succurrendo alijs extremè indigentibus: siquidem extrema necessitas tua, vel tuorum, vel proximi, cui aliter subuenire nequeas, nisi rem alienam, vel alteri debitam expēdēdo excusat à restitutione, quamdiù durat: quoniam in tali euentu omnia sunt communia saltē, quoad vsum. Ita *Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 16. 1. in princ.* Imò non desunt qui velint, quòd in casu extremæ necessitatis, vt supra non solùm quis teneatur eleemosynam dare indigenti extremè ex lege charitatis; sed etiam ex lege iustitiæ, vt habetur ex *Alex de Ales, 4. par. q. 113 nu. 1. Caiet. 2. 2. q. 118. ar. 83.* vbi *D. Thom. ar. 4. ad 4.* inquit esse præceptum legale de eroganda stipe extremè indigenti, & fortè comprehenditur sub præcepto: *Non occides*, ob id, quod ait *Diu. Ambr. in cap. pasce, 86. d. Pasce fame esurientē, quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti.* Adhoc etiam facit *ps. 111.* ibi: *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi*, bona enim antea iure naturali communia, postea diuisa iure gentium, vt in *§. ius gentium autem, in instit. de iur. natur. gent. & ciuili*, & ibi Doctores, efficiuntur cuiuscunque hominis extremè indigentis de iure naturæ, ad quæ is habet ius iustitiæ, quo iure priuari non potuit bonorum diuisione, vt rectè declarat *Diana par. 5. resol moral. tr. 8. resol. 2.* vbi etiam *resol. 4.* refert *Caiet.* & alios docentes pauperes in extrema necessitate constitutos habere actionem contra diuites pro eleemosyna consequenda, & implorare posse officium Iudicis. Imò *Lorca 2. 2. sec. 3. disp. 39. num 4 membr. 4. Sāch. in opusc. tom. 1. lib. 1. cap 5. dub. 5. num 65.* quos refert, & sequitur *Diana d. resol. 4. in fine*, tenent Iudices posse compellere diuites ad eleemosynā non solùm in casu extremæ necessitatis, verum etiam quando præceptum adest iure Diuino, aut naturali: siquidem Respub. bene ordinata non tantùm tenetur prouidere extremè indigenti; sed etiam alijs pauperibus, cùm id tendat in commune bonum: Eò magis, quia tàm in extrema, quàm in graui necessitate licitum esse aliena surripere, probat *Less.* post alios *d. lib. 2. de iust. & iure, cap. 12. dub. 12.* Quòd si hæc vera sunt, multò magis debitor in extrema, aut graui necessitate, tum propria, tum etiam proximi potest debitum sibi retinere; atque ideò ob periculum morbi, magnæ famis, nuditatis, & similis afflictionis, quam nequit aliter vitare, nisi rem alteri debitam impendat, excusatur à debiti solutione, vel saltem potest differre eiusdem solutionem quamdiù durat necessitas, vt in specie probat idē *Less. d. cap. 16. dub. 1. à num. 1. vsque ad num. 18.* vbi quoque addit, non esse improbabile, si is, qui rem alienam consumpsit in graui necessitate, te, & spe erat pauper, non teneri postea ad restitutionem, cessante necessitate. Et *num. 21.* dicendū esse ait si agatur de periculo salutis, rei familiaris, vel status: quoniam huiusmodi periculum excusat à restitutione statim facienda: dummodò periculum sit notabile, & status iustè acquisitus: nec distinguendum est de debito, an sit ex contractu, vel quasi, aut ex maleficio, vt per eundem *Less. ibidem, num 22. & 23. cum plur seq.*

63 Est tamen aduert. quod in hoc discrimen est inter debitum ex contractu, & debitum ex delicto, quòd quando licitè differtur solutio eorum, quæ debentur ex delicto, reficienda sunt damna, quæ interim eueniant creditori, & insuper lucrum cessans ratione dilationis. Non sic quando differtur solutio debitorum ex cōtractu iusto, quoniam tunc damna, & interesse ratione dilationis non veniunt compensanda. Rationem autem differentiæ hanc esse inquit *Less. d. cap. 16. dub. 1. num. 32. & 33.* quoniam primò casu debitor est in mora, cùm deberet aduertere; hoc incommo-

dum ex tali iniusta acceptione facilè euenturum. Secundo verò casu debitor non est in mora, vt inquit *Petr. Nauar. lib. 4. de restit. cap. 4. nu. 56.* quod verum putat *Less. d. num. 33.* Si debitor incideret in grauem necessitatem, vel in eam inopiam, vt non possit sine amissione status restituere. Et in fine addit, quoad debitum ex delicto, debitorem non teneri ad interesse damni emergentis, nec lucri cessantis pro eo tempore, quo non poterat restituere, nisi conijciendo se in grauem necessitatem.

64 Sed iuxta hæc quæritur, an creditor, & debitor si reperiantur in æquali necessitate, debitor adhuc excusetur à solutione damnorum, expensarum, ac interesse. Huius difficultatis resolutio, quoad aliqua patet ex ijs, quæ adnotauimus sup. *sec. 1. concl. 1. lim. vnica, vers. Sed iuxta hoc quæro.* Dicimus igitur, quòd si debitor ex delicto, reficiendo suo creditori damna expensas, & interesse, vt supra, conijceret se in graue damnum rei familiaris, vel sui status: & è conuerso creditor vitaret grauem iacturam rei familiaris, & sui status si debitum sibi soluatur: & tunc debitor tenetur statim debitum soluere: quia in pari periculo rei familiaris, ac status potior est conditio creditoris, cùm eiusmodi periculum non faciat res communes, vt cum communi docet idem *Less. ibid sub num. 31.* Dicitur autem quis esse in periculo sui status, quando statum iustè acquisiuit: nam si rapinis, vsuris, aut alijs fraudibus ad aliquem honorabilem statum peruenisset, de eo non est habenda ratio: quoniam id non est, tam statum suum, quàm alienum dimittere, & ad suũ reuerti, sic etiam periculum rei familiaris est periculum detrimenti in re propria, non autem in re aliena, quæ sit restitutioni obnoxia, vt cum quis non possit debitum soluere, nisi prædium, vel domum vendat multo minoris quam valeat. Secus autem si iacturam pateretur in rebus debitis, puta ex furto, aut rapina acquisitis, quibus se spoliat dum soluit; quia id non est propriè damnum pati in rebus suis, sed relinquere alienas, ac debitas, vndè his casibus debitor tenetur statim restituere, etiam si creditor non reperiretur in pari necessitate: sicut è conuerso creditor non acquisiuit statum iustè, & debitor iustè, non tenetur ipse debitor statim restituere, etiam si ob id creditor pateretur iacturam sui status, vt patet ex ijs, quæ tradita sunt ex eodem *Less.* post alios *d. cap. 16 dub. 1. num. 24. & 29.*

65 Quòd si tàm creditor, quam debitor reperiantur in æquali necessitate extrema, vel graui rei iniustè sublatæ, tunc nonnulli volunt, debitorem teneri restituere rem creditori, a quo eam subtraxit, & constituit illum in extrema, aut graui talis rei necessitate: siquidem subtrahere alicui rem, qua ille extremè indiget, perinde est, ac eundem occidere. Confirmatur, quia in pari causa melior est conditio possidentis. Quod si debitor non subtraxit rem illam de manu creditoris, sed prius eam occupauit; & tunc potior est conditio debitoris; quia necessitatis extremæ, aut grauis tempore omnia sunt communia. Ita *Caiet. 2. 2. q. 62. ar. 5. Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 1. ad 4. arg.* & alij, quos refert *Diana p. 5. resol. moral. tr. 8. resol. 11.* in relatione secundæ sententię, quã ipse sequitur, vbi etiam *resol. 12.* id licitum esse probat non solùm debitori pro se, sed etiam pro parentibus, vxore, ac liberis, atque ideò si creditor, parentes, vxor, aut liberi debitoris sint in extrema necessitate, vt supra, debitor ipse possit subuenire illis, relicto creditore, vt habetur ex *Less. d. cap. 16. dub. 1. num. 14. Syluio in 2. 2. qu. 31. art. 3. Hurtado de Mendoza ibidem, disput. 159. sec. 3. §. 69.* & ex alijs relatis a *Diana d. resol. 12.* licèt *Vasq. opusc. de eleemosyna, cap. 1. dubio 9. num. 74.* neget, quoad fratrem, cui creditorem putat esse præferendum, contra ipsum *Dianam*, & alios, qui fratrem eo casu dicunt esse quoque creditori præferendum. His adde, quæ infra dicemus dicto quintodecimo, ampl. 7.

66 Quartodecimò peccant debitores ex crimine stupri, nisi damna, & interesse reficiant puellæ stupratæ. Ad cuius rei explicationem est adnot. quòd stuprum tripliciter sumitur. Primò largè, & tunc comprehendit copulam habitam, non solùm cum virgine, sed etiam cum nupta, vidua, & quacunque alia muliere, aut puero, vt habetur ex *Grat. in cap. lex, §. vnico, 36. q. 1.* & faciunt quoque *tex. in l. inter liberas, & l. stuprum, ff. ad leg. Iul. de adulter.* Secundò stuprum sumitur strictè, & est illicita virginis defloratio, non præcedente coniugali pactione, vt habetur ex eodẽ *Grat. loco citato.* Tertiò sumitur strictissimè pro illicita, ac violenta virginis defloratione, coniugali pacto non præcedente. Peccat igitur stuprator violentus grauissimè, non solùm si vim inferat virgini, sed etiam si falsis suasionibus, precibus importunis, metu, ac minis inducitur virgo ad consentiendum stupro: & insuper ipse stuprator tenetur in foro conscientię matrimonio illam sibi copulare, aut damna reficere, nempè tantum de bonis suis illi assignare in dotem, esto ipsa bona alia habeat, quantum virgines suæ qualitatis, ac diuitiarum accipere solent in dotem, vt æquè, ac si corrupta non fuisset, honestas nuptias sortiatur: nec non iniuriam parentibus puellæ illatam compensare: siquidem damnum per iniuriam illatum est, atque ideò contra iustitiam; ergo debet rependi. Id autem fiet matrimonio, vel damni compensatione, vt habetur ex *Mol. tom. 4. de iust. & iur. tr. 3. disp. 106. num 7. Less. lib. 2. cap. 10 dub. 2. num. 10. Vasq. de restit. cap. 7. §. 3. dub. 1. Gutier. lib. 1. Can. qq cap. 37. num. 7. & seq.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Laym. lib. 3. suæ summ. tr. 3. par. 3 cap. 13. sub num. 3.* qui post alios addit, quòd cùm in alternatiuis electio sit debitoris, si stuprator malit puellã dicto modo dotare, non tenetur eam in vxorem ducere ante Iudicis sententiam: & ita cum *Less.* & alijs intelligit *tex. in cap. 1. de adulter.* desumptum ex *cap. 22. Exodi.* Sicut ante iudicis sententiam eundem puellæ parentibus ad iniuriæ compensationem non teneri, docet *Molina d. num. 7.* & nonnulli alij.

67 Est tamen verum, quòd puella si ob illatum sibi stuprum per vim, & fraudulentas suasiones, ut supra, nullum damnum passa sit, eo quòd crimen occultum remanserit, & æquè honestum uirum sortita fuerit, stupratorem ad nullam restitutionem teneri, docent *Nauarr. in Man. cap. 16. nu. 17. & 19. Less. d. dub. 2. num. 15. Vasq. vbi supra dub. 3. Molina loco citato, nu 6.* & alij, quos refert, & sequitur *Laym. d. cap. 13. num. 4.* Etenim pro iniuria, secluso damno, in foro conscientiæ non datur restitutio: & uiolationis claustri uirginei

ginei damnum irreparabile est, & pecunia æstimabile non est. Non tamen puella si aliquid receperit à stupratore eo casu tenetur illud illi restituere, si æquè benè nupserit, & nihil dāni fuerit perpessa, vt supra, vt rectè declarat *Less. d. dub. 2. num. 17.*

Cæterum stuprator si nullam vim, nullum metum, nullam fraudem intulit puellæ per ipsum stupratæ, sed ipsa spontè stupro consensū præbuit, ad nullam restitutionem, nec ad damnorum refectionem, non solùm ipsi puellæ, sed nec quidem eiusdem parentibus, in conscientiæ foro tenetur, vt habetur ex *Soto, lib. 4. de iust. & iur. q. 7. ar. 1. circa secundū arg. Syl. in sum. ver. Luxuria, q. 5. Molina tomo 4. tr. 3. disp. 306. nu. 2. Rebell par. 1. lib. 3. q. 8. Less. lib. 2. cap. 10. dub. 2. nu 9 & Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. par. 3. cap. 13 sub num. 1. & 2.* cum alijs, quos allegat. Mouentur ex eo, quòd probabilem existimant opinionem eorum, qui docent, stuprum non continere speciem peccati à simplici fornicatione distinctam, si absit violentia, dolus, fraus, &c. Etenim copula cū virgine cùm naturali modo fiat; licèt habeatur extra legitimum matrimonium; attamen non potest habere intra genus intemperantiæ, ac luxuriæ aliam deformitatis speciē, quā simplicis fornicationis. Nec eiusmodi peccatum est contra iustitiam: quoniam si tale esset, id foret, vel quia iniuria infertur puellæ: vel quia iniuria irrogatur parentibus eius. Non primū, quia agitur de stupro virginis consentientis: at volenti, & consentienti nulla fit iniuria, *l. 1. §. vsque adeò, ff. de iniur.* Neq; secundum, quoniā etsi intulerit iniuria patri; non tamen intulit dānum: quia damnum corporis filiæ volenti illatū non redundat in patrem, cùm filia non sit possessio patris, sed liberū sui corporis usum habeat, vt rectè declarant *Less. Molina, & Laym. locis citatis*, qui contraria quoque soluunt. Non tamen ita est dicendum si filia rapiatur, quia tunc etiam si ipsa volens abducatur: tunc enim iniuria infertur patri, vt inquit idem *Laym. vbi supra, sub num. 1. in fine.*

68 Quòd si stuprator puellam deceperit sub promissione coniugij, tenetur eam ducere in vxorē, etiam si fictè promiserit: siquidem hæc promissio facta est per modum contractus; atque ideò cùm ipsa ex parte sua compleuerit contractum, cogitur ipse quoq; complere; atque ideò satis nō est eam dotare, nisi stuprator sit longè nobilior, vel opulentior, idq; puella sciuerit, vt benè declarat *Less. d. cap. 10. dub. 3.* vbi idem dicēdum esse probat, si ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat, ipsum non sincerè agere: aut si aliquod impedimētum legitimum interuenerit, vt si fiat eius affinis, si ducat aliam per verba de præsenti, si sacros ordines suscipiat, si graue aliquod damnum, aut scandalum ex tali matrimonio sequeretur, vel pater nolit eam illi matrimonio collocare: si contingat eandem cum alio postea fornicari, si dicēti se virginem promisit nuptias, vt ea potiretur, & postea deprehendit eam non esse virginem: aut saltem putauerit esse virginem, licèt ex verbis eius non fuerit deceptus: his enim casibus corruptor non tenetur puellā ipsam ducere, vt latè post alios declarat *Less. d. cap. 10. dubit. 3. per tot.* vbi secus tamen dicendum esse ait, si stuprator sciebat puellam virginē non esse, & promiserit eam in vxorem ducere, vt latius de hac re agit quoq; *Molina tomo 4. de iust. & iure tr. 3. disp. 106.* vbi agit etiam de stupro latè sumpto, nempè de vidua, & de alia muliere soluta corruptis, an & quando fornicator teneatur eas in matrimoniū ducere, aut eisdē damna, & interesse reficere. Quo verò ad adulterum, seu debitorem ex adulterio, an & quando teneatur reficere damna, & interesse filijs legitimis, ac naturalibus viri adulteræ ob filium adulterinum, & an, & quando mater adultera teneatur manifestare suum crimen, vt legitimis filijs opituletur ad recuperandum, quod adulterinus occupauit ex bonis ipsius viri, vide supra *disp. 21. sec. 3. dicto 44. in princ.* & latius ibidem, *vers. Quoad vltimam difficultatem.* Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. par. 3. cap. 14. per tot.* vbi latè hanc materiam pertractat.

69 Quintodecimò peccant debitores ex furto, nō restituentes res ablatas suis dominis. Per furtum autem hoc loco intelligimus omnem illicitam vsurpationem rei alienæ, atq; ideò furti nomine non solùm intelligimus furtum simplex, quod est contrectatio rei fraudulosa, lucrifaciēdi gratia, vel ipsius rei, vel etiam vsus, possessionisue, vt *in l. 1. §. furtum, ff. de furt. & §. 1. in Instit. de obligat. quæ ex delic. nasc.* Sed etiam rapinam, quæ est in lege prohibita, sicut furtum; non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit; sed furti nomine intelligitur quicquid illicitè rerum proximi aufertur, vt *in cap. pœnale, 14. q. 5.* Et quamuis furtum, & rapina differant specie in ratione iniuriæ: quia rapina includit violentiam, quæ fit Domino sciente: ac furtum committitur citra violētiam, rei Domino illud ignorante, vt rectè declarant *D. Th. 2. 2. q. 66. ar. 4.* & in eum *Caiet. ibid. Sot. lib. 5. de iust. & iure, q. 3. ar. 2. Less. eod. tr. lib. 2. cap. 12 dub. 2. Laym. lib. 3. sua sum. tr. 3. cap. 2 num. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 21. sub num. 37. & 38.* Nihilominus nobis nō placet opinio illorum, qui dicunt, furtum, & rapinā esse rei corporalis mobilis dumtaxat, non autē rei immobilis; & propterea distingunt raptorē à prædone, quod ille sit rei mobilis; iste verò rei immobilis, ac etiam mobilis, vt habetur ex *Panor. in cap. 1. de raptor.* & ex alijs apud *Laym. loc. cit. sub num. 1. & Molfes. d. cap. 21. sub nu. 28.* Etenim potest quis furari iura, nempè census, & seruitutes, & res immobiles occupando domum, vel agrum alienum Domino absente, vt inquit *Less. vbi sup. dub. 1. sub num. 4. vers. Tertia est.* Sic etiam vsura rapina dicitur ex *D. Ambr. relato in cap. si quis vsuram, 14. q. 4.* Et tamen vsura non solum potest rapi in re mobili; sed etiam in re stabili. Item per furtum intelligimus tam furtum simplex, quod supra definiuimus, quàm furtum qualificatum, nempè sacrilegium, quod committitur ab eo, qui aufert rem sacram, aut prophanam in loco sacro tanquam in asylo depositam: is enim dicitur committere furtum, quoniam aufert rem alienam inuito Domino; cui, quia coniuncta est malitia sacrilegij, quæ maior est, idcirco dat ei nomen, & appellatur sacrilegium, vt *in cap. quisquis, 17. q. 4.* Intelligimus quoq; peculatum, idest furtū rei pertinentis ad Fiscum Principis, vt patet ex

toto tit. ff. ad leg. Iul. pecul. Abigeum, quod est furtum animalium, seu iumentorum, vt *ff. & C. de abigeis.* Plagium, cum mancipia à Dominis, vel liberi à parentibus abstrahuntur, vel captiuantur ad vendendum, & ad retinendum in mancipia, ut *in ff. ad leg. Flauiam de plagiarijs.* Secus autem si rapiantur ad fruendum, quoniam eo casu dicitur raptus, vt rectè declarat *Less. d. dub. 1. sub num. 5.* Præterea per furtum hoc loco intelligimus omnem iniustam acceptionem, seu retentionem, iuxta illud *D. August. in cap. si quid 14. q. 5. Si quid inuenisti, & non reddidisti, rapuisti.* Et denique furtum largo modo potest dici omnis damnificatio; Vndè qui incendit alterius segetes, non dicitur propriè furari, nam non accipit; sed damnum infert, & non minus peccat, quàm si eas auferret.

70 Omnes igitur ex dictis criminibus debitores grauiter peccant non restituentes ablata, & non reficientes damna, & interesse: Siquidem fur, & omnis iniustus detentor rei alienæ, vel alteri debitæ continuò actu peccat toto eo tempore, quo cùm possit non restituit. Ità *Gabr. in 4. d. 5. q. 2. ar. 2. concl. 2. Soto lib. 4. q. 7. ar. 4. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 12. dub. 3.* & alij, contra *Caiet. 2. 2. q. 66. ar. 3.* circa solutionem tertij argumenti. Etenim debitores huiusmodi non restituentes continuò proximos lædunt ipsos impedientes à possessione, ac vsu rerum suarum, vel eisdem debitarum: quæ quidem læsio, quo diutius durat, eò censetur maior, vt rectè declarat *Less. loc. cit.* qui contraria quoq; adducit, & soluit: *& dub. 4.* docet modos, quibus peccatum actuale iniquæ detentionis interrumpatur; & an interruptio talis peccati debeat explicari in cōfessione. Et cùm tam ablatio, quàm detentio rerum alienarum non tantùm sit contra charitatem; sed etiam contra iustitiam; hinc fit, quòd debitores ex maleficijs prædictis non solùm teneantur ad rerum ablatarum restitutionem; sed etiam earum fructuum, & ad reficienda omnia damna, expensas, & interesse tanquam accessoria; siquidem accessorium sequitur naturam sui principalis, vt *in cap. accessorium, de regul. iur. in 6.* His adde, quæ sup. adnotauimus, *dicto octauo.*

71 Ampliatur hæc conclusio primò, vt debitores ex maleficijs prædictis non solùm teneantur ablata restituere vnà cum damnis, expensis, ac interesse; sed ad id teneantur statim, ac cùm primùm potuerint. Etenim præceptum restituendi licèt sit affirmatiuum; nihilominus habet aliud negatiuum sibi annexum; scilicet non retinendi alienum, ratione cuius reducitur ad illud Decalogi præceptum: *Non furtum facies*; at præcepta negatiua obligant semper ad semper: ergò nec momento temporis rem alienam, inuito Domino retinere: nam sicut accipiens rem alienam inuito Domino, peccat contra iustitiam; ita aliquid, inuito Domino, detinens; quoniam non minus re sua, ac eius vsu iniqua detentione, quā acceptione iniqua priuatur; vt habetur ex *Caiet. 2. 2 q. 62. ar 8. & in sum. ver. Restitutio, cap. 6. Nauar. in Man. cap. 17 sub nu. 62.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10. Clauis Regiæ, tomo 2. tr. 5. cap. 2. sub num. 1. & 2. & Reginald. lib. 10. sua prax. cap. 16. sub num. 222.*

72 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt adeò debitores, de quibus agitur peccent nō restituēdo ablata vna cum expensis, & interesse statim, nulla mora interposita, cùm possint, vt non possint sacramentaliter absolui, nisi præuia restitutione, etiam si reperiantur in articulo mortis, & suis hæredibus iniungant, vt post mortem restituant. Etenim qui potest per se restituere statim, non potest citra culpam restitutionem differre; atque ideò non est absoluendus, nisi præmissa restitutione: siquidem de præsenti cùm opportunitatem habeat, nec velit per se restituere, iniustitiam committit debitum retinendo. Et eo magis, quoniam experientia docet, quòd ab hæredibus plerumq; nunquam, aut tardissimè restitutiones fiunt. Vndè in tali dispositione constitutus dicitur in statu damnationis. Ita *Sot. lib. 4. de iust. & iure, q. 7. art. 4. Petr. Nauar. de restit. cap. 4. num. 72. Salon. 22. q. 62 art. 8 contr. 1. ante fin.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. loco cit. sub num. 30. & 31.* vbi ait etiam idem dicendum esse de illis, qui bona habent dubia, & de quibus non sunt certi, an propria sint, & differunt vsque ad mortem declarare, æstimantes satis esse, si proponant in testamento ea suis hæredibus demandare, cùm teneantur statim cùm commodè possint, declarare.

73 Tertiò ampliatur dicta conclusio, vt locum sibi vendicet, etiam si debitores huiusmodi partem rerum ablatarum, & damnorum, & interesse velint restituere: & solutionem alterius partis differre; siquidem si statim possunt omnia debita restituere, nō possunt citra iniustitiam solutionem eorum pro parte differre; quia eadem est ratio totius, & partis, vt *in l. qua de tota, C. de rei vend.* atque ideò peccant, & absolui sacramentaliter nequeunt, nisi præmissa restitutione, iuxta ea, quæ habentur ex *Soto*, *Salon.* & alijs apud *Sayr. d. cap. 2 num. 21.* Nec Confessarius eos absoluēs excusatur si absoluat ob bonum, quod ex tali restitutione subsequitur; quia non sunt facienda mala, vt indè veniat bona.

74 Quartò ampliatur, vt ipsa conclusio sit vera in omnibus, & quibuscunque debitoribus ex maleficio: nam hi semper peccant non restituendo statim cùm possint, vt sup. adnotauimus. Dixi, *Ex maleficio*, quia si obligatio nascatur ex licito contractu, tunc restitutionis obligatio locum sibi vendicat, quando præfinitus solutionis terminus aduenit; etiam si à creditore non requiratur; quoniam dies interpellat pro homine, *cap. fin. de loc. & cond.* Si verò terminus non fuerit præfinitus, tunc obligatio restitutionis cōsurgit mox post factam à creditore requisitionem pro debiti solutione, & non ante: quoniam ita tacitè censetur inter contrahentes conuentum; nisi ex cōiecturis aliter appareat, vt quia obliuionem, vel erubescentiam debitum non petat: tunc enim debitor teneretur creditori debitum offerre, vt habetur ex *Petro Nauar. lib. 4. de restit. cap. 3. num. 12.* & ex alijs relatis per *Reginald. lib. 10. sua prax. cap. 16. sec. 1. sub num. 223.*

75 Quintò ampliatur, vt conclusio prædicta procedat etiam si tractetur de restitutione debiti maximæ quātitatis, vt patet in vsurario, qui diù vsuras exercuit, & ingentem vsurarum summam extorsit; siquidem ad illas restituendas statim tenetur, si commodè possit: quoniam quantitas igens non est causa sufficiens ad tollendam, vel differendam restitutionem; cùm id non sit pati dam-

damnum in bonis proprijs;sed reddere alienum vero Domino. Confirmatur, quoniam aliàs melior esset conditio eorum, qui maiora, quàm qui minora rapuerunt; atque ideò quò maiorem rapinam quis committeret, eò magis à restituendo excusaretur. Ita *Caiet. 2.2. q. 62. ar. 8. Salon. ibid. contr. 3. Nauar. in Man. cap. 17. num. 56. Reginald. lib. 10. sua prax. cap. 19. q. 2. num. 269. & alij.*

76 Sextò ampliatur, vt conclusio ipsa procedat, etiam si debitores ex maleficijs per debitorum restitutionem impedirentur ingentem pecuniæ summam, aut res alias magni momenti lucrari; nam non ob id excusarentur à restitutione mox facienda, si commodè possent: siquidem debitor per eiusmodi restitutionem nihil de suo amittit; sed tantùm desinit lucrari ex alieno, seu alteri debito, vt per *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tom. 2. tr. 5. cap. 3. num. 24. & Reginald. lib. 10. sua prax. cap. 19. nu. 270.* cum alijs, quos allegant, vbi hoc verum esse ait, nisi quis solutionem differat ad lucrandum, vt satisfaciat omnibus suis creditoribus, quibus nequiret simul satisfacere: nam contra rationem est, vt quis sibi uelit statim restitui cum aliorum creditorum detrimento. Imò *Sayr. eod. loco, sub num.* 25. id limitat non procedere in obligatione ad restitutionem cõtracta ex iusta acceptione: vt quia Mutuatarius bona fide pecuniam sibi mutuatam exposuit negotiationi, existimans ante aduentum solutionis, indè, aut aliundè lucrum consecuturum; quoniam tunc non tenetur cessare à lucro, si adueniente solutionis tempore, oporteret eum merces emptas vilius uendere, quàm par est: etenim tunc restitutio statim adueniente termino, facienda est, quando Dominus inuitus esset rationabiliter: at hoc casu esset irrationabiliter inuitus.

77 Septimò ampliatur, vt debitores ex maleficijs vt supra teneantur debita statim soluere, etiam si cadere eos oporteat à statu suo, atque ideò mendicare, reseruatis sibi, & eorum familijs necessarijs ad extremam vitæ sustentationem, seu illis, quæ creditor in eo statu tenetur debitori nomine eleemosynæ elargiri: nam sicut non licet aliena bona citra necessitatem extremam auferre; ita nec aliena retinere, cùm in vtroque casu militet eadem ratio. Ita *Adrian in 4. q. 2. de restit. dub. 6. & Ioan. Med. C. de restit. q. 6. dub. 1. & 2.* ad quod facit *tex. in cap. cùm tu, de vsur.* vbi acquisita per vsuras præcipiuntur vẽdi, & restitui, non obstante inopia. Confirmatur ex *tex. in cap. exijt, de verb. signif. in 6.* vbi habetur, quòd nemini licet de alienis viuere, nec in extrema necessitate, si liberali oblatione, humili mendicatione, vel manuum labore vitæ necessaria acquirere possit. Hanc eandem sententiam docet *Reginald. lib. 10. sua prax. cap. 19. q. 5. num. 286.*

78 Est tamen verum, quod *Salon. 22. q. 62. ar. 8. contr. 3. concl. 2. Bann. ibid. num. 2. & 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tom. 2. tr. 5. cap. 3. num. 36. 37. 38. & 39* id verum putat de eo, qui statum iniustè acquisiuit, puta, cùm nihil antea habuit, per fraudem, & iniustitiam, per vsuras, & iniustas extorsiones statum illum acquisiuit: siquidem hoc casu non est minor iniquitas statum tueri ex malè acquisitis, quàm illum comparare, auferendo res alienas; atque ideò cùm sit contra iustitiam auferre res alienas; atque ideò cùm sit contra iustitiam auferre res alienas; ita etiam conseruare statum ex solis rebus alienis. Idem dicendum est, quando res per vsuram, vel per furtum, aut quocumque modo iniustè acquisita, ac restitutioni obnoxia in specie extat: etenim tunc differri potest restitutio, quando debitor patitur damnum in re propria: at verò cum res aliena extat, si illam restituat, nullum in re propria patitur detrimentum. Vndè vsurarij, fures, raptores, & alij his similes si iniustè ablata non restituant, etiam si nõ valeant amplius negotiari, absolui non debent, cum sint in statu damnationis, eo quòd possent statim restituere, & non restituunt. Sic etiam Nobiles, qui iniustè aliorum villas, & possessiones retinent, eas statim cùm possunt restituere debent non obstante, quòd ab eorum statu caderent.

79 Secus autem dicendum est de eo, qui iustè suũ statum acquisiuit: quia non tenetur cadere ab eo statu, quem iustè acquisiuit; sed ex ijs, quæ acquisiuit siue iustè, siue iniustè potest necessaria sibi comparare secundùm conditionem sui status pristini, antequam ex illo ad meliorem ascẽderet. Et multo magis id locum sibi vendicaret in eo, qui cùm bona propria habuit, iustè, aut culpabiliter, ludis, aut alijs vijs illicitis debita contraxit: ad quorum solutionem non ita rigidè cum iactura omnium bonorum obligandus est; dummodò res malè acquisita non extet, vt supra diximus. Ita *Sayr. loco sup. cit. nu. 38.* qui adhuc allegat *in cap. cum de vsur.* vbi Rom. Pontifex præcipit vsurarios etiam sub pœna excommunicationis compellendos esse ad restitutionem faciendam eorum, quæ per vsuras acquisiuerũt; dummodò in facultatibus habeant, vndè viuere possint: qui verò non habent, nulla pœna mulctari debent, cùm eos nota paupertas euidenter excuset. Ex quo *tex.* colligit ipse *Sayr.* quòd nõ solùm extrema necessitas; sed etiam nota paupertas eos à restitutione excusant: siquidem in eo *tex.* fit mentio de nota tantùm paupertate, nõ autem de extrema necessitate; ita vt non sint redigendi ad inopiam extremam; sed habeant, vndè viuant. Sed re vera hæc *Sayri* interpretatio debet intelligi iuxta ea, quæ per ipsum fuerunt annotata *loc. cit. num. 26.* quando scilicet creditor similem iacturam status non pateretur. Imò ex *Reginald. ibid. num. 286. vsq; in fin.* cũ alijs, quos allegat, non excusatur, nisi is tantùm, qui iustè suum statum acquisiuit, & deindè ex casu ex improuiso contingenti in pauperiem redactus est: nam tunc potest de bonis iustè possessis retinere, quantum ei necessarium est pro conseruatione decentiæ sui status, quem iustè obtinet: dummodò creditor dilationem ferre valeat, nec ipse quoq; inopia laboraret, cùm extra necessitatem extremã melior sit creditoris, quàm debitoris conditio, vt latius de hac re supra egimus *dicto tertiodecimo lim. 6.* Nec *tex. in d. cap. cùm tu, de vsur.* probat *Sayri* intentum: nam ibi habetur, quòd nota paupertas excusat à restitutione; ita vt si non habeat in ære, nec luat in corpore, non autem vt vsurarius possit necessaria sibi retinere ex vsuris iniustè extortis pro conseruatione status. Secundò responderi potest, quòd ipse *tex.* per notam paupertatem, intelligit extremam necessitatem: ob quam excusat vsura-

ra-

rarios à restitutione vsurarum pro conseruatione indiuidui.

80 Octauò ampliatur, vt debitores ex maleficijs vt supra, non possint iuuari beneficio cessionis bonorum, nec beneficio, *cap. Odoardus, de solut. si clerici sint*: quoniam eiusmodi beneficia conceduntur tantum debitoribus, qui debitum iustè, ac bona fide contraxerunt; secus si iniustè, nempè per vsuras, furtum, &c. aut dolo debita contraxerint, vt sup. de hac re latè egimus, *dicto secundo*, quibus adde, quæ habentur ex *Sayro lib.* 10. *Clauis Reg. tr.* 5. *cap.* 4. *num.* 1. 2. *&* 3.

81 Sic ampliata limitatur, primò hæc eadem conclusio quoad primam ampliationem, in qua diximus, debitores ex maleficijs obligari statim ad ablata restituenda vna cum omnibus dãnis, expensis, & interesse, ly statim, non esse intelligendum mathematicè, quasi in instanti; sed moraliter: nempè expectata opportunitate restituẽdi citra dolum, ac fraudem. Vndè quamuis vsurarius, qui multas usuras extorserit, ad sacramẽtalem confessionem accesserit, & possit commodè vsuras ipsas restituere; Confessarius tamen si inspecta qualitate personæ, & alijs circumstantijs, probabiliter cognosceret, vsurarium ipsum post susceptam absolutionem, statim esse vsuras restituturum, arbitror eum posse eiusmodi pœnitenti absolutionem impendere, non præmissa restitutione: quoniam licèt restitutio ratione rei acceptæ, vel iniustæ acceptionis statim fieri debeat, quando commodè fieri potest, ly statim, intelligitur moraliter, non autem methamaticè, vt benè declarat *Sayr. lib.* 10. *Clauis Reg. tr.* 5 *cap.* 2. *num.* 2. atque ideò ly statim, intelligendum est quoad animi præparationem; nempè statim habendum esse animum non retinendi alienum inuito Domino, atque ideò paratum esse data temporis opportunitate, restituere. Et sic regula, peccatum non remittitur, nisi restituatur ablatum, ad minimum verificari debet in restitutione, quæ fit animi præparatione, vt habetur ex *Reginal. lib.* 10. *sua sum. cap.* 16. *sec.* 1. *num.* 224.

82 Benè verum est, quòd quando quis semel fuit absolutus cum proposito restituendi, non præmissa restitutione, si iterum ad confessionem accedat, & non restituit, licèt propositum habeat restituendi; non tamen est absoluẽdus, nisi prius actu restituat, aut restitutionis dilationem à creditore obtineat, vt per *Caiet. in sum. ver. Restitutio, cap.* 6. & alios relatos *à Reginaldo loc. cit. num.* 226. *&* *Say. ibi, num.* 27. vbi *num.* 28. ex *Ledes. Nauar.* & ex alijs id limitat, nisi is, qui aliàs promisit restituere, & nõ adimpleuit, prudẽter iudicari possit, quòd statim restituet: quoniã eo casu absolui potest: nam in rigore ad absoluendum necessarium est, quòd pœnitens contritus sit, & proponat cauere in futurum, & facere, quæ tenetur; quæ omnia si adsint, consideratis circumstantijs loci, temporis, & personæ absolui potest. Quod quidem intelligendum est de usurario occulto, & de alijs obligatis ad restitutionem ratione rei iniustè acceptę, aut ratione iniustæ acceptionis: secus autem si vsurarius sit manifestus: quoniam is nunquam est absoluendus, nisi præmissa restitutione, seu satisfactione, aut cautione, vt *in cap. quamquam, de vsur. in* 6.

83 Secundò limitatur, vt debitores ex maleficijs vt supra, excusentur à restitutione ablatorum, vnà cum damnis, expensis, & interesse, quando statim restituentes paterentur propriæ famæ detrimentum: siquidem secundùm communem Doctorum sententiam eo casu debet differri restitutio, & expectari opportunum restituendi tempus, cùm fama sit altioris ordinis, & æstimatur multo magis, quàm bona temporalia, iuxtà illud Sap. *Melius est habere bonum nomen, quàm diuitias multas.* Et re vera irrationabiliter inuitus esset creditor, si magis velit proximum infamari, quàm pati modicum incommodum in bonis suis ex dilatione restitutionis faciendæ. Vndè latro si timeat statim restituendo latrocinij notam contrahere, licitè potest restitutionem differre. Ita *Caiet.* 2. 2. *q.* 62. *ar.* 2. *&* 8. *&* *in sum ver. Restitutio, cap.* 6. *Nauar. in Man. cap* 17 *num.* 89 & alij, quos refert, & sequitur *Sayr. lib.* 10. *Clauis Reg. tomo* 2. *tr.* 5. *cap* 3 *nu.* 43. *&* *Reginald. lib.* 10. *sua prax. cap.* 19. *q.* 3. *num.* 272. Quod verum est, nisi posset secretè restituere, aut debitum pecuniarum, vt famæ præualeat; quoniam tunc etiam cum famæ dispendio restitutio facienda statim esset. Exemplum potest dari in muliere, quæ partum alienum sibi supposuit, aut ex adulterio filium genuit: nam si attentis circumstantijs infamia mulieris non esset adeò magna, vt quia esset alioqui suspecta, & non valdè honorata: & damnũ filiorum legitimorum magnum: vt si tractaretur de successione ad aliquod Regnum, aut alium Principatum; quoniam tunc teneretur mulier secundum aliquos, non obstante periculo talis infamiæ, reuelare proprium crimen, vt filios legitimos seruet indemnes: siquidem bonum famæ licèt sit altioris ordinis; tamen bonum externum, pensans circumstantijs, præponderare potest alicui bono famæ: sicut quamuis aurum natura sua pretiosius sit argento; potest tamen argentum aliquod in magna quantitate pretiosius esse aliquo exiguo auro, vt de hac re latius supra egimus *disp.* 21. *sec.* 3. *vers. Quo vero ad vltimã difficultatem, limit.* 1. 2. *&* 3.

84 Tertiò limitatur dicta conclusio, quando debitoribus prædictis restituentibus, eorum restitutio tenderet in magnum detrimẽtum tertij, puta Reip. aut ipsorummet creditorum: nam creditores eo casu in dilationem tenentur rationabiliter consentire: nec curandum est si oppositum actu velint; quoniam circa restitutionis materiã regula est, vt quandocunque Dominus rei rationabiliter debet velle restitutionem differri, vel omitti, id fieri possit, licèt ipse quadam cupiditate, vel passione ductus nolit consentire. Ita ex *Petro Nauarr. lib.* 4. *de restit. cap.* 4. *dub.* 7. tenet *Reginald. lib.* 10 *sua prax cap.* 19. *q.* 2. *num.* 266. & latius *q.* 4. *per totam*. Hac eadem ratione quidam volunt, quòd si ex debiti restitutione parum vtilitatis proueniret creditori, & magnum detrimentum in bonis debitoris ex maleficio, tũc ipse debitor non teneretur statim restituere, sed posset debiti solutionem differre: eo quòd contra rationem foret, si creditor eo casu in dilationem non consentiret. Et multò magis hæc vera sunt si debita proueniant ex licito contractu: quoniam licet ista duo debita differant, quoad originem suam; non tamen differunt quoad effectum, de quo agitur, excusationis ab illorum restitutione

ob

ob impotentiam debitoris. Etenim eodem modo impotens dicitur debitor: siue ex iusta, siue iniusta acceptione teneatur, vt habetur per *Conar. in regula peccatum, 1. par. num. 2. in fine, Nauar. in Man. cap. 17. num. 58. & Reginald. lib. 10 sua prax. d. cap. 19. q. 2. num. 267.* Quod si debiti solutionis dilatio cederet in magnum detrimentum creditoris, tunc talis debitor ex delicto tenetur statim restituere, etiam cum notabili rerum suarum iactura: quoniam creditor tunc in dilatione rationabiliter esset inuitus, vt per eundem *Conar. loco citato, & Reginald. ibidem, num. 265. in fine,* vbi etiam *num. 267.* probat, non teneri statim restituere eum, qui ex sua restitutione rationabiliter timeret se, aut suos prolapsuros in aliquod peccatum: nam sæpè contingit pressos egestate, maximè si mulieres sint, prostitutiones, furta, & alia crimina patrare: ac etiam nonnunquam in desperationem irruere.

85 Quartò limitatur, vbi creditor tacitè, vel expressè consentit in dilationem, aut in remissionẽ debiti, quoniam tunc non tenentur debitores ex delicto debitũ omninò soluere, si adsit illius remissio: aut possunt debitum differre stante creditoris consensu in dilationem prædictam: cùm quilibet sit moderator, & arbiter rei suæ, *l. in re mandata, C. mand.* Ita *Caiet. in sum. vers. Restitutio, cap. 7. Nauar. in Man. cap. 17 nu. 77.* Quod quidem verum est tribus conditionibus concurrentibus, quarum prima est, vt remissio, seu dilatio non sit de iure prohibita. Secundò vt remissio, seu dilatio fiat ab illo, qui habet potestatem remittendi debitum, aut eiusdem dilationem cõcedendi: & tertiò, vt remissio, seu dilatio spontè, ac liberè fiat, vt rectè declarat *Reginald. loco citato, cap. 18. num. 252. & Sayr. lib. 10. Clau. Reg. tr. 5. cap. 5. num. 1. cum plurib. seq.* Quibus adde, quæ adnotauimus supra dicto tert. odecimò, limit. 5.

86 Quintò limitatur ipsa conclusio, vt debitores ex delicto, vt supra, non teneantur ablata restituere, ac reficere damna, expensas, & interesse, quando inter debitores prædictos, & eorum creditores extat compensatio per æquiualens aliquod, quod quomodo procedat, latè declarat *Sayr. loc. cit. cap. 4. num. 9 10. 11. & 12.* & *Reginald. d. cap. 18. num 257. 258. & 261.*

87 Sextò limitatur, quando is, cui facienda esset ablatorum restitutio, aut reficienda damna, expensæ, ac interesse, esset excommunicatus vitandus; quoniam durante excommunicatione, est interdicta cum eo communio, atque ideò debitores, cuius durante ea excusantur à solutione debiti: quamuis de hac re dubitent *Reginald.* & alij ab ipso relati *ibid. num. 256.* an talis causa sit sufficiens: quia si debita tantùm ex charitate, & pietate reddi possunt excommunicato, vt *in cap. quoniam, 11. q. 3.* multo magis videtur reddi posse debita ex iustitia, ac naturali iure: & hãc sententiam tenẽt etiam *Sayr.* & alij, quos allegat *loc. cit. cap 5. num. 11. & 12.* quæ quidem ratio conuincit, vbi creditor excommunicatus reperitur in egestate constitutus plusquàm mediocri.

88 Septimò limitatur, quando ex vi legis, aut publicæ potestatis, eiusmodi debitores ex delicto eximuntur à debitorum restitutione, vt solent eximi Iudæi dum baptizantur ab vsurarum restitutione, quando illi, à quibus illas extorserunt incerti sunt. Etenim lex, & potestas publica habent facultatem disponẽdi de illis: secus autem, si mutuatarij certi sint, aut alij similes creditores, quoniam tunc illis facienda est restitutio in conscientia, non obstante lege, aut publica potestate aliter disponentibus: siquidem iura tolerãt multas iniquitates, & mala, vt vitentur maiora; & tamen ea committentes non sunt immunes à peccato, vt benè declarat *Sayr. d. cap. 5 num. 19. cum plurib. seq.*

89 Octauò limitatur præfata conclusio, vt locum non habeat, vbi debitores eiusmodi restituentes constituerentur in extrema necessitate: vel omnino bona habeant, quibus possint creditoribus suis satisfacere. Etenim talis retẽtio hoc casu est omnino inuoluntaria ex impotentia, & cùm sit impossibilis illis restitutio, ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium ff. de regul. iur.* Et quòd extrema necessitas excuset à restitutione, etiam si debitum proueniat ex delicto, est *tex. in cap. cum tu, de vsur.* Est tamen verum, quod quando impotentia nõ est manifesta, tunc debitores huiusmodi debent petere debiti remissionem, aut dilationem, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 8. ad 2. Caiet. in eum eo loco, & in sum. ver. Restitutio, cap. 6. Nauar. in Man. cap. 17. num. 56.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr loco cit. cap. 3. num 4.* & quando agitur de necessitate extrema excusantur prædicti debitores à restitutione saltem statim facienda, etiam si eorum creditores reperiantur in eadem extrema necessitate constituti, vt fusius de hac re egimus supra *dicto 13. limit 6. per totam, & sec. 1. concl. 1. limit vnica,* vbi etiam egimus, an debitores ipsi excusentur, si pater, filij eorum &c. per restitutionem constituantur in eadem extrema necessitate, in qua reperiuntur creditores. His adde, quòd in omnem euentum, si creditor sit persona valdè vtilis, ac necessaria Reipub. & reperiatur in extrema necessitate constitutus, tunc debitor si non sit talis, quamuis in eadem necessitate cõstituatur, si restituat; tunc tali personæ tenetur debitum restituere, non ex debito restituendi, sed ratione boni communis, quod omni priuatorum bono est præferendum. Et cùm ex sola charitate, non autem iustitia ad id teneatur, non potest compelli, nisi Rex, aut Resp. id statueret, quod quomodo verum sit, rectè declarat *Sayr. loco sup. relato, num. 7.* vbi etiam *num 6.* inquit, quòd si Petrus sit in extrema necessitate, & habeat unum tantùm panem, & Ioannes quoque reperiatur in extrema necessitate, non erit licitum Ioanni panem illum è manibus Petri auferre, quia cùm panis ille sit communis, in pari causa melior est conditio possidentis; atque ideo, panem illum rapere, non solum rapina, sed etiam homicidium diceretur, *arg. tex. in cap. pasce, d. 86.*

DE

De Medicis Physicis, Chirurgis, Aromatarijs, & Infirmis, & eorum peccatis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. XXV.

HÆc Disputatio erat explicanda post *Disp.* 19. in qua egimus de Magistratibus, Iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, Scribis, seu Notarijs, Executoribus, & alijs iustitiæ Ministris, & eorum culpis. Et quoniam disputationes illam subsequentes ordinem quendam, & affinitatem quodammodo cum eadem habent: idcircò hanc Disputationem hoc loco duximus definiendam. Eò magis, quia nos non intendimus in hoc Opere vnam disputationem cum alia continuare. Disputationem igitur istam in tres Sectiones duximus partiendam. In prima agemus de Medicis: in secunda de Aromatarijs: & in tertia de Infirmis, & horum omnium peccatis, quæ contrahere possunt, vt tales sunt.

De Medicorum culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis, cùm sibi videbitur.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Medicus Physicus, in quo differat à Chirurgo. Et an ambo dicantur formaliter Medici.*
2 *Peccant Medici, siue Physici sint siue Chirurgi, si se idoneos non cognoscentes, suscipiunt lauream doctoratus, & multò magis si officium exercent.*
3 *Peccant Medici non solùm ex capite ignorantiæ, sed etiam ex capite negligentiæ si non studeant, & negligentes sint in inquirenda qualitate morbi.*
4 *Peccant Medici vltra tertiam diem visitantes infirmos, & non procurantes, vt confessionem sacramentalem præmittant, aliaq; medicamenta spiritualia.*
Adducitur Bulla B. Pij V. quæ incipit super gregem.
5 *Peccare possunt Medici non tantùm ex ignorantia, & negligentia, sed etiam ex malitia, & quando.*
6 *Peccant Medici, qui quamuis periti sint, non tamen vtuntur traditionibus artis, sed iuxta fantasiam medentur suorum capitum.*
7 *Peccant Medici tribuentes infirmis illa medicamenta, de quibus dubitant, an profutura sint.*
8 *Peccant Medici, non pronunciantes mortem infirmo, infallibiliter morituro secundùm artem.*
9 *Peccant Medici recusantes curare infirmos, illosq; derelinquentes antequam debeant, ob quod sequatur mors, aut prolongatio morbi, & tenentur ad damna.*
10 *Peccant Medici, si simul cum arte in ipso actu medendi misceant superstitiones, vanas obseruationes. &c.*
11 *Peccant Medici præcipientes infirmis præcepta Ecclesiæ violare citra necessitatem.*
12 *Peccant Medici, si pro corporis salute, animæ detrimenta præcipiant.*
13 *Generationi deseruire cum propriæ salutis detrimento nemo tenetur: Et multò minus cum vitæ discrimine, etiam altero Coniuge debitum petente.*
14 *Peccant Medici, propinantes, vel consulentes mulieribus potiones, & pharmaca sterilitatis: inciduntq; in censuras, & pœnas Constitutionis Sixti V.*
15 *Multo magis peccant Medici, & in censuras, & pœnas prædictas incidunt si præbeant prægnanti pharmacum, vt abortum faciat.*
An, & quando dicantur committere homicidium, & fieri irregulares.
16 *Peccant Medici cum obligatione restituendi, si ab infirmis vltra, quam par est stipendium petant, & exigant.*
17 *Peccant Medici, si in medendo socios sibi adiunxerint Iudæos.*
18 *Peccant Medici si Medicorum statuta non seruent, & quæ maximè seruare iurauerint.*
19 *Peccant Medici, qui cognoscentes per principia artis, infirmitatē alicuius esse incurabilē dolo, aut auaritiæ causa veritatem infirmo non aperiunt.*
20 *Peccant Medici, si cum infirmis certo promisso pretio conuenerint, si eos ab infirmitate liberent: hiq; mox liberati in eandem infirmitatem incidant, nec eos curare iterum velint, nisi noua soluatur pensio.*
21 *Peccant Medici, qui cum Clerici sint, vel Monachi, Physici, vel Chirurgi officium exercent quoad incisionem, vel adustionem.*
22 *Peccant Medici, qui cum legitimi, nec iurati sint, officium absque dispensatione exercent.*

1 PRo huius rei explicatione est adnotandum, quòd Medicus Physicus in hoc differt à Chirurgo; quoniam iste est Medicus incidens, & adurens: ille autem non adurens, nec incidēs, sed adhibens medicamenta intus, vel extra. Vterque autem diuiditur in laureatum, & non laureatum: & ambo dicuntur formaliter Medici: siquidem Medicus non à laurea, sed à medēdo denominatur. Vndè meritò inquit *Syl. ver. Medicus*, quòd si sub pœna excommunicationis caueatur, ne quis Monasterium Monialium ingrediatur, nisi sit Medicus, si laurea non insignitus Monasterium intret, si re uera sit Medicus in excommunicationem non incidit: & hunc casum habuisse de facto testatur *Bart. in l. sciendum, ff. de ædil. edic.* & sequitur *Tab in sum. ver. Medicina, q.* 16. Non ita dicendum est de illis, qui vnum, vel alterum remedium habent ad sanandos aliquos particulares morbos: siquidem hi non sunt formaliter Medici, atque ideò si citra licentiam eorum, ad quos spectat, Monasterium ingrediantur, mortaliter peccant, & excommunicationis vinculo alligantur. Idem dicendum puto de Barbitonsoribus, qui Chirurgi solent fungi officio; quoniam isti non sunt formaliter Medici. His prælibatis.

2 Dico primò peccare Medicos, siue Physici sint, siue

siue Chirurgi, si se idoneos non cognoscentes lauream suscipiant: & multò magis si Medici officium exerceant: oportet enim Medicos sufficientem scientiam, & artem habere ad curandos morbos; sicut supra diximus de Iudicibus, Aduocatis, & Procuratoribus, *sup. disp.* 19. aliàs infirmos manifesto vitæ periculo exponunt, & præcepto Decal. Non occides, contrauenıunt, vt habetur ex *Syl. in sum ver. Medicus*, q. 1. & propterea vltra culpam tenentur ad omnia damna, expensas, & interesse, sicut ij, quos sup. diximus *disp. præcedenti* ex homicidio obligari, *sec.* 1. Etenim lex tam naturalis, quàm humana prohibent, ne quis artem, quam ignorat exerceat, vt *in cap. non est sine culpa, de reg. iur. in* 6. quod verum est, siue Medici insufficientes sint in doctrina, siue in practica, vt habetur ex *Molfesio par.* 1. *sua sum. tr.* 8. *cap* 13 *sub num.* 44. Imò esto quòd Medici, qui ignari lauream susceperunt, nullum adhuc damnum intulerint, non tamen sunt absoluendi, nisi promittant medicinę artem se non exercituros: siquidem artem exercendo proximæ occasioni se exponunt occidendi infirmos, quorum curam suscipiunt. Ob id etiam huiusmodi Medici insufficientes ad medicandum, etiam postquam doctorati fuerint, possunt reprobari, ne exerceant artem medicinæ, *arg. tex. in l. reprobari, ff. de excus. tutor.* & habetur per *DD. in l.* 2. *C. de profess. & medic. lib.* 10. *Mascard.* cũ alijs ab eo relatis, *de probat. cõcl.* 593. *& Molfes. loc. cit. num.* 43. vbi in fine ait, vtinam id seruaretur: quod tamen limita non procedere in ijs, qui habent specialia quædam medicamenta ad speciales morbos; nempè ad sanandas oculares fistulas, morbum gallicum, & alia huiusmodi: nam si experti fuerint iuuare, possunt illis uti; quamuis sint aliàs ignari; modò citra incantationes, ac superstitiones id faciant, vt benè declarat *Nauar. in Man cap.* 25. *num.* 60.

3 Dico secundò peccare Medicos non solùm ex capite ignorantiæ; sed etiam ex negligentia, vt quia non student, nec diligentiam adhibent in inquirenda qualitate morbi, aut infirmos visitent, &c. quod ut plurimum accidit Medicis propter multitudinem infirmorum uacare omnibus, omnium curam suscipiunt lucri gratia. Hi enim vltra culpam, quam contrahunt, tenentur de omnibus damnis, & interesse i latis ex causa ignorantię, uel negligentię: siquidem omnibus exercentibus aliquod officium hæc communis obligatio est, vt illud cum debita cautela, & diligentia exerceant, vt habetur ex *Panor. in cap. ad aures, nu.* 3. 4. *&* 6. *de etate, & qual. Salon.* 2. 2. *q.* 7. *ar.* 2. & ex alijs apud *Sayr. lib.* 12. *Clauis Reg. cap.* 22 *sub num* 11. Imò si ex Medicorum imperitia, aut negligentia mors sequatur infirmis, efficiuntur irregulares, etiam si eorum mortem non intendant, vt per *D. Anton.* 3. *par. tit.* 7. *cap.* 2. Est tamen verum, quòd si infirmi nouerint insufficientiam Medicorum, & eorum negligentiam, aut maximam occupationẽ propter multitudinem infirmorum, & nihilominus, eis renuentibus, vel saltem non se intromittentibus, aut ignorantiam confitentibus vtãtur, puto eos excusari, & non teneri nisi de dolo, & lata culpa, sicut diximus supra de Iudicibus, & Aduocatis: quibus adde ea, quæ habentur ex *Syl. ver. Medicus, q.* 1. *& Tab. ver. Medicina. sub num.* 3. *§.* 2. Tunc enim infirmis imputatur eorum damnum, qui scientes Medicorũ ignorantiam, & insufficientiam, seu negligentiam, aut occupationem, ad ipsorum curam illos adhibuerint, *arg. tex. in regula damnum, de regul. iur. in* 6.

4 Dico tertiò peccare Medicos ultra tertiã diem infirmos visitantes, & non procurantes eorum animarum salutem; nempè vt præmittant confessionem sacramentalem, & alia medicamenta spiritualia, antequam deueniant ad applicationẽ medicamẽtorum corporalium, vt est *tex. in cap. cùm infirmitas, infra eod. tit. nostro de pœnit. & remiss.* & extat Bulla B. Pij V. quæ incipit: *Super gregem, &c.* & in quibusdam locis id iniungitur Medicis sub pœna excommunicationis, & est casus reseruatus Ordinario, vt Neap. statutũ fuisse testatur *Molfes. par.* 1. *sua sum. tr.* 8. *cap.* 13. *num.* 42. Est tamen verum, Bullam illam, & canonem obligare in graui tantùm morbo, & quando prudenter iudicatur à Medico in principio periculum mortale esse, ne graue fiat, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap.* 25. & ex alijs, quos refert, & sequitur *Suar. de pœnit disp.* 35. *sec.* 3. *num.* 4. vbi etiam addunt, Medicos huic obligationi satisfacere, si moneant infirmos huiusmodi ad confitendum, nec tenentur eos recusantes deserere; quoniam id esset contra charitatem, si probabile mortis periculum immineret, & ipsos desererent; & ita dicunt seruari in practica, vt latius rem hanc sup. declarauimus *tomo* 1. *disp.* 1 *sec.* 1. *concl.* 5. *vers. Occasione.*

5 Dico quartò peccare Medicos posse non tantùm ex ignorantia, & negligentia; sed etiam ex malitia, vt si conueniant cum Aromatarijs in cõpositione, medicinæ vetustas, & esinanitas res; vel sumi ab infirmis medicamenta, quibus non egeant, vt lucrentur; & si quid detrimenti ob id patiantur infirmi, ad omnia damna obligantur, expensas, & interesse, vt habetur ex *D. Anton* 3. *par. tit.* 7. *cap* 2 *Molfes par* 1 *sua sum tr* 8. *cap.* 13 *num* 47 *& Syl in sum. ver. Medicus*, vbi ex *Archid. de Aromatario* loquens ait, quòd Medicus non debet confidere Aromatario, nisi sciat esse conscientiatum, peritum, & practicum; sed sub suis oculis debet fieri medicinæ compositio. Peccant quoque ex malitia Medici si lucri gratia prolongant morbos infirmorum: tunc enim vltra culpam tenentur ad omnia damna, & interesse, vt per *Molfes. d. cap.* 13. *num* 45. *in fine.* Et denique peccant Medici tribuentes rem aliquã nociuam infirmis, ob solam misericordiam, & vt eis placerent, præbeant, vt habetur ex *Panor. in cap. tua nos, de homic.*

6 Dico quintò peccare Medicos, qui quamuis periti sint, ac diligentes, nihilominus in medicãdo non vtuntur traditionibus artis; sed medẽtur iuxta fantasiam suorum capitum, nòua experimenta irrationabiliter adhibentes. Dixi, *Irrationabiliter*, quia si experimenta noua, & suo marte exhibita sint rationabilia, tunc excusarentur. Ita *Tab. in sum. ver. Medicina, sub num.* 3 *§. secundo.* Quòd si Medici sequantur traditiones artis, & rationabiliter infirmis præbent medicamenta, quamuis ex dictis medicamentis, vel ex sectione sequatur mors infirmo; non peccant, nec efficiuntur irregulares; quoniam potius casu,

quam Medicorum culpa mors diceretur prouenire, vt rectè explicat *D. Anton. 3. par. tit. 7. cap. 2. §. 4. vers. Cùm autem.*

7 Dico sexto peccare Medicos illa medicamenta infirmis tribuentes, de quibus dubitant, an sint profutura. Etenim in dubijs tutior via est eligēda: atque ideo minus malum est, dimittere infirmum naturæ, ac Deo curandum, quam medicinæ exponere, cuius virtus ignoratur, vt habetur ex *Syl. in summ. vers. Medicus, q. 4.* vbi etiam addit, quòd tunc Medicus dicitur esse in dubio de medicinæ profectu, quando nihil habet, ex quo probabilius notabiliter existimet, medicinā profuturam potius, quam nocumentum allaturā: secus autem si de profectu aliquam habeat probabilitatem; quoniam tunc adhibita diligentia, & studio, dare posset; nisi id per se primò ageret, vt experimentum faceret, & indifferens esset ad vtranq; partem, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 25. sub num. 60. vers. Secundò peccat, & Molfes. d. cap. 13. sub num. 43.*

8 Dico septimò peccare Medicos non pronunciantes mortem infirmo infallibiliter morituro secundum artem, vbi viderint eiusmodi mortis prænunciationem vtilem fore animæ infirmi: nam aliàs maximum damnum inferrent proximo, tàm quoad animæ salutem, quàm quoad rerum temporalium dispositionem. Vnde Medicus si probabiliter sciret infirmum in mortali culpa permanentem ex mortis nunciatione pœnitentiam de proprijs peccatis facturum, & domui suę rectè dispositurum, tunc si mortem non prænunciat, procul dubio lethalem culpam contraheret, vt habetur ex *D. Anton.* post alios *3. p. tit. 7. cap. 2. § 4. vers. Vtrum autem Medicus:* vbi tamen videtur velle, quòd Medicus eo casu peccat contra charitatem, atque ideò non tenetur ad damnorum refectionem, quæ ex omissione nunciationis mortis infirmo, hæredibus, aut alijs prouenirent: cùm restitutio proueniat ex violatione iustitiæ, vt sæpè diximus. Hoc ipsum docet *Tab. in summ. vers. Medicina, num 15. § Quartodecimò:* & idem dicendum esse putant, si Medicus dubius sit, an vtilis sit, vel non vtilis talis pręnunciatio: Secus autem si Medicus probabiliter putet, talem prænunciationem non futuram vtilē infirmo, nec alijs, vt quia rectè disposuerit animæ suæ, ac domui; sed potius nocumentum allaturam corpori: quoniam tunc nō tenetur mortem illi prænunciare; quamuis melius esset, vt plenius se disponat: siquidem quantuncunq; existimetur, infirmum esse in bono statu, ac sibi, ac domui suæ sufficienter consuluisse; nihilominus quoad vtrunque semper proficit mortis pronunciatio. Et quamuis Galen. velit, quòd quantuncunque Medicus desperet de infirmi sanitate, sēper debeat illum confortare, eidemque promittere sanitatem; nihilominus *D. Ambr. in cap. contraria, 5. d.* inquit, præcepta medicinæ contraria esse diuinæ conditioni.

9 Dico octauò peccare Medicos recusantes curare infirmos, aut illos delinquentes antequam debeant, ob quod mors, aut prolongatio morbi proueniat, cum obligatione restituēdi damna, & interesse, vt rectè declarat *Nauar. in Man. c. 25. sub num 60 vers. Secundò peccat:* quod verum est non solùm in Medico derelinquente curam pauperis, sed etiam diuitis ex eo solo, quòd non vult salarium ex auaritia ei tribuere, quamuis ipsius Medici curam, & non alterius quærat; siquidem infirmis pauperibus tenetur Medicus gratis mederi: imò, & medicinas pro eis soluere, si possit, & infirmi facultatem non habeant, vt habetur ex *Glos. 1. in sum 83. d. D. Anton. 3. par. tit. 7. cap. 2. §. 3. Tab. in sum vers. Medicina, § Quinto: num. 6. Nauar. in Man. cap. 25 sub num. 64. ver. Septimò peccat:* & ante ipsos *D. Thom. 2. 2. q. 71. ar. 1.* Et quoad diuitem nolentem salarium ex auaritia soluere, tenetur Medicus non solùm eū non deserere; sed si nolit expendere, debet ei Medicus medicinas suis expensis exhibere: & deindè poterit earum pretium repetere vna cum suo salario, cum rem vtilem gesserit pro infirmo, arg. *tex. in l. Pomponius, ff. de negot. gest.* Et id non tātùm ab ipso infirmo si conualescat; sed etiam ab eiusdem hærede si mori contigerit: quoniam satis est, si vtiliter cæperit negotium gerere, licèt non fuerit subsecutus effectus, arg. *tex. in l. Sed an vltro, ff. eod. Glosa in §. 1. 83. d. Diuus Anton. & Nauarr. locis citatis,* vbi id ampliat ipse *D. Anton.* locum sibi vendicare, etiam si infirmus omninò prohiberet aliquam sibi dari medicinā; quia adhuc Medicus expensas pro medicinis, & pro salario repetet: nisi infirmus sit Medico propinquus, & non fuerit protestatus, quòd gratis illum non intendit mederi: quoniam aliàs præsumitur pietate motus ad illum curandum, arg. *tex. in l. alimenta, C. de negot. gest. Tab. & Doctor. locis citatis.* Est tamen verum, quòd ea, quæ diximus de paupere infirmo, *Nauar. in d. cap 25. sub num. 64. vers. Septimò peccat,* restringit ad eum, qui credit illum probabiliter moriturum, nisi ei medicamenta tribuantur, & non sit alius, qui id agat, nec qui soluat salarium.

10 Dico nonò peccare Medicos si simul cum arte in ipso actu medendi immisceant superstitiones, vanas obseruationes, quasdam ligaturas, quę naturaliter ad morbi curationem non deseruiūt, ut habetur ex *Molfes. par. 1. sua summ. tr. 8. cap. 13. num. 45. Nauar. in Man. cap. 25 sub nu. 60.* & alij.

11 Dico decimò peccare Medicos præcipientes, infirmos violare præcepta Ecclesiæ, citra necessitatem, vt si præcipiant infirmis vesci carnibus sexta feria, Sabbato, in Vigilijs, & in Quadragesima, ieiunia violare, non audire Missam die festo, & alia eiusmodi; quæ seruari possēt ab ęgroto citra corporalis salutis offensionem; hi procul dubio lethalem culpam contrahunt, cùm illis imputentur transgressiones, quæ ex illorū persuasione proueniunt, arg. *tex. in cap. noli putare, 1. d.* Imò tenentur, si commodè possunt, eos, quos sciunt suis persuasionibus peruertisse, reædificare, vt per *D. Anton. d. cap. 2. § 1. Nauar. d. cap. 25. num. 62. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 14. sub num. 3. vers. Octauò.* Et si fidem faciunt aliquem esse infirmum, cùm non sit, & è conuerso, vel falsam fidem facerent de qualitate vulneris, & de alijs similibus, ultra culpam, quam contrahunt, in foro exteriori, tāq; falsarij possunt puniri: Et si ex eorum falsis attestationibus aliquod damnum proximo prouenerit, tenentur eidem illud reficere, vt latè *Molfes. d. cap. 13. num 48.*

12 Dico vndecimò peccare Medicos si pro salute corporis præcipiant medicamenta in detrimentum animæ: siquidem præposterus ordo est,

vt

vt animæ corpus præferatur: & insuper in excõmunicationem incidunt, vt in *cap. cum infirmitas, in fine, infra eod. tit. nostro, de pœnit. & remiss.* ita se habente: *Cæterum, cum anima sit multò pretiosior corpore sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Hinc Medicus non potest infirmo præcipere fornicationem, aut remedia adhibere ad causandam pollutionem. Etenim quamuis licitum sit manum, pedem, testiculos, & quoduis aliud membrum sibi amputare ad vitam tuendam; nunquam tamen fas est fornicari, aut pollutionem procurare, etiam mediantibus remedijs licitis; quoniam fornicatio, & pollutio sunt intrinsecè, & ex obiecto malæ, atq; ideò nunquam sunt eligibiles pro quocunque bono, vt habetur ex *Syl. in sum. vers. Medicus. q. 4. vers. Quartum, D. Anton. d. cap. 2. §. 1.* & hanc communem opinionem esse testatur *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 17. num. 16.* Ratio autem cur ad tuendam vitam licita sit membri sectio; non autem pollutionis procuratio, re vera non videtur illa, quam communiter ferè Doctores afferunt; nempe quòd natura membra omnia ad ipsorum indiuidui bonum destinauit: & propterea ad indiuidui cõseruationem, vbi necessitas vrget, potest membrum putridum amputari; nam quæ tributa sunt ad fauorem, non debent in detrimẽtum conuerti: at semen est à natura tributum nõ ad indiuidui bonum; sed ad speciei conseruationem, medio coniugali congressu; nimirum igitur si homo illius non habeat administrationem, sicut membrorum.

13 Hęc inquam ratio multis non probatur: siquidem generationi deseruire cum propriæ salutis notabili detrimento, & multò minus cum vitæ discrimine nemo tenetur, etiam altero coniuge debitum petente. Præterea permittitur syropum sumere, quo semen vertatur in sanguinem, vel in alium humorem alijs vijs expurgandum ad vitã tuendam: & nihilominus id generationi non minus contrarium est, quàm ipsa procurata pollutio: imò ad tuendam vitam licita est testiculorũ amputatio; quæ generationem omninò impedit. Vndè quidam putant, rationem allatam à *Sãch. loco citato*, esse meliorem, nempè idcircò ad tuẽdam vitam non esse licitum pollutionem procurare; quia in seminis emissione magna delectatio cùm sentiatur, homo libidinis passione occecatus de facili potest figurare iustam habere causã semen effundendi: non sic in abscissione membri, quæ citra magnum dolorem fieri nequit. Ob id idem *Sanch. vbi supra, num. 17.* probat non esse licitum cooperari ad seminis, iam è lumbis dedi si effusionem, quamuis retentio saluti corporis magnum detrimentum fuerit allaturum; quoniam illa verè dicitur seminis administratio, & eiusdem fluxus procuratio: & *nu. 18.* idem putat dicendum de procurante notabilem distillationem, aut notabilem spirituum vitalium deseruientium generationi, & seminis effusioni cõmotionem per media, etiam aliàs licita: quia talis alteratio est inchoata quædam pollutio, & ad pollutionis consumationem essentialiter ordinatur. Est tamen verum, quod ad semen corruptum expellendum, tàm in mare, quàm in fœmina fas est adhibere medicamenta: quoniam illa medicamenta non tendunt ad veri seminis effusionẽ, sed corrupti, ad generationem non deseruientis, vt habetur ex eodem *Sanch. ibidem, num. 19.* Cæterum, licèt nostra conclusio vera sit cùm reliquis deductis ex ea: attamen non solùm prima ratio nobis non probatur, vt supra fuit reiecta: sed nec quidem altera ratio, quam *Sanch.* attulit; quia quamuis in seminis effusione non esset delectatio, adhuc tamen prohibita pollutio esset, cũ sit intrinsecè, & ex obiecto mala, vt supra diximus. Vndè dicamus, quòd idcirco membri sectio eo casu licita est, quia membri sectio ex sui natura non est mala, sed indifferens; sicut nec omnis occisio hominis est mala intrinsecè, sed illa quæ est iniusta: at pollutio procurata est intrinsecè, & ex obiecto mala, atque ideò nunquã potest esse licita.

14 Dico duodecimò peccare Medicos, propinãtes potiones, & pharmaca sterilitatis mulieribus: aut eiusmodi pharmaca, & potiones quocũque modo consulentes: & insuper incidunt in censuras, & pœnas in Constitutione Sixti V. cõtentas, quæ incipit: *Effrenatam per diuiss. morum hominum*, edita anno 1588. 4. kal. Nouemb. in illis verbis: *Eisdem pœnis teneri omninò statuimus eos, qui sterilitatis potiones, ac venena mulieribus propinauerint: & quamuis fætus concipiant, impedimentum præstiterint, ac ea facienda & exequenda curauerint, siue quoquo modo in his consulerint, &c.* Etenim pharmaca sterilitatis tribuentes homicidæ dicuntur. Et idem dicendum est de dantibus potiones sterilitatis tribuentes homicidæ dicuntur. Et idem dicendũ est de dantibus potiones sterilitatis viris, ne possint generare, vt in *cap. si aliquis de homicidio.* Imò *Graff. par. 1. decis. lib. 2. cap. 63.* qui refert de verbo ad verbum d. Constitutionem Sixti V. inquit, dictam Constitutionem, & eius censuras, & pœnas non solum locum sibi vendicare contra Medicos, & alios propinantes, vel consulentes potiones sterilitatis mulieribus, vt per eundẽ ibi, *num. 15* sed etiam eandem cum suis pœnis extendit contra propinantes, aut consulentes potiones sterilitatis viris, ne generent: quoniam pœnæ licèt sint restringendæ, nihilominus ex identitate rationis sunt ampliandæ, vbi agitur de periculo animæ, vt habetur ex *Panor. in cap. ex tenore qui fil. sint legit.* & alijs allegatis ab eodem *Graff. loco citato, num. 21.*

15 Tertiodecimò dico multò magis peccare Medicos, & in censuras, & pœnas dictæ Constitutionis Sixti V. incidunt dantes prægnanti pharmacum, vt abortum faciat, & ita à morte eam liberet: vel vt peccatum ipsius prægnantis lateat, & ne cum eiusdem infamia, aut mortis periculo publicetur: siquidem hoc casu homicidium cõmittunt interficiendo fœtum, vt habetur ex *Couar. in Clem. si furiosus, 2. par. §. 3. num. 1. Syl. in summ. vers. Medicus q. 4. vers. Secundum dare. Nauarr. in Man. cap. 25. num. 62. vers. Quartò peccat, Graff. d. cap. 63. num. 22. & lib. 3. cap. 14. sub num. 3. vers. Septimò.* Quod quidem præfati Doctores cum communi putant esse verũ, quando fœtus est animatus: & idem dicendum putãt, quando dubitatur de fœtu, an sit animatus; atque ideò isti quoque sic dubitantes efficerentur irregulares, vt habetur etiam per *Sayr. de censur. lib. 6. cap. 13. nu. 9. Sot. in 4. d. 25. q. 1. ar. 3. concl. 4.*

Sanch. in Decal. tomo 1. lib. 1. cap. 10. num. 43. Barb. in collectan. tomo 2 lib 5. tit. 12. cap. 12. num. 15. Merolla in disput. theol. tomo 1. disp. 3. cap. 3. num. 237. Auila par 7. disp. 2. dub. 1. concl. 2. quorum sententiam sequitur *Diana par. 4. resol. moral. tr. 2 resol. 16.* licèt probabilem putet contrariam opinionem, pro qua allegat nonnullos Doctores, præsertim *Baiard. in addit. ad Iul. Clar q. 68. num. 9 & Gomez de delic. cap. 3. in rubr. de homic. num. 3. in fine*, dum docent, quòd in dubio fœtus præsumi debet inanimatus.

Sed quicquid sit de hac re, in qua cum communi arbitror esse tenendum, per *tex. in cap. ad audientiam, de homic.* Si tamen fœtus non sit animatus, certum est non incurri irregularitatem, *vt in cap. sicut eod. tit.* Imò eo casu licitum est Medico poculum abortionis citra culpam propinare mulieri ad euitandam eius mortem: dummodò poculum illud, seu pharmacum non sit ordinatum ex sui natura ad abortum faciendum; sed ex sui natura esset morbi illius curatiuum; quia tunc per accidens sequitur abortus: aliàs licitum non esset abortionis poculum; etiā si fœtus nondum esset animatus; & multò minus vt peccatum lateat: quoniam intendere, vel procurare abortum ob sanitatem matris, est contra naturam generationis, etiam si fœtus nondum sit animatus: & ideò licitum non est; sicut licitū non est procurare pollutionem ob sanitatem. Quæ quidem ratio multò magis vrget quando fœtus est animatus: nam tunc directè occidetur innocens ad saluandum alterum, quod est omninò illicitum, vt habetur ex *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 9. dub. 7. num 61. Sanch lib. 9. de matr. disp. 20.* & *Nos* latè de hac re tractauimus *in Commentar. Bullæ Cœnæ, lib 2. cap 7. q. 36. num 39. & 40.* Verum tamen est, quòd quando nulla spes adest, vt viuus edatur fœtus: & ex alia parte probabiliter speratur sanitas matris, tunc potest adhiberi sanatiuum remedium, quod per se non tendat ad abortum, sed ad sanitatem, & curationē morbi; etiam si fœtus sit animatus: & potest citra culpam etiam odi remedio vti mater, cùm videatur uti iure suo: nec tenetur vitam exponere, vbi spes non exstat salutis spiritualis proximi. Ita *Less loc. cit num. 64. Sanch. d. disp. 20. num. 18. Sayr. lib 7. Clauis Regia cap. 12. sub num. 72. Bonac. in suo tr. de restit. disp 2. q. vl. sec. 1. pun. 7. sub num 3. vers Addo tamen,* & Nos adnotauimus *d. q. 3. Commentar. Bullæ Cœnæ, num. 41. cum plur. seq.*

16 Quartodecimò dico peccare Medicos cum obligatione restituendi, si vltra quam par est ab infirmis stipendium petant, & exigant: aut habentes salarium ex publico, aliquid vltra ab eisdem exigāt, etiam si vltro eis detur, nisi per alia obsequia, & visitationes tempore valetudinis id compenseut, vt habetur ex *D Anton. 3. p. tit. 7. cap. 2. §. 3. Angel. in sum. ver. Medicus, § 36. Syl. eodem ver. q. 5. Nauar. in Man. cap. 25. sub nu. 63. vers. Sexto peccat. Graff. par. 1. decis lib. 3. cap. 14. num. 5. & Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap 13. num. 47.*

17 Quintodecimò dico peccare Medicos si in medendo, socios sibi adiunxerint Iudæos: quoniā id expressè prohibetur per extrauag. Pauli IV. nostræ Congregationis Fundatoris; quæ incipit, *Cùm nimis.* Et eam refert *Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 2. cap 34.* Imò prohibetur omnibus Christianis Iudæos Medicos quærere in eorum infirmitatibus, aut cum eis in eodem balneo lauare, vt in *cap. nullus, 28. q 10.* atque ideò contra facientes peccant mortaliter, & si Clerici sint, possunt deponi: si verò Laici excommunicari; nisi ex capite probabilis ignorantiæ excusentur, vt post *D. Anton.* inquit *Tab. in summ. versic. Medicina § 16. num. 17.* & alij. Benè verum est quòd quando Christiani alium Medicum non habeant, & necessitas vrgeat, tunc ad eorum infirmitates possunt adhibere Iudæos, vt ex *Hug.* tenet *Syl. in summ. vers. Iudæos, q 2.* & infra, Deo duce, melius explicabimus.

18 Sextodecimò dico peccare Medicos, si Medicorum statuta non seruent: & quæ maximè seruare iurauerint: si visitando mulieres infirmas in eis tangendis honestè non se habuerint: si alijs Medicis emulationis causa detraxerint, & damnum aliquod eis intulerint: nam vltra culpam lethalem, hoc vltimo casu tenentur ad damni restitutionem, vt habetur ex *Antonuc. in Cathec. Neap. lib. 2. cap. 34.*

19 Decimoseptimò dico, peccare Medicos, qui cognoscentes infirmitatem alicuius per principia artis, esse incurabilem, dolo, aut auaritiæ causa, veritatem infirmo non aperiunt, propter quod sunt illi causa nonnullarum expensarum inutilium. Dixi, *Dolo, aut auaritia, &c.* quoniā Medici regulariter licitè percipiunt salarium pro infirmitate, quam sciunt esse incurabilem per principia artis; cùm Medicus sit instrumentum naturæ; atque ideò quamdiù natura non succumbit, instrumentum medicinæ non est ex toto subtrahendum infirmo; præsertim, quia nemo scit, quid Deus primus, & maximus Medicus facturus sit, ignoramus. Ita *D. Anton. 3. par. tit. 5. cap. 2. §. vlt. & Tab. in summ. vers. Medicina, §. Octauò, num. 9.*

20 Decimoctauò dico peccare Medicos si cum infirmis certo promisso pretio conuenerint, si eos ab infirmitate liberent & post liberatos mox infirmi citra omnem eorum culpam in eandem infirmitatem reincidant, & ipsi Medici nolint eos iterum curare, nisi noua pensio soluatur: siquidem liberatio illa cùm fuerit momentanea, & recidiuum non acciderit ex culpa infirmorū, perindè se habent ac si liberati vnquam fuissent, arg. *tex. in l quicquid. ff. de regul. iur. & Tab. loco citato § Septimò num 8.*

21 Decimonono dico peccare Medicos, qui cùm Clerici sint in sacris constituti, vel etiam in minoribus; beneficium tamen sufficiens habentes, vel Monachi, Medici physici officium exercent, aut Chirurgi quoad incisionem, vel adustionem. Non enim licitum est huiusmodi personis Chirurgi munus exercere, quod incisionē, vel adustionem exigit, nec Medici physici quidem; nisi gratis pro miserabilibus personis, vel consanguineis; dummodò periculum absit, vt *in cap. sententiam, ne cler. vel mon. & cap. tua nos, de homic.* aliàs irregularitatem contraherent, vt rectè declarat *Panor. in d. cap sententiam, D. Anton. par. 3. tit. 7. cap. 2. §. 4. vers. Item Clericis.*

22 Dico vigesimò peccare Medicos, qui cùm legitimi non sint, nec iurati exercent Medici officium, non obtenta dispensatione. Siquidem Medici

Medici de iure non debent admitti ad practicā, nisi nati sint ex legitimo matrimonio: quoniam exercere medicinam publicè pertinet ad Reip. administrationem, ad quam de iure non admittuntur illegitimi: & propter officij fidelem executionem, debent licentiari iurati; itaut post recepta doctoratus insignia primò iurent non dare venenum cuicunque personæ: secundò non dare medicamentum abortiuum: tertiò vocare socium in rebus dubijs: quartò mederi pauperibus gratis, & amore Dei, vt habetur ex *Molfes. par. 1. sua sum. tr 8 cap. 13. sub num. 45 Tab. in sum. ver. Medicina § 17. D. Anton. 3. par. tit. 7. cap 2. §. 5 & Syl. in sum. ver. Medicus, q. 2. in fin.* vbi id limitat verum esse in loco, vbi viuitur legibus Imperialibus, cùm id sit ciuili, vel imperiali iure cautum.

De Aromatarijs, & eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1. *Peccant Aromatarij, artem exercentes, cum ignari sint.*
2. *Peccare possunt Aromatarij etiam ex capite negligentiæ, sicut dicitur de Medico.*
3. *Peccant Aromatarij, vendentes res vetustas vel exinanitas pro nouis, ac bonis, mixtas pro puris, viles pro pretiosis, &c.*
4. *Peccant Aromatarij conuenientes cum Medicis, vt remedia multa, & varia ordinent infirmis turpis lucri gratia.*
   Vel vendentes venena personis, quas suspicantur, vel sciunt malè vsuras.
5. *Peccant Aromatarij conficientes pharmaca in diebus festis citra necessitatem.*

1 PEccant in primis Aromatarij si cùm artis ignari sint, Aromatarij artē exercent. Horum enim ignorantia infirmis multum obesse potest: atque ideò ultra culpam tenentur de omnibus damnis, & interesse illatis ex causa eorum insufficientiæ: nec possunt absolui, nisi promittant artem Aromatarij dimittere; sicut sup. *sec. 1.* diximus de Medicis insufficientibus: vel alios peritos in arte apud se habere, qui eam sufficienter exerceant.

2 Secundò peccare possunt Aromatarij non solùm ex capite ignorantiæ vt supra, verùm etiam ex capite negligentiæ, sicut *d. sec. 1.* sup. diximus de Medicis; atque ideò negligētes vltra culpam tenentur reficere omnia damna, & interesse: siquidem omnibus munus aliquod exercentibus obligatio adest, vt illud diligenter exerceant, ut per *Abbat. in cap. ad aures, num. 3. 4. & 6. de ætate, & qual.* Quòd si ægroti nouerint Aromatariorum insufficientiam, ac negligentiam, & eorum ministerio velint vti, tunc excusantur, sicut diximus de Medicis ignaris, & negligentibus *d. sec. 1.*

3 Tertiò peccant Aromatarij vendentes res vetustas, & exinanitas pro nouis, ac bonis; mixtas pro puris: viles pro pretiosis: non apponentes in medicinis, & compositionibus ea, quæ à Medicis præcipiuntur: aut vnam rem pro alia ex proprio marte in eisdem miscentes, aut separatim vendentes, vt si aquam puram pro distillata, piper pro cinamomo venderent, vel in quantitate ementes defraudarent: & vltra culpam tenentur quoque damna, & interesse reficere, vt habetur ex *Antonnc. in cath Neap lib. 2. cap. 35. Graff. par. 1. decis lib. 3. c. 15. Reginal. lib. 2. sua prax. sub num 38. Molfes par. 1 sua sum. tr. 8. cap. 13. num. 50 cum plur. seq & ex alijs.*

4 Quartò peccant Aromatarij conuenientes cum Medicis turpis lucri gratia, vt remedia multa, & varia infirmis ordinent, quæ necessaria non sint, vt *d. sec. 1.* diximus de Medicis agentes: hi enim vltra culpam, tenentur ad omnia damna, expensas, & interesse.

Quintò peccant Aromatarij vendētes venena personis, quas suspicarentur eis malè vsuras: & multò magis, si scienter id agerent, aut pocula, seu pharmaca ad procurandum abortum scienter vendant, aut quocunque alio modo cooperarentur ad impediendum conceptum fœtus, sicut de Medicis adnotauimus supra *d. sec 1* & rectè declarat *Molfes. par. 1. sua sum. tr. 8. cap. 13. num. 32.*

5 Sextò peccant Aromatarij in diebus festis citra necessitatem aliquam conficientes pharmaca, medicinas, & alia eiusmodi, aut res alias vendentes: quoniam id de iure non licet: & quamuis id vsu receptum non esse, testetur *Molfes. loco cit. num 56.* nihilominus id ipse vidi in praxi seruari in multis Ciuitatibus, saltem donec Missæ celebrantur, vigore maximè synodalium ordinationum.

De Infirmis, & eorum culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1. *Peccant infirmi, si totam eorum spem ad salutem consequendam ponunt in medicorum industria.*
2. *Peccant infirmi, non aduocantes medicos in eorum infirmitatibus propter auaritiam, vel disperationem, vt citius moriantur.*
3. *Peccant infirmi, aquam bibentes in notabili quãtitate, & alia nociua scienter, vel ex ignorantia crassa sumentes contra specialem medicorum prohibitionem.*
4. *Medicus si decernat necessariam esse membri sectionem ad vitæ conseruationem, an, & quãdo infirmus possit illam recusare.*
5. *Peccant infirmi Iudæos adhibentes ad eorum infirmitates curandas.*
6. *Peccant proculdubio Religiosi infirmi, expensas plusquam par est in aduocandis medicis insignibus.*

1 PEccant primò infirmi si totam eorum spem ad salutem consequendam ponant in Medicorum industria; & non primò, ac principaliter Deo summo omnium Medico, prospiciendo in primis ad animæ salutem, si grauatam eam noceret aliqua culpa, præsertim mortali: cum sæpè

sæpè infirmitas corporis ex peccato proueniat, dicente Domino: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi cōtingat*, de quo *in cap. cum infirmitas, infra eod. tit. nostro, de pœnit. & remiss.* Vndè *Ecclesi.* meritò legitur: *Fili in tua infirmitate ne decipias te ipsum; sed ora Dominum, & ipse curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.* Et cùm Medicus, & infirmus sint correlatiui, sicut *tex. in d. cap. cum infirmitas*, præcipit Medicis vocatis ad infirmos, vt eos ante omnia inducant ad confessionem, & moneant, vt Medicos aduocēt animarum; ita etiam infirmi si monitis non pareant Medicorum in ijs, quę præsertim pertinent ad salutem animarum, eosdemque despiciant, non sunt absq; culpa, cum periculo se exponant impœnitentiæ, ac desperationis, & periculum mortis facilius incurrant, vt patet ex eodem *tex. in d. cap. cum infirmitas*, in illis verbis: *Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto iacentes, cùm eis à Medicis suaderetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulū incidunt, vndè facilius mortis periculum incurrunt.*

2 Secundò peccant infirmi in eorum infirmitatibus Medicos non aduocantes, cùm possint; & id ob auaritiam, vel propter desperationem, vt citius moriantur: aut adhibitos eorum præcepta non seruantes, ac nociua notabiliter sumentes. Etenim ait *Eccles. d. cap. 38. Da locum Medico: etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te; quia opera eius sunt necessaria.* Dixi, *Ob auaritiam, vel propter desperationem*, quia facerent contra charitatem, qua vnusquisque debet vti erga seipsum, & propriam personam; nam ob id ait *tex.* & ibi *Glosa in l. Præses, C. de seruit, & aqua*, quòd omnis ordinata charitas incipit à seipso, ad quod facit etiam *tex. in cap si nō licet, 22. q. 5.* Vndè ob desperationem quoque qui recusat aduocare Medicum, vt ex sua infirmitate moriatur, non minus peccat, quàm qui id agit propter auaritiam: cùm sit homicida sui ipsius: quod verū puto etiam si infirmus ex ignorantia putet posse non aduocare Medicum, vt moriatur ad vitandum aliquod magnum malū, quod sibi imminet in bonis, in honore, vel etiam in corpore: quoniam non datur ignorantia inuincibilis, qua quis excusetur ab homicidio sui ipsius, vt habetur ex *Caiet. 2. 2. q. 124. ar. 5.* Sed re vera quoad hanc ampliationem opposita sētentia nobis videtur uerior, atque ideo, posse dari ignorātiam inuincibilem excusantem ab homicidio sui ipsius ad vitandam maximè ignominiam, vel seruandam castitatem. Vndè non desunt, qui velint, Lucretiam Romanam ex capite ignorantiæ fuisse excusatam à lethali culpa, eò quòd seipsam interemit ad effugiendam infamiam, vt habetur ex *Molina tomo 4. de iust. & iure, tr. 3. disp 9 num 5.* cum alijs, quos refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. moral. tr. 4. resol. 30.* Cæterum semper peccat mortaliter, qui causa est propriæ mortis, nisi ex inuincibili ignorātia excusetur. His adde ea, quæ latè habentur ex *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 9. dub. 6.* & alios, quos refert *Diana loc. cit. resol. 31.* vbi rem hāc sufficienter explicat.

3 Tertiò peccant infirmi aquam bibentes in notabili quantitate, & alia nociua scienter, aut ex ignorātia crassa sumentes contra specialem maximè Medicorum prohibitionem, vt per *Innoc. in d. cap. tua nos, de homicidio, D Anton. 3. par. tit. 7. cap. 2. §. 4. vers. Si autem quæritur, Tab. in sum. ver. Medicina, & alijs*: quod tamen verum est, quando infirmi transgredientes Medicorum præcepta modo supradicto, putarent notabile detrimentum indè fore passuros: nam tunc peccarent mortaliter; secus si crederent inde ipsis prouenturum nocumentum leue; quoniam tunc non peccarent plusquam leuiter. Etenim quamuis bonum sit Medicis fidem adhibere; quia vnicuique experto in propria arte credendum est; nihilominus non tenetur infirmus obedire Medico ex præcepto; quoniā non est ipsius Prælatus, vt per Doctores supracitatos. Hinc sequitur, quòd quamuis Medicus decernat secundum artem medicinæ necessariam esse infirmo ad cōseruationem eiusdem vitæ sectionem membri; si tamen ex causa talis sectionis essent ingentes cruciatus tolerandi; potest infirmus sectionem recusare, estò quòd credat se moriturum citra

4 eiusmodi sectionem: nec posset ad hoc cogi, etiā si Religiosus esset, & a Prælato sibi præciperetur: siquidem nemo tenetur cum tanto cruciatu vitam suam seruare, vt habetur ex *Azor. par. 3. lib. 2. cap. 3. q. 12 Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 9. dub. 14 num. 96. Molfes. par. 1. sua sum. tr. 11. cap. 19. num. 170.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Diana par. 5. resol. moral. tr. 4. resol. 32.* qui tamen id limitant non procedere, quando Medici iudicarent, sectionem esse necessariam ad vitæ conseruationem, nec magni dolores sint perferendi: aut vita talis infirmi necessaria esset pro bono communi: tunc enim citra culpam nō posset recusare sectionem membri, etiam si eum oporteret pati ingentes cruciatus. Etenim si pro defensione fidei tenetur quis mortem subire, vt tot millia millium martyrum subierunt: & miles non potest deserere stationem cum periculo communi, etiam si certus sit esse occidendum, vt probat *Less loc. cit. dub. 6.* multò magis debet infirmus pati membri sectionem ad conseruationem necessariam propriæ vitæ pro bono publico: imo ad id posset à Republica cogi, non obstante ingenti cruciatu, vt per Doctores supcitatos, & præsertim *Diana*, qui refert *Vasq. in par. 2. D. Tho. disp. 162. & Granad. in par. 2. contr. 7. tr 3. par. 1. disp. 9. sec. 5. num 27.* docentes pro bono communi Religionis Carthusianorum, teneri Monachum Carthusianum seruare regulam quoad abstinendum ab esu carnium, etiam cum periculo vitę: quoniam lex humana ob commune bonum potest obligare etiā cum discrimine vitæ. Est tamen verum, quòd secluso scandalo ad necessariam conseruationem vitæ posset talis Monachus citra culpam vesci in carnibus: nec peccaret Medicus, aut quilibet alius, qui Carthusiano ægrotanti, & inscio præberet cibos ex carnibus, vt habetur ex *Victoria relec. de temperantia, num. 8. Lorca in par. 2. disp. 23 de leg. ad 4. exemplum, Montesin tomo 2. in par. 2. disp. 23 q 10. num. 177.* quos refert, & sequitur *Diana d. resol 32.*

5 Quartò peccant infirmi ad eorum infirmitates curandas adhibentes Iudæos; id enim Christianis expressè prohibetur, vt sup. diximus *sec. 1.*

per

per *tex. in cap. nullus, 28.q.1.* ita se habentem: *Nullus eorum, qui in sacro sunt ordine constituti, vt Laicus azima eorum manducet, aut cum eis habitet, aut aliquem eorum in infirmitatibus vocent, aut medicinam ab eis percipiat, aut cum eis in balneo lauet, si verò quisquam hoc fecerit, si Clericus est deponatur: si laicus, excommunicetur.* Qui quidem *tex.* intelligendus est, vbi Christiani alium Medicum Christianum æquè sufficientem adhibere possunt; aliàs si necessitas vrgeat, & alium Medicum habere non possint, à Iudæis Medicis licitè curationem suscipiunt, vt post alios *Syl. in summ. verf. Medicus, q 2.* Item *tex.* ille loquitur de Iudæis ad fidem Christianã translatis, ne ex Iudæorum consortio subuertantur: quo casu vbi periculum est subuersionis; etiã si necessitas vrgeat, & alius Medicus Christianus non inueniatur, puto licitum non esse Iudæum Medicum, vt supra aduocare: quoniam salus animæ præferenda est corporis valetudini.

6 Quintò peccant proculdubio Religiosi infirmi expensas plusquam par est facientes in aduocandis Medicis insignibus, & in adhibendis pretiosis medicamentis: ac extra claustra de facili degentes in Villas aeris mutandi causa, & ad balnea se transferunt, in graue eorum Monasteriorum damnum, & interesse, & paupertatis voti detrimentum: & eò magis si Religiosi tales sint, qui fortè dum erant in sæculo ad eorundem infirmitates vix ordinarium Medicum adhibentes, pauperum cibis, & medicamentis contenti erant. In hac re Superiores, & Sacerdotes valetudinarij debent præbere humilitatis, & paupertatis exemplum: siquidem à boue maiore discit arare minor. Si enim Clerici, & Conuersi vident Sacerdotes, ac Superiores esse faciles in exquirẽdis exquisitis Medicis, & medicamentis in eorũ infirmitatibus, & ipsi quoque exquirent: & si Superiores, ac Sacerdotes erunt parci, tales etiam erunt Clerici, atque fratres conuersi.

De venditore, & emptore, ac eorum peccatis à discreto, & cauto Confessario, cùm sibi videbitur explorandis.

DISP. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Emptiones, & venditiones apud veteres promiscuè appellabantur, à* Paulo tamen Iurecõsulto *distinguitur emptio à venditione.*

1 QVamuis emptionum, ac venditionum appellationibus promiscuè veteres vterentur, vt in *l. veteres, ff. de action. empt. Paulus tamen Iurisc. in l. 1. ff. de contrahen. empt.* cùm distinguat emptionem à venditione ex eo, quòd prior sit pretij ad merces, & altera sit mercium ad pretium; atque ideò emptor is propriè dicatur, qui dat pro merce pretium; qui verò mercem pro pretio, venditor; idcircò in hac re explicanda, quandoque simul, quandoque diuisim secundum subiectam materiam de emptore, ac venditore tractabimus.

An licitum sit venditori vendere rem maiori pretio quo potest: & emptori licitum sit emere viliori pretio, quo possit.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio affirmatiua, & multis iuribus, ac rationibus probatur, licet aliqui putent vendicare tantum locum in emptione gẽma exquisita, insignis canis, &c.*

2 *Veritas est in contrarium, non solùm in venditione rerum, quæ sunt ad victum necessariæ, sed etiam quæ communes sunt inter magnates cũ iusto pretio tantum vendere, & emere licitum sit.*

3 *Pretium ex Arist. diuiditur in legitimum, & naturale, seu vulgare, & fori, & vtrumque est iustum.*

4 *In quibusdam Ciuitatibus pretium in piscibus taxatur iuxta placitum eos vendentium.*

5 *Pretium naturale, seu vulgare, & fori non definitur attentis rerum naturis, & secundum se sed in ordine ad humanos vsus.*

6 *Proloquium illud (res tanti valet, quanti vendi potest) non est intelligendum simpliciter, sed cum additamento, scilicet, quanti licitè vendi potest.*

7 Tex. in l. in re mandata, C. mandati, *declaratur.*
Et an gemma exquisita, falcones insignes, &c. pretium habeant limitatum.

8 Tex. in l. in causæ la 2. §. idem Pomponius, ff. de minor. *locum sibi vendicat, quoad forum exteriorem, & dummodò pretij deceptio non sit vltra iusti dimidium.*

9 *Plures sunt causæ ob quas interdum licet rem pluris vendere, quam per se alioquin valeret, aut venderetur.*

1 IN hac re pro parte affirmatiua facit *tex. in l. si seruus furtiuus*, & ibi, *Glosa in verf. Inuenerit, ff. de condit. furt. & in l. 1. § si hæres*, vbi etiam *Glosa in verf. Sine hac cautione, ff. ad Senatusc. Trebell.* vbi vulgaris regula traditur, quod res tantum valet, quantum vendi potest; ergo licitum est venditori rem vendere maiori pretio quo potest: & emptori emere rem pretio viliori, quo possit: siquidem illud dici potest iustum pretium; cùm res tantum valeat, quantum vendi potest. Confirmatur, quoniam quilibet est moderator, & arbiter rei suæ, vt in *l. in re mandata, C. mand.* Hanc sententiam quidam putant locum sibi vendicare in venditione gemmæ exquisitę, insignis canis, falconis, auis indicę, picturæ veteris, statuæ antiquæ, & his similium: siquidem hæ res aliud iustum pretium non habeat, nisi illud, in quo contrahentes conuenerint. Non enim habet pretium determinatum auctoritate Principis, nec communi vsu fori; ergò sola voluntate contrahentium. Ita *Sot. lib. 6. de iustit. & iure, q. 2. ar. 3. ad fin. Bann. 2 2 q. 77. ar. 7. in princ. Valent. disp. 5. q. 20. pun. 2. § 3. Ledes. par. 2. sua sum. tr. 8. cap. 32. concl. 5. regula 3. & concl.*

concl.7.difficul.5.Petr.Nauar.lib.3. de restit.c.2.num.11. Ioann. Medina eod.tr.cap.2. Salon. 22.q.77.ar.1.contr.3.& 4.& alij. Denique probatur hæc sententia ex *tex. in l. in causa la 2. §. idem Pomponius, ff. de minorib.* vbi licitum est contrahentibus se inuicem decipere, ergo simpliciter, ac absolutè licitum est venditori vendere rem maiori pretio, quo potest: & emptori licitum est emere viliori pretio, quo potest.

2 His tamen non obstantibus in contrarium est veritas, non solùm quoad emptionem, ac venditionem rerum, quę humanæ vitæ sunt necessariæ; sed etiam quæ communes sunt inter magnates: ac etiam, quæ communes non sunt inter illos, vt sunt rarissimæ gemmæ, insignes falcones, & alia, de quis supra diximus. Ita *Rebell. de oblig. iust. par 2. lib. 9. q. 2. sec. 2 num.* 10. *ad* 2. dicens, oppositam sententiam communi aduersari, & ante victoriam fuisse inauditam, nec esse recipiẽdam, *Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 21. dub. 3. Molina eod. tr. tom. 2. disp. 348. Aragon. 22. qu. 77. ar. 1. §. Hucusque,* addens contrariam sententiam haud dubiè non esse vsquequaque veram, *Ioann. de Sal. de empt. & vendit. dub. 5. Caiet. 2.2.q.77.ar.1. Gabr. in 4. d. 15. Nauar. in Man. cap. 17. num. 28.* cum alijs quos allegant. Et hanc opinionem communiter sequi ab omnibus, testatur *Diana par. 1. resol. moral. tr. 8. resol. 56.* licèt ipse oppositam sequatur, atque ideò non est licitum venditori vendere rem maiori pretio, quo potest: nec è contra emptori emere viliori; sed iusto tantùm pretio. Probatur hæc sententia quoad omnium rerum emptiones, ac venditiones ex eo, quòd emptio, seu venditio est essentialiter permutatio: siquidem eiusmodi contractus est commutatio mercis cum pretio, seu pretij ad rem: nam emptor dat rei pretium; venditor verò rem, seu mercem, vt in *l. 1. ff. de contrah. empt.* Vndè sicut commutatio rei ad rem, quæ est formaliter permutatio, pertinet ad iustitiam commutatiuam, & per consequens æqualitatem exigit in æstimatione, ac bonitate rerum commutatarum: ita etiam emptionis, ac venditionis contractus cùm pertineat ad iustitiam commutatiuam æqualitatem expostulat inter rem, & pretiũ in æstimatione, ac bonitate, ita vt tanti æstimetur res vendita, quanti pretium illius, & res non excedat in bonitate, ac valore pretium, nec excedatur ab illo: propter quam æqualitatem pretiũ dicitur iustum, & contractus iustus: iustitia enim consistit in æqualitate; Hinc *Arist. 1. Magno moral. cap. 34.* ait: *Quod iustum est, æquale est.* Non igitur vendi potest res, nec emi pretio ad libitum contrahentium, sed pretio iusto.

3 Ad explicandam autem pretij rerum venaliũ iustitiam, est adnot. quòd pretium ex *Arist. 5. Eth. cap. 7.* & ex communi Doctorum sententia diuiditur in legitimum, & in naturale, seu vulgare, ac fori; & vtrumque est iustum. Etenim legitimum pretium dicitur, quod lege Principis, vel Reip. aut eorum auctoritate taxatum est. Naturale verò, seu vulgare, & fori est, quod citra humanam legem ex rerum naturis, conditionibus, & circumstantijs consurgit, & à vulgo, seu foro definitur, vt benè explicatur per *Molin. tomo 2. de iustit. & iure, disp. 348. Less eod. tr. lib. 2. cap 21. dub. 2. Nauar. in Man. cap. 23. nu. 78. Medin. C. de restit. q. 31. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 3. in princ. Ioann. de Sal. in suo tr. de empt. & vendit. dub. 4. Syl. vers. Emptio, §. 7. Tolet. in suo lib. de sept. peccat. mort.* & alios: qui discrimẽ ponunt inter hæc duo pretia; dicentes, quòd primum, & sic legitimum consistit in indiuisibili, & aliquando taxatur in vtilitatem ementium; & tunc non licèt pluris vendere, licèt possit minoris emi, vt quando taxatur, ac definitur pretium in frumento: quandoque taxatur in vtilitatem vendentium, & tunc non licèt rem minoris emere, quamuis possit pluris vendi, vt quando taxatur pretium censuum, vt rectè declarat *Ioan. de Sal. loco citato, num* 1. qui addit pretium interdum taxari in vtilitatem vtrorumque, quo casu inquit, non esse licitum rem pluris, aut minoris emere, aut vendere ponens exemplum in taxatione pretij in vino: quod nobis non videtur verum: nam pretium in vino taxatur in fauorem ementium; sicut prer um in pane, & in alijs rebus comestibilibus. Est tamen verum, quòd in

4 quibusdam Ciuitatibus ipse vidi ab eorum Rectoribus taxari pretium in piscibus iuxta placitum eos vendentium, sub pœnali tamen lege, vt eosdem non possint vendere non modo pluris, sed nec quidem minoris: quæ quidem taxa sub tali lege, proculdubio facta censetur, tum in bonum vendentium, tum etiam in bonum ementiũ pisces: nam tunc per eiusmodi taxam, & legem obuiatur fraudibus, quæ in his rebus fieri solẽt, tam ab ementibus, quam vendentibus; ita vt pisces iusto pretio vandantur: & propterea tam à venditore, quàm ab emptore citra culpam non violatur. Quod legitimum pretium iustum censeri debeat, ac præsumatur, patet: siquidem quod potestas publica ex officio statuit, non potest à subditis in dubium reuocari: eo magis, quia Superiores possunt melius alijs cunctas circumstãtias nosse, ex quibus æstimatio rerum crescit, aut decrescit: quarum quædam pertinent ad merces ipsas, vt copia, vel inopia; necessitas, & vtilitas earum: quædam circa venditores, vt labores, expensæ, pericula, damna in mercibus comparandis, adducendis, ac conseruandis; ac vendendi modus; nempè, an vltrò offerant, vel rogati vendant: quædam denique respiciunt etiam emptores, vt si multi sint, vel pauci; & pecuniæ copia, vel inopia. Hæc omnia consideranda sunt in taxando legitimo, ac iusto pretio, vt declarat *Less. d. dub. 2. sub num. 7. & 8.* Quòd si à potestate publica non considerentur, sed spe munerum, aut odio venditorum, vel crassa ignorantia pretium legitimum iniustè fuisse taxatum manifestè constet, tunc an illi standum sit, suo loco, Deo duce, dicemus.

5 Naturale verò pretium, seu vulgare, & fori nõ definitur, attentis rerum naturis secundum se; sed in ordine ad humanos vsus, vt habetur ex *Ioann. de Sal. loco citato, num. 2.* Vndè eiusmodi pretium dicitur naturale, &c. tanquam à naturali prudentia constitutum in ijs rebus, quibus à publica potestate pretium non est impositum, communi hominum intelligentium æstimatione. Fit autem communis æstimatio, pensatis supradictis cirumstantijs, vt per *Nauar. d. cap 23. num. 78.* & alios Doctores supra relatos; qui legitimum pretium volunt constitui in indiuisibili, vt supra ostendimus: at naturale, seu vulgare pretium non item; sed consistit in diuisibili, &

habet

habet latitudinem, ita vt diuidatur in rigorosũ, medium, & infimum. Etenim legitimum pretiũ idcirco est indiuisibile, quoniam ab vno tantùm constituitur, vel à multis in vnum conuenientibus. Naturale verò pretium, seu vulgare, seu fori ideò diuisibile est, quoniam à plurimorum iudicio pẽdet, qui non idem omninò iudicant: siquidem quod quidam æstimant nouem, quod supponimus infimum pretium; alij æstimant 10. quod est medium; & denique alij 11. quod est rigorosum, hinc fit, quòd pretium naturale, seu vulgare, & fori iustum est triplex, nempè rigorosum, medium, & infimum. Et quamuis vltra pretium legitimum non possit aliquid percipi; sed perceptum veniat restituendum: nihilominus naturale, seu vulgare satis est si non excedat rigorosum, medium, aut infimum; quòniam omnia hæc pretia sunt iusta, vt post *Sotum*, & alios ostendit idem *Less. d. dub. 2. num. 9. cum plur. seq.*

Restat modo, vt ad contraria respondeamus.

6 AD primum ex *l. si seruus furtiuus*, & ex *l. 1. §. si hæres*, respondetur, quòd proloquium illud, *Tantum valet res, quantum vendi potest*, non est intelligendum simpliciter, sed cum aliquo additamento; nempè vt res tantum valeat, quantum vendi potest, scilicet, licitè, atque ideò intra limites iusti pretij, vt rectè inquit *Henriq. quodlib. 1. q. 40.* item res tantum valet, quantum vendi potest, secluso videlicet dolo, fraude, ignorantia, violentia, & necessitate: Siquidem si aliquid horum non interueniat, non dabit emptor pro re plusquam valet; nisi volendo donare excessum, ut rectè post alios declarat *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 5. sub num. 6.* Quę quidem donatio non præsumitur, cùm nemo pręsumatur iactare suum, *l. cum de indebito, C. de probat.* & in casu nostro etiam quoad venditionem gemmę exquisitę, & aliarum rerum similium, non potest dici, excessum illum pretij percipi titulo donationis; nam *Salas ibi sub num. 5.* ex *Less. ac Rebell.* inquit, quòd emptor non intendit donare, sed emere: nec venditor acceptat, vt donatum, sed exigit, vt debitum: vndè illud excessum dat emptor ex inconsideratione, passione, animi leuitate, aut nimio, & temerario affectu ad rem illam, atque ideò excessus eiusmodi est restitutioni obnoxius, vt habetur ex *Conrado de contr. qu. 57. Angel vers. Emptio, §. 17. Medina de restit. qu. 32. §. Circa Tertium*, & ex alijs apud *Sal loco citato*. Est tamen verum, quòd si venditor rei vẽditæ valdè afficiatur, tunc potest hunc suum affectum æstimare, vt inquit *Nauar. in Man. cap. 23. num. 83.* quem refert, & sequitur *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 5. num. 17.* & addit id verum esse, dummodò bona fide id agatur.

7 Ad confirmationem ex *tex. in l. in re mandata*, dicitur, legem illam non facere ad rem nostram: siquidem non loquitur de æstimatione rebus imponenda, sed tantum denotat, quemquam pro suo arbitratu de rebus suis posse disponere, etiam in suum incommodum, mandatarium autem non posse.

Ad rationem, in qua fundãtur Doctores prioris sententiæ circa venditionem exquisitæ gemmæ, & aliarum rerum similium: eo quòd non habeant pretium taxatum à lege, nec à communi hominum æstimatione, respondetur, quòd non benè ex hoc deducitur pretiũ ex sola opinione contrahentiũ cõstituatur: quoniã res istæ pariter suum limitatum habent pretium, attentis circũstantijs, quas supra retulimus, siquidem valor omnium rerum venalium firmatur in ordine ad humanos vsus, quarum vtilitas, cùm sit limitata, earum pretium erit quoque limitatum, vt habetur per *Ioan. de Sal. Less. & alios Doctor.* quos supra citauimus.

8 Ad vltimam rationem desumptam ex *tex. in l. in causæ, la 2. §. idem Pomponius. ff. de minor.* dicimus ex communi omnium sententia, legem illam locum sibi vendicare, quoad forum exterius, & dummodò deceptio in pretio non sit vltra eius dimidium, vt in *l. 2.* & ibi latè *Bart. C de rescind. vend.* Cæterum attento foro interiori, res vendi, ac emi debet iusto pretio, & non permittitur deceptio, nec in minimo quidem quadrante, cum talis deceptio esset contra iustitiam commutatiuam, per quam decipiens restitutioni efficitur obnoxius, vt supra declarauimus, & habetur communiter ex *Doctor.* post *D. Thom.* nẽpè *Ioann. Medin. q. 32. D. Anton. 2. p. suæ summ. tit. 1. cap 16. § 3. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 4. num. 11. Nauar. in cap. nouit, de iudic. not. 6. num. 54. Ioan de Sal. de empt. ac vend. dub. 26. num. 6. & dub 27. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 4. sub num. 21.* vbi ex hoc inquit falli *Gerson. opusc de contr. par. 2. propos. 11.* dum ait, eiusmodi decipientem peccare quidem; sed non teneri ad restitutionem, eo quod scienti, ac volẽti non fit iniuria: siquidem deceptus non est absolutè volens, sed sicut is, qui soluit vsuras: & si talis deceptio est peccatum, proculdubio est cõtra iustitiam commutatiuam, quæ ad restitutionem obligat. Ita supra relati Doctor. cum alijs, quos allegant, & nos latius, suo loco, Deo duce, dicemus.

9 Non tamen negamus quin plures sint causæ, ob quas liceat interdum pluris rem vendere, quàm per se ipsa alioquin valeret, aut venderetur. Etenim ratione officij mercandi possunt mercatores paulò pluris rem vendere, quàm ab alijs vendi soleat. Item ratione lucri cessantis, aut damni emergentis: ratione laborum, ac expensarum in mercibus conquirendis, & asportandis, ac conseruandis: ratione copiæ emptorum, & pecuniarum, ac penuriæ mercium: si rem quis vendat gratia emptoris, aliàs non venditurus, vt rectè declarat *Less d. dub. 4. nu. 24. cum plur. seq.* qui è contra à *num. 32. ad 38. inclusiue* recenset plures causas, ob quas emptor potest emere rem minoris, quàm aliàs valeret, vt si res emptori esset parum vtilis, eamque emptor in gratiam venditoris emat: si rogetur emere, aut auctoritate publica vendatur: si plures sint merces, & pauci emptores: si magna simul copia mercium comparetur, vt de his omnibus latius, Deo fauente, tractabimus: quibus adde, quæ cumulat *Diana par. 1. resol. moral. tr. 8. resol. 25.*

An licitum sit rem carius vendere dilata solutione, aut vilius emere anticipata.

S E C. II.

SVMMARIVM.

1. *Affertur opinio* Medinæ *inclinantis in affirmatiuam sententiam, & quare.*
2. *Per se, & simpliciter loquenda vera est contraria sententia, cum vsuram dicantur committere, tam carius vendens dilata solutione, quã vilius emens solutione anticipata.*
3. *Est illicita talis emptio, vel venditio in præiudicium iusti pretij; secus infra latitudinem ipsius iusti pretij.*
4. *Ratione lucri cessantis, & damni emergentis vendi potest supra rigorosum pretium dilata solutione, & emi minus infimo pretio solutione anticipata.*
5. *Ratione periculi sortis, cui venditor vendens pecunia credita, vendere licitè potest rem supra rigorosum pretium.*
6. *Vendentes merces quasdam, quæ non nisi credito venduntur distrahi possunt supra iustum pretium.*
7. *Affertur responsio ad tria contraria sententia affirmatiua.*

1 IN hac re *Medina de restit. q. 38. caus. 3. & 4.* in affirmatiuam sententiam videtur inclinare, motus ex eo, quòd pecunia credita non sine laboribus, & expensis sæpè exigitur: semper pecunia præsens plus æstimatur: rem melius est habere, quàm actionẽ ad eã: præterea pecunia credita exponitur perdendi periculo; non fructificat credenti, cùm possit; sed potius debitori: ipsique per eam obsequium defertur: quæ omnia sũt pretio æstimabilia; ergò licitum est rem carius vendere dilata solutione; & vilius emere anticipata. Deinde probatur hæc sententia ex nonnullis Castellæ locis, in quibus lanæ vilius emuntur anticipata pecunia; & carius venduntur dilata solutione, ibidem, & in varijs, ac diuersis Prouincijs: & tamen eiusmodi emptiones, ac venditiones iustæ, ac licitæ à Doctoribus iudicantur: est ergò licitum carius uendere dilata solutione, & uilius emere anticipata. Fauet eidem sententiæ *tex. in cap. in Ciuitate, de vsur.* ubi decernitur, aromata, quæ ad numeratum uenduntur quinque, posse uendi sex ad creditum.

2 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam dicimus esse ueram per se, ac simpliciter loquendo ob creditam, aut anticipatam pecuniã absolutè; quam docet *D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 2. ad 7. Molin. tom. 2 de iust. & iur. disp. 355. Less. eod. tr. lib. 2. cap. 21. dub. 6. Rebell. de oblig. iust. lib. 9 q. 11. par. 2. Salas de empt. ac vendit. dub. 41.* cum alijs, quos allegant. Et Canonistæ communiter in *cap. nauiganti, de vsur.* Etenim his casibus, tam carius vendens dilata solutione, quã vilius emens anticipata, dicuntur vsuram committere: eo quod lucrum percipiunt vltra sortem ex mutuo, ac in pretium mutui: siquidem perindè est, ac si venditor merces emptori vendidisset, prout tempore venditionis venderentur: Verùm, quia emptor tunc temporis soluendo non est, pretium mercium eidem emptori censetur mutuasse sub illo lucro supra iustum pretium. Sic etiam emens vilius iusto pretio ob anticipatam solutionem, censetur quoque ex mutuo palliato lucrum accipere: nam perindè est, ac si solutionẽ prædictam mutuo dedisset vsque ad tempus traditionis mercis sub illo lucro vilius iusto pretio. Ita *Less. loco citato, dub. 6. & 7.* & alij: & in specie est, *tex. in cap. consuluit, de vsur.* ita se habente: *Et an negotiator pœna consimili debeat condemnari, qui merces suas longè maiori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persoluatur.* Dixi, *Ob creditam, aut anticipatam pecuniam, absolutè*, quoniam dilata, vel anticipata pecunia contracta emptio, seu venditio per se sola non est satis ad augendum, aut diminuendum rei pretium, vt supra diximus, & contra id docẽtes arguit *Molina par. 2. de contr. disp. 357. num. 1.* & est *tex.* in terminis *in d. cap. consuluit, de vsur.*

3 Est tamen verum, quòd hæc ipsa sententia multipliciter limitatur. Nam dum conclusimus non posse vendi carius ob dilatam solutionem, nec emi vilius, anticipata solutione, id intelligẽdum est, in læsionem, & præiudicium iusti pretij; secus autem si carius, aut vilius vendatur infra latitudinem ipsius iusti pretij: siquidem vendentes dilata solutione pretio rigoroso, & emẽtes anticipata pecunia, pretio infimo, iustè emũt, sicut si emerent medio, quia dicuntur emere iusto pretio: non tamen possent vẽdere ob dilatam solutionem supra rigorosum pretium: aut emere anticipata pecunia minus infimo pretio: nam his casibus emerent, & venderent iniusto pretio, vt patet ex Doctoribus supracitatis: qui id ampliãt, etiam si tempore solutioni destinato, res sit plus valitura, nisi venditor esset in id tempus seruaturus, vt cum communi inquit *Ioan. de Salas* post *Sot. Less.* & alios *d. dub. 41. sub num. 5.* Etenim eo ipso, quòd res traditur pretio credito, fit emptoris; ergo si crescit eius pretium, crescit emptori; atq; ideò venditor non potest quicquam pro eo incremento exigere, nisi ipse rem esset seruaturus.

4 Secundò limitatur eadem conclusio, vt quamuis non possit res vendi supra rigorosum pretiũ ob solam dilatam solutionem: nec emi minus infimo pretio ob solam solutionem anticipatam; quoniam dilatio solutionis, seu eiusdem anticipatio, est implicitum quoddam mutuum, pro quo nihil potest percipi vltra sortem, vt *in d. cap. consuluit, de vsur.* nihilominus res ipsa potest dilata solutione vendi supra rigorosum pretium, aut emi minus infimo pretio anticipata pecunia, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ratione lucri cessantis, cum res tempore celebrati contractus valet, v. g. 10. & tempore solutionis creditur valitura plus, minusque quam 12. tunc enim vendi potest credito 12. si venditor rem ipsam erat seruaturus vsq; ad illud tempus; quoniam eo casu non ratione dilatæ solutionis, sed ratione lucri cessantis tanti vendit, cùm etiam præsenti pecunia potuisset tantidem vendere, vt est *tex. in cap. in Ciuitate, de vsur.* & probant *Less. d. dub. 6. sub num. 52. Salas, & alij.* Confirma-

matur, quia licet ex mutuo non possit aliquid percipi vi mutui vltra sortem; attamen ratione lucri cessantis potest id percipi, & pacisci ab initio contractus, etiam si mutuans vi, aut dolo nõ fuerit inductus ad mutuandum; sed spontè mutuauit, vt habetur per *Couar. lib. 3. var. resol. cap. 4. Nauar. in Man. cap. 17. num. 211 & de vsur. num 43. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 20. dub. 11. sub num. 79. in fine, & nu. 80. Salon. in 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 9.* & alios quamplurimos: ergo idem dicendum est in casu nostro, quoniam vẽditio dilata solutione inuoluit mutuum implicitum, vt sup. declarauimus: & quamuis plures cõditiones exigantur ad percipiendum incrementum illud supra iustum pretium, aut minus infimo; nihilominus non requiruntur tot conditiones, quot *Nauar.* exigit; sed pauciores, vt rectè probant *Salon. loc cit. & Less. vbi sup. à nu. 84. cum plur. seq. & cap. 21. dub. 7.*

Ratione verò damni emergentis vendi potest res pluris iusto pretio rigoroso, & emi minoris iusto infimo, cùm venditor v.g. ob dilatam, aut emptor ob anticipatam solutionẽ patiuntur aliquod damnum, vt quia non potuerint eorum domus reficere, quæ minabantur ruinam, aut vsuras soluerint eorũ creditoribus, & alia eiusmodi damna fuerint passi; quia ratione damni emergẽtis licitè percipi potest ex mutuo incrementum aliquod vltra sortem, sicut ratione lucri cessantis, siue mutuum sit coactè, siue spontè factum, arg. *tex in l 3. §. fin ff. de eo quod cer. loco, Glos in cap. conquestus, de vsur. Nauar. in cap. si fœnerauerit 14. q 3. num. 41.* latè *Conrad. de contr q 30. concl. 2. Molina tomo 2. de iust. & iure, disp. 315. Salon. d. q. 78. contr 8 & 9. Less. d. cap. 20 dub* 10. & alij Doctores communiter. Est tamen verum, quòd vt exigi, ac pacisci possit eiusmodi interesse, præfati Doctores, & præcipuè *Less. d. dub. 10. num. 73. cum pluribus seq.* tres conditiones exigunt, quarum prima est, vt mutuum sit causa damni, sine qua non eueniret. Secundò, vt mutuatarium illius damni admoneas, ne illum decipias: quoniam forsan nollet mutuum, seu pretij dilationem cum tanto onere. Tertiò, vt non cogas illum pacisci de periculo damni potiusquam de damno; sed dimittas eiusdem arbitrio.

5 Tertiò limitatur ipsa conclusio, vt licèt citra culpam quis non possit vendere supra rigorosũ pretium rem dilata solutione; sicut nec emere anticipata pecunia minus infimo; potest tamen illam vendere, aut emere vt supra ratione periculi sortis, cui exponitur venditor uendens pecunia credita, aut emens pecunia anticipata, ut contra *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 4. ar. 1. ad 2. Nauar. in Man. cap. 23. num. 81.* & alios docet *Med. de restit. cap. 38. §. ad tertiam causam, & in 4. causa, Petr. Nauar eod. tr. lib. 3 cap. 2 par. 1. dub. 11. §. vna hac, num. 105. & seq. & par. 2. dub. 10 cap. 3. num. 342. Molin. tom. 2. de iust. et iure, disp. 304. & 356. Less eod. tr. lib. 2. cap 21. dub. 6. & cap. 23. dub. 4. num. 43. Salon. in 2. 2. q 78. ar. 2. contr. 26. Cord. in sum q 84. §. Tanpoco se iustifica, Emanuel Rodriq. par 2. sua sum. cap. 83. num. 3.* & alij, quos refert, & sequitur *Sal. in suo tr. de empt. & vendit. dub. 41. num 5. & 6.* Etenim exponere se tali periculo, est pretio æstimabile: ob id enim fideiussos ratione fideiussionis potest incrementum aliquod stipulari, ut per *Less. loc. cit.* & alios. Verum tamen est, quod periculum debet esse verum, non autem fictum: nec venditor cogere potest emptorem; vt se potius, quàm alium pro periculo prestando accipiat: neque posset plus exigere, quàm ipse libenter alteri daret ad simile periculum redimendum, si nec esse foret: & tandem significandum est emptori, quo titulo tantum exigat; maximè si dubium sit, an illi placeat: nam fortè nollet eo titulo aliquid dare. Ita *Less. vbi supra, nu. 55.* His adde, quæ Nos adnotauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B Pij V de camb. §. 1. q. 17 num. 6. & 7.* vbi egimus de dantibus ad cambium, vel ad censum personæ adeò inopi, vt probabili se exponant periculo amittendi pecuniam, quam ad cambium, vel ad censum dederunt. Quæ diximus de exponentibus se periculo amittendi pecuniam creditam, vt supra, extendimus ad exponentes se periculo probabili subeũdi labores, & expensas in recuperanda ipsam pecuniam creditam, vt habetur ex *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 41 sub num. 5.* & alijs apud *Less. d dub. 6. num 54.*

6 Quartò limitatur dicta conclusio, vt locum non habeat in vendentibus merces quasdam, quæ non nisi creditò venduntur, seu ad terminos vendi solent; tunc enim supra iustum pretium distrahi possunt, quo pretio non venderentur numerata pecunia, vt sunt merces, quæ ingenti copia ex India, ac ex alijs locis deferuntur, & mox creditò distrahuntur in varios mercatores, qui ad diuersa loca eas mittunt præsenti pecunia uendendas. Iste enim vendendi modus credita pecunia, est in causa, vt plures emptores concurrant ad emendum eiusmodi merces, atque ideò, vt carius distrahantur, cùm eorum copia pretiũ minuat, ut sup. declarauimus *sec. praced.* & latè *Less. d. dub. 6.* & Nos latiùs paulò infrà dicemus in solutione contrariorum.

Restat modo, vt contraria soluamus.

7 AD primum concedimus, quòd vbi adest probabile periculum amittendi pecuniã creditam, aut solutam anticipatè, aut eam non sine magnis laboribus, & expensis recuperandi, posse rẽ creditò vẽdi supra rigorosum pretium, aut emi minus infimo, vt sup. ostẽdimus *limit. 3.* cæterum ob solam creditam pecuniam, aut anticipatè solutam, non possunt contrahentes iustum rerum pretium alterare.

Ad secundum patet responsio ex *quarta limit.* Siquidem tanta copia lanarum non potest vendi nisi dilata solutione, & emi nisi pecunia anticipata. Vndè illud dicitur iustum pretium talium mercium, quo venduntur dilata solutione, aut emuntur anticipata pecunia, vt rectè declarant *Molina tomo 2. de iust. & iure, disp. 360. Less. eod. tr. lib. 2. cap. 21. dub. 7. Sot lib. 6.* pariter *de iust. & iure. q. 4. ar. 1. ad 4 Cord. in sua sum. q. 85. & Ioan. de Sal de empt. & vend. dub. 43.*

Ad *tex. in d. cap. in Ciuitate, de vsur.* dicimus, illud loqui de eo, qui rem erat seruaturus, meritò ibi decernitur, aromata, quæ ad numeratum

vẽduntur quinque, posse uendi sex ad creditum; nam illud incrementum percipit ratione lucri cessantis, iuxta ea, quæ sup. adnotauimus *in 2. limitat.*

An venditor teneatur rei defectus, & vitia manifestare; & emptor eiusdem occultas virtutes exponere.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *In re vendita triplex vitium adesse potest: in substantia scilicet, quantitate, & qualitate.*

2 *Affertur opinio negatiua, sed contraria est regulariter vera.*

3 *Vendens rem vitiosam scienter, eiusque vitia occulta non manifestat emptori, peccat contra iustitiam.*

4 *Siue vitium sit in rei substantia, siue in quantitate, siue in qualitate, semper peccat venditor contra iustitiam, nõ manifestando vitium emptori.*

5 *Vendens scienter rem vitiosam non manifestato vitio, non solum peccat, sed etiam re integra tenetur emptorem monere, vt contractum rescindat.*

6 *Peccat venditor contra iustitiam non manifestans rei vitia, quamuis emptor non petat vitia sibi explicari.*

7 *Si venditor scienter non manifestet, aut occultet vitia rei venditæ, & emptor non fuisset aliter contracturus, contractus erit inualidus.*

8 *In omnibus casibus, in quibus dolus dat causam contractui, siue verbis, siue facto dolus fiat non manifestando, scilicet, rei venditæ vitia, non solum peccat venditor, sed ad omnia damna tenetur inde secuta.*
Quid si tempestiuè emptorem admoneat de rei vitijs.

9 *Venditor citra culpam rem vendit non manifestatis vitijs emptori, si vendat iusto pretio, et res emptori noxa non sit, sed vtilis.*

10 *Procedit hæc limitatio in qualibet vendente vnam rem pro alia æquè bonam, & iusto pretio.*

11 *Extenditur, etiam in vendẽte rem minori quãtitate pro maiori, sed iusto pretio.*

12 *Venditio nulla rei noxiæ, & inutilis emptori vitia ignorãti, quã si sciuisset, non fuisset empturus, erit solum nulla in fauorem emptoris, quamuis dolus propriè in ea non interueniat.*

13 *Vendens rem vitiosam, & non manifestãs eiusdem vitia occulta tanto pretio, quãto si vitiosa non esset, non solum peccat mortaliter, nisi leuitas materiæ, ignorantia, vel inaduertentia illum excuset, sed etiam fit obnoxius restitutioni.*

14 *Vendens rem manifestè vitiosam, si iusto pretio vendat, non peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur.*

15 *E conuerso peccat emptor si rem emat, & venditori nõ explicet virtutes rei emptæ, nec pretium augeat.*

16 *Sciens valorem gemmæ, illamq; emat à rustico ignorante eius valorem, & vt habeat tuta cõscientia, petat à venditore remissionem eius, quo plus valeat, adhuc tenetur manifestare valorem, nec ei proderit remissio, & quare.*
Quid si tam venditor, quàm emptor ignorant gemmæ valorem, & quasi fortunæ se committentes, talem remissionem deducant in pactum.

17 *Sciens in aliquo agro esse thesaurum, aut venas metalli, lapidisq; pretiosi, &c potest licitè illum emere eodem pretio quo valeret, si nihil horum ibi fuisset, ab eius Domino ignorante ibi esse thesaurum, venas metalli, &c.*

18 *Sicut venditor ratione vitij sibi soli noti tenetur minuere pretium, sic emptor ratione virtutis tenetur augere pretium. Et quando.*

19 Tex. in l. in causæ, §. idem Pomponius, ff. de minor. *procedit in foro exteriori, & modo deceptio non excedit iusti pretij dimidium, non vero in foro conscientiæ, in quo nulla est licita deceptio.*

1 PRo huius rei explicatione est adnot. quòd in re uendita triplex uitium esse potest, nempè in substantia, quantitate, & qualitate. In substãtia quando argentum reprobum uenditur pro uero. In quantitate, ubi uenduntur decem libræ piscium pro duodecim. In qualitate, cùm uenditur equus cæcus pro sano. In emptore potest dari casus in eo, qui sciens uirtutem gemmæ contra fascinationem, malum caducum, &c. Emat illam à rustico talem uirtutem ignorante multò minoris quàm ualeat. Quæritur igitur an tam uenditor teneatur rei defectus, & uitia emptori manifestare, quàm è conuerso emptor uẽditori rei occultas uirtutes exprimere.

2 In hac re uidetur prima facie negatiuè respõdendum esse; atque ideò nec uenditorem teneri emptori rei uenditæ uitia manifestare, nec è cõuerso rei emptæ uenditorẽ uirtutes ab emptore edoceri. Probatur ex *tex. in l. in causa la 2. §. idem Pomponius, ff. de minor.* ubi habetur, quòd licitum est contrahentibus se ipsos inuicem decipere: ergò nec uenditor tenetur rei uenditæ uitia manifestare; nec emptor rei emptæ virtutes.

His tamen non obstantibus, contrariam sententiam de iure regulariter veram esse arbitror. Est tamen distinguendum de rei virtutibus, ac vitijs, an sint occulta, vel manifesta. Si res ipsa iniusto pretio vendatur, aut ematur; vel iniusto si venditor requiratur pro manifestatione rei vitiorum; & emptor virtutum; & demùm si res vẽdita inutilis sit emptori. His igitur præmissis, sit

PRIMA CONCLVSIO.

3 VEndens rem uitiosam scienter, & eiusdem vitia occulta non manifestans emptori, ipsius rei vitiorum manifestationem, si quæ habeat, exposcenti, peccat contra iustitiam. Hæc conclusio est communis, vt testatur *Less. lib. 2. de inst. & iure, cap. 21. dub. 11. num. 86.* Etenim venditor ex iustitia tenetur rei vitia aperire emptori eorum explicationem expostulanti; cùm ex officio obligetur explicare conditionem rei suæ, quam vendendam exponit, maximè si rogetur ab emptore. Vndè si venditor affirmet rem

uitio

vitio carere, eamq; laudet, cùm tamen occultum vitium habeat, iniuriam infert emptori. Ita *Less. loc. cit.*

4 Ampliatur primò hæc conclusio, vt uenditor peccet contra iustitiam non manifestando vitia rei venditæ emptori expostulanti, vt supra, siue vitium sit in rei substantia, vt si uendat cristallum pro lapide adamantino: siue in quantitate fraudando pondera, & mensuras, ita vt uendat decem cados vini pro duodecim, octo modios frumenti pro decem: siue in qualitate, vt si seruum pro sano vendat, cùm sit infirmus; pro bono cùm sit fur, uel fugitiuus. Etenim his modis omnibus, aut eorum singulis iniuriam venditor infert emptori non manifestando vitia rei uenditæ; ergo peccat contra iustitiam.

5 Secundò ampliatur, vt scienter vendens rem vitiosam, non manifestatis eiusdem vitijs, non solùm peccet; sed etiam si res est integra tenetur monere emptorem, vt rescindat cõtractum si uelit, cùm competat illi actio redhibitoria, vel quanta minoris, ut *in l. Iulianus, ff. de act. empt. & l. 1. ff. de ædil. edic.* quod tamen uerum est, si ex tali contractu notabile incommodum timeretur ipsi emptori, & res alioquin esset sibi inutilis: Secus autem si nullum notabile damnum indè formidatur, & res eidem esset utilis, & iusto pretio uendita; quoniam tunc non teneretur monere emptorem ut supra; nam etsi peccauit, nullum tamen notabile damnum intulit, ut habetur ex *Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 21. dub. 11 num. 89.* quem refert, & sequitur *Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub. 35. sub num. 5. circa fin.* qui addunt, quòd si res non est integra; sed consumpta, ad nihil tenetur uenditor, nisi in pretio fuerit excessus, qui si fuerit, compẽsandus est manifestè, uel occultè. Pro hac eadem re citat ipse *Less. Lopez par. 2. sui instr. cap. 42.* & quamplurimos alios Doctores referentem.

6 Tertiò ampliatur, ut contra iustitiam peccet uenditor rei uitia non manifestans, etiam si emptor aliquando non petat rei uitia sibi explicari; sed rem petat ad certum usum, & ipse uenditor rem illi tradat inutilem, aut parum utilem pro utili, ut si infirmo uendat aromata euanida pro recentibus, semina corrupta pro sanis; tunc emptor etiam si non petat uitia explicari, uenditor eiusmodi rerum uitia non explicans facit cõtra iustitiam, atque ideò iniuria eum afficit non tradendo rem ad petitum vsum deseruientem, sed eundem decipiendo rem inutilem pro vtili vendens. Idem dicendum est, si guttam argenti viui in aures equi infundat, vt excutiat segnitiẽ, & præseferat generositatem: nam facto suo mentitur rei bonitatem, vt rectè inquit *Less. loc. cit. sub num. 87. vers. Pari modo, & num. 92.* vbi addit eodem modo peccare venditorem, si ingenio artis rei vitium texit; aut rem ipsam ponat cum alijs vitio carentibus, vt distingui ab emptoribus non possit. Vide quoque *Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub. 35. sub num. 7.* qui hæc omnia confirmat, & insuper idem ait dici posse de eo, qui sigillum panni melioris in viliori ponit: aut si ueuestiarij scalpant vestes, vt ex rasis videantur pilosæ; hi enim omnes eorum factis rerum bonitatem mentiuntur. In verbis autem rei bonitatem mentitur venditor cùm falsò ait, rem non esse vitiosam, aut vtatur verbis amphibologicis: aut inter multa vitia apertè falsa, occulta vitia numeret, vt sibi vera non credantur, dicens v. g. Vendo tibi hunc equum pro cæco, claudo, mutilo, ventris doloribus elaborante, ac omnibus vitijs affecto, qui tamen ventris doloribus tantùm sæpè torquetur, ut patet ex ijs, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 23. num. 89. Petro Nauar. lib. 3. de restit. cap. 2. dub. 2. nu. 47. Soto lib. 3 de iust. & iure, q. 3. ar. 2. Vega, ver. Emptio, casu 48.* & ex alijs apud *Sal. loc. cit.*

7 Quartò ampliatur, ut uenditor scienter non manifestans, aut occultans ut supra uitia rei uenditæ non solùm peccet, sed etiam, si emptor non fuisset aliàs empturus, contractus esset inualidus: siquidem dolus alterius ex contrahentibus dans causam contractui bonæ fidei irritat contractũ, ut latè probat *Couar. in regula Possessor, 2. par. § sexto, num 6. de regul. iur. in 6.* non tamen ipso iure, ut ipse *Couar* putat, & *Ioan. de Sal. de emp. dub. 35. sub num. 6.* Sed uenit irritandus ad arbitrium decepti tum de iure naturali, tum etiã ciuili, ut post *Ioan. Ignaum in l contractus, nu. 150. ff. de regul. iur.* & alios probabiliter docet *Less. lib 2. de iust. & iure, cap. 17. dub. 5. sub nu. 29. vers. Quod autem, & num. 31. vers. Verùm quidam.* Quæ quidem sententia licèt sit probabilis; attamen quòd contractus sit ipso iure irritus quando est bonæ fidei, & dolus fuit illius causa, est magis recepta: quoniam tunc emptor inuitus, ac inuoluntarius emit; & propterea ipsi fit iniuria: ergo contractus est nullus: sententiæ huic fauent *tex. in l. Iulianus. & l. quæro, ff. de act. empt. & l. 1. & toto tit. ff. de ædil. edic.* ubi emptori conceditur actio redhibitoria aduersus uenditorem scienter, ac dolosè non manifestantem uitia rei uenditæ. Hinc *D. Ambr. 3. de offic. cap. 10.* ait. *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur, ac nisi intimauerit venditor, doli actione vacuantur.* His adde *Panor. in cap. inuictum, de rer. perm.* & alios, quos refert *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 34. sub num. 6.* qui tamen *num. 7. & seq.* hanc opinionem inquit falsam esse, quando venditor nullo mendacio, doloue vtitur, sed merè negatiuè se habet, maximè si aliundè non possit rei suæ iustum pretium consequi, vt habetur ex *Soto lib. 6. de iust. & iure, q. 3. ar. 2. Molina tomo 2. eod. tr disp. 352.* & ex alijs apud eundem *Ioan. de Sal. loco cit. sub num. 7.* qui testatur hanc opinionem esse communem. Dixi, *Si emptor non fuisset aliàs empturus.* quoniam si voluisset quidem emere, sed non tanti, quanti nunc emit; eò quod facilè reperisset illo pretio rem meliorem; contractus non esset inualidus, quoniam dolus non dedit causam contractui; sed tantùm cur pluris emeret: Est tamen verum, quòd venditor eo casu tenetur restituere ex pretio, quanti minoris res emenda fuerat. Ita *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 11. sub num. 87.*

8 Quintò ampliatur prædicta conclusio, vt in omnibus prædictis casibus, & in his similibus, in quibus dolus dat causam contractui, siue dolus fiat verbis, siue facto per venditorem non manifestantem rei venditæ vitia, quæ venditor non solùm peccat; sed etiam tenetur ad omnia damna inde secuta, nisi tempestiuè emptorem admoneat de rei vitijs, vt per *Less. d. cap. 21. dub. 11. num. 88.* vbi hanc limitationem ait esse intel-

telligendam de damnis, quæ probabiliter ex tali deceptione præuideri poterant euentura, vt si oues mormidas vendidit pro sanis, per quas totus grex inficiatur: aut si tigna vendidit vitiosa, vnde domus ruinam fuerit passa, vt *in l. Iulianus, ff. de action. emp. & vend.* quibus adde *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 34. num. 4.* vbi post alios docet, quòd quando venditor probabiliter intelligit emptorem emere ad reuendendum, tunc debet indistinctè manifestare rei vitium, ne emptor rem ipsam reuēdat maiori pretio, quod satis est in tali euentu monere primum emptorem post contractum. Cæterum quando res est periculosa, ait *D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 17. §. 6.* relatus *à Ioan. de Salas loc. cit.* venditorem non satisfacere detegendo vitium emptori, sed debere non vendere rem illam ei, quem nouit sua leuitate non curaturum de periculo; vel ex sua iniquitate iniusto pretio alteri venditurū: quam quidem obligationem esse charitatis tantùm, non autem iustitiæ, ait idem *Salas* ibi, atq; ideò vēditor ex ea non efficitur restitutioni obnoxius ob damna inde secuta emptori: siquidem restitutio non debetur ex violatione charitatis, sed ex violatione iustitiæ, cùm omnis restitutio fiat ratione rei iniustè acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, vt sæpè diximus.

9 Sic ampliata limitatur prædicta conclusio, vt venditor citra culpam possit rem vendere, non manifestatis eius vitijs emptori, quando res ipsa iusto pretio venditur, & non est noxia, sed vtilis emptori, vt habetur ex *D. Thoma quodlib. 2. ar. 10. & 2. 2 q. 77. ar. 3. D. Anton. 2. par. sua sum. tit. 1. cap. 17. §. 6. Vega par. 1. respon. casu 64. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 11. nu. 90.* & ex alijs quamplurimis, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas de empt. ac vendit. dub. 34. sub num. 5.* quam limitationem veram esse inquit *Less. loc. cit. Salas de emp. dub. 35. sub num. 6. vers. Diximus*, & alij, etiam si venditor laudet rem suam supra meritum, vel celet uitium, quod illam non reddat notabiliter minus vtilem ad vsum, cui expetitur, atq; ideò nō censeri irritum contractum, nec teneri ad restitutionem, etiam si emptor alioqui non fuisset empturus; dummodò venditor nullo mendacio, ac dolo notabili vtatur, sed negatiuè se habeat; maximè si aliundè non possit rei suæ iustum pretium habere, vt habetur ex *Soto lib. 6. de iust. & iure, q. 3. ar. 2. Mol. eod. tr. disp. 352 concl. 3. & disp. 353. post 7. concl.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Sal. d. dub. 34. num. 7.* qui testatur hanc sententiā esse communem. Etenim in præfatis casibus non tenetur venditor rei vitium manifestare; sed satis est si iuxta vitij exigentiam in pretio descendat, ne fortè emptor vitij notitia insolentior factus, plus velit de pretio detrahi, quam sit detrahendum. Cùm enim seruetur æqualitas pretij, & detur emptori res innoxia, & pro quantitate pretij utilis, nullam iniuriam ex eiusmodi contractibus dicitur pati emptor. Et re uera hanc limitationem valde rationabilē putat *Less. d. dub. 11. num. 90.* tum quia hæc ferè est consuetudo mercatorum, quæ passim ab emptoribus scitur: tum etiam quòd emptor ob id nō contrahit notabilem læsionem: tum denique, quoniam nimis durum esset, venditorem tam strictè obligare ad omnem vitiorum manifestationē: quod maximè verum esse ait, quando emptor expressè nō rogat de vitijs; sed petit rem bonam, & vtilem sibi exhiberi: aut emptor non explicet se nolle rem emere, nisi careat vitio: alias venditio esset nulla, cum uenditio nō subsistat, vt post *Valent.* & alios docet *Salas d. dub. 34. sub num. 11.* vbi id verum esse inquit, siue uitium sit occultum, siue manifestum, siue graue, siue leue. His adde, quæ habentur ex *Diana par. 1. resol. moral. tr. 8. resol. 39.* & Nos adnotauimus infra *sec. 9. concl. 9.* quæ incipit, *Peccant nonò.*

10 Hanc limitationem extendimus secundum sententiam magis receptam in vendentem vnam rem pro alia æquè bonam, & vtilem ementi, pro iusto pretio. Vt si quis vendat vnam ancillam pro alia æquè bonam, & iusto pretio mediante; vinum Mutinense pro vino Bononiensi ęquè bonum, & vtile emptori: siquidem huiusmodi cōtractus erunt validi, etiam si emptor nō esset aliàs empturus; quia cùm res sit æquè bona, & vtilis ementi, ac concurrat iustitia pretij, irrationabiliter esset inuitus si contractui stare nolit. Confirmatur, quia in prædictis casibus res non est vitiosa in substantia, in pretio seruatur æqualitas, & nullum damnum, aut periculum datur emptori proximo, vel remoto: & si tunc venditor mentiatur, mendacium non est perniciosum, cum nihil damni percipiat emptor; erūt igitur tales contractus validi, atque ideò iusti. Ita contra aliquos docent *Henriq. 2. par. sua sum. lib. 11. cap. 10. §. 3. litt. L. Sanch. tom. 2. de matr. lib. 7. disp. 18. num. 13. Salon. 22. q. 77. ar. 3. controu. 1. Molina tomo 2 de iust. & iure, disp. 353.* & alij, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 35. sub num. 1. & 2.* qui ex *Molina*, & alijs inquit limitationem ipsam verā esse, etiam si res sit aliquantulum deterior, atque ideo contractum adhuc esse validum, ac non esse obligationem manifestandi vitium, vel redhibēdi: siquidem dolus in re modica, & leui non irritat contractum, nec inducit prædictam obligationem, vt habetur ex *Rebell. de oblig. iust. par. 2. lib. 9. q. 9.* qui testatur hanc sententiam esse cōmunem. Hanc eandem limitationem extendunt *Conrad. de contr. q. 54 Salon.* & alij relati à *Ioā. de Salas loco citato, sub num. 3.* in vendentem aurum alchimicum pro naturali: & excusant pharmacopolas dantes vnum pro alio ęquali, vel fere æquali ad medicinam.

11 Hæc eadem limitatio extenditur in venditorē vendentem rem in minori quantitate pro maiori, si seruetur iustum pretium; & si maximè id fiat ex iusta, ac rationabili causa, ut si quis propter iniquitatem Rectorum Ciuitatum merces taxantium minus iusto pretio: aut propter emptorum malitiam conspirationem, non possit eas uendere iusto pretio, tunc citra culpam saltem mortalem potest uenditor merces vendere pretio iusto, non expresso illatum uitio in quantitate, nec est restitutioni obnoxius, etiam si aliquod mendacium dicat; nàm cùm eiusmodi mendaciū non sit perniciosum, pro eo non contrahitur plusquam uenialis culpa. Ita *Conrad. de contract. q. 54. & 55. Medina de restit. q. 34. §. pen. Rebell. par. 2. de oblig. iust. lib. 9. qu. 10. in fine, Molina tom. 2. de iust. & iur. disp 353. in fine, Less. eod. tr. lib. 2. cap. 21. dub. 11. sub numer. 82. Salon. 22. q. 77. ar. 3. Ioan. de Salas de empt. & vend.*

vend. dub. 35 sub num. 4. cum alijs, quos allegant: qui exemplum ponunt in eis, qui mensuras habent dolosas; uel præstanti uino miscent aliud tenue, aut aquam; uel tritico ualdè puro secale; ea tamen moderatione, ut res illæ non fint deteriores, quàm quæ ab alijs passim uenduntur, atque ideò uendantur pretio iusto, ut per *Less. loco citato, num* 83. qui pro eadem sententia citat *Lopez par. 2. sui instr. cap.* 42. & ampliat etiam in eo casu, quo pretium a Rep. est taxatum, contra *Molin. & Rebell locis supra relatis*, quos uidetur sequi, *Ioan. de Sal. d. dub.* 35. *sub numer.* 4. *circa fin.*

12 Secundò limitatur ipsa cõclusio quoad quartam ampliationem, vt quamuis venditio rei noxiæ, vel inutilis emptori, vitia ignoranti, quæ si sciuisset, rem non fuisset empturus, sit nulla; nihilominus dicitur nulla in fauorem emptoris, licèt dolus propriè in ea non interueniat, siue emptor in pretio descendat iuxta exigentiam vitij, siue nõ, ut habetur ex *Molin. to. 2. de iust. & iure disp.* 353. *Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub.* 35. *sub num.* 5. *Lopez de contract. cap.* 43. cum alijs, quos allegant. Etenim contra finem intrinsecum emptionis, & eius naturam est, vt res sint noxiæ, & inutiles emptori, & illum grauét, quod iuuare debuissent: & quòd in eiusmodi uenditione taceantur, quæ de iure naturali ante contractum manifestanda forent: siquidem iniustitia talis contractus tolli nequit, nisi venditor recipiat rem, & pretium reddat. Adde, quòd quamuis res notabiliter sit inutilis ad finem ementis ratione vitij occulti, & pretium receptum sit æquale pro qualitate rei uenditæ commodæ ad alium vsum; adhuc tamen venditor in foro conscientiæ tenetur ad reddendum pretium, & ad recipiendam rem venditam cum fructibus ex ea perceptis, deductis sumptibus, & industria, supposito, quòd emptor stare contractui nolit, ut per eundem *Ioan. de Salas loco cit. & Molin. d. disp.* 353. *ad fin.* qui addunt, quod eo casu si res pereat, venditori pereat; & nihilominus reddere tenetur pretium, solumq; ex ea accipiet si quid ex illa superfit vna cum emolumentis, quæ emptor ex ea percepit, deductis expensis, & ualore industriæ. Exemplum ponitur in uendente vaccam decem aureis, inutilem ad arandam, eo quòd iuncta iugo se prosternit; quæ tamen ad macellum adhuc eisdem decem aureis ualet.

SECVNDA CONCLVSIO.

13 Vendens rem uitiosam, & non manifestans eius item uitia occulta tanto pretio, quanto si uitiosa non esset, non solùm peccat mortaliter, nisi leuitas materiæ, ignorantia, aut inaduertentia excuset; sed etiam efficitur restitutioni obnoxius. Etenim talis uenditor peccat contra iustitiam, ergo contrahit mortalem culpam ex suo genere cum onere restituendi, cùm obligatio ad restituendum proueniat ex uiolatione iustitiæ. Imò quamuis contractus bona fide celebretur, uitio deindè cognito debet restitui pretij excessus. Ita *D. Tho. 2. 2. q. 77. ar. 2. & 3. Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 21. dub. 11. nu.* 82. *& Salas de empt. & vend. dub.* 34. *num.* 2. Est tamen uerum, quòd si uinum u.g. mixtum aqua, aut alio leuiori uino, si ex admixtione non fieret deterius alio, quod alij eodem pretio uenderent, tunc licitè posset eodem pretio uendi; etiam si habeat pretium legale taxatum, ut ex *Less.* supra adnotauimus *concl. 3. lim. 1. in fine*, contra *Ioan. de Salas d. dub.* 14 *sub num.* 2.

TERTIA CONCLVSIO.

14 Vendens rem manifestè uitiosam, si iusto pretio uendat, non peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur. Etenim uenditor non tenetur manifestare rei uitia ex se manifesta, dum emptor ipse uidere ea possit, ut habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 77. ar. 3. ad 1. Nauar. in Man. cap. 23. num. 89. Gabr. in 4 d. 15 q. 10. ar. 3. dub. 1. & alij.* Quod uerum putant *Sot. lib. 6. de iust. & iure q. 3. ar. 2. & Sa. ver. venditio, num.* 22. etiam si uitium ab emptore non aduertatur; quãuis contrarium doceant *Panor. in cap. in iustum, de rer. perm. Conrad. de contr. q. 54. D. Anton. 2. par. sua summ. tit. 1. cap 17 §. 6. & alij.* Sed nos putamus supradictam sententiam locum sibi uendicare, ubi emptor ex negligentia, ignorantia, aut inaduertentia uincibili non aduertat: tunc enim emptori, non autem uenditori id imputatur, cum non teneatur de iustitia uenditor emptorem monere de uitijs, quæ si non sit negligens ipse poterit aduertere: Secus autem si emptor ipse aduertere nequeat, ut quia sit cæcus, uel in ea re imperitus, ut habetur ex *Salon in 2. 2. D. Th. q 77. ar. 3 contr. 1. & Aragon. in eundem D. Th. ibi d. ar. 3. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 2. dub. 7.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 14. sub nu.* 3. ubi ex *Tol.* putat, quòd uendens ut supra rem uitium habentem manifestum, licèt concurrat inaduertentia culpabilis, & crassa emptoris; nihilominus peccat contra charitatem, si non moneat, mortaliter quidem si ex tali contractu notabile damnum ipsi emptori proueniat, uenialiter uero, si damnum sit leue. Et *Valen. 2. 2. disp. 5. q. 20. pun* 4. inquit eo casu emptorem ex iustitia esse monendum, si emptio sit directè contraria ipsius uoluntati. Imò quando res est periculosa, non desunt, qui uelint, uenditorem non satisfacere uitium detegendo emptori, sed debere non uendere rem illam ei, quem conspicit sua leuitate non curaturum de periculo: uel ex sua iniquitate iniusto pretio esse alteri uenditurum, ut sup. adnotauimus *ampl. 5. in fin.* Cæterum si emptor suo iudicio confisus rem aliquã ex multis deligat, non interrogans uenditorem, nisi de pretio, tunc ipse uenditor non peccat contra iustitiam rem uitiosam uendens, non modo si uitium sit manifestum; sed etiam si sit occultum, dummodò non uendat eam supra iustum pretium; sed detrahat de pretio pro ratione uitij, ut rectè post alios probat *Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 21. dub. 11. num.* 91.

QVARTA CONCLVSIO.

15 Sicut uenditor peccat non manifestando uitia rei uenditæ emptori, iuxta conclusiones supra positas; ita è conuerso emptor peccat si rem emat, & non explicet uenditori uirtutes rei emptæ, uel pretium augeat; si uirtutes tales sint, quę le-

secundum communem æstimationem pretium augeant. Etenim emptor, & venditor sunt correlatiui, at in correlatiuis, quod disponitur in vno, disponitur etiam in alio, vt habetur per *Bald. in l. conuenticulam, C. de Episc. & Cler.* quod maximè verum est, vbi eadem ratio militat in vtroque, vt latè *Euerard. de loc. argum. legal. loco, à correlatiuis.* Hanc conclusionem docent *D. Th. 2.2. q. 77. ar. 2 Aragon in D. Thom. ibidem, ar. 3. dub. 1. ad vlt. Bann. in eundē eodem loco, dub. 3. & Salon controuers 3. Molina lib. 2. de iust. & iure disp. 353. concl. 4 Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 9. q. 8. cōcl 4 Less. eod. tr. lib. 2. cap. 21. dub. 11.* & alij, quos cumulat, & sequitur *Ioann. de Sal. de empt. & vendit. dub. 36.* Vndè si venditor putet rem esse vitiosam, & emptor sciat esse sanam; aut venditor credat rem esse cristallum, quod emptor scit esse gemmam, tenetur manifestare rei qualitatem, & valorem venditori ignoranti, vel pretium iustum illi tribuere, saltem infimum, iuxta ea, quæ habentur ex *Molina loco citato.*

16 Eandem conclusionem ampliant *Molina ibidem,* & alij, quos refert, & sequitur *Ioann. de Salas d. dub. 36. sub num. 3.* locum sibi vendicare etiam in eo, qui sciens valorem gemmæ, illam emat à Rustico eiusdem valorem ignoranti, dicens, se eam velle habere tuta conscientia, atque ideò petit à venditore, vt sibi remittat si plus valeat: nam quamuis remitteret; adhuc tamen tenetur qualitatem rei manifestare, aut iustū pretium ipsi venditori tribuere: siquidem illa Rustici palliata remissio, seu condonatio eius, quod res plus valet, non habet tantū voluntarij, propter rustici ignorantiam, quantum oportet, vt donatio sit valida, cùm donatio illa in pactum deducatur, atque ideò non est gratiosa, & liberalis, & sic non potest dici donatio, quæ dicitur rei propriæ ex mera liberalitate in alium facta trāslatio. Vndè *Cagnol. in l. 2 num. 2. C. de rescind. vendit.* vbi etiam *Pinell. 3 par. cap 2. & Paul. de Castro in l. item si pretio, §. fin. ff loc.* hanc eandē ampliationem prosequentes pluribus comprobant, contra *Caiet. in summ. vers. Emptio, 2* Est tamen verum, quòd si tàm emptor, quàm venditor ignorent valorem rei, & quasi fortunæ se cōmittentes ita paciscantur de pretio, vt siue res plus, siue minus valeat, firma sit venditio, tunc contractus validus erit, & neuter tenetur ad restitutionem aliquam, siue res postea comperiatur longè plus, aut longè minus valere: siquidem vterque periculo se exponit, dummodò periculum sit æquale, aliàs qui minori periculo se exposuit, restituere alteri tenebitur, quantum valet minori periculo se exposuisse, vt post *Molin.* & alios inquit idem *Ioann. de Sal. d. dub. 36. sub num. 4.*

17 Limitant tamen quidam nostram conclusionem in emptore, qui sciens in aliquo agro thesaurum, aut venas metalli, lapidisque pretiosi emit illud ab illius Domino ignorante thesaurū illud, ac metalli, lapidisq; pretiosi venas: is enim licitè potuit emere agrum illud eodem pretio, quo si nihil eorum ibi fuisset. Ita *D. Thom. 2. 2. q 66. ar. 5 ad 2.* vbi etiam *Salon. & Bann. Aragon. & alij, Rebell. par. 2. de oblig. iust. lib. 9. q. 5. Syl. vers. Inuentum. q 4. in fin. Molina tomo 2. de iust. & iure, disp 54. & 56. Sot. lib. 5. eod. tr. q. 3. ar. 3. Nauar. in Man. cap. 17. num. 175. & Ioann. de Salas de empt. & vend. dub. 36. sub nu. 5.* moti ex eo parabola Christi Domini Matt. 13. de thesauro inuento: & ex eo, quòd eo casu solùm æstimatur superficies agri, & illa sola vēditur, vt apta ad ferendos fructus industria agricolæ, cùm de thesauro, & venis metalli nihil vēditor, aut alij communiter nouerint. Et quamuis pretium sumatur ex communi æstimatione, nihilominus ager ille communiter non æstimatur ratione thesauri, vel venarum; ergò licitum est illum emere pretio currenti.

18 Nec obstat, quod Aduersarij contrarium opinantes obijciunt: nempè quòd venditor ratione vitij sibi soli noti tenetur minuere pretium: ergò ratione virtutis soli emptori notæ, tenetur emptor ipse pretium augere; quoniam respondetur, quòd vitia in rebus communiter cernuntur, & in communi æstimatione pretium minuunt: virtutes verò prædictæ communiter ignorantur, & in communi æstimatione pretium non augent. Nec emptor tenetur manifestare suam singularē peritiam, vel scientiam; sed satisfacere damno, quod periti in illa arte iustum iudicauerint: venditor autem, qui rem apud se habuit ex iustitia debet rei defectum, quem nouit manifestare, aut iuxta eius exigentiam de pretio minuere, ita ex *Arag. & Salon. Ioan. de Salas d. dub. 36. sub nu. 6.* vbi *nu. 7. cum plur. seq.* post alios, ex dictis infert primò, quòd si in fasce herbarum, olerum, vel lignorum, quæ ad cibum hominum, aut pabulum animalium, vel ignem venduntur, inueniatur herba aliqua magnæ virtutis, ibi communiter ignotæ, posse eam emi pretio currenti, vt habetur ex *Sà vers. Thesaurus, nu. 3. Mol. Less. Rebell.* & ex alijs apud eundem *Ioan. de Salas ibi.* Secundò infert, quòd si in aliqua Regione res aliqua parui æstimaretur; eo quòd ignorent incolæ alibi multum æstimari, posse ibi paruo emi, vt olim apud indos pluris æstimabantur specula, tintinabula, cultelli, &c. quam aurum. Tertiò infert, quòd si communiter nec lapidarijs nota esset virtus alicuius lapidis pretiosi, si quis sciat eiusdem virtutem poterit eum communi pretio emere; siquidem virtus illa soli emptori nota est, quasi ab eo inuenta, sicut thesaurus in agro, vt supra inuentus. Ita post alios *Ioan. de Sal. loc. cit.*

19 Ad argumentum ex *l. in causa, 2. §. idem Pōponius. ff. de minor.* respondetur, quod *tex.* ille loquitur quoad forum exterius, in quo licitum est contrahentibus se inuicem decipere; dummodò deceptio non excedat dimidium iusti pretij: at quoad forum interius, & in foro conscientiæ non est licita deceptio in pretio, nec quidem in minimo quadrante, vt *sec. seq.* dicemus.

AN

An quoad forum interius, atque ideò citra culpam, ac obligationem restitutionis licitum sit contrahentibus se decipere infra dimidium iusti pretij.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Deceptio formaliter sumpta, quæ scilicet continet dolum, & fraudem in vtroque foro illicita est.*
2 *Emptor quando dicatur læsus vltra dimidium iusti pretij.*
3 *Pretiũ rerum naturale, seu vulgare triplex est.*
4 *Lædens in pretio rei venditæ intra dimidium peccat, sed non tenetur ad restitutionem. Et an hæc sententia improbabilis sit, & numer. seq & 6.*
5 *Iuxta sententiam DD. quos refert* Salon. *lædẽs in pretio intra dimidium non peccat, nec restituere tenetur.*
6 *Iuxta sententiam probabilem talis lædens intra dimidium iusti pretij, peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur.*
7 *Lædens intra dimidium iusti pretij est restitutioni obnoxius, quamuis bona fide læserit.*
8 *Lædens intra dimidium, vt supra scienter, an, & quando teneatur ad pretij supplementum si res perierit.*
9 *Lædens intra dimidium iusti pretij non solum peccat, & ad restitutionem tenetur in foro cõscientiæ sed etiam compellitur in foro externo si læsio fiat sub hasta.*
10 *Si læsus in pretio intra dimidium sciens læsionis, excessum donet spontè, ac liberaliter, læsus non peccat, nec ad restitutionem tenetur.*
11 *Si lædens bona fide læserit, excessum pretij poterit legitimè præscribere.*
12 *Dupliciter à lege aliquid permittitur propriè scilicet, & impropriè.*
13 *Proloquium illud, qui res tanti valet, quanti vendi potest, quomodo intelligatur.*
14 *An sit concessum contrahentibus se inuicem in pretio naturaliter circumuenire. Et quomodo exponendum sit ly naturaliter.*
15 *An læsus censeatur consentire in læsione, & excessum illũm donare.*

1 AD tituli quæstionis explicationem est adnot. quòd hic non loquimur de deceptione formaliter sumpta, quæ continet dolum, & fraudem, seu quæ fit præuio dolo, ac fraude mẽdacijs, ac falsitate: siquidem hanc deceptionem illicitam esse dicimus non solum quoad forum interius; sed etiam in foro externo datur actio decepto contra decipientem, etiam si deceptio fit intra dimidium, vt in *l. 1. §. Persuadere, ff. de ser. corrup. l. & eleganter, ff. de dolo, l. Iulianus, §. si venditor, & §. idem Iulianus ff de action emp. l. ideò, ff. loc. l. vniuersorum, ff. de rer. perm.* latè *Panor. Anan. & alij, in cap. in Ciuitate, de vsur. Dec. in c. 1. de const. Pinell. in l. 2. C. de rescind. vend. par. 1. cap. 1. num. 8. & Couar. lib. 2. var. resol. cap. 4. num. 1.* Sed loquimur de deceptione latè sumpta, & sic de læsione, in qua non interuenit mendacium, nec falsitas, nec dolus, atq; ideò quæritur, an quoad forum interius licitum sit contrahentibus se inuicem lædere in pretio infra dimidium iusti, citra tamen mendacium, ac falsitatem.

2 Secundò est adnot. quòd licèt variæ sint DD. opiniones de emptore, quando dicatur læsus vltra dimidium iusti pretij, de quibus latè *Bartol. Cagnol. Pinell. &* alij *in l. 2. C. de rescind. vendit.* nihilominus secundum sententiam magis receptam ille emptor dicitur læsus vltra dimidiũ iusti pretij, cùm rem valentem decem v. g. emit plusquam quindecim, vt habetur ex *Bartol. Cagnolo, Pinell. Alder. Fulgos. Bald. Paul. Castrens. Salyc.* & ex alijs in *d. l. 2. C. de rescind. vend. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 3. num 8. Mol. tomo 2. de iust. & iure, disp. 349. Less. eod tr. lib. 2 cap. 21. dub. 4. Sot. lib. 6. de iust. q. 3. ar. 1. Salon. 2. 2. q. 77. ar. 1. contr. 17. Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vend. dub. 26. sub num. 2. & ex alijs.* Vndè cùm rem valentem decem quis emit plusquàm quindecim, sicut dicitur deceptus vltra dimidium iusti pretij; ita cum rem valentem decem emit quindecim dicitur læsus in dimidio iusti pretij: & si emat minus quã quindecim, & plusquàm decem dicetur deceptus intra dimidium pretij iusti: Nostra igitur difficultas, seu controuersia non est de læsione vltra dimidium iusti pretij: nam hæc lęsio satis est ad rescidendum contractum, etiam in foro exteriori, vt in *d. l. 2.* & ibi latè *Doctor C de rescind. vend.* atque ideò cum læsio ista sit illicita in foro externo, erit quoque illicita in foro interno, & sic in foro conscientiæ; sed quæstio est de lęsione in dimidio, aut intra dimidium iusti pretij, an sit licita inter contrahentes in foro conscientiæ, ita vt citra culpam licitum sit contrahentibus se inuicem decipere in dimidio, vel intra dimidiũ iusti pretij.

3 Tertiò est adnot. quòd pretium rerum naturale, seu vulgare est triplex, atque ideò non consistit in indiuisibili; sed latitudinem habet supremi, medij, & infimi, ad differentiam pretij legitimi, quod consistit in indiuisibili, vt supra declarauimus *sec. 1. vers. Ad explicandam autem.* Cũ igitur naturale pretium sit triplex, nempè supremum, medium, & infimum, in læsione passiua venditoris vltra dimidium, dimidij, & intra dimidium computatio fieri debet à pretio infimo, vt si rem valentem pretio infimo decem vendidi minoris quàm quinque; non autem est computandum à pretio supremo, vel medio; quoniam emptor iustè potuit non dare, nisi pretium infimum: siquidem pretium infimum est iustum, sicut pretium medium, ac rigorosum. In læsione verò passiua emptoris facienda est computatio à pretio supremo; quoniam venditor iustè potuit non vendere, nisi pretio supremo, vnde ab illo exclusiuè incipit iniustitia læsionis, vt rectè declarat *Molina tomo 2. de iust. & iur. disp. 349. Rebell. de oblig. iust. par. 2 lib. 9 q. 3 sec. 1. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 3. num. 3.* & alij dicentes non peccare contrahentes emendo, aut vendendo iuxta limites iusti pretij.

4 In hac igitur difficultate tres extant opiniones. Nam prima sententia fuit *Gers. tom. 2. Alphab. 35. ar. de contractib par. 2. propos. 11.* dicẽtis,

tis, lædentem in pretio rei venditæ intra dimidium, peccare quidem contra ius naturale, sed non teneri ad restitutionem. Hæc sententia te vera videtur nobis improbabilis. Etenim si eo casu venditor peccat contra ius naturale, peccat proculdubio contra iustitiam commutatiuam, quæ expostulat æqualitatem violatã in eiusmodi læsione; ergo ex ea oritur obligatio restituendi: siquidem restitutio fit ad reintegrandam æqualitatem, quam iustitia exigit, vt habetur ex *Arist 5. Ethic. cap. 5. & 1. Polit. cap. 6.* Nec obstat si dicatur, vt ipsemet *Gerson* ait, quòd lex humana potuit iustè ad vitandas lites, & animarum pericula statuere, vt qui læderet intra dimidium, etiam si peccaret, nõ esset restitutioni obnoxius; sicut statuit de præscriptione, quam in vtroq; foro obligare ostendimus in nostris *Cõmentar. in Bull. Cœna lib. 2 cap. 4. q. 21. nu. 17. & in comm. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 45. num. 19.* & patet quoque in acquisitis ex ludo vetito, quæ in foro conscientiæ non veniũt restituenda ante Iudicis sententiam, vt per *Couar. in Regula peccatum, par. 2. §. 4. num. 8.* & alios, quos refert, & sequitur *Molina tomo 2. de iust. & iure, disp 514. sub num. 2.* quoniam respondetur, quod nulla lege iusta statui potest, vt quis licitè retineat excessum pretij mala fide acceptum: siquidem lex illa faueret peccato; sicut leges ciuiles concedentes præscriptionem mala fide, quæ proindè damnatæ sunt de iure Canonico, vt *in cap. vnico, de præscrip. & in cap. possessor, de regul. iur. in 6.* & Nos ostendimus in dictis nostris *Commentar. lib. 1. cap. 1. q. 2. sub num 19.* vbi etiam probauimus damnari per ius Canonicum legem ciuilem illegitimis alimenta denegantem, vt *in cap. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrim. &c.* Imò *Sot. lib. 6. de iust. & iure q. 3. ar. 1. Molin. tomo 2. eod. tr. disp. 349.* & alij, quos refert, & sequitur *Salas in tr. de empt. & vendit. dub. 16. sub num 9.* docent, non posse fortè condi legem, quæ statuat, vt excessus bona fide acceptus possit postea scienter retineri. Nec hoc casu militat eadem ratio, quæ militat in præscriptione: quoniam in præscriptione communiter interuenit negligentia Dominorum, & diuturna possessio bonæ fidei: punitur ipsorum Dominorum neglgentia, & ne lites post longa tempora excitentur, ne dominia diù maneant confusa, & incerta, & ut subueniatur animæ periculis. At verò in contractibus sæpè læsio est sine culpa, & negligentia læsi; nam rerum pretia facilè non cognoscuntur: nec contrahens diù solet retinere excessum bona fide: & si diù retineat, poterit præscribere. Neque simile est de acquisitis ex ludo vetito: quoniam contractus, in quo adest læsio est irritus quoad excessum; secus autem dicendum est de ludo, & alio contractu vetito, sed nulla ex parte irrito. Et quamuis volenti ac scienti nulla fiat iniuria; attamen læsus in casu, de quo agitur, non potest dici omninò voluntarius; quia nollet emere rem tanto pretio, sed minori, vt suæ necessitati, aut libidini satisfaceret. Ità *Salas loco cit.* qui etiam respondet ad *dictum D. August.* desumptum ex *epist. 4. ad Macedon.*

5 Secunda sententia est *Conr. de contr. q. 57.* & aliorum, quos refert *Salon. 2. 2. q. 77. ar. 1. contr. 17.* dicentium lædentem in pretio rei venditæ intra dimidium, non peccare, nec ad aliquam restitutionem teneri. Mouentur ex eo quòd iustè fit, quod legis auctoritate efficitur, vt *in l. Gracchus, C. ad leg. Iul. de adulter.* in illis verbis: *Quod legitimè factum est, nullam pœnam meretur.* Sed lædentes intra dimidium legis auctoritate lædunt, cùm ex *l. 2. C. de resc. vend.* non rescindatur contractus, nisi ex capite læsionis vltra dimidium iusti pretij: ergò iustè lædunt, atq; ideò citra culpam, & restitutionem aliquã; cùm non violent iustitiam, ex cuius violatione nascitur obligatio ad culpam, & ad restitutionem. Confirmant eorum sententiam ex *tex. in l. si seruus furtiuus, & ibi Glosa, in ver. inuenerint, ff. de condit. fur. & in l. 1... si hæres,* vbi etiam *Glosa in ver. sine hac cautione, ff. ad Senatusc. Trebell.* vbi vulgaris regula traditur, quod res tantum valet, quantum vendi potest: ergo citra culpam, ac restitutionem aliquam quis vendit rem suam intra dimidium iusti; siquidem illud dici potest iustum pretium. Præterea, quod iure naturali conceditur, fit citra omnem culpam, & obligationem ad restituendum: siquidè ius naturale fundatur in recta ratione, imò ius ipsum est rationis dictamen; culpa verò est contra rectam rationem, & obligatio ad restituendum nascitur ex violata iustitia: sed læsio in cõtractu emptionis, ac venditionis, & etiam locationis in pretio saltem intra dimidium iusti, conceditur de iure naturali; ergo citra culpam, & obligationem ad restituendum læsio in contractibus emptionis, venditionis, ac locationis fieri potest. Minor probatur ex *tex. in l. item si pretio, §. quemadmodum, ff. locati, & cond.* vbi habetur, quòd à natura conceditur in pretio, & in pensione contrahentibus se inuicem decipere, his verbis: *Quemadmodum in emendo, & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit minoris emere: & quod minoris sit pluris vendere, & ita inuicem se circumscribere; ita in locationibus quoque, & conductionibus iuris est.* Idem habetur in *tex. in l. in causa, 2. §. Idem Pomponius, ff. de minor.* ita se habente: *Idem Pomponius ait, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire*; vbi *Glosa, in ver. naturaliter licere:* id verum esse ait, de deceptione intra dimidium iusti pretij; nõ autem de deceptione vltra dimidium. Denique si quis sciens, & prudens rem emerit supra eius valorem, censetur excessum donasse: ergo venditor non peccabit illum accipiendo, nec ad restitutionem obligabitur.

6 Tertia sententia, quæ nobis probatur, est *D. Th. 2. 2. q. 77. ar. 1.* vbi *Caiet. Arag. & Bann. & Valen. disp. 5. q. 20. pun. 2. §. 1. Conradi de contr. q. 57. & 58. Molina tomo 2. de iust. & iure, disp. 350. Rebell. de oblig. iust. par. 2. q. 3. sec. 1. & 2. Angles, q. de empt. dub. 8. difficul. 4. Nauar. in Man. cap. 23. num. 77. cap. qualitas, de pœnit. d. 5 num. 27. cum plurib. seq. & in cap. nouit, de iudic. not. 6. coroll. 13. Menes. in l. 2. num. 8. & 75.* vbi etiam *Pinell. par. 1. num. 35.* & alij, *C. de rescind. vend. Couar. in regula possessor malæ fidei, par. 2. §. 7. & lib. 2. variar. resol. cap. 4. num. 11. Medina de restit. q. 32. Salon. 2. 2. q. 77. ar. 1. contr. 17.* cum alijs quamplurimis, quos allegãt; putant enim, lædentem intra dimidiũ iusti pretij peccare mortaliter contra iustitiam, & teneri

ad

ad restitutionem. Hanc eandem sententiam certissimam esse inquit *Ioan. de Salas, num.6.* vbi etiam *n.7.* citat *Anton. Burgens. Aragon. Bann. & Gabriel.* dicentes contrariam opinionem esse improbabilem, vel etiam erroneam, & de hac re nunquam esse dubium inter Theologos. Mouētur primò ex eo, quod iustitia postulat æqualitatem, vt habetur ex *Arist. 5. Ethic. cap. 5. & 1. Polit. cap 6.* Sed in læsione intra dimidium iusti pretij in contractu empt. & vend. violatur æqualitas; ergo violatur iustitia; atque ideò oritur obligatio restituendi, & contrahitur culpa. Secundò non est licitum lædere in pondere, & mensurà: ergo non est licitum lædere in pretio, clara consequentia; nam qui lædit in pondere, & mensura, dicitur quoque lædere in pretio. Antecedens probatur ex illo *Deut. cap. 25.* sic habente: *Non habebis in sacculo diuersa pondera maius, & minus, &c. & Prouerb. cap. 20. Pondus, & pondus; mensura, & mensura, vtrumque abominabile coram Domino.* Tertiò probatur ex illo *D. August. lib. 13. de Trin. cap. 3.* dicentis; *Velle vili emere, aut carè vendere, vtrumque vitium est.* Ergo vendere, aut emere intra dimidium iusti pretij vitium est; & sic peccatum: sic enim vili emitur, & carè venditur. Quòd si uendere, aut emere intra dimidium iusti pretij, est peccatum, eiusmodi peccatum proculdubio erit contra iustitiam commutatiuam, vt sup ostendimus; ergò lædens intra dimidium iusti pretij peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem excessus. Quartò probatur ex eo quòd omnes concedunt, lædentem vltra dimidium iusti pretij, peccare, & teneri ad restitutionem excessus: ergò idem dicendum est de lædente intra dimidium iusti pretij: siquidem magis, & minus absolutè, vel proportionaliter non variant speciē. Quintò contra ius naturale est locupletari cum alterius iactura, vt *in l. iure natura. ff de regul. iur.* sic habente: *Iure naturæ æquum est neminem cum alterius detrimento, & iniuria fieri locupletiorem;* ergò lædens intra dimidium iusti pretij peccat mortaliter, & efficitur restitutioni obnoxius. Clara consequentia; quoniam lædens ut supra locupletaretur cum alterius iactura. Sextò læsio intra dimidium iusti pretij est contra illā maximam: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris,* vt habetur *proœm. Decreti, & in Glosa in l. semper in contractibus, ff. de regul. iur.* Ergo citra culpā, & restitutionis onus non potest quis lædere aliquem in contractu empt. & vendit. intra dimidium iusti pretij: etenim nemo vult lædi in cōtractibus. Denique; cæteris prætermissis hæc sententia patet ex *D. Paulo epist. 1. ad Thessalon. cap. 4.* vbi prohibet expressè circumuentiones in contractibus, his verbis: *Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotijs fratrem suum: Iudex est enim Dominus de his omnibus.*

7 Ampliatur hæc conclusio, vt lædens intra dimidiū iusti pretij sit restitutioni obnoxius, etiam si bona fide læserit, sc. valorem ignorans: namlicèt is excusetur à culpa; in hac læsione tamen postquam eam nouerit, tenetur ad restitutionē, vt habetur ex *Molina, Rebell. Medina, Nauar. Couar.* quos sup. retulimus, & ex alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas loc. cit num. 7.* Imò si talis lædens sit notabiliter negligens in restituendo post scientiam, licèt non peccauerit in lædendo, stante eius bona fide, peccat tamen negligens notabiliter existens in restituendo cum possit, aut recusans restituere; quoniā tunc incipit rem alienam contrectare, inuito Domino, saltem præsumptiuè, iuxta furti definitionē, *in l. 1. ff. de furt.* Est tamen verum, quòd si lędens dubitet tantùm de læsione non restituendo non peccat, modo animum habeat examinandi rem, & restituendi, si læsionem nouerit, vt per *Molin. & Ioan. de Salas locis citatis:* qui idem dicunt de eo, qui bona fide emit rem alienam; nam tenetur cum id nouerit restituere: & si bona fide consumpserit, tenetur id tantùm restituere, in quo factus sit locupletior. Cæterum quotiescumque; cum læsione intra dimidium est coniunctus dolus, seu fraus, lædens non solùm quoad forum interius vltra culpam tenetur ad restitutionem; sed etiam quoad forum exterius tenetur actione doli, & compellitur ad restitutionem pretij defraudati, vt ostendimus sup. not. 1.

8 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt lædēs intra dimidium scienter vt supra, peccet, & teneatur ad restitutionem in foro conscientiæ, siue venditor sit, qui lædat, siue emptor, & si res perierit, tenetur lædens ad pretij supplementum; nisi bona fide læserit, rem, vel pretium consumpserit, & non sit factus locupletior, vt habetur ex *Ioan. de Sal. de empt & vend. dub. 27. num. 9 & 11.* Est autem addendum insuper, quod si emptor læserit intra dimidium dolo, ac fraude, quo casu etiam in foro exteriori tenetur, & rem cōsumpserit, aut alienauerit, vt non possit rem reddere, debet pretium supplere. Quòd si soluendo non sit, dabitur actio venditori primo aduersus tertium possessorem, etiam ignorantem priorem læsionē; qui tamen rem ipsam habeat titulo lucratiuo, vel iniusto, eodem uitio læsionis intra dimidium laborantem: secus autem si emerit iusto pretio ignorans prioris contractus læsionem; nam tunc non datur actio aduersus tertium possessorem, vt post *Molin. Rebell.* & alios declarat idem *Salas dicto num. 9.* qui agit etiam de læsione vltra dimidium iusti pretij.

9 Tertiò ampliatur, vt lædens intra dimidium iusti pretij non solùm quoad forum conscientię peccet, & efficiatur restitutioni obnoxius; sed etiam potest compelli in foro externo, si lęsio fiat in venditione sub hasta, etiam si læsio sit intra dimidium, vt *in l. si quos,* & ibi *Glosa, C. de resc. vend. Pinell. in l. 2. par. 2. cap. 2. num. 18. & 25. & alij, C. eod. tit. Gomez tomo 2. variar. resol. cap. 2. num. 21. Salas de empt & vendit dub. 27. num. 6.* cum alijs, quos allegat, & *num. 4.* addit læsum, in foro exteriori ecclesiastico posse agere contra lędentem etiam intra dimidium, vt Iudex ecclesiasticus eum compellat ad restitutionem per censuras generales, vel conditionales: quoniam Ecclesia non patitur contra iustitiam aliquid fieri, vt *in cap. 1. §. sed diuersum, de alien. feudi, Salon. 2. 2. q. 77 ar. 1. contr. 17. Molin. tomo 2. de iust. & iure disp. 349. Sot. de ratione tegen. lib. 2.* & alij apud *Ioan de Salas loc. cit.* qui meritò *num. 3.* reijcit sententiam *Nauar.* ac aliorum *in cap. nouit, de iudic. not. 6. coroll. 13. & cap. qualitas, de pœnit. d. 5.* existimantium in foro ecclesiastico dari simpliciter læso actionem contra lædentem, etiam intra dimidium iusti pretij: siquidem Ecclesia solùm concedit

actionem contra lædentes, quando læsio est vltra dimidium, vt *in cap. cum dilecti, & cap. cum causa, de empt. & vend.* Sed tantùm peti potest, etiam per sæcularem à Iudice ecclesiastico, vt lędentem compellat ad restitutionem per censuras generales, vel conditionales, vt sup. ostendimus. Est tamen verum, quòd quando pretium est à Repub. taxatum læsus intra dimidium potest ad Iudicem competentem recurrere, qui tenetur ei subuenire, vt per *Couar. lib. 2. var. resol. cap. 4. num. 11. Eman. Rodriq. par. 2. sua sum. cap. 79. concl.* & alios apud eundem *Ioan. de Salas vbi sup. num. 5.* qui dicunt, & mouentur ex eo, quòd in hoc casu non militant rationes legum negantium actionem læso intra dimidium; cùm pretium sit taxatum, & cõsistat in indiuisibili: quocirca facilè cognoscitur læsio tãto fortius, quòd pretium taxatur à Rep. pro vtroq; foro.

10 Sic ampliata limitatur supradicta conclusio, vt locum non habeat, quando læsus in pretio intra dimidium sciens læsionem, excessum donat spõtè, ac liberaliter, cùm quilibet sit moderator, & arbiter rei suæ, *l. in re mandata, C. mand.* & quilibet potest iuri suo renunciare, *l. quaeritur, §. si venditor, ff. de edil. edicto, l. quisquis in conscribendo, C. de pact. cap. cum periculosum, 7 q. 1.* latè *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 27. num. 14. Couar. lib. 2. var. resol. cap. 4. num. 4.* quam renunciationem, si sit specialis valere dicunt, etiam si læsio sit vltra dimidium, & quoad forum exterius, quod quomodo procedat, latè, ac sufficienter declarant supradicti Doctores; præsertim *Ioan. de Salas loc. cit. & num. 15. & 16.* qui quidem *nu. 8.* meritò reijcit opinionem eorum, qui volunt, quòd cùm quis sciens rei valorem læditur vltra dimidium, non habet actionem contra lædentem: siquidem neque *in l. 2. C. de resc. vend.* neque *in cap. cùm dilecti, & cap. cum causa, de empt. & vend.* talis distinctio habetur.

11 Secundò limitatur ipsa conclusio, vt non procedat, quando lædens bona fide læsit putans rem vendidisse rem iusto pretio; nam tunc excessum pretij potest legitimè præscribere, qua stante, potest excessum illum in bona conscientia retinere, non modo si sit intra, sed etiam si sit vltra dimidium iusti pretij: siquidem præscribens legitimè rem præscriptam potest sibi retinere citra omnem culpam, nec tenetur eam restituere, vt sup. ostendimus in relatione primæ sententiæ. Et quamuis actio ad rescindendum contractum ex capite læsionis vltra dimidium iusti pretij duret 30. tantùm annis, vt *in l. sicut, C de præscrip. 30 vel 40. annor. Pinell. in d. l. 2. par. 2. cap. 1. num 26.* vbi etiam *Padilla num 27. C. de rescin. vend.* quæ quidem temporis præscriptio locum sibi vendicat de iure ciuili, etiam si lædens fuerit in mala fide; secus autem de iure Canonico, & quoad forum interius: quoniam eo iure malę fidei possessor nunquam præscribit, vt *in l. possessor malæ fidei, de regul. iur. in 6.* vbi *Couar.* & alij Doctores communiter.

Restat modo, vt respondeamus ad contraria secundæ sententiæ, nam contraria primæ fuerint sufficienter enacuata.

12 AD primum respondetur distinguendo maiorem: nam aliquid à lege permitti stat dupliciter: primo permissione vera, & propria, tanquam iustum; secundò permissione impropria, quæ est simplex quædam tolerantia, per quã dimittitur impunitum minus malum, ad euitandum maius; quo modo permittitur meretricium ad euitandum adulterium: quod igitur lege permittente fit, tunc iustè fit, quãdo fit per aliquam legem iustam per veram, & propriam concessionem; secus autem si per concessionem impropriam, ac per simplicem tolerantiam, vt toleratur in casu nostro læsio intra dimidium iusti pretij ad euitandas lites, & alia incommoda maiora; sicut toleratur meretricium ad euitandum adulterium, quod est malus: Cæterum tam meretricium, quàm læsio intra dimidium iusti pretij sunt contra ius naturale, ac Diuinam legem.

13 Ad confirmationem respondetur, illud proloquium, quòd res tantùm valet, quantum vendi potest, intelligi quantum vendi potest intra latitudinem iusti pretij, & citra violationem iuris naturalis, ac Diuini: siquidem id possumus, quòd iure possumus.

14 Ad tertium negatur minor; & ad iura relata ad probationem minoris, dum volunt naturaliter concessum esse contrahentibus se inuicem in pretio circumuenire, ly *naturaliter*, non est intelligendum de iure naturali; sed de iure gentiũ, vt per *Glos. in d. §. Quemadmodum*, quo iure gẽtes sibi introduxerunt contractus omnes, & tolerant læsionem in contractibus intra dimidiũ ad tollendas lites, & alia incommoda. Secundò potest responderi, quòd ly *naturaliter* potest exponi, consentaneè ad naturam hominis, quæ possit impunè permittere læsionem in contractibus intra dimidium. Tertiò ly naturaliter potest intelligi, attenta inclinatione naturæ corruptæ, & ly *licere*, de quo in *d. §. idem Pomponius*, omnes accipiunt pro permittere, vt rectè post alios declarat *Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub. 26. sub num. 8. in resp. ad secundum*.

15 Ad vltimum negatur consequentia, quia Nos supponimus læsum non consentire in læsione pretij liberaliter; sed rem emisse supra iustum pretium necessitate coactus, vel passione ductus; atque ideò non censetur excessum illum donare, cùm nemo præsumatur velle iactare suũ, vt in *l. cùm de indebito, ff. de probat.*

An emptiones, ac venditiones reciprocæ diuerso pretio, quas Nos itali vocamus Stochos, & Hispani varatras, seu mohatras, sint licitæ.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Casus figuratur secundum quosdam.*

2 *As-*

2 *Affertur primo loco pars negatiua. Et quid in Lusitania sancitum fuerit in hac re.*
3 *Verior est contraria sententia, multisque probatur rationibus.*
4 *Tres tamen requiruntur conditiones, & quæ.*
5 *Respondetur ad DD. qui negatiuam docuerunt sententiam.*

1 AD tituli quæstionis intelligentiam quidam ponunt casum in eo, qui petijt centum aureos mutuo à Mercatore, qui cùm recusauerit mutuo dare; sed paratum illi ostenderit merces vendere creditò summo pretio, vt ille eas vendat pecunia numerata cui maluerit, ille talis, mediante venditione pecunia credita, merces ipsas recepit. Deindè easdem merces obtulit Mercatori, qui ipsas emit pecunia numerata pretio medio, vel infimo. Quæritur igitur, an eiusmodi reciprocæ venditiones sint licitæ?

2 In hac re pro parte negatiua *Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. cap. 57. in princ.* adducit *D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 8. §. 5. & 3. p. tit. 8. cap. 4. §. 4. & Medin 1. summ. cap. 14. §. 23. post medium*: siquidem ait, eos velle contractum esse iniustum, & palliatam vsuram, quādo idem redimit, qui emit. Et idem *Salas loco citato, sub nu. 5. & Molina tam. 2. de iust. & iur. disp. 310. nu. 3.* testatur in Lusitania sancitum esse, vt quicunque creditò eis merces vendiderit, quos constat eos non velle ad negotiandum, neque ad illas consumendum in sua familia: sed ad eas iterum pecunia numerata viliori pretio vēdendas, amittat eo ipso actionem, quam ex contractu comparare poterat ad eiusmodi debitum recuperandum, tàm à debitore principali, quàm à fideiussore: & insuper mittatur per duos annos in exilium ad loca Africæ, & soluat 50. aureos, & in Castella idem *Salas* refert extare legem, qua præcipitur Iudicibus, vt puniant eiusmodi contractus celebrantes, quatenus eos illicitos inuenerint, aut in vsurarum fraudem celebratos, alioqui ipsi puniantur. Ibidem etiam sub quibusdā pœnis lege prohibetur Mercatoribus, & artificibus per se, vel per alios emere viliori pretio numerato, quæ maiori creditò vendiderunt, ac eædem pœnæ ad mediatores extenduntur.

3 His tamen non obstantibus, contrariam sententiam puto veriorem esse, quam docent *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 16. num. 130. Laym. lib. 3. sua sum. tr. 4. cap. 16. num. 16. Reginald. lib. 25. sua prax. num. 296. Ioann. de Salas loco citato, num. 2. Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 31. num 30. Rebell. de obligat. iust. lib. 9. q. 7. num. 7. Homobon. in exam. Eccles par. 2. tr. 9. cap. 3. q. 5. Diana par. 1. resol. moral. tr. 8. resol. 20. & 33.* & alij, dicentes, eiusmodi contractum esse licitum. Mouentur ex eo, quòd in tali emptione, ac venditione venditur, & emitur iusto pretio: siquidē mercator vendit merces pretio rigoroso, & easdem reemit pretio infimo, aut medio: pretium autem iustum naturale, seu vulgare diuiditur in rigorosum, medium, & infimum, vt supra declarauimus, *sec. 1.* ergo præfatæ venditiones reciprocæ sunt licitæ, licèt fiant diuerso pretio. Confirmatur, quoniam merces illas vēditas posset emptor cuilibet alij pretio infimo, aut medio vendere; ergò poterit easdem vendere venditori, cū non debeat esse deterioris conditionis ipse primus venditor, eo maximè quoniam emptor ab eo beneficium percipit, dum liberatur à quærēdis alijs emptoribus, & sumptibus in proxenetas, & à manifestando alijs suam indigentiam.

4 Limitatur tamen hæc sententia, vt locum sibi vendicet tribus conditionibus concurrentibus. Prima conditio, vt tempore venditionis merciū, non deducatur in pactum earum reemptió: nā ob eiusmodi pactum clarè cōuincitur venditor, quod non habuerit animum vendendi, sed mutuandi sub tali lucro; atque ideò animo fœnerādi sub pallio talis contractus, ac reciprocæ emptionis, ac venditionis. Secus autem dicendum est quando liber remaneret emptor vendendi merces cui voluerit, quoniam tunc poterit eas eidem venditori vendere, vt habetur ex *Layman loco citato, Molina to. 2. de iust. & iur. disp. 310. sub nu. 2. vers. Obserua tamen, Nauar. in Man. cap. 17. num. 241.* & ex alijs. Qua libertate sic stante licitus erit cōtractus eiusmodi, & immunis ab vsura etiam si fiat sub spe, ac intentione principali reemendi pretio infimo, & medio; ita vt sine spe illius lucri non esset creditò venditurus, vt contra *Molin. loco citato,* & aliàs docent *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 37. sub nu. 4.* Etenim vsura in tantum est vsura, in quantum est inuoluntaria ex parte dantis: atque ideò vbi nihil vltra sortem deducitur in pactum, nec speratur, vt pretium, aut debitum de iustitia pro mutuo, sed tanquam à sponte dante, non est vsura, vt probat idem *Ioan. de Salas de vsur. dub. 6. & 7.* vbi id verum esse probat, etiam si mutuarium excitet mutuans ad præstandum sibi aliquid sponte, & ex mera liberalitate. Secunda cōditio ad iustificā das istas reciprocas emptiones, ac venditiones exigitur, vt fiant citra scandalū, & ita cautè, vt alij non putent fieri ad palliandas vsuras, non sine venditoris infamia, vt præfati Doctores declarant: aliàs non fierent citra culpam; quamuis non haberet locum restitutio, si feriò celebrentur. Tertia conditio est, vt eiusmodi reciprocæ emptiones, & venditiones ita demum fiant, vbi venditor non posset sine suo incommodo mutuare: siquidem si citra notabile eius incōmodum posset mutuare; tunc contra charitatem ageret non mutuando; non tamen ad restitutionē teneretur, vt habetur ex *Less. Nauar. & Ioan. de Sal. locis citatis.*

5 Ad Doctores igitur, qui adducuntur pro contraria, præcipuè ad *D. Anton.* respondetur, quòd non loquitur in terminis casus nostri: nam *3. p. tit. 8. cap. 4. §. 4.* loquitur quando res vendita rigoroso pretio, reuenditur ab emptore minus infimo pretio eidem venditori, dicens: *Hi etiam aliquando solent facere quosdam contractus ipsi, vel lanifices, qui dicuntur, barachola, cùm videlicet vendunt alicui pannum ad certum terminum certo pretio. Et cùm emptor non egeat panno, sed pecunia, pannum ipsum reuendat pecunia sibi numerata, sed minori pretio quàm emerit, quinque, vel sex Florenorum, eidem lanifici, vel retagliatori: quæ vtique vsura est, cum habeat implicitum lucrum cum mutuo.* Vndè non mirū si talis mercator vsuram committat cùm rem vēditam non emat iusto pretio. In 2. vero *par. tit. 1. cap. 8. §. 5.* sic ait idem *D. Anton. Quæritur de barocholis. Est autem huiusmodi quidam contractus, qui sic fit. Vēdit lanifex retagliatori 10. pannos*

pannos ad terminum vnius anni pro pretio Florenorum quingentorum. Venit ex trauerso Titius egens pecunia, & cōuenit cum retagliatore, quòd de præsenti sibi tradat Florenos quadringentos quinquaginta, & ipse contentabit lanificem in die termini de quingentis, &c. Huiusmodi contractus meritò est iniustus, & vsurarius; quoniā retagliator ex vi mutui impliciti lucratur quinquaginta Florenos, ex quo dat 450. Florenos, & recipit 500 vt benè declarat ipse *D. Anton.* & sic casus ille est diuersus à casu nostro. Ad leges denique Hispaniarum patet responsio: loquuntur enim de reciprocis emptionibus, & vēditionibus iniustis, ac vsurarijs, cùm res venditur pretio sūmo, & emitur per eundem venditorem ab emptore minus pretio infimo, aut cum pacto retrouendendi pretio infimo, vel medio, iuxta ea, quæ supra adnotauimus.

An, & quando peccent venditores, ac emptores monopolia, & conspirationes facientes, & ad restitutionēm teneantur,

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Monopolium vndè dicatur.*
2 *Monopolium eisdem modis fieri contingit in cambijs, ac in contractibus emptionis, & venditionis.*
3 *Ad monopolium concurri potest, tum positiuè, tum negatiuè. Et quomodo.*
4 *Monopolium exercens auctoritate publica ex iusta, ac rationabili causa, & ob bonum publicum, non peccat, nec ad restitutionem aliquam tenetur.*
5 *Monopolium exercens priuata auctoritate, directè, ac per se primo ad pretium mercium augendum supra rigorosum, vel ad minuendum vltra infimum, peccat contra iustitiam, atque ideò ad restitutionem tenetur.*
6 *Monopolium exercens peccat, & restitutioni tenetur, vt supra, siue ad illud concurrat expressè, siue tacitè.*
7 *Vera est supra firmata conclusio, siue monopolium fiat per conspirationem plurium totas merces certi generis coementium, siue per vnū tantum citra aliquam conspirationem.*
8 *Monopolium exercens peccat contra iustitiam, & restitutioni est obnoxius non modo coemendo totas merces, siue vnus sit, siue plures, sed etiam occultando merces, vel conspirando, aut conueniendo de non vendendo illas, nisi pretio supra summum.*
9 *Etiam in exercente monopolium prohibendo habet locum conclusio.*
10 *Non solùm habet locum conclusio in faciente monopolium modo quo supra, sed etiam extēditur ad cooperantes ad monopolia facienda.*
11 *Locum habet conclusio etiam in exercentibus monopolium ad augendum pretium vsque ad rigorosum, vel ad illud minuendum, vsque ad infimum dumtaxat.*
12 *Hæc sententia est probabilior secundum* Rebell. *vtraque tamen est probabilis secundum* Ioannem de Salas.
13 *Impedientes ne maior mercium copia aliundè importetur, vt ipsi suas merces carius vendāt, tunc peccant contra iustitiam, atque ideò restituere tenētur cum dolo, & fraude id agunt; secus secluso dolo, & fraude.*
14 *Quamuis vnus, vel pauci faciunt monopolium coementes totas merces certi generis, vt postea eas vendant suo arbitratu peccent contra iustitiam, & restitutioni obnoxij efficiantur, si quis tamen totas merces bona fide ad se redegerit, vt sibi consuleret, & sua negotia perageret, nō peccauit, nec ad restitutionem tenetur.*
15 *An licitum sit mercatoribus, emere volentibus, monopolium facere ad redimendam eorum taxationem.*
16 *Potest fieri monopolium circa fructus, etiam priuata auctoritate, si magna sit fructuum abundantia.*
17 *Monopolia exercentes vltra culpam quam cōtrahunt cum onere reficiendi omnia damna, &c. varijs pœnis afficiuntur.*
An monopolium dicatur committere, qui sparsit falsis rumoribus de obsidione insu[l]æ, vnde merces asportantur, vel de naufragio nauis, mercium pretia augeri faciat.
Et an statutum cogens ad molendum in Molēdino Domini, vel ad coquendum panem in eiusdem Clibano dicatur monopolium continere.

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt est adnot. quòd monopolij nomen deriuatur a monos grecē, idest vnum, & pola, quod est venditor, vel polum, quod est uenditio, quasi monopolium sit vnica venditio, & monopola vnicus venditor, vt rectè declarat *Glosa in l. vnica, C de monopol.* conspirationes verò ad monopolium committendum diriguntur: siquidem conspiratio dicitur ad actum illicitum cōmittendum plurium coniuratio, vt in *cap. coniurationum, cum quatuor seq.* 11 *q.* 1 & late *Tusch. in verf. Conspiratio, conclus* 780. Contingit autē monopolium fieri dupliciter, vt constat ex *d. leg. vnica*, auctoritate scilicet publica: & auctoritate priuata. Publica auctoritate fit monopolium ex Principis, vel Reip. priuilegio; aut statuto aliquo ex iusta, ac rationabili causa, vt cùm pro inducenda annona Principes, ac Decuriones Ciuitatum certis personis facultatem tribuunt, vt ipsi soli vendant certam mercium speciem. Auctoritate vero priuata multis modis contingit monopolium committi, de quibus *Rebuff. in tract. de magistr. artif. ar. 2. Glosa vnica, Rebell. p 2. de obligat. iust. lib. 9. de contrah empt. & vend. q. 7. & Ioan. de Sal. in suo tract. de empt & vend. dub.* 38. cum alijs, quos allegant. Etenim primò committitur dum Mercatores conspirant, vt non vendant nisi certo pretiō, & si maius sit summo, vel saltem nisi pretio summo: vel non emant nisi pretio, quod minus sit infimo, vel saltem infimo. Secundò fit monopolium, cùm vnus, vel pauci coemunt totas merces certi generis, vt postea ipsi suo arbitratu eas vēdant. Tertio modo fit monopolium, cùm quis impedit, ne maior mercium copia aliundè importetur, vt ipse suas merces carius vendat. Ad monopolij quoque fraudem reuocat *Rebell. loco citato, sub num.* 4. modum illum

lum fraudis, quo artifices conueniūt, vt non doceant artem, nisi sub certo pretio, aut non nisi solos filios, & nepotes. Itē qui per se, uel per alios, falsis sparsis rumoribus, aut falsis litteris confictis, falsò testificatur de obsidione Insulæ, uel alterius loci, undè merces asportari solēt: aut de naufragio nauium, quibus uehebantur; aut alia simili fraude mercium pretia augeri faciat supra summum: uel minui minus, quam sit infimum. Et denique reliquis prętermissis, statutum, quòd omnes uadant ad molendum ad molendinum Domini, uel ad coquendum panem in eiusdem Clibano dicitur continere monopolium, ut habetur ex *Soc cons.272. num 6. lib.2.* & Nos adnotauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §.3. q.7.*

2 Secundò est adnot. quòd cambium cùm sit species contractus emptionis, ac venditionis, vt ostendimus in dictis nostris *Comment. in proemio q. 10. concl. 3.* eisdem modis contingit fieri monopolium in cambijs, ac in contract. empt. ac vendit. Etenim vnus, uel pauci Numularij quādoque solent totam pecuniam vndiq; congestam ad se redigere sumendo eam ad cambium sub minori mercede, vt eandem darent sub maiori: impedire solent, ne campsores ad nundinas veniant, vt ipsi, quo pauciores sint, sub maiori fœnore proprias pecunias ad cambium darent: siquidem quò pauciores campsores sunt, eò magis cambia redduntur: & quò plures, eò minus. Item solent inter se conspirare, vt nullus det cambio, nisi cambiorum lucrum taxetur vsque ad talem summam. Solent etiam curare, pecuniam aliundè sibi remitti, qua exacta, inducant eiusdem penuriam, & cambiorum pretia augeantur. Solent quoq; proprias pecunias occultare, vt earum penuria cambiorum pretiū efficiatur maius. Imò soliti sunt aliqui Numularij fraudulenta vti industria tum dantes, tum etiam cambio accipientes: solēt inquam duo, vel tres ditissimi Campsores cum Ministris Hispaniarum Regis conuenire de dando eis cambio ingētem pecuniarum summam pro bello gerendo, & alijs eiusdē Regis indigentijs: sed quoniam eiusmodi Campsores non habent adeò ingētem pecuniarum summam, sumunt ad cambium ab alijs, vt deindè Regi dent cābio. Vt autem tam in dando, quàm in accipiendo ad cambium lucrum assequerentur, hanc adhibent artem: siquidem supponunt fictos Campsatios, quibus sub modico fœnore darent cambio, vt cambij valore eiusmodi fraude extenuato, ipsi deindè cambio vili acciperēt ab alijs. Deindè sub modico fœnore conflata pecunia, quā Regis ministri essent ab ipsis mercatoribus cambio accepturi, solent è conuerso supponere fictos Campsores, à quibus ipsi sub magno acciperent emolumento, vt & Rex sub eodem fœnore ab ipsis esset accepturus.

3 Tertiò est adnot. quòd ad monopolium duobus modis concurri potest; nempè positiuè, ac negatiuè. Priori modo concurritur, cum conspirationes fiunt expresè vno ex supradictis modis, vt cùm mercatores inter se conspirant, vt nullus uendat, nisi supra rigorosum pretium, uel saltem nisi pretio rigoroso: aut nullus emat, nisi minus quàm sit infimum pretium, vel saltem infimo pretio: vel nullus det cambio, nisi cambiorum lucrum taxetur vsque ad talem summam, quæ sit ultra iustum pretium: aut pacto tacito, cùm datur signum de iuuando monopolium, recondita pecunia. Negatiuè autem concurritur ad monopolium, cùm quis animaduertens alios monopolium moliri, ipse, nullo adhibito pacto abstinet se à negotijs, non dando pecunias suas cambio, aut merces non distrahendo; ea tamen intētione, vt aucto per monopolium pretio maiori, postea merces distrahat, aut pecunias suas det cambio, vt latè egimus in dictis nostris *Cōmentar. §.3. q.4. nu.1. cum plurib. seq.* vbi etiam *num.7.* ostendimus dupliciter posse cambiorum pretium supra rigorosum per Nummularios augeri: directè scilicet, & per se, & indirectè, & sic per accidens. Directè augetur, mediante monopolio vno ex dictis modis. Indirectè verò, quādo quis intendit principaliter agere sua negotia, sibique consulere, ex quo deindè proueniat pecuniarū in nundinis, vel merciū in foro penuria, ob quā cambiorum, siue mercium pretium alteratur; ut declarauimus in *dictis nostris Commētar. q.4. sub num.7.* His breuiter constitutis, sit

PRIMA CONCLVSIO.

4 Monopolium exercens auctoritate publica ex iusta, ac rationabili causa, ac ob bonū publicum, non peccat, nec ad aliquam tenetur restitutionem. Hæc conclusio est contra *Sot. lib. 6. de iustit. & iure, q.3. ar.2. Caiet 2.2. q.77. ar. 1. & in sum. ver. Emptio, Syl. eod. ver. q.18.* & alios absolutè damnātes eos, qui concedunt, impetrant, & exercent huiusmodi priuilegia. Probatur hæc conclusio ex communi consuetudine: siquidem auctoritate publica conceduntur eiusmodi priuilegia Auctoribus, vel Impressoribus librorum, & obligatis ad prouidendam Ciuitatem de carne, piscibus, uino, oleo, frumento, & alijs similibus. Ergo signum est, eiusmodi monopolia, seu priuilegia auctoritate publica concessa de iure dānata esse licita; quoniā cōsuetudo est optima legū interpres, ita ut de lege dubitet, recurrendum sit ad consuetudinem loci: & si de ea appareat, non est recedēdum ab eo intellectu, quem consuetudo tribuit; etiam si ex post facto appareat, quòd talis intellectus in se non sit bonus, vt habetur ex *Panor. in cap. cū dilectus, sub num.7. de consuetud.* Dixi, *Ex iusta, ac rationabili causa*, quia si eiusmodi priuilegia citra iustam, ac rationabilem causam concedantur, iniqua sunt, & per ea iniuria infertur uendere uolentibus, qui iniustè impediuntur: & emptoribus, qui eas res meliori pretio emerent; atque ideò utrique tenentur restituere. Ità *Rebell. de oblig. iust. par.2. lib.9 q.7. Molin. tomo 2. de iustit. & iure, disp.345. Medina de restit. q.30. ad fin. Bann. 2.2 q.77. ag.1. dub.1. Aragon. ibidem ar.4. difficult.1. Salas de empt. & vend. dub.38. & Less. lib.2 de iust. cap. 21. dub.20.* qui addit, quod quando priuilegium conceditur sine iusta causa, primo loco tenentur ad restitutionem ea impetrantes, cum sint principales causæ damni: secundo loco, & in subsidium concedentes. Hāc eandem opinionem docet *Nauar. in Man. cap. 23. num.92. Rosel. ver. Emptio, §.23. Petr. Nauar. 3. de restit. cap.2. dub.9. & alij;* qui tamen uolunt, quòd quando Princeps talia priuilegia concedit in mercibus Reip. communiter neces-

sa-

sarijs, debet simul pretium taxare, ne si id priuilegiatorum arbitrio remittat, daretur occasio uendendi merces iniquo pretio in magnum Reip. detrimentum. Dixi, *In mercibus Reip. communiter necessarijs*; quoniam secus dicendum, si huiusmodi priuilegia concedantur in mercibus, quæ ad delicias, & luxum pertinent: siquidem in ijs cùm nulli, nisi fortè pauci aliqui diuites grauentur, facilè Princeps habere potest iustā causam non taxandi pretia, ut rectè declarat *Salas loc. cit.*

SECVNDA CONCLVSIO.

5 MOnopolium exercens auctoritate priuata, directè, ac per se primò ad augendum mercium pretium supra rigorosum, vel ad minuendum vltra infimum, peccat contra iustitiā, atque ideò est restitutioni obnoxius. Hæc conclusio est communis, & patet ex *l. vnica, C. de monopol.* & constat ex ijs, quos allegat *Ioan. de Salas, de emp. & vend. cap. 38. n. 3.* & ex quibus cumulauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 3. q. 4. concl. vnica, nu. 8.* vbi egimus de monopolijs, quæ fiunt in cambijs, & ostendimus ea esse cōtra iustitiam commutatiuam, & habere onus restitutionis annexum, si ex eo cambij pretium supra iustum augeatur, iuxta ea, quæ habentur ex *Soto lib. 6. de iustit. & iure, q. 11. ar. 3. Nauar. in cap nauigāti, nu. 59.* & ex alijs ibidem à nobis relatis. Etenim monopolium est efficax causa cur augeatur cambiorum pretium supra iustum; sicut & mercium modò indebito; cùm cambij, & mercium pretium iustum, non pendeat ex Campsorum, & mercatorum arbitrio, vt sup. ostendimus, *sect. 1.* Vndè cum monopolium fiat in damnum iniustum alterius, procul dubio est contra iustitiam, & habet onus restitutionis annexum: eo quòd omnia peccata contra iustitiam hoc onus annexum habeant: siquidem omnis restitutio debetur vel ratione rei iniustè acceptæ, vel ratione iniustè acceptionis, vt habetur ex *Caiet. in sum. verf. Restitutio*, & ex alijs communiter.

6 Ampliatur primò hæc conclusio, vt monopolium exercens peccet contra iustitiam, & restitutioni sit obnoxius, siue pacto expresso concurrat ad monopolium, siue tacito, iuxta ea, quę adnotauimus in dictis nostris *Commentar. q. 4. num. 9* Etenim taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cùm quid*, & ibi *DD. ff. si cert. pet.*

7 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt vera sit, siue monopolium fiat per conspirationem plurium totas merces certi generis coemētium: siue citra conspirationem aliquam per vnū tantùm omnes merces certi generis emantur, vt postea ipse suo arbitratu eas vendat. Hi enim peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem secundùm sententiam magis receptam, vt contra *Less. Molin. Bann.* & alios probat *Salas de empt. ac vend. dub. 38. nu. 5.* qui pro hac opinione affert *Gabriel. in 4. d. 15. q. 10. ar. 3. dub. 2. Maior. q. 41. Conrad. de contr. q. 65. post 3. cōcl. Nauar. in Man. cap. 23. num. 91. Petr. Nauar. Tolet. Sot.* & quāplurimos alios Doctores. Etenim cum iure naturali, ac positiuo Ciues ius habeant, vt non fiant huiusmodi monopolia, iniuria videtur inferri illis, si fiant: Siquidem ementes tantam mercium copiam, easdémq; supprimentes, & recludentes, cogunt Ciues pretium augere; quoniam mercium penuria, vel venditorum earum pretia crescunt: quod tēdit in Reip. detrimentum. Est tamen verum, quod si tanta mercium emptio facta ab uno, uel à pluribus, nō redderet in Reip. damnum, tunc licita esset, vt scilicet minutim postea uendantur cum ipsius Reip. vtilitate, vt habetur ex *Menoch. de arbitr. cent. 4.* & ex alijs apud *Ioan. de Salas loc. cit.* quibus adde, quę nos adnotauimus in dictis nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 3 q. 4. sub num. 10. de monopolio*, quod fit in cambijs, agentes.

8 Tertiò ampliatur conclusio, vt monopolium exercens peccet contra iustitiam, & sit restitutioni obnoxius non modo coemendo totas merces vt supra, siue vnus sit, siue plures, sed etiam occultando merces vel conspirando, aut conueniendo de non vendendo eas nisi pretio supra summum, vel de non emendo nisi pretio minus iusto, vt de monopolio in cambijs ostendimus in dictis nostris *Commentar. d. q. 4. n. 11. & 14.*

9 Quartò ampliatur ipsa conclusio in exercente monopolium prohibendo, ne alij merces deferant in Ciuitatem, aut ne uendāt, vt ipse solus, vel pauci cum eo vendentes merces distrahant supra iustum pretium; siue id vi efficiant, siue dolo, ne mercium venditores ad nundinas se cōferant; siue uendere illos prohibeant vigore alicuius priuilegij citra iustam causam à Principe impetrati, vt patet ex ijs, quæ sup. adnotauimus *concl. 1.* Siquidem vtroq; casu si mercium pretium supra iustum augeatur, prædicti sunt iniusta causa talis damni, atq; ideò peccant contra iustitiam, & tenētur damna reficere eis, qui pretio supra summū ratione talis monopolij merces emerunt. Confirmatur ex ijs, quæ in dictis nostris *Commentar. q. 4. num. 12.* cumulauimus, vbi de monopolio circa cambia agentes, ostendimus peccare cōtra iustitiam cum onere restituendi vnum, vel paucos Campsores alios prohibentes, ne cambiant, vt ipsi supra iustum pretium dent cambio: siue per vim id agant, siue dolo impediendo Campsores, ne ad nundinas se conferant, pecunias, aut Chyrographa deferētes pro cambijs celebrandis: siue cambire eos prohibeant vigore alicuius priuilegij absq; iusta, ac rationabili causa à Principe impetrati.

10 Quintò ampliatur præfata conclusio, vt non solùm comprehendat monopolia faciētes vt supra; sed etiam extendatur ad cooperantes ad monopolia committenda: siue cooperentur negatiuè, vt quia conspicientes alios monopolia exercere, ipsi nullo interueniente pacto, abstinent se à vendēdis mercibus, ut aucto per monopolium pretio, sub maiori lucro postea eas uendant: etenim si ex eorum negatiua cooperatione merciū pretium fuerit auctum, monopolij efficiuntur rei, & restitutioni fiunt obnoxij, cùm fuerint effectiua causa damni. Dixi, *Mercium pretium fuerit auctum*, quoniam si ex tali cooperatione pretium non augeatur, secus est dicendum, cùm damni non fuerint effectiua causa. Siue cooperētur monopolijs positiuè, cùm sint in pari criminis causa, iuxta ea, quæ post alios cumulauimus in prædictis nostris *Comment. loc. cit. sub num. 13.*

11 Sextò

11 Sextò ampliatur prędicta conclusio, vt locum habeat in exercentibus monopolium non modò ad augendum pretium mercium supra rigorosum, aut ad minuendum ultra infimum; sed etiā ad augēdum pretium usq; ad rigorosum tātùm, & non ultra; uel ad illud minuendum usq; ad infimum dumtaxat, ut docent *Conrad. de contr. q. 65 post 3. concl. & in 4. concl. Garz. eod. tract. cap. 13. Valent. 22. disp. 5. q. 20. §. ex ijs*, & alij, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 38.* Mouentur ex eo, quòd exercētes eiusmodi monopolia; cogunt ad emendum, uel uendendum tali pretio; rigoroso scilicet, seu infimo: & quia ius iustitiæ uidetur habere Resp. vt hæc monopolia in damnum, & cum damno ipsius. Vndè dicunt exercentes prædicta monopolia peccare non solùm contra charitatem, vt aliqui putant, quos refert *Ioan. de Salas loc. cit.* sed etiam contra iustitiam, atque ideò esse restitutioni obnoxios: siquidem licèt pretium illud rigorosum sit iustum, sicut pretium medium, & infimum; attamen illi virtualiter cogunt ad contrahendum pretio rigoroso, aut infimo.

12 Est tamen verum, quòd *Ioan. de Salas loc. cit.* licèt dicat ex *Rebell.* hanc sententiam esse probabiliorem; attamen vtramq; testatur esse probabilem; atque ideò quidam putant in licitationibus, non esse iniustum petere ab aliquo, ne res pluris licitetur, vt ipse eam infimo pretio habeat: etenim infimum pretium iustum est; & propterea non dicitur lædere venditorem in pretio rei venditæ. His adde, quę nos cumulauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de cambijs. §. 3. q. 5.*

13 Sic ampliata limitatur dicta conclusio quoad quartam ampliationem, vt ita demùm impediētes ne maior mercium copia aliundè importetur, vt ipsi suas merces carius vendant, peccent contra iustitiam, & restitutioni efficiantur obnoxij, tum Reip. in quam caritatem induxerunt, tum alijs si quod damnum sint passi, vel lucrum amiserint occasione talis impedimenti, quando vi, vel fraude impediunt: vndè si venditores solis precibus citra vllam fraudem impediantur merces suas in Ciuitatem inferre, non ueniunt eis reficienda damna, & interesse, si passa ea fuerint: nec Ciuibus restitutio aliqua facienda est: siquidem Ciues non habent ius iustitiæ ad emendum minori pretio, nisi ex suppositione, quòd merces importentur in Ciuitatem, & illis uendantur; neque ad hoc ut precibus non impediantur venditores ingredi Ciuitatem, sed vt non impediantur vi, uel fraude; atque ideò nulla Ciuibus infertur iniuria, vt rectè post alios declarat *Ioan. de Salas de empt. ac vendit. dub. 38. sub num. 7.* vbi contrarium soluit.

14 Secundò limitatur eadem cōclusio quoad secundam ampliationē, vt quamuis vnus, vel pauci monopolium faciant coementes totas merces certi generis, vt postea ipsi suo arbitratu eas vēdant, peccent contra iustitiam, & restitutioni efficiantur obnoxij; nihilominus si quis bona fide totas merces ad se redegerit, vt sibi consuleret, & sua negotia perageret, non peccauit, nec ad restitutionem aliquam obligatur: nam etsi ex tali reductione mercium pretium augeatur, eiusmodi pretij incrementi non fuit causa per se, ac directè; sed causa per accidens, ac indirectè: at in moralibus attenditur id, quod est per se, non autem per accidens. Confirmatur ex ijs, quæ nos adnotauimus in dictis nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 3. q. 4. sub num. 5.* vbi ostendimus, quòd quamuis per monopoliū totam pecuniam vndique congestam vnus, aut plures, sed pauci ad se redegerint, peccent contra iustitiam, & restitutioni fiant obnoxij; attamen si quis pecuniam ipsam ad se redegerit bona fide, vt sibi consuleret, & sua negotia perageret, nullam culpam contraxit, nec aliquid restituere obligatur.

15 Tertiò limitatur, vt licèt mercatores monopolium facientes ad augendum pretium merciū supra iustum, peccent mortaliter contra iustitiā, & ad restitutionem teneantur: nihilominus licitum est versa vice mercatoribus uolētibus emere monopolium facere ad redimendam eorum uexationem; atq; ideò inter se conuenire, vt nemo merces emat, nisi iusto pretio medio, vel infimo, vt probat *Ioan. de Salas de empt. ac vendit. dub. 38 sub num. 3.* dicens id uerum esse durante uenditorum monopolio. Confirmatur ex ijs, quæ adnotauimus in dictis nostris *Commēt. §. 3. q. 4. sub num. 16.* ubi ostendimus, quòd quāuis Campsores peccent contra iustitiam facientes monopolium ad augendum pretium cambij supra iustum; attamen fas est versa vice Cāpsuarijs monopolium facere ad redimendam eorum vexationem, & inter se conuenire, vt nemo accipiat cambio, nisi iusto pretio, medio, vel infimo.

16 Quartò limitatur ipsa conclusio, vt locum nō habeat in monopolio circa fructus; etiam priuata auctoritate commisso, si tanta fructuum esset abundantia, vt post vniuscuiusq; prouisionem factam, magna adhuc superesset eorum copia: siquidem eo casu posset vnus, vel duo simul cōuenire, & emere fructus illos super abundātes, vt habetur ex *Toleto lib. 8 sua sum. cap. 53. vers. Sexto est illicita. Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 3. limit. 10. num. 18.* quos retuli in dictis nostris *Commentar. dicta quæst. 4. sub num. 18.*

TERTIA CONCLVSIO.

17 Monopolia exercentes vltra culpam, quam contrahunt, cum onere reficiendi omnia damna, & interesse, uarijs pœnis afficiuntur, non solùm ipsi; sed etiam & Iudices monopolia dissimulantes quinquaginta libris aureis mulctantur. Hæc conclusio patet ex *l. vnica, de monopol.* ubi monopolia exercentes bonis proprijs spoliati perpetuo damnantur exilio: cæterarum uerò professionum primates, si super taxandis rerum pretijs, aut super quibuslibet illicitis placitis ausi fuerint conuenientes se se pactis astringere ad solutionem quadraginta librarum auri damnātur: & demum ad quinquaginta Iudices, ut supra dissimulantes. Eadem pœna, eadem lege plectuntur non solùm monopolæ, qui illicitis habitis conuenientibus coniurant, aut paciscuntur, ut merces non minoris, quàm inter se statuerint, uenundentur; sed etiam ædificiorum artifices, ergolabi, aliorumuè diuersorum operum pro-

professores,& balneatores pacta inter se componentes, ne quis quod alterum commissum sit opus impleat, aut iniunctam alteri sollicitudinẽ alter intercipiat. Ad Monopolij fraudem reuocatur quoque modus ille fraudis, quo artifices conueniunt, vt non doceant artem, nisi sub certo pretio, aut non nisi solos filios, & nepotes, vt habetur ex *Rebell. par. 2. de obligat. iust. lib. 9. de contrah. empt. q. 7. num.* 4. vbi alios casus recenset. Monopolium pariter dicitur committere, qui per se, vel per alios, falsis sparsis rumoribus, vel litteras configendo de obsidione insulæ, vel alterius loci, vnde merces asportari solent, vel de naufragio nauium, quibus vehebantur, aut alia simili fraude mercium pretia augeri faciat: & denique statutum, quòd omnes vadant ad molendum ad Molendinum Domini, vel ad coquendũ panem in eiusdem Clibano, monopolium dicitur continere, vt per *Socc. cons. 272. num. 6. lib. 2.* quod verum est, nisi hoc quis habeat ex priuilegio Principis ob iustam, aut rationabilem causam, iuxta ea, quæ supra adnotauimus concl. 1. & in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 3. q. 7. sub num. 1.*

An vendentes, aut ementes merces pretio inducto per monopolium, peccent, & ad restitutionem teneantur.

S E C. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Vendens rem pretio inducto per monopolium conscius monopolij, peccat contra iustitiam cũ onere restituendi: secus si sit ignarus.*

2 *Probabilior est sententia excusantium à culpa, cum onere restituendi, vendentes res pretio, per monopolium inducto.*

3 *Hæc sententia tunc vera est, quando pretium per monopolium inductum communi vsu est approbatum, ita vt sit effectum currens.*

1 IN hac re *Barth. Med. in summ. cap. 14. §. 25. regula* 5. distinguit, quòd aut vendens merces dicto pretio erat monopolij cõscius, & fraudis, quibus fuit auctum mercium pretium: aut erat omninò ignarus. Primo casu putat, talem peccare cum onere restituendi, cùm is peccet cõtra iustitiam. Secundo casu inquit sic vendentem non peccare, nec teneri ad restitutionem.

2 Secunda sententia, quæ nobis videtur probabilior, est *Ioan. de Salas in suo tract. de empt. & vendit. dub. 38. sub num.* 7. & aliorum excusantium à culpa, ac restitutione vendentes merces pretio inducto per monopolium. Siquidem prędictum pretium, licèt sit iniustè auctum; & proindè damnum illatum reficiendum sit ab eis, qui per monopolium, & fraudes fuerunt causa talis augmenti; nihilominus iustum redditur respectu aliorum, qui culpam non commiserunt, nec ex officio tenentur monopolium tollere, vel occurrere cùm possint: nam tantum pretium est mercis, aut cambij, quantum communiter secũdum præsentes circumstantias æstimatur, licèt æstimatio illa ex circumstantia iniustæ causæ aliquando nascatur, & fundetur. His adde quæ nos adnotauimus in dictis nostris *Commentar. §. 3. q. 6.* vbi nos ampliauimus hanc conclusionẽ veram esse in cambio siue dantes cambio sciant, siuè ignorent, pretium illud, quo cambiant, fuisse inductum per monopolium, & fraudes: quia cũ sit redditum iustum, ad rem non pertinet, quòd dantes cambio sciant, vel ignorent prouenire ex monopolio, & ex fraudibus: nam non minus valent merces scientium fraudem, quàm nescientium.

3 Est tamen verum, quòd eiusmodi sententiam ita demum veram esse ibidem ostendimus *nu.* 3. quando pretium illud inductum per monopolium, & fraudes, fuerit postea communi vsu approbatum, ita vt sit effectum pretium currens: alias secus esset dicendum: quoniam ante eiusmodi approbationem est iniustum, tanquàm inductum ab ijs, qui non habent auctoritatem: tunc enim tale pretium efficitur iustum, cùm recipitur ab omnibus. Ita *Rebell. de oblig. iust. p. 2. lib. 11. de camb. q. 12. num. 3. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tr. 35. de censib. & camb. cap. 7 q. 8. concl. 2. & 3 num 419. & 420.* vbi idem ait dicendum de eis, qui fuerunt causa negatiua, & indirecta, abstinendi scilicet à negotijs, ea intẽtione, vt interim per monopolium, ab alijs factum augeatur pretium.

Quæ res emi, aut vendi nequeant citra culpam.

S E C. VIII.

S V M M A R I V M.

1 *Quæ in bonis nullius sunt, nec venduntur, nec emuntur citra culpam.*
Et quæ nam res sint sacra, quæ Religiosa, & quæ Sancta.

2 *Spiritualia, ac spiritualitati annexa non venduntur, nec emuntur, citra grauissimam culpam. Et quas pœnas incurrat simoniacus, & an sit hæreticus.*

3 *Non omnis simoniacus hæreticus est, sed is tantum, qui credit, donum Dei posse pecunia comparari.*

4 *Res spiritualis, vel sacra in materia simoniæ pluribus modis dicitur.*

5 *Simonia alia mala est, eo quod iure naturali, & Diuino prohibita, alia, quia solum iure Ecclesiastico.*
Et in quam incurrere possit Papa.
Et an emens Vicariatum Episcopi, teneatur resignare, & Episcopus pretium restituere.

6 *Peccant meretrices vendentes vsum suorum corporum, sicut, & illum ementes non ratione accepti, sed ratione rei venditæ.*
An fornicatio in Christianis habeat peculiarem deformitatem, propter baptismum.

7 *Meretrix acceptum in mercedem fornicationis habita, potest licitè retinere, cum turpiter agat, sed non turpiter recipiat.*

8 *Ante fornicationem commissam si fornicarius aliquid promittat meretrici, vel det, non tenetur stare promissis, & potest repetere, quod dedit.*
An milites speciale habeant priuilegium repeten-

tendi in iudicio quod meretricibus donarunt.

9 *Assassinus, qui pro assassinio commisso aliquid accepit, restituere non tenetur, nec Iudex, qui accepit pro sententia iniustè lata.*
Explicatur dictum D. Augustini Epist. 54. ad Macedon.

10 *Peccant vendentes homines liberos, aut seruos alienos sicut etiam ementes, & tenentur lege flauia de plagiarijs, pœna scilicet capitis.*

11 *Peccant vendentes, ac transferentes res litigiosas in potentiorem, animo, vt Reus potentiorē habeat aduersarium, iuxta declarationem* Molinæ.

12 *Peccant scienter ementes, vel vendentes res furtiuas, vel præsumere debentes, res esse alienas.*

13 *Peccant vendentes, & ementes domum aliquā, aut quamcunque ædificium ad destruendum, vt lapides, & ligna vendantur, vel lucratiuo titulo alienentur, nisi ruinam minetur.*

14 *Peccant emētes, vel vendentes venena, quæ neque per admixtionem aliarum rerum humano vsui, & vtilitati deseruiunt.*

1 NON venduntur citra culpam, sicut nec emuntur, quę in bonis nullius sunt, vt sūt res Sacræ, Religiosæ, ac Sanctæ. Sunt autem res Sacræ, quæ ritè per Pontifices Deo consecratæ sunt, vt sunt ędes Sacræ, & donaria, quæ ritè ad ministerium Dei dedicata sunt: huiusmodi enim res alienari non possunt, nisi pro redemptione captiuorum: pro alimentis pauperum, & pro debitis ab Ecclesia contractis; quod verum est non solum de iure Canonico, quo iure interdicitur omnis rerum Ecclesiasticarum alienatio, vt in *cap. nulli liceat, & toto tit. de reb. Eccl alien. vel non*; sed etiam de iure Cęsareo, vt in *l. Sancimus, C. de Sacrosf. Eccles. & §. Sacra res*, & ibi, *Glos. vers. Excepta, in instit. de rer. diuis.* Religiosus quoque locus cùm sit in bonis nullius alienari prohibetur: qui quidem licèt de iure ciuili Religiosus fiat per mortui illationem dumtaxat, vel saltem capitis, aut maioris partis eius, vt in §. *Religiosum*, & ibi, *Glosa, vers. Mortuum, de rer. diuis.* hodiè tamen de iure Canonico ad faciendū locum Religiosum non est satis mortui illatio; sed insuper exigitur auctoritas Episcopi, vt in *cap. penul. & fin. de consecr. Eccl. vel alt.* Verum tamen est, quòd huiusmodi ciuilis Religiositas impedit loci alienationem, vt habetur ex *Angelo in d. §. Religiosum*. Et quoniam res Sanctæ pariter sunt in bonis nullius, vt supra ostendimus, per consequens alienari non possunt, atque ideò nec emi, nec vendi, vt sunt muri, & portæ Ciuitatis: appellantur autem muri Sancti, sicut & portæ Ciuitatis, quia pœna capitis constituta est in eos, qui aliquid in muros, & portas eiusmodi deliquerit, vt in §. *Sanctæ quoque res, in instit. eod. tit. de rer. diuis.* Et dicūtur in bonis nullius, scilicet hominis, cùm sint Diuini iuris, vt in §. *nullius*, & ibi. *Glosa, & d. §. Sācta, in inst. eod. tit.* Idem dicendum est de rebus publicis, vt platea, via publica, & res omnes Ciuitatis, aut oppidi res emi, ac vendi nequeunt citra culpam abīq; consensu Supremi Principis, vt benè declarat *Molina de contr. disp. 340. num. 25. 26. & 27.*

2 Secundò citra grauissimam culpam non venduntur, ac emuntur spiritualia, ac spiritualibus annexa: siquidem per venditionem, & emptionē spiritualium committitur simonia, pro qua simoniacus vltra excommunicationem, quam cōtrahit, infamiam, & alias pœnas, venit deponendus, vt in *cap sicut. de simon.* vbi simoniæ crimē appellatur pestis: eo quòd sicut pestis sui magnitudine alios morbos vincit; ita simoniaca pestis cætera crimina, ita vt respectu eius reliqua pro nihilo reputentur, vt in *cap fin. 1. q. 7.* vbi simoniaci vocantur primi, & præcipui heretici, & eorum crimen simoniaca hæresis, his verbis, *Patet simoniacos, veluti primos, & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos; & si commoniti non resipuerint, ab exteris potestatibus opprimendos. Omnia enim crimina ad comparationē simoniacæ hęresis, quasi pro nihilo reputantur.* Sunt enim simoniaci primi hæretici: eo quòd Simon Magus, à quo deriuatur simonia, fuit primus hæreticus tempore noui testamenti, qui existimauit, donum Spiritus Sancti posse pecunia comparari. Vndè Apostolus Petrus ad eum offerentem pecuniam pro manus impositione, dixit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Dicuntur quoque simoniaci præcipui hęretici; quoniā simoniaca hæresis longè grauior, & multò magis detestabilis est, quàm hæresis Macedonij, & sequacium Spiritus Sancti impugnatorum, ac illum creaturam, ac seruum Dei Patris, ac filij impiè asserentium. Imò simoniacos hæreticos Iudæ proditori quoque, qui Christum Dominum vendidit comparari, probat *Tarasius Episcopus in Epist. ad Hadrianum Papam*, de qua in *cap. eos, 1. q. 1.* ita se habens: *Tolerabilior est enim Macedonij, & eorum qui circa ipsum sunt, Spiritus Sancti impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam, & Seruum Dei Patris, & filij, Spiritum Sanctum delirando fatentur. Isti verò eundem Spiritum efficiunt suum seruum. Omnis enim Dominus quod habet si vult, vendit, siue seruum, siue aliquid aliud eorum, quæ possidet. Similiter, & qui emit Dominus eius volens esse, quod emerit per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita, & qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui Sancto; æqualiter peccantes his, qui blasphemauerunt dicentes, Christum in Beelzebub eijcere Dæmonia; atque vt verius dicamus, Iudæ comparantur proditori, qui Iudæis Dei occisoribus, Christum vendidit. Cùm ergo Spiritus Sanctus consubstantialis sit Christo, eiusdem omninò, & ipsi portionis erunt, &c.*

3 Est tamen verum, quòd non omnis simoniacus est hæreticus; sed is tantum qui credit donū Dei posse pecunia comparari, sicut Simon Magus, iuxta illud Apostoli, *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Etenim nunquam aliquis dicitur hæreticus nisi errorem habeat in intellectu fidei Catholicæ contrarium, vt latè nos ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. cap. 1. q. 22. num. 1. cum plur. seq.* Vndè si quis credat non posse ordines conferri, mediante pecunia, nec donum Spiritus Sancti vendi, & nihilominus ordines non conferat, nisi mediante pecunia, is proculdubio simoniacus est; non tamen hæreticus, quoniam errorem non habet in intellectu fidei Catholicæ contrarium; atq; ideò peccat mortaliter, & subijcitur pœnis, & cēsuris in simoniacos latis; sed non contrahit excommu-

municationem contra hæreticos in Bulla Cœnæ statutam. Eadem ratione si quis metu mortis aliquid dixerit catholicæ fidei cōtrariū citra ullū in interno intellectu assensum, quo credat id, quod ore profertur, is peccat quidem mortaliter, non tamen erit hæreticus, nec in excommunicationē contra hæreticos latam in foro saltem conscientiæ incidit, vt diximus in dictis nostris *Commentar. loc. cit. sub num. 3.*

4 Dicitur autem quoad rem nostram attinet, res aliqua spiritualis, vel sacra, ita vt sit materia simoniæ pluribus modis. Primò ex sui natura, quales sunt omnes supernaturales virtutes, & gratiæ præuenientes, & aliæ omnes gratis datæ; siue in habitu aliquo consistant, siue in quadam assistentia Spiritus Sancti. Secundò res dicitur spiritualis, seu sacra, quoniam causa est effectiua sanctificationis, vt sunt Sacramenta: vel dispositiua, ac excitatiua, vt sunt Sacramentalia, preces, & exorcismus. Tertiò res appellatur spiritualis, seu sacra, quia est effectus, seu vsus sacræ potestatis, quales sunt excommunicationes, absolutiones, benedictiones, & consecrationes, quas facit Ecclesia, prophetare, & miracula facere. Deniq; res aliqua dicitur spiritualis, seu sacra, quoniam rebus est annexa sacris propriè, vt beneficia, iuspatronatus, & ius eligendi: vel impropriè, vt officium Sacristæ, & officium Oeconomi Ecclesiæ, vasa sacra, & vestes Sacerdotales, & his similia, sunt propriè quoq; annexa spiritualibus, seu sacris, sicut iuspatronatus; quoniam sunt deputata ad vsum spiritualium, vt habetur ex *Panor. in cap. consulere, de sim.* & Nos ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 2. cap. 14 q. 5 num. 13.* vbi *num. 10. & seq* declarauimus etiā quo pacto iuspatronatus dicatur annexum iuri spirituali, & *num. 8. & 9.* Res spirituales esse probauimus non solùm supra relatas, sed etiam decimas, primitias, & oblationes, præsentationes, ac nominationes. Et spiritualia multipliciter diuisimus: siquidem quædam spiritualia dicuntur talia secundùm eorum essentiam, siue incorporalia sint, vt virtutes, & dona Dei, quæ non cadunt in conuentionem, & æstimationem; siue corporalia sint, vt reliquiæ Sanctorum, quæ de iure vendi non possunt citra simoniæ labem, vt *in cap. 1. & 2. de reliq. & vener. Sanctor.* Item spiritualia quædam diximus esse ordinatiuè talia, eo quòd ordinantur ad aliquod spirituale, vt sunt decimæ, primitiæ, & omnia beneficia ecclesiastica; siquidem ordinantur ad ministrorum sustentationem, vt commodè valeant spiritualibus intendere; sic etiam pecunia destinata pro alicuius monachatione potest dici res spiritualis ordinatiuè; quoniam ordinatur ad monachationem. Præterea spiritualia quædam sunt participatiuè talia, vt cœmeteria, vasa sacra, & similia: eo quòd participant consecrationis, quæ spirituali benedictione fit. Quædam spiritualia sunt ratione causæ, vt sunt Sacramenta, de quibus supra diximus. Quædam sunt spiritualia ratione status, vt est religio. Quædam sunt spiritualia, eo quòd dependent à potestate spirituali, vt excommunicatio, & aliæ censuræ, & ab eisdem absolutio. Et demum quædam sunt spiritualia ratione officij, seu ordinis, vt pulsare campanas, claudere ostia, & alia eiusmodi, vt habetur ex *Panor. in d. cap. consulere de simon.* quibus adde, quæ traduntur per *Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 35. dubit. 2.*

5 Diuiditur denique simonia in eam, quæ mala est, eo quòd iure naturali, ac Diuino damnatur: & in eam, quæ mala est, eo quod iure ecclesiastico prohibetur. Prior est omnis venditio, & cōmutatio spiritualium cuiuscumque generis pro pretio tēporali, si in ea ratio habeatur consecrationis, vel eius, quod supra naturam est, qualis est Sacramentorum, vel Sacramentalium, vel functionum potestatis spiritualis distractio: aut si quis pluris vendat Calicem cōsecratum, quàm non consecratum; globulos benedictos, quàm non benedictos; idque non ratione laboris, vel sumptuum, quos fecit, vt curaret benedici; sed ratione benedictionis, vt habetur ex *D. Th. 1. 2. q. 100. ar. 2. Duran. in 4. d. 15. q. 5. Nauar. in Man. cap. 23. num. 99. & 100.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 35. dub. 2. num. 14. cum plur. seq.* vbi rem hanc latè tractat, & sufficienter declarat, & *dub. 5.* rectè probat, hanc simoniam posse contrahere Rom. Pontificem quoad culpam; quoniam Papa æquè, ac alij subiectus est legi Diuinæ, ac naturali. Simonia verò damnata solo iure ecclesiastico est vēditio beneficiorum secundum partem temporalem, aut eorumdem permutatio citra Superioris auctoritatem, aut renunciatio reciproca, vel confidentialis. Est etiam simonia iure ecclesiastico damnata venditio quorundam minus spiritualium, vt officij Sacristæ, Oeconomi Ecclesiæ, Aduocati Ecclesiæ, & similium, vt patet ex communi *Canon* sententia *in cap. quæsitum, & cap. cum olim, de rer. permut.* & rectè probat *Less. loc. cit. dub. 4 num. 24. cum plur. seq.* qui *dub. 5.* excludit Papam ab eiusmodi simonia solo iure ecclesiastico introducta: siquidē Princeps non subest suis legibus; peccat tamen non viuendo secundum leges, vt *in l. Princeps, & l. digna vox, de legib.* Adde his etiam *Dian. tomo 4 resol. moral. tr. 4. resol. 167.* vbi quærit an emēs Vicariatum Episcopi, teneatur resignare, & Episcopus pretium restituere, & concludit negatiuè.

6 Tertiò peccant Meretrices vendentes vsum suorum corporum; sicut & illum ementes non ratione venditionis, &c. vt *num. seq.* licitè accipiunt pretium, sed ratione rei venditæ: siquidem tam vendentes, quàm ementes concurrunt ad violationem præcepti Diuini, Non mœchaberis: etenim *D. August. q. 1. super exod.* Mœchiæ nomine non solùm adulterium; sed etiam omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus vsus inquit esse prohibitus. Vndè fornicatio ex suo genere est intrinsecè mala, atq; ideò lethalis culpa; & contrarium asserere est hæreticum, vt contra nonnullos hæreticos determinauit *Conc. Viennense clem. ad nostrum, de hæret.* & rectè declarat *Nauar. in Man. cap. 16. nu. 1. Less. lib. 4. de speciebus luxuriæ cap. 3. dub. 7. Sayr. lib. 8. Clauis Reg. cap. 2. sub num. 2. cum plur. seq.* & alij ferè innumeri, quos ipsi referūt. Imò fornicatio in Christianis habet peculiarem deformitatem ratione Baptismi, & confirmationis, quibus corpora nostra facta sunt membra Christi, & in templum Spiritui sancto consecrata, iuxta illud Apostoli ad *Corinth. cap. 6. Nescitis quoniā corpora vestra membra sunt Christi?*

sti? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? absit, &c. & infra: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno.*

7 Est tamen verum, quòd meretrix acceptum in mercedem fornicationis iam habitæ potest sibi licitè retinere: siquidem licèt meretrix turpiter faciat, quòd sit meretrix; non tamen turpiter accipit, cùm sit meretrix, vt habetur *in l. 4 §. sed quod meretricè. ff. de condit. ob turp. caus.* Vndè meretrix secundùm aliquid dicitur à merendo; quoniam sui corporis vsus mercedem meretur, vt *in l. affectionis, ff. de donat.* Quod adeò verum est, vt rem habens cum meretrice teneatur in cōscientia ei soluere mercedem solitam, vt probant *Sayr. lib. 10. Clauis Reg. tr. 5. cap. 3. n. 34. Azor. par. 3. Inst. moral. lib. 4. cap. 21. q. 2. Salon. in 2. 2. q. 62. ar. 5. contr. 4. concl. 1. & 2. Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 14 dub. 8.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Sayr. loc. cit. & Diana par. 1. tr. 16. resol. 38.* qui eam esse rationem esse volunt, quòd pro omni actu pretio æstimabili potest percipi merces; at actus fornicationis si consideretur, non vt turpis, & illicitus; sed vt naturalis, & delectabilis potest pretio æstimari; ergo &c. Imò in foro ex teriori post commissam fornicationem datur actio meretrici contra fornicarium pro solita, seu conuenta mercede; cum ei de iustitia debeatur, vt habetur ex *Soto lib. 4. de iust. & iure q. 7. ar. 2. Caiet. 2. 2 q. 32. ar. 7. in resp. ad primū, vers. Aliter ergo dicitur, Couar. in regula peccatum par. 1. § 2. num. 1. ante fin.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Sayr. loc. cit. sub num. 34. ver. Pars secunda.*

8 Dixi, *Post commissam fornicationem*, quoniam ante fornicationem cōmissam, si fornicarius aliquid promittat meretrici in mercedem fornicationis futuræ, aut quid tribuat, non tenetur stare promissioni, & tributū potest repetere: eo quod eius nullum dominium acquirit meretrix. Etenim antequam res turpis fiat, pactio, & promissio, datio, & acceptio pretij ordinantur ad peccatum patrandum: at nemo obligari potest ad peccatum cōmittendum, vt rectè declarat *Sayr. vbi sup. vers. Pars prima, & vers. pars secunda, Diana d. resol. 38. Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 14 dub. 8 sub num. 55. vers. Dixi opere completo, & cap. 18. dub. 3.* Imò militibus ex speciali priuilegio conceditur ius repetendi in iudicio, quod meretricibus donarunt, vt est *tex. in l. 2. C. de donat. inter vir. & vxor.* vbi decernitur restitui ancillam militi, quam ipse donauerat concubinæ, atque ideò post fornicationem, vt rectè declarat *Less. d. dub. 8. sub num. 58.* Cæterum regulariter post fornicationem commissam potest meretrix sibi retinere, quod pro fornicatione sibi tributum fuerit, & promissam, aut solitā mercedem petere, ac exigere, vt supra diximus. Quæ vera esse docet *Less. d. dub. 8. num. 52.* non tātum in fornicatione, quæ est contra castitatem dumtaxat; sed etiam in opere completo contra iustitiam. Etenim inspecto solo naturæ iure acceptū ob turpem causam, seu propter opus, quod est peccatum, opere impleto, non necessariò est restituendum, siue illud opus sit contra iustitiam, siue non, vt colligitur ex *D. Th. q. 32. ar. 7. in corp. & q. 62. ar. 5. ad 2.* vbi ait, posse retineri id, quod propter opus malum est acceptum. Nec distinguit, an opus illud sit contra iustitiam, uel non contra iustitiam: vndè mulier nupta licèt faciat contra iustitiam adulterando cùm iniuriā inferat uiro, acceptum tamen pro adulterio cōmisso non tenetur restituere: imò mulier aliàs bona, & honesta potest vsuram sui corporis vēdere supra communem æstimationem, vt habetur ex *Less. loc. cit.* quem uidetur sequi *Ioan. de Sal. in suo tract. de empt. & vendit. dub. 49.* Adde, quòd non desunt, qui velint, fœminas accipientes munera à suis amatoribus spe consequēdi ab ipsis, quod prauè concupiscunt, si non consentiant, non teneri ad eorum restitutionem. Siquidem nullus ferè datur amator, qui non erubesceret, si præfata munera sibi remitterentur; atque ideò verè censentur donata. Ita *Rebell. par. 1. lib. 3 q. 7. n. 6. & Valer. in differen. vtriusq. fori, vers. Restitutio, differ. 3.* quos refert, & sequitur *Diana loc. cit.*

9 Quæ diximus de adultera, & meretrice extēdimus ad omnes alios accipientes aliquid in mercedem eorum criminum commissorum cōtra iustitiam. Vndè Assassinus, qui pecuniam accepit pro assassinio commisso, non tenetur eam restituere, & Iudex, qui aliquid accepit pro sententia iniustè lata, illius non est restitutioni obnoxius. Nec obstat illud *D. Augustini epist. 54. ad Macedonium*, dum ait: *Sceleratius accipi pecuniam pro sententia iniusta, quàm pro iusta: pro testimonio falso, quàm pro testimonio vero*: at pecunia accepta pro sententia iusta est restituenda; ergo & pro sententia iniusta; quoniā respondetur negando consequentiam: etenim non valet dicere aliquid est sceleratius; ergò magis, vel æquè obligat ad restitutionem: hæc enim obligatio non sequitur magnitudinem sceleris; sed damnum per iniuriam datum; atqui accipit pro sententia iniusta, nullam infert iniuriam danti; sicut is pro iusta: & tamen illud est sceleratius, quàm hoc, vt rectè respondet *Less. d. dub. 8 num. 55.* Qui enim pro sententia iustè lata aliquid percipit, consequitur illud ob causam honestam, ad quam tamen de iustitia obligabatur: at accipiens aliquid pro eo, quod tenebatur facere, uel omittere de iustitia, tenetur ad illius restitutionem: siquidem id, quod datur pro iustitia obtinenda, vel iniuria vitanda non censetur dari spontè, sed coactè ex metu iniuriæ prouenientè ab eo, cui datur; atque ideò necessariò est restituendum: quoniam censetur per tacitam quandam iniuriam extortum: quod si daretur ex mera liberalitate, non erit restitutioni obnoxiū, vt rectè declarat *Less. d. cap. 14 dub. 9.* vbi *num. 69.* idem dicendum probat si opus sit debitum ex charitate: secus autem quando aliquid datū est pro opere, vel omissione, quæ solùm cedit in commodum accipientis, vel in honorem Dei; quia tunc non est necessariò restituendum, saltē si non reperiatur in iudicio, vt per eundem *Less.* ibi post alios, sub *num. 71.*

10 Quartò peccant uendentes homines liberos, aut seruos alienos, sicut & scienter eos ementes, & tenentur lege flauia de plagiarijs, per quam pœna capitis constituitur, vt *in l. quoniam, & l. fin. C. ad leg. Flauiam de plagiarijs*, & rectè declarat *Molina de contr. d. disp. 340. nu. 24.* Imò quamuis pater antiquitus vitæ, ac necis potesta-

tem

tem habuerit in filios; hodie tamen non potest eos nec vendere quidem, nec donare, nec pignori dare, aut alio quocumque titulo alienare, vt *in l.1.C.de Patrib. qui filios suos distraxerunt:* possunt tamen liberi dari à patre in obsides, vt *in cap.ex rescripto, iuncta Glosa in ver. Obsides, de iure iur.* quamuis *Glosa in l.2.in ver. Vendiderit, C.de patr.qui filios suos distr.* dicat, id esse vsurpatum. Est tamen verum, quòd filius potest à patre vendi, ac pignorari ex causa nimiæ paupertatis, & egestatis, ut habetur *in d.l.2.C. eod.tit.* vbi tamen *Glos.in ver.Vendiderit,* id nō concedit matri, ad quod allegat *tex.in l.transactione, C.de transact.* An autem homo liber possit se in mancipium vendere, vide *Sà, ver. Venditio, num.* 13. Tenentur tamen ementes filios venditos ex causa nimiæ egestatis vt supra, liberos dimittere, quotiescumq; pretium eis reddatur, aut fuerint eisdem data mancipia æquiualentia, vt decernitur per *d l.2.*

11 Quintò peccant vendentes, ac transferentes res litigiosas in potentiorem eo animo, vt reus potētiorem haberet aduersarium, & eodem modo peccant scienter eas ementes, tanquam vendentium iniquitati cooperantes, quod tamen declarat rectè *Molina loc.cit.num.*14.15.*&* 16. & tractat etiam casus, in quibus incidant in pœnas contra eos constitutas.

12 Sextò peccant scienter ementes, ac vendentes res furtiuas, aut præsumere debētes res esse alienas ex qualitate rei, quæ venditur, vel personæ vendentis; imò bona fide res eiusmodi emens, si deindè comperiat esse alienas, ac furtiuas, tenetur eas Domino restituere, nec potest pretium repetere, vt *in l.inutilem, C.de furt.* His adde, quæ habentur ex *Diana par.2. resol. moral.tr.* 17.*resol.*4. dum tractat de emente rem furtiuam mala fide, an debeat rem Domino restituere, vel satis est si furi restituat, & pretium repetat. Item adde prædictis tradita per *Ioan.de Sal.de empt. & vend. dub.* 48. vbi latissimè hanc materiam pertractat.

13 Septimò peccant vendentes, ac ementes domum aliquam, vel ædificium quodcumque, vt destruatur, & lapides, ac ligna vendātur, aut alio lucratiuo contractu alienentur: neq; ex ædificio extrahi valent, vt vendantur, nisi ædificium ruinā minetur, aut nisi in publicū aliquod ædificiū sint &c. neque legari possunt, vt *in l.2.C.de ædific.priuat.l.cætera in prin.& §§.seq.ff.de legat.* 1. & latè *Molina d.disp.*340.*num.*28. vbi tamē id limitat, posse transferri ab vna domo in aliam à proprijs Dominis, modo tamen publicus aspectus domus, à qua auferuntur, ea de causa non deformetur, vt *in d.l.2.C.de ædific.priuat.*

14 Octauò peccant ementes, ac vendentes venena, quæ neque per aliarum rerum admixtionem humano vsui, ac vtilitati deseruiunt. Imò si venenum seruiat ad venandum, aut ad colores aliquos conficiēdos, aut ad alios similes vsus Reip. necessarios, vendi quidem potest, sed ijs tātùm, de quibus ex officio, aut ex alijs circumstantijs constet, eos illud velle ad eiusmodi vsus. Ita *Mol.d.disp.*340. *num.*35. qui etiam *tomo* 1. *de iust.& iure disp.*91. tractat de pœnis ementium, ac vendentium officia publica citra Regiam facultatem, latè *Rebell.lib.*9 *q* 18 *sec.*2. *Lopez de contr. cap.* 6 *& alij,* præsertim *Diana tomo* 4. *resol.moral.tr.*4.*resol.*167. vbi tractat de emente Vicariatum Episcopi, an teneatur resignare, & Episcopus pretium restituere. Hæc sufficiant de peccatis, quæ communia sunt uendentibus ac ementibus simul, restat modo videndum de peccatis, quæ propria sunt vendentium: & demum videbimus de culpis, quæ ab ementibus dumtaxat contrahuntur.

De culpis, in quas soli venditores incidere solent, à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

S E C. IX.

S V M M A R I V M.

1 *Peccant vendentes vltra pretium naturale rigorosum, vel legitimum, etiam dilata solutione.*
2 *Non modo vendi, sed neque commutari potest res vltra pretium legitimum, vel rigorosum.*
3 *Peccant vendentes vltra pretium legitimum, seu naturale etiam si in modico excedant, venialiter tamen.*
4 *Venditores, quamuis ipsi emerint vltra pretiū legale, vltra tamen pretium prædictum vendere non possunt.*
5 *Etiam exteri vendere tenentur pretio legali, nec possunt citra culpam regulariter illud excedere.*
6 *Legale pretium in vendendo non solum seruare tenentur laici; sed etiam Clerici, & Religiosi.*
An debeant iudicari, puniri, & corrigi tantum coram Iudicibus Ecclesiasticis.
7 *Non est licitum tritico mundo, & sincero miscere aliqua mala, inutilia, vel inferiora, & pretio taxato vendere.*
8 *Adeo legali pretio standum est, vt neq; sub hasta licitum sit res vendere vltra taxam.*
9 *Vendentes vltra pretium legale frumentum, nō solum peccent, sed etiam ad restitutionem tenentur, siue laici, siue Clerici sint.*
10 *Res vendi potest carius supra rigorosum pretiū naturale, seu commune fori credito, & quare.*
11 *Vendentes res, excedentes alias in bonitate eiusdem generis, citra culpam, & obligationē restituendi eas vendere possunt, etiam vltra pretium legale.*
12 *Magna superueniente sterilitate non tenentur venditores in rerum venditione stare pretio legali.*
13 *Possunt citra culpam venditores secernere fructus eiusdē speciei meliores à deterioribus, & deteriores vendere pretio taxato, meliores verò supra legale pretium.*
14 *Stabularij vendentes hordeum minutatim pro iumentis possunt illud vendere maiori pretio, quam sit lege taxatum, & quando.*
15 *Ratione donationis admixta citra culpam potest vendi res vltra iustum pretium, siue sit lege, siue fori vsum constitutum.*
16 *Exteri si in magna copia superueniant, potest eis res carius vendi, quam ciuibus, alias secus.*
17 *Mercatores, quamuis in vendendo teneantur stare*

stare pretio legali, possunt tamen res carius vendere ob curas, & cogitationes in rebus conquirendis, conseruandis, & distribuendis.

18 *Potest res carius uendi, quando gratia emptoris venditur, & quam uenditor non erat alius venditurus.*

19 *Res vendi potest carius ratione periculi.*

20 *Potest res vendi vltra legale pretium ex Superiorum permissu ad maiora damna vitanda.*

21 *Venditores tunc stare tenentur pretio, à lege taxato, cum est iustum; secus verò si iniustum fuerit.*

22 *Quamuis venditores non possint citra culpam res vendere vltra pretium iustum à lege, aut communi foro taxatum possunt tamen vltra pretium prædictum iura traiectionis exigere.*

23 *In multis casibus licitum est res vendere pluris, quam valeant, & minoris emere.*

24 *Peccant venditores falsas litteras confingentes, de industria proiciunt, vndè alius credens emendo in pretio læditur, sed non tenentur ad restitutionem.*

25 *Peccant venditores vendentes merces pretio currenti, quamuis sciant ob proximam futuram abundantiam pretium mox minuendū, & n. seq.*

26 *Contraria tamen sententia, quod non peccent probabilior est.*

27 *Scientes pretium mercium esse minuendum, si eas vendant pretio currenti non modo non peccant contra iustitiam, sed neq; contra charitatem.*

28 *Rogatus de futura mercium copia, vel tritici, diminutione pecuniæ, &c. Et dicat se nescire, cum sciat, & merces suas vēdat currenti pretio, adhuc non peccat contra iustitiam.*

29 *Hæc conclusio locum habet in omnibus alijs casibus pro contraria opinione relatis.*

30 *Quamuis sciens superuenturam mercium copiā, eas vendat, vel exponat vendēdas pretio currenti, non peccat contra iustitiam, peccat tamen si fraudibus, vel mendacijs inducat emptores ad illas emendas.*

31 *Venditor sciens mercium abundantiam mox futuram non peccat regulariter contra iustitiam, potest tamen peccare contra charitatem, & quando.*

32 *Venditor sciens futuram copiam vt supra tunc non peccat contra iustitiam, si sciat, vel credat emptorem velle eas merces in pretio diminuēdas ob earum copiam mox futuram, consumere statim, secus, si sciat emere ad conseruandum, quia deberet monere emptorem.*

33 *Venditor qui Consiliarium, vel ipsum Principē muneribus corruptum induxerit ad reuelandum decretum ante illius promulgationem, quo merces notabiliter in pretio essent diminuendæ, & obid pretio currenti vendat, peccat contra iustitiam cum obligatione restituendi.*

34 *Venditor qui ex scientia Magistratus nouerit, pretium mercium esse diminuendum, & eas pretio currenti vendat, peccat quamuis Magistratum muneribus non corrumpat, & decretum non fuerit permulgatum.*

35 *Peccant venditores, qui videntes emptorē maximè indigere tritico nolint illi vendere triticum, nisi simul vendant, & hordeum.*

36 *Peccant venditores fraudantes emptores in ponderibus, & mensuris, & rerum venditarū vitia, ac defectus eis non manifestantes, eosq; decipientes, siue intra, siue ultra dimidium iusti pretij.*

37 *Peccant venditores facientes monopolia & cōspirationes ad augendum pretium rerū. Aut vendentes res sacras, religiosas, Ciuitatis, &c.*

38 *Peccant venditores vendentes vinum, aquæ mixtum. Et quando.*

39 *Peccant vendentes res indifferentes. Et quādo. & n. seq.*

40 *Opposita sententia est benignior, & in praxi magis vsitata.*

41 *Vendentes in diebus ieiunij cibos vetitos, quibus certo nouerint ementes abusuros; an, & quando peccabunt.*

42 *Hostes, & Tabernarij parantes cœnam hospitibus, & viatoribus, an, & quando peccent.*

43 *Paterfamilias ministrans cœnam, cibosq; distribuens filijs, ac famulis, qui ieiunare tenentur in diebus ieiunij an peccet mortaliter.*

44 *Ieiunium soluere propter amicum, nos ad prādium inuitantem, an licitum sit.*

45 *Peccant venditores scienter vendē es res alienas, cum possint illas Domino restituere.*

46 *Siue res aliena furtiua sit, siue non.*

47 *Non peccat qui emit rem à fure, eiq; furi restituat, nec ad aliam restitutionem tenetur.*

48 *Si res aliena non poterat Domino restitui, nec per alienationē reddita fuit recuperatio difficilior, non tenetur alienans ad pretij restitutionem, nec ad rei æstimationem, nisi in quantum factus est ditior.*

49 *Vendens rem, alienam bona fide, vt quia putabat esse suam non peccat, nec tenetur ad pretij restitutionem, & si consumpsit non obligatur ad rei æstimationem, nisi in quantum factus est ditior.*

50 *Si res vendita euincatur, vel Domino ab emptore restituatur, tenetur venditor de euictione.*

51 *Vendens rem, quam cognouit esse alienam, ad eius restitutionem tenetur prima oportunitate, idq; solum ratione rei acceptæ.*

52 *Peccant uendentes unam, eandemq; rem pluribus diuerso tempore, & ex interuallo insolidum.*

Et quinam ex emptoribus præferatur.

53 *In multis casibus posterior emptor, cui res est tradita non præfertur priori.*

54 *Peccant uenditores, quibus aliqua fuerunt tradita ad uendendum, si aliquid ex pretio retineant, & pluris uendiderint, quam sit eis à Domino præscriptum.*

55 *Id tamen non procedit ubi concurrit Domini rei uoluntas tacita, uel expressa donandi illū excessum uenditori, uel ubi uenditor opera sua illum meruit.*

56 *Nec procedit ubi uenditor rem illam à Domino pretio constituto compararet, & deindè suo nomine pluris uenderet.*

57 *Peccant uenditores res proprias in fraudem creditorum uendentes.*

58 *Si emptor sciat rem emptam fuisse uenditam, uel alio contractu oneroso alienatam in fraudem creditorum, datur creditoribus in foro*

exte-

exteriori actio rescissoria. Et ad quid.

59 *Si bona fide fuerit quis rem alienatam consecutus, ignorans fuisse factam alienationem in fraudem creditorum, non modo dominium comparat, sed ad nullam restitutionem tenetur.*

60 *Multo magis competit actio rescissoria contra accipientem rem alienam in fraudem creditorum titulo lucratiuo.*

61 *Peccant vendentes fundum, & reseruantes sibi fructus annales, donec pretium fuerit solutũ, & quare.*

62 *Peccant Clerici negotiatores, res ementes, & immutatas vendentes negotiationis causa.*

63 *Peccant vendentes, & redimentes pensiones, & cur.*

64 *De qua pensione sit intelligenda hac opinio.*

65 *Peccant vendentes Generalatum, Prouincialatum, Correctoriatum, Guardianatum, Prioratum, &c. Et simoniam committunt.*

66 *Peccant vendentes, deferentes, aut transmittentes ad Saracenos, aliosq; Christiani nominis inimicos Equos, arma, ferrum, &c. Et excommunicationem Bulla Cœna incurrunt.*

67 *Peccant vendentes, & ementes in loco sacro, ratione irreuerentia.*

68 *Peccant vendentes rem pro decem, qua tempore traditionis creditor valitura tantum quinq; nisi restituant quinque etiam si postea valeat quindecim.*

69 *Peccant venditores cogentes alios ad emendũ merces suas, aliasque res.*

1 PEccant primò vendentes res vltra pretium naturale rigorosum, aut vltra pretium legitimum, seu à lege, ac Repub. definitum, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *sec.* 1. Quæ conclusio ampliatur etiam in vendente supra rigorosum pretium dilata solutione, aut eo casu vltra legitimum, vt declarauimus supra *sec.* 2. vbi rem hanc multipliciter limitauimus.

2 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt non modo vendi, sed nec quidem commutari possit res vltra pretium taxatum, seu legale, & vltra rigorosum pretium naturale: siquidem non est licitum commutare rem minoris pretij pro re maioris ualoris: & prohibita venditione, intelligitur prohibita commutatio, *l. statu liberi, ff. de statu liber* Hinc dispositio *l. 2. C. de rescind. vendit.* habet locum non solùm ad rescindendam venditionem ex capite læsionis in pretio vltra dimidium; sed etiam in permutatione, vt habetur ex *Bann. 2. 2. q. 77. ar 1. post dub. 3.* vbi etiam *Salon. contr. 14. Ledes. 2. par. summ. tr. 8. cap. 32. cõclus. 7 post 5. difficultatem*, quos ad probandam nostram conclusionem citat *Ioan. de Sal. in suo tr. de empt. & vend. dub. 24. num. 5.*

3 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt vendentes vltra legitimum pretium, aut naturale rigorosũ, peccent, etiam si in modico excedãt: nam iustitia commutatiua violatur, non solum in excessu, quoad pretium in magna quantitate, verum etiã in minima. Est tamen verum, quòd venditores excedentes in pretio in modico nõ peccant plusquam venialiter, etiam si agatur de pretio legali: quoniam Princeps, & Magistratus non intendũt cum tanto rigore obligare, vt contrauenientes in modico, peccent mortaliter; nisi in multis mensuris multorum argenteorum cumulus fieret, vt habetur ex *Guttier. lib. 2. pract. qq. q. 81.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Sal. d. dub. 24. num. 3. & 4.* vbi etiam *nu. 2.* probat venditores eiusmodi excedentes in modico pretium legale non debere puniri pœna graui, & tota pœna legis, cum grauis pœna non possit imponi propter leuem culpam; nisi modicus excessus sit sæpè repetitus, seu in multis mensuris, quoniam tunc magnam efficit quantitatem. Imò venditores ipsi pœnam non tenentur soluere ante Iudicis cõdemnationem, nec pęna talis transit ad hæredes, vt post alios inquit idem *Ioann. de Sal. d. dub. 14. sub num. 4.* vbi ex *Azeuedo*, & alijs probat quoque, pœnam amissionis tritici venditi debere intelligi, si triticum in potestatem ementis trãsierit, & fuerit consumptum. Et multò minus incurritur ipsa pœna ex sola petitione maioris pretij, vt per eundem *Ioan. de Sal. ibidem, num. 1.*

4 Quartò ampliatur, vt venditores non possint vendere res vltra legale pretium, etiam si ipsi res ipsas emerint vltra legale pretium; atque ideò, qui emit triticum pretio taxam excedente, non potest citra culpam eodem pretio reuendere. Etenim iniquitas prioris venditoris facultatem non tribuit secundo ad similem iniquitatem, vt rectè probant *Eman. in sua sum. par. 2. cap. 79. num. 5. Salon. 2. 2. q. 77. art 1. contr. 9 & 11. Vega ver. Trigo, casu 1.* & latè *Ioan. de Sal. in suo tr. de empt. & vend. dub. 16.* vbi *sub num. 1. vers. Addunt*, reijcit sententiam *Emanuelis*, & aliorum, dicentium; eum qui emit pretio taxam excedente, posse alteri vendenti medietatem eodẽ pretio illam dare, quia hoc non est alteri vendere; sed participem emptionis illum volentem facere: id enim putat non esse verum, nisi rescissa in ea parte venditione, tertius pro illa parte cum priori venditore contraheret, aut ad eandem partem per se emendam procuratorem alium constitueret. Vndè *num. 2. & 3.* Ex dictis infert duo; primum, quòd quando quis frumentum emit vltra legale pretium soluendo traiectori iura traiectionis, non potest illud distrahere vltra taxam, exigens ea iura, cùm ipse aliundè frumentũ non aduexerit; quoniam iura traiectionis solùm conceduntur per legem aduehentibus aliũdè triticum, vt Ciuitati prouideant. Secundum, quòd is, qui ex horreo publico frumentum comparat vltra pretium legale; eo quòd Resp. inter Ciues iustè diuidit expensas, quas in tritico aduehendo, & seruando fecit, non posse illud alteri vendere eodem pretio, seu expensas ab alio exigere: siquidem illa expensarum distributio ius illi nõ dat vendendi vltra taxam, vel partem illam oneris alijs cum tritico vẽdito imponendi. Ita *Ioan. de Sal. loco citato*, contra *Ledes. qui num. 4.* contraria soluit. Quæ diximus in supradictis casibus extendimus ad agricolas, & alios, quibus mensura tritici constat maiori pretio, quàm sit lege taxatum: nam non possunt eodem pretio illam vendere: Etenim lex commune bonum attẽdit, & communiter accidentia, ne semper agricolæ, & mercatores lucrari debeãt. Ita *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 2. ar. 3. Cordub. in sum. q. 84. Guttier. pract. qq. lib. 2. q. 180. num. 3. Vega vers. Trigo, casu 1 & Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub. 14.* cum alijs, quos allegat.

5 Quintò ampliatur, vt etiam exteri teneantur ven-

vendere pretio legali, nec possunt citra culpam regulariter illud excedere, vt rectè docet *Molin. de contr. disp. 364. sub num. 12. & 13.* Etenim aut pretium incolis taxatum ex natura rei est iustum, vel iniustum. Si primum, sequeretur exteros vendere vltra pretium ex natura rei iustum, atque ideò restitutioni esset obnoxium. Si verò dicas secundum, sequeretur, legem, tale pretium incolis taxantem, esse iniustam, ac proindè posse incolas tantundem accipere pro suo frumento æquè bono. Est tamen verum, quòd in multis Hispan. Regnis datur priuilegium exteris frumentum asportantibus ad dicta Regna, vt non teneantur stare legali pretio: & id ob bonum publicum: siquidem expedit bono publico, vt triticum aliundè veniat: non autem asportaretur, si venditores cogerentur vendere pretio legali, vt rectè declarat *Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub. 8.* Non tamen debent excedere pretium naturale rigorosum; aliàs facerent contra iustitiam, vt habetur ex *Mol. loco citato.*

6 Sextò ampliatur, vt legale pretium in vendendo teneantur seruare nō tantùm Laici, sed etiam Clerici, ac Religiosi, vndè pragmaticam frumenti Clericos, & Religiosos astringere, non solum quoad vim directiuam; sed etiam coactiuam, etiā per potestates sæculares, docet *Morla in Emporio. par. 1. tit. 9. q. 1. num. 6.* vbi id ampliat etiam si frumentum collectum sit ex decimis. Quibus adde, quæ habentur ex *Iasone in l. placet, lect. 1. num. 14. & 17. C. de Sacrosanct. Eccles.* dicunt enim esse iuri Canonico consentaneum, vt qui fruitur communi populi vtilitate, communi dāno subijciatur, vt in *reg. qui sentit, de regul. iur. in 6 & cap. 1. de empt. & vendit.* Vndè in Hispan. Regnis, mediante pragmatica præcipitur Iudicibus Sęcularibus, vt cogant Ecclesias, Ecclesiasticos, ac Religiosos vēdere triticum, quod illis superest ad occurrendum communi damno. Est tamen verum, quod *Molin. de contr. disput. 364. sub num. 14.* & alij ab eo relati moderantes dictam sententiam voluit, quod Ecclesiastici vēdentes frumentum vltra pretium legale non possunt iudicari, nec puniri, ac cogi, nisi coram Iudicibus Ecclesiasticis, eorum iudicibus competentibus. Imò idem *Morla loco citato*, quem refert *Ioan. de Salas in suo tr. de empt. ac vend. dub. 9. sub num. 2.* docet, securius esse, vt non cogatur Clericus stare taxæ per potestates sæculares, iuxta *tex. in cap. at si Clerici, de iudic. & cap. non minus, & c. aduersus, de immunit. Eccles. cap. quamquam, de censib. in 6. cap. 2. de reb. Eccl. & Bull. Cœna, cap. 12.* sed recurrendum esse ad Ecclesiasticum Iudicem, nisi fames, & necessitas vrgeant, & periculum sit in mora, quo casu Iudex Laicus poterit frumentum sequestrare, & à Clericis extrahere, & vendere, non vi iurisdictionis ob instans periculum de facto iuris auctoritate, iuxta *tex. in l. 1. ff. de damno infecto, l. ait Prætor, §. si debitorē, ff. quæ in fraud. cred. & l. si quis, 7. ff. de furt.* Cæterum nos dicimus, quod quicquid sit de casu necessitatis, & quando periculum est in mora, & non potest haberi recursus ad Iudices Ecclesiasticos; extra tamen dictum casum, si Laicorum statuto caueatur, vt frumenti modium non vltra aureum vendatur, Clericos præfato statuto si rationabile sit, teneri obtemperare nō vi potestatis coactiuæ, sed obligari vi directiua, atque vi rectæ rationis; quoniā Ecclesiastici non ligantur statutis Laicorum, vt in specie ostendimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. cap. 5. q. 18. num. 44.* pro qua re adduximus auctoritatem *Nicolai Papæ in epist. ad Michaelem, circa fin. & Theodor. lib. 4. histor. cap. 7.* Vndè Clerici non seruantes taxam iustam in vendendo frumentum, peccant mortaliter, & in conscientia tenentur ad restitutionem, sicut Laici, non vt faciunt contra legem ciuilem, sed vt faciunt contra legem naturæ de seruando iusto pretio, quicquid dicat *Ioan. de Sal. loc. cit. num. 5.*

7 Septimò ampliatur ipsa conclusio, vt adeò standum sit pretio legali in rerum venditione, vt non sit licitum tritico mundo, & sincero miscere aliqua mala, inutilia, vel inferiora, & pretio taxato vēdere: siquidem lex taxat triticum, quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudulenta: ergo si mixtum est ex industria, minori pretio debet vendi, quàm sit lege taxatum, vt rectè post alios declarat *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 22. sub num. 2.* qui tamen *num. 3.* docet, quod si res non habet pretium taxatum à Repub. probabile esse eodem pretio vendi posse, quo aliæ non meliores sic adductæ ex area; modò emptor defectum nouerit: quoniam res æquè bonæ in eodem loco, & tempore æquale pretium naturale habent.

8 Octauò ampliatur, vt adeò legali pretio sit standum in rerum venditione, vt citra culpam non sit licitum eas vendere vltra taxā, etiam sub hasta, vt contra *Garz.* docet *Emanuel. in sua summ. par. 2. cap. 79. concl. 24. in fine* & alij apud *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 13.* moti ex eo, quòd lex omninò prohibet venditionem vltra taxam, & alioqui omnes vellent sub hasta vēdere, vt eiusmodi lucrum haberēt, & taxam inutilem redderent. Hanc eandem sententiam docet *Diana par. 1. resol. moral. tr. 8. resol. 55. in princ.* vbi etiam tractat de pretio in eiusmodi subhastationibus quale sit iustum, & an qui ob feruorem licitatorum vendit rem sub hasta plus duplo pretio naturali, quàm valebat, teneatur restituere: & partem negatiuam putat esse probabilem, pro qua re allegat quoque *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 25. sub num. 4. Petr. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 37. & Bonac. de contr. disp. 3. q. 2. pun. 4. num. 21.* contra *Molfes. in sum. tom. 2. tr. 12. cap. 5. num. 148.*

9 Nonò ampliatur supradicta conclusio, vt vendentes vltra pretium legale frumentum, & alias res, non solum peccent, sed etiam teneantur ad restitutionem, siue Laici sint, siue Clerici: quod peccatum ex suo genere est mortale; atque ideò non excusantur ab eo nisi ratione leuitatis materiæ, pro qua non contrahitur plusquam culpa leuis, vt habetur ex *Molina de contr. disp. 364. num. 14. Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 9. num. 5.* & alij communiter. Idem dicendum est de vendentibus vltra pretium naturale rigorosū, siue vendant frumentum, siue res alias: siquidem in vtroque casu violatur iustitia commutatiua, ex qua oritur restitutionis obligatio, vt de hac re latè egimus supra *sec.* tractantes de controuersia illa, an licitum sit venditori vendere rem maiori pretio, quo potest, & emptori emere viliori pretio, quo possit.

10 Sic ampliata limitatur eadem conclusio primò quoad primam ampliationem, vt uendi res possit cariùs supra rigorosum pretium naturale, seu commune fori ob dilatam solutionem, seu credito, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, ratione periculi sortis, cui exponitur venditor: & si vendantur merces quædam, quæ non nisi credito venduntur, vt diffusè rem hanc declarauimus sup. *sec.* 2. quibus adde *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 21. & 23.* vbi plures casus enumerat.

11 Secundò limitatur in vendentibus res in bonitate excedentes alias eiusdem generis; quoniā citra culpam, ac obligationem restituendi possunt eas vendere etiam vltra pretium legale; si excessus bonitatis præsertim sit notabilis, vt habetur ex *Molina de contr. disp. 364. sub nu. 11. & Reginal. tomo 2. sua praxis, lib. 25. cap. 16. num. 284.* qui docent, quòd quamuis triticum, uel uinum, quod aliquis uendit, aliquantulum melius sit eo, quod communiter venditur, non liceat vendendo illud, taxam à lege definitam transgredi; attamen propter notabilem excessum in bonitate, licitum est triticum, aut vinum uendere ultra pretium à lege taxatum: nam sicut uēdens triticum in bonitate longè inferius, ac deteriùs tritico, quod communiter uenditur, eo quòd à uermibus sit corrosum, debet minuere pretium, quo communiter uenditur triticum; ita quando triticum in bonitate est longè melius, possunt uenditores agere pretium, quo communiter uendi solet. Hanc eandem sententiam contra *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 12. nu. 9.* sequitur *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 52.* agens de Regia Pragmatica constituente in Regno Siciliæ pretium bouibus: & putat, quòd qui habet aliquos boues in bonitate excedentes alios, potest illos uendere ultra taxā dictæ pragmaticæ.

12 Tertiò limitatur conclusio, ut uenditores in magna superueniente sterilitate, non teneantur in rerum uenditione stare pretio legali, atque ideò si tempore abundātiæ sit taxatum pretium frumento, superueniente magna frumenti sterilitate, uenditores citra culpam possunt uendere illud supra legale pretium; sed satis si uendant pretio uulgari, ac communi. Etenim præsumendum est, uoluntatem Principis non esse, ut tanta superueniente sterilitate, lex, quæ tempore abūdantiæ lata erat, uim adhuc retineret: & dato q. id Princeps uellet, lex esset irrationabilis, ac iniusta, & propterea non ligaret in conscientia. Ita *Molina de contr disp. 364. num. 7. Rebell de oblig iust par. 2 lib. 9. q 2. sec. 3. num. 14. Reginald. tomo 2. sua prax. lib. 25. cap. 16 num. 270. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 3. num. 14.* & alij, quos refert, & sequitur *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 70.* qui rem ipsam rectè declarat, & argumentum oppositæ sententiæ soluit.

13 Quartò limitatur, vt citra culpam venditor possit secernere fructus eiusdem speciei meliores à deterioribus, & deteriores vendere pretio taxato; meliores verò supra legale pretium; sicut macellarij electam carnem possunt vendere vltra taxam: & id ratione laboris, aut damni, quod in residuo carnis, & fructuum deteriorum substinent, vt habetur ex *Molfes. tomo 2 sua sum. tr. 12. cap. 5. num. 89. & Homobon. in exam. Eccl. par. 1. tr. 7. cap. 17. q. 180.* Nobis autem opposita sententia videtur verior, quam docet *Filliuc. tomo 2. qq. moral. tr. 35. cap. 4. num. 80.* & refert, & sequitur *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 35. in princ.* moti ex eo quòd pretium taxatum est pro vtrisq; permixtum, & hanc eandem sententiam docet *Fernand. in instr. Confessar. par. 3. cap. 22. num. 4.* & alij, vt testatur idem *Diana.* Vndè ratio *Molfes.* non videtur satis tuta; siquidem macellarij residuum carnis non electæ vendunt etiam pretio currenti, & non minus, vt experientia docet. Nec militare videtur id quod inquit *Rodriq. in sum. tomo 4. cap. 172. num. 1.* dicens aliquando non peccare venditores recipiendo aliquid vltra taxam ratione gratitudinis ob venditionem rerum electorum; quoniam eiusmodi sententia vera esset, si illud plus vltra taxam liberaliter daretur. Imò ipse *Diana* post ibi *Megal.* inquit esse cauendum, ne emptores in eandem culpam incidant, tanquam cooperatores, seu inducentes macellariū, & alios venditores eiusmodi ad uendēdam carnem electam, aut fructus meliores pro notabili excessu pretij legalis, nisi fortè emptores ipsi simpliciter peterent carnem electam, & macellarius spontè diceret, se nolle illam dare, nisi pretium excedat: nam tunc emptores rem licitā peteret, & consentiendo transgressioni redimeret vexationem suam, sicut mutuatarius soluendo vsuras vsurario. Nec excusantur venditores ob pœnam lege statutā transgredientibus; quoniam ea non obstante, iniustitiam committunt circa pretium: imò non excusantur si accipiant materiam paruam; siquidem rei paruitas non excusat, quando accipitur cum intentione excessus in notabili quantitate. Hæc *Diana ibidem* post alios, qui dicit esse notanda, quoniam vt plurimum accidunt in praxi.

14 Quintò limitatur ipsa conclusio in stabularijs minutatim hordeum vendentibus pro iumentis: nam possunt illud vendere maiori pretio, quàm sit lege taxatum; dummodò seruent normam eis traditam à Magistratibus, vt habetur ex *Lopez 1. instr. negot. cap. 19.* quam consuetudinem cōmunem esse testatur *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 20.* qui addit ex *Cordub. in sum. q. 106* non posse quem triticum panifico dare, vt conuersum in panem coctum illud reddat contra legem prohibentem, & taxantem pretium, vel reddat in farinam cariùs, vt probat idem *Sal. ibid. dub. 15.*

15 Sextò limitatur, vt ratione donationis admixtæ citra culpam possit vendi res ultra iustum pretium, siue pretium sit lege taxatum, siue fori vsu constitutum, vt habetur ex *Medina de restitut q. 31. 32. & 36. Conrado de contr. q. 57. & 58. Molina eod. tr. disp. 351. Salon. 22. q 77. ar. 1. contr. 18. & q. 78. ar. 2. contr. vlt.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 31.* qui ait rem hanc esse claram: & difficultatem tantùm esse de donatione, quando præsumatur esse uera: in qua re reprobat sententiam *Sà, ver. Venditio, num. 20.* dicentis, donationem præsumi veram, quando excessus in pretio est parui momenti, quoniam præsumitur talis excessus condonari: & adhæret *Matienzo l. 12. tit. 6. Glos. 2. & l. 12. num. 10. Glosa 7. lib. 1. compilat.* Quæ quidem *Sà* opinio nobis videtur ve-

verior, cùm de minimis nō curet Prætor, *l. quod si Ephesi, ff. de eo quod cer. loco.* Non sic si excessus esset in notabili quantitate, quoniam eo casu non præsumitur vera donatio, cùm nemo præsumatur iactare suum, *l. cum de indebito, C. de probat.* quibus adde, quæ habentur per *Bart. & alios in l. 2. C. de rescind. vendit.* & eundem *Sal. dub. 27. num. 8* 1. dum ait ex *Mantienzo*, & alijs, quòd præsumitur vera donatio, quando cōtrahentes scientes valorem rei, excessum inuicē sibi donant: quod tamen non procedere probat contra remedium *d. l. 2. C. de resc. vend.* Sed id verum esse quando læsio est in parua quantitate.

16 Septimò limitatur conclusio, vt quamuis exteris non possit res uendi cariùs, quam ciuibus, seu indigenis excedendo limites iusti pretij, vt *in cap. 1. de empt. & vend.* quod declarant, & explicāt *Conrad de contr. q. 51. ad fin. Ioan. Med. de restit. q. 30 ar. 4 & alij:* eo maximè quod etiā exteri regulariter tenentur stare legi taxanti rerum pretia, vt sup. adnotauimus *ampl. 5.* nihilominus exteris superuenientibus in magna copia, & cum ingenti pecuniarum quantitate auidis ad emendum, & statim postea abeuntibus, potest res cariùs vendi, quàm indigenis, vt cum Princeps cum aula subito ad aliquod oppidum venit; vel classis indica appellitur, vt habetur ex *Molina de cōtr. disp. 346.* quem refert, & sequitur *Less. lib. 2. de iust & iure cap. 21. dub. 4. sub num. 30.* dummodò pro vtrisque sit satis magna copia: nam respectu externorum, qui pecunia abundant, & plurima volunt emere, res eiusmodi censentur pluris ualere, quàm respectu indigenarum: at si res satis non essent pro vtrisque, accresceret pretium absolutè respectu omnium; neque uenditores permittendi essent vendere cariùs exteris, vt vilius dent indigenis: & ita consuetudine receptum esse testatur *Less. loc. cit.* quam tamen consuetudinem putat *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 28. num. 3.* nō esse vniuersalem: & propterea inquit simpliciter esse dicēdum, non posse cariùs uendi exteris, quàm indigenis supra rigorosum pretium, & in proposito casu crescere pretium respectu omnium: aliàs liceret indigenis diuitibus carius res vendere, quàm pauperibus incolis.

17 Octauò limitatur dicta conclusio, quòd quāuis mercatores, vt mercatores sunt ex officio teneantur in vendendo stare legali pretio, atque ideò non possint pluris vendere, quàm lege præscriptum sit; vel etiam communi æstimatione; quoniam in taxatione pretij habetur ratio officij mercandi: nihilominus licitum est mercatoribus cariùs vendere, eo quod curas, & cogitationes suas in rebus conquirendis, conseruandis, & distribuendis assiduè impendant, aliasq; nonnullas lucrandi rationes omittere cogātur: id enim est pretio æstimabile. Ita *Less. lib. 2. de iust. & iure sub cap. 21. dub. 4. num 24.* vbi ex hoc infero multò pluris æstimari res, dum uendenda est à mercatore, cui ex officio competit eā uendere; quàm dum uenduntur à milite, uel mechanico, qui fortuitò illam obtinet, & uēdit. Est tamen uerum, quòd idem *Less. ibi, sub num. 25.* inquit, quòd qui uendit aliquid ex occasione, si tantum exigat, quantum solent mercatores, non ob id iniuriam infert emptori; modò res sit æquè bona: siquidem potest eam uendere pretio currenti, etiam si ipse eiusmodi curas, & expensas nō adhibuerit: nam quamuis res minoris in manibus eius æstimetur, quàm in manibus mercatoris; non tamen ideò minoris æstimatur, quòd re uera minoris ualeat, supposita uoluntate eam opportunè uendendi; sed quoniam, qui mercatores non sunt ex officio, nolunt, uel nesciunt opportunitatem expectare, & ultrò emptoribus res offerunt comparandas.

18 Nonò limitatur, ut possit res uendi ultra iustū pretium, quando uenditur gratia emptoris, & quam uenditor non erat aliàs uenditurus: tunc enim uendi potest paulò pluris, quàm si uenditio fieret spontè: etenim æstimabile pretio est, quòd rem tuam, quæ uenalis non erat, uenalem facias, maximè; si ex tali uenditione aliquid incommodi, uel molestiæ sentias, ut habetur ex *Less. dict. dub. 4. nu. 31.* Confirmatur, quoniam si res ematur gratia uenditoris, uiliùs uenditur, cum merces vltroneæ uilescant, ut declarat idem *Less. ibi sub num. 33.* ergo res uēdi potest aliquanto pluris, quando uenditur gratia emptoris: siquidem emptor, & uenditor sunt correlatiui, & in correlatiuis, quod disponitur in uno, disponitur etiam in alio, ut latè declarat *Euerard. de locis argum. legal. loco à correlatiuis.* Nunquam tamen potest res pluris uendi ob singularem aliquam utilitatem, uel necessitatem emptoris, ut ex *D. Tho.* & ex *Doctor.* communiter docet ipse *Less. d. nu. 31. vers. Aduerte tamen:* qui hanc esse rationem uolunt, quoniam nemo potest alteri uendere, quod non est ipsius: illa autem utilitas est ipsius emptoris, non autem uenditoris: & prouenit ex aliqua alia circumstantia, cuius uenditor non est causa.

19 Decimò limitatur, ut res cariùs uendi possit ratione periculi, ut si quis uenderet equum, torquem auream, uel aliquid aliud ultra iustum pretium, sub conditione tamen ut emptor illud soluat, cùm uxorem duxerit: siquidem uenditor exponitur periculo, ut emptor non nubat, atque ideò rei uenditæ pretium perdat: ratione periculi licitum est exigere aliquid ultra iustū pretium, ut supra declarauimus, *sec. 2.* Ita post *Megal. Diana tomo 1. resolut. moral. tract. 8. resol. 38.* qui tamen exigunt ad iustitiam dicti cōtractus: quòd periculum sit reale, & non imaginarium: quòd sit graue: quòd fiat citra scandalū, & suspicionem usuræ: quod manifestetur emptori ratio emendi supra iustum pretium: & quòd excessus pretij sit proportionatus periculo.

20 Vndecimò limitatur, vt vendi possit res vltra legale pretium ex Superiorum permissu: siquidē aliquando id licitè permittitur à Prætoribus ad maiora damna vitanda: quod verum esse putat *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 22.* cùm Superiores ad id habent specialem commissionem à Rege, cùm non possint abrogare legem, vel in ea dispensare, & eandem suspendere, nisi expressè caueatur. Est tamen verum, quod taxa interdum per tolerantiam Principis cesset, vt habetur ex *Guttier. pract. qq. lib. 2. q. 180. num. 21. Salon. 2. 2 q. 77. ar. 1.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas loco citato, dub. 23.*

21 Duodecimò limitatur præfata conclusio, vt ita demum venditores teneantur stare pretio à lege taxato, quando pretium à lege taxatum est iustū: nam quando taxa est manifestè iniusta in fauorē

emptorum, emptores illam seruantes peccarent, & tenerentur ad restitutionem; sicut si iniusta esset in fauorem vendentium, non debent venditores illam seruare, vt habetur ex *Rebell. de oblig. iust. par. 2. lib. 9. sec. 3.* cum alijs, quos allegat, & *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 21. num. 3.* vbi etiam adducit, peccare taxantes iniustè pretia cum onere restituendi damna venditoribus, quando à iusto pretio in taxatione deficiunt. Imò dantur casus, in quibus non licet pro frumento pretium à lege taxatum exigere, quorum primus est, quando suum pretium naturale non attingeret pretium taxatum à lege: nam tunc nec creditò posset frumentum pretio legis vendi, vt benè docet *Rebell. loco citato, Cordub. in sum. q. 84. Salon. 2. 2. q. 77. ar. 1. contr. 11.* & alij apud *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 11.* qui eam esse rationem ait, quòd taxa facta est in fauorem ementium: esset autem in damnũ, si eo casu exigi posset pretium lege taxatum. Confirmatur, quoniam lex statuit, vt pretium illud dumtaxat non excedatur; atque ideò liberũ dimittit, vt aliquãdo minus pretium exigatur: imò id potest esse necessarium propter frumenti abundantiam superuenientem. Secũdus casus, in quo non licet à venditore percipi, nec totum pretium frumenti lege taxatum, est, si frumentum esset vitiosum, & corruptũ, à vermibus corrosum, inutile, aut immundum valdè, & plenum paleis: siquidem frumentum taxatur sanum, integrum, incorruptum, mundum, & purum puritate ordinaria, vt potest, & colligi solet ex area, vt rectè declarat *Rebell. d. sec. 3. Salas d. dub. 11. & 12.* quibus adde, quę supra adnotauimus *ampl. 7.*

22 Tertiodecimò limitatur ipsa conclusio, vt quamuis venditores non possint citra culpam res vendere vltra iustum pretium à lege, aut cõmuni foro taxatum; possunt tamen iura traiectionis exigere vltra pretium prædictum. Hinc Nobiles aliundè in domum suam frumentum afferentes, propter bonum commune, possunt vendere illud, iura asportationis exigendo, vt habetur ex *Eman. par. 2. sua summ. cap. 79. num. 7.* quem sequitur *Ioann. de Sal. de empt. & vend. dub. 18.* quod ampliant etiam, si nihil pro asportatione expenderint, eo quòd agricolæ tenerentur ad asportandum illud in domũ eorum, cùm aliquid pretio ęstimabile pro illa obligatione ab ipsis, vel eorum antecessoribus agricolæ acceperint. Dixi propter commune bonum, quia si propter ipsorum particularem vtilitatem frumẽtum curarent asportandum non possent iura traiectionis exigere: siquidem hoc casu iura portationis solùm agasonibus conceduntur, vt post alios rectè declarat *Ioan. de Sal. d. dub. 18. & 19.* vbi etiam explicat, an, & quando traiectores si non afferant, vel non præsentent testimonium, quale lex exigit, iura traiectionis exigere possint. Et *dub. 17.* sententiam communem *Doctor.* esse testatur dicẽtium, traijcientes triticum tempore abundantiæ ab vno loco ad alium, nunquã posse traiectionis iura exigere: siquidem hæc cõcessio respicit tempus sterilitatis, pro quo solùm est necessaria taxa: & pretiũ iustũ legis tempore abundantiæ tantum est, quod habet vsus fori. Ita *Salon 2. 2. q. 77. ar. 1. contr 9 & 11. coroll. 1. post solutionem 2. arg. Ledes. 2. par. sua sum tr. 8. cap. 32. diffic. 13 de taxa, & Vega vers. Trigo, cas. 15.* quos refert idem *Ioann. de Salas d. dub. 17.*

23 Quartodecimò limitatur præfata conclusio, vt in multis alijs casibus licitum sit venditoribus res vendere pluris, quàm valeant, vel minoris emere, de quibus *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 4. Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 23. & alij.* An autem, & quando Rectoribus Ciuitatum licitum sit impedire, ne panis, vinum, & similia abundè importentur, & in Ciuitate vendantur, donec propria Ciuium distrahantur; etiã si permittendo importari, & vendi, minori pretio à Ciuibus emerentur, vide *Ledes. 2. par. sua sum. tr 8. cap. 32. difficul. 31. de taxa, Emanuel. Rodriq. par 2. sua sum. cap. 79. num. 12. Lopez in suo instr. cap 19.* & alios apud *Ioan. de Sal. de emp. & vend.* docentes partem affirmatiuam, cũ Magistratus viderint id expedire cõmuni bono.

24 Peccant secundò venditores, qui falsas litteras confingentes de industria proijciunt, vnde alius credens emendo in pretio læditur, non tamen tenentur ad restitutionem, quoniam peccant tantũ contra charitatem, non autem contra iustitiam, vt habetur ex *Syl. in sua summ. vers. Emptio, nu. 17. Armil. eod. vers. num. 22. Sà vers. Restitutio, num. 41. Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 59.* cum alijs, quos allegat. Vndè si quis fingat litteras, in quibus continetur, quòd hoc anno in Liguria nou est oleum, & eas proijciat, vt inueniãtur; quas Meuius deindè inuenit, qui putans id esse verum, omne oleum, quod reperit ibi, comparauit sub spe ingentis lucri consecutionis, & posteà notabilem iacturam fuit passus: qui enim litteras eiusmodi finxit, peccauit quidem contra charitatem agens, ob deceptionem proximi, quã intendebat, atque ideò lethalem culpam commisit: nõ tamen tenetur damnum restituere Meuio, quoniam ad illius damnum efficaciter, & per se non dicitur influxisse: siquidem ipse Meuius propter eiusmodi litteras leuiter motus fuit ad emẽdum huiusmodi oleum, & proindè sibi imputandum est damnum, cùm sua culpa fuerit illud passus, iuxta regulam damnum. *de regul. iur. in 6.* Idem dicendum est de eo, qui intendens notabile damnum inferre inimico scribit amico, vt multum emat de lana, vel alia re, quoniam erit in magno pretio in posterum, quod tamen nouit falsum: & deindè easdem sibi cadere permittat in loco, vbi inueniantur, & legantur ab inimico, atque ideò talia emat, & notabilem iacturam patiatur; is enim lethaliter peccat propter intentionem nocendi inimico; non tamen eidem est restitutioni obnoxius, nec tenetur reficere damnũ, quia non dedit occasionem efficacem, siquidem inimicus ille fuit leuis in credendo, ita post *Archid Syl. & Armilla locis citatis.* Imò idẽ *Armill. ibi, num. 23.* ait, quòd si Socrates inueniat litteras apertas, vel laceratas missas Ciceroni, cõtinentes, quòd in tali loco sunt aromata, & quòd quærat ea emere, &c. & Socrates his lectis festinat aromata emere ante Ciceronem, non solùm ipse Socrates ad aliquam restitutionem non tenetur, sed nec quidem peccat, cum prudenter fecerit. Idem dicendum est si litteras Socrates non aperuit; sed concisas collegit. Dixi: *Si litteras Socrates non aperuit*: quoniã si eas dolosè aperuit, puto eum non excusari à peccato mortali; quamuis *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 58.* illum excuset à restitutione.

Pec-

25 Peccant tertiò venditores vendentes merces pretio currenti; quamuis sciant ob proximam futuram abundantiam, earum pretium mox minuendum. Hæc sententia est *Cicer. 3 offic.* sequutus opinionem *Antipatr.* & docentis expressè eos facere contra iustitiam; atque ideò vitia culpam teneri ad damnorum refectionem. Hanc eandem sententiam sequitur *Bart. in l. quaero, ff. de act. emp. Glosa in l. contra legem ff. de legib.* & alij Iurisperiti, quos refert *Couar. in regula peccatum, par. 2. §. 4. num. 6. Medina de restit. q. 25. Conrad. de contr. q 61. 63. & 76. Emau. 2. p. suasum cap. 81. num. 10.* & horum opinionem satis esse probabilem, inquit *Ioan. de Sal. de empt. & vend. sub num. 5. in fine.* Mouentur ex eo primò, quòd merces ob proximam futuram abundantiam decrescunt in pretio secundum communem æstimationem; sicut ob penuriam proximè futuram crescunt: ergò, qui eo casu illas venderet pretio currenti, iniuriam inferret emptori, & restitutioni esset obnoxius. Secundò, quia mercium venditores, si scirent earum bonitatem breui minuendam, peccarent contra iustitiam emptores non admonentes, aut saltem quãtum equum fuerit de pretio non minuentes, vt in *l. si vina, ff. de action. empt.* Idem dicendum est de vendente equum, quem nouit proximè moriturum, aut contracturum notabile aliquod vitium: ergo eodem modo decernendum est in casu, de quo agitur; siquidem in vtroque casu militat eadẽ ratio, arg. *tex in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Tertiò si venditores scirent futuram mercium per Fiscum confiscationem, aut librorum prohibitionem non possent eiusmodi res pretio currenti distrahere, si hæc omnia emptoribus non detegeret: ergo similiter dicendum est in isto casu. Quartò, quoniam actus, qui fit ex ignorantia, est inuoluntarius: at emptor in casu, de quo agitur, ignoranter se habet; nam si sciret mercium copiam superuenturam, eas non emeret currenti pretio: ergo emptio tanquam inuoluntaria est nulla, atque ideò earum venditores non faciunt suum pretij excessum. Denique, cæteris prætermissis, deducunt ex opposita sententia nonnulla absurda: nam aliàs mercator sciens cras hanc Ciuitatem esse obsidendam, posset celeriter suas merces pretio currenti distrahere, non monitis emptoribus de imminenti periculo. Sic etiam sciens aulam citò discessuram, atque ideò locationum pretia esse minuenda, posset modò domũ locare pretio currenti, etiam si sciret citò promulgandum decretum de minuendo pretio: & denique si quis sciret breui minuendam pecuniã aliquam, aut prohibendam expendi, posset hodiè omnem illam cambire: quæ omnia videntur absurda.

26 His, & alijs rationibus putat *Ioan. de Sal. loco citato*, hanc opinionem esse satis probabilem; nihilominus contrariam putat probabiliorem, quam docent *Diogenes* relatus à *Cicer. loco citato, D. Thom 2. 2. q 77. ar. 3. ad 4. Caiet. ibidem, Bann. eodem loco, dub. 4. Aragon. dub. 2. Valent. disp. 5. q. 10 pun. 4 post med. Mol de contr. disp. 354. num 1. Pinell. in l. 2. C. de rescind. vend. p. 3. cap. 2. num. 24 Sot. lib. 6. de iust. & iure, q 3. ar. 2. ad 3. Gabr. in 4. d. 15. q. 10. ar. 3. dub. 3. Sylu. sum. vers. Emptu, q. 15. Ioann. de la Cruz in director. consc. par. 1. praecepto 7. q. 3. dub. 10. conclus. 3. Less. lib. 2. de iust. & iure. cap. 21. dub. 5.* & *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 46.* Mouetur ex eo, quòd pretium iustum refert, quod res illius speciei, & illi similes hic, & nunc valent secundum communem æstimationem in eo loco; siue sciantur cõmuniter, siue ignorentur circumstantiæ aliquæ, quæ non efficiant rem vitiosam in se: cum igitur scientia aliquorum particularium non tollat communem æstimationem, neque rem vitiosam in se efficiat; sequitur, vt nec pretium rerum minuat. Secundò si scientia particularis futuræ abundantiæ minueret pretium commune rerum, peccasset Ioseph Genes 41. cũ obligatione restituendi, emens, & recondens tẽpore abundantiæ frumentum pretio currenti, sciens scientia priuata futuram paulò post tam ingentem egestatem, quam si Aegyptij præuidissent, triticum non vendidissent: quod non est dicendum. Tertiò si circumstantia communiter ignorata minueret pretium, qui venderet carius quando non speratur pluuia, si subitò superueniret, teneretur restituere, quod falsum est. Alias rationes vide apud præfatos Doctores, præcipuè apud *Molin. Less. & Ioan. de Salas locis cit.* qui sufficienter contraria soluunt: & illa omnia absurda supra in contrarium relata admittunt.

27 Ampliatur hęc conclusio, vt qui scientes mercium pretium minuendum, vt sup. eas vendant currenti pretio, non solùm non peccent contra iustitiam, cùm ius habeant consulendi suæ indemnitati, etiam si indè sequatur damnum tertij; sed nec quidem peccent contra charitatem, vt colligitur ex *D. Thoma loc. cit.* dum solùm ait, cumulatioris esse virtutis manifestare abundantiam futuram mercium, aut minuere de pretio; atque ideò contrarium non esse peccatum: & hanc sententiam esse tenendam docet *Molina de contr. disp. 354 sub num. 2.* cum eiusmodi vẽditores suo iure vtantur. Imò nec peccant contra aliam virtutem, vt colligitur ex eodem *D. Tho. loc. cit.* quos sequitur *Molina, Less.* & alij apud *Salas de empt. & vend. dub. 33.* Moti ex eo, quòd quis potest rebus suis consulere, etiam si indè par damnum proximo suo adueniat.

28 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt idem dicendum sit vbi quis rogatus de futura copia mercium, vel tritici, monetæ diminutione, de discessu Principis, vel aulæ taceat, vel dicat se nescire: nam licèt sciens copiam mercium mox futuram eas distrahat; & pecunię diminutionem, pecunias suas expendat, aut cambiat: & sciens Regis discessum, domum suam locet currenti pretio: attamen non peccat contra iustitiam, atque ideò non tenetur ad restitutionem aliquam, vt docent *Ioan. de Sal. d. dub. 23. num. 2. Ioan. de la Cruz, & Diana locis citatis:* quamuis *Less. d. cap. 2. dub. 5. num. 43.* id sequatur cum limitatione tamen, si ille in hoc non sit fide dignus: siquidem damnum, quod patitur ex sua leui credulitate, sibi imputatur. Sed quicquid sit de hac limitatione, si iste talis non vtatur equiuocatione, dicendo mendacium peccat contra veritatẽ, vt habetur ex *DD.* locis sup. relatis.

29 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt locum habeat in omnibus alijs casibus, quos vltimò loco retulimus pro contraria sententia: siquidem Doctores, qui pro secunda opinione sunt, quæ nobis quoque videtur probabilior, ea quę opposita

sua sententia reijcit tanquam absurda, admittũt tanquam vera, vt sup. diximus ex *Ioan de Salas*, & ex alijs.

30 Sic ampliata limitatur supradicta conclusio primò, vt quamuis sciens superuenturam mercium copiam, & vendens eas, aut exponens vendendas pretio currenti, non peccet contra iustitiam, atque ideò non est restitutioni obnoxius; peccat tamen contra illam, si fraudibus, mendacijs, ac dolis adducit emptores ad illas emendũ: siquidem iniuriam infert ipsis emptoribus vendendo eis merces pretio currenti cum eorum notabili iactura. Ita ex mente *D. Th. Molina de contr. disp. 354. sub num. 5. vers. Sunt verò nonnulla*, & *vers. Secundum*, vbi alios casus similes explicat. Idem putat dicendum *Salon.* quem refert *Ioan. de Sal. d. dub. 23. sub num 2.* vbi emptor de superuentura copia mercis uenditorem interrogat, exprimens expressè, se tunc propterea ita emere, quia credit dicturum veritatem, nec aliter empturus: etenim eo casu venditor tenetur emptori veritatem dicere, aliàs venditio nulla esset, & conditio eiusmodi ab ipso emptore posita est honesta: atque ideò peccaret contra iustitiam, & esset restitutioni obnoxius.

31 Secundò limitatur, vt venditor sciens mercium abundantiam mox futuram, non peccat regulariter contra iustitiam eas vendens pretio currenti; potest tamen peccare contra charitatẽ, si nouerit emptorẽ ex emptione eiusmodi mercium incursurum extremam, vel grauem necessitatem: siquidem ex charitate tenetur tali necessitati obuiare: & à fortiori in illam non inducere, nisi venditor ipse in similem necessitatem esset incursurus, vt habetur ex *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 46. circa fin. Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub. 23. sub num. 1. Less.* & ex alijs, quos ipse citat.

32 Tertiò limitatur præfata conclusio ex *Val. disp. 5. q. 20. pun. 4.* locum sibi vendicare quando venditor scit, vel credat, emptorem uelle illas merces minuendas in pretio ob earum copiam mox futuram, ad consumendum statim: secus autem si easdem emerit ad non consumendum statim, sed ad uendendum postea: quoniam tunc peccaret contra iustitiam: siquidem de iustitia tenetur veritatem manifestare, uel in pretio descẽdere. Sed hęc limitatio meritò reijcitur à *Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub. 33. sub num. 5.* post *Petr. Nauar. Ledes.* & alios, qui expressò docent etiam in hoc casu venditionem esse iustam pretio currenti; & contrarium de emente uinum ad reuendendum, quod scit uenditor fore deterius, soluunt dicentes, uinum eo casu habere uitium intrinsecum, propter quod non durat: non ita dicendum est de mercibus, de quibus agitur.

33 Quartò limitatur in uenditore, qui Consiliarium, uel Principem muneribus corruptum induxerit ad reuelãdum decretum ante illius promulgationẽ, quo merces essent minuẽdæ notabiliter in pretio; nã si suas merces ob id uendat p̃tio currenti, peccat contra iustitiã, atq; ideò esset restitutioni obnoxius, ita *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 5. in fine*, quem refert, & sequitur *Ioan. de Sal. d. dub. 32. sub num. 8. vers. Addit benè Less.*

34 Quintò limitatur præfata conclusio, ut uenditor, qui ex scientia Magistratus nouit mercium pretium mox esse minuẽdum, & eas uendat pretio currenti, peccet, etiam si Magistratum, aut Principem muneribus non corruperit, & decretum non fuerit promulgatum, quia notitia legis utitur in aliorum detrimentum, ut colligitur ex *Molina de contr. disp. 354. sub num. 3.* ita se habente: *In hoc euentu existimo interuenire peccatum contra iustitiam cum restituendi onere, si quis sciens cõditam esse legem, qua pretium frumenti, aut pecuniarum valor sint minuenda, vt in Lusitania valor areorum nummorum superioribus annis ferè in subduplo lege publica meritò fuit imminutus, propter scientiam eiusmodi legis nondùm promulgata plus vendat frumenti cum aliorum iactura, qui illam ignorabant, quã alioquin erat venditurus, aut plures earum pecuniarum cum aliorum similiter iactura expendat, quàm seclusa ex scientia erat distracturus.* Mouetur ex eo, quod lex publica æqualis, ac cõmunis debet esse subditis omnibus, ac peccaret contra iustitiam Princeps, si antequam omnibus promulgaretur, quibusdam illam manifestaret, qui promulgationem præuenientes, cum aliorũ iactura illius occasione ditarẽtur: ergo idem dicendum est de eo, qui in aliorum præiudicium utitur tali scientia. Hanc eandem sententiã docet nonnulli alij Doctores, quos refert, sed non sequitur *Ioan. de Sal. d. dub. 22.* nec *Less. d. cap. 21. dub. 5. num 45. & 46.* Vndè contrarium uolunt esse uerius cum *Couar.* & alijs; atque ideò non esse contra iustitiam, etiam si occasione talis scientiæ uenditor plures merces uendat currenti pretio. Etenim quamuis ipse sciat, decretum à Principe, uel Magistratu cõditum circa merces, uel monetas; tamen ante illius promulgationem non obligat, nec ullam uim habet: & propterea antiquum pretium adhuc durat; ergo possum uendere pretio currenti. Ad rationem in contrarium rectè respondet *Less. loco cit. num 48.* ubi etiam *nu. 47.* arguit quoque, & soluit. Hæc omnia intelligenda sunt, etiam si decretum ignoretur ab emptore; nam si tam uenditori, quàm emptori esset cognitum, uel neutri clarum est, non peccare uenditorem uendentem pretio currenti, iuxta ea, quæ habentur ex *Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub. 32. sub num. 3.*

35 Peccant quartò uenditores, qui uidentes emptorem maximè indigere tritico, nolint illi uendere triticum, nisi simul uendant hordeum, aut res alias, quas ut triticum consequatur, cogatur emere, quamuis sint sibi inutiles, & non ita necessariæ, quod peccatum est contra iustitiam, cũ uenditor eo casu iniuriam inferat emptori: & proindè tenetur restituere quanti æstimabitur hoc grauamen, vt habetur ex *Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub. 10. num. 2.* post *Rebell.* Imò *Salon. 22. q. 77. ar. 1. contr. 11. Medina de restit. q. 36. Ledes. par. 2. sua sum. tr. 8. cap. 12. difficultate 10. de taxa, Nauar. in Man. cap. 23. nu. 88.* volunt, venditorem eo casu peccare contra iustitiam, etiam si res illæ vtiles essent emptori, & vellet eas vendere iusto pretio, sicut & triticum; quoniam obligatio illa est pretio æstimabilis: quorum sententiam sequitur etiam *Ioan. de Sal. loc. cit.* nisi illi æquè expediens esset emere ab illo, quàm ab alio: secus si minùs illi expediret,

vel

vel quia ab alio minoris emeret, vel quia ab alio emendo gratiam eius sibi magis vtilem compararet. Et multò magis faceret contra iustitiam venditor, si res illas velit vendere vltra iustum pretium, vt per *DD. sup. cit.*

36 Peccant quintò venditores fraudantes ementes in ponderibus, & mensuris, & rerum venditarum vitia, ac defectus eisdem non manifestantes: peccant enim contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem: quæ quidem quomodo procedant, & vera sint latè supra declarauimus *sec.* 3. quatuor positis cõclusionibus cum suis ampliationibus, ac limitationibus, cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

Peccant sextò venditores quocunque modo emptores decipientes, siue infra, siue vltra dimidium iusti pretij decipiant, vt latè declarauimus supra *sec.* 4. vbi etiam explicauimus, an, & quando licitum sit contrahentibus se inuicem decipere. Et *sec.* 5. egimus etiam de stochis, seu mohatris, an aliquando citra culpam fieri possint.

37 Peccant septimò venditores facientes monopolia, & conspirationes ad augendum rerum pretium, vt latè de hac re egimus supra *sec.* 6 eã absoluentes per tres conclusiones: & *sec.* 7. vbi declarauimus, an, & quando vendentes pretio inducto per monopolium, peccent.

Peccant octauò vendentes res sacras, religiosas, ac sanctas, res publicas, & Ciuitatis, ac Oppidi citra supremi Principis consensum, vt supra de hac re diffusè tractauimus, *sec.* 8. vbi etiam declarauimus materiam simoniæ, an, & quando contrahatur per venditionem rerum spiritualiũ, & quæ spiritualibus sunt annexæ.

38 Peccant nonò venditores vendentes vinum aqua mixtum, si emptor illud erat cõseruaturus, aut alteri venditurus, ita vt sibi, vel secundo emptori damnum inferatur, vt habetur per *Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub.* 34. *num.* 4. *Homob. de exam. eccl. tom.* 2. *tr.* 9. *cap.* 4. *q.* 8. quæ cõclusio intelligenda est etiam si venditores eo casu vinum vendant detrahendo de pretio tantum, quantum vinum cum eo vitio valet. Cæterum si emptor vinum eiusmodi erat mox consumpturus, venditor non peccat, si vinum permixtum aqua vẽdat iusto pretio, habita ratione talis permixtionis, vt sup. ostendimus *sec.* 3. *concl.* 1. *lim.* 1. & hanc rem multipliciter ampliauimus. Est tamen verum, quod *Turrian.* 2. 2. *disp.* 58. *dub.* 6. *num.* 1. quem refert, & sequitur *Diana tom.* 1. *resol. moral. tr.* 8. *resol.* 80. monet, eiusmodi venditiones non esse passim faciendas: quoniam ex tali modo vendendi poterit minui commune pretium iustum: siquidem quamuis vendendo vinum aqua mixtum, non inferatur damnum emptori, fieri tamen poterit, vt pretium illius mensuræ vini aqua non permixti minuatur: etenim ementes cùm non agnoscant mixtionem aquæ, existimant minui pretium, & proindè ab alijs venditoribus nolunt emere maiori pretio: & ita venditor sæpè damnum inferret, ac iniustitiam.

39 Peccant decimò venditores vendentes res indifferentes, quibus sciant emptores eis abusuros in damnum alicuius tertij innocentis. Hanc sẽtentiam absolutè docent *Gabr. in* 4. *dist.* 16. *q.* 3. *vers.* 3. *dub.* 6. *Ioan. Medina de rest. q.* 30. § *dicendum, Bann.* 2. 2. *q.* 10. *ar.* 11. & *q.* 77. *ar.* 4. *dub.* 1. *Aragon. ibid. Salon. eod. loc. contr.* 2. *Angel. Villor. Cordub. Vega, Emanuel*, & alij, quos refert, sed non sequitur *Ioan. de Sal. infra citandus, num.* 6. & 7. dum absolutè volunt, nefas esse vendere alijs res, locare, conficere, aut dare, quibus scias, formides, aut formidare debeas ad peccandum abusuros. Et in specie *Reginald. in sua praxi, tomo* 2. *lib.* 25. *cap.* 15. *nu.* 265 sic ait: *Peccat, qui meretrici ornamẽtum aliquod vendit, quod probabiliter creditur, ab illa emi ad scandalizandum innocentem aliquem, ac pusillum: peccat inquam non quasi cooperans meretrici ipsi, quæ sua tantùm malitia peccat; sed tãquam cooperans ad proximi ruinam; quod est peccatum contra charitatem.* Hanc eandem sẽtentiam docent Doctores omnes dicentes, peccare deponentem pecuniam apud vsurarium, quem scit, aut probabiliter credit, se illa vsurum ad fœnerandum, quos nos retulimus in nostris *Commentar in extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 1. *q.* 75. & secuti fuimus. Vndè eiusmodi opinionem satis probabilem existimamus.

40 Cæterum, quoniam opposita sententia est benignior, & in praxi magis vsitata, quæ se habet, posse quem res indifferentes vendere, facere, locare, aut tradere ijs, quos nouerit illis ad peccatum abusuros, modo adsit causa aliqua rationabilis, ac proportionata; idcirco non est de facili damnanda; imò in praxi est saltem toleranda; eò magis quoniam habet pro se quàplurimos Doctores magni ponderis; siquidem eam docent *Maior in* 4. *d.* 15. *q.* 35. *Adrian q.* 3. *de Baptis.* quæ incipit, *Tertiò videndum est: & quodl.* 3. *ar.* 2. *D. Anton.* 2. *par. tit.* 1. *cap* 9. § *vlt. Valent.* 22. *disp.* 5. *q.* 10 *pun.* 5. *Sà ver. Infidelis, num.* 1. *Rebell. de obligat iust. par.* 2. *lib.* 9. *q.* 18. *sec.* 3. *Palud. Ricard. Astens.* quos citat, & sequitur *Ioan. de Sal. de empt. & vendit dub.* 47. *sub nu.* 4. *Coninch. de Actib. super disp.* 18. *dub.* 13. *Suar. de charitate, disp.* 10. *sec.* 4. *Lorca* 22. *q.* 10 *ar.* 9. *num.* 5. & *seq. Molf. tomo* 2 *sua sum. tr.* 12. *cap.* 5. *num.* 53. & nouissimè *Diana tomo* 1. *resol moral. tr.* 8. *resol.* 41. & *par.* 4. *tr.* 3. *resol.* 60. vbi pro eadem opinione allegat quoque *Sanch. tomo* 1 *sua sum lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 17. & *Meroll. in disput. theolog. tomo* 1 *disp.* 2. *cap* 4 *dub.* 10. *num.* 268 Causam autem rationabilem dicunt præfati Doctores esse necessitatem, vel vtilitatẽ aliquam proportionatam qualitati peccati. Vndè *Salas* concedit, posse vendi fucos, monilia, & vestes fœminis abusuris illis ad adulteria; nec nõ posse vendi taxillos, aleas, & cartas lusorias iniustè lusuris, ac posse deponi pecunias apud vsurarium, qui illis exercebit ad vsuras: & denique licitum esse domos meretricibus locare, etiam si honestas vicinas peruersuræ sint. Mouentur ex eo, quod eiusmodi actiones indifferentes non sunt intrinsecè malæ: ergo possunt honestari ex aliqua rationabili causa, sine qua malæ erunt, vt declarat *Ioan. de Sal. d dub.* 47. *nu.* 5. *in fin.* qui etiam *num.* 6. *cum plur. seq.* contraria soluit; & inquit diminutè loquutos fuisse aliquos, qui dictas actiones iustificant, nulla facta mentione causæ rationabilis. Et falsò docuisse licitum esse eis abuti, nisi venditor sciat, ementem illas emere ad abutendum: nam etiam si quis easdem vendat alicui, quem scit velle ad abutendum, non peccat, si ex necessitate, vel ex alia causa rationabili

bili vendat. Sic etiam reijcit limitationem eorum, qui volunt, hanc secundam sententiam esse veram, nisi emptor re empta esset abusurus in iniuriam proximi: vel nisi venderet, quæ contra Diuinum cultum ordinata sunt, vt ait *Valentia;* sed malè meo iudicio hoc vltimo casu.

41 Ex dictis patet quid dicendum sit de vendentibus in diebus ieiuniorum cibos vetitos, quibus certò nouerint ementes eis abusuros in frangendo ieiunium, tunc si ex necessitate, aut alia rationabili causa eiusmodi cibos vendant, attenta supradicta sententia, non peccant: secus autem si nulla præuia necessitate, ac vtilitate: nam tunc peccarent, & ità puto intelligẽdum esse *Fagũd. de precep. eccl. precep.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. quem refert, & sequitur *Diana tomo* 1. *resol. moral. resol.* 38. *ver. Ex his infertur, tr.* 8. dum dicunt peccare venditorem vendentem cibos prohibitos si nouerit emptorẽ in emendo: id enim intelligendum cùm absq; vlla vtilitate, ac necessitate id agit: aliàs ipse *Diana* non loqueretur consequenter dum sequitur posteriorem sententiam: & multò minus talis venditor culpam cõtraheret si bona fide eiusmodi cibos venderet, quia non cooperatur peccato ementis, quem ignorat eis abusurum: eò magis, quia in diebus ieiunis multi sunt, qui talibus cibis indigẽt, nec venditores vlla lege tenentur explorare volũtatem, & causas emptorum, vt rectè docent *Fagund. & Diana loc. cit.* qui hunc vltimum casũ videntur tenere, habere locum etiam si nulla necessitatis, aut vtilitatis causa concurreret.

42 Idem dicendum videtur de hostibus, seu tabernarijs parantibus cęnam hospitibus, ac viatoribus in die ieiunij, etiam si sciant ieiunium violaturos, nec tenẽtur eos monere, vt ieiunium seruent, maximè si hospites sint alicuius auctoritatis, vt habetur ex *Ledes. tomo* 2. *sua sum. tr.* 27. *cap.* 2. *concl.* 6. *differ.* 4. *Homob. de exam. Eccl. par.* 2. *tr* 8. *cap.* 7. *q.* 21. *Faust. in thes. Religios. lib.* 1. *q.* 178. *num.* 1. *Sanch.* & ex alijs, quos refert *Diana loc. cit. resol.* 39. & eam sequitur tãquam probabiliorem; quia hoc casu semper cõcurrit aliqua necessitatis, ac vtilitatis causa, cùm ad ipsos tabernarios confluant, vt plurimũ viatores: & quamuis ad eosdem confluant etiam viri nobiles, non tamen tenentur illis denegare cęnam; quoniam tabernarij cùm sint infimæ sortis, sæpè contumelijs afficiuntur ab ipsis nobilibus, & aliquando verberibus, vltra quod si passim denegarent in die ieiunij cęnam viatoribus, pauci ad eorum tabernas confluerent; atq; ideò notabile detrimentum in bonis sustinerent. Vndè meritò *Diana loco cit.* concludit ex his, non esse scrupulos inijciendos in præfato casu. His adde, quæ habentur ex *Less. lib.* 4. *de iust. & iure, dub.* 4. *in princ.* & *num.* 23. ubi ait, quòd licèt in Terris hæreticorum passim viatoribus in die ieiunij apponantur cibi vetiti, nempè carnes; in locis tamen Catholicorum eos apponere, præsertim carnes est graue peccatum, & grauiter punirentur apponentes: nam contraherent suspicionem hæresis, saltem vti hæreticorum fautores.

43 Hæc adeò probabilia sunt, vt non patiantur notabilem difficultatem: maior autem difficultas est de patrefamilias, an mortaliter peccet ministrans cœnam, cibosquè distribuens filijs, ac famulis, qui ieiunare tenentur illis diebus, in quibus præceptum ieiunij obligat, in qua re *Fagund. de precept. Eccles. precept.* 4. *lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 11. post relatam sententiam *Medina, & Maior.* docentium partem affirmatiuam, dicit quatuor, primò cum *Gabr.* 2. *sent. dist.* 17. *ar.* 3. & *Azor. tom.* 1. *inst moral. lib.* 7. *cap* 30. *aliàs* 31. Patremfamil. mortaliter peccare, si in die ieiunij familiam cogat ieiunio obnoxiam ad faciendum ea opera, quæ cum ieiunio stare non possunt, si eiusmodi opera in alium diem commodè transferri possint. Secundò, Patremfam. debere præstare propriæ familię, quę ieiunare tenetur commoda alimenta, quibus ieiunare possit, atq; ideò lethalem culpam contraheret, si et tunc, vel carnes, vel alios cibos prohibitos impertiat. Tertiò, teneri Patremfamil. impedimenta remouere, & curare, ne familia cibis vetitis vtatur diebus ieiunio dicatis: aliàs peccaret mortaliter. Quartò, non teneri patremfam. familiam vi cogere ad obseruationem ieiunij; sed tantùm tenetur eam monere ex lege charitatis, vt ieiunia ab Ecclesia indicta obseruet, ac debet eos tantùm cibos ministrare, qui non sunt prohibiti talibus diebus: vndè si post admonitionem nolit familia ieiunare, tenetur ei subtrahere cibos prohibitos in die ieiunij, non tamen alios. Hæc *Fagund. loco suprelato.*

44 Cæterùm idem *Fagund. ibidem, nu.* 12. quærit, an licitum sit ieiunium soluere, propter amicum nos ad prandium inuitantem; & an mortaliter peccet ille, qui nos inuitat, quando scit nos ieiunare, idcircò obiter hanc rem absoluentes, cũ hæc controuersia affinitatem habeat quodammodò cum his, quæ adnotauimus supra in hac ipsa decima conclusione, dicimus, quòd si ieiunium est præcepti Ecclesiastici, voti, aut in confessione impositum, eo præcisè die, & non in alio, proculdubio peccat lethaliter inuitans, si sciat ieiunium obligatorium esse, & de facto inuitatus ieiunium violet ob illam inuitationem, aliàs non violaturus, prandendo, aut cœnando: siquidem inuitans est causa moraliter inducens ad peccandum; atque ideò cùm inuitatus mortaliter peccet, eadem culpa alligatur inuitans. Ita *Azor. tom.* 1. *inst. moral. lib.* 7. *cap.* 31. *q* 12. *Maior. in* 4. *dist.* 15. *q.* 4 *§. Dubitatur, Caiet.* 2 2. *q.* 147. *ar.* 4. & *Nauar. in Man. cap.* 21. *num.* 21. quos refert, & sequitur idem *Fagundez d. c.* 10. *sub num.* 12. quam quidem conclusionem *Caiet. & Azor.* ampliant esse verum, etiam si inuitatus sit ad cœnandum paratus: nam eo casu inuitans inuitat alterum ad continuandum peccatum, ac opere implendum. Imò idem dicendum esse putat *Fagund.* ibi de inuitante illum ad cœnam, quem certò scit cum alio cœnaturum, & violãdum ieiunium: nam perinde est inuitare paratum violare ieiunium in cœnando cum alio, ac si paratum violare ieiunium simpliciter. Quæ omnia locum habent, vbi agitur de inuitante, ac inducente ad violandum ieiunium eum, qui ad ieiunandum est obligatus, vt supra: Secus autem si ieiunium sit voluntarium; quoniam eo casu nulla culpa contrahitur, vt benè declarat *Fagund. eo loco.*

45 Peccant vndecimò venditores scienter vendẽtes res alienas, cùm illas possint Domino restituere: & insuper tenẽtur ad pretij restitutionem, seu

seu æstimationis: siquidem eiusmodi res alienãdo damnum inferunt Dominis; ergo peccant, & tenentur ad damni refectionem. Ita *Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 11 dub. 17. num. 135. Ioan. de Sal. de empt. & vend dub. 48 num. 6.* qui testantur hanc sententiam esse communem omnium Doctorum.

46 Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat in venditione rei alienæ siue furtiua sit, siue non affecta vitio furti, vel rapinæ; siquidem in vtraque militat eadem ratio: nam venditor eas alienãdo, ad quod ius non habebat, damnum infert eorum Dominis, ac si ipsas perimeret; ergo peccat, & efficitur restitutioni obnoxius.

47 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat in restituente rem alienam, quam emit a fure, eidem furi; quoniam is non peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur pro pretio ipsius rei ab ipso fure emptæ: siquidem id non est alienare, aut in alium transferre; sed cõtractum priorem resoluere ad euitandum damnum pretij, vt post alios probat *Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 21 dub. 17. & Ioan. de Sal. de empt. ac vend dub. 48. sub num. 6.* qui id ampliat secundum aliquos etiam, si res furtiua per restituentem scienter fuerit empta à fure; & Nos dicemus infra *sec. 10 concl. 7* quod tamen non admittit *Less. lib. 2. de iust. & iur cap. 14. dub. 3. in princ.*

48 Secundò limitatur ipsa conclusio, quoties res aliena, vt supra alienata non poterat Domino restitui: & per alienationem non fuit reddita recuperatu difficilior: tunc rem eiusmodi alienans non tenetur, nec ad pretij restitutionem, nec ad rei æstimationem; nisi quatenus ex illa alienatione factus est ditior: siquidem per huiusmodi alienationem nullum damnum intulit Domino: quoniam non tenetur ratione rei acceptę, nec ratione iniustæ acceptionis, vt declarat idem *Ioan. de Sal. loco citato*: qui tamen supponit, alienantem rem ipsam non sustulisse, nec fuisse causã, cur restitui non possit. Hac ratione *Less. Ioan. de Sal locis citatis*, & alij, multos excusant in Anglia, & Hollandia, qui bona Ecclesiastica immobilia ab alijs empta, alijs postea vendiderunt, eosdemque immunes faciunt à restitutione: etenim per eiusmodi alienationem nullum damnũ prouenit Ecclesiæ, cùm non possint recuperari. Est tamen verum, quòd si ex fructibus, vel venditione facti sunt locupletiores, tenẽtur restituere, quatenus ditiores facti sunt: nam fructus sunt Ecclesiæ eo ipso, quod in Ecclesia nascuntur: & lucrum ex venditione, etiam si Ecclesiæ non sit; est tamen ei debitum, tanquam id, quod succedit in locum rei; nisi ex industria proueniret, vt benè declarant *Less. & Ioan. de Salas locis citatis*, vbi sic vendentes, docent etiam non obligari emptoribus, qui ab ipsis ea bona emerunt: nam licèt cõtractus fuerit irritus; atque ideò non sit translatum dominium pretij; nihilominus, quia venditor illud, volente emptore percepit, & retinet: & dum emptor non vult dissoluere contractum, & restituere emptum, non tenetur venditor pretiũ illi restituere, sed potest retinere loco rei venditę. Quòd si emptor vellet dissoluere contractum, & rem emptam restituere; venditor teneretur ad pretij restitutionem, cùm contractus ab initio fuerit irritus, ac nullius momenti.

49 Tertiò limitatur in vendente rem alienam bona fide, vt quia putabat esse suam: nam is non peccat, nec tenetur ad pretij restitutionem. Et si consumptit, non obligatur ad rei ęstimationis restitutionem, nisi quatenus factus sit locupletior, vt habetur ex *Caiet 2. 2. q. 62 ar 6. Medina de restit q. 10 Syl. vers. Restitutio, 3 q 7. Nauar in Man. cap. 17. num. 7. & seq. Molina de contr. disp. 380 Lopez eod tr. cap. 47. ad fin Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 14. dub 1 num 3 & cap. 21. dub. 17. Ioan. de Sal de empt. & vendit. dub. 48. num. 3.* & alijs, qui rem hanc ampliant, siue res aliena sit furtiua, siue non: & rationem eam esse volunt; quoniam talis rei venditor, seu consumptor non tenetur, ratione rei acceptæ, cùm hæc apud ipsum non extet, nec vllum ex ea perceperit emolumentum, nec ratione iniustæ acceptionis, cum nullam iniustitiam commiserit contra Dominum, & fur, ac possessor Domino maneant obligati Dixi, *Nisi quatenus factus sit locupletior*, ex venditione scilicet, aut consumptione; quoniam lucrum illud tenetur Domino restituere vice rei alienæ, in cuius locum successit; non enim iustum est, vt quis ex re aliena ditescat citra omnem suam industriam: nam si lucrum ex sua industria prouenerit, vt quia rem detulit in alium locum, vbi pluris venditur, tunc non tenetur illud restituere, vt cum *Less.* & alijs inquit idem *Ioan de Sal. ibidem sub num 4* qui volunt idem dicendum esse de donante rem alienam, quoniam solùm tenetur restituere Domino, in quo factus est locupletior, vt si aliam rem suam esset donaturus, nisi alienam donasset, vt rectè declarat *Less. d. cap. 14 dub. 1. per totum*, vbi etiam *num. 7.* addit quòd si res perijt, durante bona fide, ad nihil tenetur, siue fortuitò, siue culpa leui, siue graui perierit, cõtra *Sot & Nauar.* Etenim non teneretur ratione iniustæ acceptionis, quia consumptio talis rei, vel negligens custodia non est actio iniusta; sed tantùm teneretur ratione rei acceptæ: ergo si res non extet, nec in se, nec in pretio quomodocunque id factum sit, non tenetur.

50 Est tamen verum, quòd si res euincatur, vel Domino restituatur ab emptore, tenetur venditor emptori de euictione: nõ tamen tenetur monere emptorem esse alienam post scientiam; quoniam non tenetur cum pari suo damno curare, vt alieni fiat restitutio eius, quod nulla eius culpa perijt, vel alienatum est, vt rectè declarat *Less lib. 2. de iust. & iure, cap. 14. dub. 1. & cap. 21 dub. 17. sub num. 133.* Imò quamuis venditor eo casu teneatur de euictione emptori, vt in *l. 1. & toto tit. ff. & C. de euict.* non tamen donator rei alienæ tenetur de euictione donatario, si à Domino euincatur: siquidem donans non tenetur de euictione donatario, nisi expressè per stipulationem fuerit promissa, vt in *l. quoniam, C. de euict.* ib. *Glosa, Bart. & alij.* Quòd si emptor rem alienam esse sciat, ad pretium actionem nõ habebit, nec venditor euictioni est obnoxius, nisi id expressè fuerit deductum in pactum, vt in *l. si fundum, C. de euict.* & si talis res fuerit mobilis, emptor, vt fur punietur, vt declarant *Mol. de cõtr. disp. 327. & 380. Rebell par. 2 lib. 9 q 18. sec. 1.* & alij, quos refert, & sequitur *Salas de empt. & vend. dub. 48 num. 2.*

51 Adde, quòd limitationem intelligimus, quoad vendi-

venditorem, aut quouis alio titulo alienantem rem alienam, quando rem alienat durante bona fide, vt quia credat esse suam, vt supra diximus: nam si cognouerit esse alienam, ad illius restitutionem tenetur prima opportunitate; idque solũ ratione rei acceptæ: siquidem non potest retinere rem alienam, inuito Domino; cui concedit lex vindicationem rei suæ vbicunque fuerit, vt in *l. si debitor, C. de rei vend.* Nec emptor potest exigere à Domino pretiũ, quod pro ea tribuit; quia non conuenit, vt ipse rem suam emat, vt in *l. inciuilem, C. de fur.* sed oportet illud à venditore recuperare, cùm teneatur de euictione, vt supra diximus. Quòd si rem talem postquàm scinerit esse alienam, vlterius quis detineat, habita restituendi opportunitate, tunc incipit esse possessor malæ fidei, & obligatur ad restitutionem, non solùm ratione rei acceptæ; sed etiam ratione iniquæ detentionis, quæ æquiualet iniquæ acceptioni; atque ideò si res interim pereat tenetur ad restitutionem; quia censetur esse in mora. Illud autem arbitror esse notatu dignum, quod circa rem hanc docet idem *Less. d. cap. 14. dub. 3. sub nu. 20.* quòd si quis sciens rem esse alienam emat paruo pretio, vt Domino inuento eam reddat, pretium eo casu repetere potest; & Dominus in conscientia illud dare tenetur: & in foro externo cogi quoq; potest, vt colligitur ex *§. 1. in inst. de oblig. quæ ex quasi contr. nasc & in l. 2. ff. de negot. gest.* Etenim utiliter gessit negotium Domini: non enim dedit pretium, vt rem sibi retineret; sed vt eam periculo, in quo erat, eximeret, ne Domino periret. Quòd si eandem ad eundem finem compararet magno, aut æquali pretio, non tenetur Dominus totum pretium refundere; nisi fortè prudenter existimauerit eam pluris valere: siquidem ex tali emptione nulla vtilitas Domino prouenirет: nec Domini negotium vtiliter gessisset: tenebitur tamen ad aliquod arbitrio prudentis viri. Ita *Couar. in reg peccatum, 3. par in initio, num. 5.*

52 Peccant duodecimò vendentes vnam, & eandem pluribus diuerso tempore, ac ex interuallo insolidum: siquidem iniuriam inferunt primo emptori, cùm iniustè vendiderint posteriori cũ iam esset vendita: qua propter prior emptor habet actionem contra venditorem, vt soluat quantum interest rem sibi tradi: & insuper ipse venditor tenetur pœna falsi, ut in *l qui duobus, ad leg. Cornel. de fals.* latè *Ias. in l. quoties, C. de rei vend.* Imò si res vendita neutri sit tradita, debetur priori emptori, cum sit melioris conditionis, & iniustè uendita sit posteriori: & qui prior est tempore potior est in iure, vt in *l. prior, C. qui potior. in pign. habean.* Quòd si res ipsa tradita sit posteriori emptori; primo verò tantum uendita, debetur secundo, ut in *d. l. quoties, & l. traditionibus, C. de pact.* siquidem solo contractu citra traditionem nobis non acquiritur dominium, ut in *d l. traditionibus & §. per traditionem,* & ibi, *Doctor. in instit. de rer. diuis.* Adde, quòd adeò uerum, ut præferatur secundus emptor, cui res tradita fuit, ut sit potior, etiam si contractus cum priore sit firmatus iuramẽto: nam hoc quidem efficiet, ut sit periurus, ita *Couar. de sponsalib. par. 1. cap. 5. num 9. Less lib. 2 de iust. & iur. cap. 21. dub. 19. sub num. 139 in fin.* & alij apud *Ioan. de Sal. de empt. & vendit. dub. 46.* quod ampliant locum sibi uendicare, non solùm in contractu emptionis; sed etiam in promissione, donatione, locatione, & in alijs similibus contractibus.

53 Est tamen uerum, quòd id, quod diximus, nẽpè præferri posteriorem emptorem, cui res tradita est, priori, in multis casibus limitatur. Etenim limitatur primò, ut locum sibi non uendicet in illis casibus, in quibus peculiari iure ex solo contractu citra ullam traditionem transfertur dominium, ut patet in uenditis, aut donatis Ecclesijs, locis pijs, uel Ciuitatibus, ut in *l. fin. C. de Sacros. Eccl.* in his enim dominium transfertur per solum contractum: secus autem si res sit tantum promissa pro loco; quia per solam promissionem non transfertur dominium, nec tribuit ius in re, atque ideò si res Ecclesiæ promissa, alteri donata, ac tradita fuerit, donatarij erit, non autem Ecclesiæ, ut rectè docent *Less. d. cap 21. dub 19. num. 140. Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 46. sub num. 4. & alij Doctor. in d. l. quoties, C de rei vend.* Secundò limitatur, ubi secundus emptor fuit in mala fide, ut quia erat conscius prioris contractus: nam prior emptor poterit rem ab eo uindicare, tanquam in fraudẽ ipsius alienatam, ut est *Glos.* communiter recepta in *cap si tibi, de regul. iur. in 6. Less. & Ioan. de Sal. locis citatis,* qui etiam addunt, ita demũ id uerum esse, quando posterior emptor induxerit uenditorem ad eam sibi uendendam; aliàs secus: & idem dicendum putant, si prior titulum onerosum habeat; posterior lucratiuũ: nam prior præfertur, ut in *l. ex ignorantia,* & ibi, *Doctor. C. de his, quæ in fraud credit.* non tamen dicunt, donatarium obligari illam spontè tradere, sed solùm si emptor eandem intra tempus à iure constitutum exigat. Tertiò limitatur, vt nõ procedat, quando res priori emptori fuerit hypothecata: nam tunc secundus emptor, etiam si res tradita sibi sit postponitur primo, ut in *l. si creditor, §. fin ff. de distr. pignor* & rectè declarant *Less. & Salas, vbi supra:* qui insuper addunt, quod si uterque emptor affirmet, rem prius sibi traditam fuisse, neque probari possit, utri prius fuerit tradita, eam priori fore adiudicandam: nam seclusa traditione, ius priori est potius.

54 Peccãt uenditores, quibus aliqua fuerunt tributa ad uendendum, aliquid ex pretio retinentes, si pluris ea uendiderint, quàm eis sit à Domino præscriptum: & insuper sunt restitutioni obnoxij. Etenim, aut uendiderunt ultra pretium summum, & tunc tenentur restituere excessum emptori, à quo iniustè extorserunt, atque ideò culpam contraxerunt pariter ob iustitiæ læsionem; quod si pluris uendiderint intra latitudinẽ iusti pretij, excessum eiusmodi, neque possunt sibi retinere, si mercedem pro eorum labore acceperunt, aut sint in famulatu, uel gratis hoc officium præstandum susceperunt, ut amici: siquidẽ hi nullum titulum legitimum habent, quo possint aliquid ex pretio sibi usurpare: id enim non possunt ratione rei uenditæ, cùm hæc non sit ipsorum: nec ratione industriæ, uel ministerij quoniam pro eis mercedem accepisse supponimus; uel si non erant in ministerio, gratis onus suscepisse damus. Ita *Caiet vers. Proxeneta, Less. lib. 2. de iust & iur. cap. 21. dub. 18. Molin. disp. 366. Eman. 2. par. suæ sum q. 133. Syl. vers. Emptio, q. 24. Ioan.*

24. *Ioan. de Salas, de empt. & vendit.* cum alijs, quos allegat. Vndè non refragatur, quòd Dominus rei vendendæ pretium determinauerit; quoniam id tantùm censetur, ne res venderetur infra, non autem ne supra, si fortè occasio ità ferret: & ideò quo pluris fuit vendita, totum illud cedit in Domini vtilitatem.

55 Limitatur tamen primò hæc conclusio, vt nõ procedat vbi concurrit rei Domini voluntas tacita, vel expressa donandi venditori, seu proxenetę excessum illum vltra pretium ab ipso Domino præfinitũ. Etenim quilibet est moderator, & arbiter rei suæ, vt *in l. re mandata C. mand.* & hanc sententiam docet *Sà, ver. Venditio, num.* 11.

Secundò limitatur, vt locum non habeat vbi vẽditor, seu proxeneta opera sua illud, quod pluris rem vendidit, meruit, vt si maiorem diligentiam adhibuerit, quàm deberet, vt quia iussus vendere in vna Ciuitate, vbi res minus valet, eãdem transtulit in aliam Ciuitatem, vbi pluris vẽditur: tunc enim excessum illum potest sibi retinere, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap.* 23. *num* 97. *Gabr. in* 4. *dist.* 15. *q.* 10. *ar.* 3. *dub.* 4. & *Ioan. de Sal. de empt. ac vend. dub.* 45. *sub nu.* 5. pro qua re allegat *Sà loc. cit.* & ampliat, vt idem dicendum sit, si alia industria non debita rem ipsam meliorauerit.

56 Tertiò limitatur, vt vera sit, nisi venditor rem, de qua agitur, pretio à Domino constituto compararet, & deindè suo nomine pluris venderet: nam excessum eiusmodi licitè potest sibi retinere: is enim non facit contra iustitiam, cùm ex re propria incrementum illud percipiat: quod quidem ità demum verum est, nisi fortè Dominus ei præcepisset, vt rem distraheret quanti intra latitudinem iusti pretij vendi posset: siquidem hoc casu tenetur illam diligentiam adhibere, qua adhibita posset eã sibi vendicare eo pretio, quod alij obtulerunt, vt habetur ex *Less. loco cit. in fine, & Nauar. vbi sup.* quos refert, & sequitur *Ioan. de Sal. d. dub.* 45. *num.* 2. & 3.

57 Peccant quartodecimò vẽditores res proprias vendentes in fraudem creditorum. Siquidem peccant contra iustitiam, eo quod iniuriam, ac damnum inferunt eorum creditoribus, quibus res illæ obligatæ sunt pro eorundem satisfactione, vt patet ex *tot. tit. ff. & C. quæ in fraud. credit. §.* 1. & *§. in fraud. in Inst. quib. ex caus. manumit. non lic. & §. Item si quis in fraudem, in Inst. de action.* Idem dicendum est de quocumq; titulo alienantibus res in fraudem creditorum, siue eas alienent titulo oneroso, siue lucratiuo: nam quocunque modo alienatio fiat semper iniuria, ac damnum inferuntur creditoribus. Vndè cùm militet eadem ratio in omnibus supradictis casibus, militat etiam eadem iuris dispositio, *l. adigere, §. quamuis ff. de iure patr. & l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Censetur autem in fraudẽ creditorum res alienata, vbi debitor aliquid distrahit prospiciens per talem alienationem non remanere sibi sufficientia bona ad soluenda debita. Non tamen alienatio censetur facta in fraudem creditorum, fauore libertatis, vt quando Dominus liberum faciat proprium: nam quamuis per talem manumissionem remaneat impotens ad debita soluenda; non tamen censetur facta in fraudem creditorum; dummodò non adfuerit animus, atque intentio ea via fraudandi creditores: siquidem eo casu manumissio illa diceretur facta in fraudem creditorum, *§. in fraudem in Inst. quib. ex caus. manum. non lic.* & latè *Molin. de contr. disp.* 338. *sub num.* 1. qui ex *d. §.* & alijs iuribus colligit, alienationem censeri factam in fraudem creditorum, quamuis non constet ea via debitorem voluisse suos creditores defraudare: sed satis esse solam eiusdem scientiam, quæ iura appellant consilium fraudandi creditoris; nempe quod ipse debitor sciat per eiusmodi alienationem se remansurum impotẽtem ad satisfaciendum suis creditoribus, vt *in l. si quis cum haberet, ff. quæ in fraud. credit.*

58 Imò si emptor sciat rem emptam fuisse venditam, aut alio contractu oneroso fuerit eandem consecutus sciens pariter fuisse alienatã in fraudem creditorum, tunc datur creditoribus aduersus illos actio rescissoria in foro exteriori ad cogendum eos reddere, quod ità acceperunt, vt indè satisfiat ipsis creditoribus, nullo eis restituto pretio, nisi quatenus in debitoris bonis fuerit repertum in se, aut in aliquo alio, in quo debitor ex eo pretio factus sit locupletior: quæ quidem actio intra annum dumtaxat à die scientiæ fraudulentæ alienationis, vt *in l. pen. C. quæ in fraud. creditor. l.* 1. *l. si debitor, & seq. ac l. vlt. ff. eod.* & conscius quis eo ipse censetur, cum scit, debitorẽ reddi impotentem ad satisfaciendum suis creditoribus; nec satis est si sciat alienantem habere plures creditores: dicetur etiã conscius si à creditoribus admoneatur emptor ne emat, aut aliũ contractum onerosum celebrẽt cum suis debitoribus; eo quòd alienatio fit in eorum fraudem, vt *in l ait Prætor, §. quod ait, & § si quis ff. eod. tit.* vbi *DD* latè, & *Molina d. disp.* 328. *sub nu.* 2. qui tamen addit, quòd si alienatio aliqua facta fuerit in fraudem priorum creditorum, & deindè superuenĩãt alia debita, tunc non datur actio creditoribus superuenientibus ad eam alienationem rescindendam, nisi ex ipsorum bonis fuerit satisfacta prioribus creditoribus, vt *in d. l. ait Prætor, §. ita demum, & l. nisi priores, ff. tit. cit.* Est tamen verum, quòd si is, aduersus quẽ actio datur creditoribus ad alienationem rescindendam, rem illam distraxerit in eum, qui bona fide eam acceperit, tunc aduersus bona fide accipiẽtẽ non datur actio, sed solùm aduersus priorem, vt illius rei valorem restituat; etiam si eam cõsumpserit, vt *in l. qui à debitore, ff. quæ in fraud. credit.*

59 Dixi: *Si emptor sciat rem emptam fuisse venditam, aut alio contractu oneroso fuerit quis eãdem consecutus, sciens fuisse alienatam in fraudem creditorum, &c.* quia si bona fide rem alienatam fuerit consecutus, ignorans alienationem eiusmodi fuisse habitam in creditorum fraudẽ, tunc non modo rei alienatæ dominium comparat, sed nec in foro exteriori, nec in foro conscientiæ ad aliquam restitutionem tenetur. Quòd dictæ rei bona fide emptor, aut quocumque alio titulo oneroso eam accipiẽs, eiusdem comparet dominium, patet: siquidem res illa neque erat creditorum, nec illorum comparationem vllam onus reale habebat, quasi haberent ius in re, vt supponimus; sed erat alienantis: ergo nihil impedit, quominus dominium transferatur in accipientem, vt rectè probat *Mol. loc. cit. sub nu.* 7.

vers. Prima pars. Quòd sic rem prædictam accipiens in neutro foro sit creditoribus restitutioni obnoxius, probatur: nam quoad forum externum nulla actio cōpetit eo casu creditoribus, vt *in l. vlt. §. si à socero*, & ibi *Bart & alij ff. qua in fraud. creditor.* Quo verò ad forum conscientiæ ita accipiens non tenetur restituere ex parte iniustæ acceptionis, cùm rem illam bona fide perceperit, ignorans alienatam fuisse in fraudē creditorum; atque adeò per talem alienationem debitorem fieri impotentem ad satisfaciendum suis creditoribus: nec tenetur ex parte rei acceptæ; eo quòd res illa non erat creditorum, nec eisdem hypothecata, vt supponimus, nec onus habet reale, quo eisdem esset debita; supponimus creditoribus competere aduersus alienantem actionem tantum personalem, vt atque ideò rem ipsam esse alienantis; non igitur tenetur in foro conscientiæ aliquid restituere creditoribus ipsius alienantis.

60 Quæ diximus de accipiente scienter in fraudem creditorum rem alienatam titulo emptionis, aut alio titulo oneroso, extendimus multò magis in accipientem eandem rem conscium de alienatione facta titulo donationis, aut alio titulo lucratiuo in fraudem quoq; creditorū: siquidem cōpetit actio rescissoria ipsis creditoribus pro ipsa re vt supra donata in eorum fraudem. Differentia verò est inter accipientem bona fide rem huiusmodi titulo oneroso: & accipientem bona fide rem eandem, ignorantē alienationem fuisse factā in fraudem creditorum; quòd prior ad nihilum tenetur creditoribus ipsis, vt supra adnotauimus: posterior verò licèt non fuerit cōscius fraudis, tamen si res apud se sit, tenetur eā reddere: si autem non extet, nihil tenetur restituere, nisi quantùm indè factus sit locupletior, vt *in l. qui autem, §. simili modo, ff. qua in fraud. credit. l. fin. C. eod.* & rectè declarat *Mol. d. disp. 328. sub num. 2. vers. Quando autem, & num 3.* vbi ex hoc infert, quòd cùm dos titulo oneroso transeat ad generum, ad filiam verò titulo lucratiuo, vt *in l. vltima, §. si à socero, ff. eod tit paulò sup. cit.* si gener conscius non fuit, alienationē in fraudem fuisse creditorum, non datur actio aduersus generum; esto socer in creditorū fraudem dotem illam alienauerit; sed datur tantùm actio aduersus filiam post mortem viri sui, nisi filia filios haberet superstites ex tali viro defuncto, vt *in d. §. si à socero*, & ibi *Bart. & alij*, dummodò tamen a creditoribus actio intentetur intra annum ut supra: quæ quidem in vtroque foro locum sibi vendicare probat idem *Molina loc. cit. sub num. 7.*

61 Peccant quintodecimò vendentes fundum, & reseruantes sibi fructus eiusdem annales, donec pretium fuerit solutum. Etenim dum rei transfertur dominium, res debet fructificare Domino suo, cuius periculo subst at: atque ideò venditores eiusmodi vsuram committere, docent *Gabr. in 4. dist. 15. q. 11. ar. 2. concl. 4. Plot. in l. si quando, num. 451. C. vnde vi, D. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 7. §. 20. Syl. ver. Vsura, q. 11.* & ita fuisse determinatum Romæ testatur *Io. Bapt. Anton. in Cathec. Neapol. lib. 5. cap. 21.* Est tamen verum, quod *Diana par. 4. resol. mor. tr. 4. resol. 139.* quamuis hanc sententiam putet esse probabilem; contrariam tamen putat nō modò probabilem; sed etiam tutam in praxi: siquidem eam docent Doctores magni ponderis, nempè *Couar. lib. 3. var. resol. cap. 4. & Sanch in opusc. tomo 1. lib. 1 cap. 7. dub. 21. num. 3.* cum alijs ab eis relatis. Nos autem rem hanc explicauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. tomo 1. in proœm. q. 16. vbi concl. 1.* posse eiusmodi contractum iustificari, vt implicitum censum consignatiuum: vel iuxta sententiam S. m. D Pauli de Aretio nostræ Congregationis, & S. R. E. Cardinalis, quem ibi retulimus, vt possit fieri venditio rei cum retentione fructuum citrà illorum dominij translationem in emptorē, ita ut subijciatur venditor periculis ipsorum fructuum in ipsa rei traditione, vt in *d q 16.* latè ostendimus, cui nos remittimus ne bis idem repetere videamur.

62 Peccant sextodecimò Clerici negotiatores, res ementes, & immutatas vendentes negotiationis causa: siquidem Clericis est interdicta negotiatio, vt *in cap fin. de vita, & honest. Cleric.* & nos latè de his egimus in nostris *Commētar. in Bull. Cœna, lib 2. cap. 18 q. 8.* & ad *d. q. Addentes fol. 675. & 676. in 2. edit.* quibus locis ostenditur, quinam Clerici dicātur negotiatores, & quibus interdicta sit negotiatio: & an, & quando priuati censeantur immunitate tributorum, & gabellarum, quibus adde *Ioan de Sal. de empt. & vēdit. dub. 3.* vbi rectè probat Clericum negotiatorem non amittere priuilegium canonis, & fori, vt malè quidam putant; sed tantùm priuilegium immunitatis à tributis, & exactionibus, & id post trinam monitionem, interpellatis diebus, nec sufficit vna, vt habetur ex *Panor. & alijs in d. cap. fin. de vita, & honest. Cler.* latè *Mol. de contr disp. 342. & alij DD.* quos refert, & sequitur idem *Ioan. de Sal. d. dub. 3.*

63 Peccant decimoseptimò vendentes, ac redimentes pensiones; non enim pensiones possunt vendi, ac redimi citrà simoniam, nisi Rom. Pontificis consensus interueniat: siquidem pensio soluta constituti super beneficio ecclesiastico, licèt non sit beneficium, nec portio fructuū eius; est tamen ius spirituale, aut illi annexum, non antecedenter, ut ius patronatus; sed dependēter, aut consequenter instar beneficij. Vnde sicut ius patronatus non potest uendi, vt *in cap. de iure, de iure patr.* multò minus potest uendi pensio, nec pecunia redimi. Ità *Nauar. in Man. cap. 23. num. 111.* & latiùs *in cap. fin. de simon.* Hanc eandem sententiam docent *Rebuff. Cordub.* & alij apud *Sanch. in opusc. tomo 2. lib. 2. cap. 3. dub. 46. num. 19.* & probabilem putat *Diana par. 4 resol. moral. tr. 4 resol. 153.* Est tamen uerum, quod pensio potest gratis remitti citra auctoritatem constituentis; non tamen anticipata solutione redimi citra Rom. Pontif. assensum, ut per eundem *Nauar.* ibi, & alios.

64 Hæc opinio licèt uera sit absque aliqua controuersia de pensione, quæ datur in titulum beneficij ob aliquod ministerium spirituale futurum coadiutori Episcopi, uel Parochi senis: nam tunc pensio dicitur ius spirituale, uel spirituali annexum: in alijs autem pensionibus locum nō habet, ut habetur ex *Sanch. & Diana locis cit.* Vndè pensio, quę solita est assignari seni renuncianti beneficium ob labores præteritos exhibitos potest redimi, quoniam hæc potest dici tempo-

po-

poraneum quoddam, cum nō detur ad exercendum aliquod ministerium spirituale; sed tanquā alimentum illius senis. Sic etiam dicimus posse pecunia redimi pensionem, quæ datur Clerico pauperi: quoniam est merè temporalis, & non datur pro ministerio spirituali; sed tantùm in alimentum; atque ideò Clericatus, & Ordo Sacer se habent concomitanter. Et denique idem dicendum esse dicunt præfati Doctores de pensione, quæ conceditur in renunciatione, ac commutatione beneficiorum, datur ad componendā litem dubiam super beneficio, & de alijs pēsionibus, quæ dātur personis omninò sæcularibus, nempè Principibus, militibus, filijs etiam Clericis ob obsequia, quæ prēstitit eorum Pater Ecclesiæ: siquidem huiusmodi pensiones tam sunt extractæ à titulo, & officio spirituali, & ideò sūt temporales, & vt tales possunt vendi, ac redimi.

65 Peccant decimo octauò vendentes Generalatum, Prouincialatum, Correctoriatum, Guardianatum, Prioratum, Vicariatum etiā Episcopi. Hi namque simoniam contrahunt: eo quòd prædicta officia sunt beneficia regularia. Ita *Suar tomo 5. disp. 22. sec. 5. num. 24 & disp. 31. sec. 4 num. 45. Nauar in Man. cap. 27. nu. 116. Filliucc. tomo 2 qq moral tr 15. cap 4. q 7 nu. 87. Rayner. in catal cens cap. 9. excom. 12. Caiet. ver Excommunicatio, cap. 75 Pellegr. in cōmentar nostr. constit. par. 3. cap 1. litt. I. §. 2. ver. Septimò, Reginal. in praxi tomo 2. lib. 23 cap. 12 num. 181 Sanch. in opusc. tomo 1. lib. 2. cap. 3. dub. 104 num. 5. & 11. & dub. 107. num 3 Porell. in dub. Regular tomo 1. ver. Simonia, nu. 5. Hieron. Rodriq. comp. qq Regul. resol 129 nu. 5. Tambur. de iure Abbat. tomo 2. disp. 10 q. 5. nu. 3. & 4. Gordon in sum tomo 2. lib. 7. q. 13. cap. 4. num. 7. & Sebast. de Bononia in tr de elect. par. 2. cap. 1. dub 58. num. 18.* quos refert, & sequitur nouissimè *Diana tomo 4 resol. moral. tr 4. resol. 156.* contra *Barb. Petrin. & Azor.* quos citat pro contraria: & infert in hac re incidere in excommunicationem non solùm principales; sed etiam mediatores simoniacæ electionis ad Prælaturam aliquam Religionis. Limitat tamen ipse *Diana* hanc sententiam, vt locum sibi non vendicet, quando officium Ecclesiasticū simoniacè obtentum, pendeter ex arbitrio delegantis, vt sunt Vicariatus domus in nostra Congregatione, qui durant, & possunt amoueri ad nutum, ac libitum Præpositorum: nam hi re vera non sunt beneficia, sicut de Vicario Episcopi inquit idem *Diana eod. tr. resol. 67.* vbi probat, quòd emens Vicariatum Episcopi non tenetur resignare, nec Episcopus tenetur pretium restituere, quam sententiam docet *Sanch. in opusc. tomo 1. lib. 2. cap. 3 dub. 113. num. 6.* contra *Nauar. in Man. cap. 23. num. 111. ver. ad 13.* Nobis autem probabilior videtur opinio *Nauar. loc. cit.* quoniam iurisdictio Vicarij Episcopi est spiritualis; sicut iurisdictio Vicariorum nostræ Congregationis, & similium: siquidem sunt Vicarij tam in spiritualibus, quàm temporalibus. An autem acceptum in his omnibus per simoniam sit restitutioni obnoxium ante Iudicis sētentiam, vide *Dianam, & Sanch.* quos supra citauimus: & an simoniacus omnis sit excommunicatus, rectè declarat idem *Diana eodem tr. resol 157 & Nauar. loco citato.*

66 Peccant decimonono vendentes, deferentes, aut transmittentes ad Saracenos, Tucas, & alios Christiani nominis inimicos, & hostes, vel hæreticos per Rom. & Apostolicam Sedem expressè, vel nominatim declaratos, equos, arma, ferrum, si um ferri, stamnum, chalibem, omniumq; alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabes, funes, tam ex ipso canabe, quam alia quacumq; materia, & ipsam materiam, aliaque, quibus Christianos, & Catholicos impugnāt. Et insuper incidunt in excōmunicationem contentam in Bulla Cœnæ Domini, quam de verbo ad verbum retulimus *in nostris Commentarijs ad ipsam Bullam*, & latè explicauimus *lib. 2. cap. 7. per 38. quæstiones.* Imò deferentes arma, & alia vt supra prohibita ad Saracenos, & ad Christiani nominis inimicos, & hostes, efficiuntur serui capientium, & bonis omnibus priuantur: efficiuntur infames, intestabiles, nec possunt absolui, nisi lucrum, quod ex hac causa acquisierint, & tantundem de suo in subsidium Terræ Sanctæ transmiserint. Ad publica officia non admittuntur, & ab omnibus actibus legitimis sunt penitus exclusi; & tanquam excommunicati, & hostes catholicæ Ecclesiæ, diebus Dominicis, & festis debent publicè denunciari: & denique capitalem pœnam subire coguntur, vt colligitur ex iuribus, quæ *in dictis nostris Commentar.* retulimus, *lib. 2. q. 1. num. 2. cum plur. seq. & num. 19.* vbi etiam *num. 20. & seq* ostendimus, quòd excommunicationes in diuersis iuribus contentæ non multiplicātur iuxta numerum Constitutionum, quæ pro eodem opere excommunicationem infligunt. Non tamen vi Bullæ Cœnæ diximus eas fuisse sublatas: siquidem pœna imposita à lege, aut statuto posteriori, non adimit pœnam legis anterioris, nisi ex eius verbis oppositum appareat, arg. *tex. in l. quoties, ff. de action. & obligat. Felin. in cap. quod olim, num. 3. de Iudæis.*

67 Peccant vigesimo vendentes, sicut ementes in loco sacro; infertur enim irreuerentia tali loco. Vndè lethalem culpam contrahunt asportantes ibi, ac vendentes res, tanquàm in foro publico, vt rectè probant *Molina de contr disp 344 Rebell par. 2 de oblig. iust. lib. 9 q. 19 sec. 4. & 5. & Ioan. de Salas de empt. ac vend. dub. 60.* qui addunt, per locum sacrum intelligi etiam cœmeterium: non tamen dicunt esse peccatum mortale in eiusmodi locis pacta fieri: imò ibi licitum esse vendere candelas ad Diuinum cultum deseruientes: siquidem id fit sine strepitu, & ferè citra vllam negotiationem. Adde hic, quæ Nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2 cap. 15. q 16. ad finem*, vbi ostendimus, multò minus in Ecclesia fieri posse ludos publicos: nec iudicium ferri à Iudice Sæculari, nisi in certis casibus, nec Laicorum societates, seu Confraternitates, vt ibi sua Concilia peragāt, conciones habeant, ac negotia tractent. Concessimus autem in Ecclesia posse Scholares ad doctoratus gradum promoueri; quia huiusmodi actus honestatem continent: & eadem ratione in Ecclesia posse fieri repræsentationes sacras, docent *Angelus vers Ludus, num. 2. Tabiena eod. vers. q 4. Syl. q. 2. dicto 3. Sanch. in opusc. to. 1. lib. 1. cap 8 dub. 24. num. 23. & Diana par. 4. resol. moral. resol. 84. tr. 4.* Etenim eiusmodi repre-

præsentationes fiunt in honorem Dei, nempè passionis Christi, aut vitæ alicuius Sancti. Est tamen verum, quòd *Bartholom. Gauant.* cuius meminit idem *Diana*, contrarium docet, pro qua re citat *Barb. de potest. Episc. par. 2. allegat. 24. num. 25.* & obseruat, quod Sanctus Carolus Borromęus *in conc. 1. Prouinc.* prohibuit, vt passio Saluatoris nullibi agatur, atque ideo *Zerola in praxi Episcoporum par. 1. ver. Repræsentationes*, testatur quoque, aliquos Episcopos prohibuisse alicubi fieri tales repræsentationes citra eorum expressam licentiam.

68 Peccant vigesimoprimò vendentes rem pro decem, quæ tempore traditionis creditur tãtùm valitura quinque; nisi restituat quinque, etiam si postea valeat quindecim, vt habetur ex *Ioan. de Sal. de empt. & vend. dub. 59.* qui pro hac sententia affert *Sà, ver. Venditio, num. 21.*

69 Peccant vigesimosecundò venditores cogentes alios ad emendas suas merces, aut res alias: siquidem nemo inuitus cogitur emere, sicut nec vendere, vt *in l. nec emere, C. de contr. empt. & l. 3. C. de iure deliber.* imò omnes contractus metu graui iniustè, ac directè incusso ad extorquendum consensum esse irritos iure naturæ; secus autem si metu leui post alios inquit *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub. 63.* Verum tamen est, quòd bona subditorum cùm potestatibus subiaceant, sicut quantum, seruata æquitate, bonum commune expostulat, possunt rebus taxare pretium iustum exponentibus bona aliqua ad vendendum; ità possunt compellere aliquos ad emendum, aut uendendum si publica vtilitas id suadeat: vt in pluribus casibus ad vendendum aliquem posse cogi, docet *Molin. de contr. disp. 341.* Hęc satis dicta sint de culpis, in quas venditores incidere solent; restat modò videndum de culpis emptorum.

De culpis Emptorum à discreto, & cauto Confessario explorandis.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Peccant Emptores, ementes res minus infimo pretio naturali.*
2 *Peccant Emptores, scientes virtutes rerum emptarum, & venditoribus ignorantibus non manifestantes.*
3 *Peccant Emptores faciẽtes monopolia, vt merces emant minus infimo pretio.*
4 *Peccant Emptores ementes res sacras, religiosas, ac sanctas, vel aliter prohibitas.*
5 *Peccant Emptores ementes frumentum eis tradendum tali tempore, quod tamen certo sciunt vendentes non habere, nec actu, nec potentia.*
6 *Peccant Emptores ementes triticum ad reuendendum in Regno, vbi talis negotiatio lege prohibita est.*
7 *Peccat emens rem furtiuam mala fide, eamque non restituens vero Domino.*
8 *Peccant Emptores fructuum, vel carnium meliorum vltra taxam, & quando.*
9 *Peccant ementes Chyrographa seu credita immatura minori pretio, secluso lucro cessante.*
10 *Hæc sententia est communior, & probabilior, sed contraria est valdè probabilis.*
11 *Solutio debiti certa, & facilis emptori, dubia vero, & difficilis vẽditori, num emi possit minori pretio.*
12 *Peccant ementes à venditoribus rogati, si rem emant minus tertia parte iusti pretij.*
13 *Peccat pater emens victualia pro suo filio Clerico, vel Cappellano suæ familiæ, si gabellam non soluat, & quare.*

1 DIco primò peccare Emptores ementes res minus infimo pretio naturali: non enim licitũ est emptori rem emere viliori pretio, quo potest, sed iusto saltem infimo, vt sup. ostendimus *sec. 1.* & latè declarauimus, & ampliauimus id locum sibi vendicare, etiam quoad pretium legale, quando taxa fit in vtilitatem vendẽtium; siquidem tunc non potest res emi minus pretio taxato: secus autem si pretium taxetur gratia, & in vtilitatem emẽtium: nam tunc emi potest minus pretio taxato, vt *in d. sec. 1.* probauimus, quibus adde quoque ea quæ sup. adnotauimus *sec. 9. concl. 1. lim. 12.* Adde quòd adeò emptores tenentur iusto pretio emere, vt minus infimo pretio citra culpam emere non possint, etiam ob anticipatam pretij solutionem: quod quidem quomodo, & quando verum sit, latè sup. declarauimus, *sec. 2.* rem ipsam multipliciter limitantes. Possunt tamen emptores vendere rem minus infimo pretio rogati à venditore, vt rectè probat *Diana tomo 1. resol. moral. tr. 8. resol. 53.*

2 Dico secundò peccare emptores, rerum emptarum virtutes scientes, & venditoribus non manifestantes, quibus sint occultæ, vt sup. explicauimus *sec. 3. concl. 4.* vbi præfatam conclusionẽ ampliauimus, & multipliciter limitauimus. Idem dicendum est de quacumque fraude, & circumuentione facta ab ipsis emptoribus contra venditores, vt sup. declarauimus *sec. 4.* vbi ostendimus an, & quando licitum sit contrahẽtibus se inuicem in pretio circũuenire, & adhęrentes tertiæ sententiæ multipliciter ampliauimus, ac limitauimus.

3 Dico tertiò peccant emptores facientes monopolia, vt merces emant minus infimo pretio, & insuper efficiuntur restitutioni obnoxij, vt ostẽdimus supra *sec. 6. concl. 2.* nam peccant contra iustitiam, vt *in d. concl.* probauimus, quam multis modis ampliauimus, & limitauimus. An autem ementes pretio inducto per monopolium peccent, & ad restitutionem teneantur, sufficiẽter supra declarauimus, *sec. 7.*

4 Dico quartò peccare emptores ementes res sacras, religiosas, ac sanctas, & alias res emi, ac vẽdi prohibitas, vt probauimus sup. *sec. 8.* vbi satis tractauimus an, & quando in eiusmodi rerum distractione simonia committatur. Et quam culpam contrahat emens vsum corporis meretricis, & an teneatur in conscientia pretium illi tradere, & an in foro exteriori pro ipso pretio conueniri possit: & tandem quid dicendum sit de adultera, ac puella vendentibus quoq; vsum earum corporum,

5 Dico quintò peccare emptores ementes frumẽtum, eis tradendum tali tempore; quod tamen certò sciunt, vendentes non habere nec actu, nec potentia: siquidem qui non habet frumentum,

nec

nec habet facultatem illud emendi, vt tradat emptori, peccat, & efficitur periurus: ergò & ipse emptor, qui sciener vt supra emit; quoniam dicitur cooperari peccato illius: eo quod actio cooperantis sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur, vt habetur ex *Diana tomo 1. resol. moral. tr 8. resol. 16.* vbi ex hoc infert peccare tali pacto contrahentes cum filijsfamilias, quos sciunt tempore præfixo non posse eiusmodi frumenta habere, & consignare. Et multò magis peccant emptores ipsi in casu, de quo agitur, si ad exigendam pœnam ità contrahant. Etenim in eiusmodi contractibus solet apponi pœna, vt si venditor non tradat frumentum tempore præfixo, possit emptor petere, & accipere summum in illo anno frumentorum valorem: quoniam nó est certus, an vendidisset eiusmodi frumentum eo tempore, quo pretio illo summo valebat: quapropter etiam in casu, in quo venditor haberet frumentum in potentia, & sic licitus esset cótractus, non posset percipere summum illum valorem, sed tantùm medium in defectum traditionis frumenti, vt rectè declarat idem *Diana d. tr. 8. resol. 17.* & inquit eiusmodi contractum celebrari in Sicilia, & esset licitus, vbi venditor haberet frumentum in potentia, etiam si non esset agricola, nec dominus prædiorum, qui frumentum iure terragiorum habeat: siquidem si venditor habeat pecuniam pro emendo frumento, vt tradat emptori tempore determinato, dicitur habere frumentum: & id satis est ad iustificationem contractus huiusmodi cum dicto pacto, seu pœna apposita. Imò potest exigi summus ille valor in casu non traditionis frumenti, si illud emptor erat reseruaturus vsque ad tempus summi illius valoris, iuxta ea, quæ habentur ex *Ioáne de Salas de empt & vend. dub. 30. nu. 5 Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 4. num. 28.* & ex alijs, quos refert, & sequitur *Diana d. resol. 17.* vbi contrarium soluit: & *d resol. 16.* addit, quòd si non habens frumentum, nec facultatem illud habendi, & nihil de hoc cogitans, ad subueniendum suæ necessitati, ac bona fide ita contrahit, quia alij in foro ita solent communiter contrahere, non peccat.

6 Dico sextò peccare emptores ementes triticum ad reuendendum in Regno, vbi talis negotiatio lege prohibita est. Etenim contrauenientem legi iustæ peccare satis nos probauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3 § 8 q. 2.* Non tamen contrauenien s est restitutioni obnoxius, si lex non irritat translationem dominij, vt post alios docet *Ioan. de Sal de empt. & vendit du. 57.* An autem, peccent mortaliter cum onere restituendi extrahentes triticum à Regno contra legis prohibitionem, vide *Palac 2. de contr. c. 2.*

7 Dico septimò peccare rem furtiuam ementem mala fide, & non restituentem vero domino, cuius nouit eam esse; sed furi restituat: siquidem quando res aliena mala fide em tur, vero Domino, non autem furi restituendam esse, probant *Bann. 2. 2 q. 66. ar. 6. Rebell par 1. de oblig. iust. lib. 2. q. 9. num. 4. Vasq. opusc. de restit. cap. 9. §. 2. dub. 2 num 14. Sot. lib. 4. de iust. q. 7. ar. 2. Molina tomo 3. disp 722.* & alij, quos refert, & sequitur *Reginal. tomo 1 suæ prax. lib. 10 cap. 5. num. 40.* Mouentur ex eo, quod quicunque habet vltra id, quod suum est, debet illi reddere, cuius est: siquidem id exigit ratio iustitiæ commutatiuæ; cuius officium est æqualitatem inter eum constituere, qui minus habet, & eum qui plus. Confirmatur; quoniam duobus modis res legitimè possidetur, nempè Domini voluntate, aut legis permissu: sed qui ab illegitimo possessore rem suscepit, neutra illarum causarum concurrit: siquidem, nec verus Dominus annuit, nec lex concessit: ergò illius dominium non fuit consecutus, atque ideò reddere cogitur Domino, & non illegitimo possessori; atque ideò furi, vt latè declarat *Sot. loco citato*, & alij. Hæc sententia re vera est probabilis, ac probabilior nobis videtur opposita; quam docent *Gabr. in 4. dist. 15. q. 3. ar. 3 dub. 5. Palud ibidem q 3. dub. 5. Petr. Nauar. de restitut. lib. 3. cap 4 par. 3 dub 4. D. Anton. par 2 tit 1. cap. 12. Tolet. lib. 5 sua sum. cap 17. num. 13* & alij, quos refert, & sequitur *Diana tomo 1. resol moral tr. 17. resol 4* Probant hanc opinioné ex eo, quòd emptor malæ fidei rescindendo contractum, & reddendo rem alienam furi, constituit illam non in peiori loco, quàm erat ante, & vnusquisque tenetur, & potest magis sibi ipsi consulere, quam alteri. Adde, quòd *Sot. loco citato*, licet priorem doceat sententiam; nihilominus putat in eiusmodi restitutionibus posse accidere ignorantiam iuris, quæ excusat rusticos, & iuris ignaros. His adde quoque ea, quæ supra adnotauimus *sec. 9 concl. 11. lim. 1.* vbi rem hanc sufficienter pertractauimus.

8 Dico octauò emptores fructuum, vel carnium meliorum vltra taxam, peccare, si spe maioris pretij inducant macellarios, aut vendentes fructus ad electionem carnium, aut fructuum: nam tunc emptores lethalem culpam contraherent; quia inducerent proximum ad transgressionem taxæ, vt rectè post alios declarat *Diana tom. 1. resol. moral. tr. 8. resol. 35.* Quibus adde, quæ supra adnotauimus *sec. 9 lim 4.*

9 Dico nonò peccare ementes Chirographa, seu credita immatura minori pretio, secluso lucro cessante, aut damno emergente, vel si difficilis, vel ambigua non sit solutio. Siquidem hunc contractum vsurarium volunt quamplurimi *Doctor.* nempè *Less lib 2. de iust. & iur. cap 21. dub 8. num 71. Sot. lib. 6. eod. tr q. 4. ar. 1. ad 3. D Thom opusc. 67. ad Lectorem Florentinum, & opusc. 73. de vsur. par. 1 cap. 8. D. Anton. 2. p. tit. 1. cap 8 § 3. & 4 Salon. 2. 2. q. 68. art. 2. contr 17. Conrad. de contr. q 67. & duab seq.* & alij quamplurimi, quos refert, & sequitur *Ioan. de Salas de empt. & vendit. dub. 39 num. 4.* Mouētur ex eo, quòd emptor, qui ob anticipatam solutionem, quę est mutuum virtuale soluit minus, quàm debet, vsuram committit, vt supra ostendimus *concl. 1.* & latiùs *sec. 2.* sed emptio, de qua agitur, est anticipata quædam solutio, in qua emptor soluit minus, quàm debet ob anticipatam solutionem: ergo emptio est vsuraria:

10 Hac ratione, & ex alijs à supra relatis Doctoribus adductis hæc sententia est valdè probabilis, ac tuta, immò communior, ac probabilior opposita; nihilominus contraria non est improbabilis, imò est probabilis valdè; nam eam docent *Nauar. in Man. cap. 17. num. 32.* qui addit eiusmodi Chirographa etiam ab ipso debitore posse minoris emi, *Tolet. lib. 5. suæ summ. c. 31. in fine, Laym. lib. 3. suæ sum. lib. 3. tr. 4. cap. 17. num. 33.*

num. 33. *Malder.* 2.2.*tr.* 5.*cap* 2-*dub.* 5. *Philiar. de offic. Sacerd. par.* 2.*lib.* 5. *cap.* 13. & alij apud *Ioan. de Sal. loco citato, sub num.* 2. & nouissimè *Diana tomo* 1.*resol. moral. tr.* 8 *resol.* 49. In eandem opinionem inclinat *Sa verf. Debitum, num.* 21. qui id concedit non modo tertio, sed cum *Nauar. loco citato*, etiam debitori, saltem post factum. Probant eorum sententiam ex eo, quòd qui emit Chirographa non emit rem, sed ius ad rem: at pluris æstimatur res, quam ius ad rem, *l. minus ff. de regul. iur.* ergò eiusmodi Chirographa, & iura possunt minoris emi. Confirmatur, quoniam Chirographa se habent, sicut pecunia absens; at pecunia absens minus valet, quàm præsens, vt ostendimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb* §. 1. *qu.* 1. *num.* 10. Ergò Chirographa possunt minus emi. Est tamen verum, quòd sola propriæ pecuniæ carentia non est iustus titulus in cambijs, quo cãpsores in cambijs stipendium, seu lucrum aliquod consequi possint, vt probauimus *d. qu.* 11. *num.* 12. Vndè prior opinio ob id æstimatur cõmunior, ac tutior.

11 Cæterùm quicquid sit de hac re; Doctores tamen longè minorem difficultatem sentiunt in explicanda controuersia illa, in qua quæritur, an si solutio debiti certa, ac facilis sit emptori, dubia verò, ac difficilis venditori, possit emi minori pretio, vt in debitis à Rege militibus, vel alijs. In qua re partem affirmatiuam docent *Molina de contr. disp.* 361 *num* 4. *Less lib.* 2. *de iust. & iure. dub.* 9. *Laym. lib.* 3. *sux sum. tr.* 4. *cap.* 7. §. 5. *num.* 33. *Villalob. in sum. tomo* 2. *tr.* 21. *difficul.* 8 *num* 6 *Ioan. de Sal. de empt. & vendit dub.* 4. *Bonac. de contr. disp.* 3 *q* 2 *pun.* 10. *num.* 4. & nouissimè *Diana tomo* 1. *resol. moral. tr.* 8. *resolut.* 50. Dicũt enim præfati Doctores, quòd vbi quis sua industria apud Principem facilè est debiti solutionem assequuturus, potest debitum, seu Chirographum emere etiam dimidio, & minus dimidio pretio, si interesse, periculum incertitudo, ac molestia, quæ alius communiter subiret, cogeretur hoc casu, tanti æstimentur. Etenim iustum pretium rei emptæ non est quanti res valet emptori; sed quanti in se valet, aut quanti valet ipsi creditori, consideratis debitis circumstãtijs: at eiusmodi debitum non valet in totum venditori ratione difficultatis, & exiguæ spei in illo recuperando; ergo iustè emitur minus, attenta quantitate interesse, periculi incertitudinis, ac molestiæ. Hinc inferunt aliqui, quòd si Princeps Turcarum debeat mihi decem mill. aureos, & nullam, aut modicam spem habeam obtinendæ satisfactionis; tunc licitum est huiusmodi debitum emere 500. aureos, centum, ac etiam 50 iuxta quantitatem difficultatis, ac molestiæ, quæ esset in illis recuperandis: siquidem cùm huiusmodi debita non habeant pretium taxatum, illud est assignandum ex communi æstimatione: & non quantum res valet emptori, præsertim ob suam industriam, vel fauorem apud aliquem. Benè verum est, quòd tales emptores possunt cõtra charitatem peccare, nolentes succurrere cùm facilè possint, eiusmodi hominibus, propter magnam inopiam eorum credita, seu liberantias distrahentibus: & in omnem euentum, licet Doctores id concedant tertio; non tamen id permittunt istarum liberantiarum debitoribus, vel eius ministris, vt ex *Mol. & Less.* inquit idem *Ioan. de Sal. d dub.* 11. *num.* 2.

12 Dico decimò peccare ementes à venditoribus rogati, si rem emant minus tertia parte iusti pretij. Etenim quamuis merces vltroneæ vilescant: nam ob id res pluris venduntur in officina mercatoris quæsiti, & rogati, quàm cùm quis per se, vel per proxenetas emptores quærit, & rogat; nihilominus merces vltroneæ non vilescunt vltra tertiam partem, vt habetur ex *Caiet. in* 2.2.*q.* 77. *art.* 1. *Less. lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 21. *dub.* 4. *num.* 33. *Ioan. de Salas de empt. & vend. dub.* 25. *num.* 3 *Bonac. de contract. disp.* 3. *q.* 2. *pun* 4. *num.* 21 *Sa verf. Emptio, num.* 4 *& Diana tomo* 1. *resol. moral resol* 53. qui testatur consuluisse ementem vestem valoris 60. aureorum rogatum pro 40. non teneri ad aliquam restitutionem. Est tamen verum, quod eiusmodi emendi modus indicat copiam mercium, & paucitatem emptorũ: & propterea adeò ingens potest esse copia mercium, & inopia emptorum, vt res, quæ secundũ communem æstimationem valet decem, vltronea possit emi tantùm quinque. Hinc aiunt *Salas loco citato, Rebell. par* 2 *lib.* 9. *q.* 1. *num.* 36. & alij, quos refert idem *Diana d. resol.* 53. quòd pallium, quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato possit emi duobus.

13 Dico vndecimò peccare patrem ementem victualia pro filio Clerico, vel Cappellano suæ familiæ, si gabellam non soluat: siquidem dominium eorum, quæ consumuntur non est Clerici; sed patris, vel Domini Sæcularis. Hac ratione Clericus, qui sustentat plures famulos Sæculares, non tenetur soluere gabellam pro parte, quã famuli consumunt. Ita *Sanch. in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 54. *num.* 2. Hæc sententia licèt in puncto iuris sit valdè probabilis; nihilominus contrariam opinionem seruari, præsertim in Regno Siciliæ, testatur *Diana tomo* 4. *resol. moral. tr.* 4. *resol.* 175. vbi ementes victualia pro filijs Clericis, ac Cappellanis in eorum sustentationẽ sunt immunes à gabellis: siquidem Clerici ab omni exactione sunt immunes pro ea parte, quã ipsi consumunt. Ad argumentum *Sanch.* respondet, non obstare, quòd dominium eorum, quæ consumuntur non est Clericorum; quoniam satis est, vt illa victualia emantur pro Clericis, ea quæ ipsi consumunt. Sed hæc responsio vera esset, quando victualia ita pro Clericis emerentur, vt dominium transferatur in Clericos; siquidem gabella debetur ab emptoribus, qui domini rerũ efficiuntur per emptionem. Vndè optimum consiliũ erit, si patres donent filijs Clericis de tota illa summa partem, quam expensuri sunt pro illis, & posteà eorum nomine in eorundem seruitium expendant.

DE

De Censualista, ac Censuario, præsertim de census emptore, ac venditore, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorãdis.

DISP. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Census multipliciter diuiditur.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, est adnot. quod quamuis census multipliciter diuidatur, nempè in publicum, vt est Canon, oblatio, ac indictio, ac quæcunque alia publica præstatio, & priuatum, quales sunt census feudalis, emphyteoticus, superficiarius, solariegus, liuellarius, precarius, seu precaria, reseruatiuus, & consignatiuus, ut Nos latè declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. q. 8. 9. 11. in proœm. & §. 1. q. 14.* Nihilominus in hac disputatione præcipuè agemus, de ementibus, ac vendentibus censum consignatiuum, qui licet possit constitui titulo donationis, legati, ac dotis; attamen vt plurimum constituitur titulo emptionis, ac venditionis, & formaliter est emptio, ac venditio, vt probauimus in dictis nostris *Commentar. in proœm. qu. 25. concl. 5. num. 16.* Vndè primò agemus de emptoribus eiusmodi censuum, & deindè de eorundem venditoribus.

De emptoribus census consignatiui, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Census consignatiuus quid nam sit.*

2 *Ex* extrauag. B. Pij V. Mart. V. Calist. III. & Nicol. V. *videtur prohibitus census personalis, sicut, & mixtus.*
An census rationabiles ex parte emptoris possint licitè constitui.

3 *Creditor, seu emptor census magis communi, ac vulgari locutione appellatur Censualista, debitor vero, seu vẽditor appellatur censuarius.*

4 *Peccat emptor census, emens illum minus pretio legali, vel minus pretio infimo naturali, cũ obligatione restituendi omne id, in quo venditorem læserit.*

5 *Secundum aliquos, qui censum emit minus pretio naturali, non tenetur restituere pensiones perceptas, sed tantum obligatur ad pretium supplendum.*

6 *Peccat emptor census, faciendo pactum de recipiendis pensionibus anticipatè.*

7 *Peccat emptor census cogendo censuarium, non solum ad soluendum annuas pensiones anticipatè, sed etiam quocunque alio modo ante tẽpus debitum.*

8 *Census si est pecuniarius, & nulla inter contrahentes sit pactio de tempore solutionis facienda annua pensionis, debet fieri in fine anni.*

9 *Peccat Censualista, cogens censuarium ad soluendas pensiones in loco non debito.*

10 *Peccat Censualista emens censum perpetuum irredimibilem eod. pretio, quo emitur census perpetuus redimibilis.*

11 *Peccat Censualista, & cum onere restituendi, si emat censum vitalitium, cum pacto de retrouendendo, & cum effectu receperit in casu retrouenditionis tantam pretij quantitatem, quantam dedit tempore celebrati contractus.*

12 *Peccat Censualista, emens censum consignatiuum, si non soluat gabellam si statuto caueatur, vt pro quacunque re soluatur gabella.*

13 *Peccat Censualista emens censum, recepto pignore frugifero si fructus omnes ex eo percipiat excedentes iustæ pensionis leges, ac consuetudines.*

14 *Peccat Censualista emens censum ex pretio rei immobilis vendita, & reseruans sibi fructus, vel alium annuum redditum.*

15 *Peccat Censualista emens censum pecunia credita, & contractus est nullus.*

16 *Peccat Censualista emens censum non confecto instrumento, & ex eo annuos redditus recipiẽs in terris, vbi est vsu recepta disp. B. Pij V.*

17 *Peccat Censualista soluens censum in pecunia numerata coram Notario, & testibus in actu celebrationis instrumenti mox eam mutuo recepturus.*

18 *Peccat Censualista, emens scienter censum super re aliena, fingendo se ignorare alienam esse, & tenetur ad restitutionem pensionis præcepta.*

19 *Nullam verò contrahit culpam, si probabiliter ignoret alienam esse.*

20 *Peccat Censualista scienter emens censum super re fideicommisso, aut primogenituræ supposita, & expressè alienari prohibita.*

21 *Peccat Censualista emens censum scienter super totam rem communem, quam venditor habet cum alio.*

22 *Peccat Censualista, scienter emens censum super rem feudalem, citra Domini directi consensum.*

23 *Peccat Censualista emens censum scienter super rem dotalem, datam viro inæstimatam.*

24 *Peccat Censualista, scienter emens censum super re empta, eo pacto, vt non censeatur translatum dominium, nisi pretio soluto.*

25 *Peccat Censualista scienter emens censum super bonis pupillorum, aut minorum citra tutorum, & curatorum auctoritatem, alijsque nõ adhibitis solemnitatibus à iure requisitis.*

26 *Peccat Censualista, emens scienter censum super bonis Ecclesiæ non præmissis solemnitatibus à iure requisitis.*

27 *Peccat Censualista scienter emens censum super vsum tantum alicuius rei.*

28 *Peccat Censualista emens censum super rebus mobilibus, & se mouentibus in terris, in quibus vsu recepta est extrauag. B. Pij V.*
An census consignatiuus constitui possit super nuda persona, vel super persona, & rebus simul, vel super mobilibus, & se mouentibus, seclusa extrauag. B. Pij V.

29 *Bona, quæ pro immobilibus habentur, quæ nã sint.*

30 *Peccat Censualista, emens scienter censum super re, quæ de sui natura fructifera non est.*
31 *Res fructifera, quæ nam dicatur.*
32 *Peccat Censualista scienter emens censum in re, cuius fructus non sint sufficientes ad annum redditum soluendum.*
33 *Peccat Censualista emens censum in re certis finibus non designata in terris tamen, vbi extrauag. B. Pij V. de censib. vsu recepta est.*
34 *Peccat Censualista pensiones percipiens ex cõtractu censuali inualido.*
35 *Peccat Censualista, solutionem pensionum plus debita exigens, si illud plus non computet in sortem principalem.*
36 *Peccat Censualista, accipiens propria auctoritate pẽsiones ex fructibus rei censuatæ, quamuis censuarius fuerit in mora soluendi.*
37 *Peccat Censualista, agens via exequutiua contra detinentem rem censui subiugatam iure familiaritatis.*
38 *Peccat Cẽsualista, obligans censuarium ad casus fortuitos, tàm rei censuatæ, quàm fructuum ipsius.*
39 *Peccat Censualista obligans censuarium ad nõ alienandam rem censui suppositam.*
40 *Peccat Censualista, obligans censuarium morosum in soluendis pensionibus, ad interesse lucri cessantis.*
41 *Peccat Censualista obligans morosum censuarium ad pœnam commissi.*
42 *Peccat Censualista obligans censuarium in casu moræ ad soluendam sibi duplicatam pensionem.*
43 *Facit Censualista contra extrauag. B. Pij V. de censib. obligans censuarium, mediante pacto, in casu moræ ad augendum censum, aut nouũ creandum super eadem re censui supposita, vel super alia re in fauorem emptoris.*
44 *Peccat Censualista obligans censuarium ad onera, quæ alias de iure, vel ex natura contractus ad ipsum non spectarent.*
45 *Peccat Censualista obligans censuarium ad soluendas pensiones census realis, etiam perempta re in totum, vel in parte.*
46 *Peccat Censualista obligans censuarium ad soluendas annuas pensiones, re infructuosa effecta in totum, vel per partem.*
47 *Peccat Cẽsualista recusans retrouendere censum eodem pretio censuario petenti retrouenditionem.*
48 *Quamuis iure communi attento, exceptis tamen præfatis Constitutionibus B. Pij V. & Nicolai V. non prohibeatur census extingui, maiori pretio, quàm fuerit constitutus, attento tamen iure naturali, non potest hoc pactum simpliciter fieri.*
49 *Peccat Censualista, recusans retrouendere censum pro parte, vbi de redimendo in totum, vel in partem nihil conuentum est.*
50 *Peccat Censualista recusans retrouendere censum tertio, volenti illum redimere, nec aliud expostulanti, quam eiusdem redemptionem.*
51 *Peccat emens censum pro alio, eundemque reuendens citra mandatum eius, cuius nomine fuit emptus.*
52 *Peccat Censualista, facta redemptione census in aliqua parte anni, si integram pensionem exigat totius anni.*
53 *Peccat Censualista, obligans venditorem census, vt infra certum tempus censum redimere non possit.*
54 *Peccat Censualista obligans censuarium ad censum redimendum ad libitum emptoris.*
55 *Peccat Censualista, obligans censuarium ad dandam sibi rem censuatam in pignus fruendam vsque ad quantitatem redditus, donec census redimatur.*
56 *Peccat Censualista obligans censuarium ad nõ alienandam rem censuatam, nisi facta redemptione census.*
57 *Peccat Censualista obligando censuarium ad reddendam eandem speciem monetæ, tempore redemptionis census, si eo tempore esse augẽdam certò sciat, aut probabiliter credat.*
58 *Contrauenit extrauag. B. Pij V. de censib. Censualista, qui censuarium obligat ad denunciandam sibi futuram census redemptionem per trimestre, vel semestre ante.*
59 *Peccat Censualista obligans censuarium ad ea, quæ sunt contra substantiam contractus censualis.*

1 ANtequam ad explicationem sectionis huius per suas conclusiones deueniamus, est adnot. quòd census consignatiuus, de quo agimus, non est res, quæ censui supponitur, nec fructus eius, nec pensio, seu annuus redditus; sed ius percipiendi annuum redditum, vt Nos declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. in proœm. q. 9.* de censu in communi agentes, & *q. 28. num. 56.* vbi specialiter egimus de censu consignatiuo. Et quamuis census in cõmuni plures dentur species, vt supra ostendimus; census tamen consignatiuus multipliciter quoque partitur. Etenim census consignatiuus diuiditur primò in realem, personalem, & mixtum. Secundò diuiditur in censum redimibilẽ, ac irredimibilem; & redimibilis in redimibilem ex parte vendentis tantùm, ex parte ementis dũtaxat, & ex parte vtriusque. Tertiò partitur in perpetuum, & temporalem; & tẽporalis ad certum, ac determinatum tempus, nempè ad 10. vel 20. annos; & ad tempus incertum, qualis est census vitalitius ad vitam vnius, vel plurium, vel toto tempore, quo non redditur pretium rei venditæ. Quartò diuiditur census consignatiuus in pecuniarium, & fructuarium, vt Nos explicauimus in *d. nostris Commentar. in proœm q. 28 per totam*, & latè *Ioan. de Sal. de censib. dub. 1.* Quæ quidem diuisio conuenit etiam censui reseruatiuo, vt probauimus in eisdem nostris *Commentar. in proœm. q. 18. 21. 22. & 23.* quibus locis nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

2 Secundò est adnot. quòd *extrauag. B. Pij V. de censib.* licèt agat de censu reali consignatiuo, sicut extrauag. Mart. V. Calisti III. & Nicol. V. nihilominus personalis census, sicut, & mixtus, vi *d. extrauag. B. Pij V.* videtur prohibitus saltem secundum sententiam magis receptam, non tamen prohibetur per alias supra relatas Constitutiones Martini V. Calisti III. & Nicol. V. vt ostendimus in *d. nostris Commentar. in proœm. q. 28. num. 130. & num. 139.* Prætereà, tam *extrauag. B. Pij V.* quàm aliæ supradictæ Pontificiæ Constitutiones, licèt agant de censu reali redimibili ex parte venditoris dumtaxat, & prohibeant

beant censum redimibilem ex parte emptoris, vel ex parte vtriusque; attento tamen iure naturali, possunt dicti census redimibiles ex parte emptoris, vel vtriusq; licitè constitui secundùm quosdam, quos retulimus in prædictis nostris *Commentar. tomo* 2.§.5.q.42.*sub num.*16. Rursus præfatæ Pontificiæ Constitutiones agunt de censu reali perpetuo, ac irredimibili ex parte emptoris tantùm; sed non ob id prohibere censentur censum omninò perpetuum, ac irredimibilem; nec temporalem, siue sit ad certum, ac determinatum tempus, siue ad vitam vnius, vel plurium, siue sit per totum tempus, quo non redditur pretium rei venditæ, vt *d. q.*28. probauimus, *concl.*5.*num.*65. *cum plurib. seq. & concl.* 6. *num.*95. *& per totam.* Denique census realis redimibilis vt supra constitui potest tam in fructibus, quàm in pecunia etiam attentis supradictis Pontificijs Constitutionibus: imò idem dicendum est de censu irredimibili, vt diffusè de hac re egimus *d.q.*28.*concl.*4.*num.*50. eandem multipliciter ampliantes, & limitantes.

Tertiò est adnot. quòd quamuis tam debitor census, seu eiusdem venditor, quàm creditor, seu emptor census possint appellari Censualistæ, & Censuarij, vt post alios probat *Ioan. de Sal. de censib. dub.*1.*sub num.*7. Nos autem cum magis communi, ac vulgari locutione, creditorem, seu emptorem census appellamus Censualistam; & eiusdem debitorem, seu venditorem appellamus Censuarium: atque ideò disputatio hæc à nobis inscribitur, De Censualista, & Censuario, præsertim de census emptore, ac venditore. Dixi: *Præsertim de census emptore, & venditore*, quoniam census consignatiuus non solùm constituitur titulo emptionis, ac venditionis, de quo loquuntur prædictæ Pontificiæ Constitutiones, sed etiam constituitur titulo donationis, titulo legati, & titulo dotis, qui non subijciuntur præceptis dictarum Constitutionum, sicut nec census iam constitutus; nam transferri in alios possunt, nec exigunt pecuniam numeratam coram Notario, & testibus. Imò esto quod vi Pianæ Constitutionis non possit census de nouo constitui transactione; poterit tamen in alium transactione transferri, vt nos adnotauimus in *dictis nostris Commentarijs in extrauag. B. Pij V. de censib. in proem. q.*25.*nu.*55. *cum plur. seq.* Vndè in censu, qui constituitur titulo emptionis, ac venditionis, emptorem appellamus Censualistã: venditorem verò Censuarium: in censu verò, qui alio titulo constituitur, debitorem appellamus Censuarium, & creditorem Censualistam, vt colligitur etiam ex dictis per *Ioan. de Salas loc. cit.* His breuiter adnotatis.

4 Dico primò peccare emptorem census, ementem illum minus pretio legali, vel minus pretio infimo naturali cum obligatione restituẽdi omne id, in quo venditorem læserit, iuxta ea, quæ infra dicemus, vers. *Est tamen.* Etenim contractus censualis est contractus emptionis, ac venditionis: at in eiusmodi contractu læsio in iustitia pretij est contra iustitiam commutatiuam, atque ideò obligat non modo ad culpam; sed etiam ad restitutionem eius, in quo facta est læsio, vt sup. adnotauimus *disp.*26.*sec.*1. *& sec.*9. *&* 10. *in princ.* ergo idem dicendum de læsione in emptione census. Quodnam autem sit iustum pretium naturale census consignatiui perpetui irredimibilis, perpetui redimibilis; ad certum tempus, & vitalitij, latè nos declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V de cẽsib.* §.2.*q.*23. vbi etiam *q.* 24. egimus de iustitia, & quantitate pretij census, qui constituitur ex pretio rei immobilis venditæ. Imò *q.*22. tractauimus quoque de iustitia, & quantitate pretij census reseruatiui realis perpetui tam irredimibilis, quàm redimibilis; & temporalis tam ad certum tempus, quàm incertum, atque ideo vitalitij: fructuarij, ac pecuniarij. Et cũ *in proem. d. Commentar. q.* 23. ostendimus posse pariter dari cẽsum reseruatiuum personalem, & mixtũ, idcircò ex traditis *in d. q.* 22. §.2. patet quid sit dicendum de iustitia pretij census reseruatiui personalis, ac mixti. Quo uerò ad iustitiam pretij legalis census, sunt recolenda, quæ nos cumulauimus supra, *d. disp.*26.*sec.*1.9. *&* 10. quibus locis inter alia adnotauimus, quòd pretium legale rerum venalium, & eius iustitia licèt consistant in indiuisibili, atque ideò regulariter pretium legale non liceat alterari; nihilominus est inspiciendum, quòd pretium legale, aut taxatur in fauorem vendentium, ipsorumq; vtilitatem, & tunc non potest emi minus pretio taxato: aut taxatur gratia, ac fauore ementium, & tunc emi potest minus pretio taxato. Pretium autem in censibus, quoniam taxatur à lege gratia vendentium, seu debitorum, idcirco non potest minus emi pretio taxato, seu legali. Est tñ verum, quod licèt Doctores id cõcedant verum esse in censibus de nouo constituendis; negant tamen in censibus iam constitutis: quod quomodo procedat latè nos declarauimus in dictis nostris *Commentar.* §.2.*q.*25. vbi etiam *q.* 26. explicauimus an, & quando census creatus minori pretio, quàm à lege taxatum fuit, in totum dicatur nullus. Et *q.* 27. eandem difficultatem definiuimus de censu creato minus naturali pretio, an in totum sit nullus, vel ad iustam naturalis pretij quantitatem sit reducendus, vel remedio *l.*2 *C. de rescind. vend.* rescindendus.

5 Est tamen verum, quod si quis censum emerit minus infimo pretio naturali, non desunt qui velint, emptorem eo casu non teneri restituere pensiones perceptas; sed tantùm obligari ad pretium supplendum, & ad interesse si quod ex pretij iusti carentia obuenerit. Etenim venditor cẽsus non fuit læsus ex eo quòd emptor pensiones perceperit; sed ex eo quod pretium iustum non soluit: ergo emptor ipse satisfacit, si contractum ad æqualitatem reducat, & interesse, quod passus est venditor ex carentia iusti pretij, reficiat. Quam quidem opinionem licèt nonnulli putent esse valdè probabilem, & locum sibi vendicare quoad vtrumq; forum, etiam in Terris, in quibus est vsu recepta *extrauag. B. Pij V. de censib.* nos tamen *dictis nostris Commentar.* §.2.*q.*18. *num.* 5. veriorem esse ostendimus opinionem illorum, qui docent, quod vbi census deficit in iustitia pretij, vt quia non attingit limites infimi pretij iusti, emptor non potest percipere integrã census pensionem; sed tenetur moderare cẽsum, ita ut minor census in futurum soluatur iuxta pretij quantitatem pro censu præstitam, & restituere pensionum perceptarum incrementum pro rata pretij iusti non soluti. Hanc eandem

opinionem ampliauimus, & limitauimus ibidẽ multis modis: & inter alia *num.*8.probauimus, quòd in Terris, in quibus est vsu recepta dispositio *extrauag.B.Pij V.de censib.* si in contractu census interueniat defectus iusti pretij, siue legalis sit,siue naturalis, contractus in totum corruit quoad vtrumque forum,atque ideò pensiones perceptæ veniunt restituendæ, non solùm pro rata pretij non soluti; sed omnes exactæ ratione totius census: siquidem cùm totus contractus sit irritus, deest titulus iustus, quo emptor pensiones ipsas faciat esse suas.

6 Dico secundò peccare emptorem census, faciẽtem pactum de recipiendis pensionibus anticipatè,aut illas anticipatè recipientem. Est enim eiusmodi pactio non solùm prohibita vi *extrauag.B.Pij V. de censib.* sicut & receptio, vt patet ex illis extrauag. verbis: *Solutiones, quas vulgò anticipatas appellant,fieri,aut in pactum deduci prohibemus.* Sed etiam est contra naturam contractus censualis, contra ius naturale,ac Diuinum,ac contra iustitiam. Etenim ius naturale dictat non esse soluendum, quod nondum debetur: at anticipata pensionum solutio nõ debetur Domino census; ergò contra ius naturale est, ac contra dictamen rationis cogi censuarium ad soluendas anticipatè pensiones. Confirmatur, quoniam eiusmodi anticipatæ solutiones sunt contra iustitiam, cùm tendant in iusti pretij diminutionem: siquidem eò minus pretij percipit Censuarius, quò plus ante tempus soluit: sicut enim post præfinitum tempus soluẽs dicitur minus soluere,vt *in l.solidum,ff.de solut.* §.*fideiussores, in Instit. de fideiuss.* ita quoque plus dat, qui ante tempus dat, §.*plus autem, in Instit.de action.* Cùm igitur præfatæ solutiones sint contra iustitiam; ergo sunt contra ius naturale,cùm sint contra maximam illam: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Denique,quod in censuali contractu distrahitur est ius percipiendi pensiones annuas ex rei cẽsui suppositæ fructibus,& emolumentis annuis; atque ideò sicut cum natura pugnat colligere fructus antequam à re ipsa producantur;ita quoque contra naturã erit percipere pensiones dictorum fructuum ante tempus ad illas reddendas necessarium. Hæc conclusio adeò vera est, vt locum sibi vendicet,siue pensiones debeantur in fructibus, siue in pecunia: & non tantùm in Terris, in quibus *extrauag.B.Pij V. de censib.* vsu recepta est; sed etiam in omnibus, & quibuscumque locis, ac in toto Terrarum Orbe. Imò solutio anticipata pensionum damnata est iure naturali, ac Diuino non solùm in censu cõsignatiuo perpetuo redimibili; verùm etiam in censu consignatiuo perpetuo, ac irredimibili, ad certum tempus, & ad vitam, vt de hac re latè egimus *in dictis nostris Commentar.* §.3. q 5. vbi tamen eandem conclusionem multipliciter quoque limitauimus.Et *q.*4.ostendimus pactum de anticipanda pensionum solutione, vitiari, non tamen vitiare totum contractum.

7 Dico tertiò peccare emptorem census,cogentem Censuarium soluere pensiones annuas non solùm anticipatè vt supra proximo dicto ostendimus; sed etiam quocumque alio modo ante tempus debitum. Ad id enim contra iustitiam cogeretur ipse Censuarius, cùm citra iniuriam cogi non posset;atque ideò peccat,& tenetur reficere damna, & interesse ex tali coactione prouenientia. Vndè si census est fructuarius, non potest Censuarius citra culpam cogi ad illum soluendum ante tempus recollectionis fructuũ; atque ideò si census consistat in frumento, illud erit soluendum in æstate tempore triturationis in area: si consistat in vino, tempore vindemiarum: si consistat in oleo, tempore recollectionis olei: & sic de alijs,vt *in l.firmo,* §.*pater,iuncta Glossa in ver.non initio,ff.quando dies legati ced.* & nos latè in nostris *Commentar. in extrauag.B.Pij V.de censib.*§.3.*q.*5.*per totam*, vbi rẽ hãc multis modis ampliauimus,ac limitauimus: & inter alias limitationes eam attulimus, vt nostra conclusio vera sit, si de tempore nihil conuentum sit inter contrahentes: secus autem si de certo aliquo tempore fuerit conuentum; quia eo casu solutio harum pensionum facienda esset tempore conuento, cùm contractus ex conuentione legem accipiant, *l.*1.§.*si conuenerit,ff.depos.*

8 Quòd si census est pecuniarius, & nulla inter contrahentes intercesserit pactio de tẽpore solutionis faciendæ annui redditus, nec de aliqua certa consuetudine constat, tunc solutio census facienda est in fine anni. Siquidem in contractibus id semper seruari debet, quod minus debitorem aggrauat,ac illi præiudicat, vt *in l.semper in obscuris,& l.semper in stipulationibus,* & ibi *DD.ff.de regul.* imò peculiare id esse in cõtractu census, attenta dispositione *extrauag. B. Pij V.de censib.*sufficienter ostẽdimus post alios *in d.q.*5.*num.*16. vbi etiam *q.*6. diffusè egimus, qua moneta pẽsiones pecuniarij census sint soluendi: moneta scilicet currẽte tempore illarum solutionis,vel vt currebat tempore celebrati cõtractus? & post multa conclusimus,quòd quando moneta, quæ currebat tempore celebrati cõtractus est mutata in bonitate,vel malitia intrinseca, solutio pensionum facienda est de moneta, quæ currebat tempore contractus, si extet, & creditoris intersit: si verò non extat, est facienda pensionum solutio de moneta currente tempore solutionis, iuxta valorem tamen monetæ antiquæ,quæ currebat tempore contractus. Quòd si moneta,quæ currebat tempore celebrati contractus fuerit mutata secundùm bonitatem extrinsecam, tunc pensionum solutio fieri debet de moneta currente tempore solutionis faciendæ; non autem de moneta iuxta valorem,quem habebat tempore celebrati contractus, vt *in d.q.6.* probauimus *concl.* 1. & 2. quas multipliciter ampliauimus,& limitauimus: & rem ipsam per quatuor conclusiones sufficiẽter explicauimus, quibus nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

9 Dico quartò peccare Censualistam, seu Emptorem census, cogentem Censuarium soluere pensiones in loco non debito. Etenim citra iniuriam Censuarius non cogeretur,atque ideò talis coactio esset contra iustitiam, & obligaret non modo ad culpam; sed etiam ad reficienda omnia damna,expensas, & interesse. Hinc sequitur, quod si census sit fructuarius, illius debitor, & sic Censuarius non potest cogi pensionem fructuariam soluere in alio loco,quàm vbi res censuata sita sit;atque ideò eam deferre ad domum ipsius

ipsius Censualistæ, seu Domini census citra culpam iniustitiæ cogi non potest. Siquidem pensio eiusmodi cùm consistat in fructibus, Censuarius non valeret eos deferre ad domum Censualistæ sui creditoris citra notabiles labores, & expensas. Vndè si quantitas fructuum, quæ pro censu fructuario solui debet sit in frumento, illud solui debet tempore recollectionis in area: si in vino, tempore vindemiarum, in canali, seu vasia, &c. vt latè rem hanc declarauimus in *dictis nostris Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. §. 3. q. 8. concl. 1. per totam*, quam multipliciter ampliauimus, ac limitauimus. Quòd si agatur de solutione pēsionis annuæ pecuniariæ, & nulla conuentio intercesserit de loco solutionis, tunc secundùm sententiam probabiliter receptam ostendimus *in d. q. 8. concl. 2.* solutionē pensionis fieri debere per Censuarium in domo Censualistæ, seu Domini census, quam conclusionem sufficienter declarauimus quoque per suas ampliationes, & limitationes, vbi etiā probauimus *concl. 3.* quòd quando per contrahētes fuit expresè conuentum de soluenda pensione annua in aliquo certo, ac determinato loco, tūc regulariter conuentioni standū est: quod quidē quomodo verum sit; *in d. cōcl. 3.* exxplicauimus, cui nos remittimus, & toti *d. q. 8.* in qua de hac re latè egimus.

10 Dico quintò peccare Censualistam ementem censum perpetuum irredimibilē eodem pretio, quo emitur cēsus perpetuus redimibilis: etenim census irredimibilis duplo plus venditur, quàm redimibilis, ita vt si census redimibilis vendatur centum; irredimibilis venditur ducentū aureis, vt ex *Salon.* adnotauimus *in dictis nostris Commētar. in extrauag. B. Pij V. de censib. in proœm. q. 25. sub num. 21.*

11 Dico sextò, Censualistam, qui emit censum vitalitium cum pacto de retrouendendo, peccare cum onere restituendi, si velit percipere, & cū effectu receperit in casu redemptionis, seu retrouenditionis integram quantitatem pretij, quam dedit tempore celebrati contractus: siquidem quò plus est elapsum de vita, ad quam fuit emptus, ac plures solutæ sint pensiones, eo minus valet; atque ideò citra iniustitiam redimi non potest, vt habetur ex *Molina de contr. disp. 388. sub num 6. Mastrill. in addit. ad Petr. de Gregor. super Bull. Nicol. V. q 3 sub num 35. circa finem:* & nos adnotauimus *in dictis nostris Cōmētar. in extrauag B. Pij V. de censib. in proœm. q. 28. num. 81.* Vndè ob id diximus iniquum esse contractum census vitalitij cum pacto de retrouendendo, nisi fiat conuentio, vt pretium minuatur temporis progressu prudētis arbitrio. Cæterum quamuis eiusmodi census constitui possit redimibilis, ac irredimibilis, nunquam tamen citra vsuram potest constitui redimibilis ex parte emptoris, ita vt sors sit salua, cùm sors deperdita sit ex parte emptoris, & ideò contractus resolueretur in mutuum. Vndè tutius est si contractus vitalitij constituantur perpetui, ac irredimibiles, ita vt pretium in perpetuum efficiatur venditoris, & sic mortuo emptore census, sors extinguatur, & reddenda non veniat, vt diximus *in dicta quæstione 28. num. 79.*

12 Dico septimò peccare Censualistam emētem censum consignatiuum si non soluat gabellam, & statuto caueatur, vt pro quacumque re empta, seu vendita soluatur gabella: siquidem census consignatiuus titulo emptionis, ac venditionis comparatus verè, ac formaliter est emptio, ac venditio: quam quidem gabellam quidam volunt soluendam esse ab emptore census: quidam verò tam ab eiusdem emptore, quàm venditore: nos autem arbitramur in hac re attendendam esse consuetudinem, quæ varia est in varijs, ac diuersis locis, vt adnotauimus *in d. Commentar in proœm q. 25 num. 32. & 33.*

13 Dico octauò peccare Censualistam ementem censum, recepto pignore frugifero, si fructus omnes ex eo percipiat, excedentes iustæ pensionis leges, ac consuetudines. Etenim *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 1. ar. 2. circa fin.* & alij huiusmodi contractum vsurarium esse arbitrantur; licèt in Germania passim inter Principes celebretur: solet enim Princeps pecunia indigens, illam mutuo accipere ab alio Principe, cui dat in pignus Ciuitatem, Terram, aut Castrum, ea lege, vt ex eis fructus percipiat, & non teneatur computare in sortem principalem, donec Princeps, qui pecuniam mutuo accepit, mutuanti reddat. Eiusmodi contractum Germani vocant Anthycresim, idest impignorationis cōtractum: & hic in Italia talis contractus est quoq; in vsu, & vulgo dicitur, *à godere*. Vndè si fructus pignoris excedant iustę pensionis censualis leges, ac consuetudines, & non computentur in sortem, aut debitori non restituantur quoad excessum, talis contractus proculdubio est vsurarius. Cæterum si celebretur, mediantibus conditionibus infra tradendis poterit ipse contractus iustificari, & resolui in verum, ac formalem contractum censualem consignatiuum. Etenim quamuis præfatus contractus sonet contractum mutui cum pignore; re vera tamen est contractus censualis sub pignore, qui est ex se licitus: siquidem mutuum sub pignore dici non potest; quoniam de mutui ratione est, vt repeti possit ad libitum mutuantis, vt *l. 2. & 3. ff. si cert. pet.* nec emptio, ac venditio rei traditæ in pignus; nam res illa datur in pignus, & ideò eius dominium remanet penès recipientem pecuniam, cùm in re propria pignus dari non potest, nec aliquo pacto consistere, vt *in l neque pignus, ff de regul. iur.* Erit talis contractus censualis, seu emptio, ac venditio census cōsignatiui, in quo datur pecunia in pretium; fructus pignoris, seu ius percipiendi fructus ex pignore, se habet loco mercis: & res ipsa pro securitate datur in pignus: & sic duo contractus simul celebrantur; alter emptionis, seu venditionis census, & alter impignorationis, cum pacto redimendi rem ipsam impignoratam, restituta pecunia ad libitum eius, qui eam recepit. Idem dicendum est de contractu, qui in Italia vulgò dicitur, *à godere*, in quo quis dat alicui domum, vt eā fruatur, recepta ab illo aliqua pecuniarum quantitate ad arbitrium recipientis restituenda, aut non restituenda, cum pacto, vt fructus à dicta domo percipiat, qui sint correspondentes iustæ pensioni, & reliquos restituat, aut in sortem computet: eiusmodi enim contractus licèt vocetur ad gaudendum; in re tamen est contractus censualis consignatiuus redimibilis cum pignore, vt nos fusiùs declarauimus in di-

dictis nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib. in proœm. q. 24. à num. 18. ad num. 27.* Vndè ad iustificationem dictorum contractuū exigitur primò, quòd res censui subiugata detur in pignus, atque ideò remaneat in dominio dantis. Secundò exigitur, vt Dominus pignoris pecuniam recipiat in pretium annui census. Tertiò, vt sit in arbitrio eiusdem Domini redimere pignus quandocunque, reddito pretio. Quartò, vt fructus, qui supersunt vltra iustam pensionem restituantur à recipiente pignus, vel in sortem computentur. Quintò exigitur, vt pignus sit fructiferum. Et sextò, quòd si pignus pereat, aut infructiferum reddatur, qui dedit pecuniam non possit eam repetere; sed census annuus remaneat extinctus. His adde, quæ infra dicemus *dict. 45.*

14 Dico nonò peccare Censualistam ementem censum ex pretio rei immobilis venditæ, & reseruantem sibi fructus, vel aliū redditum annuū, donec pretium soluatur. Est enim huiusmodi cōtractus expresè contra *extrauag. B. Pij V. de cēsib.* per quam statuitur, censum non posse constitui, nisi in pecunia numerata coram Notario, & testibus. Imò vendere fundum reseruato sibi annuo redditu, donec pretium sit solutum esse contractum vsurarium, cùm accipiatur incrementū ratione dilatæ solutionis, docent *Gabr. in 4. dist. 15. q. 11. ar. 2. concl. 4. Plot. in l. si quando, c. vnde vi. num 45. D. Anton. par. 2. tit. 1. cap 7. § 20.* & ita fuisse iudicatum Romæ à doctissimis viris testatur *Ioan. Bapt. Antonuc. in C. thec. Neap. lib. 5. cap. 21.* alios quoque Canonistas pro hac re, adducens: quare eandem probabilem esse putat *Diana par. 4. resol moral. tr. 4. resol. 139.* licèt contrariam ipse sequatur. Est tamen verum, quòd si per eiusmodi reseruationem intendant contrahentes super ipsam rem venditam constituere censum consignatiuum redimibilem, aut contrahere omni iusto, ac meliori modo, quo possint, talis contractus potest iustificari, ac resolui in censum consignatiuum, atque ideò erit licitus, vt supra ostendimus *disp. 26. sec. 9. concl. 15.* quæ incipit: Peccant quintodecimo: ex traditis in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib. tomo 1. in proœm. q. 16.* vbi etiam diximus posse eiusmodi contractum iustificari alio modo iuxta sententiam s. m. D. Pauli de Aretio nostræ Congregationis professi, ac S R. E. C. & Ciuitatis Neap. Archiepiscopi, quem ibi retulimus. Non tamen negamus, eiusmodi censum prohiberi vi *d. extrauag. B. Pij V de censib.* per quam præcipitur, vt non aliter constituatur census consignatiuus redimibilis, nisi in pecunia numerata coram Notario, & testibus, in ipso actu celebrationis instrumenti; atque ideò in terris, in quibus seruatur dicta extrauag. non posse huiusmodi censum celebrari, cùm constitutio illa sit præceptiua, & vsurarios censeat census sub alia forma celebrandos, vt patet ex ijs, quæ Nos adnotauimus in nostris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. § vlt. q. 2.* Cæterum in terris, in quibus ex dispensatione expressa, vel tacita Roman. Pontific. d. extrauag. non seruatur, cùm non sit contra naturam census consignatiui redimibilis illum creari ex pecunia ante debita, licitè, ac citra omnem culpam Censualista emit censum ex pretio rei immobilis venditæ, vt latè de hac re egimus in dictis nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. §. 2. q. 24 per totam.* Imò si eiusmodi contractus seriò, ac bona fide celebretur in terris, vbi præfata extrauag. est in vsu, licèt sit nullus, quoad forum exterius; est validus, quoad forum conscientiæ, & citra omnem culpam celebratur: & antequam contractus declaretur nullus acquirit pensionum dominium, vt sufficienter ostendimus *d. q. 24.*

15 Dico decimò peccare Censualistam ementem censum pecunia credita, & contractus est nullus non solùm attenta dispositione *extrauag. B. Pij V. de censib.* sed etiam, attenta natura contractus censualis, vt latè de hac materia tractauimus in nostris *Commentar. ad dictam extrauag. §. 2. q. 9 & 10.* quibus locis hanc conclusionem militare diximus, non solùm in censu consignatiuo redimibili, sed in omnibus alijs censibus, nempè in perpetuo irredimibili, vitalitio, liuellario, &c. siue in totum, siue pro eo modo emantur. Est tamen verum censum sustineri pecunia credita, data cædula bancaria, etiam attenta dispositione d. extrauag. vt ostendimus *d. q. 9. num. 7.* Imò attenta natura contractus, census pecunia credita constitutus, est validus, si pensio non percipiatur, nisi post solutam pecuniam, vel ratione dilatæ solutionis augeatur pretium census, vt probauimus *d. q. 10. num. 19. & 20.* vbi etiam *num. 21.* id concessimus si ratione dilatæ solutionis pretij promittatur interesse lucri cessantis, aut damni emergentis. An autem repugnet naturæ contractus censualis emere censum dilata pretij solutione per triennium v.g. ea lege, vt interim, ne emptor videatur tenere pretium, & pensiones exigere, teneatur ad interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, vide in dictis nostris *Commentar. d. §. 2. q. 11.* vbi de hac controuersia diffusè egimus.

16 Dico vndecimò peccare Cēsualistam ementē censum, non confecto instrumento, & ex eo annuos redditus recipientem in terris, vbi est vsu recepta dispositio *extrauag B. Pij V.* si quidem dicta constitutio pro forma census consignatiui redimibilis non solum exigit eum esse celebrandum super re immobili, de sui natura fructifera, in pecunia numerata coram Notario, & testibus, sed etiam debere constitui, mediante instrumento, vt constat ex verbis §. 2. dictæ constitutionis, in illis verbis: *Nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario in actu celebrationis instrumenti*, vt nos ostendimus in nostris *Commentar. ad d extrauag. §. 2. q 12. num. 11.* atque ideò si forma non seruatur, actus efficitur omninò nullus, vt in *l. 1. §. 1. ff. de verb. obligat. Bart.* & alij in *l. cùm quid ff. si cert. petat.* Vndè emens censum, vt supra citra instrumentum, cùm ex contractu nullo pensiones percipiat, maximè si per sententiam fuerit nullus declaratus, proculdubio culpam contrahit, eo quod lucrum ex mutuo, & non ex censu diceretur percipere. Dixi, *In terris, vbi est vsu recepta dispositio extrauag. B. Pij V.* Quoniam, seclusa dispositione dictæ extrauag. Scriptura non est de ratione, ac substantia contractus censualis, atque ideò in terris, in quibus non est vsu recepta præfata Constitutio B. Pij V. citra omnem scripturā potest celebrari census, & ex eo debetur annua pensio. Etenim contractus censualis consignatiuus redimibilis, de quo loquitur supradicta ex-

extrauag. & aliæ Pontificiæ Constitutiones, re vera est contractus *empt. ac vendit.* vt sæpè diximus; at emptio, ac venditio ita solo cōsensu perficitur, vt nullam scripturam exigat. Ita *Azor. par. 3. instit. moral. lib. 10 de censibus, c. 19 q. 1. Gasp. Roder. de ann. redd. lib. 1. q. 15. num. 1.* & alij, quos Nos retulimus in prædictis nostris *Commentar. §. 2. q. 13 num. 5. & per totam*, vbi rem hanc sufficienter explicauimus, multipliciter eandem ampliantes, ac limitantes, vbi etiam *q. 14.* ostendimus, an, & quando in instrumento census sufficienter probetur pretij census numeratio, & solutio in actu celebrationis instrumenti.

17 Dico duodecimò peccare Censualistam soluentem censum in pecunia numerata corā Notario, & testibus, in actu celebrationis instrumēti, mox eam recepturum mutuo: etenim is censeretur censum celebrare pecunia credita, seu dilata pretij solutione: quod non solum est contra dispositionem extrauag. B. Pij V. sed etiam contra naturam contractus censualis, vt supra ostendimus, *dicto* 10. Etenim qui ita pecuniam soluit, vt mox sibi reddatur, non censetur soluere, vt in *l. qui sic soluit ff de solut.* Est tamen verum, quòd si Censualista ita pretium soluat, vt mox recipiat in satisfactionem debiti ex alia causa, eo casu non peccat, nec ad aliquam restitutionem tenetur, saltem in terris, vbi non est vsu recepta d. extrauag. B. Pij V. vt Nos latiùs declarauimus in nostris *Commentar. ad eandem extrauag. §. 2. q. 3.* vbi *num 8.* id verum esse ostendimus, etiam attenta dispositione præfatæ extrauag. si nullum priùs intercesserit pactum. His adde, quæ adnotauimus *d. §. 2. q. 6* dum diximus, quòd si quis mutuet centum aureos v. g. Sempronio coram Notario, & testibus, in ipso actu celebrationis instrumenti, ea lege, vt si ipsi non reddantur præfixo die, ex tunc censeatur sibi vēditus census aureorum septem pro dictis centum super tali fundo ipsius Sempronij, talis census non solùm est validus, attenta natura census; sed etiam attenta dispositione d. extrauag. B. Pij V. Et in omnem euentum, quòd in constitutione census non fiat numeratio pretij in actu celebrationis instrumenti, quocunque modo pretiū ipsum receperit censuarius, illius emptor est securus in conscientia, & quoad Deum; siquidem, seclusa dispositione d. extrauag. non est de natura census, vt eius pretij fiat solutio in pecunia numerata coram Notario, & testibus, vt latè rem hanc explicauimus *d. §. 2. q. 2. num. 37. & per totam*: imò ibidem ostendimus, *nu. 39.* quòd quāuis vi præfatæ extrauag. exigatur solutio pretij census in pecunia numerata; attenta tamen natura talis contractus, potest fieri quoque in alijs rebus, vt fusiùs probauimus in eodem *§. 2. q. 1. num. 52.*

18 Dico tertiodecimò peccare Censualistā scienter censum ementem super rem alienam, fingendo se ignorare alienam esse, vt possit ad sui libitum deindè compellere venditorem ad reddendum sibi pretium: & insuper teneri ad pensionū perceptarum restitutionem, ac posse tanquam vsurarium puniri. Etenim dolosa simulatio non datur citra culpam, efficitque dolosum restitutioni obnoxium: & talis emptor conuincitur nō habuisse intentionem emendi censum; sed mutuandi sub lucro, quod est vsura. Ita ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, num. 119. 14. q. 3.* diximus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib. §. 1. q. 26. concl. 4. num. 14.* quam conclusionem ampliauimus veram esse, non solū quoad forum conscientiæ; sed etiam quoad forum exterius si probari posset: imò eiusmodi emptori, nec interesse quidem debetur, quamuis pecuniā extraxerit à reali cambio, vel iusta negotiatione. Idem dicendum est de eo, qui scienter emit censum super re non libera, & incapaci, vt ibidem adnotauimus, & supra *num. 11.* pro qua re adde quoque ea, quæ cumulauimus *eod. § q. 5.* vbi diffusè egimus de censu, an, & quando constitui possit super re non libera. Quibus adde, quæ infra dicemus *dicto* 18. & quæ diximus *d. qu. 5. num. 12.*

19 Dixi, *Scienter censum ementem*, quoniam emens censum super rem alienam, probabiliter ignorans alienam esse, nullam culpam contrahit. Est tamen verum, quòd superueniente scientia, non potest emens eiusmodi censum, citra culpā in futurum annuas pensiones exigere, & exactas à die scientiæ tenetur restituere. Etenim cùm cōstitutio census in re aliena, domino rei non consentiente, vel saltem reclamante, fit inualida, non adest iustus titulus, quo possit pensiones ipsas percipere; ergò illas percipiens, superueniente scientia, peccat, & ad earum restitutionem tenetur. Poterit autem eo casu Censualista ad rescissionem contractus agere, & pretium repetere vnà cum interesse, vt in *d. q. 26 num. 3. cum seq.* adnotauimus, post *Cenc. de censib. par. 1. cap. 2. qu. 1. ar. 1. num. 13.* Idem dicendum esse ostendimus *d. q. 26. num. 11.* de eo, qui ignoranter emit censū super re non libera. Imò ibidem ex *Scacc. de cōmerc. §. 1. q. 183.* addidimus, quòd si census fuerit constitutus super re propria, sed cum assertione, quòd sit libera ab omni alio censu, & onere, & cum iuramento, & promissione faciendi consentire omnes, ius in d. re habentes; & deinde constet, rem ipsam censui subiugatam esse alteri quoque pro alijs censibus obligatam, & ipse vēditor hunc alterum non faciat consentire, si res illa sit tanti valoris, vt omnium censuum sit capax, emptor agere non potest ad pretij restitutionem, neque ad faciendum consentire: siquidem Censualista eo casu nullum patitur damnū, quo cessante, cessat obligatio, ac periurium. Multa alia cumulauimus circa hanc materiam *d. §. 2. q. 5.* cui remittimus Nos, ne bis idem repetere videamur.

20 Dico quartodecimò peccare Censualistam scienter ementem censum super re fideicommissso, seu primogenituræ supposita, & expresè alienari prohibita: etenim super eiusmodi rebus nō potest census constitui, & si constituatur, impositio est nulla ab initio: atque ideò non adest iustus titulus, quo possit annuos redditus percipere. Confirmatur, nam sicut expressa testatoris prohibitio alienationis reddit alienationem ipso iure nullam, impedit translationem dominij, & repellit alienantem, tanquam indignum à reuocatione rei alienæ, vt per *Glos. in l. cum pater. § libertis*, & ibi, *Paul. Castr. ff. de legat. 2.* & alij apud *Cenc. de censib. par. 1. cap. 2. q. 1. ar. 6. sub num. 6.* ita quoque nulla est impositio census facta super re fideicommisso, seu primogenituræ sup-

suppoſita,& expreſsè alienari prohibita,cum cẽſus impoſitio ſit alienationis ſpecies, vt probat idem *Cenc.ibid.ar.3.num.3.& ſeq.* Quam quidẽ rationem locum habere,etiam ſi rei alienari prohibitæ fiat alienatio ab ignorante ignoranti, vt habetur ex *Peregr.de fideic.ar.40.num.39.verſ. Rurſus,tex.*illum,& ex alijs quamplurimis à nobis relatis in noſtris *Commentar. ad extrauag. B.Pij V.de cenſib.§.1.q.7 num.*8.*& 9 & per totam*, vbi rem hanc multipliciter ampliauimus, ac limitauimus, *& q.* 8. è conuerſo quoque explicauimus controuerſiam illam, an fideicommiſſarius nondùm purificato fideicommiſſo,aut purificato; ſed nondùm rebus fideicommiſſo ſuppoſitis ſibi reſtitutis,poſſit ſuper eiſdem cẽſum imponere.

21 Dico quintodecimò peccare Cenſualiſtam ementem cẽſum ſcienter ſuper totam rem communem,quam venditor habet cum alio: ſiquidẽ ſocius ſocij portionem alienare non poteſt,ſicut nec obligare,vt *in l.vnica, C.ſi cõmun.res pign. data fuer.* Socius enim non poteſt diſponere vltra portionẽ ſuam,*l.nemo ex ſocijs*,& ibi *Gloſa, & DD.ff.pro ſoc.l.ſi ſocio*,& ibi *DD.ſi cert petat.* Dixi, *Super totam rem communem*, quoniã ſuper partem vendentis cenſum,ſi eſt capax,poteſt annuus redditus comparari,etiam ſi emptor cẽſus ſciat rem eſſe communem, dummodò pars vendentis ſit capax totius cenſus conſtituti, vt nos latè de hac re egimus *in dictis noſtris Commentar.§.1.q.9* vbi etiam *q.*10.tractauimus,an, & quando cenſus conſtitui poſſit ſuper re emphyteotica,& *q.*11.an imponi valeat ſuper nudã proprietatem.

22 Dico ſextodecimò peccare Cenſualiſtã ſcienter ementem cenſum ſuper rem feudalem citra directi Domini conſenſum: nam licèt non pugnet cum natura contractus cenſualis,vt Feudatarius in re feudali cenſum imponat abſq; directi Domini conſenſu; nihilominus extat *tex. in cap.Imperialem,de prob.feudi alien.per Feder.* vbi ſtatuitur,vt nemini liceat feudum totum,vel in parte vendere, vel pignori dare, aut quolibet modo diſtrahere,vel alienare ſine conſenſu Domini: at eo ipſo quòd feudum ſubijcitur cenſui dicitur pignorari, imò alienari, vt ſup. diximus *dicto* 14. ergò cùm cenſus cõſtituitur ſuper feudum citra Domini conſenſum, nulliter imponitur;cùm id fiat contra legem prohibentem,vt *in l. non dubium, C.de legib.* atque ideò deeſt titulus,quo Cẽſualiſta huiuſmodi penſiones annuas percipiat. Et ità fuit reſolutum per Rot.Rom.in vna Romana cenſus 3.Iulij 1598.coram A.P.D. Orano, quam *deciſ.* attulimus in noſtris *Commentar.in extrauag.B.Pij V.de cenſib.*§.1.q.12. *num.*20.*cum plur.ſeq.* vbi etiam pro hac re quãplurimos Doctores cumulauimus, rem ipſam multipliciter ampliantes,ac limitantes,quod tamen declara iuxta ea,quę infra adnotabimus *dicto* 26. Eſt tamen verum, quod quamuis ſuper feudo non poſſit conſtitui cenſus abſq; directi Domini conſenſu, ſuper re tamen liuellaria citra Domini conſenſum, cenſum conſtitui poſſe ſufficienter probauimus *d.*§.1.q.13.vbi quoque ſufficienter declarauimus quid ſit liuellus,& an ad illum conſtituendum exigatur ſcriptura,cùm contractus liuellarius ſit ſubſtitutio quædam emphyteotica,& feudalis,& *q.*14.explicauimus pariter controuerſiam, an ſuper re ſuperficiaria, ſolariega,vel precaria cenſus conſtitui poſſit,nõ interueniente Domini conſenſu, & concluſimus affirmatiuè in damnum tamen conſtituentis.

23 Dico decimoſeptimò peccare Cenſualiſtam ementem cenſum ſuper rem dotalem datam viro inæſtimatam,etiam ſi vxoris interueniat conſenſus. Etenim res dotalis nõ poteſt alienari,nec hypothecæ ſubijci,etiam ſi vxoris concurrat cõſenſus, vt *in §.1. in Inſtit. quib. alien. licet,vel non*: & hoc ideò,inquit ille *tex.* Ne ſexus muliebris fragilitas in perniciem ſubſtantiæ earum conuerteretur. Ità *Foller. in ſua praxi cenſualẽ in ver.Huiuſmodi cenſualia,num.2. Redoan. in ſuo tr de reb.Eccl.non alien.q.17.num.20. Cẽcẽ de cenſib.par.1.cap.2.q.1.ar.5.num.*10. & alij, quos nos retulimus in noſtris *Commentar. in extrauag. B.Pij V.de cenſib.*§ 1.q.15.*nu.*14 *cum plur. ſeq.* vbi hanc concluſionem ampliauimus, vt idem dicendum ſit de bonis dotalibus viro datis æſtimatis,ſed non ea æſtimatione, quæ faciat emptionem: & multis alijs modis eandem ampliauimus, ac limitauimus tribus concluſionibus poſitis. Vndè cùm conſtitutio cenſus ſuper eiuſmodi bonis ſit inualida, illius emptor citra culpam ex eo annuas penſiones non percipit,cum iuſtum titulum non habeat illas percipiẽdi:quibus adde,quæ infra dicemus *dicto ſeq.* & declara, vt *in dicto* 26.

24 Dico decimo octauò peccare Cenſualiſtam ſcienter ementem cenſum ſuper re empta ea lege,vt eius non cenſeatur translatum dominium, niſi ſoluto integro pretio: ſiquidem is poteſt cẽſum ſuper rem aliquam conſtituere, qui illius eſt Dominus; ſed emptor cum ſupradicto pacto non efficitur rei emptæ dominus,ergo,&c. Ità *Cenc.de cenſib par.1.cap.2.q.3.ar.4. num.2. cũ plur.ſeq* & alij,quos nos citauimus *in dictis noſtris Commentar. §. 1. q. 17.* & concluſionem ampliauimus multis modis, & ſignanter,vt emptor talis cenſus non poſſit vigore talis contractus citra culpam penſiones annuas exigere:imò & exactas tenetur reſtituere: etenim contractus cenſualis cùm ſit nullus,vel ſaltem ſtet in ſuſpẽſo, non poterit emptor ipſe vigore talis contractus redditus percipere;quoniam non entis nullæ ſunt partes, *l.eius qui.§.fin ff ſi cert.pet.* quod verum eſſe oſtendimus, etiam ſi probabiliter ignorans cõditionem rei emptæ cenſum emerit. Siquidem ſi daremus contractum cenſus celebrari bona fide,& ex probabili ignorantia ex re non fructifera,& emptor exegiſſet annuum redditum,illi fructus non ſpectarent ad emptorem cenſus, vt patet ex traditis per *Scac.de commer. §.1.q.7.par.2. ampl.8. num.* 217. ergo idem dicendum eſt in caſu, de quo agitur, cùm militet eadem ratio, *arg. tex.in l.illud,ff.ad leg.Aquil.* Non tamen ita eſt dicendum de emente cenſum ſuper re empta cum pacto de retrouendendo: nam dominium huius rei verè transfertur in emptore,atque ideò ſuper eam valida eſt conſtitutio cenſus,vt probauimus *in dictis noſtris Cõmentar.*§.1.q.16. Hæc tamen declara iuxta ea, quæ infra adnotauimus *dicto* 26.

25 Dico decimononò peccare Cenſualiſtam ſciẽter cenſum ementem ſuper bonis pupillorum,& minorum citra auctoritatem eorum Tutorum, ſeu Curatorum,& non adhibitis ſolemnitatibus

à iure

à iure requisitis. Etenim quamuis Minor dominus sit bonorum suorum; eorum tamen non habet administrationem, quæ exigitur ad constituendum censum; atque ideò nulliter contrahit sicut & Minor si Curatorem habeat, & sollemnitates prædictæ non adhibeantur, ita vt contractus sit nullus ipso iure: & propterea ipse Censualista cum non habeat iustum titulum, ex eiusmodi censu non potest annuas pensiones percipere, & perceptas citra culpam non potest retinere, sed eas tenetur restituere, iuxta ea, quæ supra adnotauimus dicto præcedenti: quibus adde, quæ fusius cumulauimus in nostris *Commētar. ad extrauag. B. Pij V §. 1. q. 19. num. 10. & per totam.* Est tamen verum, quòd quamuis cēsus cum Minore nulliter contrahatur citra sui Curatoris auctoritatem, & solemnitates legitimas, seu statutarias; nihilominus si maior factus pensiones soluat, censetur ratificasse censualem contractum, ita vt conualidetur præcedens impositio inualida, *l. si præteritus, ff. de bon. possess. con. tab. l. si proponas, §. 1. de inoffic. testam. Natta cons. 45. num. 10. concl. 1.* & alij, quos nos retulimus *d. §. 1. q. 19 num. 35. & num. 32.* pariter ostēdimus, vt conclusio hæc locum non habeat, si Minor post cēsus impositionem maior factus per quinquennium steterit, & non reclamauerit à census impositione: nam ex tali taciturnitate resultat contractus ratificatio, ita vt non possit amplius illum irritare, vt *in l. 1. & 2. C. si maior fact.* cum alijs à nobis cumulatis *d. num. 32. & per totam q. 19.* vbi rem hanc fusiùs declarauimus, & *q. 20.* egimus quoq; de mulieribus, an citra solemnitates aliquas possint super earū bonis censum constituere: in qua re diximus vidēda esse statuta municipalia. Est tamen verum, quòd quicquid sit de statutis municipalibus; cēsus tamen à muliere constitutus est nullus, etiam si fiat cum debitis solemnitatibus, quando ex tali contractu mulier ipsa remanet indotata in totum, vel pro dimidia parte, vt ostendimus *d. q. 20. num. 7.* vbi *num. 8.* idem probauimus de muliere fideiubente pro marito, si remaneat indotata vt supra, licèt fuerint adhibitæ omnes solēnitates statutariæ.

26 Dico vigesimò peccare Censualistam scienter ementem censum super bonis Ecclesiæ, non præuijs solemnitatibus requisitis, & assensu Rom. Pontificis: & cum nulla sit eiusmodi census impositio in præiudicium Ecclesiæ, in eius præiudicium citra culpam annuas pensiones non potest exigere; sed exactas tenetur restituere, vt constat ex nonnullis *Rota Rom. decis.* quas trāscripsimus post nostra *Commentar in extrauag. B. Pij V. de censib.* & earum quoq; meminimus *in eisdem Commentar. § 1. q. 22. num. 5. cū plur. seq.* Dixi, *In præiudicium Ecclesiæ;* nam quamuis Rector Ecclesiæ imponendo censum super bonis Ecclesiæ, non possit nec Ecclesiæ, nec suis in beneficio successoribus præiudicare; potest tamen sibimet præiudicium inferre, atque ideò poterit super bonis suæ Ecclesiæ censum imponere duraturum sua vita durante, vt habetur ex *Foller. in sua praxi censuali. §. huiusmodi, num. 18. Felician. de Solis de censib. lib. 2. cap. 2. nu. 10. & Ludouic. de Auend. de censib. Hisp. cap. 77. num. 3.* quos nos retulimus *d. q. 22. num. 37.* vbi etiam *num. 38.* diximus non solùm eo casu, sed etiam obligādo suam personam ipse Rector pro soluenda pensione de fructibus, etiam non adhibitis solemnitatibus de iure requisitis, & assensu Rom. Pontif. Multis autem modis rem hanc ampliauimus, ac limitauimus *in d. q. 22.* cui nos remittimus pios Lectores, & *q. 23.* siquidem eas ibi sufficienter explicauimus: quibus etiam adde ea, quæ *in eodem §. 1. q. 18.* adnotauimus, an, & quando pater possit constituere censum super bonis castrensibus, ac bonis aduētitijs filij, ac ipse filius super eisdem bonis, & *q. 21.* Rectores Ciuitatis quando valeant cēsum imponere super bonis eiusdem.

27 Dico vigesimoprimò peccare Censualistam scienter ementem censum super vnum tantum alicuius rei. Etenim licet concedamus, posse cōstitui censum super vsufructum, eiusdemq; proprietatem, ac habitationem; negamus tamen posse constitui super nudum vsum, atque ideò vsuarius, qui tantùm alicuius rei vsum habet, non potest super vsum, censum imponere; quia nec pignori, nec hypothecæ dari potest, nec alteri concedi, sicut potest vsusfructus, ac etiam habitatio, vt *in §. item is, qui ædium, & §. is, ad quem, in inst. de vsu. & habit. & l. sed neque locabunt, l. per seruum, & l. vsus aquæ. ff. eo.* Vsus enim cùm sit quædam facultas personalis non distinctus à commoditate, neq; quoad commoditatē vendi, cedi, locari, aut quolibet alio modo alienari potest, vt declarat *Ludouic. de Auend. de censib. Hisp. cap. 72. num. 3.* qui tamen *num. 4.* id limitat in vsuario alicuius syluæ, vel montis, cū eiusmodi vsuarius vsufructuarius dicatur, vt *in l. D Andrianus, & l. functi, ff. de vsu. & habit. l. hoc Senatus § fin. iuncto tex. in l. quoniam, ff. de vsufr. rer. quæ vsu consum.* & nos latè de hac re egimus in supra relatis nostris *Commentar. §. 1. q. 24. num. 12. cum plur. seq.* Vndè cùm super nudum vsum sit nulla cōstitutio census, emptor illius non potest ex eodem exigere pensiones annuas citra culpam; cùm iustum exigendi titulum non habeat; atq; ideò exactas quoque tenetur restituere, iuxta ea, quæ sup. adnotauimus *dicto 18. & seq.* quibus adde quoque, quæ diximus sup. *dicto 13.*

28 Dico vigesimosecundò peccare Censualistam ementem censum in Terris, in quibus est vsu recepta *extrau. B. Pij V.* super rebus mobilibus, & se mouentibus. Etenim dicta extrauagant. pro forma exigit, vt census consignatiuus perpetuus redimibilis constituatur in re immobili, aut quę pro immobili habeatur, vt patet ex *d. extrauag.* in illis verbis: *Censum, seu annuum redditum creari, constituisse nullo modo posse; nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sua natura fructifera, quæ nominatim certis finibus designata sit.* Ergò non potest eiusmodi census vi dictę extrauag. super rebus mobilibus, ac se mouentibus constitui: & constitutus est nullius momenti, vt ostendimus in nostris *Commentar.* ad præfatam *extrauag §. 1. q. 27. à num. 11. ad 14.* Vndè emens dictum censum non potest ex eo percipere pensiones, & perceptas non valet sibi citra culpam retinere; sed tenetur omnino restituere, cum iusto careat percipiendi titulo, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *dicto 18.* id tamen declara, vt nos explicauimus *dicto 26.* Hinc vigore dictæ extrauag nulliter emitur cē-

sus super sola persona, imò & census mixtus, vt probauimus *d.* §.1.*q.*2.nulliter quoq; emitur cẽsus super galeis, ac nauibus, quia inter mobilia connumerantur; sicut & persona connumeratur inter res, quæ per se mouentur, vt in eodem §.1. *q.*28.ostendimus *sub num.*4. *& seq.* Est tamen verum, quòd seclusa dispositione dictæ extrauag. ex natura rei census consignatiuus potest constitui super nuda persona, super persona, ac rebus simul, ac super rebus mobilibus, & se mouentibus, vt patet ex ijs, quæ cumulauimus in *dictis Commentar. in proœm. q.* 28. *& in d.* §.1. *q.*29. atq; ideò in Terris, vbi non seruatur dicta extrauag. citra omnem culpam imponitur census super rebus mobilibus, ac se mouentibus, dummodò sint fructuosæ, quæ tales dicuntur etiam gemmæ, & lapides pretiosi, ac arbores infructuosæ deseruientes ad ornatum, ac ad amenitatem, quia amenitas, & ornatus sunt fructus quidam, vt ostendimus *d. q.*29.*nu.*16. *cum plur. seq.* Non tamen census super rebus mobilibus potest imponi, vt in perpetuum duret, sed duraturus, durante re mobili, aut se mouente, quamuis non desint, qui putent, posse constitui censum consignatiuum perpetuum super grege, & armento; quoniam licèt particularia animalia pereant, grex tamen, & armentum nunquam pereunt. Ita *Feder. de Mart. in suo tr. de iure census cap.*4.*num.*14.

29 Sunt autem bona, quæ pro immobilibus habentur, super quibus extrauag. prædicta statuit posse constitui censum consignatiuum realem, perpetuum ex parte ementis, & redimibilem ex parte vendentis, publica tributa, ordinaria, & vniformia, ac perpetua, ius piscandi, ius pascendi, & ius decimandi, seruitutes, nempè via, iter, aquęductus, &c. arbores solo cohærentes, census, & omnia iura. Vndè super omnibus dictis rebus census imponi potest, & census supra censum, vt in eis *Commentar.* §.1.*q.* 30.31. *&* 32. sufficienter declarauimus. Imò attenta natura contractus censualis, & seclusa dispositione dictę extrauag. pecunia destinata ad emptionem bonorum immobilium, vt exposita negotiationi, cùm sit in statu fructificandi, potest censui subiugari, vt patet ex ijs, quæ ibidem adnotauimus §.1.*q.*33. Imò censum super fructus pendẽtes constitui posse docet *Felic. de Sol. lib.*2. *de censib. cap.*3.*num.*39.*tomo* 1. cuius sententiam nos non fuimus secuti *d.* §.1.*q.*34. *num.*4. quia fructus pendentes quamuis solo cohæreant; nihilominus coexistunt solo inseparabiliter, sicut domus, molendina, ius piscandi, & aliæ res, quæ ita solo inseparabiliter cohæreant, vt sine earum corruptione à solo separari nequeant. Idem dicendum est de censu imposito super pensionibus non exactis; quoniam pensiones non maturæ nõ sunt ad instar fructuum pendentium, sed ad instar fructuum in rerum natura non existẽtium: & maturæ, sed non exactæ inter bona mobilia connumerantur, vt ostendimus *d.* §.1. *q.*35. vbi etiam *q.*36.*cũ plur. seq.* egimus de iurisdictione, & officijs publicis: dignitates, societates officiorum, loca Montium, & Mons pietatis, an inter bona immobilia connumerentur ita vt vi dictæ extrauag. super eis census consignatiuus constitui possit.

30 Dico vigesimotertiò peccare Censualistam cẽsum scienter ementem super rem, quæ de sui natura fructifera non est. Etenim *d. extrauag. B. Pij V.* pro forma exigit, vt census consignatiuus realis, perpetuus, ac redimibilis constituatur in re de sui natura fructifera, vt patet ex eiusdem extrauag. verbis, *De sui natura fructifera, &c.* Imò non solùm attenta dispositione dictæ extrauag. sed etiam attenta natura census, non potest aliter constitui, quàm in re de sui natura fructifera, vt habetur ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, nu* 79. *& seq.* 14 *q* 3. *Ludouic. de Auẽd. de censib. Hispan cap.*53 *num.*2. & ex alijs, quos retulimus *in dictis nostris Commẽtar.* § 1 *q.*43. *num.*4.*cum plurib. seq.* siquidem census cùm sit ius percipiẽdi annuam pensionem ex fructibus rei censui suppositæ, si res ipsa non sit frugifera, ius illud fictitium esset; atq; ideò census eiusmodi vsura esset palliata. Hanc conclusionem ampliauimus ibi in censu reseruatiuo, & emphyteotico, & eandem limitauimus, vt ita demum res censui subiuganda debeat esse ex sui natura frugifera quando constituitur census, vt percipiendus, vel perceptibilis ex illa, quod fit emendo ius ad percipiendum fructus portionem aliquam, vel aliquid æquiualens, nempè pecuniam, &c. secus autem si census constituatur in re aliqua non vt percipiendus ex ea; sed tantùm obligetur res ad pensionis solutionem; quoniam hoc casu census de iure naturali non exigit rem censuatam frugiferam: quod verum puto, si census constituatur super personam fructiferam, iuxta ea, quæ adnotauimus *eod.* §.1.*q.*2. *de censu personali agentes.* His adde, quæ infra dicemus *dicto* 26.

31 Vocatur autem res fructifera illa, quæ natura sua producit fructus, siue fructus sint naturales, quales sunt, quæ à prędijs rusticis producuntur, nempè pira, poma, & alia eiusmodi, in quibus producendis magis præualet natura, quàm hominis industria: siue sint industriales, in opera, ac industria hominis plus operatur, quàm natura, vt frumentum, ordeum, legumina, &c. siue fructus sint ciuiles, quales sunt domorum pensiones. Item frugifera res dicitur, quæ de sui natura apta est fructus ferre, vt *in l. frugem. ff de verb. signif.* Vndè Turres, Palatia, Domus, quæ locari non solent; sed si locarentur pẽsiones redderent, frugiferæ cẽsentur, vt habetur ex *Azor. par.*3.*Instit moral. lib.*10. *de censib. cap.*6. *q.*4. Non enim opus est, vt res censui subiuganda actu producat fructus, sed satis, vt talis sit naturæ, vt fructus afferre possit, vt latè rem hanc declarauimus *d.* §.1.*q.*42. *&* 44. vbi *num.*8. ostendimus, nõ ob id censum minui debere, quòd res censuata fructus non afferat per aliquod accidens, duobus, vel tribus annis, & id etiam spectata dispositione *extrau. B. Pij V.* Imo res frugiferæ non tantùm arbores afferentes poma, pira, &c. Sed etiam cupressi, quæ amęnitatem tantùm afferunt: & lapides pretiosi, ac gemmæ ad ornatum deseruientes, & vtiles existentes ad sanandos aliquos morbos, & ad præseruandum ab eis. Denique res frugifera dici potest fundus aliquis, qui licèt contineat solũ arbores infructuosas, atque ideò sit sterilis; nihilominus amęnitatem habet, eo quòd est circundatus amenis collibus, fontibus, & alijs eiusmodi: siquidem oblectatio talis fũdi idẽ operatur, quod fructus in

in re, vt declarat *Gratian discept forens. tomo 2. cap. 158. num. 8.* quem nos pro hac re citauimus *d. q. 22.* vbi in fine diximus tamen quòd vbi seruatur dispositio *d. extrauag.* ad constituendum censum non solùm exigitur, quòd res census subiuganda, sit ex sui natura frugifera; sed etiam immobilis, vel quæ pro immobili habeatur. Ex natura verò rei sufficit, quòd res sit fructifera, siue mobilis sit, siue immobilis, aut se mouens, vt sup. diximus *dicto* 22. quibus adde quoq; à nobis cumulata *d. q.* 44. & 45. vbi quoq; tractauimus de re, quæ arte tantum humana efficitur frugifera, an super ea possit cõstitui census, & conclusimus pro parte negatiua, inspecta dispositione prædictæ extrauag. quæ exigit censum constitui in re ex sui natura frugifera: secus autem attenta natura census, nam satis est si imponatur in re fructifera, siue ex sui natura sit talis, siue hominis artificio. Imò censum constitui posse super re fructifera, non vt soluatur ex rei fructibus, sed ex alijs bonis venditoris census, satis probauimus ibidem, *q.* 46.

32 Dico vigesimoquartò peccare Censualistam scienter censum ementem in re, cuius fructus nõ sint sufficientes ad soluendum annuum redditũ, vt habetur ex *Panor. in cap. in Ciuitate*, & ibi communiter *Canonistæ, de vsur. Nauar. in cap. si fœneraueris, nu* 79. & 85. 14. *q.* 3. & alijs, quos nos retulimus *in nostris Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib.* § 1. *q.* 47. Etenim in contractu census venditur ius percipiendi tot annuos redditus ex fructibus rei, quæ censui supponitur: ergò opus est, vt res, in qua census imponitur, fructus afferat, qui satis sint ad annuam pensionem persoluendam; aliàs census non diceretur fundari super re fructifera, cùm pro ea quantitate fructuum, quæ cum annua pensione non exequatur, fructifera dici non valeat. Hanc conclusionem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus *in d. q.* 47. vbi *num.* 25. inter alias limitationes, eam attulimus, vt licet non possit census constitui in fundo illius oneris incapaci; nihilominus census non est omninò nullus; sed annullatur quoad eam tantùm partẽ, ac ratam, pro qua fundus censui suppositus non potest annuæ responsiones supportare, vt habetur ex *Cenc. de censib. par.* 1. *cap.* 3. *q.* 2. *ar.* 2. *num.* 1. & *seq.* Vndè pro ea tantùm parte, qua fundus incapax est, Censualista non potest pensiones percipere, & perceptas tenetur restituere. Imò si Censualista ab initio notitiã habuit eiusmodi incapacitatis, cõtractus in totum erit inualidus, quia apud Deum saltem esset vsurarius, vt habetur ex eodem *Cenc. loc. cit. num.* 12. & *seq.* quem nos citauimus *d. q.* 47. & *q* 48. ostendimus quoque in constitutione census habendam esse rationẽ fructuum, qui percipiuntur singulis annis ex re censuali supponendæ; non autem pretij, quo res ipsa æstimatur.

33 Dico vigesimoquintò peccare Censualistam ementem censum in Terris vbi est vsu recepta *extrauag. B. Pij V. de censib.* in re certis finibus non designata: siquidem ad constituendum cẽsum id exigitur per extrauag. ipsam, in illis verbis: *Quæ nominatim certis finibus designata sit.* vndè si aliter constituatur, erit inualidus, vt habetur ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, num.* 88. & 129 *de vsur. Roder. de annuis redd lib.* 2. *q.* 7. *num.* 13. & ex alijs, quos nos citauimus *in dictis nostris Commentar. in extrauag. B. Pij V.* § 1. *q.* 50. quam conclusionem dupliciter limitauimus, nempè cum censum constituens vnum tantùm prædium habet in loco constituti census: cùm ex demonstrationibus expressis certo constet de re censui subiuganda: & quòd valeat census cõstitutio, licèt in instrumento census rei censuatæ fines non fuerint designati; dummodò aliundè constet de veritate impositionis census. Est tamẽ verum, quod prædicta finium expressio exigitur, attenta dispositione d. extrauag. secus autem inspecta natura cõtractus censualis: etenim potest census ex natura rei cõstitui super omnibus bonis, nulla re specialiter, aut certis finibus designata, vt constat ex *Bulla Nicol. V.* id expresse concedentis, vt adnotauimus *d. §. 1. q. 4. ampl.* 2. & *q.* 51. *sub num.* 4. Imò non est contra dispositionem prædictæ extrauag. constitutio cẽsus super pluribus rebus certis, ac determinatis. Non tamen, vt ibidem *q.* 3. probauimus si cõstituatur ea lege, vt vna, vel pluribus peremptis, totus census maneat super reliquis, vt *in d. q.* 4. vbi etiam ostendimus id non esse contra naturam census.

34 Dico vigesimosextò peccare Censualistam, pensiones ex contractu censuali inualido percipientem: quoniam emptor sic contrahens non facit fructus suos; siquidem ipse non amittit dominium pecuniæ datæ in pretium census: imò ipsum pretium ob inualiditatem contractus remanet apud venditorem, vt purum mutuum, vt nos ostendimus *in nostris Commentar. in extrauag B. Pij V. de censib.* § 3. *q* 20. vbi rem hãc ampliauimus, vt nec quidem à spontè dante eiusmodi pensiones percipi possint: ac etiam si emptor census solitus fuerit pecunias ad honestum lucrum ponere; quoniam adhuc tenetur perceptas pensiones ex inualido contractu census restituere, aut in sortem computare: eandem conclusionem multis alijs modis ampliauimus, ac limitauimus. Est tamen verum, quòd si contractus censualis esset nullus, non quia vsurarius, sed ex defectu alicuius solemnitatis necessariò requisitæ, vt quia fortè pretium census fuisset integrè solutum venditori, sed non in pecunia numerata, non fuit solutum coram Notario, & testibus, in ipso actu celebrationis instrumẽti, sed antea, tunc puto, quòd si quis percipiat ex ex tali contractu pensiones bona fide, putans eas percipere ex contractu licito, ac valido iuuatur triennali præscriptione, atq; ideò posset earum dominium eiusmodi præscriptione acquirere, vt ostendimus *d. § . 3. q.* 20. *sub num.* 15. 16. & 17.

35 Dico vigesimoseptimò peccare Censualistam solutionem pensionum plus debito exigens, si illud plus non computat in sortem principalem: etenim solutio pensionum facta plus debito extenuat sortem, vt *in l. si in sortem, in princ. ff. de condit. indeb. Franc. Pancald. in explic. Bullæ Nicol. V. de censib num.* 9. & alij à nobis citati in nostris *Commentarys in extrau. B. Pij V. de cẽsib.* § 21. *num.* 2. *cum plur. seq.* Vndè qui in Regnis Vtriusque Siciliæ censum emit ad rationem decem pro 80. cùm vi Bullæ Nicolai non potuerit illum emere minus, quam ad rationem decẽ pro singulis centum, pensiones exactas plus debito, tenetur in sortem computare, nec potest citra culpam incrementum illud sibi retinere, vt ibidem

ibidem adnotauimus, & *num.* 5. eandem conclusionem ampliantes ostendimus eam locum sibi vendicare, siue Censuarius scienter pensiones plus debito soluat; siue ignoranter, seu per errorem: & procedere, tam in foro externo, quàm interno: in quocunque censu consignatiuo, siue perpetuus sit, siue temporalis, redimibilis, vel irredimibilis, fructuarius, vel pecuniarius: ac denique veram esse, etiam in pretio remissi pignoris, vel hypothecæ, aut liberati correi. Limitauimus tamen conclusionem ipsam si solutio pensionum plus debito, fit in re minima: aut agatur de solutione pensionum plus debito in censu reseruatiuo.

36 Dico vigesimo octauò peccare Censualistam propria auctoritate accipientē sibi pensiones ex fructibus rei censuatæ, licèt Censuarius fuerit in mora soluendi. Etenim id citra scandalum, & rixas fieri non potest. Confirmatur, quoniam eo casu Censualista facit contra legem prohibentē, vt in *l. extat, ff. de eo quod met. causa*, vbi creditor, qui per vim pecuniam, vel rem sibi debitam propria auctoritate accipit, ius debiti perdit. Et denique Censualista iniuriam infert censuario, atque ideò peccat contra iustitiam. Hanc conclusionem ampliauimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib. §. 3. q. 23. num. 7.* locum sibi vendicare, etiam si in instrumento census esset Domino census permissum, vt sibi liceat perpetuum annuum censum exigere, & consequi ex fructibus, & prouentibus bonorum subiugatorum, constituaturque procurator in rē propriam, nam adhuc nequiret propria auctoritate pensiones ipsas accipere, sed tenetur perceptas censuario restituere. Est tamen verum, quòd hæc ipsa conclusio limitatur, vbi inter contrahentes fuerit conuentum, quòd si cēsuarius fuerit in mora soluendi annuos redditus, Censualista, & sic Dominus census sua propria auctoritate possit fructus rei subiugatæ capere in satisfactionem dictorum redditūum, vt ostendimus *d. q. 23. num. 13. cum seq.* Deberet tamen ipse Cēsualista ratione talis pacti pluris censum emere, cum sit pretio æstimabile. Vnde *Petr. de Gregor. in explic. Bulla Nicol. V. q. 7. num. 6.* quòd si in contractu censuali fiat pactum, quòd emptor exigat annuum redditum manu propria, & non manu ipsius debitoris, tale pactū esset pars pretij: eo quòd de natura cēsus annui est, quòd exigatur de manu debitoris, vt habetur per *Bart. in l. fundi Trebatij ff. de vsur. leg. & in toto tit. de ann. legat* atque ideò si census esset constitutus ad rationem decem pro quolibet centenario, ratione talis pacti non darentur in pretium centū, se tantùm 90 aurei, contra formam dictę Bullę, vt adnotauimus *d. q. 23. sub num. 9. & 10.* vbi eādem conclusionem alijs quoque modis limitauimus.

37 Dico vigesimononò peccare Censualistam via executiua agentem contra detinentem rem censui subiugatam iure familiaritatis: etenim quamuis Domini census via executiua agi possint pro consecutione annuorum redditūum, nō obstante quacunque exceptione, exceptis satisfactionis, & nullitatis, iuxta ea, quæ diffusè adnotauimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib. §. 3. q. 24.* nihilominus eiusmodi via non possunt agere contra possidentē rem censuatam iure familiaritatis, iuxta ea, quæ habentur ex *Paul. Castr. in l. qui iure familiaritatis, ff. de acquir. poss.* quem pro hac re citauimus *d. q. 24. sub num. 63.* & multos alios Doctores retulimus: siquidem possidentes iure familiaritatis non possident sibi, sed illi, cuius familiaritatis iure vtantur: eiusmodi esse ostendimus, hospitantes famulos, virum rem vxoris detinentē, & his similes. Quænam actiones competant Domino census pro consequendis annuis redditibus, latè explicauimus ibidem, *q. 25.* Et denique quomodo probatur solutio annuarum pensionum, vide ibi *q. 26.*

38 Dico trigesimò peccare Censualistam obligātem censuarium ad casus fortuitos contingentes tam rei censuatæ, si casu pereat in totum, vel pro parte, quàm fructus ipsius rei, siue casu infructifera omninò reddatur, siue pro parte. Etenim eiusmodi pacta omnino prohibentur fieri in cōtractu census per *extrauag. B. Pij V. de censib.* vt patet ex illis verbis: *Cōuentiones directè, aut indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus, &c.* Quibus verbis Rom. Pontifex non solùm annullat pacta obligantia ad casus fortuitos contingentes rei censui suppositæ, ita, vt licèt pereat; nihilominus teneatur censuarius soluere censum, siue pereat in totum, siue pro parte: sed etiam annullat pacta obligantia ad casus fortuitos contingentes fructibus ipsius rei, siue casu infructifera omninò reddatur, siue pro parte. Siquidem ad eiusmodi casus censuarius ex natura contractus censualis non tenetur: siquidem ex natura eiusdem contractus re censui subiugata in totum, vel pro parte perempta; aut in totum, vel pro parte infructuosa in perpetuum effecta, extinguitur census ad ratam in totum, vel pro parte, vt constat ex eadem *extrauag. in §. Postremò:* & Nos latè ostendimus in nostris *Commentar. ad ipsam extrauag. §. 4. & 5. q. 1. concl. 4 num. 23 cum plur. seq.* quam multipliciter ampliauimus, ac limitauimus. Imò *q. 2. ibidem, num 4 & seq.* probauimus, pactum de soluendis pensionibus annuis, si culpa debitoris census res censui subiugata pereat, aut infructuosa reddatur, vi dictæ extrauag. esse irritum: siquidem contra formam contractus censualis realis est, & contra eius naturam, vt ex eo pensiones percipiantur sine fundo, ac re censuata fructifera, vt *d. q. 1.* diximus. Limitatur tamen id, quod *d. q. 2.* adnotauimus, vt locum non habeat, vbi pactum fieret non de soluendis pensionibus, sed de restituenda sorte, ac de reficiendis omnibus damnis, expensis, & interesse ob casus cōtingentes rei censuatæ, aut fructibus eius culpa debitoris census; vel de supponendo censui aliam rem fructiferam, quæ sufficiat ad onus ferendum. Item ampliatur, & limitatur omnibus alijs modis, quibus ampliauimus, & limitauimus *d. concl. 4. q. 1.* His adde, quæ infra dicemus dicto 37.

39 Dico trigesimoprimò peccare Censualistam obligantem censuarium ad non alienandam rē censui suppositam. Etenim irrita redditur obligatio eiusmodi per *d. extrauag. B. Pij V. de censib.* in illis verbis: *Quemadmodum, nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, &c.* Et Nos rem hanc latè decla-

declarauimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag.* §.4.q.3. Imò tale pactum illicitum esse ex natura rei ibidem ostendimus, *num 6.* nisi ratione talis pacti augeatur pretium census, vbi etiam *num.* 9. probauimus, multò magis vi d. extrauag. censeri irritum pactum, de quo agitur, si addatur, vt secuta alienatione rei censui subiugatæ in totum, vel pro parte, emptor census possit agere ad rescissionem contractus, & cogere censuarium ad restitutionem sortis. Etenim eiusmodi pactum per indirectum impedit liberam facultatem alienandi rem ipsam censui suppositam, quod in d. extrauag. omninò damnatur, in illis verbis: *Directè, aut indirectè, &c.* Et Nos ibidem multipliciter conclusionem ampliantes, & limitantes. Et *q* 4. cōclusimus pariter, eiusmodi pactum irritari, non autem irritare contractū ipsum censualem, vi præfatæ extrauag. Imò vi eiusdem extrauag. irritum censeri probabiliter diximus pactum, vt debitor census non possit vendere rem censuatam citra dòmini census cōsensum: sicut, & pactum se habens, quòd si Dominus rei censui suppositæ illam vendat alteri, quàm Domino census, licitum sit eidem Domino pro certo pretio inter eos conuento retrahere, & eximere, vt in *d. §.4 q.5.* diximus, quamuis quoad hunc casum contrariam sententiam censeamus probabilem. Sicut validum dicimus pactum de non alienando rem censuatam in aliam personam, quàm in Dominum census, vt ibidem *q.6.* declarauimus.

40 Dico trigesimosecundò peccare Censualistā obligantem censuarium morosum in soluendis pensionibus ad interesse lucri cessantis. Etenim vi extrauag. B.Pij V. omninò prohibetur pactū obligans morosum census debitorem ad solutionem lucri cessantis, vt constat ex eiusdem verbis, ibi: *Pacta continentia, morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, medio iuramento creditoris liquidandas, &c.* Imò *Gasp. Roder. in suo tract. de ann. redd. lib.3. q. 8. sub num. 22.* huiusmodi pactum, inquit, esse iniquū: siquidem pensio annui redditus est accessio sortis; & interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, est etiam accessio accidentalis, & extrinseca at accessio accessionis non datur; quoniam iniquum est duplicem accessionem accipere, tū in vsuris, vt in *l. fin. C. de vsur.* tùm quoque in fructibus, *l. nec eorum*, & ibi, *Bart. C. eod.* Hanc eandem sententiam docet *Boccac. par. 1. de censib. num. 9. & 59. & Cenc. eod. tr. par. 2. q. ar. 5. num. 6.* & re vera probabilis est. Cæterùm probabilior nobis videtur opinio, *Azor. par. 3. inst. moral. lib. 10. de censib. cap. 13. q. 1. & Scacc. de commerc. & camb. § 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. num. 293.* quos Nos retulimus, & secuti fuimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. §. 4. qu. 23. sub nu. 8.* dicentium, Rom. Pontific. in d. extrauag. prohibere generaliter pactum obligās morosum census debitorem ad interesse lucri cessantis, etiam si huiusmodi interesse de iure sit licitum, iustum, determinatum, & indeterminatū. Et id vt euitentur fraudes, & præcidatur vsurarū occasio, quæ per talia pacta palliari solent. Confirmauimus alia ratione opinionem hanc, & multipliciter ipsam ampliauimus, ac limitauimus. Est tamen verum, quòd eiusmodi pacta, licèt irritentur, non tamen irritant contractum, vt *d. q. 23. num. 14.* ostendimus: & propterea attenta hac secunda sententia excusarem sic contrahentes à lethali culpa. Ad contraria denique iàm fuit responsum in præfata *q. 23.* vbi etiam *q. 24 num. 3.* censuimus, pactum de reficiendo interesse damni emergentis, per prædictam extrauag. non esse damnatum: sicut damnatur pactum de interesse cambij, ac certis expensis, ac salarijs, de quibus omnibus egimus ibidem *qu. 25. & 26.*

41 Dico trigesimotertiò peccare Censualistam obligantem morosum census debitorem ad pœnam commissi, idest in casu moræ in soluendis annuis pensionibus, res censui subiugata sit in totum, vel pro parte ipsius Censualistæ in satisfactionem pretij. Etenim eiusmodi pactum, nō solùm est contra d. B. Pij V. extrauag. vt patet ex eiusdem verbis, ibi: *Aut rem censui subiectam, seu aliquam eius partem amittere, &c.* Sed est contra ius naturale, ac Diuinum. Pœna enim debet commensurari delicto, aliàs iniusta erit, vt in *l. rescriptum, ff. his, quibus vt indign. & l. Paulus respondit, ff. ad Senatusc. Trebell.* Ita *Molina de contr. disp. 390. sub num. 12.* & alij quamplurimi, quos retulimus in nostris *Commētar. ad d. extrauag. B. Pij V. §. 4. q. 27. & 28. sub nu. 4.* quibus locis de hac materia fusiùs egimus, vbi etiam *q. 29.* tractauimus, an valeat pactum obligans morosum census debitorem ad restitutionē pretij, & sic ad rescissionem contractus: & *q. 30.* an sit irritum pactum contra morosum census debitorem, vt in casu moræ, liceat Domino censūs à re cēsuata fructus propria auctoritate percipere. Non tamen vi dictæ extrauag. prohibitū censetur pactum, quo venditor census se subijcit censuris Ecclesiasticis in casu moræ in soluendis pensionibus: nec Censuarius prohibetur ad se obligandum in forma Cameræ pro soluendis pensionibus annuis, vt ostendimus ibidem *qu. 31. & 32.*

42 Dico trigesimoquartò Censualistam obligātem censuarium in casu moræ ad soluendum sibi duplicatam pensionem facere contra *extrauag. B. Pij V. de censib.* vt patet ex illis verbis: *Aut in aliquam pœnam cadere.* Non tamen pœna dupli est prohibita in alijs contractibus, & in censu in locis, in quibus d. extrauag. non est in vsu, vt adnotauimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. §. 4. q. 34.* vbi etiā *q. 33.* ostēdimus esse licitum pactum, quo quis obligatur ad carceres in casu moræ: aut vndè soluebatur census ad rationem quinque pro singulis centū, in pœnam moræ Censuarius soluat ad rationem sex; dummodò pensio illa ad rationem quinque sit minor, quàm census vendi solet, vt in eodem §. adnotauimus, *q. 35.* Cæterum in omnem euentum, quòd aliquid percipitur nomine pœnæ à moroso census debitore per Dominum census contra formam dictæ extrauag. licèt veniat restituendum in foro exteriori, non tamen restituendum est in foro conscientiæ, si perceptum illud erit moderatum, & venditor census fuit in culpa soluendi pensiones. Vndè in terris, in quibus dispositio dictæ extrauag. non seruatur, dicta pœna, vt supra moderata, & culpa debitoris contracta, & recepta in neutro foro venit restituenda, vt diximus ibidem, *q. 36.* Dixi, *Culpa debito-*

bitoris contracta, quoniam in foro conscientiæ, si venditor census fuit in mora soluendi pensiones annuas, eo quòd non potuit, excusatur à pœna: siquidem pœna constituta in debitorem morosum in foro conscientiæ præsertim non debetur, si debitor creditori non satisfecerit, eo quòd fuerit non soluendo: quoniam pœna imponitur propter culpam; ergò vbi culpa non est, non habet locum pœna, vt rectè *Azor.* post alios *p. 3. Inst. moral. lib. 10. cap. 13. q. 5.* & nos hanc rem fusiùs declarauimus *eod §. 4. q 7. concl. 1. lim. 1. & q. 34. sub num. 5.*

43 Dico trigesimoquintò Censualistam facere contra *extrauag. B. Pij V. de censib.* mediante pacto, obligantem Censuarium in casu moræ ad augendum censum, aut nouum creandum super eadem re censui supposita, vel super alia re censui supposita, vel super alia re in fauorem emptoris, vt patet ex *d. extrauag.* in illis verbis, *Imò & censum augeri, & nouum creari super eadem re, vel alia, in fauorem eiusdem, aut persona per eũ supposita pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri omninò prohibemus.* Licèt enim ipsa *extrauag.* videatur prohibere augeri censum, & nouum creari pro pensionibus elapsis, aut futuris; re vera tamen intentio Romani Pontificis fuit prohibere pactum obligans Censuarium in casu moræ ad augendum censum, aut nouum creandum super eadem re censuata, vel super alia in fauorem emptoris: siquidem hæc verba intelligenda sunt secundùm præcedentia, & subsequentia eiusdem *extrauag.* Vndè cùm in præcedentibus verbis, & in subsequentibus prohibeantur pacta, censentur etiam eo loco prohiberi pacta, iuxta ea, quæ habentur per *Bart. in l. 1. num. 17. C. de nouo Cod.* atq; ideò cùm dispositio *d. extrauag.* loquatur tantùm de pactis, quibus census augeantur, & de nouo creentur ex pensionibus non solutis, non extenditur ad census, qui augentur, vel de nouo creantur ex pensionibus iam solutis, si Censualista de nouo numeret Censuario coram Notario, & testibus, &c. vt habetur ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, num. 94. 14. q. 3.* & ex alijs, quos citauimus *in nostris Commentar. ad prædictam extrauag. §. 4. q. 37. num. 5.* Imò pactum de augendo cẽsum, & nouo creando ex pensionibus præteritis, vel futuris, quamuis vi *d. extrauag.* sit prohibitũ; attamen cùm nec iure naturali, nec communi sit damnatum, in Terris, in quibus non est vsu recepta supradicta *extrauag.* passim fit in contractu censuali, vt ibidem ostendimus, *q. 38. per totam.*

44 Dico trigesimosextò peccare Censualistam obligantem Censuarium ad soluendum onera, quæ aliàs de iure, & ex natura contractus ad eũ non spectarent. Siquidem vi d. extrauag. irrita declarantur eiusmodi pacta, vt constat ex illis verbis: *Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de iure, & ex natura contractus non spectarent.* Pro cuius rei explicatione est adnot. quòd licèt multi velint, dictam extrauag. loqui de oneribus tam publicis, quàm priuatis; nobis tamẽ probabilior videtur opinio eorum, qui volunt de oneribus publicis dumtaxat, vt nos declarauimus *in nostris Commentar. ad ipsam extrauag. §. 4. q. 39.* ex cuius determinatione nonnulla corollaria deduximus, & rem ipsam sufficienter explicauimus. Et quoniam eiusmodi pacta non sunt contra ius naturale, nec contra substantiam contractus, idcirco vi præfatæ extrauag. irritantur, non autem irritant ipsum contractum censualem: atq; ideò in Terris, in quibus non est vsu recepta d. extrauag. pacta eiusmodi sustinentur in vtroq; foro, vt *in d. §. 4.* ostẽdimus *q. 40.* Idẽ dicẽdũ est de pacto soluendi censum liberũ, & exemptum ab omni onere, vt ostendimus ibidẽ *q. 41.* vbi etiam *q. 42.* probauimus, pactum obligans venditorem census ad renunciandum proprio foro, & ad subijciendum se alteri, non esse contrarium prædictæ extrauag dispositioni.

45 Dico trigesimoseptimò peccare Censualistam obligantem Censuarium ad soluendas pensiones cẽsus realis, etiam re perempta in totum, vel pro parte. Id enim non solùm est contra *extrauag. B. Pij V. de censib.* vt patet ex illis verbis: *Census omnes in futurum creandos, non solùm re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa, in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire; sed etiam posse pro eodem pretio extingui.* Sed etiam est cõtra naturam census realis: siquidem pugnat censum realem dari sine re, cui cõstituatur, vt latè nos ostendimus *in nostris Commentar. ad d. extrauag. §. 5. q. 1. num. 15. cum plur. seq.* Est tamen verum, quòd si census fuerit constitutus super omnibus eius bonis, rebus, ac iuribus; vel super vna re specialiter, & generaliter super omnibus alijs bonis, quamuis vi præfatæ extrauag. & Bullæ Gregor. XIII. sit irritus, nihilominus attenta natura contractus cẽsualis, eiusmodi census est validus, vt probauimus *d. q. 1. concl. 3. num. 29.* Imò quamuis pactum, quòd re extincta non extinguatur census sit contra eiusdem substantiam; nihilominus non esset cõtra substantiam talis contractus pactum, vt extincta re censui subiugata in totum, vel pro parte, census censeatur impositus super alijs bonis subiugantis. Siquidem attenta natura rei census constitui potest super vna re, & in defectum super omnibus bonis, super pluribus rebus, & super omnibus bonis generaliter, vt latè de hac re egimus *in dictis nostris Commentar. §. 1. q. 4. & §. 5. d. q. 1.* Vndè in Terris, in quibus non est recepta dispositio præfatæ extrauag. huiusmodi pacta sustinentur, vt *in d. q. 1. num. 25.* sufficienter rem hanc explicauimus. Adde quòd re pro parte perempta, si altera pars fructus afferat sufficientes ad solutionem totius census, totus census debetur, vt ibidem diximus *quæst. 2.* Sic est dicendum de diruta domo censui subiugata, & reædificata à domino; quoniam adhuc census in totum remanet extinctus, vt latè probauimus *d. §. 5. q. 3. per totam.*

46 Dico trigesimo octauò, peccare Cẽsualistam obligantem Censuarium ad soluendas pẽsiones annuas re infructuosa effecta in totum, vel pro parte: id enim non solum est contra *d. extrauag. B. Pij*, in illis verbis: *Aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, &c.* Sed etiam est contra naturam, ac substantiam census consignati realis: siquidem census constitutio fit ratione, ac contemplatione fructuum rei censuatæ, vt latè de hac re egimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. §. 5. q. 4. conclus. vnica*, eandem multipliciter ampliantes, ac limitantes, & quamplurima

rima

tima quoq; cumulauimus *§.1.q.42.& 48.*

47 Dico trigesimonono, peccare Censualistam recusantem retrouendere censum eodem pretio Censuario eiusdem redemptionem petenti: id enim est contra *extrauag. B. Pij V. de censib.* in illis verbis, *Sed etiam posse pro eodem pretio extingui, &c.* Etenim censum extinguere pro eodem pretio idem est, quod censum redimere: census autem redemptio exigit retrouenditionē ad fauorem debitoris census, qui redimitur per actum retrosimilem cum effectuali sortis restitutione, vt *in d. extrauag. Commentar.* declarauimus, *§.5.q.5.* vbi etiam *q.6.* ostendimus, quòd quamuis attēta *disp. d. extrauag.* census nō possit redimi, nisi eodem pretio; tamen pactum de redimendo censum maiori pretio per eandem *extrauag.* non reprobari probabiliter dici potest: siquidem Rom. Pontifex in statuendo censum extingui eodem pretio vtitur verbo, *Posse*, inquiens, *Sed etiam posse pro eodem pretio extingui*, quod verbum liberam facultatem importat, vt *in l. sæpè, ff. de offic. Præsid.* ergò saltem concurrente voluntate vēditoris census per præfatam *extrauag.* non prohibetur censum extingui maiori pretio; atq; ideo vi *d. extrauag.* non prohibetur fieri pactum tempore celebrati contractus de redimēdo censum maiori pretio, quā fuerit constitutus; dummodò ratione talis pacti augeatur pretium cēsus. Est tamen verum, quòd vi *Bulla Nicolai V. de censib.* expressè constituitur, vt emptor in retrouenditione census vltra pretium solutum pro eius emptione non possit aliquid petere, vel habere, & similiter venditor nō possit emptori vltra dare, nec spontè, nec mediante pacto, vt habetur *ex Foller. de censibus, vers. Nihil vltra num. 1.* qui *num. 15. & seq.* quamuis velit non vitiari totum contractum; nihilominus contrarium putat verius *Roder. lib. 2. de ann. reddit. q. 1. num. 20.* quos nos retulimus *d. q.6. sub num. 8.* vbi *num. 9.* diximus quoque citra omnem cōtrouersiam esse, quòd si nullum adsit pactum de soluendo maiori prētio tēpore redemptionis census, & venditor census velit eundem redimere eodem pretio, emptor cēsus non solùm *in d. Nicol. V.* sed etiam inspecta dispositione præfatæ *B. Pij V. extrauag.* non potest aliquid vltra petere, quàm pretium solutum tempore celebrati contractus: nec venditor tenetur illi aliquid aliud tribuere, siue vna vice redimat, siue pluribus vicibus, exceptis censibus decursis vsq; in illam diem.

48 Illud autem nolo hic esse silentio prætereundum, quod *in d. q. 5. num. 11.* adnotauimus, nempè quòd quamuis communi iure, exceptis supra relatis *Constitutionib. B. Pij V. & Nicolai V.* nō prohibeatur censum extingui maiori pretio, quā fuerit constitutus; nihilominus inspecto naturali iure, non potest absolutè, ac simpliciter fieri pactum de redimendo censum maiori pretio, vt supra; nisi eiusmodi pactum cum alio pacto pariter oneroso emptori census compensetur: aut si in locis, in quibus pretia censuum propter variā pecuniæ abundantiam, vel penuriam mutantur in plus, & minus, ita vt æquale sit periculum cōtrahentium. An autem pretium census sit reddēdum in eius redemptione, in pecunia prout valet tempore redemptionis, vel vt valebat tempore celebrati cōtractus, latè rem hanc explicauimus *d. §.5.q.7.* Est tamen verum, quòd pretium census in eiusdem redemptione reddi potest in alia re, quàm in pecunia numerata, per solam pretij acceptationem, & compensationem; dummodò concurrat Domini census consensus; aliàs eius non concurrente consensu, redemptio census nō potest fieri in alia re, quàm in pecunia numerata, vt diffusè de hac re egimus *d. §.5 q.8.*

49 Dico quadragesimò peccare Censualistam recusantem retrouendere censum pro parte; sed volentem, redimi totum, vbi nullum fuit initum pactum de redimendo censum totum simul, vel per partes. Est enim contra ius commune, vt debitor non liberetur à parte debiti, si soluat partem, vt *in l. si stipulatus, §. qui decem, ff. de solut.* vbi habetur quòd qui decem debet, partem soluendo liberatur. Confirmatur ex *tex. in l. fin. C. de apoch. publ. lib. 10. & l. placuit, C. de collat. fun. patr.* vbi debitor Reip. soluendo partem debiti adeò ab ea liberatur, vt exceptio non numeratæ pecuniæ contra illum, opponi non possit. Præterea id est contra *extrauag. Mart. V. & Calix. III. 1. & 2. de empt. & vendit.* vbi decernitur, venditorem census in eius redemptione posse restituere partem pretij illius ad liberandum se pro rata ab eiusdem solutione, vt patet ex illis verbis: *Quod ipsi pro rata, qua huiusmodi per eam receptam dictis ementibus restituerent in toto, vel pro parte pecuniam.* Imò id esset contra *extrauag. B. Pij V. de censib.* dum ait: *Postremò census omnes in futurum creandos, nō solùm re in totum, vel pro parte perempta, vel infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratā perire; sed ēt posse pro eodē pretio extingui, &c.* Siquidē S.P. sicut decreuit cēsū perire, & extingui in totū, vel pro parte cēsuata in totū, vel pro parte perēpta, aut infructifera reddita, ita quoque censetur decreuisse, quòd in casu extinctionis, & redemptionis census possit in totum, vel pro parte extingui, si totum, vel pars pretij soluatur. Denique hoc probatur ratione, quoniā obligatio de dando quantitatem de sui natura est diuidua, ac etiam effectu, ita vt præstatio partis liberet debitorem à solutione illius quoad illam partem, vt est *tex. & ibi Bart. in l. 2. §. & harum, ff. de verb. obligat.* ergò idem dicendum in casu, de quo agitur, cum obligatio eiusmodi sit dandi quantitatem, atque ideò diuidua, vt nos ostendimus *in nostris Commentar. ad d. extrauag. §. 5. q. 16. concl. 6. sub num. 20.* vbi multa pro hac re fusiùs cumulauimus, vbi etiam *q. 17.* explicauimus quæstionem illam, in qua quæritur, an debitor census possit petere integram totius census redemptionem ab vno ex hæredibus relictis ab eiusdem census emptore: & *q. 18.* determinauimus quoque difficultatem, in qua controuertitur, an si plures fuerint census emptores, debitor census possit redimere partem vnius tantùm, restituto pro ea parte pretio. His adde, quæ diximus *d. §. 5. q. vlt.*

50 Dico quadragesimo primò peccare Censualistam recusantem retrouendere censum Tertio volenti illum redimere, nec aliud expostulanti, quàm eiusdem redemptionem. Siquidem soluere pro ignorante, & inuito cuique licet, vt *l. soluere, l. si pro me, l. qui decem, §. 1. ff. de solut. & l. cum eo postliminij, C. de capt.* Rationem autem hanc esse ait *tex. in d. l. soluere*; quòd licet etiam igno-

ignorantis, inuitiq; meliorem conditionem facere. Si igitur solutio pro alio etiam ignorante, ac inuito licita est, licita quoque erit solutio pretij census in extinctionem eius pro Censuario. Pro hac eadem re extat decisio Rot. Rom. quam nos retulimus *in nostris Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib.* §. 5. *q.* 23. *sub num* 5. vbi diffusè rem ipsam explicauimus, & ostendimus conclusionem ipsam obligare tam in foro interno, quàm externo, cùm sit iuri naturali valdè cõsentanea: & eò magis si volentes census redimere sint correi, aut fideiussores, vt ibidem declarauimus *concl.* 3. Dixi: *Nec aliud expostulãti, quàm eiusdem redemptionem*; quia tertius volens censum redimere, si vltra illius redẽptionem intenderet sibi à Domino census fieri cessionem iurium, non debet audiri, nec admitti ad redemptionem census, vt *in d. q.* 23. *concl.* 2. *nu.* 25. probauimus, vbi etiam *q.* 24. censuimus non solùm censualistam cogi posse ad reuendendum censum; sed etiam maritus, cui fuit ab vxore datus census in dotem: & *q.* 25. idem diximus de hærede grauato fideicommisso cum expressa prohibitione alienationis: is enim cogi quoque potest ad reuendendum censum.

51 Dico quadragesimosecundò peccare emẽtem censum pro alio, & eundem reuendentem citra mandatum eius, cuius nomine fuit emptus: siquidem mediante stipulatione Notarij acquiritur dominium census ei, pro quo emitur, etiam ante ratificationem aliquam, vt cõsuluit *Rolan. cons.* 19. *num.* 17. *& 22. lib.* 1. cum alijs à nobis cumulatis in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib.* §. 5. *q.* 26. vbi hanc conclusionem ampliauimus, vt locum sibi vendicet etiam si census fuerit emptus alieno nomine ex pecunia ementis. Adde hic, quòd si census peruenerit ad manus plurium, tunc primus venditor census vigore pacti de retrouendendo potest agere contra secundum, & tertium emptorem ad retrouẽdendum ipsum censum, ut habetur ex *Boer. decis.* 182 motus ex eo præcipuè, quod in instrumento pacti de retrouendẽdo solet communiter apponi hypotheca, & obligatio omnium bonorum, cui non præscribitur, nisi spatio quadraginta annorum, *l.* 1. §. 1. *C. de ann. except.* Hanc eandem opinionem docent *Cenc. de censib. par.* 3. *cap.* 1. *q.* 3. *ar.* 7. *num.* 27. & alij, quos nos citauimus *d.* §. 5. *q.* 27.

52 Dico quadragesimotertiò peccare Censualistam, facta redemptione census in aliqua parte anni, exigentem pensionem integram totius anni: etenim eo casu venditor census non tenetur ad solutionem pẽsionum totius anni; sed tantùm pro rata temporis; aliàs ipse venditor non posset liberè quandocumque vellet censum redimere contra dispositionem *extrauag. B. Pij V. de censib.* cùm inchoato anno à die illius constitutionis non posset absque dispendio pensionis totius anni, infra annum censum redimere. Ita *Couar. lib.* 1. *var. resol. cap.* 15. *num.* 10. & alij, quos nos citauimus in dictis nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib.* §. 5. *q.* 28 vbi conclusionem hãc multipliciter ampliauimus, & limitauimus, vbi etiam *q.* 29. ostendimus, quòd census dominus, si illum nonnullis personis obliget, & deinde redimatur, obligationes omnes resoluuntur: sicut redempto censu, vel aliter resoluto, super quo alius census fundatus fuit, resoluitur census super eo fundatus, vt probauimus *eod.* §. *q.* 30. Qualiter autem probetur redemptio seu extinctio census. Vide ibidem *q.* 31. vbi latè de hac re tractauimus. Et an alijs modis, quam per redemptionẽ census extinguatur. Vide in eodem §. *q.* 33. *&* 34.

53 Dico quadragesimoquartò peccare Censualistam obligantem venditorem census, vt infra certum tempus censum redimere non possit; post illud verò tempus possit, si ratione talis pacti non augeatur pretium census. Siquidem eodem pretio venderetur census redimibilis, ac irredimibilis, cùm census irredimibilis communiter vendatur duplo pluris, quàm census redimibilis: Est enim pactum de retrouendendo onus, & grauamen emptoris, & non reddit tantum pretium, quantum dedisset pro censu irredemibili, ac perpetuo, vt constat ex cumulatis per *Salon. de contr. ar.* 3. *de censib. contr.* 20. *sub num.* 1. *vers. Cæterum, & contr.* 21. *sub num.* 1. *vers. Secundò pactum*, & Nos latè de hac re egimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib.* § 5. *q* 40. vbi multipliciter hanc cõclusionem ampliauimus, ac limitauimus, vbi etiam *q.* 41. damnauimus pactum, quo obligatur censuarius, vt possit censum redimere intra certum tempus, & interim creditori tradat fructus certi fundi, percipiendos loco redituum; ita vt si infra id tempus non redemerit, prædium ad creditorem spectet: huiusmodi enim pactum inuoluere nonnulla turpia, ibidem ostendimus, *nu.* 3. *& seq.*

54 Dico quadragesimoquintò peccare Censualistam obligantem censuarium censum redimere. Pactum enim, quo obligatur vendens censum ad illum redimendum ad libitum emptoris est omninò illicitum, non solùm ex vi dispositionis *extrauag. B. Pij V. de censib.* in illis verbis: *Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum ab initio, aut ob pœnam, aut ob aliã causam repeti posse omninò prohibemus*; Sed etiã attenta natura contractus censualis redimibilis: siquidem huiusmodi obligatio facit transire cõtractum censualem in contractum, & proinde pensiones ex eo percipiens, cùm dicatur eas percipere ex mutuo vsuram committit, vt habetur ex *Nauar. in cap. si fœneraueris, num* 72. 14. *q.* 3 *Couar lib.* 3. *var. resol. cap.* 9. *nu.* 4. & ex alijs, quos retulimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. B. Pij V.* §. 5. *q.* 42. *nu.* 4. *&* 9. vbi *nu.* 11. ob hanc rationem volunt pensiones perceptas ex tali contractu, esse restitutioni obnoxias, aut cõputandas in sortem principalem. Est tamen verum, quòd quamuis vi *d. extrauag B. Pij V. de censib.* damnatum sit pactum, de quo agitur; etiã si ratione talis pacti augeatur pretium census consignatiui, in quo apponitur; nihilominus ex natura rei licitum est dictum pactum, si ratione talis pacti pretium augeatur. Etenim hoc casu contractus eiusmodi non esset mutuum; sed vera, ac formaliter emptio, ac venditio iusto pretio celebrata; quoniam totum commodum, periculum, & damnum census ad emptorem pertinet: res enim censuata si in totum, vel pro parte pereat, ipse quoque census in totum, vel pro parte extinguitur: at mutuatarius in omnem euentum restituere mutuum compellitur, vt ostendimus

d. q. 42.

d. q 42. *num.* 16. eiusdem conclusionem multipliciter ampliantes, ac limitantes. Quibus denique casibus possit Censualista cogere censuariũ ad redimendum censum, latè diximus in d. nostris *Commentar. §.6.q.14.*

55 Dico quadragesimosextò peccare Censualistam obligantem Censuarium ad dandam sibi rem censuatam in pignus fruendam vsque ad quantitatem redditus, donec census redimatur, vt absque omni periculo, ac dilatione annuas pensiones percipiat: id enim est illicitum, quoniam per indirectum inducit quandam necessitatem redimendi censum contra dispositionem extrauag. B. Pij V. Mart. V. & Calisti III. vt habetur ex *Gasp. Roder. de ann redd. lib. 2. q. 11. & Cenc. de censib. par. 2. cap. 1. q. 3. ar 8. num. 43.* quos Nos retulimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. B. Pij V. §. 5. q. 43 nu. 5.* quorum tamen sententiam limitauimus *num 6. & 7.* veram esse, attento naturali iure, ac communi, quando ratione talis pignoris percepti non augetur pretium census ad arbitrium boni viri, cùm securitas illa, & perceptio annuorum redditu um propria auctoritate, ac carentia possessionis fundi subiugati venditori census sint pretio æstimabiles: Secus autem dicendum videtur si ratione talis pignoris percepti augeatur pretium census, & concurrant aliæ conditiones, quas supra retulimus dicto 8. quoniam tunc eiusmodi contractus erit licitus, attento iure naturali, atque ideò validus in foro conscientiæ in terris, in quibus est vsu recepta d. extrauag. B. Pij V. Et in terris vbi dispositio illius extrauag. non seruatur, est validus in foro, tum interno, tum etiam externo. Est tamen verum, quod Censualista recipiens pignora pretiosa à censuario, nempè aurea, & argentea æquiualentia sorti principali: aut faciens pactum de illis recipiẽdis, citra vllã spem lucrationis, illicitè contrahit, & si illis vtatur impedit pensionum cursum, vt probauimus *dict. §. 5. q. 44.* Non tamen de iure naturali erit illicitum pactum, quòd prædium censui subiugatum intelligatur locatum Domino census, ita vt non possit reuocari locatio, donec census redimatur, si ratione talis pacti pretium augeatur; atque ideò etiam in terris, in quibus seruatur d. extrauag. B. Pij V. talis contractus erit validus, quoad forum conscientiæ: & in terris, in quibus non seruatur, erit validus, tam quoad forum internum, quàm externum, vt adnotauimus, *dict. §. 5. q. 45.*

56 Dico quadragesimoseptimò peccare Censualistam obligantem censuarium ad non alienandam rem censuatam, nisi facta redemptione cẽsus. Est enim eiusmodi obligatio contra dispositionem *extrauag. B. Pij V. de censib.* Et si talis obligatio non compensetur cum augmento pretij est etiam contra iustitiam, cum per dictam obligationem super additam emit censum minus iusto pretio; atque ideò culpam contrahit. Non tamen attenta natura contractus censualis, talis obligatio est illicita, si ratione talis obligationis augeatur pretium census ad arbitrium boni viri; quoniam tunc iusto pretio dicitur emi; atque ideò in terris vbi seruatur dicta extrauag. saltem quoad forum conscientiæ validus erit talis contractus: & in terris, in quibus non seruatur, erit licitus in vtroque foro, vt adnotauimus *d. Commentar. ad eandem extrauag. §. 5. q. 46. per tot.* Idem dicendum est de pacto, obligante censuarium ad census redemptionem si fideiussores, vel fundum certo tempore nõ renouauerit. Licet enim eiusmodi pactum sit cõtra dispositionem *d. extrauag. B. Pij V. de censib.* nõ tamen est illicitum, attẽta natura contractus censualis, vt Nos declarauimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. §. 5. q. 47.* Verum tamẽ est, quòd *Salon. de contr. ar. 3. de censib. sub nu. 8. concl. 4.* inquit, quòd quando res censui subiugata sufficit secundum se ad constituendum censum, quamuis non reddat censum illum omninò securum, quin probabiliter periculum, aut damnum formidetur; nihilominus non potest censuarius absolutè, ac simpliciter ad aliam hypothecam, cùm de nouo post aliquod præfinitũ tempus conferendam; sed adhoc dumtaxat, vt quotiescunque illa euincatur, aut perierit, teneatur censuarius in illius locum aliam subrogare. Ergo idem videtur dicendum de fideiussoribus subrogandis. Cæterùm, si Censualista, ne à Cẽsuario circumueniatur tempore celebrationis contractus censualis fideiussores exigat, id diximus ibi *num.* 5. non esse contra præfatam extrauag. aut alterius iuris. Sic etiam contra extrauag. ipsam non est pactum, quòd si contingat censum redimi, pretium illius debeat reinuestiri in emptionem bonorum stabilium, aut aliorũ censuum pro conseruatione illius: non enim eiusmodi pactum restringit facultatem redimẽdi censum, vt in *d. §. 5. q.* 48 declarauimus.

57 Dico quadragesimo octauò peccare Censualistam obligando censuarium ad reddendam eandem speciem monetæ tempore redemptionis census, si eo tempore certò sciat, aut probabiliter crederet pecuniam esse augendam. Etenim hoc casu non diceretur census redimi eodem pretio, quod est contra *extrauag. B. Pij V. de cẽsib.* Et contra iustitiam; atque ideò si tale pactum non compensetur augendo pretium census, contractus esset iniustus, vt ostendimus in nostris *Commentar. ad d. extrauag. §. 5. q. 49.* Idem dicendum est de pacto, vt Censuarius ius redimẽdi cedere non possit, vt habetur ex *Mastrill. in addit. ad Petr. de Gregor super Bull. Nicol. V. q. 7. sub nu. 40.* Siquidem per eiusmodi pactum tollitur libera redimendi facultas, quæ vi d. Bullæ in contractu censuali expostulatur. Hanc eandẽ sententiam Nos sequuti fuimus *d. §. 5. q. 50.* vbi *num.* 2. ipsam limitauimus, vt procedat, quando simpliciter fit pactum, vt ius redimendi non possit alteri cedi, seu vendi: secus autem si fiat pactum, vt volente ipso Censuario dictum ius cedere, ac distrahere, teneatur cedere, ac vendere potius ipsi Censualistæ, quàm alteri: tunc enim ostẽdimus licitum esse eiusmodi pactum ex ijs, quæ docet *Foller. in sua praxi cens. in vers. Instrumento gratia, num. 64. in fin.* & facit *tex. in l dudum, de contr ah. empt.* Non tamen ita dicẽdum est de pacto, quo obligatur Censuarius in casu redemptionis census soluere quicquid soluerit in gabellis, vt patet ex *l. debet, in fine, ff. de edil. edict.* & Nos adnotauimus *d. §. 5 q. 51.*

58 Dico quadragesimononò Censualistam contrauenire *extrauag. B. Pij V de censib.* obligando censuarium ad denunciandam ipsi futuram illius redemptionem per trimestre, vel semestre

 antea

ante: non enim obligatur Censuarius dictam denunciam Domino census facere, nisi per bimestre ante, vt patet ex eiusdem extrauag. verbis, ibi: *Volumus per bimestre ante id denunciari, cui pretium dandum erit, &c.* Potest tamen eiusmodi pactum iustificari, attenta natura contractus, si ratione talis pacti census pretium augeatur, vt in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V de censib.* §. 6 *q.* 1. adnotauimus, vbi etiam *q.* 2. *&* 3. ad impediendum cursum pensionum, denunciationem diximus debere esse iudicialem à iudice censuarij expedita citatione, quem potest adire non modo per se, sed etiam per procuratorem: sicut denunciatio satis est si fiat Censualistæ, vel eius procuratori, qui facultatem habeat ad vendendum, & reuendendum censum, vt ibidem ostendimus *q.* 4. *&* 5. Benè verum est, quòd ad impediendum cursum annui redditus non est satis præfata denunciatio: imò nec pretij census oblatio realis, sicut nec eius pensionum prætermittarum, sed omninò exigitur earum consignatio, seu depositio, vt patet ex *l. acceptam C. de vsur & in l. si pro te, C. eod.* quam sententiam communem esse, testatur *Gasp. Roder. lib.* 2. *de ann redd. q.* 15. *num.* 56. & Nos fusiùs *d.* §. 6. *qu.* 6. vbi contraria euacuauimus. Depositum autē pretij, & pensionum præteritarum qualiter sit faciendum in contumaciam Domini census, ad impediendum annuorum redditum cursum, latè explicauimus eodem § 6 *q.* 7. *&* 8. vbi etiam *q.* 9. Egimus de ipso deposito, an si pereat, census Domino pereat, an potius deponenti. Et *q.* 10. *& seq.* an eo casu cogi possit censuarius ad redimēdum censum, facta denunciatione pro redemptione census.

59 Dico quinquagesimò peccare Censualistam obligantem Censuarium ad ea, qua sunt contra substantiam contractus censualis: nam eiusmodi obligationes, & pacta vitiantur, & vitiant totū contractum; atque ideò ex eiusmodi contractibus pensiones percipiens non solùm peccat, sed earum est restitutioni obnoxius, vt ostendimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V.* §. 6. *q.* 15. vbi diffusè egimus de pactis, quæ vitiantur, & non vitiant contractus censuales: & de pactis, quæ vitiant, & vitiantur. Et *q.* 16 tractauimus quoque de huiusmodi pactis, & de contractibus illa continentia nullis, an conualidentur per protestationes factas per contrahentes de voluntate contrahendi, iuxta formam *d. extrauag. B. Pij V.*

De Censuario, seu de Emptore census, & eiusdem peccatis, à discreto, & cauto Confessario explorādis. *SEC. II.*

SVMMARIVM.

1 *Peccat Censuarius, imponens censum super re non libera.*
Idq; extenditur in vendente censum super re fideicommisso supposita, atque ideò alienari prohibita.
2 *Peccat Censuarius imponens censum super re empta sub ea lege, vt eius dominium non censeatur translatum, nisi soluto integro pretio.*
3 *Peccat Censuarius Pater, constituens censum super bonis castrensibus, vel quasi proprij filij.*
4 *Peccat Censuarius Rector Ciuitatis, censum constituens super ipsius Ciuitatis bonis, citra Principis assensum, & iuris solemnitates.*
5 *Peccat Censuarius, recusans ostendere fines rei censuata, & instrumentum census Domino eiusdem census.*
6 *Peccat Censuarius, non soluendo pensiones loco, & tempore condicto, cum tamen possit.*
7 *Peccat Censuarius, non soluens integras pensiones annuas Domino, sed tantum earum partem, eo inuito.*
8 *Peccat Censuarius, vendens rem censuatam alteri, quam Censualistæ si emere eam velit.*
9 *Quamuis peccet Censuarius alienando rem censuatam, non admonito ante mensem Domino census, venditio tamen ipsa irrita non est ipso iure.*
10 *Vendita re censuata, non prauia denunciatione Domino census, potest Dominus ipse agere ad rescissionem contractus, & repetere pretiū, si nolit rem venditam retrahere.*
11 *Peccat Censuarius, non reddendo pretium in moneta debita.*

1 Dico primò peccare Censuarium scienter imponentem, ac constituentem censum super rem non liberam. Siquidem per impositionem census constituitur ius reale super re cēsuata, atq; ideò res illa remanet specialiter obligata Censualistæ pro pensionum annuarum solutione. Vndè si res censui supposita non sit libera, Censualista super ea de facili sortem, seu pretium census amittere posset, cùm excluderetur ab eo, qui anteriorem haberet hypothecam, cùm prior tempore potior sit in iure, *l. prior, ff. qui potior. in pign. habeant.* Confirmatur, quia si res censuata non esset libera, sed alteri obligata nō esset explicitè venditoris census, & proptereà esset species quædam mutui palliati: siquidem fingeretur rem esse vendentis, cùm sit aliena. Ita *Molfes. par.* 2. *sua sum. tr.* 12. *cap* 6. *nu* 7. *Nauar. in cap si fœneraueris, num.* 118. 14 *q.* 3. Et hanc sententiam communem esse, testatur *Cenc. de censib par.* 1. *cap.* 3. *q.* 4. *num* 1. *cū plur. seq.* quam nos multipliciter ampliauimus, & limitauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib* § 1. *q.* 5. Et inter alia ostendimus adeò verum esse, vt nec quidem census constitui possit, adiecto pacto, quod Censuarius casu quo delegatur rem censui subiugatam non esse liberam, sed alteri obligatam; nihilominus pensiones annuas soluere teneatur, donec eiusdem pretium restituat: siquidem per eiusmodi pactum vsuræ de facili palliarentur; quoniam volentes sub vsuris mutuare, possent censum emere super bonis alienis, aut super bonis alteri obligatis sub illo pacto, atque ideò vsuras extorquerent sub pallio census. Ita *Nauar loco citato, vers. Vigesima octaua quæstione*, & alij. Verū tamen est, quòd ita demum census non potest constitui super re non libera, & alteri obligata, quando in totum est talis; secus autem si pro ea parte libera sit, quæ satis sit ad solutionem constituti census; quoniam tunc census sustineretur in dicta parte libera, vt in *d. q.* 5. *num.* 15. fusiùs declarauimus. Cæterùm quamuis plures census constitui non possint super vna re non libera, seu oneris incapaci; attamen si bona fide emptoris

ris saltem constituatur secundi census impositio, non ob id redditur inualida, vt probauimus *d.§.1.q.6.num.*15.*concl.*5. vbi etiam *conclus.* 4. ostendimus, quod plures census possunt constitui diuersis temporibus super vna, & eadem re capaci, etiam irrequisito Domino prioris cẽsus. Etenim cum in Constitutione census non vendatur res censuata, sed ius percipiendi annuum redditum ex fructibus rei, si illius fructus satis sint pro solutione vtriusque census, frustra expostulatur consensus prioris Domini census.

Quæ diximus de vendente censum super re non libera, & incapaci, extendimus ad vendentem censum super re fideicommisso supposita, atque ideò alienari prohibita, vt ibidem declarauimus *q.*7. & 8. Quid autem dicendum sit de vendente censum super re cõmuni, super re emphyteotica, super re feudali, super re liuellaria, super re superficiaria, super re empta, cum pacto de retrouendendo, & super re dotali, vide quæ nos adnotauimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib.* §.1.*q.*9.10.12.13.14. 15.& 16.

2 Dico secundò peccare Censuarium imponẽtem censum super re empta sub ea lege, vt eius dominium non censeatur translatum, nisi soluto integro pretio: siquidem stante illo pacto, Censuarius non est rei Dominus, donec constet de pretij solutione: at census constitui non potest super rem alienam citra Domini consensum, vt latè Nos rem hanc declarauimus in dictis nostris *Commentar* §.1.*q.*17. vbi *num.*7. hanc cõclusionem ampliantes ostendimus eam adeò esse veram, vt emptor census eiusmodi non possit vigore dicti contractus annuas pensiones exigere, imò, & exactas tenetur restituere: siquidem contractus censualis, cùm sit nullus, vel saltem stet in suspenso, non poterit emptor ipse vigore talis cõtractus redditus percipere citra culpam, & cum onere restituendi. Quod verum esse probauimus, *num.* 9. etiam si venditor scienter, ac dolosè constituerit censum super tali re empta cum pacto supradicto. Multis alijs quoque modis rem hanc ampliauimus, & limitauimus *d.q.*17. cui Nos remittimus.

3 Dico tertiò peccare Censuarium Patrem constituentem censum super bonis castrensibus, vel quasi proprij filij. Filiusfamilias enim quamuis super bonis castrensibus, vel quasi possit censũ constituere, & de illis ad sui libitum disponere; non tamen id potest eius Pater: siquidem Pater super eiusmodi bonis nullus ius habet, cùm sint propria filij; imò si filius sit minor, Pater non valet eiusmodi bona censui submittere, aut alio modo distrahere, etiam vt filij curator citra decretum Iudicis, & seruatis debitis solemnitatibus in alienatione rerum Minoris requisitis, vt de hac re latè egimus in dictis nostris *Commẽtar.* §.1.*q* 18 *num.*31.& 32. quod tamen limitauimus *num.*33 in casu necessitatis: Eo enim casu Pater super bonis castrensibus, seu quasi filij censum constituere potest, etiam filio contradicente: etenim si pater propter nimiam paupertatem, & egestatem victus potest filium pignorare, vt in *l.* 1.*C. de patr. qui fil. distr.* Multò magis poterit eiusdem bona castrensia, vel quasi censui supponere.

4 Dico quartò peccare Censuarium Rectorem Ciuitatis censum constituentem super ipsius Ciuitatis bonis citra Principis assensum, & iuris solemnitates. Non enim vendi possunt, nec hypothecari res Ciuitatis, nisi præuio Principis consensu, & iuris solemnitatibus, vt in *l. fin. C. de vendit. rer. Vniuers.* Et Nos de hac re egimus in dictis nostris *Commentar. de censib.* §.1. *qu.* 21. vbi *num.* 6. dictam conclusionem quoque ampliauimus, vt constituto censu, pecunia non expendatur, & sic pretium census, nisi pro ea causa in Principis licentia expressa: siquidem si conuertatur in aliam causam emptor census nõ esset securus; sed eiusmodi impositio posset per restitutionem in integrum rescindi. Quæ quidẽ vera esse ostendimus in Ciuitatibus, quæ liberę non sunt. Idem dicendum est de tutoribus, & Curatoribus censum constituentibus in bonis Minorum: & de Rectoribus Ecclesiarum volentibus censum constituere super bonis eiusdem, vt ibidem declarauimus *q* 19. 22. & 23. Quibus adde, quæ supra adnotauimus *sec.* 1. *dicto* 19.& 20.

5 Dico quintò peccare Censuarium ostendere recusantem fines rei censuatæ, & instrumentum census eiusdem census Domino. Etenim finium rei censui suppositæ, & eius instrumentorum probatio pertinet ad venditorem census; non autem ad emptorem: vt fusiùs ostendimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib.* §.1.*q.*53. Vndè Censuarius nolens ostendere fines, & instrumenta census eius Domino, iniuriam illi infert, ac iniustitiam, atque ideò culpam contrahit.

6 Dico sextò peccare venditorem census, & sic censuarium non soluentem cùm possit pensiones debitas, condicto, ac debito loco, & tempore, & in debita specie pecuniæ, vt declarauimus in dictis nostris *Commentar.* §.3.*q.*9. vbi etiam *q.*10. idem diximus de eius hæredibus, etiam si sint hæredes cum beneficio legis, & inuentarij, non vt capi possint de persona; sed vt executio fiat in bonis in inuentario contentis. His adde, quæ supra cumulauimus *sec.* 1. *dicto* 3. & *dicto* 4. tractantes de solutione pensionum in debita pecunia, & in debito loco. Illud autem quoad hæredes est animaduertendum, quòd ad pensiones censuales soluendas non tenetur rei censuatæ vsufructuarius, sed hæres proprietarius, vt ostendimus *d.*§.3.*q.*11 *num.*5.*cum plur. seq.* & *per totam*, vbi rem hanc multipliciter ampliauimus, ac limitauimus. Qualiter autem ad solutionem annuorum redditium teneantur plures rei debitores, ac censuariorum fideiussores latè explicauimus *d.* §.3.*q* 12. & 13. vbi etiam *q.* 14. egimus, an, & quando fideiussor adhibitus in contractu census agere possit, vt eximatur à fideiussione. Et *q.* 15. tractauimus quoque de possessore rei censui subiugatę, an, & quando teneatur ad annuarum pensionum censualium solutionem. Eisdem adde denique ea, quæ adnotauimus de pensionibus annuis ab vsufructuario non exactis; nam Nos conclusimus eas deberi hæredibus vsufructuarij præmortui; non autem proprietario, vt patet ex ijs, quæ fusiùs diximus *d.*§.3 *q.*19.

7 Dico septimò peccare Censuarium non soluẽtem integras pensiones annuas Domino census; sed tantùm earum partem eo inuito: siquidem

facit contra iustitiam; eo quòd iniuriam eidem infert, non soluendo integras pẽsiones cum possit, vt habetur per *Iaſ. in l. quidem aſtimauerunt, num. 7. ff. ſi cert. pet. Gaſp. Roder. de ann. redd. lib. 1. q. 18. ſub num. 39.* & nos latè in noſtris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de cenſib.* §. 3. *q.* 22. quàm concluſionem ampliauimus, vt creditor ſi conſequi habeat plures penſiones annuas, non poſſit cogi percipere vnam penſionem annuam pro vltimo anno: & id ne conturbet rationes ſuas: aut ex eo non præſumatur pro præcedentibus annis, & terminis facta ſolutio, vt *in l. pen. C. de apoch. publ. lib.* 10. Quæ vera eſſe oſtendimus, niſi aliter conuentum ſit, & limitauimus in emphyteuta Principis, cui ſpecialiter conceſſum eſt penſionem pro parte ſoluere, vt *in l. placuit, C. de collat. fun. patrim. lib.* 11.

8 Dico octauò peccare Cenſuarium vendentem rem cenſuatam alteri, quàm emptori cenſus, ſeu alteri, quàm cenſualiſtæ, ſi emere eam velit. Etenim in venditione rei cenſui ſubiugatæ emptor cenſus omnibus præfertur, vt conſtat ex *extrauag. B. Pij V. de cenſib.* vt conſtat ex illis eiuſdẽ verbis: *Vbi autem vendenda ſit, volumus, Dominum cenſus omnibus alijs præferri, eique denunciari conditiones, quibus vendenda ſit, & per menſem expectari.* Quæ lex cùm ſit præceptiua lata ad fauorem Domini cẽſus, proculdubio peccat Cenſuarius contrauenient. Et quamuis S. Pontifex in præferendo Dominum cenſus omnibus alijs in venditione rei cenſuatæ nullam aliã talis diſpoſitionis afferat, niſi quòd ita vult, vt patet ex illa dictione, *Volumus, &c.* quæ voluntas ſola ſufficit in Principe legem condente, vt *in §. Sed & quod Principi,* & ibi *DD. in Inſtit. de iure naturali, gent. & ciuili;* attamen, quoniam voluntas Principis in lege condenda debet à recta ratione regulari, pręfatę extrauag. diſpoſitio ratione non caret: ſiquidem, quòd res cenſuata non poſſit alienari, eſt quodammodò de natura cenſus ratione rei ſubiugatæ ſpecialiter obligatæ, ſeu hypothecatæ ad fauorem Domini cenſus, cum hypotheca ſpecialis impediat dominium rei hypothecatæ translationem, vt habetur ex *Soc. iun. conſ. 85. lib. 3. Boer. dec. 282. num.* 53. & ex alijs, quos nos retulimus in noſtris *Commẽtar. ad d. extrauag. §. 4. q. 9. ſub num.* 1. Vndè Rom. Pontifex vidẽs aliquo modo grauaſſe Dominum cenſus annullando pacta de nõ alienãdo rem cenſuatam, in recompenſationem eiuſmodi pactorum ex altera parte alleuiãdo ipſum Dominum cenſus, eiuſdem venditori impoſuit onus, vt ſi rem cenſuatam vendere velit, teneatur id denunciare Domino cenſus, vt ſi is eodem pretio, ac cum eiſdem conditionibus emere eam velit, præferatur cæteris emptoribus: & quòd ipſe venditor à die denunciationis, atque ſignificationis pretij, & conditionum, cum quibus rem vendat, factæ Domino cenſus, teneatur expectare per menſem, infra quem deliberet, an ipſe emere illam velit. Eſt tamen verum, quòd dictum priuilegium prælationis durat tantum, quantum durat conſtitutio cenſus; atque ideò eo redempto extinguitur priuilegium, vt nos oſtendimus *d. §. 4. q. 9. num.* 2. Imò tollitur per ius prothomiſeos, ſeu congrui, vt ibidem demõſtrauimus, *q.* 12. An Dominus cenſus præferendus ſit pro eodem pretio, quo res cenſuata fuit vẽdita; vel pro iuſto, & communi pretio eiuſdem rei, vide à nobis tradita *d. §. 4. q.* 10. Adde, quòd eiuſmodi priuilegium prælationis rei cẽſui ſubiugatæ non ſolùm competit emptori cenſus; ſed etiam eius hæredibus; ſiue vendatur à Cenſuario, ſiue à Iudice: & competit non ſolùm in cenſu emptionis titulo comparato; ſed etiam competit ei, qui cenſum acquiſiuit teſtamento, præſcriptione, conſuetudine, tranſactione, aut quocumq; iuſto titulo, vt probauimus *d. §. 4. q.* 12. vbi etiam concluſimus *q.* 13. quòd Dominus cẽſus anterior poſteriori ſemper præfertur in alienatione rei cenſui ſubiugatæ.

9 Dico nonò, quòd Cenſuarius licèt peccet alienando rem cenſuatam, non admonito ante mẽſem Domino cenſus; non tamen venditio ipſa irrita eſt ipſo iure, vt habetur *ex Cenc. de cenſib. par. 2. cap. 2. q. 1. ar. 4. num.* 7. Siquidem *Rom. Pontifex B. Pius V. in d. extrauag.* non procedit annullando venditionem aliter factam: nec prohibet venditionem aliter fieri, quàm præuia dicta denunciatione; ſed tantùm præcipit denunciationem fieri: ergò non ex hoc inferri poteſt, venditionem rei cenſui ſuppoſitæ aliter factam eſſe nullam; nam lex præcipiens nunquam annullat actum, niſi de nullitate illius expreſsè decernit, ut *in cap eos, de ſent. excom. in 6. Gloſa in Clem. 1. ver inhibentes, de iure patron. Gemin. in cap. ſtatutum, in fine, eod. tit. Bald. conſ. 198. col. 1 vol. 2.* & nos latè *in d. Commentar. ad præfatam extrauag. B. Pij V. §. 4 q. 15. num. 4. & 5.* ubi contraria quoq; euacuauimus. Poteſt tamen Dominus cenſus, omiſſa denunciatione, illam ab emptore retrahere, uel ſi eam detinet ſibi retinere, ut *in d. §. 4. q.* 16. adnotauimus, ubi etiam oſtendimus *num. 11. & 12.* quòd facto retractu, Dominus cenſus non tenetur emptori reficere expenſas, damna, & intereſſe: imò nec melioramenta ſoluere facta ſaltem poſt motum iudiciũ. Adde quod Dominus cenſus poteſt rem cẽſuatam venditam eo non admonito, retrahere non ſolùm à primo, ſed etiam à ſecundo, & vltimo eiuſdem emptore, vt ibidem oſtendimus, *q.* 17. vbi etiam *q.* 18. diximus *num.* 3. quòd quamuis *Cenc. loco cit. num. 15. cum plur. ſeq.* velit ſupradictam *B. Pij extrauagantem* interpetrari poſſe, vt facultatem præbeat Domino cenſus, quòd retrahat à quibuſcumque, etiam ſecundis, & vlterioribus emptoribus: quod nõ poſſit compellere eum, à quo rem cenſuatam retrahit, vt ad compotum pretij computet id, quod ipſe impẽderat, & erogauerat in emptionem cenſus, nec fructus decurſos, & nõ ſolutos; ipſe tamen Dominus cẽſus ad dictum compotum cenſus faciendum cogere poſſet venditorem cenſus, eiuſdemq; debitorem, ac rei venditorem, dum in prima venditione rei cenſuatæ vult alteri præferri, & negotium agitur inter dominum cenſus, & eum, qui illam impoſuit: & id ad euitandum circuitum inutilem.

10 Illud in hac re nolo eſſe ſilentio prætereundũ, quod *in d. §. 4. q.* 19. probauimus dicentes, quòd vendita re cenſuata, non præuia denunciatione domino cenſus, poteſt Dominus ipſe agere ad reſciſſionem contractus, & repetere pretium ſi nolit rem vẽditam retrahere; nam eo ipſo, quòd debitor cenſus voluntariè diſtrahit rem cenſuatã, irrequiſito Domino cenſus, cenſetur à contractu di-

discedere, & eandem facultatẽ censetur ipsi Domino cẽsus concedere, vt habetur *Innoc. & alijs in cap. in Ciuitate, de vsur. & Molfes. tomo 1. ad Consuet. Neap. cons. 8. & par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 6. num. 101.* Quòd si re censuata vendita nõ præuia denunciatione vt supra, velit stare cõtractui, Dominus census tunc potest conuenire tam venditorem, & eius hæredes, quàm ipsius rei cẽsuatæ possessorem pro soluendis pensionibus annuis: nam si poterat contractum rescindere, & repetere pretium census, vt sup. ostẽdimus, quod est plus: ergò multò magis poterit ab eo exigere annuum redditum, *arg. tex. in auth. multo magis, C. de Sacros. Eccl.* & nos declarauimus *d. §. 4. q. 20.* vbi idem dicendum esse diximus, si venditor census rem censui subiugatam alienauerit, omissa aliqua ex solemnitatibus, per *d. B. Pij V. extrauag.* requisitis. Cæterũ est animaduertendum, validum esse pactum, quòd in alienatione rei censuatæ Dominus census non gaudeat prælationis priuilegio validum esse docet *Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 1 sub nu. 245. in tertia difficult. vers. Concludo,* quem nos citauimus, & sequuti fuimus *d. §. 4. q 22.*

11 Dico decimò peccare Censuarium in redimẽdo censum non reddendo pretium in moneta debita: siquidem facit contra iustitiam, & proindè vltra culpam, quam contrahit, efficitur restitutioni obnoxius. Dicitur autem moneta debita, attenta in primis contrahentium conuentione, vt quando inter contrahentes tempore celebrati contractus fuerit conuentum ob metum mutationis monetarum de pecunia sub certa æstimatione soluenda, vt declarauimus *in nostris Commentar. in extrauag B. Pij V. de censib. §. 5. q 7. num. 7. lim. 3.* Secundò moneta debita appellatur, quæ currit tempore redemptionis census; atque ideò pretium in redemptione census reddendum est in ducationis, prout valẽt tempore ipsius census redemptionis, non autem vt valebant tempore celebrati contractus: siquidem commodum, & incommodum pecuniæ debitæ ad creditorẽ pertinet, vt habetur per *Bart. in l. Paulus ff de solut. Boer. decis. 327.* & ex alijs à nobis citatis *d. q. 7. num. 2.* Id autem verum est, quando valor monetæ fuit mutatus propter bonitatem, vel malitiam extrinsecam: vt quia ducatonus tempore celebrati contractus erat magis expendibilis, quàm hodie: vel quia tempore contractus erat minor pecuniæ copia, quàm ad præsens. Secus autem si valor monetæ fuerit mutatus propter bonitatem, vel malitiam intrinsecã monetæ: vt quia tempore celebrati contractus ducatonus erat ex argento puro, & ideò ęstimabatur septem libris; & hodie ducatonus eiusdem ponderis æstimatur quinq; libris, & quindecim solidis, quia eius materia sit contaminata, atque ideò argentum mixtum ære: tunc valor ducatoni esset æstimandus, prout valebat tempore contractus, vt *in d. q. 7.* fusiùs explicauimus, & *§. 3. q. 6.* Est tamen verum, quòd in redemptione cẽsus pretium reddi potest in alia re, quàm in pecunia numerata: quod tamen quomodo procedat, latè demõstrauimus, *d. §. q. 8.* vbi etiam *q. 9.* ostendimus dari casum, in quo possit fieri cẽsus redemptio in alia re, quàm in pecunia numerata, etiam contradicente domino census, vt si Censuarius det in solutum fundum censui supposi-tum. Et *q. 10.* pariter explicauimus difficultatẽ illam, an Dominus census à Iudice compulsus rem censui subiugatam accipere in solutum pro extinctione census, si debitor census deindè restituatur ad eiusdem rei possessionem, tanquàm nulliter adiudicatæ teneatur ad fructuum perceptorum restitutionem. His etiam adde ea, quæ ibidem cumulauimus *q. 11. & 12.*

De Campsoribus, & Campsuarijs, ac eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

D I S P. XXVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Cãpsores dicuntur, qui pecunias suas dant ad cambium; Campsuarij verò, qui pecunias ad cambium recipiunt.*
Et quotuplices sint Campsores.

2 *Campsores, siue ex officio sint, siue non, diuiduntur in Campsores ad minutum, & in Campsores per litteras. Et qui nam sint.*

1 AD euidentiam eorum, quæ dicenda erunt, est adnot. quòd Campsores dicuntur, qui dant suas pecunias ad cambiũ: & vocãtur etiam alijs nominibus: siquidem *Arist. lib. 1 Polit. cap. 6.* appellat eos Nummularios. In Pandectis Campsores vocantur Argentarij, *l. Argẽtarius, ff. de eden. l. qui tabernas argentarias, ff. de contrah. empt.* Item Campsores dicuntur Telonarij, Bancharij, Mensularij, & Collibistæ, vt ex *Budeo, & Couar.* probat *Ioan. de Sal. in suo tr. de camb. dub. 1. sub num. 1.* Campsuarij verò nominantur ij, qui accipiunt pecunias ad cambium. Sunt autem Campsores realia cambia exercentes in duplici differentia: nam quidam cambia exercent tanquam ex officio, domos, officinas, mensas, & varia pecuniarum genera parata, & exposita habentes cuicumq; cambire volenti: etenim ad Nundinas non modò pecuniarum; sed etiam mercium solẽt concurrere mercatores aliqui, qui scientes in eis multas merces fore emendas, & emptores pecunijs indigere, mediante publica auctoritate à Magistratibus eis tributa, officinam aperiunt, parant mensas, ingentemq; monetarum summam exponũt, offerentes se, ac obligantes ad conferendam pecuniam omnibus mercatoribus ad nundinas ipsas concurrentibus, ea tamen lege, vt cambium soluant iuxta commune pretium fori ex eo loco, in quo tales nundinæ fiunt, & pecunia recipitur, in illum locum, in quo à Campsuario restituenda est: & insuper aliquod aliud incrementum ratione dictæ obligationis: qui quidem Campsores appellantur propriè ab *Arist.* vt diximus, Nummularij, seu Bancharij. Dantur etiã Campsores Depositarij ex officio, apud quos deponuntur mercatorum pecuniæ, & à quibus redduntur ijs, quibus à pecuniarum Dominis fuerit ordinatum; aliquid ratione laboris, ac custodiæ percipientes. Quidam verò sunt Campsores non ex officio, sed priuati: siquidem non ex officio pecunias cambiunt; sed occasione aliqua cãbien-

biendi ipsis oblata, qui dicũtur Campsores priuati: Sicut etiam dantur depositarij priuati custodientes mercatorum pecunias, & illas soluẽtes, quibus mercatores ipsi præceperint; pro quorum custodia aliquod incrementum percipiunt ad arbitrium boni viri, vt Nos declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. in prooem. q. 13.*

2 Vtriq; autem Campsores, siue ex officio sint, siue non; sed sunt personæ priuatę diuiduntur in Campsores ad minutum, & in Campsores per litteras. Sunt autem Campsores ad minutum cambientes eorum pecunias cum aliorum pecunijs in vno, & eodem loco citra omnem temporis dilationem, siue commutatio fiat pecuniæ expendibilis in aliam in vno, & eodem loco expendibilem: siue fiat pecuniæ expendibilis in aliam in tali loco non expendibilem, nec receptam: & siue fiat pecuniæ aureæ in auream: siue aureę in argenteam, vel ęream, & è contra: siquidem Campsor id agit in gratiam Campsuarij. Eiusmodi Campsores ad minutum dicuntur tales; quoniam vt plurimum cambiunt in parua quantitate. Vndè qui arti cambiendi ad minutũ inseruiunt, ob id non Bancharij; sed Bancharotti vulgò appellantur, vt habetur per *Fabian. Gennuen. de camb. in princ. num. 4.* Campsores verò per litteras dicuntur, qui incumbunt cambio, in quo fit commutatio pecuniæ præsentis cum pecunia loco absenti: quoniam de ratione cambij per litteras est diuersitas loci, vt cum v. g. Titius dat centum aureos Neapoli, vt sibi soluantur Romæ. Partitur cambium per litteras in cambium de loco ad locum, in quo Campsor prius accipit pecuniam in vno loco à Campsuario restituturus in alio; vel in quo Campsor dat pecuniam recepturus in alio. Et in cambium ad nũdinas, quod fieri contingit tripliciter: nempè de loco ad nundinas: de nundinis ad locum: & de nundinis ad diuerso loco nundinas, vt declarauimus in dictis nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. in prooem. q. 12. & §. 1. q. 1.* His breuiter adnotatis rem hanc per duas *sec.* breuiter absoluemus, in quarum prima agemus de peccatis Campsorum, & in secunda de peccatis Campsoriorum, vt tales sunt.

De Campsorũ culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Campsoriam artem exercentes, an perseuerent in peccato mortali?*

2 *Peccant Campsores ad minutum, non seruantes æqualitatem in valore monetarum, aut exigentes supra id, quod mereatur pro earum mercede.*
An cambia sint contractus innominati.

3 *Peccant Campsores ad minutum, adhibendo dolum, & fraudem in cambiendo, & quotupliciter possit dolus, & fraus adhiberi in cãbiendo.*

4 *Peccãt Campsores ad minutum si priuati sint, & lege, vel statuto cambire prohibeantur, ipsique cambient.*

5 *Peccant Campsores per litteras, si priuati sint, & maius stipendium accipiant, quam Campsores ex officio.*

6 *Campsor depositarius accipere non potest aliquod stipendium à creditoribus eorum, qui pecuniam apud ipsum deposuerunt.*

7 *Peccat Campsor accipiens pecuniam aliò traiiciendam, vbi idem pretium habet, & stipendium consequatur in gratiam, & vtilitatem, tam dantis, quàm accipientis.*

8 *Cambium si contingat fieri gratia dantis tantum pecuniam Campsori in vno loco, vbi plus valet, debent pecunia reddi ad æqualitatem.*

9 *Peccat Campsor per litteras recipiendo plus lucri ex cambio, eo quod solutionem præcipit fieri visis litteris, quam post aliquod tempus, & quare.*

10 *Peccat Campsor, percipiens maius lucrum ex cambio, quò magis dat per locum distantiorem ad instantiam ipsius Campsoris, secus verò ad instantiam Campsuarij.*

11 *Peccat Campsor, qui dat pecuniam cambio in loco vbi plus valet, recepturus eam in loco, vbi minus valet.*

12 *Peccat Campsor dans pecuniam ad cambium in vno loco, recepturus in alio, & paciscens, vt si pecunia augeatur, eius sibi reddatur augumentum.*

13 *Peccat Campsor, dans pecuniam in vno loco, & computans pecuniam sibi restituendam in alio in maiori valore, quàm fuerit taxata, & quando.*

14 *Peccat Campsor percipiens lucrum ex cambio, celebrato de loco ad locum intra eandem Prouinciam, vel Regnum, contra legis prohibitionem.*

15 *Peccat Campsor celebrans cambium, in quo recipit pecuniam in vno loco restituturus in alio si excedat limites iusti pretij.*

16 *Peccat Campsor dans pecuniam suam cambio pauperi in vno loco recipiendam cambitam in alio, & maiorem recipiat mercedem, quàm si diuiti debuisset.*

17 *Peccat Campsor negans dare ad cambium petenti per locum, vbi minus lucratione & nolit dare, nisi per locum vbi plus lucrabitur.*

18 *Peccat Campsor dans pecuniam impuriorem in vno loco, recepturus in alio cambitam puriorem.*

19 *Peccat Campsor dans cambio pignoribus perceptis, quorum luitionem probabiliter credat non futuram.*

20 *Peccat Campsor, dans pecuniam ad cambium vno loco, sibi reddendam cambitam in alio integram, si ibi eam Princeps auxerit.*
Sed distinguitur optimè per authorem.

21 *Peccat Campsor in nundinis trahens ad se totam pecuniam, adhoc vt paucis existentibus Campsoribus, & quàm plurimis Campsuarijs recipientibus ad cambium possit ad eius libitum pretia augere cambiorum.*

22 *Peccat Campsor, dans ad cambium, ac sciens tempore celebrati contractus, Campsuarium non habere in nundinis, nec pecuniam, nec alium qui pro eo soluat.*

23 *Peccat Campsor, litteras quidem accipiens à Campsuario, sed non mittens eas ad locum desti-*

destinata solutionis, eo quod intendat cambiũ sibi solui in loco celebrati contractus.

24 *Peccat Campsor, plus iusto pretio exigens ex cambio, eo quod Campsuarius reperiatur in magna necessitate; accipiendi ad cambium.*

25 *Peccat Campsor, dans ad cambium, in quo obligat Campsuarium à principio contractus, soluere certum, ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis.*

26 *Peccat Campsor dans ad cambium, quod vulgò dicitur:* Con la ricorsa, *ad Procuratorem ipsius Campsoris, ea lege, vt non possit recambire alibi quàm in loco, vbi vult ipse Cãpsor.*

27 *Peccat Campsor dans ad cambium cum recursa, & obligans Campsuarium ad recurrendum ad ipsius Campsoris Procuratorem per cambij solutione.*

28 *Peccat Campsor, dans cambio cum recursa ad proprium Procuratorem, qui non habeat, nec pecuniam, nec creditum alium, nisi remissa à Campsuario debitum, & ad eundem Campsorem pertinens.*

29 *Peccat Campsor, obligans Campsuarium ad recambiendum in loco celebrati contractus.*

30 *Peccat Campsor, non restituens quæsita ex cãbijs siccis, ac vsurarijs.*

31 *Peccant Campsores, exercentes cambia, declarata à Sacr. Congr. non subsistere.*

32 *Peccat Campsor recipiens in depositum pecunias, vt illas negotietur in cambijs, & in cãbijs non fuerit negotiatus.*

33 *Peccat Campsor, mutuans suas pecunias, & accipiens à mutuatario obligationem in forma depositi, cum pacto soluendi ipsi lucrum, iuxta pretium fori Genuæ per* Placentiã. *Et quãdo.*

34 *Peccat Campsor augens lucrum cambij ob dilatam sortis solutionem.*

35 *Peccat Campsor, dans in cambio merces pro pecunia.*

36 *Peccat Campsor, dans pecuniam suam ad cãbium, cum pacto, vt si pretium augeatur, cedat in vtilitatem ipsius Campsoris*

37 *Peccat Campsor dans pecuniam suam ad cãbium* Pisanum.

38 *Peccat Campsor, cambium celebrans cum persona inhabili ad contrahendum ex defectu liberæ voluntatis.*

39 *Peccat Campsor celebrans cambium in Ecclesia.*

40 *Peccat Campsor dans ad cambium suas pecunias* Principi *quem scit, aut credit probabiliter illis vsurum in bello iniusto.*

41 *Peccat cooperantes Campsoribus ad celebrandum cambia, sicca, vsuraria, aut quouis modo illicita.*

42 *Peccant Campsores, dantes ad cambium pro nundinis intercalatis.*

43 *Non solum peccant Campsores mortaliter celebrantes cambia sicca, & vsuraria, sed etiã varijs afficiuntur pœnis.*

1 ANtequam ad huius rei explicationem deueniamus est adnot. quòd non desunt, qui videntur velle, campsoriam artem exercentes permanere in peccato mortali, cùm eiusmodi ars sit valdè periculosa: nam ob id *Gregor. in illud Ioan cap. 21.* de ea loquens, ait: *Nullatenus, aut vix potest exerceri sine peccato.* Vndè meritò Matthæus Apostolus, qui fuit Campsor, post Telonij, atque ideò cambiorum negotium dimissum, ad illud nunquam rediit; sicut Petrus rediit ad piscationem. Et *Mercat. in suo tract. de camb. cap. 1. num 6.* inquit, quòd licèt campsoria ars, & sic cambia vera, ac realia licita sint secundum se considerata, vtilia, ac necessaria; attamen negotiationem huiusmodi esse omnium scrupulosissimam, ac periculosissimam, quæ in hoc Mundo licitè exerceri possunt: Est enim campsoria ars nummorum, maximè effectiua; atque ideò propter auaritiam, & diuitiarum ingluuiem, in quas communiter inclinantur homines, quamuis realia cambia semel, aut bis licitè exerceri possint; nihilominus nemo, inquit, diù artem huiusmodi exercuit quin duo-m.llia saltem latrocinia, & vsuras cõmiserit: aut apud populum de talibus sanè criminibus fuerit diffamatus. Et re vera ob innumeras vafrities, & subtilitates, quas in diem campsores excogitant insatiabili lucrandi cupiditate succensi, vltimum finem in tali negotiatione ponere conuincuntur, atque ideò in statu damnationis esse Campsores vltra ea, quæ dicit *Mercat.* expressè docet *D. Anton. in sua sum. 2. par. tit. 1. cap. 6.* eosdemque damnat *D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 4.* Cæterum Nos cum communi dum artem campsoriam non constituere hominem in proximo periculo peccandi defendimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. in proœm. q. 8.* cõsequenter dicimus, campsores ipsos non esse in statu peccati mortalis: non tamen negamus cum *Salon. de camb. q. 1. in admon. Campsor. & Confessar.* admonendos esse Campsores, vt artem campsoriam non exerceant, eorum priuata dumtaxat commoda intendentes, sed eorum primum, & præcipuum finem debeant dirigere in Reip. ac Ciuium vtilitatem: & tali negotiationi inseruire ad moderata, ac honesta lucra ex ea comparanda pro se, suisque alendis: & cambijs ita inseruiant, vt mercium negotiationi deseruiant; ad quod fuerunt adinuenta, vt hæc, & alia diximus *d. q. 8.* His adnotatis.

2 Dico primò peccare Campsores ad minutum non seruantes æqualitatem in valore monetarũ, aut exigentes supra id, quod merentur pro eorũ mercede. Etenim cambium ad minutum sicut, & reliqua cambia realia cùm sint contractus innominati, vt ostendimus in dictis nostris *Cõmentar. in proœm. q 10. concl. 5.* Et præcipuè reducantur ad contractum permutationis, seu emptionis, ac venditionis; atque ideò sint actus iustitiæ commutatiuæ, quemadmodum in contractu emptionis, ac venditionis, & in alijs commutationibus, vt cõtractus iustus dicatur oportet, vt interueniat æqualitas, ac commensuratio inter id, quod datur, & id pro quo datur; ita, & in cambio seruanda est æqualitas circa valorem monetarum; quæ sunt commutandæ; ita vt tanti valoris sit, quod datur, quàm id, quod recipitur: Et quòd Campsor ratione cambij non recipiat à campsuario aliquod incrementum vltra suam mercedem, à lege, à consuetudine, & communi hominum vsu, aut Periti iudicio taxatum, vt habetur ex *Romoal. Col. de camb. cap. 4. Filliuc. tomo 2. qq. moral. tr. 35. cap. 5. q. 4. num. 362. Bonacc. de contr. disp 3. qu. 1. pun. vnico, propos. 2.* sub

sub num. 3. quos Nos ad id retulimus in dictis nostris *Commentar. in proœm. q.* 13. *nu.* 6. & 7. vbi *num.* 8. tamen diximus, Campsores ex officio, qui se obligant alicui Reip. seu Magistratui, aut aliquibus particularibus mercatoribus illius Reip. seu alterius loci ad cambiendum cũ quocunque volente, ratione talis obligationis possunt cambire, non solùm pro mercede currẽti; sed etiam maiori in aliqua moderata quantitate à peritis taxanda: siquidem obligatio huiusmodi est pretio æstimabilis. Cæterum vbi non adest talis obligatio citra iniustitiam non posset Campsor aliquod incrementum recipere vltra mercedem, lege, consuetudine, aut communi peritorum in arte iudicio constitutam, vt patet ex traditis per *Scacc. de commerc. & camb.* §. 1. *q.* 7. *par.* 2. *ampl.* 1. *num.* 5. Vndè priuatus homo nõ potest ex cambio tantundem accipere, quantum potest Campsor ex officio: quoniam Campsor ex officio plura sustinet onera, pericula suscipit, ac labores, & expensas facit; quàm Campsor priuatus, vt in *d. Commentar. in proœm.* declarauimus, *q.* 14. *num.* 17.

3 Dico secundò peccare Campsores ad minutum cùm in cambiendo dolum, & fraudem adhibent: siquidem fraus, & dolus nemini patrocinari debet, vt in *cap. ad nostram, de empt. & vend.* Multipliciter autem potest fraus adhiberi in cambio ad minutum, nempè cum adulterina moneta datur, vel non vsu recepta, dolosè diminuta, aut publica auctoritate reprobata. Ita *Azor. par.* 3. *instit. moral. lib.* 10. *de camb. cap.* 4. *q.* 10. vbi addit *vers. Quid si Titius*, quòd pecuniam adulterinam, diminutam, ac reprobatam, vt supra non potest quis alteri tribuere; etiam si ab alio ignoranter acceperit: quoniam sibi imputatur, qui talem accepit: nec potern ipse alium decipere, quamuis fuerit ipse deceptus.

4 Dico tertiò peccare Campsores ad minutum priuati, lege, seu statuto cambire prohibiti cambientes, vt habetur ex *Soto lib.* 6 *de iust. & iure, q.* 9. *ar.* 1. *in fine, Azor. par.* 3. *instit. moral. lib.* 10. *de camb. cap.* 4. *q.* 7. & ex alijs, motis ex eo, quòd legem iustam non seruãtes, peccant mortaliter: siquidem facientes contra legem humanam iustam, dicuntur, etiam facere contra Diuinam; quæ iubet Præpositis nostris obedire, atq; ideò lethalem culpam contrahunt. Est tamen verum, quòd quamuis præfati Doctores obligẽt eiusmodi Campsores priuatos, etiam ad lucri percepti restitutionem; nihilominus contraria sententia nobis videtur probabilior, quam tenet *Salon. de camb. q.* 3. *ar.* 1. *q.* 5. *Less. lib.* 2. *de iust. & iure, cap.* 23. *dub.* 2. *num.* 17. *Rebell. de obligat. iust. par.* 2. *lib.* 11. *q.* 4. *num.* 7. *Ioan. de Sal. in suo tr. de camb. dub.* 5. *sub num.* 2. *vers. Rectè tamen*, cum alijs, quos allegant, dicentes, priuati homines percipientes lucrum ex cambio ad minutum, lege prohibente, licèt peccent; attamen ad percepti lucri ex tali cambio restitutionem non tenentur: siquidem si talis cambiens ad lucri percepti restitutionem teneretur, vel cogeretur Campsuario illud restituere, vel Reip. Sed neutri, ergò. &c. Maior patet. Minor probatur, quoniam neutri damnum intulit, seu iniuriam, cùm non plus supponamus acceptum, quàm communi Campsorum iudicio pecunia in tali commutatione solet æstimari, vt fusiùs de hac re egimus in dictis nostris *Commentar. in proœm. q.* 15. *num.* 4. *cum plur seq.*

5 Dico quartò peccare Campsores priuatos per litteras maius stipendium percipientes, quàm Campsores ex officio. Etenim cambium per litteras licèt sit iustum, ac iustè ex eo lucrum percipiatur, non solùm si celebretur cum Campsore publico, seu ex officio; sed etiam si fiat cum persona priuata, quæ Campsoris munere non fungitur: nam huic quoq; licitum est ex eiusmodi cambio lucrum aliquod consequi, nisi aliqua positiua lege personis priuatis fuerit interdictum lucrum ex cambio per litteras percipere, sicut *in d. Commentar. in proœm.* diximus *q.* 14 & 15. & supra adnotauimus. *dicto tertio, de Campsoribus ad minutum agentes*; nihilominus priuatis hominibus non est licitum maius lucrum, aut etiam tantum lucri ex dicto cambio percipere, quantum Campsori ex officio fas est, ut sup. ostendimus *d. dicto* 3. *de cambio ad minutum tractantes.* Siquidem Campsor ex officio, seu publicus plures habet causas assequendi lucrum; persona uerò priuata pauciores, ut patet ex ijs, quæ cumulauimus in eisdem *nostris Commentar.* §. 1. *q.* 1. *sub num.* 23. ubi tamen ex *Filliuc. tomo* 2. *qq. moral. tr.* 35. *cap.* 6. *q* 8. *nu.* 397. diximus etiam, quòd Mercatores cùm ad alia soleant respicere in constituendo pretium cambijs, si aliæ rationes æquè militent in priuatis personis, ac in publicis Campsoribus, non uidetur, cur non possint æquale lucrum referre. Et ita in praxi testatur seruari *Filliuc. loc. cit.* quoniam in cambijs habetur tantùm ratio ad pretium cãbiorum, quod currit in foro.

6 Illud autem nolui hoc loco silentio esse prætereundum, quod adnotaui in præfatis nostris *Commentar. in proœm. q.* 13. *à num.* 14. *vsque ad fin.* dum loquens de Campsoribus depositarijs dixi, quòd Campsor depositarius non potest stipendium aliquod accipere à creditoribus eorũ, qui pecuniam apud ipsum deposuerunt; quoniã Depositarius quando soluit nomine eorum, qui pecunias deposuerunt, suis creditoribus, repræsentat personam debitoris: at debitor non potest à suo creditore mercedem aliquam accipere; ergò nec Depositarius, vt rectè explicat *Nauar. in cap. nauiganti, num.* 37. *de vsur & Romoal. Coli de camb. cap.* 34. vbi etiam docet, non esse licitum eiusmodi Depositarijs aliquid recipere ratione anticipatæ solutionis, vel ratione solutionis in pecunia numerata, & non in litteris, iuxta ea, quæ habentur ex *Lopez de contr. lib.* 2. *cap.* 2. *concl* 2. *vers. Quæritur ergo*, vbi rem hanc tripliciter limitat, *Vega in sum. de camb. casu* 44. Idẽ dicendum est de Mutuantibus ex officio. Est tamen verum, quòd tunc Campsores Depositarij, & Mutuantes ex officio non possunt percipere mercedem aliquam vt supra, quando à Rep. stipendium aliquod eis fuerit constitutum; aliàs secus, vt inquit *Mol. de contr. disp.* 399. *sub nu.* 3. & *Romoal. Coli de camb. cap.* 4. quos nos ad id citauimus *in dictis nostris Cõmentar. in proœm. q.* 13. *prope fin.*

7 Dico quintò peccare Campsorem accipientẽ pecuniam aliò traijciendam, vbi idem pretium habet, & stipendium consequatur ex tali cambio gratia, & in utilitatem tam dãtis, quàm accipiẽtis celebrato. Etenim quando cambium fit gra-

tia vtriusque cambientis ad mutuam petitionem de loco ad locum, vbi pecunia idem pretium habet, à neutro lucrum ex eo percipi potest: siquidem eiusmodi cambium est vtriq; fauorabile, cùm ob vtilitatem vtriusq; fuerit celebratum: ergò non magis vnus ab altero stipendium petere potest, vt habetur ex *Salon. de camb. q. 4. ar. 2. contr. 2. in resp. ad argum prima opin. Reginald. lib. 25. sua prax. num.* 460. & ex alijs, quos nos retulimus *in dictis nostris Comment. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 3. num. 4. & 5.* vbi hanc conclusionem limitauimus veram esse, quando cambium fit gratia vtriusq; cambientis, ad mutuam petitionem, vel neutram: aliàs secus dicendum esset, vbi alter eorum fuit rogatus cãbire ab altero: nam licèt cambium fieret propter necessitatem vtriusque, tunc is, qui fuit rogatus cambire, potest petere ex tali cambio lucrum, ac stipendium, vt docet *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 10 ar. 1. Reginald. loco cit. & alij*; & ita intelligendum est, quod *d. §. 1. q. 16.* quod verum esse diximus ex *Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 6. num. 9.* nisi is, qui præuenit, quærendo cambium illud quærat vt Campsor, & is, qui requiritur, requiratur vt Campsuarius: secus autem è conuerso, vt ibidem declarauimus *num. 6. & 7.* vbi etiam *num. 8.* ostendimus, quæ supra diximus, ad transportationem equi, vtriq; contrahentium necessariam; atq; ideò si ego existens Capuæ remissurus essem equum Romam meis expensis, si quis peteret à me eiusmodi equum titulo locationis, quo Romam peteret, possem pro locatione dicti equi mercedem petere. At si ego essem primus, qui rogassem Romam iturũ, vt equum illuc reportaret, licèt equo ipso indigeret, posset à me mercedem aliquam consequi, vt habetur ex *Soto loc. cit.* & ex alijs à nobis relatis *d. q. 3. num. 8.* vbi etiam *num. 11. concl. 2.* conclusimus, quòd si contingat cambium fieri gratia dantis pecuniam tãtum Campsori in vno loco, vt sibi soluatur in alio, vbi pecunia ipsa idẽ pretium habet, tunc Campsor nihil aliud poterit ex dicto cambio consequi, nisi puram mercedẽ, ratione realis, vel virtualis transportationis pecuniæ de loco, vbi eam dans non indigeat, ad locum vbi eadem ipsi sit necessaria: & ita intelligenda sunt quæ diximus *in d. §. 1. q. 16.* vt eo scilicet casu possit lucrari mercedem.

8 Quòd si contingat cambium fieri gratia dantis tantùm pecuniam Campsori in vno loco, vbi plus valet, siue eius valor sit legalis, siue consuetudine sit taxatus maior ratione materiæ, vel ex alia causa, tunc pecuniæ debent reddi ad æqualitatem, ita vt tanti æstimationis sit pecunia, quę datur, quàm pecunia, quæ recipitur: & Campsori primo tribuendus est excessus pecuniæ, quæ pluris æstimatur in loco solutionis faciendæ, & deindè iusta merces pro virtuali trãsportatione pecuniæ de loco ad locum per litteras; atq; ideò Campsor tunc duplici ex capite lucratur, vt rem hanc declarauimus *d. §. 1. q. 3. concl. 3.* Quando demum cambium fit gratia, & ob necessitatem vtriusq; cambientis, tunc si pecuniæ vnius loci inferiores sint in valore, quàm pecunia alterius, reducendæ sunt ad æqualitatem, ita vt recompenletur id, quod minus valent pecuniæ, quæ sunt valoris inferiores: at hoc casu neutri debetur stipendium, vt *d. q. 3. concl. 4.* sufficienter ostendimus. His etiam adde, quæ infra dicemus *dicto 7.*

9 Dico sextò Campsorem per litteras peccare recipiendo plus lucri ex cambio, eo quòd præcipit solutionem fieri, visis litteris, quàm post aliquod notabile tempus: siquidem illud incremẽtum non perciperet ratione loci; sed ratione tẽporis, atq; ideò ex mutuo, & sic vsuram committeret, vt ostendimus, *in nostris Commentarijs ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1 q. 4. sub num. 3. & seq.* vbi etiam *num. 6.* ob id diximus falsam esse opinionem *Garc. de contr. par. 2. cap. 9.* quẽ refert, & sequitur *Lopez eod. tr. lib. 2. cap. 4. q. vlt.* dum inquit, licitum esse danti Campsori Metinæ mille aureos transferendos Valentiam post tres menses ad petitionem ipsius Campsoris non aliàs transmissuri, nisi data illa dilatione, & non tantùm minuere illi mercedem; sed etiã in totum tollere: siquidem talis contractus reduceretur ad mutuum; ex quo dans dictos mille aureos, lucrum allequeretur ex dilatione solutionis, & sic vsuram committeret. Fit autem cambiorum per litteras solutio multis modis. Primò fit, visis litteris, & tunc facienda est statim solutio regulariter, præsentatis litteris. Secũdò post aliquod tempus, præsentatis litteris; nẽpè post octo, decem, viginti dies, post duos, vel tres menses: & tunc solutio debetur statim post illud præfinitum tempus. Tertiò præcipitur solutio, ad vsum, & tunc fieri debet iuxta vsum, & consuetudinem Mercatorum. Deniq; præcipitur solutio ad primas Nundinas, quæ fiunt quater in anno, de trimestre ad trimestre, de quibus omnibus egimus *d. q. 4. in princ. & eod. §. 1. q. 1. vers. Decimotertio.* His adde quæ dicemus infra *dicto 30.*

10 His adde ea, quæ in dictis nostris *Commentar.* cumulauimus *d. §. 1. q. 19. 20.* vbi ostẽdimus peccare Campsorem percipientem maius lucrũ ex cambio, quo magis dat per locum distantiorẽ ad instantiam ipsius Campsoris; secus autem ad instantiam Campsuarij: sicut peccat Campsor dans pecuniam in vno loco sibi reddendam in alio condicto tempore: & maius lucrum recipiens, quò maior datur temporis distantia, ad pecuniam ipsam reddendam. Est tamen verum, quod quo magis nundinæ sunt distantes maius lucrum ex cambio percipi potest; quoniam non semper Campsor qui dat cambio, minus in principio Nundinarum, quàm in medio, & minus in medio, quàm in fine emit scutum Marcharũ; nam aliquando contingit oppositum. Et dato quòd rarò id eueniat; nihilominus id nõ prouenit ex temporis distantia; sed propter Campsorum copiam, cùm plures tunc sint, qui pecunias suas alijs ad cambium tradant, vt nos declarauimus *d. q. 20. in fine, & in proęm. q. 8. in respons. ad 6. argum.*

11 Dico septimò peccare Campsorem dantem pecuniam cambio in loco vbi plus valet, recepturum eam in loco vbi minus valet, & lucrantem ratione maioris æstimationis pecuniæ. Etenim quando monetæ pluris valent vbi dantur, quàm vbi recipiuntur, reducendæ sunt ad æqualitatem, ita vt recipiens ad cambium refundat Campsori, quod plus valet ipsius Campsoris pecunia, soluta eidem debita mercede: siquidem cambium est contractus innominatus, & reducitur

citur ad contractum permutationis, & essentialiter est commutatio: at in commutatione æqualitas est seruanda, ita vt res, quæ permutantur sint pretio, & æstimatione pares, vt fusius de hac re egimus *in nostris Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. in proem. q. 13. & §. 1. q. 21.* quibus adde quoque, quæ supra adnotauimus *dicto* 5. Non tamen negamus, quin dans cambio ex præcedenti obligatione ad cambiẽdum possit ratione talis obligationis vltra debitam mercedem aliquod incrementum consequi, vt post alios ostendimus *d. §. 1. q. 12.*

12 Dico octauò peccare Campsorem dantem pecuniam ad cambium in vno loco, recepturum in alio, & paciscentem, vt si per legem, vel Principem augeatur pecuniæ valor, eius sibi reddatur augmentum. Etenim eiusmodi pactum iniquum esse probat *Salon. de camb. q. 4. ar. 2. cõtr. 4.* nam eo casu non seruatur æqualitas, cùm dãs plus reciperet, quàm dederit: quod tamen verum est nisi Campsor fuisset pecuniam seruaturus vsque ad illud tempus, in quo creuit pecuniæ valor, vt nos declarauimus *in dictis nostris Commentar. §. 1. q. 5.* vbi multis modis conclusionẽ hanc ampliauimus, ac limitauimus.

13 Dico nonò peccare Campsorem dantem pecuniam in vno loco, & computantem pecuniam restituendam in alio maiori valore, quàm fuerit auctoritate publica taxata, quãdo pecunia legalis est firma, ac inuariabilis, & materia illius nõ plus valeat in loco destinatæ eiusdem restitutionis. Nam quamdiù publica taxatio monetæ vim habet, nefas est plus accipere, vt per *Inn. in cap. quantò, de iure iur. Tol. lib. 5. sua sum. cap. 51. Reginal. lib. 25. sua prax. num. 447. verf. Dicendum secundo*, & fusiùs declarauimus *in dictis nostris Commentar. in extrau. B. Pij V. de cãb. §. 1. q. 6. concl. 3.* vbi hanc conclusionem limitauimus, quando Campsor velit augere valorem legalem pecuniæ ratione lucri cessantis: tunc enim ratione lucri cessantis posset Campsor illud incrementum in cambio computare. Dixi: *Quando pecunia legalis est firma, ac inuariabilis*; quoniam aliter esset dicendum, vbi pecunia legalis esset variabilis, vt ibidem declarauimus.

14 Dico decimò peccare Campsorem percipientem lucrum ex cambio celebrato de loco ad locum intra eandem Prouinciam, vel intra idem Regnum contra legis prohibitionẽ. Potest enim lege prohiberi, ne cambia sub lucro fiant de loco in locum intra eandem Prouinciam, vel intra idem Regnum: siquidem lex eiusmodi potest esse expediens Reip. ad euitandas vsurarum palliationes, quæ in eiusmodi cambijs fieri possunt, atq; ideò ligat in conscientia, vt probat *Salas de camb. dub. 10.* quem nos ad id retulimus *in nostris Commẽtar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 8. concl. 5. sub num. 18.* & inquit, quòd lex ista non fundatur in præsumptione, quæ cessat in foro conscientiæ quando cambium aliàs esset iustum; sed fundatur in veris periculis, atq; ideò causa finalis talis legis non est præsumptio vsurarum; sed securitas, & vitatio periculi palliandi vsuram in tali contractu: & propterea obligat in conscientia, iuxta ea, quæ habentur ex *Fillinc. tomo 2. qq. moral. tr. 33. cap. 5 à num. 93. vsque ad num. 99.* Est tamen verum, quòd lucrum perceptum ex tali cambio contra legis prohibitionem licèt sit restitutionis obnoxium quoad forum exterius, etiam si nulla intercesserit fraus, & cambium esset iustum, eo quòd absq; titulo esset perceptum, vt *in l. non dubium, C. de legib.* nihilominus quoad forum interius non est restituendum ante sententiam; etiam si lex procederet ultra reddendo recipientem incrementum illud incapacem, ut diximus *d. q. 8 sub num. 14. & seq. concl. 4.* Etenim ex natura rei cambium intra idem Regnum, & intra eandem Prouinciã, remota lege prohibente non solùm est validum; sed ex eo percipi potest lucrum tam ratione transportationis pecuniæ, quàm ratione eiusdem copiæ, vel penuriæ, vt ostendimus *d. q. 8. concl. 6. sub num. 19.*

15 Dico vndecimò peccare Campsorem celebrãtem cambium, in quo recipit pecuniam in vno loco restituturus in alio si excedat limites iusti pretij: non tamen contractus redditur nullus. Prima pars conclusionis patet ex eo, quod dicitur facere contra iustitiam. Probatur modo quo ad secundam partem: siquidẽ cambium est contractus innominatus, qui reducitur ad contractus emptionis, ac venditionis, & commutationis, quibus magis assimilatur, vt probauimus *in d. Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. in proem. q. 10. concl. 5. verf. Denique:* at in contractu præsertim emptionis deceptio in pretio non annullat ipsum contractum, vt per *DD. in l. 2. C. de rescind. vend.* ergò deceptio in cambij pretio ipsum cambium non annullat, vt rem hãc fusiùs declarauimus *in dictis nostris Commentar. §. 1. q. 9.* eandem multipliciter amplantes, ac limitantes.

16 Dico duodecimò peccare Campsorem dantẽ cambio suam pecuniam pauperi in vno loco recipiendam cambitam in alio, & recipientem maiorem mercedem ab eo, quàm si dedisset ad cambium diuiti, vt habetur ex *Nauar in Man. cap. 23. num. 81. Soto lib. 6. de iust. & iure, q. 4. ar. 1. ad 1.* & ex alijs docentibus, ex sola ratione periculi in recuperanda sorte, non posse mutuantem incrementum aliquod ex mutuo percipere: quoniam eiusmodi periculo spontè se exponit, & metum vult subire, & ideò non attenditur. Sed quicquid sit de hac re, cùm non desint qui contrariam doceant opinionem, & inter alios est *Scac. de commerc. & camb. §. 1. q. 7. par. 2. ampl. 10. num. 68. & 69.* Nos hanc conclusionem limitauimus *in dictis nostris Commentar. §. 1. q. 17. num. 6.* cum Campsor dat ad cambium personæ adeò inopi, vt probabili se exponat periculo amittẽdi pecuniam, quam cambio dedit; quoniam tunc ratione talis periculi potest Campsor maius lucrum ex eo percipere, etiam si sit supra pretium commune fori. Etenim mutuans cum probabili periculo amittendi pecuniam mutuatam, potest aliquid ex tali mutuo intendere ratione talis periculi, vt habetur ex *Medina de restit. q. 38. §. ad tertiam causam, & in quarta causa, Molina de contr. disp. 304.* & latiùs 356. *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 21. dub. 6. & cap. 13. dub. 4. num. 43.* & ex alijs, quos nos retulimus *d. q. 17. num. 6.* vel saltem tutior videtur opinio *Scacc. de commerc & camb. §. 1. q 7. par. 2. ampl. 15. num. 1.* dicentis, Campsorem dantem pecuniam ad cambium pauperi, ij osse ab eo cõsequi

sequi maius incrementum, quàm à diuite; dummodo non excedat limites iusti pretij.

17 Dico tertiodecimò peccare Campsorem negãtem dare cambio petenti per locum vbi minus lucretur, & nolle dare nisi per locum vbi plus lucrabitur. Etenim si talis Campsor sit publicus, & ex officio, peccat contra iustitiam, cùm teneatur cambire per loca ad libitum petentis. Et si Campsor sit persona priuata licèt non peccet cõtra iustitiam; nihilominus potest peccare contra charitatem, & æquitatem, vt inquit *Molfes. par. 2. sua sum. tr. 12. cap. 7. num. 82.* Quod tamen verum est, nisi aliàs id cederet in magnũ Campsoris incommodum: siquidem tale incommodum, nec secundum iustitiam, nec secundum charitatem tenetur subire, vt rectè habetur ex *Filliuc. tomo 2. qq. moral. tr. 35. de censib. & camb. cap. 10 q. 5. num 473.* & nos latius adnotauimus *in dictis nostris Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 18. per totam, & q. 28. num. 15.*

18 Dico quartodecimò peccare Campsorem dãtem pecuniam impuriorem in vno loco, recepturum in alio cambitam puriorem, vt patet ex ijs, quæ docent *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 12. ar. 1. concl. 1. Ledes. 2. par. sum. tr. 8. de camb. concl. 9. & Ioan. Salas de camb. dub. 27.* dicentes, quòd cambire monetam inferioris auri, vel argenti pro alia superiori, quamuis sit eiusdem ponderis, & valoris legalis; nihilominus nisi intercedat cõpensatio aliqua, est manifesta iniustitia: siquidem dans pecuniam impuram pro puriori, minus dat, quàm recipit; id autem est contra iustitiam commutatiuam. His adde, quæ nos adnotauimus *in nostris Commentar. ad extrau. B. Pij V. de camb §. 1. q. 23.* vbi fusius de hac re egimus.

19 Dico quintodecimò peccare Campsorem dãtem cambio, mediantibus pignoribus perceptis, quorum luitionem probabiliter credat non futuram. Nam quamuis licitum sit dare cambio sub pignore, ac etiam adhibitis fideiussoribus non solùm pro securitate sortis, sed etiam mercedis, etiam si Campsuarius tempore celebrati contractus sit soluendo, & vt vulgo dicitur, *Buona lettera*, vt ostendimus *in nostris Commentar. ad extrauag B. Pij V. de camb. §. 1. q. 24. num. 3. cum plur. seq.* nihilominus ita demum licitè pignora percipiuntur in cambio, quando à cõtrahentibus, vel saltem à Campsore speratur eorum luitio: aliàs pignora censerentur data in satisfactionem cambij, atque ideò Campsuarius non teneretur soluere Campsori lucrum aliquod ratione cambij; sed tantùm nudam sortem illius super datis pignoribus pro concurrenti quantitate: quando enim pignora dantur creditori pro quocunque alio credito citra vllam spem luitionis, censentur data in solutum pro ipso credito, vt habetur per *Bald in l. voluntas, num. 9. C. de fideiuss.* & ex alijs, quos nos retulimus *d. q. 24. sub num 9.* vbi *num. 11.* diximus quoque, quòd quamuis pignora & fideiussores in cãbio adhiberi possint; attamen Campsor cùm pignora, & fideiussores accipit debet minus pretij pro cambio percipere, quàm si percepisset, pignoribus, vel fideiussoribus non datis: nam hoc casu tutior efficitur, & minori exponitur periculo. His adde, quæ adnotauimus *in dictis nostris Commentar. §. 1. q. 6.*

20 Dico sextodecimò peccare Campsorem pecuniam dantem ad cambiũ in vno loco sibi reddendam cambitam in alio integram, si ibi eam Princeps auxerit post celebratum contractum. Tunc enim Campsor reciperet plusquàm daret: quod esset contra iustitiam commutatiuã. Vndè si Titius Campsor Venetus dederit Meuio ad cambium 100. scuta, vt cambita sibi reddantur Neapoli, si post celebratum contractũ Rex valorem scuti auxerit vno caroleno; ita vt dum tẽpore celebrati contractus scutum valeret Neapoli carolenos undecim, ad præsens, & tempore solutionis faciendæ ualeat duodecim, tunc Cãpsor non poterit percipere Neapoli integra scuta centum; sed tantùm nonaginta: siquidem hæc aucta ualent tot carolenos, quot ualebant centũ scuta ante eorum actionem: aliàs Campsor plus exigeret, quàm dederit in ratione pecuniæ. Ita *Filliuc. tomo 2. qq. moral. tr. 25. cap. 11. q. 2. sub num. 486.* & alij loquentes de eo qui mutuat scuta 100. & post mutuũ creuit pecuniæ valor; nam is, qui mutuum accepit, non tenetur integra scuta reddere, sed pauciora. Hæc sententia re vera est probabilis; nam habet pro se nonnullos alios Doctores grauis ponderis, quos retulimus *in nostris Commẽtar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 25. num. 2. & 3.* vbi etiam *num. 4.* adduximus *Angl. q. de camb. ar. 8. q. 5.* dicentem, quòd si quis det centum scuta, vt totidem reddantur, quando pretium fuerit auctum, aut si putet probabiliter esse augendum vsuram committit.

Cæterum nos *in d. q. 25.* vt loquamur consequenter ad ea, quæ adnotauimus *in nostris Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de censib. § 3 q 6.* distinguendum duximus, quòd pecunia post celebratum contractum cambij contingit mutari dupliciter: nempè quoad bonitatem, vel malitiã extrinsecã, vt quia scutus aureus erat magis, vel minus expendibilis tẽpore celebrati contractus, quàm hodie, in quo facienda est cambij solutio: vel quoniã tempore contractus erat maior, aut minor copia pecuniæ, quàm ad præsens tempore solutionis faciendæ; aut quia tempore celebrati contractus scuto aureo à Rep. vel Principe fuerat constitutum minus, aut maius pretiũ, quàm tempore solutionis cambij in loco destinatæ solutionis. Altero autem modo contingit mutari pecuniam quoad bonitatem, aut malitiã intrinsecam; vt quia scutus aureus erat tẽpore contractus ex auro impuro, vel ex puro, sed diminuto: & tempore solutionis cambij esset ex auro puro, vel impuro, sed aucto in pondere: vel è conuerso. Vndè conclusimus *in d q. 25. concl. 2.* quòd si in casu, de quo agitur moneta fuerit aucta à Principe quoad bonitatem intrinsecam in loco condictæ solutionis, tunc solutio cambij facienda est de moneta, quæ currebat tempore contractus, si extet, Campsoris interest: si verò nõ extet, debet fieri solutio de moneta currente tempore solutionis, iuxta valorẽ tamen monetæ antiquæ, quæ currebat tempore contractus: & id siue fuerit conuentum de soluendo cãbio de certa specie monetæ, siue in moneta currente tempore solutionis faciendæ: siue quòd solutio fieret de moneta currente, non exprimendo ad quod tempus monetæ cursus sit referendus: aut tandem fuerit simpliciter conuentum de solutione, vt latè probauimus *d. q. 25. concl. 2. num. 17. cum plur. seq.*

eandem multipliciter amplianies, ac limitantes. Quòd si moneta, quæ currebat tempore celebrati contractus fuerit aucta secundum bonitatem extrinsecam, tunc solutio cambij est facienda de moneta currente tempore solutionis faciendæ, non autem de moneta iuxta valorem, quem habebat tempore celebrati contractus, atque ideò moneta ipsa aucta integra debetur Campsori, vt in *d.q.25.concl.3.* ostẽdimus, quam multis quoque modis ampliauimus, & limitauimus, vbi tamen, *num.7.concl.1.* ostendimus, quòd quando vigore conuentionis initæ solutio cambij in loco condicto facienda est de certo monetarum genere; Campsuarius tenetur de iure stare conuentioni, nec Campsor cogi potest aliud monetarum genus accipere, si tale monetæ genus reperiatur tempore solutionis.

21 Dico decimoseptimò peccare Campsorem in nundinis ad se trahentem totam pecuniam, adhoc, vt paucis existentibus Campsoribus, & quamplurimis Campsuarijs accipientibus ad cambium, possit ad eius libitum cambiorum pretia augere. Id enim est contra cambij nundinalis iustitiam, & expressè prohibitum per *extrauag. B Pij V. de camb.* in illis verbis: *Eos verò qui conspirationes fecerint, vel congestam vndique pecuniam, ità ad se redegerint &c.* Vbi etiam damnantur monopolia, & Nos fusiùs in nostris *Commentar. ad d. extrauag §.1. qu.28. num.13. & 14.* Quæ nam sint cambia nundinalia, ac de nundinarum origine, ac iustitia, latè egimus *d §.1 q.26. & 27.* vbi etiam *q.29 30 & 31.* tractauimus de pretio cambij ad nundinas quomodo constituatur, & quot personæ concurrant ad eiusmodi cambia celebranda, ac praxim retulimus.

22 Dico decimoctauò peccare Campsorem dantem cambio, ac scientem tempore celebrati cõtractus, Campsuarium non habere in nundinis, nec pecuniam, nec alium qui pro eo soluat: & multò magis peccat, si ex defectu solutionis obliget Campsuarium ipsum ad recambium. Siquidem eiusmodi cambium non est verum, sed fictum, quoniam in eo non fit vera, ac realis cõmutatio vnius pecuniæ cum altera in diuersis, & distantibus locis; quia ab initio Cãpsor sciebat commutationem nunquam futuram, sed litteras esse remittendas inanes: & dum obligat Campsuarium ad recambium ad locum celebrati contractus maximè, clarè conuincitur non habuisse intentionem cambiendi; sed mutuandi cum lucro, & sic vsuram committendi. Et si ad noua recambia, donec ei fuerit satisfactum, Cãpsuarium ipsum obliget, grauissimè peccat: nam non solùm intendit interesse principalis sortis; sed etiam iniustitiam iniustitiæ addendo, exigit singulis nundinis in remittendis litteris: qui cãbiendi modus satis est ad exhauriendum, & cõsumandi in breui facultates magni diuitis. Vndè meritò eiusmodi cambium iniquum, ac siccũ à Doctoribus iudicatur, vt habetur ex *Merc. lib.4. de contr. cap.10. Soto lib.6. de iust. & iure, q.13. ar.2. Nauar. in cap nauiganti, num.25. de vsur. & Romoal Coli in suo tr de cambio, c.14. propè fin.* quos Nos ad id adduximus in nostris *Commentar. ad extrauag B Pij V. de camb §.1. q.28 sub num.10.* vbi etiam *num. 8.* diximus ex *Romoal. Coli loco citato, cap. 13.* quòd si quis dedit cambio tempore celebrati contractus existimasset, Campsuarium, qui ad cambium accepit, re vera ibi habere pecuniam, vel creditum pro cambio soluendo cõdicto tempore, & loco: & deindè antè solutionem in cognitionem deuenerit, quòd Campsuarius neutrum habeat, debet rescindere, & annullare contractum, & esse solius sortis principalis contentus vna cum interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, si quod fuerit passus: & id potest intendere in primis tantùm nundinis, vt per *Romoal Coli d c. 14.* & Nos in *d q.28 num.11.*

23 Dico decimononò peccare Campsorem litteras quidem accipientem à Campsuario, sed non mittentem eas ad locum destinatæ solutionis; eo quod intendat cambium sibi solui in loco celebrati contractus. Etenim eiusmodi cambium tanquam vsurarium damnatur per *extrauag. B. Pij V. de camb.* in illis verbis: *Primum igitur damnamus ea omnia cambia, quæ sicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas, seu ad alia loca cambia celebrare simulent; ad quæ loca ij qui pecuniam recipiunt, litteras quidem suas cambij tradunt, sed non mittuntur, &c.* Siquidem eiusmodi Cãpsor lucrum ex tali cambio intendit ratione tẽporis, non autem loci. Non tamen dicimus litteras esse de essentia cambij per litteras; quia potest dari cambium reale de loco ad locum absq; litteris, vt ostendimus in nostris *Commẽtar. ad d. extrauag. §.1. q.33.* vbi rem hanc latè tractauimus, & *q 37.* Idem dicendum est de cambio in quo Campsor acceptas litteras à Campsuario mittit ad locũ destinatæ solutionis, sed scit, transacto tempore vnde processerant esse referendas inanes, vt probauimus *eod. §. 1. q.34.* in qua etiã egimus de cambio, in quo Campsor ignorabat litteras esse referendas inanes, sed Campsuarius sciebat: & è contra, de cambio, in quo Campsor sciebat litteras referendas inanes, sed Campsuarius id ignorabat. Adde etiam hic, quæ ibidem adnotauimus *q 35.* vbi siccum, ac iniquum censuimus cambium, in quo Campsor probabiliter putat litteras esse acceptandas in loco destinatæ solutionis ab eo, ad quem diriguntur; sed non soluendas: & *q. 36.* in qua siccum quoque probauimus cambium, in quo Campsor probabiliter putat, Campsuarium reuocaturum litteras datas pro loco destinatæ solutionis, & cambium cum lucro soluturum in loco celebrati contractus: is enim conuincitur voluisse mutuare sub lucro, & sic vsuram committere, & nõ cambire.

24 Dico vigesimò peccare Campsorem plus iusto pretio ex cambio exigẽtem, eo quòd Campsuarius reperiatur in magna necessitate accipiẽdi cambio. Etenim quis non potest alicui vendere carius, eo quòd magnam habet necessitatẽ emendi, atque ideò est restitutioni obnoxius; quoniam pretium rei iudicatur ex valore rei in se, non autem ex commoditate, quas res ementi in particulari est allatura, vt habetur ex *Molina de contr. disp.386. num.1.* Sic etiam si quis vendat rem suam vilius, vt redimat se, vel suos à captiuitate: vel vt se, suosque alat in magna necessitate, tenetur vilius emens ad iusti pretij supplementum: ergò, & Campsor, qui dat cambio, quãdo emit scutum marcharũ minori pretio, propter vrgentem Campsuarij necessitatem, tenetur iu-

iustum pretium supplere : siquidem vendens vilius,& emens carius in supradictis casibus non consentiunt simpliciter. Ita *Scacc. de commerc. & camb.§.1.q.7.par.3. limit. 6.* & alij à Nobis citati in nostris *Commentar.ad extrauag. B. Pij V.de camb.§.1.q.*38.vbi de hac re fusiùs egimus rem ipsam multis modis ampliantes , ac limitantes.

25 Dico vigesimoprimò peccare Campsorem dantem cambio, in quo obliget Campsuarium à principio contractus soluere certum,ac determinatum interesse, etiam in casu non solutionis: Est enim eiusmodi cambium non solùm damnatum per *extrauag. B. Pij V.de camb.* vt constat ex illis verbis: *Statuimus, ne deinceps quisquam audeat,siuè à principio,siuè aliàs certum, & determinatum interesse , etiam in casu non solutionis pacisci.* Sed etiam est vsurarium, cùm eiusmodi cambia vsuraria declarentur per dictã *extrauag.*vt habetur ex *Nauar. in Man. c.* 17. *num* 292.*& in cap.nauiganti,num.*77. *de vsur. Azor.par.*3.*instit. moral. lib.* 10.*tit. de camb.c.* 10 *vers. Sextò cùm pecunia* , & ex alijs à nobis relatis in nostris *Commentar.ad d. extrauag.§.* 1. *q.* 39. vbi rem hanc multipliciter ampliauimus,ac limitauimus.

26 Dico vigesimosecundò peccare Campsorem dantem cambio, quod vulgò dicitur: *Con la ricorsa*,ad Procuratorem ipsius Campsoris, ea lege,vt non possit recambire alibi , quàm in loco, vbi vult ipse Campsor : Est enim eiusmodi cambium illicitum , cùm ex tali obligatione clarè colligatur intentio recipiendi cambium in loco celebrati contractus,& non in nundinis; quamuis litteræ mittantur , & quasi per nouum cambium remittantur pecuniæ soluendæ, vbi fuerũt datæ ad cambium , vt habetur ex *Azor. par.* 3. *instit.moral.lib.*10 *cap.*9.*q.penul.*Vndè non rectè cambiret Campsor dans Genuæ ad cambiũ cum recursa ad Procuratorem suum Placentiæ, vbi facienda est solutio cum obligatione, vt Genuam remittat pecuniam,& non aliò,vt Nos adnotauimus in nostris *Commentar.ad extrauag. B.Pij V. de camb.*§.1. *q* 40.*circa finem, vbi in princ. quæstionis*, latè declarauimus,quid sit dare cambio cum recursa,& quot modis fiat.

27 Dico vigesimotertiò peccare Campsorem dãtem cambio cum recursa , & obligantem Campsuarium ad recurrendum ad ipsius Campsoris Procuratorem pro solutione cambij Etenim huiusmodi cambium est illicitum:nam dumCampsor dat cambio obligando Campsuarium ad recurrendum pro solutione cambij ad suum Procuratorem,seu correspondalem aliàs non daturus ad cambium,huiusmodi obligatio est præter naturam contractus cambij; quoniam Campsuarius ad aliud obligari nequit, quàm ad soluendum cambium in loco condicto. Hanc conclusionem docet *Azor. par.*3. *instit.moral. lib.* 10 *de camb cap* 9.*q* 5. & alij , quos Nos retulimus in dictis nostris *Commentar.* §.1. *q.* 41.*nu.* 2.*cum plur.seq.* vbi idem dicendum esse censuimus de mutuante , vt ei non liceat obligare mutuatarium ad celebrandum cum eo contractum assecurationis rei mutuatæ , esto quòd indigeat, vt in *cap.nauiganti,de vsur* Est tamen verum, quòd si ratione talis obligationis minuatur pretium cambij ad arbitrium boni viri, cambium prædictum erit iustum,ac rationabile,vt in *d.q.* 41.declarauimus *num.*11.vbi etiam à *num.*5.vsque ad finem rem hanc multis modis ampliauimus,ac limitauimus .

28 Dico vigesimoquartò peccare Campsorem dantem cambio, cum recursa ad proprium Procuratorem , qui non habeat , nec pecuniam. nec creditum aliud,nisi remissæ à Campsuario debitum, & ad eundem Campsorem pertinẽs, vt patet ex ijs,quę latissimè cumulauimus in nostris *Commentar.ad extrauag.B.Pij V.de camb.*§.1. *q* 42.vbi retulimus nonnullas Sacrę Congregat. determinationes,iustitias, aut iniustitias cõcernentes præfati cambij , & aliorum similium , & ostendimus,an, & quando continuationes cambiorum licitè exerceantur; etiam cum interesse limitato Et denique in *eod.*§.1.*q.*43.sufficienter explicauimus quæstionem illam , in qua quæritur,an cambia, quæ per Sacram Congregationẽ fuerunt declarata non subsistere,& eadem retulimus *d q.*42.non subsistant,quia re ipsa sint sicca, & vsuraria . Et conclusimus affirmatiuè.

29 Dico vigesimoquintò peccare Campsorem Campsuarium recambiendum in loco celebrati contractus . Est enim eiusmodi cambium siccũ; cùm ei super addatur onus, cui ex sui natura nó est debitum, atque ideò est impudens , ac illicitum,vt habetur ex *Scacc.de commerc.& camb.* §.1 *q* 7.*par.*3.*lim.*5.*num.*4.vbi *num.*1. rem hãc ampliat veram esse, etiam si Campsor pro tali onere remitteret Campsuario octauam partem pretij . Etenim dum obligatur Campsuarius ab initio celebrati contractus ad recambiendum per locum vbi fuit celebratus contractus , clarè conuincitur Campsor de praua ipsius intentione, & impudentia mutuandi sub lucro, & non cambiendi: & quòd viatur cambitione cum tali circuitione in fraudem vsurarum,vt Nos quoq; adnotauimus in nostris *Commentar. ad extrauag.B.Pij V.de camb* §.1.*q* 43.*sub num.*9 *&* 10.

30 Dico vigesimosexto peccare Campsorem non restituentem quęsita ex cambijs siccis, ac vsurarijs , non obstante bona fide , & communi consuetudine celebrandi eiusmodi cambia , tanquã realia communiter existimata.Siquidem in materia vsurarum consuetudo cum bona fide non suffragatur, vt in *c.quia in omnibus*, & ibi,*Glossa,de vsur. Roch.in cap.fin.in* 3.*not. de consuet.* cum alijs à Nobis allegatis in nostris *Commentar.in extrauag. B.Pij V.de camb.* §.1 *q* 44.*nu.* 4. *cum plur seq.* Probauimus enim in nostris *Commentar.ad extrauag.eiusdem B. Pij V.de censib.*§.3 *q* 20.*ampl.*2 *&* 3 *a nu.*5 *ad* 18 quod percipientem pensiones ex censu nullo , quia vsurario, ab earum restitutione non excusat bona fides, nec ætas, nec sexus , nec æquitas legis curabit, *C.de action. emp.* eo quòd propter censfus inualiditatem pretium remanet apud venditorem illius,tanquam purum mutuum: ergò idẽ dicendum est in casu nostro,cùm militet eadem ratio, arg *tex in l.illud.ff.ad leg. Aquil.* Hæc conclusio adeò vera est, vt locum sibi vendicet, etiam si percepta ex dictis cambijs fuerint bona fide consumpta ; quoniam licèt fructus bona fide consumpti regulariter non veniant restituendi,vt in *l bona fidei.ff. de acquir.rer.domin* Et id maxima si concurrat legitima præscriptio ; nihilominus cùm simus in materia vsuraria,eorum

rum consumptio à restitutione non excusat, vt Nos latè ostendimus *d. q. 20. num. 10 & d. q. 44. num. 9.* vbi tamen *num. 12.* eandem conclusionē limitauimus, vt quamuis percepta ex eiusmodi cambijs bona fide celebratis sint restitutione obnoxia; nihilominus Campsor posset ea sibi retinere ratione lucri cessantis, pro rata tamen, qua eiusmodi interesse ex causa talis contractus fuerit passus, iuxta ea, quæ habentur ex *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 20. num. 10.* An autem quæsita ex huiusmodi cambijs bona fide celebratis, & communiter æstimatis realibus saltem in Regione celebratorum contractuum possint legitimè præscribi, vide quæ adnotauimus in dictis nostris *Commentar. de camb. §. 1. q. 45 per totā.* Et an celebrantes cambia scienter sicca, & vsuraria perdant pecunias ad cambium datas, & excludantur à consecutione interesse, de hac re diffusè quoque egimus *d. § 1. q. 46.*

31 Dico vigesimoseptimò Campsores exercentes cambia declarata à Sacra Congregatione non subsistere, & de quibus egimus in nostris *Commentarijs ad extrauag. B. Pij V. de camb. § 1. q. 42.* non solùm peccare, sed etiam tanquam vsurarij veniunt puniendi, vt latè ostendimus in eisdem nostris *Commentar. § 1. q 47.*

32 Dico vigesimo octauò peccare Campsorem recipientem in depositum pecunias, vt illas negotietur in cambijs, & in cambijs non fuerit negotiatus. Etenim quamuis licitum sit deponere penès Campsorem pecunias, vt illas negotietur in cambijs, si in illis non negotietur, proculdubio peccato infidelitatis dicitur peccare: & si deponens putet Campsorem daturum pecunias ad cambia realia, deindè comperiat dedisse ad cambia sicca, poterit sibi lucrum retinere loco interesse, vt ostendimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. § 1. q 48* Plura quoque cumulauimus circa deponentes eorum pecunias apud Campsores, quæ videri possunt *d. § 1. q 19. 20. 21. 22 & 23.*

33 Dico vigesimononò peccare Campsorem suas pecunias mutuantem, & accipientem à mutuatario obligationem in forma depositi, cum pacto soluendi ipsi lucrum, iuxta pretium fori Genuæ per Placentiam ratione lucri cessantis, ac damni emergentis, & solutis eidem prouisionibus; si pecunias, quas accepit cambio gratia sui tantum mutuet, non autem gratia accipientium mutuo. Siquidem Campsor hoc casu nullum damnum dicitur pati, nec lucrum sibi cessat, nec prouisiones perdit ratione mutui, cùm pecunias, quas cambio accepit supponimus otiosas apud se habere, nec ad cambium dare velle, nec pro se, nec pro alijs. Vndè aliquid ex eiusmodi mutuo percipiens, proculdubio vsuram committit, cùm solùm vi mutui, & in pretium illius, & non ex alia causa percipiat, contra *tex. &* ibi, *Doctor. in cap consuluit de vsur.* & Nos adnotauimus in dictis nostris *Commentar. §. 1. q. 54.* vbi rem hanc fusius declarauimus.

34 Dico trigesimò peccare Campsorem augentē lucrum cambij ob dilatam fortis solutionem. Ex hoc enim cambio perciperet Campsor lucrū non ratione loci, sed ratione temporis, atq; ideò ex mutuo, & sic vsuram cōmitteret. Ità *Sot. lib. 6 de iust & iure q. 10. ar. 2. & q. 12 art. 5.* Hinc sequitur, quòd Campsor dans cambio ad primas nundinas Genuæ per Placentiam, mille aureos ad rationem 66. solidorum pro scuto March. Si deindè Campsuario proroget tempus solutionis vsque ad sequentes nundinas, & cum eo conueniat, vt scutum March. censeatur emptum ad rationem solid. 65. is citra omnem dubitationem cambium, & vsurarium celebrat: quoniam incrementum illud vnius solidi recipit ratione solius solutionis ad tempus dilatæ. Ita *Azor. par. 3. instit. moral. lib. 10. de camb. cap 8. vers. Tertia conclusio,* & alij, quos Nos retulimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de cāb. § 1 q. 55.* vbi tamen *q. 56.* nō ita diximus de Cāpsore maius lucrum ex cambio percipiente, quo magis nundinæ sint distantes, vbi rationem diuersitatis assignauimus.

35 Dico trigesimoprimò peccare Campsorem dantem in cambio merces pro pecunia. Is enim facit contra essentiam cambij, quod dicitur cōmutatio pecuniæ cum pecunia: & si reducatur ad contractum *empt. & vendit. scutum Marcharum* in nundinis se habet loco mercis. Confirmatur, quoniam in mutuo reijcitur onus recipiendi merces pro pecunia, sicut in contractu censūs: ergo idem dicendum est in casu nostro; quia cābium habet magnam affinitatem cum mutuo. Ita *Scacc de commerc. & camb. § 1. q. 7. par. 3. lim. 11.* & Nos adnotauimus in nostris *Commentar ad extrauag. B. Pij V. de camb § 1. q. 57.* vbi conclusionem hanc limitauimus non procedere si Campsor det pecuniam creditam ad cābium, aut merces appretiatas pro pecunia numerata: siquidem licèt regulariter rei emptæ constituatur in pecunia numerata; non propterea sequitur, vt in alijs rebus constitui, ac solui non possit, vt in *l pretij, C. de rescind. vend.*

36 Dico trigesimosecundò peccare Campsorem dantem pecuniam suam cambio pro pretio currenti, cum pacto, vt si pretium augeatur, cedat in vtilitatem ipsius Campsoris; si autem minuatur in detrimentum eiusdem non cedat. Est enim eiusmodi contractus illicitus, sicut ille, quo quis dat triticum pro pretio currenti, & si pluris valebit in mense Maij, id cedat in vtilitatem vendentis, non autem in detrimentum, vt in *cap. cōsuluit* & ibi, *Doctor. de vsur.* Est tamen verum, quòd licet eiusmodi contractus sit iniustus; non tamen est vsuarius, cùm Campsuarius decipiatur in pretio; atque ideò est contra iustitiam commutatiuam, vt ostendimus in nostris *Cōmentar. ad extrauag. B Pij V. de camb § 1. q. 58.*

37 Dico trigesimotertiò peccare Campsorem dantem suas pecunias ad cambium Pisanum, de quo egimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de cambijs, § 1. q. 61.* vbi declarauimus quidnam sit eiusmodi cambium, & qualiter iustificari possit. Sicut etiam tractauimus *q. 62.* de cambio inter Antuerpienses, & Hispaniarum Regem, & *q 63 & 64.* egimus quoque de cambio in monte, & de cambio ex officio, & *q. 65. & 66.* de cambio, quod vulgò dicitur, *forzoso,* & de cambio cum agio.

38 Dico trigesimoquartò peccare Campsorem cambium celebrantem cum persona inhabili ad contrahendum ex defectu liberæ voluntatis, vt sunt furiosi, mentecapti, frenetici, & alij similes. Siquidem cum eiusmodi personis cambij celebratio est nullius momenti. Vndè si incrementū aliquod

aliquod Campsor ex eiusmodi cābijs percipiat, cùm iustus percipiendi titulus desit, efficitur restitutioni obnoxius, vt habetur ex *Scac. de commerc. & camb.* §. 1. q. 7. par. 3. limit. 17. Dixi, *Ex defectu liberæ voluntatis*, quales sunt furiosi, & alij, quos supra nominauimus; necnon ebrij, lunatici tempore actualis infirmitatis, infantes, ac etiam Religiosi citra Superiorum licētiam cùm per professionem priuentur velle, ac nolle, vt declarauimus *in nostris Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 1. q. 67. concl. 1. Siquidem si agatur de cambio celebrato cum persona inhabili ex defectu ętatis, tunc licet sit siccum quoad vtilitatem eius, qui cū tali persona contrahit; est tamen validum in vtilitatem ipsius personæ inhabilis, vt *in §. pupillus, in Instit. de inutil. stipul. & §. sed quod diximus*, & ibi *Glosa, eod. tit. Scac. loc. cit.* & nos *d. q. 67. concl. 2.* ibi etiam *concl. 3.* determinauimus quid dicendum sit de cambio celebrato cū persona inhabili ratione conditionis, & *concl. 4.* de persona inhabili ratione officij.

39 Dico trigesimoquintò peccare Campsorem cambia celebrantem in Ecclesia: sunt enim cābia in Ecclesia prohibita exerceri non solùm iure humano; sed etiam iure Diuino, vt patet ex illo *Matt. cap. 21. & Luca cap. 9.* & est *tex. in cap. 2. de immun. Eccl. in 6.* Etenim in illis Euāgelij locis legitur, Christum Dominum templū ingredientem mensas Nummulariorū euertisse, & dicentem: *Scriptum est, Domus mea domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum*; vt nos etiam fusiùs de hac re egimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 1. q. 68. vbi rem hāc ampliauimus quoque, ac limitauimus.

40 Dico trigesimo sextò peccare Campsorē dantem cambio Principi suas pecunias, quem scit, aut probabiliter credit, se illis vsurum in bello iniusto, vt habetur ex *Scac.* post alios in suo *tr. de comm. & camb.* §. 1. q. 7. par. 3. limit. 18. Etenim sicut mortaliter peccat vendens arma illi, quem scit ea emere ad nocendum iniustè, aut ad bellum, quod nouit esse iniustum, vt inquit *Nauar. in Man cap. 23. num. 90. vers. Peccat*, ita etiam lethalem culpam contrahit, qui dat pecunias ad cambium Principi, quem scit se illis vsurum in bello iniusto, cùm militet eadem ratio. Imò Campsor hoc casu non solū peccat; sed etiā efficitur restitutioni obnoxius, atq; ideò tenetur omnia damna reficere, si dando pecunias cābio Principi vt supra, fuit damnorum illatorum effectiua causa, vt nos ostendimus in nostris *Commētar. ad extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 1. q. 71.

41 Dico trigesimò septimo peccare Campsoribus cooperantes ad celebrandum cambia sicca, vsuraria, aut quocumque alio modo illicita, vt sunt proxenetæ, famuli, & alij similes, de quibus latè egimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 1. q. 73. & q. 74. quibus locis latissimè de his omnibus tractauimus, & rem ipsā sufficienter explicauimus, agentes etiā de Tutoribus, ac Curatoribus pupillorum, ac minorū, qui eorum nomine dant pecunias cambio sicco, ac iniusto; & de Notarijs instrumenta cambiorum siccorum, ac iniustorum rogantibus.

42 Dico trigesimoctauò peccare Campsores dantes cambio pro nundinis intercalatis. Siquidem expresè prohibentur eiusmodi cambia per *extrauag. B. Pij V de camb.* in illis verbis: *Neq; realia cambia aliter quàm pro primis nundinis, &c.* vbi prohibentur celebrari cambia, nisi pro primis nundinis: qui verò dat cambio pro nundinis intercalatis, non dicitur date cambio pro primis nundinis, sed pro secundis, seu vlterioribus, vt nos declarauimus *in nostris Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 2. q. 7. vbi conclusionem hanc explicauimus, vt cambio dari non possit, nec pro intercalatis terminis, vt constat ex *eadem extrauag.* ibi: *Neque realia cambia aliter quam pro primis nundinis, vbi illa celebrantur: vbi verò non celebrantur pro primis terminis, iuxta receptum locorū vsum exercere.* Rationem autem eam esse diximus: nam qui dat cambio nō pro primis, sed pro secundis, seu vlterioribus nundinis, seu terminis auget pretium ratione temporis, non autem ratione loci: id autem est vsurarium. Est tamen verum, quòd si intercalatio nundinarum, aut terminorū est gratuita, tunc cambia huiusmodi erūt licita, vt ibidem ostendimus. Quæ diximus de cambijs pro nūdinis, seu terminis intercalatis, extēdimus ad cambium celebratum pro pluribus nundinis, aut pro pluribus terminis simul: & ad cambium celebratum in eodem loco à primis ad secundas nundinas, & à primis ad secundos terminos, vt adnotauimus *in d. §. 2. q 8. & 9.* vbi etiam *q. 10.* declarauimus quid sit cābium ad certos terminos: & quando cambium ad certos terminos sit reale, ac iustum. Vide etiam *q. 11.*

43 Dico trigesimonono Campsores non solùm peccare mortaliter celebrantes cambia sicca, & vsuraria; sed etiam varijs pœnis affici: sicut si faciant monopolia, ac conspirationes ad augenda pretia cambiorū, vt latè de his omnibus egimus *in dictis nostris Commentarijs §. 3. q. 2. 3. 4. 5. & 6.*

De Campsuarijs, & eorū culpis à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Campsuarius, pecuniam accipiens ad cambium siccum, citra necessitatem, sed ad solemniùs epulandum.*

2 *Peccat Campsuarius, petens, vel accipiens pecuniam ad cambium siccum ab eo, qui taliter pecuniam dare non est paratus.*

3 *Peccant Campsuarij, monopolia facientes, vt minus iusto pretio cambiant.*

4 *Peccat Campsuarius, scienter pecuniam accipiēs ad cambium siccum, si eam non restituat Campsori vna cum interesse.*

5 *Peccat Campsuarius, pecuniam non soluens, in loco, & tempore condicto, aut in moneta debita.*

1 Dico primò peccare Campsuarium accipientem pecunias ad cambium siccum citra necessitatem aliquam, ad solemnius epulandū, ad

ad ludos exercendos, ad fornicandum, aut ad vestiendum vltra decentiam status in damnum, ac detrimentum suorum creditorum, vxoris, filiorum, aut propriæ familiæ. Etenim quamuis nullam iniuriam, & sic iniustitiam committat Campsuarius contra Campsorem; potest tamen iniustitiam committere contra suos creditores, vxorem, & filios, vt de vsurarijs, ac mutuatarijs docent *Sot. lib. 6. de iust. & iure, q. 1. ar. 5. Nauar. in Man. cap. 17. num. 263. & Molina de contr. disp. 335.* Etenim dantes cambio sicco vsurarij sunt, & nomine tantùm Campsores, vt nos ostẽdimus *in nostris Commẽtar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. in progem. q. 12. & §. 1. q. 72. concl. 1. num. 8. & seq.*

2 Dico secundò peccare Campsuarium petentẽ, seu accipientem pecuniam ad cambium siccum ab eo, qui pecunias dare cambio sicco non est paratus, vt patet ex *D. Thoma 2. 2. q. 78. ar. 4.* & in eum *Salon. in princ. eiusdem articuli, Innoc. Panor.* & ex alijs *in cap. super eo, de vsur. Molina de contr. disp. 335.* & ex omnibus alijs, qui volunt mutuatarium citra culpam non posse petere, seu accipere pecunias sub vsuris ab eo, qui ad fœnerandum non est paratus: siquidem id esset illum inducere ad peccandum; quod non est licitum, vt ostendimus *in nostris Commẽtar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 72. concl. 2. num. 11. cum plur. seq.* vbi *num. 14.* hanc tamen conclusionem limitauimus, vt locum nõ habeat in eo, qui cùm extremè indigeat, petierit pecunias mutuo, vel ad cambium reale ab aliquo diuite, & ille dare eas recusauerit; quoniam eo casu potest illum inducere citra omnem culpam ad contrahendum secum cambium siccum, & ad mutuandum sub vsuris: quoniam hoc casu nõ est proximum ad peccandum inducere; sed potius consulere, vt minus peccet, vt latissimè de hac re egimus *d. q. 72. concl. 2.* vbi etiam *concl. 3.* sufficienter declarauimus quonam casu licitum sit ad cambium siccum petere, & accipere pecunias ab eo, qui expositus est, & paratus suas pecunias dare cambio sicco.

3 Dico tertiò peccare Campsuarios facientes monopolia, & conspirationes, vt minus iusto pretio cambiant: monopolia enim, & conspirationes non solùm fieri possunt in cambijs à Cãpsoribus ad augendum pretium cambiorum; sed etiam à Campsuarijs ad pretium ipsum minuẽdum, vt ostendimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 2. q. 4. num. 4. & 18. & seq.*

4 Dico quartò peccare Campsuarium scienter accipientem pecuniam ad cambium siccum si eam non restituat Campsori vna cum interesse: siquidem celebrantes cambia sicca capitale cum interesse non amittunt; aliàs Campsuarij dicerẽtur locupletari cum alterius iactura. Dixi, *Sciẽter accipientem, &c.* idest quòd verè sciat Campsuarius cambium esse siccũ, & adhuc detineat Campsoris pecunias: secus autem si credat cambium esse iustum: nam tunc non diceretur esse in mora in restituendo cãbij pretio Campsori, quæ exigitur, vt debeatur interesse, vt fusiùs declarauimus *in nostris Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 46. limit. 1. num. 22.* & latiùs *num. 4 cum plur. seq.* ubi tamen *num. 23.* diximus, quòd si bona fide dans cambio sicco putans dare cambio reali, intenderet lucrum illud percipere omni iusto titulo, quo possit, & Campsuarius consentiat saltem implicitè, tunc posset resolui cambium illud in mutuum non simpliciter, sed in mutuum cum interesse, iuxta ea, quæ habentur ex *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 25. num. 4.* & ex alijs; atque ideò Campsori deberetur interesse, si passus illud fuerit. Est tamẽ verum, quòd id locum non habet in nostro Neapolitano Regno, in quo vsurarij plectuntur pœna confiscationis bonorum, atq; ideò vsurarij amittunt capitale, & interesse, vt ostendimus *d. q. 46. num 24. num. 25.*

5 Dico quinto peccare Campsuarium non soluentem cambium con dicto loco, & tempore, aut in moneta debita. Etenim morosus debitor æquiparatur furi, atq; ideò sicut fur peccat, & tenetur rem furtiuam vna cum interesse restituere, ita & morosus debitor, vt post alios probat *Scacc. de comm. & camb. § 1. q. 7. par. 2. ampl. 8. nu. 100.* & nos *in dictis nostris Commentar. d. q. 46. sub num. 11.*

De Locatore, & Conductore, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

D I S P. XXIX.

S V M M A R I V M.

1 *Locatio, & Conductio magnam affinitatem habent, cum emptione, & venditione.*

1 AD euidentiam eorum, quę in hac re dicenda erunt, est aduot. quod locationis, & cõductionis contractus magnam affinitatem habet cum cõtractu emptionis, ac venditionis. Etenim sicut emptio, seu venditio est de iure gentium, solo consensu perficitur, est contractus nominatus, bonæ fidei, certo pretio constituitur; ita etiã locatio, & conductio, vt habetur ex *tex.* & ibi *DD. in l. 2. in princ. ff. locati, & § 1. in Instit. eod. tit. de locat. & conduct.* Et sicut locatio est contractus, quo persona, vel res aliqua ad vsum, vel fructum pretio conceditur; ita conductio est cõtractus, quo persona, vel res ad vsum, & fructum comparatur pretio. Quemadmodum enim vnus, & idem cõtractus ex parte vnius appellatur emptio, & ex parte alterius venditio; ita quoq; vnus, & idem contractus ex parte vnius est locatio, & ex parte alterius conductio. Et denique sicut ab emptione, ac venditione deriuantur emptor, & venditor; ita pariter à locatione, & conductione nominantur locator, & conductor. Nos igitur hanc disputationem in duas partes dissecantes, in prima Sectione de Locatore; & in secunda de Conductore agemus.

De Locatore, & eiusdem culpis à discreto, ac cauto Confessario explorãdis.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Peccat locator, rem locans vltra iustum pretium.*

Iustum stipendium Officialium, & aliorum operariorum quodnam sit.

2 *Peccat locator, si conductorem expellat à re locata, tempore locationis non completo.*

3 *Idq; non solum locum habet in locatione expressa, sed etiam tacita.*

4 *Nec tantum in locatione prædiorum vrbanorum, & rusticorum, sed etiam in locatione operum in diem, vel aliud tempus locum habet.*

Et non solum peccat infideliter se habendo, sed tenetur ad interesse lucri cessantis, & damni emergentis.

5 *Non modo locator, sed etiam eius hæres stare tenetur locationi.*

6 *Etiam minor tenetur stare locationibus, factis per suum Tutorem, vel Curatorem.*

7 *Potest locator conductorem expellere non finito tempore locationis, si statuto tempore pensionē non soluat.*

8 *Sic etiam, si ex superuenienti causa, tempore contractus non præuisa, res ipsa fit locatori necessaria.*

9 *Sic quoque si res locata reparatione indigeat, vel refectione necessaria, quam adhibere nequit ipse conductor.*

10 *Potest quoque locator conductorem à re locata expellere non completo locationis tempore, si conductor re ipsa abutatur.*

An, & quando sit illi remittenda pensio pro rata temporis.

11 *Emptor rei locatæ, & alius particularis successor, qui titulum habet à locante potest conductorem expellere, nec tenetur stare locationi.*

12 *Peccat lethaliter locator, rem locans conductori, quem putat vsurum ad alterius iniuriam.*

13 *Peccat locator rei fructiferæ, non remittens de pensione conuenta conductori ob sterilitatem superuenientem.*

14 *Siue sterilitas superueniat ob Exercitum diripientem, vel deuastantem fructus, siue ob inūdationem maris, fluminis, &c. semper est facienda remissio pensionis.*

15 *Etiam si fructus iam collecti pereant casu fortuito, antequam potuerint commodè in domū recondi est facienda pensionis remissio.*

16 *Sicut locator tenetur pensionem remittere in totum, vel in partem iuxta quantitatem sterilitatis, ita conductor tenetur ad maiorem pensionem ob insolitum augumentum fructuum.*

17 *Non est facienda remissio pensionis, si sterilitas proueniat ex culpa conductoris.*

18 *Non tenetur locator remittere pensionem quādo pactum fecerit de ea integrè soluenda in quocumq; euentu, etiam sterilitatis.*

Vel si superueniat calamitas valdè consueta.

19 *Si fructus corrumpantur, aut pereant, quando in domum conductoris fuerint translati, nulla fit remissio pensionis.*

Neque si ex vbertate præcedentis, vel sequentis anni compensetur sterilitas.

20 *In colono partiario, quando scilicet pensio consistit in parte aliquota fructuum non datur remissio pensionis.*

21 *Peccat locator, si expensas necessarias pro vsu rei locatæ facere recuset, aut à conductore factas, eidem non reddat, vel cum pensione non compenset.*

22 *Locator tenetur etiam ad expensas vtiles, factas à conductore in re locata, saltem finito locationis tempore.*

23 *Non tenetur ad expensas locator, vbi deductū fuerit in pactum, vt conductor de suo has expensas faceret.*

Idem est, si in contrarium extaret consuetudo.

24 *Peccat locator exigens à conductore rei locatæ mercedem, vbi superueniat aliquod impedimentum ex parte rei conducta citra culpam conductoris, propter quod rem conductam deserat, vel ea non vtatur, aut non colat.*

HAnc *sec. & seq* paucis positis conclusionibus, explicabimus; præcipua, quæ in hac materia traduntur absoluentes. Sit igitur

PRIMA CONCLVSIO.

1 PEccat locator vltra iustum pretium rem locans: is enim violat iustitiam commutatiuam, sicut & venditor vltra iustum pretium rem vendens. Vndè quæ supra *disp. 26. sec. 9.* adnotauimus de vendentibus vltra iustum pretium, possunt applicari ad locantes res supra iustum pretium: siquidem locatio, & conductio affinitatem quandam habent cum emptione, & venditione, vt sup. diximus, & patet ex *tex. in Instit. de locat. in princ.* in illis verbis: *Locatio, & conductio proxima est emptioni, & venditioni, eiusdēque iuris regulis consistit, &c.* Et quamuis pretium sit de ratione locationis, & conductionis, sicut & emptionis, & venditionis, vt patet ex supra relato *instit. §.* ibi: *Nam vt emptio, & venditio ita contrahitur si de pretio conuenerit; ita & locatio, & conductio ita contrahi intelligitur si merces constituta sit: & competit locatori quidē locati actio; conductori verò conducti.* Pretium tamen vsus rei locatæ debet consistere in sola pecunia numerata, vt per *Glos. ibidem*, & alios *DD.* & hanc sententiam communem esse testatur *Arias Pinel. in rub. C. de resc. vend. par. 2. cap. vlt. à num. 29.* licet eam non sequatur, & latè *Mol de contr. disp. 436.* Etenim si pecunia non detur pro pretio vsus rei locatæ, non locatio, seu conductio; sed contractus innominatus diceretur; ac proinde non competeret actio locati, ac conducti; sed actio præscriptis verbis, vt probat *Molina loc. cit.* qui soluit etiam *Pinel.* contraria.

Est autem iustum stipendium operariorum, ac officialium, & aliorum, qui locāt operas suas, vt sunt famuli, scribæ, & alij eiusmodi, quod passim in loco huiusmodi operarijs, officialibus, & famulis tali ministerio occupatis dari solet; ita, vt non sit minus infimo, nec maius summo, vt rectè declarat *Less. de iust. & iure lib. 2. cap. 24. dub. 4. num. 23.* vbi *num* 4. ex hoc infert, quòd quando operarijs non omninò constat stipendiū ipsis constitutum esse infra infimum iustæ mercedis gradum non potest vti compēsatione subtrahendo de rebus Domini; siquidem in dubio, vtrum aliquid sit iustitiæ lege debitum, non habet locum compensatio, vt per eundem *Less. loco cit. cap. 12. dub. 10.* Quòd si certò sciat operarius sibi fuisse constitutū stipendium infra infimum,

tunc potest vti compensatione, etiam si nulla facta sit conuentio de certo stipendio, & res tota relicta sit arbitrio Domini: non enim operarius mercedem ita relinquit arbitrio Domini, vt ei totum obsequium, vel partem intendat præstare gratis, si ille nihil velit dare; sed mens eius censetur esse, vt soluat, quod æquum, & iustum ei visum fuerit, vt colligitur ex eodem *Less. d. dub. 4. sub num.* 24. vbi tamen *num.* 25. *& seq.* ait esse aduertendum, quòd in duobus casibus non est necessarium, vt stipendium attingat infimum iustæ mercedis modum. Primus casus est, si conductor non egeat opera alterius; sed solùm ex misericordia ad preces ipsius ipsum conducit. Secundus casus est, si famulus spontè non petat iustum stipendium, vt hac ratione alliciat animum Domini ad procurandum officium, vel beneficium. Illud deniq; circa rem hanc est adnot. quòd licèt famulus, qui locauit operas suas pro certo tempore, si in morbū incidat, aut alio simili impedimento obsequia præstare non possit, non teneatur Dominus mercedem illius temporis illi soluere; & si quos sumptus Dominus in illo curando fecerit, possit ab eo illos repetere; nihilominus finito eo tempore, non tenetur supplere tempus, in quo ob ægritudinem seruire non potuit, vt rectè probat *Mol. de contr. disp.* 505. An autem, & quando quis valeat pluribus operam suam insolidum locare, & plura integra stipendia percipere. Vide *Less. d. cap. 24. dub. 5.* vbi sufficienter rem hanc explicat.

SECVNDA CONCLVSIO.

2 PEccat locator expellens conductorem à re locata, tempore locationis non completo. Hæc conclusio patet ex eo, quòd contrahentes tenentur seruare contractus per se habitos, illisq; stare. Ait enim *tex. in l. 1. ff. de pact.* quòd nihil tam congruum est humanæ fidei, quàm ea, quæ inter eos placuerit, seruare.

3 Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat non solùm in locatione expressis verbis inita; sed etiā in locatione tacita, vt si conductor, sciente, & patiente locatore, perseueret in re conducta, finito iam tempore, pro quo erat locata; siquidem eo casu censetur prorogatus contractus iuxta distinctionem traditam à *Mol. de contr. disp.* 498. *num.* 9. atque ideò ab eiusmodi tacita prorogatione non est licitum contrahentibus discedere, nisi concurrat consensus vtriusq; partis. Vt enim Labeo ait *in l. 2. cum plur. seq. ff. de pact.* conuentiones fieri possunt re, per epistolam, uel per nuncium, ita tacito quoque consensu perficiuntur.

4 Secundò ampliatur eadem conclusio, ut uera sit non modo in locatione urbanorum, aut rusticorum prædiorum, & aliarum rerum; sed etiam in locatione operum in diem, uel in aliud tempus: etenim locans operas suas tenetur eas præstare si possit: imò si fideliter non laborauit intra limites laboris, ac curæ debitæ, ita ut prudētis arbitrio laborem saltem infimum iustum pro eo debitum non attingat, teneatur conductori restituere de stipendio pro rata eius laboris, & operis, quod præstare tenebatur, ut rectè declarat *Mol. de contr. disp.* 493. *in fine.*

Tertiò ampliatur, ut locator, siue sit rei, siue operum non solum peccet infideliter se habens; Verum etiam teneatur conductori restituere interesse lucri cessantis, ac damni emergentis, si quod fuerit passus, iuxta ea, quæ tradita sunt ex *Nauar. in Man. cap. 17. num.* 196. quem refert *Mol. loc. cit.*

5 Quartò ampliatur ipsa conclusio, vt non solū locator, sed etiam eius hæres teneatur stare contractui, ita vt non possit durante tempore locationis conductorem à re locata expellere. Etenim contractus locationis, & conductionis ad hæredes transit, tam locatoris, quàm conductoris interim dum tempus non finitur, pro quo res locata fuit, ac conducta, vt in *l. cum pluribus, §. hæredem ff. loc. l. viam veritatis, C. de loc. & §. vlt. in instit. eod. tit.* & hanc sententiam communem esse, testatur *Mol. de contr. disp.* 499. *num.* 6. qui tamen *num.* 7. id limitat, nisi contractus fuerit initus, vsque ad beneplacitum locatoris, aut conductoris, vel dum fuerit ipsius voluntas: siquidem beneplacitum, & voluntas, cùm morte cessent, expirat contractus morte eius, cuius beneplacito, aut voluntati id fuit commissum, *l. 4. ff. loc. & cap. si gratiosa, de rescrip. in 6.* Secus autem dicendum est, si res ita locata sit, quousq; reuocetur. Secūdò limitat, quando aliquis operas suas locauit ad aliquid, quod per alium impleri non potest: nam tunc eo mortuo, contractus non transit ad hæredes, vt per *Glos. in l. veteris, vers. Sine non, C. de cōtrah. & commit. stipul.* Cæterum hæres tenetur stare contractui, etiam si sit Fiscus: Secus autem si successor sit particularis, vt in *l. si fundus ff. loc. Anton. Gom. tom. 2. var. resol. cap. 3. nu. 10. Nauar. in Man. cap. 17. num.* 187. & latiùs *Mol. de contr. disput.* 491. qui agit etiam de successore ad Maioratum.

6 Quintò ampliatur, vt locator teneatur stare locationi, non solùm à se factæ; sed etiam Minor teneatur stare locationibus factis per suum tutorem, & curatorem, finita tutela, seu cura, tam ipse, quàm hæres ipsius; sicut è contrario conductor, & ipsius hæres, etiam si factus sit maior. Etenim quando aliquis est legitimus administrator nomine alieno rerum aliquarum, vt sunt tutores, curatores, & procuratores, tunc is, cuius nomine res illas administrat, non secus tenetur stare contractibus per illum factis, quàm si ipse illos celebrasset, vt habetur ex *Anton. Gomes tomo 2. var. resol. cap. 15. num.* 5. & facit *tex. in l. si tutela, ff. de admin. tut.* Est tamen verum, quòd si minor compertretur notabiliter læsus, competit ei restitutio in integrum, vt docet *Molina de contr. disp.* 492. *sub num.* 1. qui *num.* 2. *Gomes loco citato*, idem putat dicendum, cùm maritus paraphernalia bona vxoris administrat, tāquam procurator illius: nam tenetur vxor stare locationibus factis de præfatis bonis per maritum. Non tamen ita dicendum esse probat de locatione facta per ipsum maritum bonorum dotalium: tenetur tamen maritus, aut ipsius hæres conductori ad interesse: & vxor, & eiusdem hæredes tenentur seruare indemnem in ea parte maritum, vt habetur in *l. si filio familias, §. si vir in quinquennium, ff. sol. matr.* & rectè declarat *Mol. loco citato, num. 3. & seq.* vbi tamen id limitat non habere locum in Prælatis Ecclesiasticis, & beneficiarijs, ac commendatarijs: nam hi non tenentur stare locationibus factis de bonis Ec-

Eccle siasticis per suos antecessores, quando res locauerint suis dignitatibus, aut beneficijs deputatas ad proprios ipsius redditus, & sustẽtationem: secus autem si nō ad ipsorum redditus proprios attinentes, sed pertinentes ad eorum Ecclesias, seu Monasterium, tanquam legitimi administratores locauerint; nam tunc successores tenentur stare locationibus.

7 Sic ampliata limitatur primò dicta conclusio, vt locator possit conductorem à re locata expellere ante præfinitum tempus contractus, si conductor ipse pensionem tempore debito, non soluat, vt in *l. edem, C. loc.* An autem locator possit conductorem expellere, statim non soluta pensione, vel post aliquod tempus: & vtrum propria auctoritate id agere valeat, vel teneatur adire Iudicem, sufficienter declarat *Mol. de contr. disp* 499. *num.* 1. *cum plur. sequentibus*, vbi etiã id probat verum esse, etiam si interuenit iuramentum de conductore non expellendo.

8 Secundò limitatur, vt locator citra culpam possit expellere conductorem à re locata ante completum locationis tempus, si ex superueniẽti causa tempore contractus non præuisa res ipsa sit locatori necessaria ad proprium vsum, vt in *d. l. edem, C. loc. cap. propter sterilitatem, § Verum, eod. tit. Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 193. *Couar pract. qq cap.* 30 *num*.... & alij, qui exẽplum ponunt cum *Glos. in d. l. edem, § Necessarium*, in eo, qui locauit domum: & propria, in qua habitabat, casu corruit, aut tutò non possit habitari, & locator aliam domum non habeat: tunc enim à domo locata potest citra culpam expellere conductorem, etiam non finito tempore locationis. Idem dicendum putat, si locator vxorem duxerit, aut eius filius, vel eiusdem pater, seu frater, vel nuptui dederit filiam, quod tempore contractus non sperabat, & ad habitãdum est sibi necessaria domus, quam locauit, quoniam aliam commodam ad id non habet: tũc enim potest expellere conductorem, etiam non finito locationis tempore: quod tamen quomodo procedat sufficienter declarat *Mol. de contr. disp* 499 *sub num.* 6. vbi etiam putat extendendam hanc eandem limitationem, si locator aliquam fuerit adeptus dignitatem, vt si fuerit creatus Miles, Doctor, Præsbiter, Aduocatus, &c ipse, vel eius filius, & domo locata indigeat.

9 Tertiò limitatur eadem conclusio, vt locator citra culpam possit expellere conductorem à re conducta, non completo locationis tempore, quando res ipsa locata indiget reparatione, seu refectione necessaria quam adhibere nequit ipse conductor, vt in *d. l. edem, C. loc. & cap. propter sterilitatem, § Verum, eod. tit.* Finita tamen refectione tenetur locator rem locatam restituere conductori, vt ea vtatur pro tempore conuento, vt habetur per *Glos. & Bart. in l. si duo, §. cũ inquilinus, ff. vti possid. & Mol. loco cit. nu.* 11.

10 Quartò limitatur ipsa conclusio, vt locator possit expellere conductorem à re locata, non completo locationis tempore, quando conductor abutitur re locata damnum illi inferendo, vt si fuos in domum conductam introducat: aut contra bonos mores abutatur, meretrices, aut Lenones in eãdem introducendo, vel aliud turpe, aut indecens in eadem exercendo, vndè detrimentum, aut scandalum viciniæ subsequatur, vt in *d. l. edem, C. loc. cap. propter sterilitatem, § Verum, eod. tit.* & latè declarat *Molina loco citato, num.* 11. *cum plur. seq.* qui *num* 7. 8. & 9. præfatas limitationes putat locum sibi vendicare, etiam si res locata fuerit hypothecæ subiecta, aut pactum præcesserit de non expellendo: etiã si fuerit iuramento firmatum: siquidem hypotheca, & pacta huiusmodi non intelliguntur in euentibus à iure exceptis, vt in *l. quæro, § inter locatorem, ff. loc.* Est tamen verum, quòd in casibus primæ, ac secundæ limitationis, quando expellitur conductor à re locata remittendum illi est de pensione pro rata temporis: & in casu tertiæ limitationis debet offerri à locatore domus alia æquè bona, in qua interim inhabitet, aut eodem modo remitti illi debet de pensione, vt in *l. qui in insulam in princ. ff. locati.* In casu verò quartæ limitationis, an remittendum sit de pensione, rectè declarat *Mol. d. disp.* 499. *sub nũ.* 14. qui *num.* 15. addit, quod in supradictis euentibus, in quibus locator potest expellere conductorem à re locata, licèt possit illum expellere propria auctoritate, vt in *l. si duo, § cum inquilinus*, iuncta *Glosa, ff. vti possid.* tamen tutius est adire Iudicem.

11 Quintò limitatur prædicta conclusio, vt quãuis regulariter locator non possit expellere conductorem à re conducta, durante tempore locationis, emptor tamen rei locatæ, aut alius particularis successor, qui titulum habet à locante, potest illum expellere, nec tenetur stare locationi: conductori tamen competit actio personalis ad interesse aduersus locatorem, aut hæredes illius, si iam sit defunctus, vt scilicet ei soluat, quãtum sua intererat continuari contractus in totũ tempus, vt in *l emptorem, C. de loc. l. si merces, §. si qui fundum, ff. eod.* Quæ tamen vera sunt, nisi locator cedat in particulare ius, & actionem, quã aduersus conductorem habebat, vt continuaret contractum; nam tunc cogi potest ad illum cõtinuandum, vt sufficienter declarat *Mol. de contr. disp.* 490. vbi *num.* 3. eadem ratione conductor non tenetur stare emptori, donatario, legatario, aut alij singulari successori.

TERTIA CONCLVSIO.

12 PEccat lethaliter locator locans rem, quam putat ea vsurum conductorem ad iniuriã lethalem alterius. Hæc conclusio est communis, etiam si locator sua intentione non intendat iniuriam illam, ac peccatum. Etenim locator ipse re ipsa concurrit ad iniuriam alterius. Vndè si quis gladium, aut equum locet ei, quem sciat eo vsurum ad bellum iniustum, aut ad iniustè vulnerãdum, aut ad interficiendum proximum, esto quòd intentio locantis non attingat eam iniuriam, ac peccatum, proculdubio lethalem culpam contrahit. Ita *Mol. de contr. disp.* 500. *num.* 2. vbi *num.* 1. id multò magis inquit verũ, vbi intentio locãtis peccatum attingat, vt si quis locet domum ad fœnerandum, vel ad fornicandum. Est tamen verum, quòd locans domum meretrici, vel vsurario non ad finem fornicandi, aut fœnerandi, sed ad finem habitandi, cum habitatio illa sit actus indifferens, quamuis inde sequatur fornicatio, aut fœneratio, locator ipse non peccat, si per Remp. tolerentur maximè me-

tetrices, & vsurarij ad euitandum maius malum vt rectè declarat *Less. lib. 2. de iust. & iure, c. 24. dub. 8.* eo quòd eorum peccatum non tenetur vitare, vt patet ex ijs, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 195. & Mol. loco citato, num. 3.*

QVARTA CONCLVSIO.

13 PEccat locator rei fructiferæ non remittendo de pensione conuenta conductori, propter sterilitatem superuenientem, siquidem si sterilitas sit tanta, vt nulli fructus colligantur, conductor liberetur à tota pensione: si verò non sit tanta, solùm tenetur soluere partem pensionis, iuxta quantitatem fructuum recollectorum, vt in *l. si merces, §. vis maior, l. ex conducto, § si vis, vers. Sed etsi, l. si vno, §. vbicunque ff. loc. c. propter sterilitatem, de loc. & cond. Gomes tom. 2. var. resol. cap. 3. nu. 19 Mol. de contr. disp. 495. & Less. lib. 2. de iust. & iure cap. 24. dub. 3.* qui rem hanc sufficienter explicant, & rectè declarant, quando sterilitas fructuum tanta sit dicenda, vt pensio pro rata minui debeat, vel in totum remittenda.

14 Ampliatur hæc conclusio, vt locum sibi vendicet, siue in re locata superueniat sterilitas ob exercitum diripientem, aut destruentem fructus; siue ob inundationem maris, aut fluuiorum; siue ob nimiam pluuiæ abundantiam, aut nimiam siccitatem; siue ob locustas, vel brucos, aut alios vermes, aliaque animalia; siue ob ignem, aut aliquam aliam quamcunque causam: tunc enim locator non potest citra culpam totam pensionē exigere, sed tenetur eam in totum, vel pro parte remittere conductori iuxta quantitatem sterilitatis superuenientis, vt benè probat *Mol. d. disp. 495 in princ. & Less. d. dub. 3. num. 15.*

15 Secundò ampliatur eadem conclusio, vt procedat, non solùm in supra relatis casibus; verum etiam quando fructus iam collecti positi in fundo, vel in area pereunt casu fortuito, antequam commodè potuerint in domum recondi: siquidē hoc casu perinde locator tenetur remittere pensionem conductori in totum, vel pro parte, ac si sterilitas fuisset, vt in *l. ex conducto, §. 1 ff loc. Gomes loco citato, & Less. d. dub. 3.* vbi *num. 18.* idem putat dicendum, si conditis in horreo fructibus fulmen, vel hostis ex improuiso superueniens calamitatem inferat, cum eadem militet ratio, arg. *tex. in l. illud. ff. ad leg. Aquil.* Non tamē id admittitur à *Mol.* vt infra dicemus *lim. 4.*

16 Tertiò ampliatur ipsa conclusio, vt quæ diximus de sterilitate, nempè vt locator teneatur remittere pensionem in totum, vel pro parte iuxta quantitatem sterilitatis, è contra extendantur ad insolitum augmentum fructuum, vt teneatur conductor ad maiorem pensionem: Etenim si pensioni est aliquid detrahendum ob sterilitatem; etiam postulat æquitas, vt ob insolitā vbertatem aliquid ei addatur, vt sicut locator sentit onus ex sterilitate, ita etiam ex vbertate commodum reportet. Hinc ait *Bart. in l. si merces, §. vis maior, num 8. ff. loc.* quòd si quis conduxerit molendinum, & alia vicinia impetu aquarum sint destructa, augeri debere pensionē. Est tamen verum, quòd *Less. d. dub. 3. sub num. 21.* hanc rem limitat, quando ratione talis vbertatis non multum minuitur pretium, ita vt longè maiorem pecuniam tunc possit conflare, quàm ordinariè solet. Nam si ratione abundantiæ pretium ita decreuit, vt magna illa fructuum copia non multò pluris valeat, quàm cōsueta messis, æquum non est pensionem augeri: quod verum puto, nisi pensio consisteret in fructibus eiusdem rei locatæ, aut in contrarium esset consuetudo. Imò non est despicienda sententia *Molin. d. disp. 495. circa finem*, contrarium sentientis. Et eo magis, quando fructuum vbertas prouenit ob magnum pretium fructuum; quoniam secundum communem sententiam relatam à *Mol.* ibidem, ratione talis fructuum vbertatis, non tenetur conductor ad maiorem pensionem.

17 Sic ampliata limitatur primò supradicta conclusio, vt locum habeat quando sterilitas in fructibus rei locatæ non prouenit ex culpa conductoris: aliàs secus esset dicendum; quoniam dānum, quod quis sua culpa patitur, sibi imputatur, vt in regula damnum, *de regul. iur. in 6.* & in specie *Mol. d. disp. 495. in princ. & num. 7.* latiùs. Est tamen verum, quòd conductor eo casu tenetur tantùm de dolo, lata culpa, & leui, non autem leuissima: siquidem conductor locatori, & locator conductori de leuissima culpa non tenentur, nec de casu fortuito; quoniam huiusmodi locationis contractus est in commodum vtriusque contrahentis: vbi autem talis est contractus, nec aliud inuenitur expressum, contrahentes tenentur solum de dolo, lata culpa, & leui; non autem de leuissima, & casu fortuito, etiā si agatur de locatione operum; nisi aliter inter partes fuerit conuentum, vt rectè declarat idem *Mol. loco citato, num. 494. num. 1. cum plur. seq.* vbi agit etiam non tantum de propria locatorū, & conductorum culpa, sed etiam suorum, & explicat *tex. in l. qui insulam, §. vlt. & l. si merces, §. qui columnam, ff. loc.* Idem dicendum est si res locata pereat, aut quocunque alio impedimento conductor vti, aut frui ea non possit, nam non tenentur de culpa leuissima, nisi fuerit deducta in pactum: quo casu debetur interesse nō solum intrinsecum, sed etiam extrinsecum, vt habetur ex eodem *Mol. ibidē, disp. 493. & 494.* Adde hic, quæ infra dicemus *concl. 6.*

18 Secūdò limitatur, vt locator non teneatur remittere pensionem, quando pactum fecerit cum conductore de ea soluenda integrè in quocunq; euētu, etiam sterilitatis: siquidem id deduci potest in pactum: quia potest conductor renunciare omnibus casibus fortuitis, & dispositioni fauorabili legis, vel consuetudinis, quæ in euentibus fortuitis concedunt remissionem, vt habetur per *Gomes tomo 2. var. resol. cap. 3. num. 19. Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 24 dub. 3. sub num. 12. & Molin. de contr. disp. 495. num 11. & 12.* vbi rem hanc latè declarat.

Tertiò limitatur, vt locator non teneatur remittere pensionem conductori ob sterilitatem superuenientem, quando calamitas, quæ fructus abstulit, valdè consueta est in locis rei locatæ: Etenim dantur regiones aliquæ multum imbribus suppositę, & fluuiorum inundationibus, quibus alluūtur subiectę, vt in Lusitania: & tempestates in Gallia Cisalpina, quibus fructus deuastantur frequenter euenire solent. His enim casibus pensio non remittitur cōductori ob super-

peruenientem sterilitatem, vt colligitur ex *tex. in l. ex conducto, §. si vis, vers. Sed etsi, ff. locati, Aluar. Valasc. de iure emphyt. q. 27. num. 34. Aries Pinell. in l. 2. C. de rescind. vend. par. 1. cap. 3. num.* 30. & alij quamuis contrarium videatur sentire *Mol. de contr. disp* 495. *sub num.* 6. nisi res ob eam causam longe minori pensione locetur, quàm alioquin locaretur, cuius opinio rationi nobis videtur satis consentanea, atq; ideò probabilior.

19 Quartò limitatur conclusio si fructus corrūpantur, aut pereant quando in domum conductoris translati, vt si vinum acuerit, aut effundatur, triticum computrescat postquàm fuerit receptum, vel vi, aut furto fuerint hæc ipsa sublata: tunc enim pensio non remittitur, vt patet ex *d. l. ex conducto, §. si vis, ff. loc.* in illis verbis: *Si qua tamen vitia ex re ipsa oriantur, hoc damno coloni esse, veluti si vinum acuerit, &c.* & rectè declarat *Mol. d. disp. 495. num. 8.*

Quintò limitatur quando vbertate præcedentis, aut sequentis anni ex ijs, pro quibus prædiū erat conductum, compensatur sterilitas: Vt si anni præcedentes, & sequentes simul collati tantū attulerint conductori commodi supra consuetum modum, quantum annus sterilitatis damni; ita vt omnibus inter se collatis non censeatur esse in damno, tunc enim ob sterilitatem non fit pensionis remissio, vt habetur ex *Gomes tomo 2. var. resol cap. 3. num. 19. Molin d. disp. 495. num. 9. & 10. & Less. lib. 2. de iust. & iure, c. 24. dub. 3. num. 19. & 20.*

20 Sextò limitatur hæc ipsa conclusio, vt locum sibi non vendicet in colono partiario, nempe quando pensio consistit in parte aliqua fructuum, nempè in dimidia, vel tertia: tunc enim non fit eidem remissio eiusmodi pēsionis: siquidem partiarius colonus quasi societatis iure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur, vt colligitur ex *tex. in l. si merces. ff. loc. Nauar. in Man. cap. 17. num. 190. & Less. lib. 2. de iust. & iur. cap. 24 dub. 3. num. 14.*

QVINTA CONCLVSIO.

21 PEccat locator si expensas necessarias pro vsu rei locatæ facere recuset, aut à cōductore factas eidem non reddat, aut cum pensione non compenset. Etenim expensæ necessariæ in re cōducta ad locatorem attinent, vt in *l. Sed addes, §. inquilinus, 2. ff. loc. & l ex conducto, in princ. ff. eod,* & latè *Mol. de contr. disp. 496. sub num. 2.* vbi post *Glos. in d. l. ex conducto,* in hoc differre probat conductorem ab vsufructuario, quòd hic tenetur ad eiusmodi expensas, non autem ille, vt in sed, cùm fructuarius, *§. vlt. ff. de vsufr.* Vndè locator tenetur reficere tectum domus locatæ quando refectione indiget: item tenetur reficere reliqua quādo minantur ruinam, aut iam corruerunt. Tenetur quoque reficere Villam, aut stabulum, vbi greges conductoris stare oporteat. Præterea tenetur locator ad tributa rei locatæ, ad functiones publicas, vt ad reficiendam lapidibus viam publicam iuxta domum locatam, vel ad puteum purgandum, & reparandum, vt in *l. ædiles, §. quicunque,* iunctis verbis antecedentibus, *ff. de via publ. & Molin. loco citato, vers. Vbi habetur: & vers. Atque.*

22 Ampliatur hæc conclusio, vt locator teneatur etiam ad expensas vtiles in re locata à conductore factas saltem, finito locationis tempore, vt in *l dominus horreorum, §. 1. ff. loc. & l. colonus in princ ff eodem,* quod quidem quomodo procedat rectè declarat *Mol. loco citato, vers. De vtilibus, & num. 3.* vbi etiam probat, conductorem posse non modo repetere huiusmodi expēsas vtiles, sed etiam ex impensa in mercede debita pro re conducta; dummodò factæ sint de voluntate saltem tacita locatoris: aut si non de illius voluntate sint factæ, non sint illi admodū graues. Imò expensas vtiles, vt supra, ac necessarias potest consequi conductor, etiam retentione rei locatæ quousque soluantur: nam cui actio cōceditur, multò magis conceditur retentio rei, in qua expensæ sint factæ, vt in *l. si in area, ff. de cond. indeb. & Mol. vbi supra, num. 6.*

23 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat, vbi deductum fuisset in pactum, vt conductor de suo huiusmodi expensas in re conducta faceret: siquidem siue necessariæ, siue vtiles essent, non teneretur locator illas soluere, neque cum pensione compensare: nisi res locata traderetur cum pacto in genere, vt per conductorem melioraretur; quoniam, si aliter non constet de mente contrahentium, intelligēda est melioratio sumptibus locatoris, vt post *Valasc.* probabilius tenet *Mol. d. disp. 496. sub num. 4.*

Secundò limitatur, nisi in contrarium extaret consuetudo: siquidem in hac re ante omnia attendenda est consuetudo, ut habetur per *Bart. in l. impensæ, ff. de impens. Valasc. de iure emphyt. q 26. num. 6.* contractus enim, quando in eis aliud non exprimitur celebrati censentur, iuxta loci consuetudinem, *l. semper in stipulationibus ff. de regul. iur.*

SEXTA CONCLVSIO.

24 PEccat locator exigens à cōductore rei locatę mercedem, ubi superueniat aliquod impedimētum ex parte rei conductæ citra culpam conductoris, propter quod rem ipsam conductam deserat, uel ea non utatur, aut non colat. Etenim eo casu conductor non tenetur pensionem soluere pro illo tempore: nam conductor non censetur promittere pensionem, nisi quatenus re illa poterit uti, uel frui: quod cessat cum iusto timore impeditur, ut colligitur ex *tex. in l. habitatores ff. loc. Nauar. in Man. cap. 17. num. 187. Couar. lib. 3. var. resol. cap. 13. nu. 8. & pract. qq q. 30. num. . . . & Less. lib 2 de iustit. & iure, cap. 24. dub. 2. sub num. 7.* ubi tamen addit, non esse usu receptum, ut si quis propter pestem domum deserat, aliquid de pensione remitti ipsi debeat, & propterea in hac re inquit seruandam esse Consuetudinem. Hanc conclusionem declarat, iuxta ea, quæ supra adnotauimus, *concl 4. lim. 1.* quamuis contrarium uideatur docere *Less. d. dub. 2. nu. 8.* Sed re uera nunquam conductor tenetur de culpa leuissima, ut colligitur ex ijs, quæ habentur ex eodem *Less. loco citato, dub. 6. sub num. 30.*

De

De Conductore, & eiusdem culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.
S E C. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Conductor, si rei cōducta iuxtam mercedem non soluat locatori.*
2 *Peccat Conductor, non soluendo pensionem locatori tempore debito.*
3 *Peccat Conductor, si pensionem non soluat in materia debita.*
4 *Fructus prædij conducti, ac bona inuecta, & illata sunt tacitè pro pensione hypothecata.*
5 *In multis casibus Conductor excusatur a solutione pensionis.*
6 *Peccat Conductor, si finito conductionis tempore rem conductam locatori, ad ipsius, vel hæredum petitionem non restituat.*

1 DIco primò peccare Conductorem si rei cōductæ iustam mercedem non soluat locatori, vt quia minus infima mercede soluat, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *sec. 1. concl. 1. per totam*. Etenim locator, & conductor sunt correlatiui, & ideò quod disponitur in vno, disponitur etiam in alio, vt habetur ex *Euer. in loc com. legal. loco à correlatiuis*.

2 Dico secūdò peccare Conductorem non soluendo pensionem locatori tempore debito: is enim facit contra iustitiam. Vndè si in contractu fuit tempus expressum, in quo pensio esset soluenda standum est contractui: Si verò nihil fuit expressum, standum est consuetudini loci. Si autem nulla sit certa consuetudo, vndè constet de tempore solutionis, soluenda est in fine anni, vt in *l. semper in stipulationibus, ff. de regul. iur. Glos. & Doctor.* communiter in *l. eadem, C. loc. Nauar. in Man. cap. 17. num. 198. Anton. Gom. tom. 1. var. resol. cap. 3 num. 13. Panor. in c. propter sterilitatem, de loc. num. 18. & Mol. de cōtr. disp. 497. sub num. 1.* vbi etiam addit, quòd quādo res locata est in multos annos pro certa annua pensione, neque est expressum, quo tempore pensio sit soluenda, neque quicquam certi habet consuetudo regionis, tunc in fine cuiusque anni soluenda est pensio illius anni: siquidem illæ censentur distinctæ locationes in singulos eosdem annos, vt in *l. scire debemus, & l pluribus, ff. de verb. oblig.*

3 Ampliatur hæc conclusio, vt non solum conductor peccet non soluendo mercedem, seu pensionem tempore debito; verum in materia debita. Vndè si pensio fuit promissa in fructibus nō potest solui in pecunia numerata, vel in alia re, sed in illa specie fructuum, quæ fuit deducta in pactum; eo quod contrahentes tenentur stare cōuentioni, vt in *l. 1. ff. de pact.* Imò si pensio soluenda est in fructibus, neque aliud est conuentum, soluenda est post fructus collectos, & non antea, vt colligitur ex *l. firmio, §. vl. ff quando dies leg ced.* & habetur ex *Mol. loco citato, num. 2.* vbi id limitat quando ex causa, propter, quam pensio datur, ex persona, & ex alijs circumstantijs constat ante finitum locationis contractum intendisse contrahentes, vt solueretur pensio, vel pars illius; quoniam tunc standum est præsumptionibus, & coniecturis, vt per *Panor. in d. cap. propter sterilitatem, num. 19. de loc. & Nauar. loco citato, num. 198.*

4 Secundò ampliatur dicta conclusio, vt conductor adeò teneatur ad pensionis solutionem, vt fructus prædij conducti, & bona inuecta, & illata sint tacitè hypothecata pro pensione. Siquidem fructus naturales rei locatæ, vt sunt pira, poma, triticū, &c. non prius pertinent quoad dominium, quàm is pensionem conductori soluat, vt habetur ex *Aluar. Valas. de iure emphyt. q. 20. num. 15.* quem refert *Mol. de contr. disp. 497. sub num. 3.* vbi etiam *num. 4.* ex eodem *Valas.* ibidem docet, quòd quamuis fructus huiusmodi à prædio separati pertineant quoad dominium ad conductorem, etiam si pensionem non soluerit; nihilominus locatori adhuc competit tacita hypotheca in illis pro pēsionis solutione, pro qua re facit *tex. in l. in fructibus, ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. & l. si in lege, §. si colonus, ff. loc.* vbi decernitur id verum esse etiam si colonus prædium locasset alicui alteri; nam fructus à secūdo cōductore percepti, sunt quoq; tacitè hypothecæ suppositi domino prædij pro solutione pensionis. Idem dicendum est de rebus inductis in prædium conductum, quoniam pro ipsa pensione soluenda adhuc sunt tacitè obligatæ, sicut pro resarciendis damnis culpa conductoris rei conductæ; ita vt si prædium conductum vrbanum sit, nempè domus, tunc quæ fuerint in eo inducta; siue domino prædij, qui illud locauit, scienter essent inducta, siue non, supponuntur tacitæ hypothecæ. Si verò fuerit rusticum, tunc illa tantum in illud illata hypothecæ subijciuntur, quæ domino prædij sciente fuerint inducta; non autem ea, quæ illo ignorāte, vt in *l. certi, c. loc. iuncta l. vlt C. in quib. caus. pign. l. item quia conuentiones, ff. de pact. & Mol. loc. cit. sub num. 5.* vbi etiam *num. 6.* inquit esse obseruandum, quòd inuecta in prædium conductum ita demum subijciuntur tacitæ hypothecæ, si inducantur animo, vt perpetuò ibi sint, nēpè non ad tempus, sed quamdiù conductio durauerit, siue postea mutetur animus, & extrahātur, vel etiam alienentur, siue non, vt *in l. in prædijs, §. vlt. ff. in quib. caus. pign. l. debitor, iuncta Glosa ibi, ff. de pign. Aluer. Valas. d. q. 20. nu. 17. Bald.* & alij ab eodem *Mol. citati.* An autem solum ea inuecta, quę reperta sunt in prædio cōducto tempore, quo pēsio exigitur, aut quo exigitur deterioratio facta in re conducta, sint tacitè hypothecata; an verò etiam ea, quæ cùm fuerint inuecta permanenter vt supra ibi tamen non sunt, partem affirmatiuam docet idem *Mol. ibidem, num. 7.* qui testatur, hanc esse communem Doctorum sententiam. Et insuper probat, bona aliena inuecta in prædium conductum non esse hypothecæ supposita, vt *in l. 1. §. 1. ff de pignor.*

5 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt cōductor in multis casibus excusetur à solutione pensionis, nempè ex causa sterilitatis in fructibus superuenientis, iuxta ea, quæ sup. adnotauimus *sec. 1. concl. 4.* Item si expēsas necessarias, vel vtiles fecerit in re conducta: nam expensas illas potest compensare cum pensione, vt adnotauimus *d. sec. 1. concl. 5.* Item si re cōducta vti

non

non potuit, vt ex ea, quæ d. sec. 1. diximus, concl. 6. Præterea conductor non tenetur pensionem soluere, si res conducta pereat culpa locatoris, aut sit euicta, vel qui locauit operas suas fideliter non laborauit, vt rectè declarat *Mol. de côtr. disp.* 493. *per totam*, qui etiam *disp.* 494. latè tractat de locare operas suas pro custodiendis animalibus, aut alijs rebus, an teneatur de leuissima culpa, vt *num.* 19. & 20.

6 Dico tertiò peccare conductorem, si finito conductionis tempore rem conductam locatori ad ipsius petitionem, vel hæredum eiusdem non restituat. Imò si in iudicio de illa se contendat, qualiter veniat puniendus rectè declarat *Mol. de contr. disp.* 498. vbi etiam declarat, quãdo ex continuatione censeatur prorogatus conductionis contractus. Hæc satis de hac materia dicta sint hoc loco: Siquidem de locatione animalium, eorumdemq; conductione quamplurima egimus in nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 1. *cum plur. seq.* quapropter ad ea nos remittimus.

De Commodante, & Commodatario, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Commodatum quid sit.*

2 *Commodans non potest citra culpam reuocare commodatum, nondum elapso tempore, ad quod vsque fuit concessum; & si reuocet, omnia damna commodatario reficere tenetur.*

In quibus casibus possit commodans rem commodatam reuocare, antè præfinitum tempus.

3 *Commodatum cum fiat gratia commodatarij tantum, si res commodata pereat culpa ipsius etiam leuissima, tenetur commodãti valorem rei restituere.*

1 COmmodatum, vt colligitur ex *tex. in Instit. quibus modis recontrah oblig.* §. *item, Molina de contr. disp.* 294 *num.* 1. & ex alijs, est alicuius rei ad solum vsum gratuita concessio. Et dicitur commodatum, quoniam in commodum accipientis datur. Vndè differt à mutuo, quia mutui transfertur dominium penès mutuatariũ, vt *in l.* 2. § *appellata, ff. si cert. pet.* Commodati verò trãsfertur vsus tantum rei commodatæ penès commodatarium, vt patet ex eiusdem definitione supra allata. Differt pariter à pignore, ac deposito, in quibus non conceditur vsus. Differt quoq; à locatione, quia locatio non est gratuita. Differt denique à precario; siquidem quamuis precarium concedatur ad aliquem vsum; non tamen cẽsetur concessum ad certum vsum, cùm possit repeti ad arbitrium concedentis, vt rectè declarat doctissimus *Ioannes de Dicastillo tomo* 2 *de iust. & iure tract.* 7 *dub.* 1.

2 Ex dictis optimè deducit idem *Ioannes de Dicastillo*, non posse commodantem citra culpã reuocare commodatum, nondum elapso tempore, ad quod vsq; fuit concessum; imò si ante præfinitum tempus rem commodatam repetat, tenetur commodans ipse omnia damna commodatario reficere. Etenim commodatarius ad vsũ rei commodatæ ius acquisiuit, ita vt vsum rei commodatæ possit alteri concedere, nisi aliter conuentum sit inter commodantem & commodatarium. Est tamen verum, quòd commodans potest reuocare commodatum ante præfixum tempus, si damnum aliquod ipsi instet ob rem commodatam, nisi rem suam repetat: quoniam sibi magis, quàm alteri prouidere debet, vt in *cap sicut licet*, 23. *q.* 5. *Molina de contr. disput.* 294. *num.* 12. & alij apud eundem *Ioann. de Dicastillo, loco cit. contra Nauar. in Man. cap.* 17. *num.* 182. & contra *Reginald. lib.* 25. *sua praxis, num.* 479. quod quidem verum esse docet idem *Molina* ibi, nisi commodator præuiderit detrimentum inde sibi prouenturum: vel nisi commodatarius aliundè fuisset habiturus, si prior commodans non commodasset; quamuis hanc limitationem non admittat *Mol. vbi sup.* quem sequitur ipse *Ioan. de Dicastillo*: & solùm inquit habere locum, quando commodatarium aliqua ratione coegisset commodator, vt à se potius commodatum acciperet, alioqui paratum, aut in animo habentem ab alio accipere.

3 Illud autem nolui hoc loco silentio esse prætereundum, quod idem *Ioan. de Dicastil.* notat *d. tr.* 7. *dub.* 2. inquiens, quòd commodatum cùm fiat gratia commodatarij dumtaxat, si res commodata pereat culpa ipsius etiam leuissima, tenetur commodatarius rei commodatæ valorem commodanti restituere. Siquidem si contractus fiat gratia solius accipientis, ipse accipiens tenetur de quacunq; culpa etiam leuissima, vt in *l. contractus, ff. de regul. iur. l. si vt certo*, §. *nunc videndum*, *ff commod.* Non tamen tenetur de casu fortuito, & si non fuit in culpa, vt res commodata pereat; vt probat ipse *Ioan. d. dub.* 2. vbi etiam addit, eum non teneri, si in mora fuerit in restituendo commodatum; sed is tantùm tenetur restituere quantum æstimatur vsus, quo vsus fuit re aliena vltra terminum. Etenim peccat commodatarius si vtatur commodato diutius, vel ad alium vsum, quàm ei concessum sit, vt habetur ex *Azor. tom.* 3. *Inst. moral. lib.* 7. *cap.* 5. *de commod. Molina de contr. disp.* 294. *num* 6. & 295. *num* 6.

De Deponente, & Depositario, ac eorum culpis, à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Depositum quid sit, & vnde sit dictum. Et in quo à Commodato differat.*

1 DEpositum est, quod custodiendum alicui traditur & ex eo dicitur, quòd ponitur, vt *in l.* 1. *ff. depos.* Distinguitur autẽ à mutuo, quoniam rei mutuatæ transfertur dominium penès mutuatarium, vt *in l.* 2. §. *appellata, ff si cert. pet.* nec repeti potest eodem numero, sed satis est si eodem

eodem genere restituatur post certum tempus: depositi verò non transfertur dominium penès depositarium, & quandocunque repeti potest, ut *in cap. bona fides, de depos.* Differt pariter depositum à commodato, quoniam commodatum fit ad certum usum, ut diximus *disp. praced.* sicut etiam precarium: non sic depositũ. Differt quoque à pignore, quod datur ad cautionem creditori: depositum verò ad solam rei custodiam, ut habetur ex *Molina de contr. disp.* 526. Et cum depositum fiat in gratiam solius dantis, depositarius non tenetur nisi de dolo, & lata culpa, seu culpa theologica, si res deposita pereat, ut declarat *Ioan. de Dicastillo de iust. & iure lib.* 2. *tr.* 3. *disp.* 1. *num.* 412. & 413. His breuiter adnotatis per duas *sec.* rem ipsam breuiter absoluemus.

De peccatis Deponentium à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1. *Peccat deponens, aliquid si à depositario recipiat ratione rei deposita.*
2. *Peccat deponens pecuniam apud vsurarium, non habentem alias, prater illam, etiam si animo tantùm deponat, vt securius custodiatur.*
3. *Peccat deponens pecunias apud Campsorem, vt illam negotietur, & lucrum aliquod percipiat, & quando.*

1 PEccat primò deponens aliquid recipiens ratione rei depositę à depositario: nam aut deponens illud incremẽtum recipit præcisè ob depositum, vel propter vsum rei depositæ. Non potest dici primum; siquidem id fit in gratiam deponentis; atq; ideò deponens ipse teneretur potius aliquid tribuere depositario pro custodia, quàm è conuerso. Nec potest dici secũdum: nam vel vsus est rei, quæ vsu consumitur, & distrahitur, & tunc ipso vsu concesso, & executioni mãdato, transit depositum in mutuum: & propterea citra vsuram incrementum prædictum non valeret percipere, vt in *cap. consuluit, de vsur.* vel est vsus rei, quæ non consumitur vsu, & tunc valet quidem aliquid percipere pro illo vsu; verùm depositum transit in contractum locationis, vt habetur ex *Nauar. lib.* 3. *consil. consil.* 1. *de depos. & cons.* 17. *de vsura, num.* 3. & *in Man. cap.* 17. *num.* 181. & *Ioan. de Dicastil. lib.* 2. *de iust. & iure tract.* 8. *disp.* 1. *dub.* 4. *num.* 42. vbi etiam *num.* 43. benè notat ex *Mol. de contr. disp.* 426. quòd si depositum sit tale, quod dominium rei depositæ non transit in depositarium, vt si sit pecuniæ traditæ in sacculo obsignato, vel alterius rei, qua extet, deponens præfertur in ea re omnibus depositatis creditoribus, cùm res illa sit propria deponentis. Idem dicendum esse decernimus si depositum transeat in mutuum, atque ideò depositarius comparet dominium illius; ac tale depositum fiat penès publicum depositariũ, à Repub. constitutum: nam eo casu si deponens, nullum interesse ob depositum acceperit, præfertur cæteris creditoribus non habentibus tacitã, vel expressam hypothecam, vt *in l. si hominem, §. quoties, & l. seq. ff. depos. Mol. loc. cit.* & alij relati à *Ioan. de Dicastill. vbi sup. num.* 44.

2 Secundò peccat deponens pecuniã apud vsurarium, non habentem alias præter illam, etiam si hoc tantum animo deponat, vt apud illum securius custodiatur: & quem certò nouit se illa vsurum ad fœnerandum: is enim peccat mortaliter tum peccato iniustitiæ contra mutuatariũ, quia cooperatur peccato vsurarij præbendo illi materiam fęnerandi; tum peccato infidelis custodiæ saltem veniali, cùm in eo eidem vsurario cooperetur. Ita *Sot. lib.* 6. *de iust. & iure, q.* 1. *ar.* 5. *ad* 2. quem sequuntur nonnulli ex discipulis *S. Thome*, relati à *Salon.* 2. 2. *q.* 78. *ar.* 4. *contr.* 4. contra *Caiet.* & alios, qui rem hãc probat multipliciter, præsertim auctoritate *D. Thome* 2. 2. *q* 78. *ar.* 4. *in sol.* 3. *argum.* vbi constituit tribus modis posse pecuniam deponi apud vsurarium: primò, vt deponatur apud vsurarium nullam aliam pecuniam habentem præter eam, quæ illi committitur custodiẽdam, bono scilicet animo, & eo tantum fine, vt securius ab eo custodiretur: Secundò, vt deponatur apud vsurarium habentem quidem alias pecunias; eo tamen animo, vt iunctis illis, quę apud ipsum deponuntur, maiores exerceat vsuras: Tertiò deponitur pecunia apud vsurarium habentem alias pecunias proprias; sed eo animo, vt illam tantùm custodiat. Hac distinctione sic stante, inquit *D. Tho.* deponentem pecuniam apud vsurarium primo, vel secundo modo, dare illi materiam peccandi, ac esse vtcunque participem culpæ, quam vsurarius committit. Deponentem verò apud vsurarium tertio modo non peccare; sed vti tantùm peccato illius ad bonum finem, nempè ad suum commodum, & pecuniæ suæ securitatem. Vndè in casu nostro deponens non immunis à culpa, vt latè declarat *Salon. loc. cit.* vbi idem dicendum esse ait de committente gladium furioso, virginem viro turpi, aut cibum guloso.

3 Tertiò peccat deponens pecunias suas apud Campsorem, vt illam negotietur, & lucrum aliquod percipiat, verisimiliter sciens Campsorem non fore illas negotiaturum, aut negotiaturum in cambijs siccis, vt adnotauimus in nostris *Cõmentar. in extrauag. B. Pij V. de camb.* §. 1. *q* 48. *num* 14. & *q.* 50. *num.* 3. & 6. Quòd si pecunias deponat bona fide putans eas Campsorem negotiaturum, non tenetur perquirere, an Campsor eisdem vtatur in negotio conuento, vt ibidem ostendimus, *q.* 51. Et, si Campsor decipiens deponẽtem ipsum non dederit pecunias depositas cambio, vel alteri negotiationi conuentæ, vt implicauerit alijs negotijs ad sui libitum potest lucrum sibi retinere loco interesse, vt probauimus *d. q.* 50. *num.* 7. An autem, & quando viduæ, pupilli, & alij citra culpam deponant suas pecunias apud mercatores sub certo, ac determinato lucro, & salua sorte, uide *d.* §. 1. *q.* 53. Hæc sufficiant de peccatis deponentium.

De

De Peccatis Depositariorum, à discreto, ac cauto Confessario explorandis.
SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Depositarius, si infideliter se habeat in custodienda re apud ipsum deposita, vt si ea vtatur, &c.*
2 *Peccat Depositarius, si depositum restituere nolit, aut differat.*
3 *Peccant Campsores depositarij, recipientes aliquod stipendium à creditoribus, qui pecunias deposuerunt apud ipsos.*
4 *Peccant Depositarij bancharij, si deposita ita implicent in negotijs, vt nequeant remissas statim soluere, quæ illis fierent.*

1 PEccat primò depositarius si infideliter se habeat in custodienda re apud ipsum deposita, vt si ea vtatur: siquidem non licet depositario vti deposito; aliàs furtum committeret, tanquam contrectans rem alienam, inuito Domino, vt in *l. sacculum ff. depos. Azor tomo 3. Inst. moral. lib. 7. de deposito cap. 6. Mol. de contr. disp. 524. num. 5.* & alij, quos citat *Ioan. de Dicastill. de iust. & iure lib. 2. tr. 8. disp vnica, dub. 1. num 7.* vbi *num* 8. colligit ex *D. Th. 2. 2 q 62. ar 6.* & ex alijs DD. Depositarium vtentem deposito fructifero, vt est equus, &c. contra Domini voluntatem, teneri ad restitutionem valoris eius vsus: est enim hic fructus rei, quæ Domino fructificat. Limitatur tamen hæc conclusio multipliciter primò, si depositarius bona fide fuerit deposito vsus, credens Domino non displicere: nam licèt postea comperiat Domino displicuisse, attamen excusatur, vt habetur per *Mol. loc. cit.* & alios relatos ab eodē *Ioan. de Dicastill. vbi sup. num. 9.* Secundò limitatur, vbi Dominus expressè, vel tacitè concedit vsum depositi: quo casu si depositum consistit in rebus, quæ vsu consumūtur, mutat naturam depositi, & fit mutuum saltē quando depositarius cœpit eo vti, & secundum eam partem, quam consumit, & alienat, non autem quoad reliquum, cuius dominiū adhuc est deponentis, neq; ea, quæ non recipiunt functionem, vt habetur ex *Nauar. in Man cap. 17. nu. 180. Mol. de contr disp 523. & ex alijs.* Quòd si depositum consistat in re, quæ vsu non consumitur, si permittatur vsus transit in commodatū, quando pro vsu nihil recipitur: si verò aliquid exigitur, transfertur in locatum. Ita *Nauar. d. cap. 17. num. 181* & alij, quos refert *Io. de Dicastill. loc. cit. sub num. 12.* ubi quoq; obseruat ex *Molina*, quod quando res deposita est pecunia, triticum, & similia, si depositarius certus sit moraliter, quòd quando deponēs petierit, æquè bonam in qualitate, & quātitate rem restituet, eam consumat, regulariter non peccabit mortaliter: nec fur diceretur, quia non est grauis iniuria, etiam si pecunia esset in sacculo sigillo munito tradita.

2 Secundò peccat depositarius si depositum restituere nolit, aut differat: siquidem is dicitur violare iustitiam, & rem contrectare inuito domino, iuxta furti definitionem in *l. 1. ff. de furt.* & in specie est *tex. in l. 1. §. si apud duos, ff depos.* Imò si res deposita pereat, & depositum sit factū gratia tum deponentis, tum etiam depositarij, vt quia mercedem recepit pro custodia; tenetur de culpa etiam leui, esto quod non fuerit in mora restituendi: & quamuis depositum quando fit gratia deponentis tantùm, depositarius non teneatur nisi de dolo, & lata culpa, seu de culpa theologica, vt supra diximus *in princ. disp. sup. sec. 1.* nihilominus quando depositarius recusat depositum restituere, vel eius restitutionem iniustè differt, tenetur etiam de casu fortuito, quoniā est causa damni: nisi res deposita fuisset corrumpenda apud dominum quoq; si eidem fuisset restituta. Limitatur tamen hæc conclusio, vt non peccet depositarius non restituēs Domino rē depositam, si certò sciat, aut probabiliter nouerit ea se vsurum ad malum: imò tunc peccaret restituendo depositum. Vndè citra culpam non potest depositarius restituere gladium Domino petenti illum ad inferendum alteri iniuriam, vel damnum: eo quòd esset particeps talis iniuriæ, seu damni, atque ideò teneretur ad damni illati refectionem, vt rectè probat *Salon. de iust. & iure, q. 62. ar. 5. contr. 2.* Secundò limitatur vbi bona deponentis fuerint confiscata; quoniam tunc depositarius non tenetur restituere rem depositam deponenti; sed Fisco: siquidem quando bona deponentis publicata sunt, ad Fiscum pertinet quodcunque ius in bona deponentis, vt habetur ex *Azor. tomo 3. Inst. moral. cap 8 de depos. q. 4.* & alijs, quos refert, & sequitur *Ioan. de Dicastill d. tr 8. disp vnica, dubit. 4. in fine,* vbi etiam *num.* 38. probabile esse putat, depositarium posse sibi compensare in re deposita, & in foro conscientiæ illam sibi retinere titulo compensationis, seruatis tamen requisitis in priuata, & occulta compensatione. An autem depositarius teneatur ad restitutionem si rem depositam transmittit per seruum, aut per aliam personam minus fidelem: aut per alium, quàm per eum, per quem mittenda erat ex conuentione contrahentium; vide eundem *Ioan. de Dicastill. tr. 2. de restit. disp. 3 dub. 4. à num. 104. & tr. 3. num 428. & 429. tomo 2.*

3 Tertiò peccant Campsores depositarij recipientes stipendium aliquod à creditoribus eorum, qui pecunias apud ipsos deposuerunt: siquidem depositarius ubi soluat nomine eorum, qui pecunias deposuerunt suis creditoribus repræsentat personam debitoris: debitor autem non potest à suo creditore mercedem aliquam recipere ob sui debiti solutionem; ergo nec depositarius, ut ostendimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. in proœm. q. 13. nu. 14.* Est tamen verum, quòd quando Campsor depositarius soluit pro illis, qui nō habent apud ipsum Campsorem pecuniam, tunc possunt ab eis percipere dimidium scuti pro singulis centum, aut paulò plus, uel minus in præmiū obligationis, quam in se suscipit soluendi pro eis: siquidem obligatio huiusmodi est pretio æstimabilis: & fideiussor in aliquo contractu adhibitus citra omnem culpam potest pro fideiussione emolumentum aliquod percipere, ut ostēdimus *d. q. 13. num. 12. & 13.*

4 Quartò peccant depositarij banchatij; si deposita ita implicent in negotijs, ut nequeant remissas,

missas,q uę illis fierent, statim soluere: idem dicendum est si pecunias exponant negotijs periculosis, ut *d.q. 13. num.* 13. probauimus.

De Mutuante, & Mutuatario, & eorum culpis, à discreto, ac cauto Confessario explorandis.

DISP. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Mutuum quid sit, Et in quo à Commodato, deposito, ac permutatione differat.*

1 MVtuum, ut colligitur ex *Mol. de contr. disp.* 299. & ex alijs est traditio rei quo ad dominium, quę statim fiat accipientis cum obligatione reddēdi aliam eiusdem rationis futuro tempore. Vndè mutuū ex eo dicitur, quòd de meo fit tuum, *l.* 2. § *appellata, ff. si cert. petat.* atq; ideò per contractum mutui ita transfertur res in dominium mutuatarij, ut ex ui contractus mutuatarius non remaneat obligatus ad reddēdum eandem rem numero; sed aliam eiusdē speciei: & in hoc mutuum differt à commodato, & deposito, in quibus eadem res nūmero redditur, & eius non transfertur dominium. Differt quoque mutuum à permutatione, in qua datur alia res distincta in natura quantum est ex ui contractus. Meritò igitur diximus, mutuū esse traditionem rei quoad dominium. Et cum fiat accipientis cum obligatione reddendi aliam eiusdem rationis, futuro tempore, hinc fit, quòd si fiat pactum, ut res mutuata, diuersa numero statim reddatur, tunc non mutuatio, sed commutatio diceretur: sicut & commutatio censetur cum datur res aliqua, ut diuersa specie sibi reddatur futuro tempore, ut rectè declarat *Io. de Dicastil. lib.* 2 *de iust. & iure tr.* 10. *disp.* 1. *dub.* 1. ubi etiā probat, non esse contra rationem si mutuatarius uolens rem mutuatam eādem numero restituat. His breuiter adnotatis, rem hanc duabus sectionibus explicabimus, in quarum prima de culpis mutuantium agemus: & in secunda de Mutuatariorum culpis tractabimus.

De culpis mutuo dantis, à discreto, & cauto Confessario explorandis.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Peccat mutuans, si religiosus, filiusfamilias, aut seruus sit.*
2 *Peccat mutuans, si velit repetere mutuū, quod dedit Ciuitati, Oppido, Ecclesiæ, aut alij pio loco, quod non fuit versum in eorum vtilitatē.*
3 *Mutuans filiofamilias, aut nepoti sub potestate patris, vel aui constituto, an & quando cōpellere potest filium, vel nepotem, eorumq; patrem, vel auum ad mutui restitutionem.*
4 *Peccat mutuans recipiens integram pecuniam auctam mutuatam, quam non erat reseruaturus vsq; ad tempus augumenti.*
Quid dicendum in mutuante triticum.
5 *Peccat mutuans, si det mutuo in vno loco, & recipiat in alio cum detrimento mutuatarij, & emolumento ipsius mutuantis.*
6 *Peccat mutuans, intendens ex mutuo quodcūq; incrementum, de sua natura pretio æstimabile.*
Idq; non solum in mutuo explicito, sed etiam implicito locum habet.
7 *Non potest mutuans citra culpam vsurariam aliquod lucrum ex mutuo intendere, licet lucrum illud non intendatur, nec percipiatur cum damno mutuatarij.*
8 *Non potest mutuans ex mutuo intēdere ne quidem vitationem damni, quando damnum est iustum.*
9 *Habens pecuniam, quam timet in futurum minorari, an & quando possit eam mutuo dare, animo vt sibi reddatur in æquali pretio.*
10 *Mutuo dare, cum pacto. & obligatione, vt sibi remutuetur, an sit vsura.*
11 *Mutuans triticum tempore, quo minus valet, vt illud recipiat tempore quo plus valet, an, & quando sit vsura.*
12 *Mutuans cum intentione percipiendi incremētum, quod ex natura sua est pretio æstimabile, tunc vsuram committit, cum illud intendit percipere, vt pretium rei mutuatæ, aliàs secus.*
13 *Mutuans Regi ad obtinendum aliquod officiū, vsuram non committit.*
14 *In omnibus casibus, in quibus quis excusatur à simonia, excusatur quoque ab vsura, si intendat lucrum ex mutuo.*
15 *Excusatur mutuans ab vsura, si intendat aliquid ex mutuo ratione beneuolentiæ, gratitudinis, & ex quacunque causa, excepta causa vsus rei mutuatæ.*
16 *Mutuans, intendens aliquid ex mutuo percipere in pretium rei mutuatæ peccat, vsuram committit, & perceptum tenetur restituere.*
17 *Etiam cooperantes huiusmodi mutuantibus, eorumq; partes agentes peccant, & ad restitutionem tenentur.*
18 *Cooperantes, si partes agant eius, qui mutuo sub vsuris accepit, licet peccent, non tamen ad restitutionem aliquam tenentur.*
Quando famuli vsurariorum, negotiorum gestores, aliiq; huiusmodi ad restitutionem teneantur remissiuè.

1 DIco primò peccare mutuātem si Religiosus sit, filiusfamilias, vel seruus: Hi enim cum dominium rerum non habeant, non possunt citra cōsensum Prælati, Patris, aut Domini mutuo dare: siquidem cùm per contractum mutui trāsferatur rei dominium, vt supra diximus, necesse est, vt celebretur à Domino, vel ab alio nomine ipsius, vt habetur ex *Ioan. de Dicastil. de iust. & iure lib.* 2. *tr.* 10. *disp.* 1. *dub.* 3. *num.* 39.

2 Dico secundò peccare mutuantem volentem repetere mutuum, quod dedit Ciuitati, Oppido, Ecclesiæ, & alij loco pio, & non fuit versum in eorum vtilitatem. Etenim mutuum traditum Ecclesiæ, loco pio, Oppido, vel Ciuitati non potest mutuans repetere, nec cogere ea loca ad restitutionem, nisi probet pecuniam mutuatam cōuersam fuisse in prædictorum vtilitatem, vt in *l. Ciuitas ff. si cert. petat. Auth. Hoc ius porrectum, C. de Sacrosan. Eccl. l.* 1. *C. de solut. Mol. de contr.*

contr. disp. 300. & alij apud *Ioann. de Dicastill. loco citato num. 42. & Laym. lib. 3. sua sum. tr. 4. cap. 15. sub num. 6.* vbi id ampliat procedere, non solùm in mutuo facto Ecclesiæ, Ciuitati, Hospitali, & alijs locis pijs; sed etiam minoribus, & pupillis, seu eorum tutoribus, & curatoribus: siquidem mutuanti incumbit onus probandi pecuniam mutuatam tutori, seu curatori fuisse versam in vtilitatem pupilli, seu minoris; aliàs non tenētur pupilli, & minores pecuniam creditam restituere, vt habetur ex *Panor. in c. 1. de depos. num. 9.* Rationem autem hanc esse dicunt; quoniam administratores valdè proni esse solent ad pecunias mutuò accipiendas, ne ea res in fauorabilium personarum, vel locorum detrimentum cedat. Est tamen verum, quod ipse *Laym. ibi, ver. Quod attinet*, addit ex *l. Ciuitas, ff. si cert. petat*, inquit, quòd si etiam id probatū non fuerit; nihilominus ad solutionem obligari ipsummet Ciuitatis Rectorem, & alios supradictos curatores, & tutores, vt habetur ex *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 20. dub. 2. num. 16. & Molina de contr. disp. 30. in princ.*

3 Idem dicendum est de mutuante filio familias sub potestate patris constituto; aut nepoti sub potestate aui; nō enim potest filium, vel nepotem, aut eorum patrem, vel auum compellere ad mutui restitutionem, nisi probet pecuniam mutuatam fuisse conuersam in vtilitatem patris, vel aui, vt in *l. fi. § proindè, C. ad Senat. Macedon. & Laym. d. cap. 15. sub num. 3. vers. Cæterū, & num. 4. vers. Septimò si pecunia.* Etenim quāuis filius familias sub patria potestate constitutus possit se obligare ex omni contractu, non tamen obligatur ex mutuo, nec eius fideiussor, etiam post mortem patris, vt patet ex *ff. & C. ad Senatusc. Macedon.* & rectè declarat *Laym. loco citato sub num. 3.* vbi *vers. Ampliatur*, probat tamen *Senatusc. Macedon.* loqui de obligatione filij familias ex mutuo consistente in pecunia numerata; secus autē si consistat in alijs rebus: nam ad reddendum eiusmodi mutuum obligatur filius familias. Imò multi sunt casus, in quibus obligatur filius familias, etiam ex mutuo pecuniario, quos enumerat *Laym. ibidē sub num. 4. & de Dicastill. d. dub. 3. sub nu. 44.* nempe cum filius familias est Miles, habet peculium Castrense, vel quasi: si [illegible] publicè æstimetur; si pro alio, qui [illegible] sit, & mutuum acceperit fideiusserit in fraudem *Senatusc. Macedon.* Si filius familias mutuum acceperit iussu patris, vel saltem tacito eius consensu, vt quia sciuit, & non contradixit. Si legationis, aut studiorum causa mutuo pecuniam accepit: Si filius familias à patre, aut alio negotiationi suæ fuerit Præpositus: Et denique si interrogatus, an patrē habeat, dicat se non habere in fraudem mutuātis, vt benè declarant Doctores supra citati, præsertim *Laym. sub d. nu. 4.* qui quod diximus supra de filio familias, qui legationis, aut studiorū causa pecuniam mutuo accipit, extendit ad Religiosos, ita vt Monasterium teneatur restituere mutuum, quod Religiosus accepit ad necessarios sumptus studiorum gratia, vt habetur ex *Panor. in cap. quod quibusdam, de fideiuss.*

4 Dico tertiò peccare mutuantem recipientem integram pecuniam auctam mutuatam, quam non erat seruaturus vsque ad tempus, in quo eius pretium fuit auctum: siquidem tunc pretium pecuniæ mutuatæ cedit in vtilitatem mutuantis, vbi mutuans pecuniam mutuatam erat seruaturus vsque ad tempus, in quo eius pretium fuit auctum: aliàs citra vsuræ labem non posset, vt est *tex. in cap. nauiganti, de vsur.* & Nos declarauimus in nostris *Commentar. ad extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 5. sub nu. 10.* vbi idem diximus si quis mutuat, cum pacto de lucrando pecuniæ auctæ iuramento: non autem de patiēdo damno pecuniæ decrementi. Non tamen eadem ratio militat in mutuante triticum: nam licitè potest illud repetere in eadem mensura, & bonitate, etiam si tempore restitutionis plus valeret; quoniam, vt ait *Sadon.* quem ibi citauimus, non est eadem ratio de mutuāte triticum, & de mutuante pecuniam: nam quando datur mutuo triticum, non dantur mutuo tot solidi, vel argētei tritici; sed tot mensuræ: quo circa, vt seruetur æqualitas restituendæ sunt totidem ipsius mensuræ eiusdem bonitatis, & qualitatis: at mutuans pecuniam, mutuat tot solidos, seu argenteos, vel scuta valentia tot solidos, seu argenteos; vndè fit, vt restituendo eosdē solidos, vel argenteos, quos valebant receptionis tempore, seruet æqualitatē. Sed re vera licèt ratio, vt supra allata videatur satis probabilis; nihilominus circa mutuum tritici ita demum, quæ diximus locum sibi vendicant, vbi mutuatio fiat, constituto quidem certo termino, sed ita, vt liberum sit mutuatario antea rem illam restituere: siquidem tunc mutuans triticum, licitè poterit illud in eadem mensura, & bonitate repetere; etiam si repetitionis tempore plus valeat, quàm tempore mutui valebat: siue mutuans intentionem habeat reseruandi illud in aliud tempus; siue non: & esto, quòd credatur plus valiturum, quia de ratione mutui cū sit, vt reddatur res eadem, vel similis eiusdem bonitatis, vel mensuræ, mutuans obligat mutuatarium hoc casu ad ea, quæ sunt de intrinseca ratione mutui; & proindè nullam iniustitiam cōmittit, vt Nos declarauimus in dictis nostris *Commentar. d. q. 5. sub nu. 12.* vbi insuper ostendimus idem dicendum esse si mutuans erat triticum illud reseruaturus vsque ad tempus restitutionis, & æquale dubium sit, an plus, minusue sit eo tempore valiturum, cùm hoc casu æqualis sit vtriusque contrahentis conditio. Imò id ipsū verum esse ibidem diximus vbi mutuans postulans triticum in eadem bonitate, & mensura sibi restitui, præfinito tempore, ita vt mutuatarius ante illum non remaneat liber ad mutuum restituendum. Sed instituerat vsque ad dictum tēpus triticum ipsum reseruare: tūc enim eiusmodi pactum esset licitum, estò quod ipse mutuans certò sciret, aut saltem probabiliter triticum, tunc magis valiturum. His adde, quæ habētur ex *Ioan. de Dicastill. lib. 2. de iust. & iure, tr. 10. disp. 2. dub. 2.* vbi inter alia probat, esse contra naturam mutui obligare mutuatarium, vt nō remaneat liber ad se liberandum à debito mutui, cùm primum velit.

5 Dico quartò peccare mutuantem dantem mutuo in vno loco, vt recipiat in alio cum detrimento mutuatarij, & emolumento ipsius mutuantis: Etenim in mutuo seruanda est æqualitas secundum ius naturale, ne vel mutuatario, aut mutuāti aliquod onus imponatur iniustum,

vt rectè declarat idem *Ioan. de Dicastill. d. tr. 10. dub. 2.* vbi ex hoc infert, non esse necessariũ, vt solutio mutui fiat in eodem, aut in alio loco.

6 Dico quintò peccare mutuantem intendentẽ ex mutuo quodcunque incrementum ex sui natura pretio æstimabile: siquidem hoc casu vsuram committit, iuxta illud Euangelij, *Mutuo date nihil inde sperantes*, vt in *cap. consuluit*, & ibi latè *Doctores, de vsur.* Imò mutuare ad beneficium Ecclesiasticum obtinendum, non modo est vsura, sed vsura simoniaca, vt habetur ex *Cald. in cap. in nostra, de rescr.* quem refert, & sequitur *Nauar. in cap. si fœneraueris, in princ. 14. q. 3.* Beneficium enim Ecclesiasticum licèt sit res spiritualis; nihilominus ex sui natura est pretio æstimabile, cùm sit ius percipiendi fructus, seu prouentus. Adde hæc ipsa vera esse, nõ solum in mutuo explicito; sed etiam implicito, vt patet in venditione rei supra rigorosum pretium ob dilatam solutionem, aut in emptione minus infimo pretio ob anticipatam solutionem vt in *cap. nauiganti*, & ibi, *Doctor. de vsur.* Etenim huiusmodi contrahentes, licèt non contrahant mutuum cum lucro explicitè, contrahunt tamen illud implicitè: nam qui vendit rem supra rigorosum pretium ob dilatam solutionem, perinde est, ac si rem ipsam venderet prout tempore venditionis venditur: sed quia emptor tunc temporis soluendo non est, pretium rei eidem emptori censetur tacitè mutuasse sub illo lucro supra rigorosum pretium. Sic etiam emens vilius infimo pretio ob anticipatam solutionem dicitur ex mutuo implicito, seu palliato lucrum percipere; quoniam perindè est, ac si solutionem prædictam mutuo dedisset vsque ad tempus traditionis mercis sub illo lucro minus infimo pretio.

7 Ampliatur etiam præfata conclusio, vt mutuans non possit citra vsurariam culpam lucrum intendere ex mutuo, licèt lucrum illud non intendatur, nec percipiatur cum damno mutuatarij, vt patet ex communi sententia, tum Theologorum; tum etiam Canonist. teste *Petro Anch.* post alios *in regula peccati venia, de regul. in 6. Caiet. in summ. verf. Vsura, verf. Lucrum, cas 8. Conrad. in suo tract. de contr. q. 36. concl. . .* & alijs. Mouentur ex illo *Lucæ cap. 6.* de quo in *cap. consuluit, de vsuris*, vbi Christus Dominus ait, *Mutuo date nihil indè sperantes.* Non enim ait, nihil à mutuatario sperantes: sed nihil omninò sperantes. Hinc sequitur, quòd mutuans agricolis, vt obligati maneant terras mutuantis colere, quamuis mutuans ipse iustam eis mercedem persoluat; vsuram tamen committit; quoniam illa obligatio, qua obligati sunt, est pretio æstimabilis, & nisi ratione huius aliquid ex mutuo ad arbitrium boni viri remittat, à culpa non excusatur. Idem dicendum est de mutuante alicui, vt merces emat ex sua officina, aut aliquid aliud ab eo, vel vt ei vendatur. Hoc ipsum dicẽdum est de Pistore mutuante alicui, vt panem suum pingi faciat apud eum: & de Doctore mutuanti Scholari, vt ad suam Scholam se conferat ad ediscendum; iustum pretium ex illis in dictis casibus exigentibus. Eodem modo decernendum est si timens suum frumentum periturum, mutuet illud alicui, obligando eum ad restituẽdum sibi simile frumentum diutius tamen mã-surum, aut mutuo det Domino temporali ad habendum officium aliquod, mediante ciuili obligatione, licèt concessio illa non sit cum mutuarij detrimento: siquidem obligatio illa est pretio æstimabilis, atque ideò vsura contrahitur, vt habetur ex *Tol. lib. 5. sua sum. cap. 30. Conrad. de contr. q. 36. Syl. verf. Vsura, 1. q. 7. Caiet. in sum. verf. Vsura*, & alijs, quamplurimos alios casus decidentibus, quibus adde, quod dicit *Salon in 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 5. & 6.*

8 Ampliatur præterea ipsa conclusio, vt mutuans non possit intendere ex mutuo, nec vitationem quidem damni, quando damnum est iustum, vt si mutuet communitati ad euitandas collectas iustè impositas, vel imponendas, vt per *Syl. in summ. verf. Vsura. 1. q. 9.* quoniam hoc casu mutuans perciperet lucrum ex mutuo sibi aliàs indebitum. Sic etiam si quis post illatam iniuriam alicui, eidem mutuauerit, vt iniuriam remittat, vsuram committit: nam iniuria afficiens efficitur debitor iniuranti ob iniuriæ illationem, & illa remissio iniuriæ est pretio æstimabilis. Idẽ dicendum est de eo, qui crimen coram aliquo commiserit, & timens accusari, eidem mutuauerit, & obligationem ciuilem ab eo acceperit de non accusando, vt constat ex ijs, quę adnotantur ex *Conrado de contr. q. 36. exemp. 8.* Siquidem per talem obligationem priuatur actione accusandi, quæ pecunia ęstimabilis est. Dixi: *Quando damnum est iustum*, quia si damnum, quod timetur esset iniustum, tunc mutuans ad tale damnũ vitandum, vsuram non committeret, nec culpam aliquam contraheret: nam vsura nihil aliud est, nisi lucrum, aliàs sibi indebitum; modò qui vitationem damni iniusti consequitur ex mutuo, consequitur id, quod ex iure sibi debetur; quoniam mutuans ius habebat, vt damnum illud iniustum sibi non inferretur. Vndè qui suo inimico iniustè persequenti mutuat, vt à persecutione desistat, vsuram non committit. Sic etiam non dicitur simoniacus, & vsurarius, qui ad euitandam iniustam vexationem super beneficio, quod possidet, aliquod temporale iniustè vexãti tribuit, aut mutuat, vt est *tex. in cap. dilectus, de simon.* quod tamen est verum, quando maxima esset potentia aduersarij, & alio modo ius suum conseruare non posset, vt latè habetur ex *Inn. Ioann. Andr. Henr. Boich. & alijs in c. ad aures, de simon.* Idem dicendum est de mutuante alicui sine alterius damno, vt habetur ex *Syl. verf. Vsura, q. 15 & 17.* quam sententiam communem esse, testatur *Conrad. de contr. quæst. 36. exemp. 6.* quamuis ipse contrariam sententiam putet de iure esse veriorem. Fundatur hæc communis sententia in eo, quòd Sacra Scriptura, & Canones tantum prohibent lucrum ex mutuo percipi; non tamen damnum vitari: siquidem dispar ratio est, quando agitur de lucro captando, & de damno vitando, vt latè *Bart. in l. 2. ff. de flumin num. 6.*

9 Hinc sequitur, quòd habens pecuniam, quam timet in futurum minorari per statutum, & Dominorum legem, si alteri mutuet, vt reddatur sibi in æquali pretio, in quo est quando ei datur, dummodò recipiens mox velit eam expendere tempore, quo tantum valet, vsuram non committit. Sic etiam habens frumentum, quod seruando timet periturum, si mutuat illud alteri statim con-

consumpturo; vt recipiat in futurum aliud frumentum nouum, vsuram non contrahit. Imò licitum est plus repetere de nouo, si vetus pluris æstimaretur, quàm nouum tempore restitutionis; dummodò ista mutuatio fiat salua æqualitate iustitiæ, ne suum pereat, & recipienti gratiā faciat; atque ideò ad euitandum damnum sine alterius damno. Habens pariter segetes adeò maturas, vt nisi secandas quamcitius curaret, perderet, tunc si non posset aliàs habere operarios, nisi ex mutuo; tūc citra culpam sub hac intentione eisdem mutuat, soluta tamen ipsis iusta mercede. Egrotus quoque grauiter alicuius Medici opera indigens, & non sit alius, qui ei subueniat in graue suæ vitę detrimentum, potest illi Medico mutuo dare cū pacto, vt iusta mercede eius opera sibi impēdat, siquidem hæc mutuatio dicitur facta ad vitandum damnum sine alterius damno.

10 Ampliatur rursus eadem conclusio, vt quamuis licitum sit mutuare alicui cum intentione, vt sibi remutuetur, cùm obligatio antidoralis voluntariè tantùm debeatur, & illud lucrum ex mutuo sit vsura, quòd mutuanti aliàs erat indebitum, vt supra diximus, & latè probat *Conrad. de contr. q. 21. & 37.* contra *Syl. verf. Vsura, 1. q. 4.* nihilominus mutuare sub pacto, & obligatione, vt sibi remutuetur, etiam si addatur, cùm mutuans ipse indiguerit, & mutuatarius commodè potuerit, est vsura, cùm obligatio illa sit ciuilis mutuanti indebita: & obligatio antidoralis sit debitum simplex, & naturale, quo quis non potest compelli: sed cùm deducitur in pactum nascitur ex eo obligatio ciuilis; atque ideò ciuilis actio ad remutuandum; quæ pecunia æstimatur, cùm per ciuilem obligationem quis efficiatur debitor, *l. debitor, ff. de verb. oblig. Less. lib. 2. de inst. & iur. cap. 20 dub. 8.*

11 Ampliatur denique dicta conclusio, cæteris prætermissis, vt locum quoque habeat in mutuante triticum tempore, quo minus valet, vt recipiat illud tempore, quo plus valet, & eo tempore ipse mutuans non erat seruaturus; is enim vsura committit: quia non apparet causa, propter quam legitimè illud incrementum percipere possit, vt in *cap. fin.* & ibi, *Doctor. de vsur.* Secus autem si dubium sit, triticum mutuo datum tēpore quo minus valet, plus, aut minus valiturū: tunc enim mutuans recipiens illud tempore, quo plus valet vsuram non committit, siue fuerit ab eo præfixus terminus, siue non: & siue erat frumentum aliàs seruaturus, siue non: siquidem eo casu æquale est periculum vtriusque contrahentis, ita quòd res mutuata tantum descendere poterat in valore, quantum ascendere, vt in *d. c. fin. de vsur.* Idem dicendum est, si moraliter sit certum, triticum mutuo datum plus esse ualiturum tempore solutionis, aut certum sit non minus ualiturum, & dubium num plus sit ualiturum, & nullus fuerit præfixus terminus solutionis, tunc mutuans triticum tempore quo minus ualet, & recipiens illud tempore, quo plus ualet, usuram non contrahit, estò quòd ex proposito expectet tempus, in quo triticum plus valet: nā mutuatarius liber erat ad restituendum mutuū tempore, quo minus valebat: cùm igitur negligens fuerit damnum, quod patitur, sibi imputatur, *l. vinum ff. si cert. petat.* Sic etiam si moraliter sit certum, triticum plus, aut minus valiturū, & dubium an sit plus valiturum, & certus fuerit præfixus solutionis terminus, ac mutuans erat illud seruaturus, adhuc mutuans triticum tempore quo minus valet, & recipiens illud tempore quo plus valet vsuram non committit; quoniam mutuans ratione lucri cessantis incremētum illud percipere potest: Et denique vsuram non dicitur committere mutuans frumentum quando valet carissimum, appretiatum, cum pacto, quòd pretium sibi soluatur in tanto frumēto: siquidem huiusmodi contractus non est mutui, sed venditionis frumenti pretio iusto, quo tempore traditionis valet, & emptionis tritici pretio iusto, quo tempore traditionis valebit, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. num. 225. Conrad. de contr. q. 38 concl. 5. Syl. verf. Vsura, q. 16.* & ex alijs.

12 Sic ampliata limitatur hæc ipsa conclusio, vt ita demùm mutuans cum intentione percipiendi incrementum aliquod pretio ex sui natura æstimabile ex mutuo, vsuram committit, quando incrementum illud intendit ex mutuo in pretium vsus rei mutuatæ, siue intentio sit principalis, siue minus principalis, vt cōtra *Nauar.* docet *Mol. de contr. disp. 303.* quia vsura cùm sit intrinsecè, & ex obiecto mala, intentio minus principalis non excusat à toto, sed à tanto: secus autem si tale lucrum intendat ex mutuo ex alia causa, nempè ex beneuolentia, & gratitudine: nam tunc vsuram non contrahit: Etenim vsura idcircò illicita est; quoniam inuoluntaria est saltem mixtè ex parte illam soluentis: modo intendere lucrum ex mutuo ex beneuolentia, & gratitudine, intenditur illud tanquam à spontè dante, atque ideò inuoluntarium non est. Ita *D. Tho. Caiet.* & alij, quos refert, & sequitur *Mol. loco citato, & Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 20. nu. 5.* Nec obstat *tex. in cap. consuluit, de vsur.* vbi Summus Pontifex obligat ad restitutionem mutuantem, qui mutuauit cum intentione aliquid percipiendi ex mutuo vltra sortem, etiam nulla conuentione, aut pactione præcedente ex illo *Luca cap. 9.* vbi ait Dominus, *Mutuo date nihil inde sperantes,* quoniam *tex.* ille cum auctoritate Domini intelligendus est, quotiescunque intenditur lucrum ex mutuo, tanquàm pretium vsus rei mutuatæ, non autem ex alia causa, nempè ex gratitudine spontè dandum à mutuatario.

13 Ex hoc sequitur non committere vsuram Regi mutuantem ad obtinendum aliquod officiū ab eo spontè dandum: quia lucrum ex mutuo in tantum est vsura, in quantum est inuoluntarium ex parte dantis. Nec simoniam contrahit Clericus, qui mutuat suo Episcopo ad obtinendum ab eo beneficium spontè, & ex gratitudine dandum: siquidem simonia committitur, quando datur res temporalis in pretium rei spiritualis, vt in *c. 1. de sim. & cap. de iure, de iurepatr.* Secus autem si spontè, & ex alia, vt in *cap. sicut Episcopum, 1. q. 2. & cap. dilectus, il 2 eod. tit. de sim.* latè *Molina loco citato,* cōtra *Med.* & alij. Excusantur quoque à simonia famuli inseruiētes Prælatis gratis ad obtinendum beneficium aliquod vacaturum; spontè tamen obtinendum; quoniam beneficium illud non intendunt in pretium seruitij; sed tantùm ex gratitudine, & me-

mera liberalitate Prælatorum. Idem dicendum est de Canonico, quotidianas distributiones intendenti, dum ad Diuinum officium recitandũ se confert: nam si Canonicus ipse ad diuinum officium accedens intendat distributiones ipsas tanquam pretium pro diuino officio, simoniam committit, siue intentio principalis sit, siue minus principalis: si verò Canonicus distributiones intendat tanquam ordinatas ab Ecclesia in sustentationem ministrorum, diuino officio assistentium, tunc simoniam non contrahit, quia non intendit illas, vt pretium rei spiritualis. Sic etiam dicendum est de Sacerdote intendente vnum carolenum pro celebratione Missæ, aliàs non celebraturus: nam si intendat illum in pretium sacrificij, simoniam committit: si verò eũdem intendat, vt ordinatum ad sustentationem Sacerdotum celebrantium, licitè intendit.

14 Quod diximus in prædictis casibus excusantibus à simonia, proportionaliter dicendum de intendentibus lucrum ex mutuo: nam dum quęritur, an mutuans intendat lucrum ex mutuo, attendenda est ipsius intentio: siquidem prædictũ lucrum si intendat in pretium vsus rei mutuatę, antequam sibi ex iustitia debitum vsuram committit: si verò lucrum illud intendat ex alia causa, puta ex gratitudine, & mera liberalitate mutuatarij, vsuram non cõtrahit, siue intẽdat principaliter, siue minus principaliter, vt contra *Nauar.* malè reprehendentem *Sotum, in suo Man. cap. 17. num. 209.* tenet *Molina in suo tract. de contr. disp. 305.* dicens, quòd *Nauar.* in hoc non est sibi costans, *Less. lib. 2. de iust. & iure, c. 20. dub. 5. & 6. & Salon. 2. 2. q. 78. ar. 3. controu. 10. num. 2.* Quod quidem adeò verum esse dicimus, vt si mutuans excitet mutuatarium ad remunerandum mutui beneficium; dummodò ex liberalitate, gratitudine, & plenè voluntariè daturũ sibi fore iudicet, vsurarum prauitate non erit damnandus, nec ad restitutionem compellendus, vt rectè docet *Caiet. 2. 2. q. 78. ar. 1.* quem refert, & sequitur *Mol. loco citato*; qui addit hunc euentum moraliter non esse impossibilem, si mutuatarius generosus sit, & liberalis; quamuis periculosum sit hoc modo excitare mutuatariũ. Vndè reprehendendi sunt eiusmodi excitantes.

15 Hæc quæ diximus, non solùm excusant mutuantem ab vsura, nempè cùm intendit aliquid ex mutuo ratione ex beneuolentia, & gratitudine, à mutuatario spontè dandum, sed etiam excusatur mutuans intendens aliquid ex quacunque alia causa excepta causa vsus rei mutuatæ: nam qui mutuat, præuia obligatione de mutuando, licèt ratione mutui, & in pretium vsus rei mutuatæ, non possit lucrũm aliquod citra vsuram accipere; poterit tamen iustè pro tali obligatione moderatum aliquod stipendium quærere; cùm obligatio illa sit pretio æstimabilis, vt habetur ex *Nauar. in cap. nauiganti, num. 17. vers. Semper tamen, de vsuris*, & alijs, quos Nos retulimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 22. num. 2.* Idem dicendum est si à mutuante percipiatur aliquid ex mutuo ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, siue percipiatur post moram mutuatarij non reddentis mutuo præfinito termino, arg. *tex. in l. 3. §. fin. ff. de eo, quod certo loco, Glosa in cap. conquestus, de vsur. cap. constitutus; & cap. conquestus, de fideiuss. Nauar. in cap. si fœneraueris, 14. q. 3. num. 42.* & latè *Conrad. de contr. q. 3. conclus. 2.* siue percipiatur ante moram mutuatarij, vt habetur ex *Gabr. in 4. d. 15. q. 11. ar. 1. not. 2. Conr. de contr. q. 30. num. 4. Couar. lib. 3. var. resol. c. 4. Nauar. in Man. cap. 17. num. 211.* & ex alijs relatis à *Salon. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 9.* vbi ponit conditiones, quę expostulantur, adhoc, vt huiusmodi interesse exigi possit à mutuante. Non tamen licitum est aliquid ex mutuo percipi ratione obligationis de non repetendo illud ante certum tempus, vt contra *Med. C. de restit. qu. 32. §. indè infertur*, docet *Less. lib. 2. de iustit. & iure, cap. 20. dub. 14.* vbi ait, non esse, tam lassandas habenas mercatoribus, nec illis concedendum, vt quicquam supra sortem exigant si illis ex pecunia nullum lucrum cesset, nullum periculum imminet, nullum incommodum metuitur; quia citra infamiam, & scandalũ eiusmodi lucrum exigi nequit.

† Vbi adde propositionem 42. damnat. ab Alex. VII. P. M. quæ est: *Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetẽdam sortem vsq; ad certum tempus.* Dixi, *Nullum periculum imminet*; quoniam ratione imminentis periculi sortis, aut difficultatis ad illã recuperandam, licitum est aliquid ex mutuo percipere, vt habetur ex *Syl. vers. Vsura, 1. q. 35. Petr. Nauar. de restit. lib. cap. 2. num. 343. Salon. 2. 2. q. 78. ar. 2. contr. 20. Less. lib. 2. de iustit. & iur. cap. 20. dub. 13.* & ex alijs: id enim non dicitur percipi in pretium vsus rei mutuatæ.

16 Dico sextò mutuantem intendentem aliquid ex mutuo in pretium vsus rei mutuatæ, non solũ peccare, & vsuram committere; sed etiam perceptum tenetur restituere: quoniam vsura est contra iustitiam commutatiuam, ex cuius violatione sequitur obligatio restituendi. Imò manifesti vsurarij priuantur communione altaris, & Ecclesiastica sepultura, donec reddant, quod tam prauè receperant, vt in *cap. cum tu, de vsur.* vbi *Panor. num. 5. & in cap. quia in omnibus, num. 9. eod. tit.* & nonnulli putant, prædictas pęnas esse latæ sententię, atque ideò manifesti vsurarij illas contrahunt ipso facto. Item vltra supradictas pœnas, afficiuntur vsurarij manifesti alijs pœnis: nam non admittuntur ad sacramentalem confessionem, nec ad testamenti factionem, nisi restituant, aut idoneam cautionem de restituendis vsuris præstent, vt in *cap. quamquã, de vsur. in 6.* & Nos latè de horum pœnis egimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. § 2. q. 2.* vbi etiam declarauimus, qui nam dicantur vsurarij manifesti; qui verò non manifesti, & qualiter puniantur.

17 Dico septimò, non solùm mutuantes cum intentione percipiendi incrementum aliquod in pretium vsus rei mutuatæ peccant, & ad restitutionem lucri percepti tenentur, sed etiam cooperantes eiusmodi mutuantibus vsurarijs, eorum partes agentes; quia cooperatio sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur. Hinc Notarij instrumenta conficientes, proxenetæ, seu sensales, famuli, Domini temporales, consulentes, & quocunque alio modo cooperantes, peccant, & vsuras perceptas tenentur restituere: quæ omnia quomodo vera sint, latè nos declarauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb.*

camb. §. 1. q. 73. & 74. tractantes de cooperantibus cambia sicca exercentibus, vbi *num.* 12. ostendimus etiam, Confessarios audientes confessiones vsurariorum, si ex denegatione admonitionis sequatur, vt non fiat vsurarum restitutio, peccare, & in solidum teneri ad restitutionē, vt habetur ex *Syl. in sum. vers. Vsura*, & ex alijs, quos ibidem citauimus: Quod quidem tunc verum esse ostendimus, quando Confessarius verbis suis, siue interrogatus, siue non, in causa fuit, vt restitutio non fiat; quoniam tunc se habet, vt consulens, vel inducens vsurarium ad non restituendas vsuras: Secus autem si Confessarius prætermiserit tantùm admonere pœnitentem de vsuris restituendis; quoniam tunc restituere nō cogitur; quia non tenetur ex officio consulere bono tertij: sed solùm ex officio tenetur consulere bono pœnitentis, & lege tantùm charitatis tenetur tertij bonum procurare.

18 Dixi, *Eorum partes agentes*, quoniam si cooperantes agant partes eius, qui mutuo sub vsuris accipit in casibus sibi non permissis, licèt peccēt cooperando; non tamen tenentur ad restitutionem aliquam, vt in *d. q.* 73. explicauimus *nu.* 4. Imò *num.* 2. ostendimus, quòd cooperantes ad mutuationes vsurarias exercendas agendo partes eius, qui pecuniam ad vsuram accipit in casibus sibi concessis, nullam culpam contrahit, nec ad aliquam restitutionem cogitur: quoniam actio cooperantis sumit speciem ab actione eius, cui cooperatur, sed qui ad vsuram pecuniā accipit in casibus sibi concessis non peccat, nec ad restitutionem aliquam tenetur: ergo, nec illi cooperantes. Quando autem peccent, & ad restitutionem teneantur famuli vsurariorum, negotiorum, gestores, & alij eiusmodi quando peccent, & ad restituendum obligentur, latè de hac re egimus in nostris *Commentar. in extrauag B. Pij V. de camb.* §. 1. q 74. *per totam*.

De culpis Mutuo accipientis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Peccat Mutuatarius, si vi, aut metu compellat aliquem ad sibi mutuandum.*
Quid si extremè indigeat pro conseruatione sui indiuidui.
Et an debeatur interesse damni emergentis, & lucri cessantis, cum Mutuum non spontè fiat.

2 *Accipientes mutuo pecuniam citra vllam necessitatem, aut honestam vtilitatem, sed ad solemnius epulandum, ad ludos exercendos, &c. peccant.*

3 *Non potest citra culpam petere, vel accipere Mutuo pecuniam sub vsuris, seu ad cambiū siccum ab eo, qui taliter dare non est paratus.*

4 *Extremè indigens si petierit pecunias Mutuo, vel ad cambium reale à diuite, qui illas recusauerit, potest illum inducere ad dandum sibi sub vsuris.*

5 *Mutuatarius, vt excusetur à culpa petendo mutuum sub vsuris à non parato ad fænerandum tria concurrere debent.*

6 *A parato ad fænerandum citra omnem culpam petitur, & accipitur.*

7 *Ab aliquo petere, vel accipere nō licet quod est intrinsecè malum.*

8 *Non est licitum petere à malefico, vt maleficium alio maleficio soluat.*

HÆC controuersia patet ex ijs, quæ latè tractauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B Pij V. de camb.* §. 1 *q.* 72. vbi egimus de petentibus, & accipientibus pecunias ad cambiū siccum: siquidem cambium siccum non est aliud quàm mutuum vsurarium, vt ibidem, & alibi ostendimus. Vndè pro huius rei explicatione sit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 PEccat Mutuatarius vi, aut metu compellendo aliquem ad sibi mutuandum; quoniam mutuum regulariter non debetur alicui ex debito iustitiæ; sed ex debito charitatis mutuo indigenti. Quocirca citra culpam potest quis compelli ad mutuandum: & multò magis si petens mutuo illo non eget: quod si quis mutuo extremè indigeat pro conseruatione sui indiuidui, aut suorum, tunc citra culpam aliquam potest compellere aliquem ad sibi mutuandum cum possit: sicut & Rex, aut Resp. communi necessitate exigente, compellit mercatores ad sibi mutuandū. Est tamen verum deberi interesse tum damni emergentis, tum lucri cessantis etiam ante morā mutuatarij, quando mutuum non fuit factum spontè; sed coactè. Et hoc siue iniustè, vt cùm quis ab aliquo particulari vi, aut minis fuit mutuare cōpulsus Siue iustè, vt cùm Rex, aut Resp. communi necessitate exigente compellit mercatores ad sibi mutuandum. Etenim eiusmodi mutuantes cùm nō liberè, nec spontè mutuauerint, sed vt supra coacti, & compulsi, nullo modo nec tacitè, nec expressè cōsenserunt in illa damna, ac dispendia. In hoc tamen differt compulsus mutuare iustè à Principe vt supra à compulso mutuare iniustè vi, aut metu, quòd primo casu Princeps iustè mutuare cogens tenetur tantùm ad interesse lucri cessantis, aut damni emergentis. Secundo verò casu iniustè mutuare compellens, præter damna, aut lucra vt supra, tenetur etiam reficere aliquid ratione iniuriæ ad arbitrium boni viri, vt rectè docet *Salon.* 2. 2. *q.* 78. *art.* 2 *contr.* 8. *num.* 6 *in fine*. Si tamen Rex soluendo non esset, cogere tenetur reliquas Reip. partes ad resarcienda prædicta damna, & interesse: nam in Reip. bonū, cui partes omnes æquè proportione quadam subuenire tenentur, pecunia illa versa supponitur. Ita *Mol. de contr. disp.* 315. *concl.* 1. *Conrad eod. tr. q.* 44. & 45. & *Syl. ver. vsura* 1. *q.* 24. Quòd si is, qui coegit mutuare reperiebatur in extrema necessitate constitutus pro conseruatione proprij, ac propriæ familiæ indiuidui, tunc non tenetur nec ad interesse lucri cessantis, nec damni emergentis, nec ad refectio-

fectionem iniuriæ: quoniam is vtitur iure suo: eo quòd necessitatis tempore omnia sunt communia, vt in *cap. discipulos 50. d.*

SECVNDA CONCLVSIO.

2 Accipientes mutuo peccant, si illud accipiat citra vllam necessitatem, aut honestam saltem vtilitatem; sed ad solemnius epulandum, ad ludos exercendos, & alia eiusmodi, quæ necessaria non sunt, nec vtilia; sed tendunt in detrimentum suorum filiorum, vxorum, & creditorum, iuxta ea, quæ habentur ex *Soto lib. 6. de iust. & iure, q. 1. ar. 5. Nauar. in Man. cap. 17. num. 263. & Mol. de contr. disp 335. & ex alijs*: atq; ideò iniustitiam committunt, cùm æs alienum irrationabiliter contrahant, propter quod possunt reddi impotentes ad satisfaciendum creditoribus, & ad subministrandum necessaria propriæ familiæ, vt de accipientibus cambio sicco ostendimus *in nostris Commentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. §. 1. q. 72. concl. 1. sub num. 10.*

TERTIA CONCLVSIO.

3 Non potest quis citra culpam petere, seu accipere pecuniam mutuo sub vsuris, seu ad cambium siccum ab eo, qui pecuniam dare ad vsuras, seu cambio sicco non est paratus. Hæc conclusio colligitur ex ijs, quæ traduntur ex *D. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 4.* vbi etiam *Salon. in princ. eiusdem art. Inn. Panor. & ex alijs in cap. super eo, de vsur. Mol. de contr. disp. 335. & aliorum*: siquidem nulli fas est aliquem ad peccandum inducere, cùm id sit scandalum actiuum, cooperatio, concursus, & cõsensus ad peccatum illius: & vsura sit peccatum non solùm, quia omni iure est prohibita; sed quia est intrinsecè, & ex obiecto mala, vt in *d. cap. super eo, de vsur.* atq; ideò hoc casu tam dantes, quàm accipientes mutuo sub vsuris culpam contraherent.

4 Limitatur tamen hæc conclusio, vt locum nõ habeat in eo, qui cùm extremè indigeat, petierit pecunias mutuo, vel ad cambium reale ab aliquo diuite, & illas dare ei recusauerit: siquidem hoc casu potest illum inducere ad mutuandum sibi sub vsuris, vt habetur ex *Panor. & ex alijs in d. cap. super eo, de vsur. Sot. lib. 6. de iust. & iure. q. 1. ar. 5. Nauar. in Man. cap. 17. nu. 263. Salon. 2. 2. q. 78. art. 4. contr. 1.* cum alijs, quos allegant. Etenim hoc casu non est proximum ad peccatum inducere, sed potius consulere illi minus peccatum ad euitandum maius; nempè, vt potius committat peccatum vsuræ, quod est minus; quàm peccatum homicidij, quod est maius: nam qui extremè indigenti non subuenit cùm possit, perindè se habet, ac si pauperem illum occideret, iuxta illud *D. Ambr. in cap. pasce. 86. d. Pasce fame esurientem, si non pauisti, occidisti.* at licitum est suadere minus malum ad euitandũ maius, vt *in cap. si quod verum 33. q. 2.* vbi referuntur verba *D. August.* qui agẽs de viro adulteræ volente alterum ex duobus præstare, vxorẽ scilicet adulteram occidere, vel ea dimissa, & viuente, aliam ducere, ita inquit: *Si facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non committat homicidium, licet neutrum facere debeat,* vt latiùs rem hanc ostendimus in nostris *Cõmentar. in extrauag. B. Pij V. §. 1. q. 72. sub nu. 16.* vbi *num. 17.* rationem huius dicti eam esse diximus, quoniam qui suadet minus malum ad euitandum maius, non dicitur suadere malum, sed prælectionem minoris mali, quæ bona est, atque ideò huius consilij obiectum bonum est, vt in *cap. nerui 13. d.*

5 Est tamen verum, quod ad hoc mutuatarius excusetur à culpa petendo mutuo sub vsuris à nõ parato ad fœnerandum, debent tria concurrere. Primum, vt omnes vias, & media tẽtauerit prius ad suadendum eiusmodi diuiti ad gratis mutuãdum, aut alia via ad subueniendum ipsi indigenti, & in vanum elaborauerit. Secundum, vt petẽs mutuo sub vsuris extremè indigeat, aut in magna saltem necessitate sit constitutus. Tertium, vt iniustitia minor sit inferenda mutuatario, non autem tertio, vt demonstrauimus *d. q. 72. sub num. 19.*

6 Secundò limitatur eadem conclusio, vt quamuis citra culpam non possit peti mutuo sub vsuris à non parato ad fœnerandum; nihilominus à parato ad fœnerãdum citra omnem culpam petitur, & accipitur, vt habetur ex *D. Th. 2. 2. q. 78. ar. 4.* quem *DD.* communiter sequuntur. Etenim accipiens mutuo sub vsuris à parato ad fœnerandum, non dicitur illum inducere ad secum celebrandum mutuum vsurarium; sed vtitur iniquitate illius ad bonum aliquod consequendum, nempè ad subuentionem propriæ necessitatis, vel alterius: at licitum est, vti peccato eius, qui ad peccandum paratus est, quando peccatum illud cedit in bonum aliquod. Siquidem *D. August. epist. 154.* quærenti, an licitum sit vti iuramento Pagani, per falsos Deos iurantis, respondit: *Qui vtitur fide illius, qui per falsos Deos iurat, non ad malum, sed ad bonum, neque peccato illius se sociat, qui per dæmonia iurauit; sed pacto eius bono, quo fidem seruauit.* Hac eadem ratione licitum est sicario parato ad rapienda bona, vel ad occidendum, ostendere bona, quæ rapiat, ne occidat, vt hæc, & alia diximus *in dictis nostris Cõmentar. in extrauag. B. Pij V. de camb. q. 72. nu. 24. cum plurib. seq.* vbi etiam *à num. 27. ad 32.* rem hanc veram esse ostendimus, vt tunc petens mutuo sub vsuris à parato ad fœnerandum excusetur à culpa, quando aliqua necessitas adest ex parte petentis, vel saltem honesta quædam vtilitas: & quando prius petitur pecunia mutuo gratis, & dari gratis à mutuante recusatur: aliàs his conditionibus non concurrentibus non excusaretur mutuatarius, nisi petens formaliter, & expressè sub usuris certò sciat, mutuantem non mutuaturum gratis, sed tantùm sub usuris, ut in *d. q. 72.* ostendimus, *num. 35.*

7 Nec obstat si dicatur, quòd nõ licet ab aliquo petere, aut accipere, quod est intrinsecè, & ex obiecto malum, quantumuis cognoscatur paratus ad illud præstandũ, sed dare mutuo sub usuris, est intrinsecè, & ex obiecto malum; ergo non est licitum petere, uel accipere ab aliquo omninò parato ad non aliter mutuo dandum, quàm sub usuris. Hinc sequitur, quòd fornicatio, homicidium, & alia eiusmodi sunt intrinsecè, & ex obiecto mala, eo quod sunt contra ius naturale, & diuinum, sicut est usura, ut *in cap. super eo, de vsur.* & proindè non est licitum petere ab aliquo,

quo, ut fornicationem, aut homicidiũ committat, quamuis paratus sit ad occidendum, & fornicandum: quoniam respondetur, quòd intrinsecè malũ est duplex; nam quoddã dicitur intrinsecè malum omninò tam secundum substãtiam actus, quàm ex circumstantia, ut fornicari, occidere, mentiri, &c. & quoddam dicitur intrinsecè malum ex circumstantia tantùm, ut est simonia, dare mutuo sub usuris, &c. modò respondendo ad argumentum dicimus, quòd id, quod est intrinsecè malum omninò, tam secundum substantiam actus, quàm secundùm circumstantiam, nõ licet ab aliquo petere, etiam si certò cognoscatur paratus ad illud præstandum: siquidem cùm id secundum substãtiam actus malum sit, eo ipso quòd postulatur, inducitur proximus ad malũ, atq; ideò est illi scandalum, & causa ruinæ: at quando id, quod petitur secundum substantiam actus bonum est; ex circumstantia verò tantùm malum, & petenti nociuum, vt est simonia, quæ secundùm substantiam actus bona est, cùm non sit prohibitum rem temporalem pro spirituali, vt in *cap. sicut Episcopum, 1. q. 2. & cap. dilectus, de sim.* petentem illud necessitate aliqua compulsum, solùm petere eo casu, quod secundum substantiam actus bonum est: Circumstantiam verò illam quamuis videatur secundum externum sermonem petere: re tamen ipsa cùm illi nociua sit, non petit formaliter, & propriè, sed offert se tantùm ad ferendam, & sustinendam, vt suæ consulat necessitati; atque ideò intrinsecè malum eiusmodi secundum circumstantiam actus dumtaxat, non est incongruum petere, cũ non petatur id, quod malum est, sed quod bonũ. Hoc igitur modo se habet, qui ab vsurario, quẽ nouit nullo modo mutuaturum, nisi sub vsuris: siquidem petit à principio mutuũ directè, quod bonum est: & licèt secundum externum sermonem videatur offerre vsuras; nihilominus cùm vsurarum solutio sit illi nociua, eam non offert formaliter, & propriè; sed solùm offert se vsurarium illud damnum sustinere, & pati, vt suę cõsulat necessitati, vt sufficienter Nos declarauimus *d. q. 72. num. 39. cum plur. seq.*

8 Nec obstat denique, cæteris prætermissis, quòd non est licitum petere à malefico maleficium solui alio maleficio, quantumuis paratus videatur ad id præstandum, vt habetur ex *Diuo Thoma in 4 sent. d. 34. q. vnica, ar. 3.* & est *tex. in cap. admoneant, 26. q. 7* ergò non licet ab aliquo petere, vel accipere pecunias ad vsuras, quãtumuis parato, cùm eadem ratio militet in vtroque casu, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* quoniam respondetur, quòd est dispar ratio in mutuo vsurario, & maleficio; quia maleficium cùm sit malum intrinsecè, & omninò tam scilicet secundum substantiam actus, quàm secundum circumstantiam, petere à malefico, vt maleficium soluat alio maleficio, est petere ab illo formaliter, & directè actum intrinsecè, & ex obiecto malum: at mutuatarius postulans mutuum sub vsuris ab vsurario parato ad fœnerandum cum omnibus illis circumstantijs supra relatis, petit actum secundum substantiam bonum, nempè mutuum, quod potest mutuans rectè præstare, sicut infidelis iuramẽtum: circumstantia verò illa, cum qua petit non est à voluntate petentis, cùm nociua sit illi, sed ex iniquitate vsurarij nolentis mutuare gratis, sed tantùm sub vsuris, vt latè declarauimus *d. q. 72. in resp. ad quartum.*

De Socijs, & eorum culpis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Societas in genere sumpta quid sit, & qui nam à societate contrahenda excludantur.*
2 *Societas omnium bonorum simpliciter, vel ad quæstum quid sit.*
Et qualiter contrahatur societas omnium bonorum inter coniuges.
3 *Societas officiorum Romanæ Curiæ est vera, & perfecta societas.*

1 AD huius rei intelligentiam videnda sunt, quæ nos latè tractauimus in nostro tractatu de societatibus, in quo egimus de societate in genere, de societate omnium bonorum ad quæstum, de societate omnium bonorum inter coniuges, de societate negotiationis, de societate animalium, & de societate officiorum Romanæ Curiæ. Vndè definientes societatem in genere, diximus ibi *lib. 1. cap. 1 q. 2.* quòd societas est conuentio honesta duorum, pluriumue ad conferendum aliquid in vsum, lucrum, vel ad quæstum communem contracta. Etenim societatem diximus esse conuentionem honestam quoniam est contractus nominatus, bonæ fidei, & perficitur solo consensu, vt latè ibidem declarauimus, *cap. 2. per totum.* Et cùm sit duorum, vel plurium, societas non potest consistere, nisi inter plures personas, atque ideò ad minus inter duas personas, quæ valeant de iure contrahere; & insuper à societate contrahenda, exclusimus impuberes, ebrios, amore captos, lunaticos, freneticos, fatuos, mẽtecaptos, amẽtes, furiosos, & nonnullos alios, de quibus egimus *d. lib. 1. cap. 3. per totum*, in quo per suas quæstiones declarauimus personas, quæ de iure coire, vel non coire possunt; & sic tractauimus de minoribus, surdis, mutis, mulieribus, filijsfamilias, seruis, Religiosis, Clericis, excommunicatis, Fidelibus cum Infidelibus, & de alijs, qui ratione munerum dubitatur, an valeant, & quando possunt societatem contrahere. Denique, dum diximus societatem coiri ad conferendum àliquid in vsum, lucrum, vel quæstum, certum est non contrahi societatem, nisi concurrat rerum communio ad vsum, vt cum celebratur ad vsum rei tantùm, vel etiam communicato rei dominio, ad lucrum, cũ sit rerum omnium communio quocunque titulo acquisita, tam titulo oneroso, vt ex emptione, venditione, locatione, industria, artificio, &c. quàm lucratiuo, nempè ex donatione inter viuos, vel causa mortis, aut ex legato, testamento, & ex alijs huiusmodi. Ad quæstum demum, ad lucrum scilicet, quod prouenit ex opera, artificio, cura, & industria, vt ex emptione, locatione, artificio, &c. vt in *l. coire ff. pro soc. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tr. 38. cap. 7. num. 137. Felic. in sua*

 tract.

tract. de societ. cap. 10. *nu.* 10. & Nos sufficienter declarauimus in nostro *tract. de societ. lib.* 1. *cap.* 5. *q.* 1.

2 Ex supradicta definitione societatis in genere, patet definitio supradictarum societatis specierum. Etenim societas omnium bonorum simpliciter est conuentio duorum, pluriumue ad omnia eorum bona simpliciter conferenda ad communem vsum, & commune lucrum: siquidem in hac societate veniunt conferenda omnia bona, tum titulo oneroso; tum lucratiuo acquisita, vt latè Nos declarauimus in nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap.* 1. *q.* 1. *cum plur. seq.* Societas verò omnium bonorum ad quæstum tantùm eodem modo definitur, tantùm mutatur dictio illa, lucrum, in quæstum: quia in hoc differt societas omnium bonorum simpliciter, à societate omnium bonorum ad quæstum, quia in priori veniunt communicanda omnia bona, tum oneroso, tum etiam lucratiuo titulo acquisita: in hac autem communicantur bona tantùm, quæ prouenīūt ex quæstu, nempè titulo oneroso, ex emptione scilicet, locatione, artificio, &c. vt explicimus *eod. lib.* 2. *de societ. cap.* 2. *per totum.* Qualiter autem contrahatur societas omnium bonorum inter coniuges, sunt inspicienda iura municipalia: nam de iure communi ex vi matrimonij non censetur facta societas omnium bonorum inter coniuges, vt latè de hac re egimus in eodē nostro *tract. de societ. lib.* 2 *cap.* 3 *q* 2. *cum plur. seq.* & societas particularis, quæ nā sit, diximus ibidē *l.* 2. *c.* 4. *q.* 1. vbi etiam diximus ꝙ eiusmodi societas contrahitur dupliciter, nēpè, vt in ea fiat cōmunio lucri tantū, non capitalis: & quòd fiat, tam lucrij, quàm capitalis. Eodem modo celebratur societas animalium, nempè vt in ea fiat communio lucri tantùm; nempè, quòd in ea cōmunicentur animalium fructus, & vtilitates, nō autem eorum dominium: & quòd in ea fiat cōmunio etiam capitalis, atque ideò communicētur non solùm fructus, & vtilitates animalium; verum etiam ipsa animalia, vt adnotauimus in eodem nostro *tract. lib.* 2. *cap.* 5. *q.* 6. *cum seq.* Denique ex præfata definitione societatis in genere patet, quid dicendum sit de societate officiorum Romanæ Curiæ.

3 Est enim societas officiorum Romanæ Curiæ vera, ac perfecta societas: nam ei conuenit definitio societatis in genere; cùm sit conuentio honesta duorum, vel plurium ad cōferendum pecunias in commune lucrum. Etenim est conuentio, quia est contractus; est honesta, eo quòd est rationabilis: est duorum vel plurium; siquidem inter officialem, vel inter vnum, vel plures socios conferentes pecunias, & sic fit ad conferendum aliquid. Est demum in commune lucrum: nam in hac societate communio fit lucri, seu fructus officiorum, vt latè ostendimus in dicto nostro *tract. de societatib. lib.* 2. *cap.* 6 *q* 5. vbi etiam *q.* 6. de eiusdem iustitia egimus. His breuiter adnotatis, per sequentes sectiones explicabimus præcipuos casus, in quibus lethalem culpam contrahunt societates contrahentes. Et primò videbimus.

An Socij peccent in societatibus æqualitatem non seruantes inter eos.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1. *Adducitur prima fronte responsio negatiua, & cur.*
2. *Verior est sententia in contrarium, quod in societatibus æqualitas sit seruanda.*
3. *In societate siuè conferantur æqualia, siue inæqualia, semper æqualitas seruari potest.*

1 IN hac re videtur prima fronte negatiuè respondendum esse. Etenim, quæ in societate conferuntur non est necesse, vt sint æqualia; sed satis est, si sint inæqualia, vt probant *Conrad. de contr. q* 93. *suppos.* 3. *Mol. eod. tract. disp.* 415. *num.* 1. *Filliuc. tom* 2 *qq. moral. tr.* 38. *cap.* 5. *q.* 1. *num.* 35. *Less. lib.* 2. *de iust. & iure, cap.* 25 *dub.* 2. *num.* 20. & alij Doctor. communiter. Hinc est, quòd in societate omnium bonorum simpliciter, non attenditur, an quis plura, vel pauciora bona contulerit, æqualia, aut inæqualia, sed satis est, vt singuli omnia eorum bona conferant, ad finem, vt omnia communia sint, & æqualiter diuidantur, vt habetur ex *Purpur. in l. si pascenda, num.* 38. *C. de pact. Couar. lib.* 3. *var. resol. cap.* 2. *sub num.* 3 *vers. Quintus est casus, Molin. de contr. disp.* 412. *num.* 4. & ex alijs, quos refert, & sequitur *Felic. de societ. cap.* 15. *n.* 1. *&* 2. Sic etiam iusta potest esse societas particularis, in qua vnus confert pecuniam, & operas; & alter operas tantùm, vt ostendimus in nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap* 4 *q.* 21. Si igitur in societatibus non est necesse, vt æqualia conferantur; ergò socij non peccant, æqualitatem in societatibus inter eos non seruantes.

2 His tamen non obstantibus, in contrarium est veritas. Etenim in societatibus æqualitas seruari debet: siquidem societas adeò in æqualitate consistit, vt omnia in ea per æqualitatem procedant, vt in *l. si pascenda*, & ibi, *Doctor. C. de pact. §. illud, in inst. de societ. l. verum in princ. ff. pro soc.* Imò pactum tollens æqualitatem, & fraternitatem inter socios dicitur contra substantiam contractus, annullans, atque irritans societatem ipsam. Et hanc opinionem communem esse testatur *Decian. cons.* 11. *num.* 13. *lib.* 1. *Corn. cons.* 139. *col.* 1. *lib.* 1. quos refert, & sequitur *Tusch. vers. Societas, concl.* 279. *num.* 13.

3 Ad rationem autem in contrarium respondetur negando consequentiam. Etenim in societate, siue conferantur æqualia, siue inæqualia semper in ea seruari potest æqualitas. Hinc est, quòd licet in societate omnium bonorum simpliciter, bona omnia veniant æqualiter diuidenda inter socios, estò quod vnus conferat plura bona; alter verò pauciora; nihilominus in ea seruatur æqualitas ratione dubij euentus: nam potest esse, quòd vnus ex socijs à principio minus conferat, & tamen processu temporis ex prospera fortuna, nempè ex testamento, donatione, aut propria industria societati plus conferat. Vndè ratione dubij euentus valet societas contracta

super

super hæreditate ventura, licèt ignoretur cui, obuenire debeat, vt in *l.3.§ de illo, ff. pro soc. & Mol. de contr. disp. 412 num. 4.* Societas pariter particularis, in qua vnus confert pecuniam, & operas, & alter operas tantum, potest esse iusta, & in ea seruari æqualitas, quando lucra, & dāna proportionaliter diuiduntur inter socios, aut etiam æqualiter, vt declarauimus in dicto nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 21. & lib. 1. cap. 4. q. 2.* Hinc sequitur, quòd si vnus ex socijs conferat in societate centum aureos; alter verò 50. aureos, & operas valentes etiam 50. si in fine societatis lucrum sit 200. aureorum, lucrum illud inter eos debet æqualiter diuidi. Quòd si opera, ac industria illius, qui contulit 50. non valeant alia 50. tunc vnusquisque tenetur accipere capitale suum, & lucrum venit diuidendum proportionaliter arbitrio boni viri, vt in *d q. 21.* declarauimus ex *Nauar. in Man. cap. 17. num 52.* & ex alijs. Ad cognoscendam autem æqualitatem, vel inæqualitatem in societate, vide omninò, quę adnotauimus in dicto nostro *tr. de societ. d lib. 1. cap. 4 q. 2. per totam*, vbi rem hanc sufficienter explicauimus.

An in rebus quibuscunq; citra culpam possit contrahi societas. SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *In rebus turpibus, illicitis, & inhonestis societas non contrahitur citra culpam.*

2 *Peccant quoq; socij si societatem ineant in rebus, quæ in nostro commercio non sunt.*

1 AD hanc rem respondetur breuiter negatiuè. Etenim societas quamuis licitè contrahatur super rebus tam corporalibus, quàm incorporalibus, vt ostēdimus in nostro *tract. de societ. lib. 1. cap. 4 q. 1. concl 3. & 4.* non tamen citra culpam contrahitur super rebus turpibus, illicitis, ac inhonestis: quoniam rerum inhonestarum non datur societas, cum delictorū turpis, atque feda communio sit, vt in *l. nec prætermittendum, l. quod autem, & l. pen. ff. pro soc.* Vndè societatem contrahentes ad fœneratitias negotiationes exercendas, ad rapinas committēdas, ad furta patrāda, aut aliud crimen committendum, quamuis socij criminis vulgò dicātur; non tamen inter eos vera contrahitur societas: quia non datur societas nisi rerum honestarum; atque ideò inter huiusmodi socios non datur actio pro socio pro diuidendis bonis ex maleficio comparatis, vt latè declarauimus in d. nostro *tract. de societ. lib. 1 cap. 4. q. 1. concl. 2.* & latius
2 *cap. 1. q. q. 2. vers. Dixi honesta.* Peccant pariter socij societatem coeuntes super rebus, quæ non sunt in commercio nostro, nempè super rebus sacris, religiosis sanctis, ac super libero homine: siquidem harum rerum dominiū non habemus, atque ideò super eis inutilis est stipulatio, vt in *§. 1. & 2. in Inst. de inutilib stipul. l. inter stipulantem, §. sacram. ff. de verb. obl.* Peccant rursus socij contrahentes societatem super mare, & littore maris: Etenim licèt hæc naturali iure communia sint omnibus; sunt tamē in bonis nullius sicut res sacræ, religiosæ sanctæ, ac liber homo; atq; ideò in illis non cadit stipulatio, alienatio, ac dominij translatio, quæ in societate concurrunt. Peccant denique socij societatem coeuntes super rebus Vniuersitatis, ac publicis, quæ vsibus populi perpetuò destinata sunt, vt sunt theatrum, & alia huiusmodi, vt in *d q. 1. concl. 1.* adnotauimus. Siquidem in his quoque non cadit stipulatio, nec sunt in singulorum dominio.

An in societate omnium bonorum simpliciter citra culpam possit vnus ex socijs rem aliquam proprio nomine comparare. SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Socius omnium bonorum comparans rem proprio nomine non intendens eam cum socijs cōmunicare, dolosè, & infideliter se habet, secus si eam communicare intendat.*

2 *Ampliatur hoc in societate, quæ in Lusitania contrahitur inter coniuges, & appellatur ista societas medietas bonorum.*

3 *In societate omnium bonorum ad quæstum, potest vnus citra culpam aliquam rem acquirere, eamque non communicare cum socijs.*

1 AD propositam difficultatē sub hac distinctione arbitror esse respondendum, quòd aut socius ita proprio nomine rem aliquam cōparat, vt non intendat eam communicare in societate omnium bonorum simpliciter cum alijs socijs: vel ita proprio nomine comparat, vt intēdat cum socijs rem ipsam communicare. Primò casu dolosè, ac infideliter se habet; quoniam socij omnium bonorum simpliciter, non possunt habere proprium, cùm inter eos omnia sint cōmunia, ita vt omnia acquisita post contractam societatem ab vno ex socijs communicata censentur alijs, etiam si non constet, an proprio, vel communi omnium sociorum nomine acquisierit, vt per *Bald. cons. 61. nu. 3. lib. 2. Crauet. cons. 159. sub num. 2. lib. 2. & Felic. de societ cap. 4. num. 27. & seq.* Imò quæsita eo casu nomine proprio per vnum ex socijs, quamuis secundum sententiam magis receptam non sint communicata ipso iure alijs socijs, sed veniant communicanda; nihilominus non desunt Doctores magni ponderis, qui doceant esse quoque communicata ipso iure, vt adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib. 1. cap. 4 q 4. concl 3* vbi etiam ostēdimus, quòd non est distinguendum, an de propria, an de communi pecunia sint quæsita; nec agendum est de restitutione pecuniæ. Nec praua intentio socij acquirentis obstat: quoniam non potest socius, altero socio inuito mutare naturam societatis, *l. actione, §. diximus, ff. pro soc.* & dolosa acquisitio facta præfato modo sibi prodesse non debet. Et cùm de natura societatis sit omnia debere esse communia, dici non potest, socium eo animo acquirere posse, vt non acquirat societati; sed dici debet, eum siue velit, siue nolit, societati acquirere, vt ostendimus *d. q. 4.*

concl. 1. ampl. 5. vbi licèt id sentiamus de bonis acquisitis, expresso nomine omnium sociorum; attamen idem videtur dicendum de acquisitis proprio nomine, si sequi velimus opinionem illorum, docentium, proprio nomine acquisita in societate omnium bonorum simpliciter per vnū ex socijs, communicari quoad dominium, & possessionem cum alijs. Secundo verò casu certum est, citra culpam posse vnum ex socijs rem aliquam proprio nomine comparare; quoniam vel communicantur ipso iure, vel fuerunt comparata proprio nomine animo ea communicādi.

2 Ampliatur hęc conclusio, vt quod diximus in societate omnium bonorum simpliciter, vt scilicèt citra culpam non possit vnus ex socijs rem aliquam proprio nomine acquirere, & cum alijs socijs eam non communicare, extendatur in societatem omnium bonorum, quæ per consumationem matrimonij contrahitur inter coniuges in Lusitania, quæ societas appellatur medietatis bonorum, vt non possit alter coniux aliquid citra culpam proprio nomine acquirere, & alteri non communicare: siquidem acquisita constāte matrimonio per virum, aut per vxorem statim communicantur, etiam si non constet, proprio, vel communi coniugum nomine fuisse comparata: nam societas huiusmodi non differt à societate omnium bonorum simpliciter, cùm eius vigore adeò bona omnia coniugum communicantur, quocunque titulo tam oneroso, quàm lucratiuo acquisita, vt vnusquisq; eorum partialitate dominij, & totalitate rerū dominus sit omnium bonorum vtriusque, vt rectè declarat *Molina de contr. disp. 422. sub num. 3.* & nos latiùs in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 3. q. 4.* atque ideò militat eadem ratio in vtroque casu, cùm coniuges vi dictæ societatis proprium habere non valeant.

3 Sic ampliata limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat in societate omnium bonorum ad quæstum, & in alijs particularibus societatibus: nam si vnus ex socijs rem aliquam proprio nomine acquirat, citra culpam potest non communicare eam cum alijs socijs: siquidem socij in eiusmodi societatibus possunt habere proprium: non enim in societate omnium bonorū ad quæstum communicantur bona titulo lucratiuo cōparata, sed tantùm quæsita ex quæstu: & in particularibus societatibus non solùm non veniunt communicanda bona quæsita titulo lucratiuo, sed nec etiam omnia quæsita ex quæstu, vt in dicto nostro *tract. de societ. lib. 1. cap. 4 q. 4. concl. 2. limit. vnica*, ostendimus, & latiùs declarauimus, vbi *concl. 4.* ostendimus quoque, quòd in societate omnium bonorum ad quæstum, & in alijs societatibus particularibus communi nomine empta, aut quouis alio titulo acquisita per vnum ex socijs, antequam eorum possessio tradita illi fuerit, non censentur communicata alijs socijs; quoniam re non tradita, tantùm emptori competit actio ex empto, & in eum dominium non transfertur, vt in *l. traditionibus, C. de pact. & §. per traditionem, in Inst. de rer. diuis.* Imò in huiusmodi societatibus acquisita per vnum ex socijs, in dubio censentur quæsita nomine proprio, vt ibidem adnotauimus *concl. 5.* & cōparata propria pecunia illius socij, vt ibidem probauimus, *q. 5. concl. 2.*

An in societate omnium bonorū simpliciter citra culpam possit fieri pactū, vt non veniant communicanda omnia debita, omnia damna, ac expensæ.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *In societate omnium bonorum simpliciter spectant communiter ad omnes socios, tum quocumque titulo quæsita, tum omnia debita, dāna, & expensæ, licèt societatis causa non perueniant.*

2 *Quamuis vnus ex socijs societatis causa non fuerit infirmatus, expensæ tamen pro eius infirmitate, fieri debent de communi.*

3 *Lucra in huiusmodi societate sunt per partes æquales inter socios diuidenda.*

1 AD hanc controuersiam respondetur negatiuè. Etenim in societate omnium bonorum simpliciter non solùm pertinent communiter ad omnes socios quæsita quocunque titulo, lucratiuo scilicet, & oneroso; sed etiam omnia debita, damna, & expensæ, licèt societatis causa non proueniant; dummodò non proueniant à dolo, aut à culpa socij, vt in *l. si fratres, §. sociū, & l. adeò, §. quod in alea ff pro soc. Vbald. in suo tract. de duob. fratr. par. 6. num. 1.* & alij, quos nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 1. q. 5. concl. 3.* vbi hanc conclusionem adeò veram esse ostendimus, vt pactum contrarium esset nullius momenti, vt in *l. si non fuerint, l. Mutius in princ. ff. pro soc. & §. 1. in Inst. de societ.*

2 Ex hac eadem conclusione plura deduximus. Primò, quòd licet vnus ex socijs ex causa societatis non fuerit infirmatus, nihilominus expensę pro eius infirmitate debent fieri de communi, vt per *Vbald. loc. cit. num. 12. & Felic. de societ. cap. 26. num. 5.* vbi tamen *num. 6.* id limitat non procedit vbi infirmitas proueniat ex morbo gallico ob cōsuetudinem habitam cum meretricibus. Secundò deduximus, quòd de expensis cōmunibus sunt alendi filij, aut vxor vnius socij, licèt alter filios, & vxorem non habeat, vt habetur ex eodem *Vbal. ibidem, num. 19.* & ex alijs, *& Felic. d. cap 26. num. 8* qui id ampliat quoq; licèt vnus ex socijs filios habeat ex damnato coitu. Tertiò deduximus, quòd in societate omniū bonorum simpliciter de communi debent fieri expensæ pro mittendis sociorum filijs ad scientiarum studium, vel ad ediscendam Grāmaticā, Rethoricā, vel alias artes, vt habetur ex *Castro, cons. 304. num. 2. lib. 2.* Imò hoc idem verum esse diximus de expensis erogatis à socio pro doctorandis filijs, vel pro eis prouehendis ad aliā dignitatem, nisi expensę essent excessiuæ; quoniā tunc essent computandæ in partem socij eorum patris, vt post alios probat *Felic. d. cap. 26. num. 13.* Est tamen verum, quòd libri ex causa studij, quamuis de communi emi debeant; non tamen efficiuntur proprij filiorum, aut ementis; sed sunt communes, vt probat *Vbal. vbi sup. nu. 20.*

& alij

& alij apud *Felic. d. cap. 26.* qui *num. 14.* addit etiam, quòd licèt expensæ pro promouendo in Abbatem filium fratris, eundemq; monacando fieri debeant de communi; attamen si ipse socius fieret Abbas, aut Monachus, tunc expensæ computarentur in eius partem; quoniam his casibus societas extinguitur. Quartò deduximus, quòd expēsæ, quas vnus ex socijs facit deuotionis causa in societate omnium bonorum simpliciter communicantur, quoniam omne impensum citra dolum, & culpam pertinet ad eiusdem societatis contractum, vt sup. ostēdimus. Vndè communicandæ veniunt expensæ socij pro peregrinando, pro adimplendo voto, elargiendis eleemosynis, & alijs eiusmodi. Quintò deduximus communicari expensas, quę fiunt in nuptijs tam filij, quàm filiæ vnius ex socijs. Vndè iocalia de communi fieri debent; nisi expensæ in nuptijs essent excessiuæ, ita vt excedant qualitatem sociorum. Oportet tamen vt dotis fructus cōmunicentur, vt ibidem declarauimus. Sextò deduximus in societate omnium bonorum simpliciter, dotem pro maritanda filia vnius ex socijs esse excipiendam de communi, vt latè ostendimus in d. nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 1. q. 6.* & cōclusionem ipsam multipliciter ampliauimus, & limitauimus, contraria soluentes, & *q. 7.* ostēdimus quoque, expensas pro funere vnius ex socijs defuncti, non esse excipiendas ex communi in societate omnium bonorum simpliciter, sed esse computandas in portione eius, quod defuncto contingeret, si viueret: siquidem per mortem vnius ex socijs statim extinguitur, vt *in l. adeò, & l. socium. §. 1. ff pro soc.*

3 Cæterum lucra in eiusmodi societate omniū bonorum simpliciter, sunt diuidenda inter socios per partes æquales; siquidem in eiusmodi societate capitale à lucro non distinguitur, sed tam lucrum, quàm capitale sunt æqualiter diuidenda, vt ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 1. q. 8.* quam multipliciter ampliauimus, ac limitauimus, vt locum non habeat præsertim in societate omnium bonorum rusticorū, in qua partiuntur lucra proportionaliter, iuxta quantitatem operarum; quoniam inter rusticos idcirco habetur ratio operarum; nam ratione eorum paupertatis non potest dari de facili casus, quòd inter eos fuerit cōtracta societas ad lucrum: & idem dicendum esse ostendimus de cęteris operarijs pauperibus, vt *in d. q. 8. in resp. ad vltimum argumentum.* An autem lucrum in eiusmodi societate possit extrahi ab ea, durante adhuc ipsa societate, vide *d. lib. 2. cap. 1. q. 9.* Illud autem in hac re est adnot. quod dicunt communiter DD. de communione damnorum, quorum fuit in culpa vnus ex socijs omnium bonorum simpliciter. Certum est enim in eiusmodi societate communiter ad socios damna, et expensas, ac debita, quæ proueniunt societati culpa, aut dolo alicuius socij, sed ad ipsum socium pertinent, ac computanda veniunt in eiusdem partē, vt *in l. si fratres, § pen. & fin. & l. si adeò, § quod in alea. ff pro soc.* Hinc sequitur, quod si culpa sua aliquis ex socijs in latrones incidat, vel in hostes, damna spolij, ac redemptionis expensæ ad ipsum socium spectant. Idem dicendū est de deperditis ab vno ex socijs in ludo, de erogata pecunia pro maleficio commisso, vel contumacia contracta, vt declarauimus in d. nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 1. q. 5. concl. 2. per totā*, vbi etiam diximus non communicari expensas superfluas in conuiuijs, & in alijs rebus non necessarijs: quoniam eiusmodi expensæ citra culpam fieri non censentur. Et ideò non sunt in illius portione computanda.

An in societate omnium bonorū ex quęstu citra culpam possit fieri pactum, vt non veniāt communicanda omnia bona, nec omnia debita, damna, & expensæ.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Quare dicatur societas omnium bonorum ex quæstu, vel ad quæstum.*

2 *In societate omnium bonorum ad quæstum potest citra culpam fieri pactum de non communicando omnia bona.*
Idq; tum in expressa, tum in tacita locum habet.

3 *Socij si in hac societate conferant æqualia, non potest vnus ex eis pacisci, vt ad eum non pertineat communio debitorum, damnorum, ac expensarum.*

4 *Socij si in hac societate conferant inæqualia, citra culpam potest vnus ex eis contrahere, vt ad eum non pertineant damna, &c. Sed compensentur cum tali inæqualitate.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicēda erunt est adnot. quòd societas omniū bonorum ex quæstu non dicitur ex eo, quòd bona sociorum omnia, quorum dominium habent tempore societatis initæ veniant communicanda: etenim societas omnium bonorum ex quæstu, seu ad quæstum dici potest, etiam si in ea socij partem tantùm eorum bonorum, ac pecuniarum ponant ad negotiandum in quacunque negotiatione ad eorum libitum, vt rectè declarat *Tusch. ver. Societas, concl. 280 num. 22.* Sed dicitur talis ex eo, quòd socij sint bonorum, quę acquisierint titulo oneroso, nempè ex emptione, venditione, opera, industria &c. vt habetur ex *Filliuc. tomo 2. qq moral. tr. 38. cap. 1. q. 1. sub num. 11. vers. Respōdeo intelligi, & q. 10. sub nu. 12.* & ex alijs apud *Tusch. ver. Societas, concl. 282 num. 2.* Non tamen esset contra eiusmodi societatis naturam, si à principio contractus socij omnia illorum bona, aut eorum partem cōferant cum pacto, vt communio non solùm fiat in quæstu, seu in lucro, quod dicitur quæstus; verum etiam in capitali: siquidem societas vniuersalis, seu omnium bonorum ad quęstum tripliciter fieri contingit; primò cum pacto, vt cōmunio fit in capitali, ac in lucro, seu quæstu; secundò, vt communio fiat in lucro, seu lucri quęstu, non autem in capitali; & tertiò simpliciter citra ullum pactum, non exprimendo, an fiat in lucro tantùm, vel capitali, vel lucro simul communicatio. Vndè hæc ipsa societas in hoc differt à so-

à societate omnium bonorum simpliciter, quòd licet à principio communicentur omnia coeuntium bona, ante societatem acquisita, & lucra prouenientia ex titulo oneroso; nihilominus in societate omnium bonorum simpliciter veniunt communicanda quoque bona acquirenda titulo lucratiuo, nempè legato, donatione, &c. quæ tamen non communicantur in societate, de qua agitur, vt adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib. 1. cap. 4. q. 3. concl. 3.* His breuiter sic adnotatis, sit

PRIMA CONCLVSIO.

2 IN societate omnium bonorum ad quęstum citra culpam potest fieri pactum, vt non veniant communicanda omnia bona. Hęc conclusio patet ex dictis: siquidem societas omnium bonorum ad quęstum non exigit ad sui essentiã, vt in ea communicentur per socios omnia eorũ bona; sed satis est, vt socij partem illorum ponant, ac pecuniam ad negotiandum in quacunque negotiatione, qua ratione dicitur societas ad omnem quęstum, vt rectè declarat *Tusch. locis supra citatis.*

Ampliatur hæc conclusio, vt locum habeat in societate omnium bonorum ex quæstu, non solùm expressa; sed etiam tacita: siquidem taciti, & expressi eadem est virtus, vt *in l. cum quid*, & ibi *Ias. ff. si cert. pet.* atque ideò nulla constituitur differentia inter societatem omnium bonorũ tacitam, vel expressam, siue sit omnium bonorũ simpliciter, siue omnium bonorum ad quæstũ, vt ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 1. q. 2. concl. 3. & cap. 2. q. 2. & 3.* quibus locis demonstrauimus quoq; qualiter contrahantur societas tum expressa, tum etiam tacita; quibus adde etiam, quæ adnotauimus ibidem *q. 4.* vbi explicauimus controuersiam illam, in qua quæritur, an societas si contrahatur cum pacto, vt quæstus, & lucrum communicentur dicatur societas omnium bonorum simpliciter, vel societas omnium bonorum ex quæstu.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 SI socij in societate omnium bonorũ ad quæstum conferant æqualia, non potest citra culpam vnus ex socijs pacisci, vt ad eum non pertineat communio debitorum, damnorum, & expensarum, quæ fient in ipsa societate. Probatur hæc conclusio ex eo, quòd in ea non seruaretur æqualitas: etenim æquitas expostulat, vt qui æqualia posuerunt in societate, æqualiter quoq; participent non solùm de lucro, sed etiam de debitis, damnis, & expensis; dummodò non perueniant culpa ipsius socij, iuxta ea, quæ sup. adnotauimus, *sec.* 4. Posset tamen eiusmodi pactum iustificari, si compẽsetur cum lucro, nempè, vt ad arbitrium boni viri minus participet de lucro: siquidem non obstante tali pacto, societas potest reduci ad æqualitatem, si talis socius habeat minus lucri, quam habeant alij socij.

TERTIA CONCLVSIO.

4 SI socij in societate omnium bonorũ ad quæstum conferant inęqualia, & vnus ex socijs, qui plura contulit, quàm alij socij, faciat pactũ, vt non veniant cum eo communicanda debita, damna, & expensæ; poterit licitè, & citra culpã contrahere, si à communione debitorum, damnorum, & interesse, ac expensarum velit esse immunis in compensationem iustam ad arbitrium boni viri illorum bonorum quantitatis, quam contulit supra alios. Etenim eo casu societas reducitur ad æqualitatem: potest enim in eiusmodi societate seruari æqualitas; siue æqualia, siue inæqualia in principio societatis conferantur: potest enim seruari æqualitas proportionaliter, vt si socij æqualia contulerint, ipsa quoque in fine societatis vna cum lucris, damnis, & expensis æqualiter veniant diuidenda: si verò cõtulerint inæqualia, secundùm quantitatem bonorum, quam quisq; contulit, sunt proportionaliter diuidenda ipsa lucra, & damna: nam tacitè subintelligitur, vt qui plus oneris, & periculi substineat, plus habeat emolumenti, *l. secundum naturam, ff. de regul. iur.* & patet etiã ex ijs, quæ nos adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib 2. cap. 2. q. 5. ampl. 1. & q. 9.* vbi quoque per plures cõclusiones explicauimus, an & quando in dubio societas omnium bonorum ad quæstum cẽseatur inita, vt fiat communio in capitali, & lucro, vel in lucro, seu quæstu tantùm, & *q. 6.* latè explicauimus controuersiam illam, in qua quæritur, An thesaurus inuentus ab vno ex socijs omnium bonorum ex quæstu, veniat communicandus.

An in societate omnium bonorũ ad quęstum vnus ex sociis citra culpam possit vti re communi, vt suum priuatum commodum augeat.

S E C. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Socius vtens re communi in societate omnium bonorum ad quæstum bona fide ad suum priuatum commodum nullam culpam contrahit in foro interno.*

2 *Quod secus est, si id agat dolo, ac mala fide. Et in foro exteriori puniri potest pœna furti.*

1 AD hanc rem respondetur, quòd socius vtẽs re communi in societate omnium bonorum ad quæstum bona fide ad suum priuatum commodum, quoad forum interius nullam culpam contrahit, vt habetur ex *Azor. tom. 3 inst. moral lib. 9 de societ. cap. 17. q. 7. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tr. 38. cap 7. q. 3. num.* 13. & aliorum. Etenim quamuis socius vtatur re communi ad suum priuatum commodum; vtitur tamen re sua, cùm partialiter in ea dominium habeat. Vndè si ex pecunia communi socius domum sibi emerit, domum ipsam non tenetur communicare, tenetur tamen socius omnia damna, & interesse reficere alteri socio, vt ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 2. q. 7. & 8. & lib. 1. cap. 4 q. 4. concl. 3. limit. vlt.*

2 Dixi, *Bona fide, &c.* quoniam secus dicendum est si id agat dolo, ac mala fide: imò quoad forũ exte-

exterius potest puniri pœna furti, & ad reficiẽda omnia damna, & interesse: quod verum est, non solùm si id agatur in societate omnium bonorum ad quæstum; sed etiam in quacunque alia particulari, vt in *l. in re communi ff. pro soc.* & Nos declarauimus *in d. q.* 8. vbi limitauimus ea, quæ diximus, vt locum non habeant in societate omnium bonorum simpliciter; in qua communicantur, vel saltem veniunt communicanda omnia quocunque titulo quęsita, etiam si ab uno ex socijs proprio nomine, & ad proprium commodum communi pecunia fuerint comparata, vt latè quoque ostendimus *d. q.* 4. *concl.* 2. & 3.

An in societate omnium bonorum inter coniuges, coniuges ipsi citra culpam possint habere proprium. SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *De iure communi ex sola cohabitatione inter virum, & vxorem non censetur contracta societas super bonis acquirendis.*
An si coniuges simpliciter contrahant societate omnium bonorum, intelligatur contracta in bonis ex quæstu prouenientibus.
2 *De iure Castellæ in Hispania statutum est, vt postquam vir, & vxor simul habitare caperunt, censeatur inter eos contracta societas omnium bonorum. Idemque seruatur in Lusitania.*
3 *An, & quando possint coniuges etiam in societate medietatis bonorum habere proprium citra culpam.*

1 IN hac re est adnot. primò, quòd de iure communi ex sola cohabitatione inter virum, & vxorem non censetur contracta societas super bonis acquirendis, vt ostendimus in nostro *tr. de societ. lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 2. vbi tamen posse dari inter coniuges societatem omnium bonorum probauimus ex actibus socialibus, vt si vir, & vxor omnia sibi aduenientia communicent. Possunt etiam coniuges multò magis coire societatem omnium bonorum de iure communi, vt ibidem adnotauimus. Est tamen verum, quòd vbi non adest ius aliquod, aut consuetudo, si coniuges societatem simpliciter contrahant, non exprimentes omnium bonorum, de iure communi intelliguntur contrahere societatem omnium bonorum ad quæstum, seu ex quæstu prouenientium, vt in *l. coiri, ff. pro soc.* & Nos sufficienter ostendimus in dicto nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 4. *concl.* 1. ubi etiam diximus, quòd si expresse contrahant societatem omnium bonorum ad quæstum, cum pacto, vt communio fiat non tantùm in lucro; verum etiam in capitali, tunc bona sunt de iure communicanda, & diuidenda, iuxta ea, quæ Nos adnotauimus *eod. tr. lib* 2. *cap.* 2. *q.* 5. *concl.* 1. & *q. vlt.* Si denique expresse, vel tacitè contrahant societatem omnium bonorum simpliciter, aut alicuius negotiationis particularis, tunc communio, & diuisio lucrorũ facienda est, iuxta tradita *cap.* 1. *q* 4. & 5.

2 Secundò est adnot. quòd de iure Castellæ in Hispania, legibus, & Constitutionibus Regijs statuitur, vt postquam vir, & vxor simul habitare cæperint, inter eos statim censetur cõtrahi societas omnium bonorum. Idipsum de consuetudine seruari in Lusitania, testatur *Molina de contr. disp.* 423. *sub num.* 6. Et in Gallia quoque hanc eandem Consuetudinem extare dicunt *Couar. in epitome de matr. par.* 2 *cap.* 7. §. 1 *nu.* 5. *Azor. tom.* 3. *inst. moral. lib.* 9. *cap.* 38. *de soc. q.* 1. *Filliuc. tom.* 2. *qq. moral. tr.* 38. *cap.* 7. *q.* 4. & *Mol. loco citato.* Est tamen uerum, quòd eiusmodi societas, quæ contrahitur municipali iure inter coniuges de iure Castellæ, & de Consuetudine Lusitaniæ, censetur inita inter coniuges de contracto matrimonio, ita tamen vt communio fiat in lucro tantùm, non autem in bonis collatis; quæ societas dicitur contractus arrharum, & dotis, vt per *Molin. d. disp.* 423. *num.* 6. quod quidem in Lusitania inter nobiles regulariter seruatur: nam inter eos, qui nobiles non sunt cõtrahitur societas medietatis bonorum. Imò in eodem Regno omnia matrimonia, in quibus aliud non exprimitur, eo modo celebrata censentur, vt habetur ex *Molina d. disp.* 422 *nu* 2. ita vt municipali iure Lusitaniæ inter coniuges vi matrimonij contracti omnia eorum bona, iura, & actiones, quæ ad coniuges spectant, & cõstante matrimonio quæsita quocunque ex titulo, tam oneroso, quam lucratiuo adeò amborum efficiuntur communia, vt vnusquisque eorum partialitate dominij, & totalitate rerum Dominus sit omnium bonorum vtriusque, iusque habet iuris partialitate, sed totalitate rerum omniũ eorum, ad quæ ius habent absque dominio. Et eodem modo possessio quorumcunque ipsorum bonorum ad vnumquemque spectat partialitate possessionis, & totalitate rerum possessarum. Ita *Molina de contr. disp.* 422. *sub num.* 3. & probatur ex *tex in l.* 1. & *in l. si fratres, §. pen. ff. pro soc.* & Nos adnotauimus in nostro *tract. de societ. d. q.* 4. *concl.* 2. vbi etiam *ampl.* 1. ostendimus bona coniugum, contracto matrimonio, adeò communicari, vt dissoluto matrimonio diuidantur æqualiter, siue coniuges in principio contracti matrimonij æqualia bona habeant, siue inæqualia; & multis alijs quoque modis eandem conclusionem ampliauimus, ac limitauimus: & præsertim limit. vlt. probauimus in eiusmodi societate medietatis bonorum inter coniuges non communicari bona feudalia, & emphiteotica: & lim. 2. quæ acquisierint ex consolidatione vsufructus agri, vel domus, cuius proprietatem ante contractum matrimonium habuerant.

3 Ex dictis modò patet quid dicendum sit ad propositam quæstionem: possunt enim coniuges etiam in societate medietatis bonorum habere proprium citra culpam, eo quod in eiusmodi societate non communicantur bona feudalia, & emphiteotica, nec quæsita ex consolidatione vsusfructus prædij, cuius proprietatem ante cõtractum matrimonium habuerant. Non tamen citra culpam possunt habere proprium si societate omnium bonorum contraxerint simpliciter, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *sec.* 3. & 4. His adde, quæ cumulauimus in dicto nostro *tr. de societ. lib.* 2. *cap.* 3. *q.* 4. *concl* 3. vbi egimus de societate matrimonium contrahentium in Castella,

stella, vbi recensuimus bona, quæ non veniunt illo iure inter coniuges communicanda: & quæ pertineant ad capitale viri; quæ verò ad capitale uxoris, ac denique *q.6.* explicauimus quæstionẽ illam, in qua quæritur, an coniuges de bonis cõmunibus, vel saltem super lucratis teneantur dotare filias: & controuersiam definiuimus non solùm inspecta dispositione iuris communis, sed etiam attenta dispositione iurium municipalium Castellæ, ac Lusitaniæ.

De societate particulari: & primò, an si duo, vel plures socii alicuius domus, quoad vsum, vnus possit citra culpam locare domum illam alteri, vel aliis reluctantibus. SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui ædium vsum habet, ipse tantum potest in eis habitare, nec ad alios transferre potest hoc.*

1 AD hanc difficultatem respondetur negatiuè. Probatur ex *tex. in §. item is, qui ædium, in inst. de vsu, & habit.* vbi habetur, quòd qui ædium vsum habet, ipse tantùm in eis ius habitandi habet, nec hoc ius ad alium transferre potest; ergò in societate inita ad vsum alicuius domus, non potest vnus ex socijs domum ipsam alteri locare; sed eam debet cum alijs socijs inhabitare: siquidem destinatus vsus talis domus est personalis, ac socialis inhabitatio. His adde, quę adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib. 1. cap. 5. q. 2.* vbi rem hanc ampliauimus, ac limitauimus: & *q. 3.* explicauimus quoque quæstionem illam, in qua quæritur, an domus societatis iure communis, quoad dominium, & possessionem, possit ab vno ex socijs locari, alijs socijs reluctantibus. Et controuersiam pariter absoluimus *q. seq.* in qua dubitatur, an si socius inhabitans domum communem conuentione inita de soluendo mercedem alteri socio, finito tempore, inhabitationem continuauerit, solitam mercedem soluere teneatur.

An socii conuenientes in locanda sociali domo locari solita, possint citra culpã discordare, quoad personam, cui facienda est locatio. SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Si vnus ex socijs velit locare domum personæ inhonestæ, potest alter citra culpam discordare, eamque locare personæ honestæ.*

1 AD hanc cõtrouersiam respondemus, quòd si vnus ex socijs velit domum locare personæ inhonestæ, alter socius citra culpam potest discordare, si eandem velit locare personę honestæ: is quidem is præfertur, vt habetur ex *Angelo in l. 1. C. qui testam. facere possunt, Socc. consil. 58. num. 2. vers. Circa secundum, lib. 4. & in leg. serui electione, §. labeo, num. 5. ff. de legat. 1. & Menoch. de arbitr. indic. casu 442. num. 5.* qui contra *Ruin. in d. §. labeo, & consil. 75. lib. 1.* id ampliat locum sibi vendicare, etiam si à persona inhonesta plus mercedis daretur, vt latius de hac re egimus in nostro *tract. de societ. lib. 1. c. 5. qu. 5. concl. 1.* vbi etiam *concl. 2.* probauimus, quòd si socij conueniant in re locanda personis honestis, ille est præferendus, qui vult locare personæ honestæ plus offerẽtis. Et *conclus. 3.* ostendimus pariter, quòd si socij conueniant de re locanda personis æqualiter honestis, neuter est præferendus. Ibidem quoque *q. 6.* explicauimus controuersiam illam, in qua quæritur, an vnus ex socijs volens commune prędium colere, ac seminare possit ab altero socio prohiberi. Et denique *q. 7.* An bona acquisita in societate ad lucrum, vel ad quæstum, vendi possint ab vno, altero inuito.

An societas negotiationis, in qua vnus ex sociis ponit alter operas cum pacto, vt fiat communio in lucro, citra culpam coiri possit, si in ea fiat pactum, quòd capitale collatum saluum remaneat, atque ideò periculo non sit suppositum. SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio negatiua, & quare.*

1 AD hanc difficultatem respondetur negatiuè, & hanc sententiam communem esse docent *Doctor. in cap per vestras de donat. Panor. in c. fin. de vsur.* & alij quamplurimi, quos Nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. c. 4. q. 3.* dicentes, societatem cum tali pacto, quòd capitale sit saluum, non solùm esse iniustam, ac irrationabilem; verum etiam plerique volunt esse vsurariam, atque ideò inhonestam, & nullam. Etenim secundum naturam est, vt eum sequantur commoda, quem sequuntur incommoda, *l. secundum naturam, ff. de regul. iur.* & pro hac eadem sententia facit *tex. in leg. si non fuerint, §. Aristo. ff. pro soc.* vbi Leoninam, & iniquam societatem *Vlpian.* appellat illam, in qua lucrum tantum vnus ex socijs, alter verò damnum sentit. Hanc ipsam conclusionem multipliciter ampliauimus, & limitauimus loco citato. Est tamen verùm, quòd pactum, de quo agitur potest iustificari, si ratione talis pacti minus percipiatur de lucro, aut alio modo illius fiat compensatio. Imò licet dictum pactum simpliciter sumptum sit irrationabile; nihilominus rectificatur si fiat, vt is, qui ponit operas, lucri partem habeat, & nullũ damnum sentiat: siquidem citra huiusmodi pactum, adhuc periculum capitalis pertineret ad illud conferentem: & eo magis, quando tanta esset

esset industria socij, vt plus societati conferat, quàm pecunia capitalis, vt in *l. si non fuerint*, §. 1. *ff. pro soc.* Et Nos ostendimus *d. q. 3. lim. 1.* & 2. vbi idem dicendum esse ostendimus si ponẽs operas de certa mercede earum paciscatur, aut de tali parte lucri, & quòd nullum damnum sẽtiat: nam talis contractus non diceretur societatis, sed locationis operum.

An societas negotiationis coiri valeat, citra culpam, in qua vnus ponit pecuniam, alter operas, cum pacto, vt communio fiat in lucro tantùm, & damnum capitalis sit commune.

SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua sententia videtur Authori probabilior.*

1 Negatiuam sententiam, quæ nobis uidetur probabilior, docet *Glosa in l. si non fuerint, ff. pro soc. Bart. & Bald. in l. 1. C. eod.* & alij quos Nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 4.* Etenim socius ponit operas, atque ideò satis est ei deperditarum operum dãnum: sicut enim de capitali non lucratur, sed totum redit ad eum, qui posuit, si in fine societatis reperiatur saluum; ita quoque de ipsius damno nihil debet habere. Hanc conclusionem ampliauimus *d. q. 4.* siue capitale perdatur ante operas, siue post: & quod eiusmodi pactum est expresſè contra Constitutionem Sixti V. quæ incipit, *Detestabilis*, qua prohibetur pactum de saluo capitalis. Limitauimus tamen eandem conclusionem, vt vera sit, quando opera, industria, ac vsus nauigij, aut alterius rei, quæ ab altero socio apponuntur, non sunt æqualia capitali, quoad valorem, quamuis prudentis arbitrio æqualia sint capitali in ordine ad lucrum; nempè vt socius, qui ea apponit æquè participet de lucro, propter illa, ac alter, propter capitale in tali, vel tali proportione, vt latiùs declarauimus ibidem *lim. 1.* vbi etiam *lim. 2.* ostendimus conclusionẽ ipsam non habere locum, vbi opera, industria, & cætera eiusmodi capitali non essent æqualia, si fiat pactum, vt damnum capitalis deperditi proportionaliter sit commune.

An pactum de salua sorte in totum, vel pro parte in societate, in qua fit cõmunio in lucro tantùm, attenta eius natura, irrationabile, fiat rationabile, si ad arbitrium boni viri compensetur in lucro.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur sententia affirmatiua, quæ magis Authori placet.*

1 Affirmatiuam sententiam, quæ nobis magis probatur, docet *Ioan. Andr. in cap. per vestras, de donat. inter virum, & vxor.* dum ait, quod viro vergente ad inopiam, potest dos deponi penès Campsorem, qui caueat de dote custodienda, & soluat tot aureos pro singulis centum: quod quidem lucrum non potest dici percipi ex dote deposita; quoniam ex pecunia deposita non potest aliquid percipi citra vsuram, cũ pecunia deposita per assecurationem transeat in mutuum; ergo intelligitur recipi ex societate, salua dote, vt colligitur ex *tex. in d. cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor.* & Nos latiùs in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 9.* vbi etiã *q. 6.* ostendimus eiusmodi pactum reddi rationabile per contractum assecurationis illi adiunctum. Vndè ibidem *q. 7.* iustam probauimus esse societatem illam, in qua vnus confert pecuniam, alter operas, & fiat communio in lucro tantùm cum pacto de salua sorte, & de reddendo à recipiente sortem, singulis annis certum lucrum paruum pro incerto magno: qui quidem contractus frequenter celebratur in Liguria, & in alijs locis cum viduis præcipuè, ac pupillis: & quamuis videatur vnus formaliter; est tamen triplex contractus virtualiter, nempè societatis, assecurationis sortis, & transactionis lucri, vt ibidem declarauimus per quatuor conclusiones, easdem multipliciter ampliantes, ac limitantes.

An citra culpam coiri possit societas, in qua vnus ponit 100. aureos: alter verò operam, & industriam, valentes quoque 100. aureos, cum pacto, vt lucrum dumtaxat æqualiter diuidatur.

SEC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio negatiua, cum iniqua sit huiusmodi societas.*

1 Ad hanc difficultatem respondetur negatiuè. Etenim iniqua est eiusmodi societas: nam cum vnus socius confert 100. aureos, & alter operas, vsum nauigij, &c. eiusdem valoris, de iure pecunia illa efficitur communis vtrique socio, vt per *Glos. in l. 1. C. pro soc.* Siquidem tantundem confert vnus, ac confert alter; atque ideò perinde est, ac si ab ipsis socijs collati fuerint in societate 200. aurei, & proinde de iure non tantùm lucrum; verum etiam capitale in fine societatis veniunt diuidenda: ergò iniquum, & contra iuris dispositionem est pactum in societate, de qua agitur, vt lucrum tantùm, & non capitale diuidatur. Ita *Molina de contr. disp. 416. num. 1.* dicens, quòd quando operæ, vsus nauigij, &c. æquales sunt in valore, prædictum pactum est iniquum cum onere restituendi dimidium capitalis. Hanc eandem opinionem tenet *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 25. dub. 1. num. 8.* & alij, quos Nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. c. 4. q. 8.* multipliciter ipsam ampliantes, ac limitantes. Et ex dictis diximus quoque constare,

quid dicendum sit de societate, in qua vnus confert solùm pecuniam, & alter pecuniam, & operam, vsum nauigij, aut alterius rei: aut vterque ponit pecuniam, & operam inæqualiter. Etenim secundum *Less. loco citato, num.* 20. æstimandũ est periculum sortis, & spes lucri per talem sortẽ obtinendi, deductis operis, & expensis. Deindè singulorum operæ sunt æstimandæ, & cum pretio periculi sortis, & lucri sperati duæ summæ vtrinque conflandæ, & iuxta harum proportionem facienda est lucri partitio. Idem dicendum esse, inquit ipse *Less. ibi, num.* 21. de societate circa animalia.

An si vnus ex sociis conferat 100. aureos: & alter conferat operas valentes totidem aureos, citra culpam possit inter eos conueniri, vt in fine societatis vnus possit repetere sortem, si salua remaneat: alter verò pretium operarum, & lucrum, quod superest diuidi inter ipsos. SEC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Affertur sententia* Maioris, *& aliorum, quod societas iusta sit.*
2 *Cõtraria sententia in rigore iuris videtur verior.*
3 *An hoc casu possit diuidi lucrum æqualiter, vel proportionaliter.*
4 *An in societate, in qua vnus confert centum aureos, alter verò operas, & conueniant, quod si in fine societatis nullum reperiatur lucrum, sed tantum capitale, illud saluum, & integrũ reddatur conferẽti, an sit rationabilis conuẽtio.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima sententia est *Maior. in* 4. *d.* 17. & aliorum, existimantium, huiusmodi societatem esse iustam, atque ideò citra culpam posse contrahi. Etenim opera vnius tãti æstimatur, quãti pecunia alterius. Ergò sicut vnus ex socijs ante omnia suos 100. aureos percipit, sic etiam alter totidem retinere sibi debet in pretium suarum operarum: & quoniam vterque in societate æqualia contulit, æqualiter sunt partiendæ inter eos lucri partes, vt æqualitas, quam societas exigit seruetur, iuxta *tex. in l.* 1. & ibi *Glosa. C. pro soc.* Si igitur hæc vera sunt, citra vllum pactum; ergò pactum, de quo agitur, tanquam iuri consentaneum licitum esse censetur, atque ideò societas cum tali pacto licita dicitur. Confirmatur hæc sententia ex his, quæ diximus supra *sec.* 13. vbi ostendimus, quòd quando vnus socius confert centum aureos: & alter operas, vsum nauigij, aut alterius rei eiusdem valoris de iure pecunia illa efficitur communis vtrique socio, vt per *Glos. in l.* 1. *C. pro soc.* & in fine societatis veniunt diuidenda inter socios, tam lucrum, quam capitale, quia cùm in eiusmodi societate socij æqualia contulerint, æquum est pariter, vt in fine societatis æqualia reportent.

2 Hæc sententia re vera videtur satis æqua, & Doctoribus probabilior, cùm multos habeat pro se; attamen contraria in rigore nonnullis videtur verior. Etenim si citra vllum pactum huiusmodi societas contrahatur, profectò esset iniusta: nam aut societas censeretur cotta, vt cõmunio fiat in lucro, & capitali: aut in lucro tantùm. Non primum; quoniam in hac societate non potest vnus ante omnia pecuniam, quam contulit extrahere, & alter pretium operarum; siquidem ex pecunia collata, & pretio operarum fit vna massa, & in fine societatis diuiduntur æqualiter cum lucro, vel proportionaliter, iuxta ea, quæ habentur ex *Less. lib.* 2. *de iust. & iure, cap.* 25. *dub.* 2. *num.* 9. Quòd si secundum ex vi talis societatis capitale tantùm venit extrahendum si saluum remaneat, & operæ comparantur cum interesurio, & periculo capitalis; non autem cum eiusdem proprietate, vt per eundem *Less. loco citato*, & Nos declarauimus in nostro *tract. de societ. lib.* 2 *cap.* 4. *q.* 8. & 9 atque ideò operæ non computantur in capitali: eo magis, quia operarum capitale est persona operatiua, non autem operæ. Vndè sicut, qui ponit pecuniam, si in fine societatis salua maneat, salua manet cõferenti; ita etiam, qui contulit operas si incolumis permanserit sibi, ac suæ vtilitati incolumis

3 permanet. Benè verum est, quòd eo casu lucrum non videtur posse diuidi æqualiter; sed proportionaliter: siquidem si detur operas vnius socij in fine societatis valere centum aureos, & periculum, ac lucrum speratum, seu interusurium centum aureorum, quos alter socius contulit valere tantum quinquaginta, si lucrum sit 300. aureorum vltra capitale, qui contulit pecuniam ante omnia hebebit centum aureos, quos posuit, & insuper alios centum, & sic tertiam partem lucri, & qui contulit operas habebit duas partes lucri, & sic 200. aureos: siquidem qui posuit pecuniam pro periculo, & interusurio censetur contulisse in hac societate 50. dumtaxat, & qui posuit operas centum; atque ideò ille vnam partem, & iste duas: nimirum igitur si de iure in huiusmodi societate, in qua fuerunt lucrati 300. aurei ex eis centum competunt conferenti pecuniam: & 200. ei, qui contulit operas. At si periculum, & interusurium pecuniæ æstimantur tãtùm 25. aureis, tunc si lucrum sit 50. aureorum, qui posuit sortem centum aureorum, ante omnia habebit sortem præcipuam, & insuper lucri 10. alios aureos, & sic quintam partem lucri, & qui posuit operas valentes 100. aureos, lucrabitur alios aureos 40. eo quòd iste censetur contulisse quatuor partes, & ille vnam tantùm; atque ideò lucrum proportionaliter venit diuidendum: quo casu si fiat pactum, vt lucrum diuidatur æqualiter, iniusta esset huiusmodi societas: secus si inæqualiter, iuxta ea, quæ adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap.* 4 *q.* 8.

4 Ex dictis modo patet quid dicendum sit de controuersia illa, in qua quæritur, an in societate, in qua vnus confert 100. aureos: alter verò operas, & conueniant, quòd si in fine societatis nullum reperiatur lucrum, sed tantùm capitale saluum, illud integrum conferenti reddatur, tale pactum sit rationabile. Etenim tale pactum iniustum esse ostendimus *d. cap.* 4. *q.* 10. *concl.* 1. si fiat in societate, in qua fit communio non tantùm

tùm

tùm in lucro, sed etiam in capitali: siquidem ex vi huiusmodi societatis, salua sorte, & opera exhibita, debetur socio, qui contulit operam certa pars sortis, vt supra adnotauimus; ergò non valet pactum, quòd si in tali societate nullum lucrum reperiatur, sed capitale tantùm saluum, illud integrum reddatur conferenti. Quòd si pactum, de quo agitur, fiat in societate, in qua fiat communio in lucro dumtaxat, non autem in capitali, tunc pactum eiusmodi potest esse iustum: quia in tali societate non communicatur capitale, sed operæ tantùm, ac æstimatio periculi capitalis; ac eiusdem interusurium, seu æstimatio lucri ex ipso capitali sperati, vt de hac re latè egimus in dicto nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 10. concl. 2.*

An si vnus ponat pecuniam 100. aureorum, alter verò operas possint citra culpam pacisci, vt conferens operas nullum damnum sentiat; sed habeat aliquam partem lucri, quam ipsius opera meretur: & reliquum sit eius, qui pecuniam contulit. SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *Datur responsio affirmatiua, & quando erit contractus societatis, declaratur.*

1 AD controuersiam hanc respondetur breuiter affirmatiuè, vt ostendimus in nostro *tract. de societ lib. 2. cap. 4. q. 11.* vbi tamen diximus, quòd huiusmodi contractus, tunc erit contractus societatis, quando simpliciter fit pactum de quota lucri, non facta mentione, nec expressè, nec tacitè, quòd illa quota lucri detur conferenti operas in stipendium suorum operum: aliàs non diceretur contractus societatis, sed locationis operis.

An vnus conferens pecuniam, & alter operas, possint citra culpam pacisci, vt vnus socius habeat duas partes lucri, & vnam damni: & alter duas damni, & vnam lucri. SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Datur responsio affirmatiua, & iuris decisione probatur.*

1 REspondetur ad hanc difficultatem affirmatiuè ex *Azor. tom. 3. instit. moral. lib. 9. de societ. cap. 4.* & ex alijs, quos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 12.* & patet ex *tex. in §. de illa. in instit. de societ.* vbi approbatur sententia *Seruij Sulp.* approbantis pactum, de quo agitur; & reijcitur opinio *Quinti Mutij*, dictum pactum damnantis. Imò Nos ibidem conclusionem hanc ampliantes *ampl. vnica*, ostendimus quoque, quòd vnus ex socijs, non solùm potest reijcere duas partes damni in alterum, verum etiam potest reijcere à se totum damnum: quoniam hæc omnia possunt compensari appositione maioris capitalis, vel operarum plurium, & quæ magis æstimentur. Non tamen qui capitale contulit, si deperdatur ante societatem finitam, tenetur aliud ponere; quoniam deperdito capitali extinguitur societas, vt *d. cap. 4. qu. 13. ostendimus.*

An societas, in qua vnus ex socijs confert pecuniam, & alter operas, in dubio censeatur contracta, vt communio fiat in capitali, & lucro simul, vel tantùm in lucro. SEC. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Societas huiusmodi præsumitur contracta in lucro tantum, non autem in lucro, & capitali.*

1 AD hanc rem respondentes dicimus, huiusmodi societatem præsumi contractam, vt communio fiat in lucro tantum, non autem in lucro, & capitali. Siquidem in eiusmodi societate non conflatur vna summa ex capitali, & pretio operarum; sed consideranda sunt, quæ vtrique pereunt, & hæc inter se comparanda, iuxta ea, quæ Nos adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib. 1. cap. 4 q 2. vers. Ad cuius rei explicationem, & lib. 2 cap. 4. q 15.* vbi conclusionem hanc ampliauimus locum sibi vendicare, non solùm si capitale consistat in pecunia; sed etiam si consistat in animalibus, aut in alia re fructifera: siquidem in dubio in societate censetur positus vsus rei, non ipsa res. Limitauimus tamen eandem conclusionem, nisi in aliqua Regione extaret consuetudo contrahendi societates, in quibus fiat communio in lucro, & capitali, vt in *eod. nostro tract. ostendimus lib. 1 cap. 4. qu. 3. concl. 6. ampl. 1.* vel agatur de societate, in qua vnus ex socijs conferat 100 aureos; & alter operas, industriam, aut vsum nauigij valentes 100. quoque aureos; siquidem in dubio censeretur contracta, vt communio fiat, non solùm in lucro, sed etiam capitali, vt per *Azor. tom. 3. instit. moral. lib. 9. de societ. cap. 4. q. 1.* cum alijs, quos allegat, & Nos declarauimus in dicto nostro *tr. lib. 2. cap. 4. q. 16.* vbi hanc sententiam probabiliorem esse censuimus, quamuis contraria sit communis, vt patet ex ijs, quæ in eodem *tract. adnotauimus d. cap. 4. q. 10. & supra sec. 14. & in d. q. 16.* docuimus quoque in hac re esse attendendam consuetudinem Regionis, quoniam consuetudo in contractibus maximè societatis magnam vim habet. Idem dicendum est de societate, in qua omnes socij ponunt pecuniam capitalem; nam in dubio præsumitur contracta, vt communio fiat, tam in capitali, quàm in lucro, vt ostendimus in *eod. tract. lib. 2. c 4 q. 17.* ex *Less. lib. 2. de iust. & iure, cap. 25. dub. 2. num. 9.* & ex alijs. Et eandem conclusionem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus.

An conferens in societate 100. aureos, & alter operas valentes 100. possint pacisci citra culpam, vt communio fiat non tantùm in lucro, sed etiam in capitali.

SEC. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Datur responsio affirmatiua: Et quare.*

1 AD hanc quæstionem respondetur affirmatiuè. Etenim pactum, de quo agitur, intelligitur secundum proportionem operum, iuxta ea, quæ habentur ex *Less lib. 2. de iust. & iure, cap. 25. dub. 2. num. 9.* & Nos declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 18.*

An in societate, in qua ambo socii pecuniam tantùm conferunt, citra culpam possint conducere operam tertii, qui eam exerceat.

SEC. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Possunt socij conducere operam tertij, modo inter socios proportionaliter diuidantur expensa, lucra, ac damna, &c.*

1 AD hanc rem breuiter respondetur affirmatiuè, dummodò inter socios proportionaliter diuidantur expensæ, lucra, ac damna, iuxta quantitatem pecuniarum à singulis socijs appositarum, vt habetur ex *Molina de contr. disput. 415. num. 1.* & ex alijs per Nos relatis in nostro *tract. de societ. lib. 2 cap. 4. q. 19.* vbi etiam *q. 20.* ostendimus iustam esse societatem, in qua omnes socij conferunt pecuniam, & operam. Idem dicendum est de societate, in qua vnus ponit capitale tantùm; alter verò capitale, operam, & industriam, vt ibidem probauimus *q. 21. & 22.* hoc ipsum affirmauimus de societate, in qua omnes socij conferunt operas, & industriam: siquidem hæc quoque societas licitè coiri valet.

An citra culpam quis dare potest mercatori 100. aureos, & lege, vt accipiens teneatur respondere de lucro, vel de damno, secundum quod similes alii 100. aurei apud Meuium lucrabuntur, aut peribunt.

SEC. XX.

SVMMARIVM.

1 *Validus est huiusmodi contractus, si qui dedit pecuniam mercatori, cum hoc pacto, erat eam daturus ad societatem alij, vel simili negotiatori, aliàs secus.*

1 PRO resolutione huius difficultatis distinguendum est, quòd aut, qui pecuniam mercatori eo pacto tribuit, erat aliàs eam daturus ad societatem Titio, aut alij simili negotiatori: aut non erat aliàs daturus ad societatem. Primò casu huiusmodi contractus est validus, non in vim societatis; quoniam pecunia non fuit data ad negotiandum; sed in vim mutui: Secundò casu est inualidus, seu iniustus, vt habetur ex *Syl. in summ. vers. Societas, 1. q. 15.* & alijs, quos nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. c. 4. q. 23.* vbi etiam *q. 24.* explicauimus controuersiam illam, in qua quæritur, an si quis det Mercatori Neapoli 100. aureos recepturus Siciliæ tantùm quinquaginta, si perierint in mari: & si non perierint 120. iste contractus sit societatis, & licitus: & ostendimus, huiusmodi contractũ non esse societatis; sed sponsionis. Quæ nam regulæ dentur ad cognoscendam iustitiam negotiationis quæstuariæ: & quæ nam veniant communicanda in particulari societate negotiationis, explicauimus sufficienter in dicto nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 4. q. 25. & 26.*

De societate animalium, & primò, an tradens alicui centum oues pascendas, ac custodiendas, & promittens ei aliquam partẽ fructuum, nempè octauam, vel decimam, censeatur contractum inire societatis, vel potius locationis, seu conductionis personæ, seu operum.

SEC. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Locatio, & conductio persona, seu operarum ex parte recipientis animalia potest esse iusta. Et quæ sint de substantia locationis, & conductionis.*

2 *Potest esse iusta locatio, & conductio, qua quis locat duos boues æstimatos 60. pro mercede decem modiorum frumenti singulis annis.*

1 QVòd locatio, seu conductio personæ, seu operarũ ex parte animalia recipiẽtis, possit esse iusta, latè Nos ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 5. q. 1. & 3.* Est tamen verum, quòd casus propositus censetur in dubio contractus societatis, non autem conductio personæ, seu operum; nisi tradens ad ea pascenda, ac custodienda, ea lege tradat, vt recipiens illa, aliquotam fructuum ex eisdem percipiat in stipendium, & mercedem suorum laborum, & expensarum in eisdem pascendis; quoniam tunc nõ censetur celebrare contractum societatis; sed locationis, vt ibidem declarauimus, *q. 2.* vbi etiam probauimus, quòd si Titius tradat Sempronio v.g. decem vitulos appretiatos 100. aureos, custodiendos, & nutriendos per tres annos ea lege, vt in fine triennij vendantur, & Titius ante omnia suum capitale extrahat, & deindè diuidatur lucrum, tunc eiusmodi contractus siue sit societatis; siue sit locationis, seu conductionis operũ, non aliter dicetur iustus, nisi vituli stent periculo

lo

lo ipsorum Domini, & medietas lucri verisimiliter tanta sit assurura, quæ Sempronio sufficiat pro opera, expensis, curis, & periculis, quæ subit ex contractu, & etiam pro illo periculo, quod contingere potest, si nullum lucrum fiat; atque ideò oportebit perdidisse operas, & impensas, vt benè declarat *Conrad de contr q 90. conclus. 4. vers. Ex illis sequitur.* Quæ verò sint de substantia locationis, & conductionis, satis declarauimus *d. q 3.* vbi etiam ex traditis deduximus iustam posse esse locationem, seu conductionem, qua Titius v. g. locat Sempronio 100. oues per biennium, vt suis expensis eas pascat, & conseruet, ea tamen lege, vt elapso biennio, Sempronius ipse oues ipsas Titio reddat vna cum dimidia parte fœtuum, & fructuum pro debita sibi mercede: Et si in totum, vel pro parte pereant, vel deteriorarentur, totum damnum pertineat ad ipsū Titium: & id non solùm si casu fortuito, aut ex alio accidenti, sed etiam si proueniat ex leuissima custodis culpa. Quòd si ex dolo, lata culpa, aut leui eiusdem Sempronij damnum euenerit, totum damnum ipsi, non autem Titio sit imputandum. Siquidem si medietas fœtuum, & fructuum sit iusta merces arbitrio boni viri, vel iuxta loci rationabilem consuetudinem, locatio, 2 seu conductio prædicta erit iusta. Deduximus etiam iustam esse posse pariter locationem, seu conductionem, qua quis locat duos boues æstimatos 60. aureos v. g. sub mercede decem modiorum frumenti singulis annis: merces enim illa arbitrio boni viri, aut secundum laudabilem Regionis consuetudinem potest esse commensurata vsui bouum, atque ideò iusta; dummodò eorum periculum pertineat ad locatorem. Deduximus tertiò licitam posse esse locationem, seu conductionem, qua quis locat boues ad laborandum ad quartam partem lucri, ac damni pro mercede: nam illa quarta pars lucri prouenientis cum expectatione solutionis quartæ partis damni, si damnum eueniat, sit adæquata locationi bouum. Deduximus quartò licitam posse esse locationem, qua quis locat duos boues æstimatos ea lege, vt conductor laboret sibi cum ipsis bobus 12. bobulcas terræ in anno; & in fine anni bobus venditis, locator suum capitale totū extrahat, & conductor debeat habere medietatē lucri dictorum bouum. Denique deduximus iustam posse esse locationem, qua quis locat vnā vaccam alicui, æstimatam decem aureis v.g. ea lege, vt conductor eam custodiat, & seruet vna cum eiusdem fructibus, & fœtibus suis sumptibus, ita vt citra locatoris licentiam eos non alienet: & insuper de dictis fructibus, & fœtibus prioribus teneatur eam quantitatem assignare locatori, donec sit ipsi locatori de prædicta æstimatione vaccæ integraliter satisfactum: & deindè sibi assignare in futurum medietatem ipsorum fructuum, & fœtuum. Si tamen vacca vel eius fœtus, & fructus dolo, lata, vel leui culpa pereant, totum damnum ad ipsum conductorem pertineat: quòd si leuissima culpa, aut Dei iudicio, vel casu fortuito pereant, aut deteriorentur, damnum totaliter sit locatoris.

An cùm quis animalia locat cum pacto, vt conductor eorum in se periculum suscipiat, etiam si conductoris leuissima culpa, casu fortuito, ac Dei iudicio intereant, aut deteriorarentur, citra culpam talis cōtractus celebrari possit. SEC. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua sententia adducitur, & probatur exemplo depositarij, qui ex pacto tenetur de leui, & leuissima culpa, ad quas aliàs non teneretur.*

1 Affirmatiuam sententiam tuetur *Filliuc. to. 2. qq. moral. tr. 37. cap. 5 q. 1.* & alij à nobis relati in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 5. q. 4.* Mouentur ex *tex. in cap 2. de depos. l. si vt certo, § nunc videndum, ff. commod.* vbi licèt depositarius non teneatur de leuissima culpa, & casu fortuito; attamen ex pacto tenetur: ergò idem dicendum est in contractu locationis; quoniam contractus omnes ex conuentione legem accipiunt, vt in *l. 1. § si conuenerit, ff. depos.* Imò aliquando conductor ouium, aut aliorum animalium tenetur de culpa leuissima, & casu fortuito, etiam si non fuerit conuentum, vt teneatur; atque ideò si quis locauerit alicui oues cum pacto, vt cum eas incluserit in tugurio non adhibeat in eo ignē, si adhibuit, & ignis casu citra omnē culpā conductoris incēditur, ipse proculdubio tenetur de damno, vt in *l. videamus, § si hoc ff. loc.* Idem dicendum est de re alicui locata ad certum vsū, qui ad alium vsum fuerit vsus; quoniam si casu, aut leuissima conductoris culpa perierit, tenetur ipse conductor. Quæ diximus locum habent non solùm in locatione animalium, sed etiam in conductione personæ ad pascenda animalia, vt adnotauimus *d. q 4.* cuius conclusionem multipliciter quoque ampliauimus, ac limitauimus; & contraria soluimus. Et *q. 5.* ostendimus, quòd quando animalia dantur in locatum æstimata, contractus eo ipso non transit in mutuum, aut in venditionem; quoniam in contractibus, in quibus de eorum natura est, vt non transferatur dominium, æstimatio non facit venditionem, vt habetur ex *Ioann. Andr. Panor. & alios Canonist. in cap. 1. de commod.* & Nos *d q. 5.* rem ipsam ampliauimus, vt locum habeat etiam in societatibus, & dupliciter limitauimus.

De societate animalium, prout à locatione distinguitur. Et primò, de ea, in qua fit lucri, seu fructuum tantùm communio, an eorum aliquo modo citra culpam transferatur dominium in consocium ponentem operas. SEC. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Dominium animalium non transfertur in conso-*

socium, sed remanet penès dominum, qui in societate illa posuit.

1 AD hanc rem respondetur negatiuè, atque ideò non transferri animalium dominiũ in consocium; sed dominium remanere penès illum, qui in societate illa posuit, vt latè ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 5. q. 7.* vbi etiam *q. 8.* egimus, an in dubio quando contrahitur societas animalium, censeatur contracta, vt communio fiat in lucro tantùm, & non in capitali, & conclusimus affirmatiuè: siquidem de iure in dubio in societate censetur positus vsus tantùm rei, non ipsa res: quod verum esse ostendimus etiam si animalia ponantur in societate ęstimata: & locũ sibi vendicare in omnibus alijs societatibus; nisi per socios, aut in Regione celebrati contractus extaret consuetudo contrahendi societatem, in qua communio non tantùm fiat in lucro; sed etiam in capitali, vt ibidem probauimus, conclusionem ipsam alijs modis limitantes.

An in societate animalium, in qua fit communio in eorum tantùm fructibus, conferens ea citra culpam, transferat omne illarum periculum in consocium, itaut capitale sit saluum, & periculo non suppositum.

S E C. XXIV.

S V M M A R I V M.

1 *Societatem hanc Leoninam esse probatur. Et an pactum de saluo capitali, & sic de saluis animalibus possit aliquo modo iustificari.*

2 *An licita sit societas, qua quis dat centum oues ponenti operas, & custodiam cum pacto, vt pereant pastori, etiam ex leuissima culpa, & casu fortuito, & insuper singulis annis soluat certam paruam fructuum quantitatem per magna incerta.*

1 HANC societatem Leoninam esse ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 5. q. 9.* referentes fabulam, à qua deriuatur. Etenim non modo iniustam, & iniquam; sed etiam expressè prohiberi per Sixt. V. patet ex eiusdem Constitutione, quæ incipit, *Detestabilis*, per quã in vniuersum prohibetur societas cum pacto, vt sors in quolibet casu fortuito salua remaneat. Imò eiusmodi societas non solùm est iniusta, sed vsurariam eam appellat *Conrad. de contr. q. 92. concl. 4 in fine.* Et eandem non posse rectificari quacunque lege, vel consuetudine, docet *Panor. & alij in cap. fin. de consuet.* Adde, quod illicita est talis societas non modo si in ea fiat pactum, vt totum periculum animalium, verum etiam si pars periculi transferatur in accipientem ea, vt diximus *d. q. 9.* vbi etiam ampliantes hanc conclusionem extendimus ad conferentem operas, ita vt ponens operas transferat periculum suorũ operum in conferentem animalia. Est tamen verum, quòd pactum illud de saluo capitali, & sic de saluis animalibus, potest iustificari, si cõpensetur iusto pretio contractus assecurationis, aut compensetur in fructibus, aut in alia re: siquidem pactum de saluo capitali in hac societatis specie, non est contra substantiam; sed tantùm contra eiusdem naturalia, vt per *Azor. tom. 3. instit. moral. lib. 9. de societ. cap. 7. q. 10. versic. Sed dubia quæstionis.*

2 Ex dictis deduximus *d. q. 9.* primò licitam esse societatem, in qua quis dat 100. oues ponenti operas, & custodiam, cum pacto, vt si pereãt, aut deteriorarentur, damnum ad ipsum pastorem pertineat, quocunque modo proueniat, etiam ex leuissima culpa, & casu fortuito: & insuper singulis annis præstet certam fructuum quantitatẽ paruam pro incerta magna, quæ probabiliter posset ouium Domino contingere. Siquidem in societate negotiationis idem pactum licitè fieri potest: Secundò deduximus licitam esse societatem, in qua quis dat 100. oues ponenti operas, & industriam cum pacto, vt 50. sint sibi saluæ quocunque modo perierint, atque adeò æstimatio earum reddatur: & insuper singulis annis præstetur tertia pars fructuũ; nam si illa tertia pars fructuum sit adeò tenuis, vt ob id pactum, quo pastor obligatur ad soluendam æstimationem 50. ouium qualitercunque perierint, sufficienter compensetur, proculdubio rectificatur. Tertiò deduximus, quòd sicur diximus de societate negotiationis, quod in ea potest fieri pactum, vt vnus socius habeat duas partes lucri, & vnam damni; & alter duas damni, & vnam lucri, si prædictum pactum arbitrio boni viri deteriorem nõ faciat partem alterius, ita vt qui plus posuit, plus habeat, atque adeò fiat compensatio iusto pretio assecurationis, aut quocunque alio modo; ita etiam dicendum est de societate animalium, vt in *l. si non fuerit, ff. pro soc.*

An citra culpam potest coiri societas, in qua vnus ponit 100. oues; & alter operas cum pacto, vt si quę ex illis perierint, totidem restaurentur ex fœtibus; itaut quamdiù societas durauerit, centum seruentur, & reliqui fœtus; & fructus æqualiter inter ipsos diuidantur.

S E C. XXV.

S V M M A R I V M.

1 *Frequentissima est in multis locis hac societatis species, & an, & quando sit iusta.*

1 HÆC societatis species in multis locis est frequens: & quamuis in hac re tres sint opiniones, nobis tamen ex eis probabilior videtur sententia *Conradi de contr. q. 92. concl. 5.* & aliorum, quos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 5 q. 10.* dicentium iustam esse societatem, de qua quæritur, si oues reparatæ ex fœtibus communibus efficiantur vtrique socio communes: quoniã hoc casu est æqualis vtriusq; conditio, & non grauatur magis vnus, quàm alter. Secus autem dicendum est, si ponens operas

ris cogeretur, seu obligaretur restaurare oues, si quæ perierint ex suis fœtibus in suam partem, sibi tangentibus; siquidem hoc casu longè melior est conditio tradentis oues; nisi eiusmodi pactum compensetur in fructibus, aut aliquo alio modo. Idem dicendum est si societas contraheretur, vt recipiens oues ita de suis fœtibus præmortuas restaurare teneatur, vt si non habeat fœtus vnde restaurentur de suo faciat restaurationem illam. Imò societas eiusmodi esset pariter iniusta, si oues reparandæ ex fœtibus communibus pertineant ad eum tantùm, qui eas tradidit tempore celebrati contractus, vt in *d. q.* 10. declarauimus *concl.* 2. vbi ex *Azor.* quoque ostẽdimus eodem modo esse decernendum de societate, in qua fit reparandis ouibus ex primis fœtibus quotquot perierint.

An in societate super lucro tantùm, duratura per triennium, qui contulit 100. oues, & alter operas, si ante triennium omnes pereant, teneatur alias oues conferre. SEC. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua datur responsio, & quare.*

1 AD hanc difficultatem respondimus negatiuè in nostro *tract. de societ. lib.* 2. *c.* 5. *q.* 11. sicut ibidem *cap.* 4 *q.* 14. ostendimus de societate negotiationis, quòd deperdito capitali extinguitur societas; nec qui illud contulit tenetur ad aliud conferendum. Qualiter autem fiat diuisio animalium, damnorum, & expensarum in societate animalium, in qua fit communio in lucro tantùm, & non in capitali, declarauimus *d. cap.* 5. *q.* 12. Et quot modis contrahatur societas animalium, in qua fit communio in fructibus, & animalibus valet ex ijs, quæ ibidem cumulauimus, *q* 13. *&* 14.

De societate officiorum Rom. Curiæ, an citra culpam contrahi possit. SEC. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Octo conditiones requiruntur in societate officiorum, & quæ.*
2 *Societas officiorũ est verè, & propriè societas.*
3 *Societas officiorum Rom. Curiæ est iusta, & licita societas.*

1 DE Constitutionibus super societatem officiorum æditis, de eiusdem origine, & forma, ac cõditionibus egimus in nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap.* 6. *vsque ad q* 4. inclusinè, vbi ex forma instrumenti, quod in ipsa celebratur, & ex inspecto tenore prædictarum Constitutionum, præsertim Pij IV. octo conditiones Doctores colligunt ad societatem officiorum requisitas. Harum prima est, vt officium sit, in quo societas consistat, aliàs posset appellari societas officiorum. Secunda, ne officialis plures socios sibi adiungat, quàm sit officij valor, vt ex d. Piana patet, cui standum est, cùm per eam irritetur Pauli IV. nostræ Congregationis Fundatoris Constitutio, qua cauetur, vt in eiusmodi officiorum societatibus per officialem non admittantur socij vltra dimidium valoris officij. Tertia, quod pecuniæ numeratio in societate conferenda, fiat coram Notario, & testibus. Quarta, vt si socius intra sex menses decedat, officialis pecuniam à socio perceptam lucretur. Quinta, vt officialis post sex menses restituat pecuniam, si socius vixerit, & soluat certam lucri partem. Sexta, vt officialis soluat sex pro singulis centũ. Septima, ut qui habet officium, & pecuniam accipit in societate, lucrum soluat anticipato in principio semestris, & fideiussores præstet. Et octaua, vt officialis soluat sex ad semestre, etiam si amittat, vel dimittat officium. His breuiter sic adnotatis, sit

PRIMA CONCLVSIO.

2 SOcietas officiorum est verè, & propriè societas. Etenim in qualibet societate satis est, si quatuor concurrant: nempè, quòd res, seu negotiatio, super qua societas contrahitur, sit honesta; quoniam rei turpis non datur societas *leg. quod autem ex furto, & l. quod enim, ff. pro soc.* Secundò requiritur alicuius rei communio; quia non datur societas, in qua non fiat alicuius rei communio, vt in *l. si pascenda* & ibi, *Doctor. C. de pact.* Tertiò, vt in omnibus inter socios seruetur æqualitas; *l cum duobus, §. damna, & l. si non fuerint. ff pro soc.* Denique exigitur contrahentium consensus, vt rectè declarat *Azor. par.* 3. *instit. moral. lib.* 9. *de societ. cap.* 1. *q.* 2. *versic. Dicitur duorum*; sed in societate officiorum hæc omnia concurrunt; ergò, &c. Minor probatur, quoniam in tali societate concurrit res honesta, cùm contrahatur super officijs Rom. Curiæ, & eorum fructibus, quæ sunt de iure vendibilia, & obligari possunt, ac societas super eisdẽ coiri, vt patet ex Constitutionibus Leon. X. Pauli IV. & Pij IV. quas retulimus *d. cap.* 6. *nostri tract. de societ. in princ.* Prætereà concurrit communio, quia communicantur lucra, seu fructus officiorum. Rursus concurrit æqualitas, siquidem fructus communicantur pro rata pecuniæ collatæ. Et denique concurrit consensus, quoniam Nos supponimus contrahentes habere intentionem contrahendi societatem, vt hæc, & alia ostendimus in d. nostro *tract. de societ. lib.* 2. *cap.* 6. *q.* 5. ergò societas officiorum est vera, ac propriè societas.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 SOcietas officiorum Rom. Curiæ est iusta, ac licita societas. Etenim si talis contractus est verè, ac propriè societas, vt probauimus *conclus. præced.* ergo est iusta, ac licita, atque ideò citra culpam contrahi potest: siquidem societas est contractus licitus, vt in *l.* 1. *& toto tit. ff. & C. pro soc.* & ibi *Doctor.* Confirmatur magis ex ijs, quæ Nos cumulauimus in dicto nostro *tr. de societ. lib.* 2. *cap.* 6. *qu.* 6. & ad contraria respondimus.

AN

An societas officiorum contrahi possit super officijs Rom. Curiæ dumtaxat, vel etiam super aliis officiis extra Vrbem.

S E C. XXVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Leo X. & Pius IV. non damnant, nec prohibent societates contrahi super alijs officijs, quæ ad Romanam Curiam non pertinent.*

1 AD hanc difficultatem respódemus, quòd quamuis Leon. X. & Pij IV. Constitutiones, quas in principio *d. cap. 6. lib. 2. nostri tr. de societ.* retulimus, præscribant formam societatibus, quæ fiunt super officijs Roman. Curiæ, quocirca illas approbare censeantur; nihilominus non damnant, nec prohibent societates contrahi super alijs offisijs, quæ ad Rom. Curiam non pertinent: siquidem omnia censentur permissa; nisi prohibita reperiantur, vt in *l. nec non, §. quòd eis, ff. ex quib. cauf. maior.* & Nos in specie ostendimus *d. cap. 6. §. 1 q 1.* vbi contraria quoque euacuauimus. Imò *q. 2* ibidem ostendimus pariter non posse contrahi societatem super officijs Romanæ Curiæ, nisi sint vacabilia. Est tamen verum, quòd aliter esset dicendum, attenta natura harum societatum: vt ibidem probauimus, contraria soluentes. Potest tamen societas, non solùm super officio empto, sed etiam emendo, ac super fructibus officij, non autem super officio, vt probauimus loco citato, *q. 3. & 4.* & super nudum tantùm titulum officij, non autem super eiusdem fructibus, licèt Nos contrarium putemus verius, vbi supra *q. 5.* contraria diluentes.

An societas contrahi possit, non solùm super officio proprio; sed etiam citra culpam super alieno.

S E C. XXIX.

S V M M A R I V M.

1 *Communis est Doctorum sentẽtia affirmatiua.*

1 AD hanc controuersiam respondetur affirmatiuè ex communi Doctorum sententia, quam docent *Tolet. lib. 5 sua sum. cap. 40. vers. Tandem, Azor. tom. 3 instit. moral. lib. 9. de societ. cap 8. q. 3.* & alij, quos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 1. q 6.* Etenim census potest fundari super fundo ab alio commodato, vt in Hispania passim seruari, testatur *Molina de contr. disp. 394 num 9.* ergò idem dicendum est in casu nostro; eo magis, quoniam id non pugnat cum Constitutionibus Pontificijs, & Romæ passim seruatur, vt in *d. q 6.* ostẽdimus, & contraria euacuauimus. Imò *q. 7.* probauimus quoque, commodantem officium posse percipere emolumentum aliquod ab eo, cui illud commodat. Siquidem Fideiussor pro fideiussionis obsequio potest quoque mercedem aliquam ab eo, pro quo fideiussit, vt in *l. hoc iure, §. 1.* & ibi, *Bart. ff de donat.* cum alijs a Nobis in *d. q 7.* allegatis, & conclusionem ipsam ampliauimus, ac limitauimus.

An officialis, qui pecuniam ad societatem recipit, eas licitè possit accommodare alteri, qui societatis onus in se suscipiat.

S E C. XXX.

S V M M A R I V M.

1 *Affirmatiua responsio adducitur.*
2 *Si officialis distrahat officium, an possit ab Amico consequi fructus, vel interesse.*

1 AD hanc rem respondetur etiam affirmatiuè: siquidem res ipsa si rectè perpendatur, huiusmodi contractus cum amico, est cõtractus mutui cum interesse damni emergentis: nam officialis non intendebat in societate perseuerare, sed illam dissoluere, & pecuniam in societatem acceptam socio, qui dedit, reddere: sed quia rogatus ab amico pecuniam illam eidem mutuauit, oportet officialem ipsum in societate perseuerare; eo quòd non habeat aliam pecuniam, qua societatem ipsam dissoluat. Vndè cũ cogatur fructus talis societatis soluere, ad illos proculdubio tenetur mutuatarius ratione damni 2 emergentis. Est tamen verum, quòd si officialis officium distrahat, non potest fructus, seu interesse ab amico consequi; quoniam est dissoluta societas, vt declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. § 1. q 8.*

An officium, super quo contrahitur societas debeat habere massam certam.

S E C. XXXI.

S V M M A R I V M.

1 *Verior existimatur negatiua sententia.*

1 NEgatiuam sententiam existimauimus veriorem, cum *Castrac. in suo tract. de societ. offic. cap. 10. sub num. 11.* & alijs à Nobis relatis in dicto nostro *tract de societ. lib. 2. c. 6. § 1. quæst. 9.* vbi fuit etiam responsum ad *decis. Rotæ* in contrarium adductam, vbi etiam *qu. 10.* ostendimus societatem contrahi posse super scripturis Notariatus Rotæ, aut Auditoris Cameræ Apostolicæ. Et *quæst. 11.* probauimus societatem huiusmodi contrahi posse, non solùm super vno, sed etiam super pluribus officijs.

(✠)

AN

An peccet tradens suam pecuniam officiali habenti proprium officium, & non accipienti pecuniam vltra valorem eius; verùm non cogitat de societate, sed tantùm, vt lucrum ex pecunia percipiat ad rationem 12. pro 100.

SEC. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *An, & quando peccet, qui pecuniam hoc casu tradidit, optimè distinguitur.*

1 IN hac difficultate putamus esse distinguendum, quòd qui pecuniam tradidit adeò bona fide, contractum, de quo agitur, celebrauit, vt licitè putaret celebrare, & lucrum iusto titulo percipere, quamuis non cogitet de contractu societatis, sed tantùm de lucro ex sua pecunia percipiendo: aut ita intendebat dictum lucrum ex sua pecunia, vt illicitè intenderet contrahere. Primò casu dicimus eum non peccasse; quoniam implicitè saltem censetur habuisse animum lucrandi omni titulo, quo potest, iuxta ea, quę tradita sunt per *Filliuc. tomo 2. qq. moral. tract. 38. cap 6. q 3. num. 113.* Secundo casu licèt tradens, vt supra pecuniam ob prauam intentionem; attamen fructus percipiens restituere non tenetur, nec foro interno, nec externo: quia iniustitiam non commisit; at restitutio debetur ex violatione iustitiæ, vt declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap 6. § 1. q. 12.*

An societas absque officio proprio, nec alterius, vi sponsionis, ac pacti possit consistere.

SEC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Contractus iste non est societatis, nec mutui, sed sponsionis, & innominatus, do, vt des.*

1 CASVM figurauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap 6 §. 1. q 13.* vbi etiam declarauimus, quidnam sit sponsionis contractus: & tandem post multa ostendimus, eiusmodi contractum non esse societatis, nec mutui, nec sponsionis; sed esse contractum innominatum, do, vt des, ad instar sponsionis. Etenim eiusmodi contractus est similis illis, qui celebrãtur in Belgio, & in Anglia, quos in *d. q. 13. not. 1.* retulimus, & probauimus non esse sponsionis, sed innominatos, do, vt des, ad instar sponsionis, & reduci ad genus sortium: siquidem conditionem inuoluit, & ambo contrahentes exponuntur sorti, ac euẽtui dubio, ac incerto. Vndè cum talis contractus sit innominatus, meritò deduximus licitum esse ab eo discedere antequam ex altera contrahentium parte impleatur: & cum reducatur ad genus sortium, tunc erit licitus, cùm ex ęquo cõtrahentes, sorti, ac dubio euentui exponuntur: siquidem cõtractus cum pari incertitudine damni, aut lucri est de iure licitus: & contractus aliàs iniustus, propter lucri incertitudinem, ac periculum, cui contrahentes se exponunt, iustificatur, vt Nos probauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. q 22. nu 33. & 34 in proœm. & in d. q. 13. in nostro tract. de societ.* quo circa in celebrando tali contractu ibidem diximus esse pensandas nonnullas circumstantias. Debet enim haberi ratio ætatis, complexionis, & periculi vitæ, eius, ad cuius vitam dantur pecuniæ, an scilicet sit iuuenis, vel senex, robustus, vel debilis complexionis, Miles, an Doctor: ac inspicienda est quantitas periculi: nam si dans pecuniam non vult suscipere periculum, nisi sex mensium, multò minus emolumenti percipiet, quàm qui toto tempore suæ vitæ periculum subiret: vt in *d. q 13.* latius declarauimus *concl. 4. 5. & 6* easdem ampliantes, ac limitantes, & contraria soluentes.

An officium tanti valere dicendum sit, quanti est emptum: an verò tanti, quanti vendi potest tempore societatis initæ.

SEC. XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Valor officij inspiciendus est, prout æstimatum tempore contractæ societatis, non verò quanti fuit emptum.*

1 AD hanc quæstionem respondemus ex *Castrac. in suo tract. de societate officior. c. 6. sub num. 5* & ex alijs, quos citauimus in nostro *tract. de societ. §. 2. q 1.* in hac re esse inspiciendũ valorem officij, prout æstimatur tempore contractæ societatis, non autem quanti fuit emptũ: siquidem merces tanti æstimantur, quanti vendi possunt; non autem quanti empæ fuerunt, vt in *l. pretia rerum, ff. ad leg falcid.* Hinc fit, quod officium si fuerit emptum 500. aureos, & deindè tempore contractæ societatis valeat 400. non potest officialis societatem contrahere vltra valorem 400. aureorum. Et è conuerso si officium fuerit emptum 500. aureis, & tempore soc etatis initæ eius pretium creuerit vsque ad 600. poterit officialis super dicto officio accipere ad societatem integros 600. aureos.

An officialis, qui officium emit reddens ad rationem 10. pro 100. possit super illud societatem contrahere ad rationem 12.

SEC. XXXV.

SVMARIVM.

1 *Socij, an, & quando nulliter, & illicitè contrahant, optimè distinguitur.*

An societas officiorum contrahi possit super officijs Rom. Curiæ dumtaxat, vel etiam super aliis officiis extra Vrbem.

S E C. XXVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Leo X. & Pius IV. non damnant, nec prohibent societates contrahi super alijs officijs, quæ ad Romanam Curiam non pertinent.*

1 AD hanc difficultatem respõdemus, quòd quamuis Leon. X. & Pij IV. Constitutiones, quas in principio *d. cap. 6. lib. 2. nostri tr. de societ.* retulimus, præscribant formam societatibus, quæ fiunt super officijs Roman. Curiæ, quocirca illas approbare censeantur; nihilominus non damnant, nec prohibent societates contrahi super alijs offis:js, quæ ad Rom. Curiam non pertinent: siquidem omnia censentur permissa; nisi prohibita reperiantur, vt in *l. nec non, §. quòd eis, ff. ex quib. cauf. maior.* & Nos in specie ostendimus *d. cap. 6. §. 1 q 1.* vbi contraria quoque euacuauimus. Imò *q. 2* ibidem ostendimus pariter non posse contrahi societatem super officijs Romanæ Curiæ, nisi sint vacabilia. Est tamen verum, quòd aliter esset dicendum, attenta natura harum societatum: vt ibidem probauimus, contraria soluentes. Potest tamen societas, non solùm super officio empto, sed etiam emendo, ac super fructibus officij, non autem super officio, vt probauimus loco citato, *q. 3. & 4.* & super nudum tantùm titulum officij, non autem super eiusdem fructibus, licèt Nos contrarium putemus verius, vbi supra *q. 5.* contraria diluentes.

An societas contrahi possit, non solùm super officio proprio; sed etiam citra culpam super alieno.

S E C. XXIX.

S V M M A R I V M.

1 *Communis est Doctorum sentẽtia affirmatiua.*

1 AD hanc controuersiam respondetur affirmatiuè ex communi Doctorum sententia, quam docent *Tolet. lib. 5 sua sum. cap. 40. vers. Tandem, Azor. tom. 3 instit. moral. lib. 9. de societ. cap 8. q. 3.* & alij, quos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap 6. §. 1. q 6.* Etenim census potest fundari super fundo ab alio commodato, vt in Hispania passim seruari, testatur *Molina de contr. disp. 394 num 9* ergò idem dicendum est in casu nostro; eo magis, quoniam id non pugnat cum Constitutionibus Pontificijs, & Romæ passim seruatur, vt in *d. q 6.* ostẽdimus, & contraria euacuauimus. Imò *q. 7.* probauimus quoque, commodantem officium posse percipere emolumentum aliquod ab eo, cui illud commodat. Siquidem Fideiussor pro sui fideiussionis obsequio potest quoque mercedem aliquam ab eo, pro quo fideiussit, vt in *l. hoc iure, §. 1.* & ibi, *Bart. ff de donat.* cum alijs a Nobis in *d. q 7.* allegatis, & conclusionem ipsam ampliauimus, ac limitauimus.

An officialis, qui pecuniam ad societatem recipit, eas licitè possit accommodare alteri, qui societatis onus in se suscipiat.

S E C. XXX.

S V M M A R I V M.

1 *Affirmatiua responsio adducitur.*

2 *Si officialis distrahat officium, an possit ab Amico consequi fructus, vel interesse.*

1 AD hanc rem respondetur etiam affirmatiuè: siquidem res ipsa si rectè perpendatur, huiusmodi contractus cum amico, est cõtractus mutui cum interesse damni emergentis: nam officialis non intendebat in societate perseuerare, sed illam dissoluere, & pecuniam in societatem acceptam socio, qui dedit, reddere: sed quia rogatus ab amico pecuniam illam eidem mutuauit, oportet officialem ipsum in societate perseuerare; eo quòd non habeat aliam pecuniam, qua societatem ipsam dissoluat. Vndè cũ cogatur fructus talis societatis soluere, ad illos proculdubio tenetur mutuatarius ratione damni
2 emergentis. Est tamen verum, quòd si officialis officium distrahat, non potest fructus, seu interesse ab amico consequi; quoniam est dissoluta societas, vt declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. § 1. q 8.*

An officium, super quo contrahitur societas debeat habere massam certam.

S E C. XXXI.

S V M M A R I V M.

1 *Verior existimatur negatiua sententia.*

1 NEgatiuam sententiam existimauimus veriorem, cum *Castrac. in suo tract. de societ. offic. cap. 10. sub num. 11.* & alijs à Nobis relatis in dicto nostro *tract. de societ. lib. 2. c. 6. § 1. quæst. 9.* vbi fuit etiam responsum ad *decis. Rotæ* in contrarium adductam, vbi etiam *qu. 10.* ostendimus societatem contrahi posse super scripturis Notariatus Rotæ, aut Auditoris Cameræ Apostolicæ. Et *quæst. 11.* probauimus societatem huiusmodi contrahi posse, non solùm super vno, sed etiam super pluribus officijs.

(✝)

AN

An peccet tradens suam pecuniam officiali habenti proprium officium, & non accipienti pecuniam vltra valorem eius; verùm non cogitat de societate, sed tantùm, vt lucrum ex pecunia percipiat ad rationem 12. pro 100.

SEC. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *An, & quando peccet, qui pecuniam hoc casu tradidit, optimè distinguitur.*

1 IN hac difficultate putamus esse distinguendum, quòd qui pecuniam tradidit adeò bona fide, contractum, de quo agitur, celebrauit, vt licitè putaret celebrare, & lucrum iusto titulo percipere, quamuis non cogitet de contractu societatis, sed tantùm de lucro ex sua pecunia percipiendo: aut ita intendebat dictum lucrum ex sua pecunia, vt illicitè intenderet contrahere. Primò casu dicimus eum non peccasse; quoniam implicitè saltem censetur habuisse animum lucrandi omni titulo, quo potest, iuxta ea, quę tradita sunt per *Filliuc. tomo 2. qq. moral. tract. 38. cap. 6. q. 3. num. 113.* Secundo casu licèt tradens, vt supra pecuniam ob prauam intentionem; attamen fructus percipiens restituere non tenetur, nec foro interno, nec externo: quia iniustitiam non commisit; at restitutio debetur ex violatione iustitiæ, vt declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap 6. §. 1. q. 12.*

An societas absque officio proprio, nec alterius, vi sponsionis, ac pacti possit consistere.

SEC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Contractus iste non est societatis, nec mutui, sed sponsionis, & innominatus, do, vt des.*

1 CASVM figurauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap 6 §. 1. q. 13.* vbi etiam declarauimus, quidnam sit sponsionis contractus: & tandem post multa ostendimus, eiusmodi contractum non esse societatis, nec mutui, nec sponsionis; sed esse contractum innominatum, do, vt des, ad instar sponsionis. Etenim eiusmodi contractus est similis illis, qui celebrãtur in Belgio, & in Anglia, quos in *d. q. 13. not. 1.* retulimus, & probauimus non esse sponsionis, sed innominatos, do, vt des, ad instar sponsionis, & reduci ad genus sortium: siquidem conditionem inuoluit, & ambo contrahentes exponuntur sorti, ac euẽtui dubio, ac incerto. Vndè cum talis contractus sit innominatus, meritò deduximus licitum esse ab eo discedere antequam ex altera contrahentium parte impleatur: & cum reducatur ad genus sortium, tunc erit licitus, cùm ex ęquo contrahentes, sorti, ac dubio euentui exponuntur: siquidem cõtractus cum pari incertitudine damni, aut lucri est de iure licitus: & contractus aliàs iniustus, propter lucri incertitudinem, ac periculum, cui contrahentes se exponunt, iustificatur, vt Nos probauimus in nostris *Commentar. in extrauag. B. Pij V. de censib. q. 22. nu 33. & 34 in proœm. & in d. q. 13. in nostro tract. de societ.* quo circa in celebrando tali contractu ibidem diximus esse pensandas nonnullas circumstantias. Debet enim haberi ratio ætatis, complexionis, & periculi vitæ, eius, ad cuius vitam dantur pecuniæ, an scilicet sit iuuenis, vel senex, robustus, vel debilis complexionis, Miles, an Doctor; ac inspicienda est quantitas periculi: nam si dans pecuniam non vult suscipere periculum, nisi sex mensium, multò minus emolumenti percipiet, quàm qui toto tempore suæ vitæ periculum subiret: vt in *d. q. 13.* latius declarauimus *concl. 4. 5. & 6* easdem amplificantes, ac limitantes, & contraria soluentes.

An officium tanti valere dicendum sit, quanti est emptum: an verò tanti, quanti vendi potest tempore societatis initæ.

SEC. XXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Valor officij inspiciendus est, prout æstimatum tempore contracta societatis, non verò quanti fuit emptum.*

1 AD hanc quæstionem respondemus ex *Castrac. in suo tract. de societate officior. c. 6. sub num. 5* & ex alijs, quos citauimus in nostro *tract. de societ. §. 2. q. 1.* in hac re esse inspiciendũ valorem officij, prout æstimatur tempore contractæ societatis, non autem quanti fuit emptũ: siquidem merces tanti æstimantur, quanti vendi possunt; non autem quanti emptæ fuerunt, vt in *l. pretia rerum, ff. ad leg. falcid.* Hinc fit, quod officium si fuerit emptum 500. aureos, & deindè tempore contractæ societatis valeat 400. non potest officialis societatem contrahere vltra valorem 400. aureorum. Et è conuerso si officium fuerit emptum 500. aureis, & tempore societatis initæ eius pretium creuerit vsque ad 600. poterit officialis super dicto officio accipere ad societatem integros 600. aureos.

An officialis, qui officium emit reddens ad rationem 10. pro 100. possit super illud societatem contrahere ad rationem 12.

SEC. XXXV.

SVMARIVM.

1 *Socij, an, & quando nulliter, & illicitè contrahant, optimè distinguitur.*

1 IN hac difficultate putamus esse distinguendum, quòd aut socij intendunt societatem contrahere re, & verbis: aut verbis dumtaxat, & non re: vel denique intendunt celebrare contractum emptionis fructuum officij. Primo casu nulliter contrahunt, & illicitè: siquidem in qualibet societate debet seruari æqualitas saltem proportionaliter, vt in *l. si non fuerint*, & ibi, *Doctor ff. pro soc.* at in hac societate non seruatur æqualitas: nam dum communicatur officium, quoad medietatem fructuum, & officium reddat fructus ad rationem 20. pro singulis 100. dumtaxat, tunc socius, qui pecuniam dedit, citra violationem iustitiæ, & æqualitatis, quam exigit societas non posset fructus consequi ad rationem 12. nam officialis fructus perciperet ad rationem octo tantum; atque ideò si officium reddat 500. aureos socius habebit 300. singulis annis, & officialis tantùm 200. Secundo casu si intendat celebrare contractum innominatum, aut quocunque alio titulo lucrari sub huiusmodi societatis pallio; tunc talis contractus quoad forum saltem interius potest esse licitus si debitæ concurrant conditiones, de quibus supra *sec.* 33. Tertio denique casu, si spectetur natura contractus potest esse iustus, ac validus: iniustus verò ex aliqua circumstantia, vt declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 2. q. 2.* ad cõtraria respondentes.

An citra culpam is, qui tantam pecuniarum quantitatem super officio dedit, quæ ascendat ad integrum valorem eius, possit pacisci omnes fructus sibi solui ex ipso officio prouenientes, durante societate.

SEC. XXXVI

SVMMARIVM.

1 *Natura societatis repugnet, vt omnia emolumenta ad vnum tantum pertineant.*

1 NEgatiuam partem defendimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 2. q. 3.* Etenim repugnat naturæ societatis, vt omnia emolumenta ad vnum tantum pertineant, vt in *l. si non fuerint, § fin. ff. pro soc.* pro qua re extat *decisio Rot. Rom.* 38. post *Zacch. tract. de societ. officior. in vna Romana fructuum societatum, 20. Octobr. 1595. coram b. m. Cardinali Blanchetto.*

An citra culpam, & fructuum restitutionem posSit contrahi societas vltra valorem officii.

SEC. XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Societas hac vitiatur ipso iure, sed pro ea tantum parte, qua fuit inita vltra valorem officij.*

1 AD hanc controuersiam respondetur negatiuè: imò in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. § 2. q 4.* ostendimus, huiusmodi societatẽ vitiari ipso iure, nec sustineri saltem, quoad irritatur: siquidem in hac ipsa societate deficit subiectum: & pro hac sententia extat *decis. Rot. Rom.* 11. post *Zacch. in vna Romana societatis officij, 20. Maij* 1602. quam ibidem ad verbum retulimus. Et conclusionem tripliciter ampliauimus, & in vno tantum casu limitauimus contraria soluentes. Est tamen verum, quòd ibidem, *q.* 5. probauimus huiusmodi societatem non vitiari in totum; sed pro ea tantùm parte, qua fuit inita vltra valorem officij, per *tex. in l. placuit, ff. de vsur.* & contraria euacuauimus. Et *q. 6.* ostendimus tandem officialem, qui sciens contraxit societatem vltra valorem officij, & pecunias recepit, posse citra culpam retinere fructus soluere: Et *q* 7. solutos fructus repetere, cuius conclusione multipliciter quoque ampliauimus, ac limitauimus. An autem in casibus, in quibus officialis non posset fructus repetere, socius, qui societatem contraxit super officio vltra valorem eius, & fructus recepit, teneatur in foro consciẽtiæ eos restituere, sufficienter declarauimus loco citato, *q. 8.* per quatuor conclusiones.

An societas contracta vltra valorem officii, citra culpam sustineri possit in vim census vitalitii.

SEC. XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *De natura census vitalitij est, vt pecunia repeti non possit, & sustineri tantum, propter vitæ incertitudinem.*

1 AD hanc difficultatem respondetur negatiuè. Etenim de natura census vitalitij est, vt pecunia repeti non possit, & sustinetur tantũ, propter incertitudinem vitæ: at dans pecuniam ad societatem, potest illam repetere, elapsis sex mensibus, vt latiùs declarauimus dicto nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 2. q. 9.* vbi etiam *q.* 10. ostendimus, vt nec quidem sustineri possit in vim sponsionis, sed in vim contractus innominati, do, vt des, ad instar sponsionis, iuxta ea, quæ supra adnotauimus *sec.* 33. Posset tamen dicta societas sustineri in vim mutui cum interesse lucri cessantis, aut damni emergẽtis, vt latissimè de hac re egimus *d. §. 2. q.* 11. per tres conclusiones, & contraria euacuauimus.

An propter Vrbis consuetudinem contrahendi societatem vltra valorem officii, huiusmodi contractus sustineatur ex bona fide contrahentium existimantium esse licitum.

SEC. XXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Probabilior est pars negatiua,*

AD

y AD præfatam quæstionem respondentes dicimus partem negatiuam esse probabiliorem. Etenim societas contracta vltra valorem officij cùm sit vsuraria consuetudine rectificari non potest; quoniam in materia vsurarum consuetudo non suffragatur, vt in *cap. quia in omnibus*, & ibi, *Glosa, de vsur. Rocch. in cap fin. in 3. not. de consuet.* & in specie extat *decis.* 28. *Rot. Rom.* post *Zacch. tract. de societ. offic. impressa sub num.* 32. & 33. *in vna Romana societatum, 29 Iunij 1601. coram b. m Cardin Mellino*, quibus adde, quæ latè cumulauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 2. q. 12.*

An in societate officiorum citra culpam possit fieri solutio in alia re, quàm in pecunia numerata,
SEC. XXXX.

SVMMARIVM.

1 *In foro interno sustineri potest hæc societas, secus in foro externo ex communi vsu, & consuetudine Romanæ Curiæ.*

1 AD hanc difficultatem respondemus, quòd quamuis eiusmodi societas, quoad forũ interius sustineri possit, quando aliqua res loco pecuniæ datur officiali super officio, cùm id nõ sit contra substantiam contractus societatis; nihilominus, quoad forum exterius alter est dicẽdum ex communi vsu, & consuetudine Roman. Curiæ, & ex alijs, quæ cumulauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2 cap. 2. §. 3. q. 1.* vbi rem hãc fusius explicauimus cum suis ampliationibus, & limitationibus, ac contraria diluentes. Quibus adde, quæ ibidem adnotauimus *q.* 2. dum egimus, an attenta natura societatis officiorum, nõ aliter contrahi possit, quàm in pecunia, etiam seclusis Vrbis, & Rom. Curiæ stylo, ac consuetudine, & sententiæ negatiuæ adhæsimus: siquidem rei emptæ, seu venditæ pretium, non solùm consistere potest in pecunia numerata; sed etiam in qualibet alia re æquiualenti, vt in *l. pretij, C. de rescind. vend.* Conclusionem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus, nonnulla ex eis deduximus, & ad contraria respondimus.

An officialis possit obligari à socio citra culpam, vt receptam pecuniam coram Notario, & testibus mox eidem socio restituat.
SEC. XXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Verior est negatiua sententia: sed an, & quando procedat, declaratur.*

1 SEntentiam negatiuam docuimus esse veriorẽ in nostro *tractatu de societ. lib. 2 cap. 6. §. 3. q. 3.* siquidem ex vi consuetudinis vrbis non aliter contrahitur societas, quàm mediante pecunia numerata coram Notario, & testibus, vt dominium pecuniæ transferatur in accipientem, itaut officialis efficiatur illius verè dominus. At in casu, de quo agitur, qui soluit pecuniam officiali præuio pacto, vt soluta mox illi reddatur, non dicitur talis pecuniæ dominium transferre in officialem; quoniam non dicitur soluere, qui ita pecuniam soluit, vt mox reddatur, vt in *l. qui sic soluit, ff. de solut.* Est tamen verum, quòd nostra sententia, ita demum vera est si pactum præcedat pecuniæ solutionem: secus autem si subsequatur, vt in *d. q. 3. lim* 1. ostendimus, vbi etiam *lim.* 2. ostendimus nostram conclusionem procedere, quoad forum exterius; nam quoad forum interius, si pecunia soluta, fuerit mox restituta præuio dicto pacto in satisfactionem debiti, quo ipse officialis verè, ac realiter debebat, culpa non contrahitur, vt ibidem declarauimus, vbi tamen *q.* 4. probauimus ad validitatẽ cõtractus societatis satis esse si solutio pecuniæ fiat alteri officialis nomine. An autem pecunia si numeretur in absentiam Notarij, & deindè numerata tradatur officiali coram eodem in actu celebrationis instrumenti societatis officiorum, censeatur Vrbis consuetudini satisfactum, vide, quæ adnotauimus *d. §. 3. q.* 5. vbi opinionem affirmatiuam censuimus esse probabiliorem.

An societas officiorum citra culpam cõtrahi possit ex pecunia ab officiali ante debita.
SEC. XXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Quoad forum interius fieri potest hæc societas; non verò exterius ex consuetudine Vrbis, & stylo Curiæ.*

1 IN hac re, quoad forum interius respondetur affirmatiuè. Etenim apud Deum idem est solui centum officiali, ac verè deberi ab illo, & eum habere illa pro solutis. Eò magis, quoniam Vrbis consuetudo induxit in eiusmodi societatum contractibus numerationem pecuniæ corã Notario, & testibus, fundata in præsumptione fraudis, ac iniustitiæ; quæ cessat in foro conscientiæ, quando præsumptio veritati non est conformis, ita cum communi *Boccac. in suo tr. de societ. offic num.* 68. & alij, quos Nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 3. q. 6 concl.* 1. vbi adhoc, vt conclusio locum sibi vẽdicet, quatuor conditiones exigit. Quo verò ad forum exterius, attenta Vrbis Consuetudine, & Curiæ stylo contrahendi eiusmodi societates in pecunia numerata, nulliter societas contrahitur ex pecunia ante debita: quod tamen diximus *conclus.* 2. verum esse de officijs in Vrbe; secus autem de officijs extra Vrbem. Est tamen verum quòd ibidem *concl.* 4. æquè probabilem censuimus opinionem, qui docent, posse simpliciter coiri societatem officiorum ex pecunia debita: nam hęc sententia habet pro se multos Doctores grauis ponderis. Et idem dicendum putauimus ibidem *q.* 7. de societate contra pecunia credita, ad contraria respondentes. Non tamen putamus in foro conscientiæ sustineri posse societates

tes officiorum pecunia credita, vt ostendimus *d.* §. 3. *q.* 9. conclusionem ampliantes, ac limitantes, & contraria soluentes.

An scriptura pro forma requiratur in contractu societatis officiorum. SEC. XXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *In contractu societatis scriptura non requiritur.*

1 AD hanc rem negatiuè respondetur. Etenim Vrbis consuetudo non videtur inducta ad conspiciendum necessariò super eam instrumentum, sed ad contrahendum societates ipsas in pecunia numerata coram Notario, & testibus, quotiescunque talis contractus in scriptis constituitur, vt latius declarauimus in nostro *tr. de societ. lib. 2. cap. 6. § 3. q. 10.* quam sententiam sufficienter ampliauimus, & limitauimus.

An in societate officiorum citra culpam fiat conuentio, vt si socius intra sex menses moriatur, officialis lucretur pecuniam; atque ideò licitum sit socio infra 15. dies nominare alium, cuius vitæ periculo stet pecunia apud officialem. SEC. XXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Illa societas est iusta, in qua inter socios seruatur æqualitas.*

2 *Mors socij, vel alterius, cuius vita periculo stat pecunia an debeat esse naturalis, vt officialis pecuniam lucretur.*

3 *Si is, cuius vita periculo stat pecunia, laqueo fuerit suspensus, vel capite obtruncatus, an officialis pecunias acceptas faciat suas.*

1 AD hanc difficultatem respondetur affirmatiuè. Siquidem illa societas est iusta, in qua inter socios seruatur æqualitas, ita ut vnus socius non plus grauetur altero, *l. cum duobus § damna, & l. si non fuerint, ff. pro soc.* At societas cum supradicta conuentione est huiusmodi: ergò, &c. Minor patet, quoniam, attenta natura huius societatis, officium perire deberet communi periculo, tam officialis scilicet, quàm socij; atque adeò per mortem officialis, socius deberet amittere pecuniam, quam officiali contulit; verum pro maiori contrahentium commoditate periculum societatis communicatur inter officialem, & socium hoc pacto, vt si officialis moriatur, totum officium perdat, & eius hæredes teneantur pecuniam collatam socio restituere: è contra verò si moriatur socius, pecuniam ipsam lucretur officialis: & sic periculum cum periculo compensatur, vt rectè declarat *Isonel in Bull. Pij IV. de societ. offic. in prin.* & alij, quos citauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. § 4 q. 1.* Est tamen verû, quòd mors

2 socij, aut alterius, cuius vitæ periculo stat pecunia apud officialem, ad hoc, vt officialis lucretur pecuniam debet esse naturalis, non autem violenta, vt ostendimus *d. § 4 q. 2.* atq; ideò non vi, ferro, aut veneno, seu aliter cunq; inflicta ab homine violenter: & multo minus si moriatur ciuiliter, vt ibidem declarauimus, & *q. 3.* vbi etiam *q. 5.* ostendimus, quòd si is, cuius vitæ periculo stat pecunia apud officialem gladio seipsum interimat, officialis ipse pecuniam lucratur: quoniam licet iste talis mortuus dicatur morte violenta; non tamen est mortuus ab alio homine, quod excipitur, vt sup. diximus; sed à seipso: imò ille propriè dicitur occisus, qui ab alio occiditur, *l. 1. occisorum, ff. ad Senatusconf. Syll.*

3 Est tamen verum, quòd si is, cuius vitæ periculo stant pecuniæ, vt supra, fuerit laqueo suspēsus, aut capite truncatus ob eius delictum, officialis pecunias acceptas non facit suas: quia non potest dari, vt qui dedit pecunias moriatur per manus iustitiæ, & pecuniæ sint ab officiali lucratæ: siquidem cûm statim sequuta mortis sententia, iste talis dicatur mortuus ciuiliter, cûm efficiatur seruus pœnæ, iuxta ea, quæ habentur ex *Castrac. de societ. offic. cap. 30. num. 4.* at morte ciuili extinguitur societas, vt in *l. verum, in fine, ff. pro soc.* vndè tempore quo socius laqueo suspenditur, aut capite trûcatur per manus Carnificis, cûm nulla adsit societas, ab officiali non possunt lucrari pecuniæ in societate collatæ, vt fusiùs declarauimus *d. q. 5.* contraria soluentes. An autem si is, cuius vitæ periculo stant pecuniæ apud officialem profectus ad bellum ab hostibus occidatur, officialis lucretur pecunias, vide *loc. cit. q. 6.* vbi in hac re diximus attendendam esse consuetudinem. Et *q. 7* explicauimus quoque controuersiam, in qua quæritur, an si is cuius vitæ periculo sunt pecuniæ, vt supra proficiscatur ad bellum, & per quamplurimos annos facta diligentia, non reperiatur, præsumatur mortuus morte violenta, vel naturali: & *concl. 4.* conclusimus, illum eo casu præsumi mortuum morte naturali, non autem violenta. Adde quòd is, cuius vitę periculo stant pecunię, si sit violenter igne ab homine peremptus, officialis non lucratur pecuniã, quia casus ignis est exceptus sub illis verbis: *Aut alitercunque inflicta ab homine violenter.* vt rem hanc explicauimus ibidem, *q. 8.* Secus autem dicendũ est si casu igne concrematus fuerit, aut impunè. Etenim *q. 9.* ob id ostendimus, quòd si is, cuius vitæ periculo stant pecuniæ moriatur in colluctatione, officialis pecunias collatas suas sibi facit: nam cûm supponimus mortem casu fuisse illatam, non potest dici ab homine.

An si is, cuius vitæ periculo stant pecuniç apud officialem volens fuerit occisus, officialis lucretur pecunias collatas. SEC. XXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua responsio adducitur. Sed quid si mortuus reperiatur in puteo.*

Et quid dicendum si ab officiali occidatur, vel consulat, aut quocunq; modo fuerit causa mortis illius.

1 REspondet negatiuè *Castrac. de societ. offic. cap. 26. in fine*: siquidem iste talis dicitur mo-

mori morte violenta ab homine, vt ostendimus quoque in nostro *tract. de societ. lib. 6 cap. 6. §. 4. q. 10.* Idem dicendum est, si is, cuius vitae periculo stant pecuniae fuerit vulneratus & post quamplurimos dies interierit: nam in dubio praesumitur mortuus ex vulnere, & sic morte violẽta ab homine, non autem naturali, nisi id ab officiali probetur, vt ibidem probauimus, *q. 11.* vbi tamen *q. 12.* demonstrauimus, quòd si iste talis fuerit leuiter vulneratus, durante societate, & malo regimine, aut medicorum imperitia interierit, officialis pecunias lucrabitur; nam non diceretur peremptus morte violenta ab homine. Non tamen sic est dicendum, si reperiatur mortuus in puteo; quia in dubio non praesumitur, quod seipsum praecipitauerit: nec casu in eum cecidisse. Ita *Castrac. de societ. offic. cap. 21. in fine,* & nos adnotauimus *d. §. 4. q. 13.* vbi quoq; *q. 14.* probauimus, quod si iste fuerit occisus ab aliquo ad sui defensionem, aliter est dicendum: nam licèt is dicatur mortuus morte violenta, & ab homine, non tamen est mortuus ab homine violenter, quod omninò exigitur, vt mors dicatur excepta vi stipulationis. Adde, quòd si in stipulatione non esset exceptus casus mortis violẽtae eius, in cuius periculo stant pecuniae apud officialẽ, si ab officiali occidatur, pecunias collatas officialis ipse non faciet suas: quoniam non conuenit, vt ex proprio delicto quis praemium consequatur, *l. relegatorum in fine, de interd. & cap. si quilibet, 22 q 2.* Idem dicendum est si officialis consulat, aut quocunq; modo fuerit causa mortis illius: siquidem nihil interest, vtrum quis occidat, an mortis causam praebeat; vterq; enim tenetur *lege Cornel. de sicar. vt in l. nihil interest, ff. ad leg. Cornel. de sicar.* & nos latiùs *d. § 4 q. 15.*

An mulier dans pecuniam ad societatem super eius vitae periculo, si decedat in partu, officialis tuta conscientia faciat sibi suam. S E C. XXXXVI.

S V M M A R I V M.

1 *Mulier si decedat ex partu, vel ex causa partus, officialis pecunias sibi à muliere datas non lucrabitur.*

2 *Quando dicatur mulier ex partu decedere, vel ex causa partus.*

1 SOlent in instrumento, quod celebratur in cõtractu societatis officij, post exceptam mortem violentam eius, in cuius vitae periculo stat pecunia apud officialem, ex communi stylo addi haec verba quando contrahitur cum muliere: *Nec ex partu, nec ex causa partus, seu excepta partus, & praegnantia causa.* Vndè mors, quae prouenit causa partus licet naturalis; nihilominus est excepta, atq; ideò si mulier ex partu, seu ex causa partus decederet, officialis pecunias sibi ad societatem à muliere datas, proculdubio non lucrabitur, vt patet ex *Rota Rom. 33. post Zacch. tract. de societ. offic. in vna Romana societatis 27. Iunij 1569. coram Oradino.* Et nos fusiùs in nostro *tract. de societ. lib 2. cap. 6. §. 4. q. 16.* vbi etiam *q. 17.* ampliantes hanc conclusionem diximus, quòd si in contractu societatis officiorum cum muliere Notarius omitteret clausulam illam, *Nec ex partu, nec ex causa partus,* possit deindè in instrumento de nouo addere: Notarius enim semper cẽsetur rogatus de clausulis solitis, & consuetis, vt habetur per *Ias. in l. certi conditio, §. si nummos, ff. si cert. petat.* Dicitur autem mulier ex partu, & ex causa partus decessisse, si dolores partus habens non valeat parere, & ob id decedat, & non pariat: sic etiam si post partum in febrim incidat, ac moriatur, vt ostendimus *d. §. 4 q. 18. concl. 2. & 3.* vbi etiam *concl. 4.* censuimus, quòd in dubio dicendum est mulierem decessisse ex causa partus. Est tamẽ verum, quòd si mulier, aut eius vir causam dederit, vt decederet ex partu, officialis pecuniam lucrabitur; quoniam damnum, quod quis sua culpa patitur sibi imputatur, vt *in cap. damnum de regul. iur. in 6.* & nos latiùs *d. §. 4. 19.*

An si socius, in cuius periculo stant pecuniae apud officialem intra sex menses moriatur, antequam officialis ipse promissos fideiussores praefisso termino dederit, pecunias suas sibi faciat. S E C. XXXXVII.

S V M M A R I V M.

1 *Qui non seruat contractum ex parte sua, ab omni commodo conuentionis cadit.*

1 AD hanc difficultatem respondetur negatiuè. Etenim qui non seruat contractum ex parte sua, ab omni commodo conuentionis cadit, *l. si conuenerit. § fin. ff. loc.* Ita *Grat. discep. forens. cap. 137. num 8. & cap. 143. sub num. 48. vers. Adeò etiam dicimus,* & alij, quos nos retulimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6 § 4. 20. 21. & 23.* vbi conclusionem istam multipliciter ampliauimus, & limitauimus, ad contraria respondentes, vbi etiam *q 22.* Idem dicẽdum esse ostendimus, si officialis promiserit in casu mortis, absentiae, vel deteriorationis fideiussorum infra certum tempus dare alios aequè idoneos, & non dederit; nam moriente eo, in cuius vitae periculo stant pecuniae, officialis eas non lucrabitur. Vndè si fideiussores non dedit, aut si dedit, nõ dedit idoneos, nempè mulieres pecunias collatas non faciet suas, vt *d. § 4.* probauimus, *q. 24.* vbi quoque *q. 25.* defendimus pariter, quòd si officialis fideiussores promiserit in solidũ obligandos cum clausula resolutiua, & dederit, insolidum non se obligantes, ac is, in cuius vitae periculo sunt pecuniae, durante societate decedat, officialis ipse pecunias collatas non lucrabitur: siquidem in praedictis casibus officialis non impleuit contractum ex parte sua. Eadem ratione officialis non faciet pecunias suas, si fideiussores promissos dederit post sex menses à die contractae societatis: eò magis, quia socius eo casu dicitur decessisse post finitã societatem, vt latè de hac re egimus *d. §. 4. q 26.* sicut si decesserit intra tres mẽses, post tamen publicationem bonorum: siquidem mors superuenisset post extinctam societatem, cùm societas publicatione bonorum dissoluatur, vt in *l. verum, § fin. ff pro soc.* & nos latiùs adnotauimus *d. § 4. q. 27.*

An socius citra culpam possit nominare alium seipso iuniorē infra 15. dies, cuius periculo stent pecuniæ apud officialem.

S E C. XXXXVIII.

S V M A R I V M.

1 *Licitum est socio infra dies 15 alium nominare, cuius vita periculo stet pecunia apud officialem, pacto tamen mediante.*

2 *Affertur responsio affirmatiua. Et probatur.*

1 AD tituli explicationem est adnotandum, quòd vt sæpè diximus, licitum est mediāte pacto, socio infra 15. dies nominare alium, cuius vitæ periculo stent pecuniæ apud officialem; à quibus diebus excluditur dies contractæ societatis, cùm dies termini non computatur in termino, vt adnotauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6 § 4 q. 28* Quæritur igitur, an vi dicti pacti possit socius infra 15. dies post contractā societatē nominare alium se ipso iuniorē?

2 Ad hanc respondetur affirmatiuè ex *Castrac. de societ. offic. cap. 8. sub num 8 & seq.* & nos latius *d. §. 4 q. 29.* vbi etiam *q. 30.* id adeò verum esse ostendimus, vt licitum sit socio nominare infra dictos 15. dies ipsummet Notariū instrumentum rogantem, cuius periculo stent pecuniæ apud officialem: nam Notarius per hanc nominationem nullum ius consequitur. Imò ibidem *q. 31.* probauimus, posse conuenire socium cum officiali, vt non solùm infra 15. dies licitum sit nominare, vt supra, sed etiā vltra, infra 30. dies, & post dictum tempus, quia talis nominatio nō est contra substantiam contractus. Est tamen verum, quòd ibidem *q. 32.* demonstrauimus nominantem debere superuiuere aliquod tempus determinatum post nominationem, ad hoc vt sit valida nominatio: siquidem in instrumento societatis tale pactum ex communi stylo adjicitur, his verbis: *Adiecto pacto, quòd dictus P teneatur eandem nominationem intimare, & viuere decem dies post nominationem.* Est autem dicta nominatio intimanda officiali; quæ tamē qualiter fieri debeat, & an omissa vitiet actum: quis erit Iudex competens ad intimandam officiali nominationem ipsam: & multa alia ad hāc rem pertinentia latè declarauimus *d. § 4. à q. 33. vsq; ad q. 43. inclusiuè.*

An conditio, quæ ex communi stylo addi solet in contractu societatis officiorū, vt officialis pecunias ad societatem acceptas restituere debeat in omnem euentum, si is, qui dederit, vixerit ad sex menses, & soluere certam lucri partem, sit iusta.

S E C. IXL.

S V M M A R I V M.

1 *Responsio affertur affirmatiua, & ratione probatur.*

1 AD hanc rem respondetur affirmatiuè. Etenim non obstante prædicta conditione in eiusmodi societate seruatur æqualitas, quæ in qualibet societate expostulatur: damna enim, & lucra communicantur proportionaliter, iuxta tex in *l. cùm duobus, §. damna, & l si non fuerunt, ff. pro socio:* nam officium quamuis stet periculo vitæ officialis, & si pereat, sibi pereat; & pecunia, quæ in societate confertur, sit periculo eiusdem, & veniat restituenda finita societate; nihilominus ex alia parte pecunia, quæ confertur, & datur officiali, stat periculo vitæ conferentis, seu dantis: nam si decedat, durante societate, ipse pecuniam perdit, & eam officialis lucratur Ita *Boccac. de societ officior. num. 19. 20. & 21.* & alij, quos nos retulimus *in nostro tract. de societ. lib. 2. cap. 6. § 5 q. 1.* contraria soluentes.

An sit iusta conditio in societate officiorum apponi solita; quòd qui habet officium, & centum accipit ad societatē ad sex menses, soluat sex tanquam lucrum, & fructum ex centum.

S E C. L.

S V M M A R I V M.

1 *Refertur pars negatiua, & probatur.*

1 PArtem negatiuam docent *Tolet. lib. 5. suæ sum. cap. 40. vers Tertia enim necessaria est, & Zacch. de societ. offic. num. 355.* quos nos retulimus, & sequuti fuimus *in nostro tract. de societ. lib. 2. cap 6. §. 6. q. vnica,* etenim officia hodie non reddunt fructus ad rationem 12. pro quolibet centenario, sed vix decem, & aliquando minus.

An iusta sit conditio, quæ in officiorum societate apponi solet, nempè vt officialis, qui pecunias accepit, lucrum soluat in principio semestris, & sic anticipatè.

S E C. LI.

S V M M A R I V M.

1 *Affirmatiua datur responsio, multiplici ratione.*

Et quid si officialis decedat in principio semestris perfecta societate, an socius fructus anticipatè acceptos teneatur pro rata restituere.

1 REspondetur affirmatiuè: siquidem pro semestri anticipato, socius, qui pecuniam dedit officiali exponit eam totam perdēdi periculo: siquidem si socius ipse, aut persona ab eo nominata, cuius vitæ periculo stent pecuniæ, durante societate decedat, officialis pecunias acceptas suas sibi facit, vt declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 2. cap. 6. §. 7. q. 1.* vbi etiam *q. 2.* ostendimus, quod si officialis decedat in principio semestris, perfecta societate, socius, qui pecunias contulit, fructus semestris anticipatè acceptos tenetur pro rata restituere: nam mortuo officiali dissoluitur societas.

AN

An conditio, quę in societate officiorum apponitur, vt scilicet officialis soluat sex pro centum in semestre in omnem euentum, etiam post solutam societatem, donec restituat sortem acceptam, sit iusta.

S E C. LII.

S V M M A R I V M.

1 *Negatiua responsio adducitur, & probatur.*

1 AD hanc controuersiam respondetur negatiuè: siquidem finita societate, pecunia apud officialem remanet mutuata, & tanquam purum mutuum, & propterea ex ea fructus non debentur: quoniam ex mutuo citra vsuram percipi aliquid non potest, vt *in cap cõsuluit*, & ibi *DD. de vsur.* Ita *Tolet. lib. 5. sua sum. cap. 40 vers. Adhuc tamen*, & alij, quos retulimus *in nostro tract. de societ. lib. 2. cap. 6 §. 8. q. vnica*, vbi rem hanc latè declarauimus.

Ad quęnam obligentur socij in conscientia societate dissoluta.

S E C. LIII.

S V M M A R I V M.

1 *Societas quibus ex causis soluatur.*

2 *Qui societatem administrauit, ea finita, rationem tenetur reddere.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicẽda erunt, sunt videnda, quæ adnotauimus *in nostro tract. de societ. lib. 3. à cap. 1. vsque ad cap. 6.* vbi ex *Vulp. in l. verum, §. societas, ff. pro soc.* diximus, societatem solui ex personis, ex rebus, ex voluntate, ex actione, atque ideò siue homines, siue res, siue voluntas, siue actio interierit, distrahitur societas, vt latiùs declarauimus *d. cap. 1. q. vnica.* Tractauimus quoq; *cap. 2.* per plures quæstiones qualiter dissoluatur societas ex personis, & diximus eam dissolui duplici sociorum interitu, morte scilicet ciuili, & capitis diminutione. Declarauimus pariter *cap. 3.* per plures alias quæstiones, qualiter societas dissoluatur ex rebus, & conclusimus, quòd dirimitur rerum interitu, nempè rerum extinctione; rerum alienatione, ac rerum egestate. Explicauimus quoque *cap. 4.* & per suas quæstiones, qualiter dissoluatur voluntate, & diximus, quòd sicut societas duobus modis constituitur voluntate, tacita scilicet, & expressa: eis pariter modis volũtate dissoluitur. Deniq; exposuimus *cap. 5.* qualiter ipsa societas dirimatur actione, & conclusimus, eam dissolui actione perempta, vel mutata. His breuiter adnotatis.

2 Ad quæstionem respondetur breuiter, quòd is, qui administrauit societatem, ea finita, tenetur rationem reddere, vt *in l. quedam sunt persona, in princ. ff. de eden.* & nos latè de hac re egimus *d. nostro tract. de societ. lib. 3. cap. 6. q. 1.* quam conclusionem multipliciter ampliauimus, ac limitauimus. & *q. 2.* ostendimus quoque, administratorem societatis debere tenere librum, nec satis est si rationes velit ostendere in cartis, & folijs. & *q. 3.* docuimus, qualis debeat esse liber rationis, vt fides ei adhibeatur.

An socius administrator teneatur de iustitia librum rationum socio petenti edere.

S E C. LIV.

S V M M A R I V M.

1 *Adducitur responsio affirmatiua, nec ipsi creditur si dicat, non habere librum.*

1 REspondetur ad hanc difficultatem affirmatiuè. Nec ipsi administratori creditur, si dicat, non habere librum, cùm teneatur illum conficere, nisi doceat se illum perdidisse, vt latè rem hanc declarauimus *in nostro tract. de societ. lib. 3. cap. 6. q. 4.* vbi *q. 5.* ostendimus quoque locum, in quo reddendæ sint rationes à socio, qui administrationem habuit. Qualiter autem sit faciendus calculus, & qui sumptus admittendi, latissimè declarauimus, ibidem, *q. 6.*

An calculatoribus electis ad calculandas rationes in administratione societatis debeatur ex iustitia salarium, quando, & à quibus.

S E C. LV.

S V M M A R I V M.

1 *Salarium calculatoribus electis ad calculandas societatis rationes debetur ex iustitia.*

2 *Sententia lata per Iudicem, iuxta calculatorum relationem, exequutionem habet paratã.*

1 AD hanc controuersiam respondetur, deberi calculatoribus electis ad calculandas rationes in administratione societatis, ex iustitia salarium, vt habetur ex *Panor. cons. 21. in princ. lib. 2. Tusch. vers. Calculatores, concl. 4. nu. 19. in fine.* Etenim calculatores dicuntur arbitri; at arbitris debetur salarium, vt per *Bald. cons. 38. lib. 5.* ergo, &c. Quod tamen verum esse ostendimus in nostro *tract. de societ. lib. 3. cap. 6. qu. 7. concl. 1.* quando calculatores eliguntur iudicialiter ex vi legis, aut statuti; secus autem si eliguntur à partibus extra iudicium; quoniam isti dicuntur potius arbitratores quàm arbitri: at arbitratoribus extra iudicialiter electis non debetur salarium, vt in *l. fin C. de Episc. & Cler* Debetur autem salarium calculatoribus iudicialiter electis in principio calculationis; quoniam salariũ debetur calculatoribus huiusmodi à lege, vt patet ex ijs, quæ habentur ex *Panor. d. cons. 21.* & ex alijs, quos Nos citauimus *d. q. 7. concl. 2.* vbi *concl. 3.* probauimus quoque eiusmodi salarium deberi ab eo, ad cuius instantiam fuerunt electi à Iudice, & maximè ab eo, ad cuius instantiam redditur administrationis ratio. Et *q. 8.* ostendimus, quòd calculus non habet vim sententiæ diffinitiuæ, ac rei iudicatæ: siquidem finis calculationis est approbatio facienda per Iudicem, per quam Reus absoluitur, vel condemnatur, vt in *l. 2.* & ibi, *Glosa, & Bart C. de iure Fisci, lib. 10.*

2 Est tamen verum, quòd lata sententia per Iudicem iuxta calculatorum relationem, executionẽ habet paratam contra administratorem societatis:

tis: Calculatio enim facta per calculatores electos per partes cum promissione maximè de stando eorum declarationi; vel ipsis discordantibus, electos per Iudicem, qui partes monuit ad interessendum, probat, & habet executionem, vt ostendimus loco citato *q. 9.* & sufficienter declarauimus, vbi etiam *q. 10.* fuit per Nos pariter demonstratum, impediri executionem sententiæ si fuerit dictum de errore calculi, & calculatio est iterum facienda, rem ipsam multipliciter ampliantes, ac limitantes. Pro quibus autem rebus sit facienda executio contra socium administratorem vigore sententiæ vi calculi latæ, ibidem explicauimus affluenter, *q. 11.*

An socius possit agere, & exequi contra Fideiussores administratoris societatis, non excusso principali.

SEC. LVI.

SVMMARIVM.

1 *Fideiussores sunt in duplici differentia, & an, & quando conueniri possint per consocium.*

1 AD hanc controuersiam respondemus distinguentes, quòd fideiussores sunt in duplici differentia: nam quidam dicuntur simpliciter tales stantes in puris terminis fideiussionis: quidam verò fideiussores non sunt simpliciter tales, sed sunt verè, & propriè correi, seu rei debendi; eo quod non accessoriè, sed principaliter obligatur cum principali debitore. His breuiter adnotatis dicimus, fideiussores simpliciter tales dati per socium administratorem societatis, non possunt conueniri per consocium, nec contra eos exequi, nisi facta prius excussione ipsius administrationis: nam de iure in omni contractu fideiussor non conuenitur, nisi fiat prius excussio principalis si sit soluendo, vt in *auth. præsenti, C. de fideiuss.* & in specie habetur per quamplurimos Doctor. quos citauimus in nostro *tract. de societ. lib. 3. cap. 6. q. 12.* rem hanc multipliciter ampliantes, ac limitantes. Fideiussores autem correi, seu rei debendi, qui principaliter se obligarunt cum administratore societatis, possunt conueniri, & contra eos exequi per consocium, nulla facta excussione ipsius societatis administratoris: siquidem ita de iure statuitur de fideiussoribus eiusmodi in omni contractu, vt in *l. 2. cum plur. seq. ff. de duob. reis.* & nos latiùs declarauimus *d. q. 12 concl. 2. 3. & 4.* vbi etiam *q. 13.* explicauimus quæstionem illam, in qua quæritur; an socius possit agere contra consocij administratoris fideiussores, si debitum exigere distulerit, vel prorogationem dederit, & interim administrator ipse decoxerit: & partem affirmatiuam docuimus per *tex. in l. si fideiussor creditori, ff. de fideiuss.* quam tamen conclusionem limitauimus, ad contraria respondentes.

An socius renouata societate, possit agere contra fideiussores socii administratoris citra culpam, pro consecutione eius, quod sibi debetur.

SEC. LVII.

SVMMARIVM.

1 *Responsio adducitur cum distinctione.*

1 AD hanc difficultatem distinguentes respondemus, quòd aut agitur de societate renouata, seu continuata, ac prorogata; ad tempus tamen determinatum absolutè, ac principaliter contracta: aut de societate contracta ad certum tempus, & deindè ad beneplacitum. Primo casu renouata societate, non potest agi contra Fideiussores administratoris: siquidem finita societate, ac post eiusdem firmum tempus, fideiussores liberati sunt, si vlteriu non consenserunt, vt in *l. item quæritur, § quimpleto, ff loc.* nec hoc loco distinguendum est de renouatione tacita, vel expressa; quoniam taciti, & expressi eadem est virtus, *l. cum quid, & ibi, Doctor. ff. si cert. petat.* Secundo verò casu renouata societate potest agi contra fideiussores, siquidem non censetur propriè renouata societas, quia beneplacitum durat vsque ad mortem, nisi prius à partibus fuerit reuocatum, vt per *Doctor. in cap. si gratiosè, de rescrip. in 6.* & facit *tex. in l. 4. ff. locati,* & Nos latè de hac re egimus in nostro *tract. de societ. lib. 3. cap. 6. q. 14.* vbi etiam *q. 15.* idem censuimus de fideiussoribus, qui ad sex menses, & non vltra accesserunt, reuocata societate intra sex menses.

An fideiussores, qui ad sex menses, & nō vltra accesserunt, dissoluta societate post sex menses, conueniri valeant pro restitutione sortis.

SEC. LVIII.

SVMMARIVM.

1 *Respondetur in hac difficultate cum distinctione.*

1 AD hanc rem respondemus eodem modo distinguentes, vt supra *sec.* præcedenti, quòd aut agitur de fideiussoribus, qui officialis obligationi accesserunt in societate contracta ad certum tempus, & non vltra, nempè ad sex menses, & non vltra: aut agitur de fideiussoribus, qui accesserunt obligationi officialis in societate inita ad certum tempus, nempè sex menses, & deindè in antea ad beneplacitum, vt omnes societates officiorum contrahi solent. Primo casu fideiussores dissoluta societate post sex mēses, non possunt conueniri: nam societas eo casu primò extinguitur, & deindè renouatur. Secundo casu possunt fideiussores conueniri: eo quòd non censetur propriè renouata societas; quia beneplacitum durat vsque ad mortem, vt diximus *sec. præced.* & in nostro *tract. de societ. lib. 3. cap. 6. q. 16.* vbi *q. 17.* egimus de fideiussoribus datis pro societate contrahenda, quæ tamen non fuit contracta; nam conueniri possunt pro sorte restituenda vna cum fructibus, & interesse. Casum autem figurauimus, & rationem attulimus, *d. q. 17.* vbi quoque *q. 18.* explicauimus quæstionem illam, in qua quæritur, an si mulieres in societate pro aliquo ex socijs fideiusserint, ea dissoluta possint

possit à consocio creditore conueniri, & contra easdem exequi: & conclusimus affirmatiuè si fideiusserint, mediante iuramento: secus autem si fideiusserint citra iuramentum.

An recognoscens bonam fidem in quem pecunia, & tota societatis vtilitas peruenerunt, possit conueniri per socium, qui pecuniam contulit, non excusso officiali.

SEC. LIX.

SVMMARIVM.

1 *Recognoscens bonam fidem an, & quando possit ab eo, qui pecuniam contulit, dissoluta societate conueniri, ad eam restituendam.*

1 AD hanc controuersiam respondetur, quòd recognoscens bonam fidem non se obligauit cum officiali; sed ei indemnitatem tantùm promittit, non potest conueniri ab eo, qui pecuniam, seu sortem contulit ad illam sibi restituendam, dissoluta societate: siquidem recognitio bonæ fidei nihil commune habet cum societate, vt fusius declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 3. cap 6. q. 19. vers. Secundo verò casu.* Quòd si recognoscēs bonā fidem accesserit obligationi officialis, & in solidū se obligauerit, & æquè principaliter pro restituenda sorte, hoc casu potest conueniri, etiam non excusso officiali, vt latè ostendimus *d. q. 19. vers. Primo casu.* Non tamen ita dicendum est de eo, qui accollauit sibi societatem: nam ea dissolcta, non potest conueniri à socio, qui pecuniam contulit pro restitutione sortis: siquidem is, qui pecuniam contulit nō contraxit societatem cum eo, qui societatem sibi accollauit, sed cum officiali, qui pecuniā dedit: vt Nos ibidem declarauimus loco citato, q. 20.

An Fideiussor conuentus à socio creditore insolidum, possit agere contra principalem debitorem, pro quo fideiussit, & eiusdem confideiussorem.

SEC. LX:

SVMMARIVM.

1 *Affertur responsio affirmatiua, modo talis fideiussor cessionem habeat à suo principali creditore.*

2 *An fideiussor lucretur pecunias, si decedat ille, in cuius vita periculo erant pecuniæ secūdæ societatis.*

1 REspondetur ad hanc controuersiam affirmatiuè; dummodò fideiussor conuentus contra principalem debitorem, & suos confideiussores habet iurium cessionem à principali creditore. Et si mediante solutione debiti, & obtenta iurium cessione velit agere contra confideiussores, non potest agere contra eos insolidū; etiam si pro solido fuerint obligati, vt latè declarauimus in nostro *tract. de societ. lib. 3. cap 6. q. 21.* vbi *q. 22.* explicauimus quoque controuersiā illam, in qua quæritur, an fideiussor conuentus à principali creditore societatis dissolutæ, possit tuta conscientia contrahere aliam societatem pro solutione debiti: & postea repetere fructus secundæ societatis à principali debitore primæ, & respondimus affirmatiuè; dummodò fideiussor in contrahenda secunda societate protestetur, & declaret, quòd huiusmodi societatem cōtraxit, & pecuniam recepit pro solutione primæ ad commodum, & incommodum principalis debitoris, pro quo fideiussit, vt bene declarat *Zacch. de societ. offic. num. 464.* Est tamen verū, 2 quòd decedente illo, in cuius vitæ periculo erant pecuniæ secundæ societatis eas fideiussor non lucratur, sed potius principalis debitor; quoniā fideiussor faciendo secundam societatem videtur mandatum habuisse à suo principali ad soluendum priori creditori in prima societate: siquidem ista secunda facta est pro solutione primæ, & non ex alia causa, vt rectè declarat *Boccac. de societ. offic. num. 146.* & alij, vt adnotauimus in nostro *tract. de societ. d. cap. 6. q. 23.* Et rem ipsam ampliauimus, ac limitauimus. Hęc de ista disputatione.

De Artificum peccatis à discreto, & cauto Confessario explorandis.

DISP. VLTIMA.

SVMMARIVM.

1 *Prætermittendum nō est Religionis opus, propter pietatem extra necessitatis articulum.*

2 *Probabilis est contraria sententia* Palatij, *& quare.*

3 *Sartor retinere sibi potest retalia in compensationem iusti stipendij, si illud aliter consequi nequeat.*

✠ ADDO in primis ante responsionem ad duo quæsita mei patrui, quod excusātur ab obseruatione ieiunij, figuli, argētarij, ferrarij, lignarij, fullones, sementarij, corriarij, textores, pistores, iter facientes curribus, vel equitibus, piscatores, venatores, scriptores, & similelaborantes. Ita *P. Dian. & Laym. l. 4. tr. 8. c. 3. n. 3. p. 3. tr. 9. res. 8.* Item sutores, quorum ars est laboriosa. Ita *Azor.* item versantes prælum apud Typographos, & ipsi qui caractetes componūt, non autem colligētes typos *Gordonus.* pictores, barbitonsores, & sartores, *Laym.* & alij non excusant, quia eorum ars non videtur magni laboris: sed *Fagūd.* excusari putat omnes artifices ex Priuilegio Eug. IV. Magistri, Notarij, Secretarij, hi possunt laborare diebus festiuis laborātes in Rep. tam mares, quàm feminę. *Trullēch. p. 8. tr. 7. res. 40. & p. 9. tr. 7. res. 45. & 46.* vbi ipsemet *Not Not in ead. sum. Dian.* notat artifices prędictos non teneri ieiunare vno, vel altero die, quo non laborant: nam indigent alimento pro labore diei sequentis, & cum non sint assueti ieiunio nimium affligerentur, ita *Crux p. 1. pr. 3. ar. 4. dub. 9. concl. 2. ibid. res. 9.* vndè vti dixi excusantur supradicti ratione laboris., & non motiuo pro-

propofitionis meritò damnatæ ab Alexand. VII. P.M. quæ eft 23. fubfequens.

Frangẽs ieiunium Ecclefiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nifi ex cõtemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult fe fubÿcere præcepto.

Et demùm cœlefti afpirante gratia, ac Diuo parente noftro Caietano protegente, in cuius Apotheofi, quando ftatim fuit cooptatus inter Patronos Neapolitanæ inclytæ Vrbis, vbi Nonus erat eius filius B. Andreas Auellinus, & præcipua eius Religionis Tutelaris Beatifsima Virgo fub fpeciofiffimo titulo, S. Mariæ Puritatis, inceptũ fuit prælũ huius fecũdi voluminis, terrã afpeximus: & quia de artificum peccatis nouiffimo loco differitur, apponũtur hic duę aliç prop. damnatæ ab Alex. VII. P. M. nempè 28. quæ eft. *Populus non peccat, etiam fi abfque vlla caufa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Et propofitio prima, quę apponitur hoc nouiffimo loco, prout perniciofiffima omnibus fidelibus vtriufque fexus, nempè: *Homo nullo vnquã vitę fuę tempore tenetur elicere actum fidei, fpei, & charitatis, ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Et vt Nos Regulares magis recordemur, poftremò appono reliquas opiniones damnatas ad Nos attinentes. Nempè

Prop. 12. Mendicantes poffunt abfoluere à cafibus Epifcopis referuatis, non obtempta ad id Epifcoporum facultate.

Prop. 36 Regulares poffunt in foro confcientiæ vti Priuilegÿs, quæ funt exprefsè reuocata per Concil. Trid.

Prop. 37. Indulgentiæ conceffæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodiè funt reualidatæ.

Et prop. 45 & vltima, libri prohibiti, donec expurgentur poffunt retineri, vfque dum adhibita diligentia corrigantur.

His prælibatis, accipe breuiter, candide Lector, huius fectionis exordium, ac fcribendi finem à meo patruo, qui ita fuit hic exorfus.

Omitto fingulorum artificum in fpecie tractatum: fiquidem effem plufquam par eft in hac re prolixus, & parum vtilis: & propterea de quibufdam peccatis artificum in genere hoc loco duximus difcutiendum; pro qua re funt recolẽda, quæ fupra diximus *difp. 28. fec. 1.* de operarijs locantibus operas fuas, qualiter peccare poffint, agentes: nec non quæ *difp. 29. fec. 21.* de locatione animalium, & eorum traditione ad cuftodiam, adnotauimus; folùm igitur hoc loco agemus de duobus, primò, an licitum fit artificibus citra culpam, pietatis caufa opera feruilia præftare, ac facere in diebus feftis: Secundò an liceat Sartoribus retalia fibi retinere in compẽfationem iufti ftipendij, ita vt citra culpam ab illis ea emantur?

1 Circa primam difficultatem videtur negatiuè refpondendum effe: fiquidem non eft prætermittendum opus Religionis, qualis eft feftorũ obferuatio, propter pietatem extra articulum neceffitatis, vt habetur ex *Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4. Sot. lib. 2. de iuft. & iure ar. 4. ad 3. Lopez in inftructor. par. 1. cap. 52. Nauar. in Man. cap. 13. nu. 4. 10. & 11. Fagund. de præcept. Ecclef. præcep. 1. lib. 1. cap. 14. nu. 2.* Et hanc fententiam cõmunem effe teftatur *Diana tomo 4 refol. moral. tr. 4. refol. 177.*

2 Hæc fententia licet communis fit; nihilominus *Palat. in fum. Caiet. ver. Feftum, Sanch. in opufc. tomo 2 lib. 5. cap. 2. dub. 32. num. 3.* & alij probabiliter docẽt partem affirmatiuã: eo quòd pietatis caufa permittuntur iudicialia in diebus feftis: ergo & permitti debent feruilia: quæ quidem opinio videtur nobis probabilis eò magis, fi opera feruilia fiant fecretò, vt docet *Villalobos in Manuali Confef. cap. 22. num. 80.* quem refert idem *Diana loc. cit.* ubi etiam citat *Michaelem de Palac. lib. 2. de contract. cap. 10. §. Forfitan*; dum ait cum *Glofa*, quòd pietas, & neceffitas non fubduntur legi.

3 Quoad fecundam verò difficultatem dicimus certum effe Sartorem poffe retinere retalia in compenfationem iufti ftipendij, fi illud aliter confequi nequeat. Et emi quoque poffe eiufmodi retalia citra culpam ab eiufmodi Sartoribus Magiftris, etiam fi effent magna, & magni valoris, vt docet *Sãch in fuis opufc. tom. 1. lib. 1. cap. 7.* fiquidem communiter illis minus foluitur, quam merentur. Sed re vera opinio *Sanch.* nobis videtur vera quando retalia eiufmodi effent parui valoris; nam tunc præfumuntur retenta à Sartis in fupplementum iufti ftipendij: aliàs cõtrarium effet dicendum, vt docet *Villalobos in fum. tomo 2. tr. 25. difficul. 13. num 6.* quẽ refert, & fequitur *Diana tomo 4. refol. moral. tr. 4. refol. 176.* Hæc fatis de hac re dicta fint, & de tota pariter explicatione noftri *cap. omnis vtriufq; fexus, de penit. & remiff.* ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, à quo bona cuncta procedunt, & Gloriofiffimæ Virginis Matris Mariæ, ac Beatæ Catherinæ Virginis, & Martyris fuæ, cuius hodiè feftum colimus, & hoc opus, Diuina nobis fuccurrente gratia perfecimus, fubmittentes illud, & omnia, ac fingula in eo contenta, omni, qua decet, reuerentia, & humilitate Sacrofanctæ Romanæ Ecclefiæ iudicio, atque cenfuræ.

FINIS

Commentariorum in Cap. Omnis Vtriufq; Sexus, De Pœnit. & Remifs.

INDEX

PROPOSITIONVM 45. DAMNATARVM,

A fel.mem. ALEXANDRI VII. Pont. Max. feria 5.die 24.Septembris 1665. & feria 5. die 18. Martij 1666. quæ hìc apponuntur eo ordine, prout proprijs locis in Volumine sunt dispositæ, oppugnatæ, & reiectæ.

Prop.

INDEX PROPOSITIONVM

INDEX

INDEX
Verborum omnium, & rerum locupletissimus.

Non

Beneficium.

Bigami.

Birruarij.

tio-

Censuarius.

Census.

Chrisma.

Clericus.

Cognatio.

Collator.

Comes.

Commodatum, Commodans, & Commodatarius.

Con-

Quo-

Coniuges.

Si

Consultores.

Contractus, & Contrahens.

Co-

An

Decanatus.

Deceptio.

Defensio.

Defunctus.

Quid

per

cen-

Donatio.

Si

nicam

Et

Quot

quod

Ho-

Vel

Etiam

Liberti.

Locatio, & Locator.

Et

Aut

 Pec-

Esto,

Vel

Quan-

Quid

Et

Prælum.

Præpoſitus.

Præsbyter.

Præſentatus.

Res.

Residentia, & residere.

Restituere, & Restitutio.

Citra

Sacramentum.

Scholares.

Semen,

Am-

Aaaaa Quid

Superior.

& quod

re

Et

F I N I S.

S A N.

SANCTISS. D. N. CLEMENTIS D. P. PP. X.

Constitutio in qua Regularium Priuilegia, quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur. Quæ incipit: *Superna, &c.*

REGVLARES, qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diœcesano benedictionem petere; Prædicare tamen posse, quamuis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare; Eosquè contrauenientes ab illo tanquàm Sedis Apostolicæ Delegato censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis in vim Constitutionis fel. rec. Gregorij XV. Prædecessoris Nostri, incipientis, Inscrutabili Dei prouidentia, coerceri, & puniri posse. Episcopum tamen absq; iusta, & rationabili causa contradicere non debere; Et huiusmodi benedictionem teneri, etiam Regulares petere; Si in quibuscunq; Oratorijs sui Ordinis sermonem coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad Crates Monasteriorũ Sanctimonialium eorum iurisdictioni subiectarum, licet clausis ianuis, & nullus Sæcularis ibi interfuerit, habere voluerint. Posse autem Episcopum licentiam concessurum Regularibus in Ecclesiis, quæ suorum Ordinum non sunt, prædicare volentibus illos, quamuis ab Vniuersitatibus, aut à Magistratibus Laicis nominatos, etiamsi Episcopi Antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueuerint; quoad doctrinam examinare; Si ita ipsius arbitrio, quod moderatum, & discretum esse debet, visum fuerit. Et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles, causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. Non posse tamen Episcopum generatim prohibere Regularibus, quin in Ecclesiis suorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua Diœcesi audiendas approbatos, non posse alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamuis pœnitentes subditi sint eius Episcopi, à quo ipsi Religiosi iam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas nequaquam censeri approbatos ad audiendas cõfessiones Monialium sibi subiectarum; sed agere, quoad speciali Episcopi approbatione; Atq; approbatos pro audiendis confessionibus Monialium vnius Monasterij minimè posse audire confessiones Monialium alterius Monasterij. Itidemq; Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro vna vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis huiusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Ceterum in Monasterijs, ac etiam Collegijs, vbi iuxtà Regularia instituta viuitur. Posse tàm Prælatos Regulares, quàm Confessores Regularium eorundem Monasteriorum, seu Collegiorum audire confessiones illorum sæcularium, qui inibì sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deseruiunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque, & indistinctè absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarũ in Diœcesi propria admittendos. Quoad ceteros verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere, semel autem simpliciter approbatos posse in Diœcesi Episcopi approbantis quouis anni tempore etiam Paschali, & quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absq; vlla Parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorundem Infirmorum Parochum illicò certiorem reddere. Et hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis à facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, vt certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Et eos qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint; Constitutioni, quæ incipit omnis vtriusq; sexus quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censendos. Regulares verò ad eiusmodi confessiones audiẽdas præuio examine simpliciter, & absque vlla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab eius Vicario, aut ab Antecessoribus Episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbauit, iterum examinari; aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi; seu licentias illis concessas reuocari, nisi noua superueniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse, vt in actis constet; nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare; sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, vbi eam sibi aperiri postulauerit. Porrò si Regulares cum scandalo, aut aliàs inhonestè viuant, vel aliquod delictum committãt, per quod rationabili Episcopi iudicio videantur à confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua Ministri Sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; vtique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proindè nihil obstare quominus ob eam possit Episcopus Regulares à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus confessoribus adimi ab Episcopo inconsulta Sede Apostolica nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare Magnum, aliaue priuilegia Regularibus cuiuscumq; Ordinis, Instituti, aut Societati etiam Iesu concessis factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus ab

Episco-

Episcopo sibi reseruatis. Et per Confirmationes dictorum Priuilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apostolicis etiam Decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi a casibus Episcopo reseruatis.

Et habentes facultatem absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicę reseruatis, non ideò à casibus Episcopo reseruatis posse absoluere. Posse autem Regularem Confessorem in ea Diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex aliena Diœcesi à peccatis in ipsa reseruatis, non autem in illa, vbi idem Confessor est approbatus absoluere, nisi eosdem Pœnitentes nouerit in fraudem reseruationis ad alienam Diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse; Vigore supradictorum priuilegiorum nequaquam licere Regularibus, etiam satisfacta parte, absoluere Pœnitentes à censuris quoad externum, & iudiciale forum, & absolutos ab eis in foro Pœnitentiali, vtique non censeri absolutos in exteriori iudicio, & contentioso. Quinimmò Censuris Ecclesiasticis irretitos, & denunciatos ab Episcopis cogi posse gerere se pro talibus etiam si à Regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apostolicis Priuilegijs coram Episcopo, ab eo iudicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur; Si dictorum priuilegiorum verba obscura sint, & ambigua; non esse ad Metropolitanum prouocandum; sed cum eius sit interpretari, cuius est condere; dictorum priuilegiorum interpretationem Sedis Apostolicæ iudicio, prout alias Constitutione Prædecessoris Nostri fel. rec. Clementis IV. Statutum fuit, esse requirendum.

Decernentes, &c.